image
not
available

PLVTARCHI CHAERONEI, GRAVISSIMI ET PHILOSOPHI ET HISTORICI,

Vitæ comparatæ illuſtrium Virorum, Græcorum & Romanorum, ita digeſtæ ut temporum ordo ſeries' que conſtet, HERMANNO CRVSERIO I.C. atque illuſtriſs. DVCIS CLIVENSIS & IVLIACENSIS conſiliario, Interprete elegantiſs. ac fideliſsimo.

Et ne quid ad perfectam antiquitatis in hoc genere cognitionem deeſſet, librum AEMYLII PROBI *de Vita excellentium* IMPERATORVM *adiunximus, quem ille Romano planè, hoc eſt, eleganti & puro ſermone conſcriptum reliquit. Quanta autem ſit in huiuſmodi ſcriptionis genere vtilitas, ne nos hîc te humaniſsime Lector diutiùs teneamus, ex Interpretis præfationibus abundè cognoſces. Illud nihilominus tacere nolumus, aſperſa eſſe in toto hoc per margines, opere, ſcholia, quibus magnam lucem innumeris locis allatam eſſe, negare poßit nemo. Vale & fruere Lector amice.*

Acceſſerunt his INDICES locupletiſsimi.



BASILEAE APVD THOMAM GVARINVM ANNO M. D. LXIIII.



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO PHILIPPO HIspaniarum, vtriusq; Siciliæ, Neapolis, Hierusalem, &c. Regi catholico, &c. Principi suo clementißimo, Hermannus Cruserius S. P. D.



VANQVAM Formæ moderandi populis serenissime atque potentissime REX uariæ olim fuerint & adhuc sint, rediguntur tamen ad tres omnes. Respub. enim aut à principibus tenentur, aut à populis, aut à singulis, quæ dicitur Monarchia. In hanc autem & illæ, in quibus ualuerunt optimates, & illæ, in quibus liberi populi ius fuit, omnes deniq; reciderunt. Quod præuidens Perses Darius, cùm sublatis Magis consultarent septem illi principes de forma instituenda reip. atque hi suaderent statum ordinandum popularem, illi regimen tradendum primoribus: suasit grauissime reducendum regnum, quò aliquando tandem esset post seditiones & bella intestina recurrendum. Et sane censuit prudentissimè. Nam ut plures soles non fert mundus, ita non diu sustinet regnum uel prouincia plures dominos. Siquidem ubi multitudo, ibi est dissidiũ & confusio. Sed præfulget ac præ cæteris floret illa, quæ ab uno regitur & bono uiro. Neque uerò consensio & concentus cõsisteret Vniuersitatis, dij si plures essent. Nunc ut decentissimè atq; elegantissimè mundo unus moderatur deus: ita optimè agitur eo cum populo, quem prudens princeps unus ducit. Atq; uocant Iouem suum poetæ Optimum Maximum, quòd non modò sit potentissimus, sed etiam prudentissimus, sed omnibus deniq; uirtutibus resplendens alijs. Pari modo elaborãdum est ei, qui remp. tractat, aut est ad eam designatus tractandam, ne accedat ad eam imparatus & inermis. Facit quidem ingens potentia regniq; amplitudo & laxitas magnum principem, sola uerò uirtus clarum & excellentem. Ita Hiero Syracusanus dimidiæ rex insulæ Siciliæ, ac Numa Pompilius unius tunc urbis Romæ rex, Agesilaúsq; urbis Spartanæ & cum astricta potestate rex longè ad memoriã hominum & laudis æternitatem præfulgent potentissimo Persarum regi Ocho, aut Neroni Domitiano uc tam præpollentibus & præualentibus imperatoribus. Atque ut non abeam longè, rex Neapolitanus Alphonsus cõpluribus præstantior ad gloriam est Turcarum regibus. Vnde rectè Agesilaus, cùm diceret quispiã hoc Regem magnum fecisse, significãs regem Persarum: Quid me est ille, inquit, maior, nisi quanto iustior? Quare Dion Syracusanus Dionysij minoris ieiunitate bonarum artium cernẽs perditos mores, adhortatus est eum, ut excolendum curaret se doctrina, atq; principem philosophorũ Platonem multis precibus induceret ad ueniendum in Siciliam; cui traderet semetipsum: quò eruditione illius institutus ad uirtutem atq; ad imaginem conformatus DEI, cuius ductu parens Vniuersitas ex cõfusione mundus est, magnã felicitatem sibi ipsi, magnam ciuibus suis pararet: si, quæ nunc ui & metu domini faciãt inuiti, hæc moderatione & iustitia efficeret, ut beneuolentiã præstarent sicut parenti, atq; ita rex ipse euaderet ex tyrãnó. Nam adamantinas cõpedes, non ut parens eius dicebat metũ, uim, magnam classem, decem milliũ

barbarorum stationem esse: sed beneuolentiam, sed studium, sed fauorē, quę uirtus & iustitia imprimant: ea licet molliora intentis illis & duris firmiora ad imperij esse perpetuitatem. Adhæc esse turpe & fœdum, si princeps corpore cultus eximiè, splendoreq; & instrumento magnificus domestico, consuetudine & sermone nihilo homini plebeio præstet, neq; animi studeat habere egregiè & insigniter exornatum principatum. Monuit Dionysium, ut præceptorem adhiberet philosophorum Platonem antistitem: quòd uirtutes & scientiæ non nascantur cum hominibus, sed magno labore multisq; sudoribus, ut ait Hesiodus, comparentur. Quæruntur autem uel longo rerum usu atq; exercitatione, uel doctrina. Cęterùm est diuturnior usus, quem in multis præuertit fatum: ut decedere cogantur ante, quàm mediocrem cognitionem rerum adepti. Est etiam stultorum hic magister. Qui enim sine eruditione notitiam rerum gerendarū sectantur, sæpè necesse est impingant, sæpè cespitent, nonnunquā etiam labantur in præceps. Vt si profiteri quis se uellet medicum, qui nihil disciplinæ gustasset medicæ. Nam hic fieri non posset, quin multos homines sustolleret, ante quàm ad mediocrem cognitionem perueniret artis. Aut si ius dicere præceptorum iuris rudis instituat: quàm hic erit cæcus, quàm multos euertet fortunis, existimatione, & capite? Compendiosior & facilior est proniorq; altera per doctrinā uia. Hanc pręceptis muniunt philosophi, historici facta dictaq; à cōdito seculo ab insignibus ad uirtutem aut uitia uiris ob oculos ponunt: ex quibus haurire omnia uirtutis ornamenta lectione licet, ac discere, quemadmodum labes declinandæ uitiorum, quemadmodum resp. instituenda ac procurāda, ut populares in ocio & concordia feliciter agant: quemadmodum nubes & tempestates aliunde ingruentium uel prementium motuum & bellorum dispellantur. Præ omnibus autē historijs & libris philosophicis delegendus & reuoluendus est ad principatum natis aut affectantibus remp. attingere, Plutarchus. Hic enim omnes omnium regnorum ac rerump. insignes reges atque principes depinxit additis uirtutum & uitiorum in unoquoq; notis: præbetq; omnibus quasi speculum, in quo cernere queant, quibus illustrati sint uirtutibus, aut quibus offuscati mendarum tenebris: quò & excolant sua bona, & maculas extergant. Venit mihi in mētem magni cuiusdam principis, lectione qui delectabatur historiarum, ex quibus tamen, ut narrauerunt mihi pręstantes uiri, qui notitiam illius & usum interiorem habebant, nihil decerpebat, nisi ut uitia, lustra, libidinum & luxus in illis depictas imitaretur formas. Libenter uerò scripta fabulosa audiebat, non illa Græcorum aut Romanorum, quæ erudita sunt & multis locis fructuosa: uerùm suæ linguæ inepta & inculta: ex quibus haurire nisi friuola, anilia, & uana poterat nihil. Quanto prudentiùs et utiliùs parens tuus summus imperator Carolus, ut mihi relatū est, cùm transiturus esset per Franciam, prælegi sibi per ocium uoluit Philippum Cominæum: quo salubriorem non habebat ea tempestate lingua Gallica historiam. Tractat enim de principibus duobus præcellentissimis Lodoico XI. Francorum rege & duce Burgondiæ Carolo, filumq; sequitur idem atq; Plutarchus. Narrat ut historiographus, docet ut philosophus, scatetq; ubiq; lumine sententiarum egregiarum & præceptorum. Qui si expolitus literis esset, potuisset explere Plutarchum. Quippe ad solertissimum ingenium addiderat magnum rerum usum. Præcellit uerò Plutarchus singulari

lari eruditione, qua undiq; distinxit monumenta sua. Nullum autẽ reliquit excellentius opus Vitis, quas inuicem comparat, illustriũ Virorum Græcorum & Romanorũ. Hoc opus, quod ingentibus laboribus transtuli in sermonem Latinum, nemini debui uniuersum dicare, quàm Maiestati tuæ, cuius parentissimus sum subditus. Maximè uerò inuitauit eò me splendor uirtutum insignium tum tuarum, tum maiorum tuorum: ut non opus sit, posteri Maiestatis tuæ foris ut quærãt lumina uirtutum, sed petere queant domo. Virtutis bellicæ tuæ magnum specimẽ dedisti: cùm statim susceptas prouincias hasce inferiores, quas accepisti aliquatenus concussas & laceratas, afflictis contusisq; Marte Gallis erexisti ac confirmasti. Vbi exuisti arma, quis te humanior aut benignior aditu, uel alloquio, uel usu? Neq; ego hoc commemoro ex auditu. Ipse legatus bis ad Maiestatem tuam sum expertus. Magna prædicatur imperatoris Maximiliani humanitas & comitas, fortitudo & uirtus bellica Caroli ducis Burgondiæ, prudentia & strenuitas regis Hispaniæ Ferdinandi. In imperatore Carolo patre Maiestatis tuæ non una aut altera effulsit uirtus, sed tam multæ, támq; sunt eius res præclaræ gestæ, ut imperatoris post Carolum Magnum nullius. Philippus uerò ducis Caroli pater omnibus uirtutibus fuit cumulatissimus, ut meritò dictus fuerit Bonus. Dici enim bonus nisi omni genere uirtutum exornatus potest nemo. Neq; enim uecors bonus est uel temerarius, multò minus tyrannus aut rapax aut uiolentus, non item timidus, socors, iners, iracundus, nec luxu & libidinibus perditus, aut in uinũ effusus: uerùm sapiens, iustus, benignus, beneficus, fortis, clemens, atq; omnibus in rebus moderatus, is demũ est & appellatur bonus. Præclarum omnen, quo nullus insignitus magnorũ regum Persarum fuit. Vnus tantùm dictus Optimus fuit imperator Traianus. Vt autem nomen est magnificentius Alexandri Magni & Pompeij Magni, quàm Fabij Maximi uel Valerij Maximi: ita cognomen tributũ Philippo Boni prestantius uidetur mihi quàm Optimi. Ab hoc ergo quia trahit Maiestas tua nomen, eadémq; atq; ille sectatur studia, expectamúsq; magis ac magis procursu ætatis emicaturos ex te uirtutũ illius radios, nemini principum orbis hoc seculo promptuarium omnium uirtutum sacrari Plutarchus quàm Maiestati tuæ debuit. Hoc meum iudicium & promptum in Maiestatem tuam studium atque obsequentem uoluntatem, ut sperem ei fore grata, eadem mihi spem ostendit comitas & facilitas & humanitas Maiestatis tuæ. Anno Salutis humanæ M. D. LXIIII. Calen. Septemb.

AD LECTOREM.



A N N V S *agitur iam quintus, candide Lector, cùm filia mea vnica optimæ spei atque insignibus ornata dotibus puella nec expectato & repentino sublata fato est. Unde cùm dolor me perculisset, qualem verisimile est vnico amisso atque charissimo pignore pium patrem, neque vellem stultorum more planctibus me affligere & eiulatibus, nec euellere valerem tamen ex animo luctum acerbũ meum: quò mœrori meo medicinam facerem eumq́; lenirem, confugi ad sacram Philosophiam, quæ animis ægris nulla medetur præsentiùs. Atq; vt faciunt Medici, qui cùm lenientibus doloris medicamentis nihil proficiunt, adhibent ea quæ inducunt stuporẽ: ita mihi cùm omnibus momentis recurreret in mentẽ acerba iactura mea, arripui insuper in manibus vitas Plutarchi, quæ sanè, vbi discessi à lectione sacra, alleuauerũt me mirificé. Reputabam enim mecũ, dum eas legi, turpe mihi fore homini à puero in literis versato & verò Christiano non ita ferre casum meũ, vt alij nonnulli nõ instituti diuina doctrina tulerunt. Itaq; quò cogitationẽ & sensum omnẽ dispellerem grauis vulneris mei, institui vitas Plutarchi omnes in linguam Latinam transferre. quòd ea cõmentatio totum animum requireret, neq; cogitationũ interpellationem admitteret aliarum. Ita si quid laboribus hisce meis cõmodaui studiosorum reip. id filia mea Beatæ, cuius me desiderium torsit grauissimè, ferent acceptum. Impulsus eo sum faciliùs, quòd superioribus annis paucas vitas per ocium quasi ludens sermone Romano explicauissem, quò animum à tristi & tetrica agitatione Iuris ciuilis recrearem. Nec sanè mediocriter eleuauit hæc exercitatio ægritudinẽ meã, sed imprudenti callũ obduxit. Neq; destiti, vbi semel cœpi, dũ totũ hoc detextũ est opus. Assiduitatẽ operæ & studij mei interrupit morbus, qui diu me tenuit, tum frequentia negocia optimi Principis mei, aliorumq́; principum virorum atq; amicorum, quorum temporibus & caussis non potui vel debui deesse. Quod in causa fuit, vt duobus annis penè seriùs potuerim interpretationem meam edere. Interea cùm iam poliuissem atque emendassem vitas meas Plutarchi, ostendit mihi Bruxellæ, vbi agebam illustrissimi Principis mei legatus, Secretarius regius editas elegantissimè ab Amioto lingua Gallica vitas Plutarchi, quæ exierant tamen in publicum sex menses ante quàm eas viderem. Huius viri mihi eruditio & diligentia aliquid lucis nonnullis in locis attulit. Cui ego hoc testimonium dabo: non posse fieri, vt quisquam hoc tempore Plutarchum tam vertat ornatè lingua Latina, quam vertit ille sua. In causa est, quòd ille linguam maternam nitidissimis coloribus excoluerit distinxeritque: cùm nos linguam Romanam vix longo spacio ac multis laboribus alienam atq; exoletam quasi balbutiamus. Postremò sub dies festos Pentecostes hoc anno M. D. L X I, cùm iam partem priorẽ interpretationis meæ misissem ad typographum virum ornatum Christophorum Plantinum, qui expetierat à me, hunc librum vt sibi excudendum darem: allata est ad me viri docti & industrij interpretatio Latina* G V L I E L M I X Y L A N D R I, *quæ si prodisset ante triennium, quàm tam longè essem progressus & opus consummassem: non admouissem ei fortassis vltrà manus. Nunc verò exantlatis tot laboribus, & tot difficultatibus exhaustis, noluì tantum opus nequicquam subisse, vel studiosos defraudare aliquo fructu, quem forsitan accipient ex vigilijs nostris. Ego quidem si dicere hîc non valeam vitas me Plutarchi, quas plurimi sumpserunt antehac Itali Latinè reddendas parum feliciter, me explicauisse vnum & veriùs & mundiùs: hoc certè dicere queo liquidè & rectè, esse arbitratũ me hoc effecisse. Nunc supprimere occupatum tantum laboris, animi videatur vel ignaui vel*

inuidentis

inuidentis sua studiosis. Neque verò hoc sine exemplo fecerim. Atque vt prætercam vetera, Dioscoride verterunt viri doctissimi tres, Hermolaus Barbarus, Ruellius, & Marcellus Vergilius. Suum cuique fuit illic iudicium. Cedit autem hic casus etiam commodo studiosorum. Cum enim fieri tanto in opere adeò obscuro & vario nequeat, vt nusquam hæreas, nusquam indormites vel impingas: eueniet, vt vbi vnus cæcutierit, id peruiderit alter perspicaciùs: atque sic fructum ferat lector ex Plutarchi vitis solidum. Porrò intendit asperitates huius lucubrationis decessus optimæ filiæ meæ. cuius facere nō potui, quin medijs in laboribus aliquando recordarer & pungerer priuatione. Huc accesserunt infidissimorum & infestissimorum importunitates & tormenta vicinorum meorum cū gregalibus suis bestijs turpissimis atq; liuidissimis. Iam variorū negociorum extraneæ incursationes non mediocriter retinuerunt cursum meum. Supra omnia fuit labor mihi meus grauior, quòd sedes habeam, vbi neque copia sit librorum, neq; vir eruditus vllus, imò ne in vicinia quidem, quicum liceat conferre, qui quidem in arena iactauerit se literarum Græcarum & Latinarum elegantiorum. Cum requiratur tamen imprimis, vt qui varium opus & magnificum edere intendit, in ampla agat vrbe, vbi & magna facultas sit librorum, humaniq; & exculti doctrina hominet. Attamen omnibus extricatū vinculis peregi opus. in quo excusabunt me Lectores candidi, sicubi tam nodoso in opere & multiuago titubauerim. Magnis enim in rebus difficile est vbiq; cauere rectè. Adhæsi verbis Plutarchi, quantū mihi sermo Romanus permisit. Neq; enim sine religione discedendū arbitratus sum à verbis eius: quòd vt est pressus, nullum pene sine aliquo mysterio sit. Ordinem Vitarū adiuuandi causa Lectoris mutaui studiosè: vt aliqua series esset & catena temporum: nec tenor, qui potissimùm refert ad intelligendū & conseruandum res memoria, semel esset inconditus atque confusus. Quia verò non vnius ciuitatis Plutarchus principes Græcos pertendit cum Romanis: verùm varijs ex vrbibus, atq; etiam nonnullos accersit alienigenas ex Epiro, Macedonia, & longiùs vsque ex Asia & Perside, vt non sit vna eademq; eorum sicut resp. ita historia: tempora sequenda putaui Romanorum, atq; quo illi vixerunt ordine, hoc eos mihi digerendos. Id enim non parum luminis adfert lectioni. Præfationes insuper in exemplari Græco Paulo Aemylio & Sertorio præfixas coniectura ductus ex cæteris isto loco moui ac traieci in priorem, præposuiq; Timoleonti & Eumeni. Adieci singulis paribus proœmium quoddam, quo ferè locum aliquem communem, qui & faciat ad rem præsentem & monere queat illum, cui eas vitas nuncupaui, tracto. Diuersis dicaui has vitas secutus Plutarchum, qui videtur eas varijs consecrasse. Feci id potissimùm, quò multos principes ad virtutem & ad rectè tractandum remp. incitarem vel certè eò intentos confirmarem: vel potiùs, quòd frequentem nobilitatem alant & circa se habeat principes, ad quorum se illi exemplum solent conformare, quò eos stimularem ad Plutarchi lectionem, hac si duci principes viderint suos. Habet autem eam vim lectio, vt mores lectorum tingat etiam nec opinantium & imprudentium, auocetq; animum pedetentim ab insano venandi studio, à fœda crapula, à turpibus lustris & amoribus. Si enim natio nostra præclara ingenia sua doteq; excellentes, vt animi magnitudinem, constantiam, mortis contemptum, candorem, fidem, quibus nulli cedit genti, & multis præcellit, Græcorum & Romanorū disciplinis institerit excolere: quid esse Germania poterit nitidius, quid beatius? Eò igitur spectaui, hoc propositum vnicum meum fuit. Fauorem certè aut munera eorum, quibus dicaui hosce labores, non captaui. Testimonio est, quòd multis reddi iusserim dona. à nonnullis, quorū virtus aut pristinus in me amor merebatur, tantum accepi, quātum significatio & monumentū eorum in me beneuolentiæ potuit esse, nonnullorū repensaui liberalitatem. Neq; enim ista vt mendicem, fortuna eget mea, vel animus concupiscit. Et si egerem, respondendo de iure & patrocinando, quod quibusuis facio gratis, multa queam comparare: imò li-

beralitas explere me principis mei potuisset: à quo multa delata repudiaui. Reieci etiam anno proximo superiore insignem fructuosumq; magistratum magna cū dignitate coniūctum, quem mihi summus princeps obtulit, atq; grauiter, vt susciperem, institit. Cæterū de his satis. De vtilitate Philosophiæ & historiæ multi multa scripsere, quæ nō est animus hîc recoquere. Tantū dicam, esse vitæ PHILOSOPHIAM ducem, virtutis indagatricem, expultricemq; vitiorum, sine qua omninò vita hominū nihil esse potuisset. Hæc vrbes peperit, hæc dissipatos homines in societatem vitæ conuocauit: hæc eos inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tum literarū & vocum communione iunxit: hæc inuentrix legum, hæc magistra morum & disciplinæ fuit. Est aūt vnus dies bene & ex præceptis eius actus penè toti immortalitati anteponendus. Hæc & vitæ tranquillitatē largita nobis est, & terrorem mortis sustulit.

HISTORIA verò testis est temporū, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nūcia vetustatis, laus & præconium virtutis, suggillatio scelerum. Hoc insuper admonebo, cùm præscribant Philosophi præcepta tantùm virtutis: Historia verò, quid cum virtute aut secùs sit actum, depingat: Philosophia vt magistra doceat, vt auocamentum ad hilaritatem historia delectet: vtrumq; præstari hoc in opere à Plutarcho. Unde plus docet quàm historici reliqui, & stimulos relinquit in animis lectorum quàm reliqui philosophi, acriores. Quippe videntur illi docere ea, quæ efficere queat nemo: ac ne illi quidem ipsi videātur secuti ea, quæ scripsere. Hic præcepta virtutis, simulq; imagines subijcit eorū, qui laudabiliter eam repræsentauerūt. Atq; idem facit quod medici, Plutarchus. Ut enim illi medicamenta, à quibus gustus abhorret ægrotantium, condiunt gratioribus, ac lenocinium faciūt linguæ: ita virtuti, ad quam ascensus est arduus, ac cuius apparet esse duram tractationem, semitas Plutarchus leniores prætexit. Neq; verò vna in virtute versatur, verùm cōplectitur omnes: omnesq; ita exequitur cum emblematibus quamq; suis: vt compendium sit factorum dictorumq; sapientissimorum hominum & ducum atq; principum excellentissimorū. Neq; in instrumento versatur vnius reip. tantùm vel regni, sed omnium laudatorum. Iam vt commonstrat omnes virtutes, ita subijcit oculis omnia genera contrariorum vitiorū, ostenditq; quàm fuerint turpes, ijs qui inquinati fuerunt, & quàm fœdum habuerint exitū. Ut autem hoc tempore pleriq; omnes ad studium Iuris ciuilis conferunt se, non iuris aut recti boniq; amore, sed pecuniæ faciendæ causa. quam artem iam adepti, omne ius peruertunt diuinum & humanum, argutijsq; atq; impudentia leges perrumpunt omnes æternitatis & famæ quoq; securi: ita multi applicant se ad remp. gerendam, aut inuolant in consilium publicum, non illi quidem vlla patriæ aut principis charitate, sed ad rem augendam priuatam atq; diripiendā publicam. Quare non laborant, si ad rempub. illotis pedibus accedant. Debent verò, qui cū laude præesse reip. volunt, vel principem agere, dare imprimis operam, rectè vt instituantur: & si non vacat, omnem vt hauriāt philosophiā: Ethicis certè, quæ de moribus & virtutibus tractant, vt sint egregiè tincti: quorum præceptor est Plutarchus optimus. Siquidem decet principem vel eum, qui cum laude præfuturus populo est, sicut potentia præualet cæteris, ita prælucere virtute, omnibusq; ornamentis cumulatissimum esse. Requiritur autem in eo præcipuè oculi vice prudentia. Addit Aiaci comitem Homerus Ulyssem, ea fabula adumbrās & significans flaccidam & eneruatam potentiam viresq; sine prudentia esse: qua adhibita magna imperia constituuntur, & amittuntur neglecta. Plutarchus verò sapientissimos viros proponit Lycurgum, Numam Pompilium, Solonem, Poplicolam, Fabium Maximum, M. Catonem maiorem. Præsentis in casibus subitis consilij imaginē ostendit Themistoclem. Iam propter potentiam principes timemus, propter prudentiam suspicimus, propter iustitiam amamus. Siquidem copulata cum solertia potentia, si absit iustitia, existit tyrannis, quam omnes horrent & execrantur. Quos verò iustitiæ cultores arbitramur, vt valentioribus de-

ficiantur

ficiatur opibus, nec perinde ingenij acumine valeant, his fidimus tamen, his nos nostraq́; concredimus: neq; est virtus vna alia, quæ tantum charitatis concilıet ac beneuolentiæ. Huius proponit simulachra Solonem, Poplicolam, Aristidem, Catonem maiorem. Abstinentiæ & integritatis exempla dat Periclem, Phocionem, Ciceronem, Catonem Uticensem. Liberalitas & beneficentia digna est principe virtus, magnumq́; ei & splendorem adfert & fauorem. Ad eam amplectendam proponit Alexandrum magnum, Cimonem Atheniensem, Fabium maximū, Iulium Cæsarem. Habes magnanimitatis speculum in Alexandro, Scipione Africano, Cæsare: constantiæ in Pericle, Fabio maximo, Metello Numidico, Demosthene, Phocione, Catone minore. Magnum ornamentū adiungit principi moderatio animi, qui neq; rebus lætis effertur, neque de gradu deijcitur asperis. Hic intueri in Fabium maximum, Paulum Aemilium, Phocionem, Philopœmenem, Catonem minorem, M. Brutum licet. Tolerantiæ doctor Pericles est & Fabius maximus: humanitatis Africanus, T. Quintius, M. Cicero: clementiæ M. Marcellus, Iulius Cæsar. Ad pacem & ocium sectandum alendamq́; inter ciues concordiam ducem præbet se Numa Pompilius. Continentiæ & laborum perferendorum offert se Lycurgus magistrum. Modestiæ lumen est Pericles, Pompeius magnus. Grauitas & seueritas in Fabio maximo atque vtroq; Catone elucet. Uice versa notantur reprehendunturq́; à Plutarcho vitia. Præcipitantia & temeritas est reip. imprimis calamitosa, multosq́; præcipites egit insignes duces. Testes sunt C. Flaminius & M. Uarro bello Punico secundo, itemq́; Pelopidas et M. Marcellus cæteroqui hi laudatissimi. Nihil magno in viro est auaritia & rapacitate fœdius. Documento est apud Lacedæmonios Gylippus, M. Crassus & C. Uerres apud Romanos. Demosthenis auro obnoxij exilium præstantissimi cætera viri admonet abstinendum esse à muneribus ei, qui rempub. procurat. Magna suggillatio gerentis remp. est leuitas. ea exprimitur Alcibiadis moribus & castigatur cladibus. Noxia magnoperè fuit Dioni & Lucullo austeritas & peruicacia. Nihil pestilentius in principe viro vel capitalius crudelitate: cuius in Lysandro effigies, itemq́; in C. Mario, Sylla, & M. Antonio triumviro cernitur. Rapuit multos ad interitum vindictæ cupiditas: quod Pelopidæ fato & M. Coriolani ostenditur. Nimia ambitione non vulgares principes transuersos actos fuisse, calamitatésque sibi & suis inuexisse graues & acerbas casus docuit Pyrrhi, C. Marij, & M. Ciceronis. Hac denique impulsi Pompeius & Cæsar Romanam conuulsere libertatem. Dicacitas multas inimicitias conflauit Ciceroni. Reprehenditur luxus & prodigalitas, quibus non vacauit prorsus Lucullus & infamis fuit M. Antonius. Ebrietate & crapula admodum deformari principis laudem, eamq́; esse calamitosam subditis, ipsis verò imperatoribus frequenter fuisse exitiosam docuerunt Alexander magnus & M. Antonius triumvir. Proiectam Venerem libido quanta discrimina cladésque aduehat, periculum Demetrij atque exitium Antonij demonstrauit. Habes luminaria & notas pauca de multis, quæ extant apud Plutarchum. Ea siquis cuncta lumina virtutum quasi flores excerpserit, & tanquam putrida vlcera hæc vitia excîderit, atque ita fuerit excultus: nemo ornatiorem principem philosophus, ne ipse quidem in Cyropædia instruxerit Xenophon. Hæc ergo ante oculos ponenda, hæc inculcanda crebrò exempla sunt ijs, quibus dominationem parentes sunt per manus tradituri. Huiuscemodi libri voluendi terendiq́; assiduè omnibus principibus & ijs, qui præesse cū laude auent reip. Quò magis improbandum dictum est Lodoici XI. Francorum regis principis alioqui versutissimi, qui literis imbui filium & successorem Carolum noluit. Dicebat enim, quia eas ipse attigisset, in consilijs se capiundis fuisse peruicaciorem. Næ ille præficere voluit regno stipitem, apud quem priores regni expertem iudicij quomodo coram defuncti statua Alexandri quasi deliberationibus præfutura & rebus agendis inibant successores

eius consilia. Laudandus verò atque perhibendus Macedonum rex Philippus: qui nato Alexandro ilicò ad Aristotelem summum sapientiæ doctorem gaudere scripsit se, non ita quòd natus sibi filius esset, sed quòd natus seculo ipsius, à quo institui valeret ad virtutem. Memorabile etiam ipsius dictũ Alexandri: qui plus se præceptori debere Aristoteli quàm Philippo patri est ingenuè fassus. Ab hoc enim habere se, quòd viueret: ab illo, quòd honestè viuere & cum decore posset. Vides iam quàm necessaria virtus sit cùm omnibus mortalibus, tum præcipuè illis, qui remp. sunt tractaturi. Virtutes autẽ non nascuntur cum hominibus; sed magnis sudoribus comparantur & discuntur. Vsus verò rerum longus est, quẽ subinde præcurrit mors: vt decedendum sit ante, quàm quid officij nostri sit, discere valuerimus. At est compendium ad eas recta institutio lectióque philosophorum & historicorum. In his, qui quidem in vtroque genere floreant, citra controuersiam facilè tribues primas Plutarcho, qui tibi satis iam percepisti quàm possit esse conducibilis. Quare hunc, quicunq; remp. statuisti gerere, & cõtendis ad laudem, amplectere, perpetuò eum versa, & caue de manibus deponas, atque ad præcepta eius te accommoda. His imbutus atq; hæc secutus euasit optimus imperator Traianus, gessitq; imperium laudatissimé. Porrò admonendus es candide Lector non potuisse me menses Græcos accommodare ad Romanos: quòd hi circulum solis, illi spectent lunæ, habeãt etiã aliam intercalandi rationem. Reliqui ergo secutus Ciceronem, Pliniũ, & authores Latinos alios nomina mensium Græca. Vt tamen eorũ habeas, quantũ hîc sufficit, notitiã, addere volui Theodorum Gazam grauibus nixum authoribus, tradere, Gamelιona Ianuarium verti posse, Elaphiboliona Februarium, Munichiona Martium, Thargeliona Aprilem, Scirrophoriona Maium, Hecatombæona qui & Cronius & Hippodromius dicitur, à Macedonibus verò Lous, Iunium: Metagitniona, Panemus dicitur à Bœotijs, Iulium, Boedromiona Augustum: Mæmacteriona, qui etiam dicitur à Plutarcho in Theseo Gorpiæus, Septembrem: Pyanepsiona Octobrem, Anthesteriona (hic etiã Dæsius nominatur) Nouembrem, Posideona Decembrem. Hæc tamen ita intelligas, vt non planè & omninò respondeat Posideon Decembri: verùm initium eius est circa solstitium brumale, excurritq; magna parte in Ianuarium: adeo vt in Cæsare Plutarchus Ianuarium eum appellet. Pariterq; statuendum de reliquis mensibus. Discrepat etiam à Gaza Plutarchus in Thargelione, qui partem habet Maij, partem Iunij: vt videre est in Timoleonte, vbi pugnã Timoleontis describit ad Crimesum amnem. Metagitniona etiam in Poplicola appellat Septembrem. Iam Anthesteriona planè Plutarchus in Sylla, vt Philostratus ait, in Martium incidere. vt longè aliter statuendum de congruentia mensium sit ex Plutarcho, quàm tradat Gaza. Nomina ita magistratuum Ciceronem, & cæteros, quos suprà nominaui, authores secutus non moui, vt est Archon, qui summus magistratus fuit apud Athenienses, Bœotarches apud Thebanos, Polemarchus qui certus magistratus fuit apud Lacedæmonios, & similia. Vt verò tibi & ratio nummaria constet, breui quantum hîc requiras, accipe ex Budæo. Talentum valet sexcentis coronatis. Mina pars eius est sexagesima: valet coronatis decem. Drachma centesima pars est minæ. Aestimat eam Budæus vt eo tempore, quo scripsit tribus solidis Turonensibus & semisse. Denarius respondet apud Romanos drachmæ, atque ita ab authoribus Latinis æstimatur. Denarium efficiunt decem asses. As nummus fuit æreus. Vnde dicitur mille æris apud scriptores. Nummi sestertij quatuor efficiunt denariũ. Decies sestertiùm, quod scribunt decies HS, *reddit decies centena millia nummûm sestertiorum, valetq; 25000 coronatorum. Hinc facilè subduces reliqua. Vale candide Lector, Campis anno* M. D. LXI.

VITA PLVTARCHI EX SVIDA.

PLVTARCHVS Chæroneæ Bœotiæ natus Traiani Cæsaris principatu uixit, atq; etiam ante eum. Dedit ei Traianus dignitatem consularem, mandauitque, nequid ille, qui cum imperio præesset Illyrico, nisi de huius sententia ageret. Scripsit multos libros, in quibus hanc Vitarum comparatarum pulcherrimam atque summè frugiferam historiam.

Testatur hoc in libro ipse uixisse se & sub Nerone. Meminit aui sui Lampriæ & Nicarchi proaui.

VITARVM IN HOC LIBRO A' PLVTARCHO COMPARAtarum enumeratio.

PLVTARCHI CHAEronei, grauissimi & Philosophi & Historici, vitæ comparatæ illustrium uirorum Græcorum & Romanorum:

HERMANNO CRVSERIO I. C. INTERPRETE.

Theseus.



VOD faciunt in situ orbis describendo, Sossi Senecion, historici, qui, si qua cognitionem suam fugiant, ea extremis tabularum partibus supprimentes, in margine alicubi annotant vlteriores regiones arena & siccitate squalidas ferasque esse, aut insuperabilem limum, aut Scythica iuga, aut mare conglaciatum: Id mihi qui in Vitarum comparatarum commentatione tempus percurri, quatenus aspirare uerisimilis oratio, & consequens veritati potuit historia, liceat de superioribus dicere: vlteriora, monstrosa & tragica, poetæ & fabularum scriptores depascuntur, neque vltra fidem obtinent, vel certitudinem. Verùm quando Lycurgi Legislatoris & Numæ Regis vulgauimus historiam, videmur non abs re ad Romulum euasisse, cùm tempora illius historia attigerimus. Sed pensanti mihi, Tali uiro, (ut Aeschyli verbis vtar) num quis erit comes? quem comparem? quis inuenitur similis? Visum est illum, qui præclaras & decantatas ciuibus frequentauit Athenas, parenti inuictæ & inclytæ Romæ opponere & comparare. Optandum igitur nobis, vt repurgata oratione fabula obtemperet, & historię accipiat imaginem. Vbi uerò præfractè consentaneum contenet, neque consortium accipiet verisimilitudinis, ibi candidis mihi opus sit auditoribus, qui placidè origines accipiant. Atque Romulo uidebatur Theseus multis nominibus congruere. Ambo enim incerta orti nec iusta stirpe fidem acceperunt natalium diuinorum,

Similitudo aptissima.

Theseus & Romulus, persimiles.

Pugnaces ambo, quod certè nouimus omnes:

& coniuncta cum viribus corporis prędití fuerunt prudentia. Vrbes clarissimas, ille Romam condidit, hic cultoribus frequentauit Athenas. Raptor vterque fœminarum, neuter domestica incommoda, vel inuidiam declinauit familiarem: imò verò sub exitum vitæ offendisse vterque ciues suos fertur: si quæ minime tragicè dicta videntur, ad veritatem faciunt.

Thesei genus paternum ad Erechthea & primos indigenas, maternum ad Peloperi refertur. Pelops enim, non pecuniæ magis vi quàm liberorum, plurimùm inter alios Peloponnesios polluit reges: quod multas filias summis viris collocasset, & filios quos habuit multos, principes instruisset ciuitatibus: ex quibus vnus Pitheus, Thesei auus oppidum non amplum Trœzeniorum incolis auxit, habuitque præ omnibus illius seculi nomen docti uiri & sapientissimi. Erat sapientiæ illius ea sanè species & vis, qua Hesiodus vsus commendatur, præcipuè ex sententijs in libro quem Opera appellat. Vnam harum illam ferunt Pithei fuisse:

Thesei genus.

Pelopis potentia.

Pitheus Thesei auus.

Pithei sapientia.

Sufficiat merces, quæ decernatur amico.

Atque hoc Aristoteles philosophus quoque tradit. Euripides dum Hippolitum sacri Pithei appellat alumnum, celebrem repræsentat Pithei existimationem. At Aegeo, cùm sobolem desideraret, Pythiam perhibent celebratum oraculum edidisse: quæ præcepit, ne vllam mulierem prius attingeret, quàm appulisset Athenas. Verùm cum id præscribere non admodum liquidè uideretur, Trœzenem profectus retulit Pytheo Apollinis sortes, quarum hæc sunt verba:

Aegeus Thesei pater.

Vire pedem extantem, quo non præſtantior alter
In populo, ne ſolue prius, quàm proſper Athenas
Ingreſſus fueris.

Aethra Theſei mater.

Non liquet verò, qua mente Pitheus induxerit eum aut circumuenerit, vt ſe iungeret Aethræ: cuius ille vſus conſuetudine, & certior factus concubitum ſibi cum Pithei filia interceſsiſſe, ſuſpicatusꝗ prægnantem, enſem reliquit ei & calceos, ſub ingenti abdiros ſaxo, quod ſinum habebat ad complectenda depoſita congruentem. Id ſoli illi cum indicaſſet, præcepiſſetꝗ ſi filium ex ſe ediidiſſet, & in ætatem virilem adultus, ſaxum valeret attollere & auferre relicta, eum ad ſe, vt conſcio nemine, ſed quoad eius fieri poſſet, maximè clàm omnibus, mitteret cum depoſitis, (quippe formidabat magnopere Palantidas, qui inſidijs ipſum appetebant, deſpiciebantꝗ propter orbitatem: erant autem Pallantis filij quinquaginta) diſceſsit.

Palantides.

Theſeus vnde dictus.

Edito ab Aethra filio, alij ſtatim inditum nomen Theſea, ex illorum iudiciorum poſitione referunt: alij, poſtquam Aegeus eum Athenis adoptauit, quod τίθεσθαι Græcè dicitur. Cum educeretur à Pitheo, rectorem eum habuiſſe & pædagogum nomine Connidam, cui ad hoc vſque æuum pridie Theſeorum, arietem immolant, memoriam eius celebrantes & honorantes iuſtius, quàm Silanionem venerantur & Parrhaſium Theſei imaginum pictores & plaſtas.

Connidas Theſei pædagogus.

Cum ſolenne etiam tum eſſet, vt ex pueris qui excedebant, profecti Delphos comæ primitias Apollini ſacrarent: adijt Delphos Theſeus, & locum ab eo hac quoque memoria dici Theſeam autumant.

Theſea.

Theſeis, tonſuræ genus.

Abantes.

Tonſum fuit autem ſinciput eius ſolum, vt de Abantibus memorat Homerus, atque eſt hoc genus tonſuræ Theſeis ab illo nominatum. Abantes hunc in modum principes tonſi fuerunt, non ab Arabibus, vt quorundam fert opinio, docti, neque æmulantes Myſos: ſed quod bellatores eſſent, cominusꝗ pugnarent, & præter cæteros conſerere manus didiciſſent cum hoſtibus, vt hiſce verſibus teſtatur Archilochus:

Nec multos ſinuant arcus, nec verbera fundæ
Torta volant crebrò, cùm fera bella furens
Scilicet in campo Mauors contraxit aperto:
At ſtrictis gladijs flebile fiet opus.
Huius enim doctos conſtat certaminis illos,
Quos Eubœa viros fortis in arma tulit.

Alexander barbã radere præcepit Macedonibus.

Ne igitur nexum hoſtibus capillorum præberent, tonſi fuere: Nempe id Alexandrum quoque Macedonem animaduertentem, edixiſſe aiunt ducibus ſuis, vt barbas Macedonum raderent, quod anſa ſit hæc in prælijs promptiſsima. Porrò ſuppreſsit aliàs veram Theſei originem Aethra.

Theſeus Neptuni filius habitus.

Rumor autem fuit per Pithea vulgatus, eſſe eum ex Neptuno prognatum. ſiquidem colunt eximiè Trœzenij Neptunum, atque eſt hic tutelaris ijs deus, cui primitias frugum libant, & tridentem nummi habent notam.

Theſei adoleſcentia.

Poſtquam uerò adoleuit, & præter corporis robur eluxit in eo fortitudo, animusꝗ ſolidus cum ſapientia & prudentia coniunctus: ibi Aethra eum ad ſaxum duxit, doctoꝗ de ſuo ortu auferre iuſsit paterna inſignia, atque Athenas nauigare. Qui ſaxum ſubijt, & facilè aperuit: uerùm nauigare abnuit, quamuis eſſent tuta omnia: auus inſuper & mater inſtabant. Arduum erat enim itinere terreſtri commeare Athenas, quòd intutum undequaque infeſtumꝗ latronibus & facinoroſis eſſet.

Theſei ætas latrocinijs infeſta.

Thucyd. lib. 1.

Nam ſeculum illud homines edidit manuum ſtrenuitate, pedum pernicitate, & uiribus corporum ſanè eximios atque inuictos: ſed qui haſce naturæ dotes nullam ad rem bonam aut utilem conuerterent: imò arroganti improbitate gauderent, fruerenturꝗ lacertis ad uiolandum opprimendumꝗ ſæuitia, feritate, & virium præſtantia, quicquid in manus eorum incidebat. Pudorem, iuſtitiam, æquitatem, humanitatem, quaſi has timiditate alicuius lædendi, & ne læderentur, formidine plerique homines laudent, nihil attinere ducebant ad eos, qui plus poſſent. Horum, Hercules peragrans regiones, excindebat & ſuſtollebat partem. Alij deliteſcentes eo præſente trepidabant, fugitabantꝗ, & abiecti deſpiciebantur. Verùm poſtquam in calamitatem Hercules incidit, & Iphito cæſo receſsit in Lydiam, ubi in diuturna hæſit ſeruitute apud Omphalen, quam pœnam ipſe ſibi cædis iniunxerat: res tunc Lydorum magna in quiete erant & ſecuritate.

Hercules ſeruit Omphale.

In tractu verò Græciæ ſuppullulabant & erumpebant de integro ſcelera, quod qui ea reprimeret vel coerceret eſſet nemo. Erat igitur iter, ex Peloponneſo terra commeantibus Athenas infeſtum, latronesꝗ & improbos Pitheus ſingulos, qui eſſent exponens, & quid patrarent in peregrinos, author erat Theſeo, mari

vt per-

vt pergeret. At hunc nimirum iampridem virtutis clàm gloria incenderat Herculis, eùmque faciebat plurimi, & promptissimè aures præbebat, qualis esset ille, commemorantibus: præcipuè his, qui viderant eum, & eius factis dictisq́ interfuerant. Ac tunc omninò teneri se non dissimulabat eodem ardore, qui multis ætatibus pòst tenuit Themistoclem, qui dixit somnium sibi adimere Miltiadis trophæum: ita illi Herculis stupenti virtutem, & noctu in somnis gesta eius occurrebant, & interdiu concitabat æmulatio, stimulabatq́ edere paria agitantem. Erant autem genere quoque propinqui ex consobrinis nati. Quippe erat Pithei Aethra filia, Alcmena Lysidices: Lysidice & Pitheus ex Hippodamia & Pelope germani. Turpe igitur ducebat, neque ferendum, illum in omneis vbique improbos pergentem terram mareq́ lustrare, si ipse offerentia se certamina refugeret, parentem opinione & nomine habitum, dehonestans, qui per mare fugitans veheretur: & verò notas ferens calceos & gladium incruentum, non statim egregijs operibus factisq́ claram imaginem proferret nobilitatis suæ. His spiritibus atque his consilijs erupit, statuitq́ lædere neminem, sed vim inferentes vlcisci.

Theseus Herculis imitator.

Thesei & Herculis propinquitas.

Ac primùm in finibus Epidauri Periphetem, qui pro armis vtebatur claua, ideoq́ Corynetes, id est clauatus appellabatur, apprehendentem, ipsum & vetantem progredi, congressus cum eo, interfecit. Oblectatus claua cepit eam pro armis, qua deinceps est vsus, vt pelle leonis Hercules. Atque illi id erat tegumen, quam immanem beluam superasset, argumentum: hic clauam ab se ostentabat victam, secum inuictam esse. In Isthmo Sinin Pityocamptem, quo modo multos ille peremerat, eodem eum sustulit: non meditatus neque assuetus, sed virtutem demonstrans cuiuis arti & exercitationi excellere. Erat Sinidi excellentissimæ formæ & staturæ filia, Perigune nomine, hanc perempto Theseus patre fugientem circunquaque requirebat. Ea in locum secesserat frequentibus virgultis, multaq́ stœbe & asparagis oblitum. Hæc illa admodum simpliciter & pueriliter precans velut sentientia vota cum iureiurando nuncupauit, si seruassent & texissent se, nunquam læsuram se ea nec crematuram. Quam cum alta voce appellaret Theseus, fidemq́ daret egregiam se eius gesturum curam, neque re vlla violaturum, prodijt atque ex Thesei complexu edidit Melanippum. Ea post Deioni Euryti Oechalensis filio, Theseo elocante, nupsit. Melanippo Thesei genitus Toxus Ornyti socius deducenda in Cariam colonia fuit, unde originem ducunt Toxides. Hinc solenne Toxidibus est, neque spinam asparagi, neque stœben comburere, sed honorare hæc & venerari. Crommyonia sus, quam Phæam cognomine dicebant, fera erat non contemnenda, sed pugnax & haudquaquam prompta superatu. Hanc obiter, ne omnia videretur necessitate agere, exceptam occidit: existimans iuxtà decere fortem virum, homines improbos vt ad vindicandum se aggrediatur, & feras generosas pugna lacessat, & cum ijs depugnet. Sunt, Phæam qui mulierem latronem fuisse atrocem & lasciuam referant, quæ ibidem habitabat in Crommyone, Suem appellatam ex moribus & vita, quæ sit inde à Theseo trucidata. Scironem pro finibus Megaricis sustulit, præcipitauitq́ de saxo: qui (vt frequens fama obtinet) latrocinatione vtebatur in viatores: & vt alij aiunt, ex impotente improbitate pedes porrigebat peregrinis iussis eos abluere, mox impellebat hos calcibus & deturbabat in pelagus. Scriptores verò Megarenses cum fama pedem conferentes, & cum diuturnitate, vt Simonides ait, pugnantes, neque latronem fuisse neque flagitiosum contendunt Scironem, imò latronum vindicem virorumq́ familiarem atque amicum bonorum & rectorum. Namque Græcorum numerari Aeacum sanctissimum, & Cychrea Salaminium diuinis honoribus coli apud Athenienses: iam Pelei & Telamonis nulli esse obscuram virtutem. Atqui fuisse Scironem Cychrei generum, Aeaci socerum, Pelei autem Telamonisq́ auum ex Endeide progenitorum Scironis & Charicles filia. Neque ergo cum deterrimo probabile esse optimos viros societatem coisse generis, vel maxima charissimaq́ pignora accepisse & dedisse. Verùm Thesea narrant, non cum primùm Athenas contenderet, sed pòst, cum Eleusina cepit de Megarensibus, Diocle qui in summo magistratu ibi erat, fraude circumuento, tum Scironem interfecisse. Atque in his ea est dissensio. Eleusine Cercyona Arcadem lucta victum oppressit: paulumq́ progressus Hermione, Damastem Procrustem dictum, compellens eum, vt lectis se adæquaret, sicut hospites ille. His operibus insistebat Herculis vestigijs. Etenim ille, quibus ipse petebatur insidijs, ijsdem pœnas expetens ab inuasoribus, Immolauit Busirim, Antea lucta oppressit: Cygnum quo cum prouocatus conseruit manus, obtriuit: Termerū capite incurrentem confecit,

Theseus interficit Periphetem: Periphanē Suidas vocat.

Diod. lib. 5.

Theseus occidit Sinin Pityocamptem.

Perigune Sinidis F.

Melanippus Thesei filius.

Toxus.

Toxides.

Crommyonia sus, Phæa.

Phæa mulier.

Theseus Scironem occidit.

Aeacus.

Cychreus.

Theseus occidit Cercyona, Damastemq́; Procrustem.

Herculis facta.

Termerium malum.

à quo Termerium malum ferunt dictum: quippe feriens capite obuios Termerus necabat. Itidem puniebat Theseus improbos, vlciscebaturq; eos eadem vi, qua alios illi: opprimens ad modum suæ improbitatis iustas pœnas pendentes. Cum progressus Cephisum attigisset, certi ex Phytalidarum stirpe occurrentes, salutauerunt eum primi. Quos

Phytalidæ primi Thesei hospites.

cum oraret, vt expiatent se, illi lustrarunt eum solenni more, hostijsq; & placandos deos immolatis inuitauerunt domum: cum nemo ante quicquam humaniter aut hospitaliter in itinere ei fecisset. Octauo tandem die fertur mensis Cronij, quem nunc Hecatombæona dicunt, in patriam venisse. Vrbem ingressus Remp. offendit tumultu & seditione

Milichia, hæc sacra appellat Plutarchus.

plenam, res etiã Aegei domi priuatim ægras. nã Medea Corintho profuga, medicamẽtis Aegea se orbitate pollicita liberaturam in contubernio eius agebat. Quæ de Theseo

Thesea molitur Medea tollere veneno.

cum præsensisset, imprudentem Aegea ætate grauẽ, omniaq; propter seditionem timentem perpulit, vt illum tanquam hospitẽ inuitatum ad conuiuium, tolleret medicamẽtis. Theseus cum ad prandium accessisset, non putauit faciundũ, vt ipse qui esset, declararet se prior: sed illi volens initium sui cognoscendi præbere, districtũ cultrum, quasi carnes quæ appositæ erant dissecturus, ostendit ei. Quo Aegeus statim animaduerso veneni calicem proiecit, filiumq; cum eum interrogasset salutauit, & aduocata ciuium concione agnouit, quem propter strenuitatem illi receperunt libenter. Prolapso poculo venenum effusum dicitur, vbi nunc in Delphinio septa sunt. Illic enim habebat domicilium Ae-

Pallantidæ in Theseum.

geus, atque Hermem, qui ad orientem est Iani positus, vocant in Aegei porta. At Pallantidæ, qui ante sperauerant regnum se orbo defuncto Aegeo, occupaturos, vt declaratus Theseus successor eius est, iniquo animo id ferentes regnare adoptatum à Pandione Aegea, neque vlla contingentem Erechthidas cognatione: nunc autem iterum aduenam Thesea & hospitem regnaturum, bellum mouerunt. Partiti copias, alij apertè ex Sphetta vrbem cum parente petierunt, pars in Gargetto in insidijs occulti consederunt, vt vtrinque in inimicos coorituri. Erat caduceator in cœtu illorum Agnusius Leus no-

Theseus cædit Pallantidas.

mine. Hic detulit ad Thesea consilia Pallantidarum, qui repentè insidiatores adortus, cunctos oppresit. Ea re nunciata Pallantis cohors dissipata est. Inde aiunt Pallenæorum curiæ cum Agnusijs connubium non esse, neque pronunciari ex illorum more, Audite Leus, quæ dictio populum significat, nam ob illius prodinonem est nomen hoc ijs

Theseus capit taurum Marathonium.

execrabile. Porrò Theseus ne torpesceret ocio, simul auram popularem captans, perrexit in taurum Marathonium, qui non parum negocij Tetrapolim incolentibus præbebat. Hunc captum exhibuit, viuumq; egit per vrbem. inde eum Apollini Delphinio im-

Hecale à Theseo honorata.

molauit. Hecale & quæ de illa fabula hospitij & conuiuij commemoratur, non omnino apparet ex vano esse. Sacrũ Hecalesium circumiecti populi concilio indicto Ioui Hecalo faciebant, & Hecalen colebant, diminutiuo nomine Hecalenen appellantes: quod illa quoque iuuenem admodum hospitio excipiens Thesea, senum more salutasset & blan dita fuisset ei diminutis nominibus. Quæ quia pro eo ad pugnam progrediente, si sospes reuertisset, Ioui vouerat hostias, diem autem suum ante illius reditum obierat, hæc

Athenienses tributum pendebant Minoi ob cædem Androgei.

retulit hospitalitatis Thesei iussu præmia, vt Philochorus tradidit. Paulò pòst aderant tertiò ex Creta, qui vectigal accepturi erant. Ac cum Androgeus in Attica dolo diceretur peremptus, Minoa multas clades bello intulisse incolis, ac deos regionem fœdasse: sterilitatem enim & morbum passim incubuisse, ac flumina exaruisse. Cum autem præ-

Diodorus lib. 5. circa Thebas sublatum ait.

cepisset Apollo, si Minoa placassent & fuissent cum eo reconciliati, diuinam iram constituram, requiemq; fore malorum: hos missis legatis cum supplicijs fœdus fecisse, vt tributum nouem annis mitterent septenos impuberes adolescentes, totidemq; virgines. Id fere conuenit inter scriptores. Pueros in Cretam deportatos horrendissima fabula ia-

Minotaurus.

ctat in Labyrintho Minotaurum peremisse, vel vagantes nec inuenire valentes exitum ibidem mortuos: Minotaurum, vt ait Euripides, fuisse

Mixtum genus pucrumq; monstrificum simul
Gemina ex natura hominisq; taurique editum.

Labyrinthus.

Cretenses Philochorus author est hæc inficias ire, ac dicere custodiam Labyrinthum fuisse, quæ nihil mali, nisi quod non valerent inde effugere custoditi, haberet: Minoa in Androgei memoriam ludos gymnicos fecisse, victoribusq; præmio dedisse pueros, qui tunc in Labyrintho asseruabantur. Vicisse prioribus ludis eum, cuius erat id temporis prima apud illum authoritas, & ducẽ belli nomine Taurum, feris & duris hominem mo-

De Bottiæis Plin. lib. 4. cap. 2

ribus, qui pueros Atheniensium superbè & crudeliter haberet. Ipse quoq; in Bottiæorum rep. Aristoteles fatetur à Minoe non arbitrari se, interfectus fuisse pueros, sed mercenariam

cenariam vitam agentes in Creta conſenuiſſe: ac Cretenſes aliquando ad vetera perſoluenda vota hominum miſiſſe primitias Delphos, atque cum his qui mittebantur miſtam illorum ſobolem vnà emigraſſe. Qui cum victum ibi quærere non valerent, in Italiam tranſmiſiſſe primum, atque illic ſedes circa Iapygiam collocaſſe: inde rurſus delatos in Thraciam & dictos Bottiæos. Quapropter Bottiæorum virgines per certa ſacra accinere: Pergamus Athenas. Et reuera graue videtur, exercere cum ciuitate quæ linguam habet & literas, inimicitias. Etenim audiuit perpetuò malè Minos, & in theatris Athenis proſciſſus eſt: neque ei vel Heſiodus profuit, ſummum Regem, vel Homerus, Iouis appellans diſcipulum: verum præualentes tragici, magna eum ex pulpito & ſcena macula vt trucem & ferum aſperſere.

Minos à poetis Atticis proſciſſus.

quamuis Minoa ferant regem & legislatorem, iudicem Rhadamanthum fuiſſe, & iuris ab eo ſanciti cuſtodem. Vt ergo tempus tertij tributi adfuit, & vocandi in ſortem erant patres, qui impuberes liberos habebant, recrudeuerunt querelæ in Aegea ciuium lugentium atque indignantium omnium illum authorem in ſocietatem vnum non venire pœnarum: ſed qui regnum in nothum tranſtuliſſet & hoſpitem filium, ipſos nihil laboret in iuſtorum ſolitudine liberorum & orbitate relinqui.

Rhadamanthus

Angebant hæc Theſea, qui vt æquum bonum agnoſceret, & in conſortium veniret fortunę publicæ, ſemetipſum obtulit, extra ſortem ſe adiungens. Ac cæteri quidem ſpiritus eius obſtupuerunt & commendauerunt ciuilitatem. Aegeus verò cum precibus & obſecrationibus agens immotum videret & inflexibilem, alios pueros ſorte duxit.

Theſeus mittitur in Cretam ad Minoa.

Hellanicus refert nō ſorte ductos pueros puellasq; ciuitatem miſiſſe, ſed Minoa delegiſſe præſentem, ac Theſea omnium cepiſſe primum præfinita lege. Præfinitum autem fuiſſe, vt nauem præberent Athenienſes, & impoſiti impuberes nulla ſecum ferentes arma bellica cum illo nauigarent, ſublatoq; Minotauro finem fore pœnæ. nam ante nulla ſpes ſuberat ſalutis. Hinc nauem cum atro velo vt in certam perniciem mittebant. Tunc verò cum parentem Theſeus confirmaret, & domiturum ſe iactaret Minotaurum: aliud velum gubernatori Aegeus candidum dedit cum præcepto, vt in reditu ſoſpite Theſeo attolleret candidum, aliàs nauigaret cum atro & ſignum cladis ederet. Simonides negat cādidum ab Aegeo datum, ſed puniceum velum ilicis eximiæ vireſcentis flore tinctum liquido: atque id inſigne dediſſe eorum ſalutis.

Catullus de nuptijs Pelei: Candidaq; intortis ſuſtollant vela rudentes.

Nauis gubernator Amarſyadas erat Phereclus, vt refert Simonides. Philochorus ab Sciro ait ex Salamine Theſea gubernatorem Nauſitheum accepiſſe, & Phæacem proræ rectorem, quod nondum Athenienſes rem maritimam tractarent: etenim fuiſſe vnum ex impuberibus Meneſthea Sciri ex filia nepotem. His aſtipulantur Nauſithei, & Phæacis poſita in Phalero à Theſeo apud Scironis fanum monumenta. Ac ſolennia Cyberneſia in honorem horum tradit agi, quaſi dicas Gubernatoria.

Cyberneſia, ludi.

Sorte ducta cum accepiſſet ex Prytaneo Theſeus eos, quorum nomina exierant, profectus in Delphinion ſupplicia Apollini pro ijs poſuit. Ea ramus erant ſacrę oleæ candida reuinctus lana. Votis nuncupatis ſexto die menſis Munichionis, quo die adhuc virgines Delphinion mittunt ad placandos deos, deſcendit ad mare. Fama eſt Apollinem Delphicum ei dictionem dediſſe, vt ducem Venerem caperet, vocaretq; itineris ſociam: atque operanti ſacris in littore capram ſubitò hircum euaſiſſe, inde deam hanc Epitragiam nuncupatam.

Venus Epitragia.

Poſtquam Cretam appulit, vt multi ſcriptores & poetæ tradunt canuntq;, accepto ab amante Ariadna filo, doctus quemadmodum euoluere ſe Labyrinthi ambagibus valeret, Minotaurum occidit, ſoluitq; inde Ariadnam, & impuberes ſecum aſportans.

Ariadna.

Pherecydes funda etiam à Theſeo Creticarū nauium prodit, ne inſequi poſſent, exciſa.

Theſei ex Creta reditus.

Damon quoq; interfectum Taurum ait Minois ducem contracto cum Theſeo, dum nauem conſcendit, in portu prælio nauali: vt Philochorus ſcriptum reliquit, ludos edente Minoe, Taurus, quod putaretur iterum omnes victurus, inuidia flagrabat. Quippe opes eius ob mores incurrebant in oculos hominum, & crimen ei impingebatur, quod conſuetudinem haberet cum Paſiphae.

Taurus à Theſeo ſuperatus, homo fuit.

Paſiphae.

Vnde cum peteret certamen Theſeus, admiſit Minos. Solenne cum eſſet apud Cretenſes, vt ſpectaculis intereſſent fœminæ, præſens conſpectu obſtupuit Ariadna Theſei & virtutem in certando admirata eſt omnes ſuperantis. Lætus Minos quoque victo lucta Tauro ſuggillatoq; reſtituit Theſeo pueros, & ciuitati Athenienſi tributum remiſit. Diuerſo modo & diffuſe de his Clidemus diſſeruit, altè repetens decretum fuiſſe Græcorum commune, ne quo nauigaret triremis vlla, quæ plus quinq; viris caperet: ſed ſolus nauis Argûs dux circūueheretur Iaſon ad latrocinia mari ſummouēda.

Lex naualis.

Cum Dędalus autem nauigio perfugiſſet Athenas, Minoa qui præter decreta perſequebatur eū longis nauibus, in Siciliā

Dedali fuga.

Deucalion.

tempestate eiectum, vitæ ibi finem fecisse. Postquam verò filius eius Deucalion infensus Atheniensibus, per legatos dedi sibi deposcit Dædalum, alioqui quos acceperat obsides Minos pueros interfecturum se denuncians, leniter ei respondisse Thesea, excusantem consobrinum suum esse Dædalum & sanguine iunctū, cuius esset mater Erechthei filia Merope: mox ædificare instituisse classem, hinc in Thymætadis ibidem procul via publica, hinc per Pithea Trœzene, quo rem occultam haberet: omnibus comparatis soluisse, Dædalumq; & exules Cretenses secum traxisse duces: expectante nemine, sed naues pacatas arbitrantibus aduenire Cretensibus portum occupauisse, & descensione facta contendisse cursu Gnosum, prælioq; in porta Labyrinthi conserto, Deucalionem cum satellitibus confecisse. Cum verò regni procurationem suscepisset Ariadna, fœdere cum ea icto impuberes recepisse, amicitiaq; Atheniensibus Cretenses conglutinasse, iuratos nunquam ijs mouere bellum.

De Ariadna variæ opiniones.

Iam verò multæ præterea de his & de Ariadna referuntur fabulæ, quæ nihil habent certi. Alij enim laqueo perisse à Theseo destitutam aiunt, alij Naxū à nautis deportatam, sacerdoti Liberi patris, Onaro nupsisse. Relictam autem à Theseo, quòd aliam amaret:

Dirus eum vexabat amor Panopeidis Aegles..

Nam hunc versum ex Hesiodo Pisistratum subduxisse Heroas Megatensis autumat: sicut contra in Homeri Necyam hunc,

Thesea Perithoúmque illustria pignora diuûm,

in gratiam Atheniensium infercisse.

Oenopion et Staphylus Thesei filij.

Alij peperisse quoque ex Theseo Ariadnam Oenopionem & Staphylum, in quibus Chius est Ion, qui de patria sua refert,

Quondam hanc Thesides condidit Oenopion.

Quæ verò in fabulis sunt maximè decãtata, omnes penè in ore habent. At librum de his edidit Pænon Amathusius diuerso modo scriptum. Nam Thesea ait tēpestate Cyprum delatū, cum grauidam secum haberet Ariadnā, maleq; ex iactatione affectam & languentem solā exposuisset, ad succurrendū nauigio in pelagus rursus à terra ablatum: fœminas autē indigenas excepisse Ariadnā, mœstamq; quod relicta esset sola, fouisse, ac literas obtulisse ei adulterinas, sicut à Theseo ad eam missas, adiuuisse etiam & præstò fuisse in partu,

Ariadnæ mors.

atque defunctam non edito partu funerasse: superuenientem Thesea & dolore confectum indigenis argentum reliquisse instituisseq;, vt sacra facerent Ariadnæ. Duo aiūt ei exigua simulachra posuisse, argenteum vnum, alterū æneum: In sacris altero die mensis Gorpiæi decumbentem adolescentem voce & gestu fœminas parturientes exprimere: Appellare Amathusios lucum, in quo tumulum Ariadnæ ostendunt Veneris.

Minoes duo, itemq; Ariadnæ.

Corcyne Ariadnæ nutrix.

Iam Naxij quidam aliter atque alij duos Minoas, duasq; scribunt fuisse Ariadnas: quarum alteram coniugium tenuisse Liberi patris in Naxo, & Staphylum memorāt peperisse: minorem raptam à Theseo, desertamq; in Naxum delatam, nutricemq; vna Corcynen nomine, cuius extare sepulchrum: Ariadnam fuisse illic defunctam, & dispares superiori obtinere honores: Priori enim hilares & ludibundos festum diem Naxios celebrare: quę verò huic agitant sacra, luctu confusa & mœstitia esse.

Thesei ex Creta reditus.

Soluens ex Creta Delum appulit, vbi rem diuinā fecit Apollini, dedicatoq; Veneris signo, quod ab Ariadna acceperat, tripudium saltauit cum impuberibus: quod hac etiam memoria ferunt Delios seruare. Simulachrum hoc anfractuum Labyrinthi, & egressuum ad certos modos alternis peragitur gyris.

Grus, saltationis genus.

Hoc genus saltatus dicitur à Delijs, vt memoriæ prodidit Dicæarchus, Grus. Saltauit circum aram Ceratonem, quæ ex cornibus erat omnibus sinistris compacta.

Palma, victoriæ signum.

Aegei mors.

Ludos quoque edidisse eum aiunt in Delo, ac victores ab illo tunc primùm palmæ ramis donatos: Cum Atticæ appropinquaret, memorię cessisse ei, cessisse itē gubernatori ex gaudio, vt velū quod erat salutem eorū significaturum Aegeo, in altum darent: vnde despondentem animum de rupe se illum precipitauisse & extinctum fuisse. Inuectus portum Phaleram Theseus sacra fecit, quæ dijs, cum solueret, vouerat, nunciúmque incolumitatis misit in vrbem caduceatorem. Hic in multos incidit, regis fatis illachrymantes, & exultantes vt probabile est, alios promptosq; ad lætè eum, quòd incolumis adesset, excipiendum & coronis ornandum. Coronas accepit, quibus adornauit caduceum. Regressus ad mare, nondum re diuina à Theseo perpetrata, ne sacrificium turbaret, restitit foris. Quo peracto renunciauit Aegei mortem. Ita illi cum gemitu & animo commoto in vrbem citato gradu ascenderunt. vnde nunc quoq; in Oschophorijs

Oschophoria, ludi.

coronari non caduceatorem aiunt, sed caduceum, & acclamare inter libamina coronam: Eia, Heu heu: quorum solent illud festinantes & ouantes exclamare, hoc consternationis est

nis est

nis est & trepidationis. Elato patre Apollini vota reddidit die septimo mensis Pyanepsionis. eo enim sospites vrbem iniere. Ac legumina memorantur elixari, quod incolumes cibariorum reliquias in vnū confuderint, vnaque coctas cōmuni olla, epulati simul inter se māducauerint. Erestonē ferunt (Oleę ramus est lana obuolutus, quēadmodū tūc erant supplicia, varijs fructuū primitiis distinctus, quia desierat tunc sterilitas) accinētes: *Pyanepsiō, mēsis. De Erestone, Herod. in vita Homeri, & Suidas.*

Eresiona feres, ficus, & pinguia farra,
Et pateram mellis, cum fructu dulcis oliuae
Foecundum calicem, sopiaris ut ebria somno.

Quamuis haec quidam in memoriā facta ferant Heraclidarum, qui ita ab Atheniensibus aliti fuerūt, sed maior pars astipulatur antedictis. Nauigium, quo cū impuberibus nauigauit & saluus rediit, agebatur remis triginta. Hoc vsque ad Demetrij Phalerei aetatem Athenienses conseruauerunt, veteri materię integram aliam sufficientes, itaq; coagmentantes, vt philosophis in disputatione de ijs, quae augentur, ambiguitatis exemplum haec nauis praebuerit, quod alij eandem manere, alij non eandem contenderint. *Thesei nauis seruata Athenis.* Solenne celebrant Oschophoriorum ex Thesei instituto. *Oschophoriorū solenne.* neque enim omnes eum sorte lectas virgines ferunt eduxisse, sed familiares adolescentes duos: quorum cū muliebri quidem vultu & florente, sed fortibus forent pectoribus & impigri, thermis, vmbratili vita, comę & liquoris colorisque causa vnctionibus, atque comptu, impense inflexerat & finxerat vocē, gestum & incessum, vt quā maxime virgines repraesentarent, neque vsquam viderentur ab ijs discrepare: hos inseruisse in virginum numerum atque omneis fefellisse. Postquam redux fuit, & illum & adolescentes illos pompam duxisse eò, quo nunc amiciūtur cultu, qui palmites cum racemis ferūt. Hos ferunt in Liberi patris & Ariadnę honorē, propter fabulam aut potius quod ea tempestate redissent, qua colliguntur poma. Quae coenam ferunt foeminae, Dipnophorae dictae, assistunt & adhibentur sacrificio, illorum'q; fortitorū matres agunt: portauerunt enim ijs opsonia & epulas. Fabulę autem narrantur eò, quòd & illae leniendi liberos & erigendi causa, fabulas ijs recensuerint. Atq; hęc Demō quoq; prodidit. Delubrum etiam ei erectum est, & illis familijs, quae tributum pependerāt, imposuit vt ad sacrificium inferrent vectigal. Sacrificio Phytalidae praeerant, qua re hospitalitatem eorum remunerauit. Ab Aegei excessu grande & mirificum opus agitās animo contribuit, Atticę cultores in vnam vrbem, vniusque vrbis vnum reddidit populum, qui tunc erant diuisi, & aegrè ad agendum in communi de Rep. conciri poterant: nonnunquā enim dissidebant mutuò, bello'que certabant. *Theseus Atticos in vnam ciuitatē cogit.* Hos adijt, proposuit'que eam rem singulis populis & familijs. Cuius consilium priuati & inopes citò acceperunt. Opulentis & potentibus cum Remp. regno fore liberam proponeret, in qua omnis penes populum esset futura potestas: ipse verò moderator tantum belli, & legum foret custos, caetera paria omnibus, partim eos perpulit: Alij opes eius veriti iam amplas atque audaciā, malebant sponte his, quàm vi compulsi assentiri. Igitur dissoluit vicatim prytanea, curias, & magistratus: vnoq; statuto omnibus communi illic prytaneo & curia, vbi hoc tēpore cōspiciuntur, astu & vrbem Athenas appellauit, & Panathenaea sacrificium effecit commune. Celebrauit etiam Metoecia, id est festum demigrationis sextodecimo die mēsis Hecatombęonis, quem etiam nunc festum agunt: depositóque, vt receperat, regno, Remp. digessit ab dijs auspicatus. Nam cōsulenti deum de ea vrbe sortes Delphis allatae sunt hae: *Astu, de quo Ci. de Leg. li. 2. Athenae. Panathenaea, & Metoecia sacra.*

Aegida Theseu Pitheidis edite partu,
Fata pater multis meus & finem Vrbibus olim
Constituit, voluitque hac in uestra urbe teneri.
Tuque inuicte malis, animo ne cede labori,
Vter ut insanus pelagi iactaberis undis.

Hoc oraculum post ciuitati Atheniensi repetiuisse scribunt Sibyllam, hoc versu:

Immergi poteris, sed submergi tibi non fas.

Quo autem magis ciuitatē amplificaret, inuitauit omnes pari proposito iure. Et edictū, Huc pergite omnes populi, Thesei autumant fuisse, concilium quoddam populorū constituentis cōmune. Nō permisit tamen, vt resp. popularis, ab affluēte & indiscreta colluuie incondita euaderet & cōfusa: sed primus discreuit seorsum patritios, agricolas, & opifices. *Thesei Respub.* Patritijs curam sacrorum, & magistratuum ex ordine suo dandorum permisit ius, legum'que disciplinam, & interpretationem, quid ius fas esset. De caetero ciues adaequauit, quod dignitate patricij, vtilitate agricolae, artifices numero viderentur praecellere. Nam principem eum fuisse in plebem, vt author est Aristoteles propensum,

Moneta Attica à Theseo signata. *Hecatombæon.* *Decabæon.*

& dominatum deposuisse testari Homerum quoque in recensendis nauibus apparet, qui solum populum Atheniensem vocat. Signauit etiam nummum inciso boue, vel ob taurum Marathonium, vel ob Minois ducem, vel ad agriculturam ciues incitans. Hinc ferunt Hecatombæon & Decabæon dictum. Cum agro Attico solido Megaricum adiunxisset, celebrem illam collocauit in Isthmo Pilam, inscripsitque ad determinandum agrum epigrāma duobus trimetris. quorū id, quod Orientē spectabat, ita habebat:

Hæc non sunt Peloponnesus, ast Ionia.

Quod verò ad Occidentem, huiuscemodi erat:

Sunt Peloponnesus hæc, haud Ionia.

Olympia. *Isthmia instituit Theseus Neptuno.*

Ac ludos Herculis imitatione primus statuit, ambiens vt sicut in illius memoriam Ioui Olympia, ita Isthmia Neptuno Græci in honorem suum agerent. Quod enim ludicrū in Melicertes honorē cōceptum nocte illic peragebatur, initia potius quàm spectaculū & celebritas publica censebatur. Sunt tamen, qui dicāt Scironi Isthmia dicata, quo ob propinquitatem expiaret illius cædem Theseus. Scironem enim filium Canethi fuisse & Henioches Pithei filiæ. Alij Sinin non Scironem, atque huius gratia ludicrum, nō illius, à Theseo statutum. Constituit certè & conuenit ei cū Corinthijs, vt Atheniensibus, qui ad Isthmia venissent, attribuerēt prima subsellia tanto spacio, quantum nauis Theoridis expansum humi velum occupasset: quod Hellanicus & Andrō Halicarnasseus scriptū reliquerunt.

Thesei in Pontū profectio. *Antiopa à Theseo rapta.*

In Pontum Euxinum nauigauit, vt Philochorus & nonnulli alij referunt, Herculem ad bellum aduersus Amazonas secutus, & præmiū virtutis ergò accepit Antiopā. At maior pars, in quibus est Pherecydes, Hellanicus & Herodorus. post Herculē aiunt cum propria classe nauigasse Thesea, & captiuam duxisse hanc Amazonem, quod quidem est probabilius. Nemo enim alius proditur illius commilitonum Amazonem captiuam duxisse: Bion etiam hae dolo capta se recepisse. Quippe cupidas virorū Amazonas, neque refugisse delatum ad oram illam Thesea, imò & munera ei misisse: illū verò inuitasse eam, quæ hospitalia munera afferebat, vt nauigium conscenderet, & postquam illa conscēdit, soluisse. Menecrates quidam, qui historiam Niceæ Bithyniæ edidit, Thesea memorat, cum Antiopam teneret, demoratum aliquandiu illis in oris: habuisse autē eum secum commilitones, tres Athenienses iuuenes fratres inter se, Euneum, Thoanta, & Soloonta.

Soloontis amor, & interitus.

Hunc Antiopæ amore inflammatum, cum ardorem suum celaret alios, vni ex familiaribus eum detexisse. Vt Antiopā ille hac de re appellauit, eam attentationem huius repulisse acriter: prudenter id & leniter tamen tulisse, neque ad Thesea detulisse. Vbi Soloon abscissa spe in amnem quendam se abiecit & interijt, explorata tunc causa & adolescentis amore, tulisse Thesea rem grauiter, discruciatumque oraculum quoddam subisse ei Apollinis. Nam à Pythia sibi Delphis præceptum, cum peregre grauissimè angeretur & esset pertristis, vrbem ibi vt conderet, & aliquos de suis relinqueret rectores.

Pythopolis. *Solois amnis.*

Hinc vrbem, quam condidit, à dei nominè Pythopolim nuncupasse, atque in honorem adolescentis propinquum flumen Soloonta: reliquisse etiam illius fratres velut rectores & legislatores, & Hermū nobilem Atheniensem, à quo locum quendam Hermu œciam dicere Pythopolitas: qui parum rectè contrahant secundam syllabam, honoremque ad deum Mercurium ab Heroe traducant.

Amazonici belli origo.

Hinc traxit bellum Amazonicū originem. Apparet autem earum non leue neque muliebre factum fuisse. Neque enim in astu metatæ castra fuissent, neque signa contulissent in loco circa Pnyca & Museum, nisi regione in potestatem redacta mouissent ad vrbem intrepidè. Porrò tam longè venisse, vt Bosphorum Cimmericum congelatum, quod scriptum reliquit Hellanicus permeauerint, id difficile creditu est. Nam in ipsa penè vrbe castra eas habuisse comprobatur, & locorum vocabulis & tumulis earum, quæ ciciderunt.

Thesei cum Amazonibus conflictus. **Aliqui legunt Panori.*

Perdiu dubitauit & cunctata vtraque est acies signa conferre. Tandem ex quodam oraculo Theseus, cum sacrificasset *Apollini, congressus cum illis est. Pugnatum est mense Bœdromione, quo die Bœdromia hactenus celebrant Athenienses. Scribit Clidemus singula exequi ad vnguem laborans, sinistrum Amazonum cornu ad Amazonion, vt nunc vocatur, declinasse: dextro secundum Chrysam ad Pnyca pertinuisse. Conflixisse aduersus hoc Athenienses à Museo concurrentes cū Amazonibus. Sepulchra esse desideratarum in platea, quæ fert ad portā secundum Chalcodontis fanū, quam Pyraicam nūc nominant: qua pulsos fuisse vsque ad Eumenidas, & terga fœminis dedisse. A Palladio, Ardeto, & Lyceo, inuectos pepulisse dextrū

Hippolyta.

earum cornu vsque ad castra, multasque strauisse. Quarto mense ictum Hippolyta interprete fœdus. Hippolytā enim hîc eam, quæ in Thesei cōtubernio erat, non Antiopā appellat.

Alij

Alij volunt illam à Thesei parte prœliantem cecidisse, cum iaculo fuisset à Molpadia icta, & pilam propter Telluris Olympiæ ædem in huius positam memoriam. Neque est mirandum in antiquitate tanta vagari historiam: quando etiam saucias autumant Amazonas Chalcidem ab Antiopa occultè dimissas ei curæ fuisse, & sepultas nonnullas ibi apud Amazonion nunc appellatum. Cæterùm fuisse diremptum pace bellum, testatur tam loci iuxta templum Thesei appellatio, quod vocant Horcomosion à iureiurando, quàm vetus sacrificium, quod ante Thesea fit Amazonibus. Commōstrant & Megarenses apud se Amazonum monumentum, qua ad locum, quem Rhun dicunt, ex foro itur, vbi est Romboides. fama est prope Chęroneam quoque occubuisse alias, conditasque fuisse secundum riuulum, qui olim, vt putant, Thermodon, Hæmon nunc vocatur, de quibus in vita Demosthenis verba fecimus. Nec verò Thessaliam apparet peragrasse Amazonas sine sanguine. quippe tumuli earum vel hac memoria iuxta Scotusam & Cynocephalas extant. Hæc memoratu digna de Amazonibus fuere. Nam quem poeta Theseidis author motum Amazonum descripsit, quòd cum iungeret sibi matrimonio Phædram, adorta sit Thesea Antiopa, & sequentes eam Amazones pœnas ab illo expetiuerint, Hercules autem eas fuderit, habent planè fabulæ effigiem & commenti. Defuncta Antiopa Phædram duxit, cum sustulisset filium ex Antiopa Hippolitum (vt Pindarus ait) Demophontem. Calamitates, quæ Theseo ex hac & ex filio suo acciderunt, quia nihil hic discrepant à tragicis historici, vt omnes illi scripsere, ita euenisse statuendum est. Sunt tamen famæ de Thesei nuptijs aliæ, quæ in scenam non venerunt: quamuis neque rudimenta honesta, neque faustos habuerunt exitus. Etenim Anaxo quandam fertur Trœzeniam rapuisse, Sinide'que & Cercyone peremptis, vi constuprasse filias eorum: duxisse etiam Peribæam Aiacis matrem. Iam Pherebæam & Iphiclis filiam Iopam: præterea ob Aegles Panopei filiæ amorem, vt supra diximus, Ariadnam exprobant parum eum rectè vel honestè repudiauisse. Helenæ denique raptum inundasse bello terram Atticam, atque in exilium eius euasisse & exitium, de quibus infra verba faciemus. At cum multa clarissimi quique viri certamina ea tempestate obirent, existimat Herodorus nullius Thesea, nisi solis aduersus Centauros depugnantibus Lapithis, fuisse consortem conflictus. Alij Iasonis eum fuisse in Colchis socium, & expugnauisse cum Meleagro aprum: atque hinc in prouerbio esse, Non sine Theseo: Illum verò nullo socio crebras patrasse & egregias dimicationes, atque hoc dictum, Alter hic Hercules, de eo obtinuisse. Ad hæc adiutor Adrasto fuit ad recuperanda illorum corpora, qui sub Cadmea ceciderant: non vt cecinit in tragædia Euripides, quod fuderit Thebanos, sed datis acceptis'que hinc inde inducijs, nam ita maxima pars tradunt. Philochorus etiam inducias de tollendis cæsis illas fuisse primas. Verùm Herculem hostibus principum mortuorum cadauera concessisse, in ijs, quę de Hercule prodita sunt, inuenies. At vulg[illegible]leutheris sepulchra extant, ducum apud Eleusina: id quod etiā gratiæ dedit Theseus Adrasti. Premunt autem suo testimonio Euripidis Hicetidas Eleusinij Aeschyli, in quibus hæc commemorare ipse canitur Theseus. Amicitiam cum Pirithoo eum contraxisse hoc modo referūt. Celebratissimi erant eius lacerti & virtus: Pirithous verò cupidine captus explorandi & tentandi, abegit boues eius ex Marathone: allatoq; nuncio insequi in armis illum, non consuluit fugę, sed regressus obuium se ei obiecit. Vt alter alterum conspexit, speciem admiratus est, & obstupuit audaciam: à pugna temperarunt, ac prior porrecta dextra Pirithous ipsum voluit Thesea abigeatus sui arbitrum esse, vltrò enim se, quas ille definisset, subiturum pœnas. Theseus verò & mulctam ei cōdonauit, ad ineundam'que secum societatem & amicitiam inuitauit. Ita amicitiam iuramento sanxere.

Horcomosion, loci nomen.

Phedra Thesei vxor.

Thesei nuptiæ.

Thesei certamina.

Non sine Theseo, prouerbiū.

Thesei cum Pirithoo amicitia.

Inde ducens vxorem Pirithous Deidamiam Tesea rogauit, vt veniret ad regionem visendam & ad contrahendam cum Lapithis consuetudinem. fortè inuitauerat Centauros quoque. Qui vt in procacitatem & insolentiam eruperunt, & vino incalescentes non temperauerunt à mulieribus: verterunt se Lapithæ ad vltionem, atque alios eorum obtruncauerunt, alios bello inde victos, socio Theseo & suppetias ferente regione exegerunt. Herodorus negat hæc ita gesta, sed bello iam commisso, tulisse opem Thesea Lapithis, atque tunc primum in conspectum venisse Herculis, cum appellare cuperet eum circa Trachina, post quam errores iam & certamina deposuisset: congressum autē eorum honorificum fuisse cū mutua comitate & laudibus. Verùm enimuerò magis accedas ijs, qui crebrò congressos inter se memoriæ tradiderunt: atque initiatum Herculē faciente cū eo Theseo, & ante initiationē lustratū, vt ei ob certa facta sua quę inconsultè admise-

Pirithous Deidamiam ducit.

Lapithæ vincūt Centauros.

Thesei & Herculis cōgressus.

Theseus Helenã capit.

admiserat, opus erat. Annos iam natus, vt Hellanicus refert, quinquaginta, Helenam rapuit nondum maturam. Vnde ad subleuandum hoc, quasi grauissimum crimen, abnuunt nonnulli Helenam illum rapuisse: sed raptam ab Ida & Lynceo, fuisse atque apud se seruasse depositam, neque reposcentibus Castori & Polluci restituisse: vel sanè traditam ei illam ab ipso fuisse Tyndaro, quod Enarsphorum timeret Hippocoentis filium, qui paruu lam adhuc capere Helenam vi instabat. At verò propiora & pluribus nixa testibus hoc modo se habent. Venerunt ambo Theseus & Pirithous Spartam, puellàque

Diana Orthia.

quæ in templo Dianæ Orthiæ saltabat rapta, fugam cepere. Cum missi ad insectandos illos non vltra Tegeam essent progressi, & illi peruenissent in tutum, atque Peloponnesum transmisissent: pacti sunt inter se, vt cui sors obtigisset, eam haberet vxorem, & alteri ad nuptias quærendas alias præstò esset. His legibus missa sorte obuenit illa Theseo, ac virginem haud dum nubilem Aphidnas deportauit, matremq́; ei adiũctam amico suo tradidit Aphidno, præcipiens eas vt seruaret, & rem tegat apud alios. Inde ad præ-

Aidoneus Molossorũ Rex, qui & Pluton. Persephone. Proserpina, Core est in græco. Cerberus. Theseus in vincula conijcitur.

standum Pirithoo officium suum, profectus in Epirum cum eo est, ad Aidonei filiam rapiendam Molossorum regis: qui vxori Persephone nomen indiderat, filiæ Proserpinæ, cani Cerbero: ac cum hoc pugnare iussit procos puellę, promittens eam victori. Verùm cum Pirithoum non procatum venisse, sed raptum intellexisset, corripuit eos, ac Pirithoum extemplò interemit per canem, Thesea in vinculis seruauit. Interea Menestheus Petei qui filius fuit Ornei & nepos Erechthei primus, vt fama est, inter mortales auram popularem captare agressus & blandiri plebi, hinc primores solicitauit, & incendit iam pridem pertæsos Thesei, atque existimantes illum imperio & regno singulis per populos nobilitate præcellentibus, extorto, in vnam ipsos conclusos vrbem pro subiectis prorsus & seruis habere: hinc vulgus concitauit exprobrauit'que libertatis obiecto somnio, reuera patria & sacris spoliatos esse, vt multorum bonorum loco & iustorum re-

Tyndaridarum cum Atheniensibus bellum.

gum, vnum respicerent aduenam & hospitem Dominum. Hæc illo moliente magnum momentum bellum seditioni Tyndaridis incurrentibus adiecit. Sunt qui planè dicant, ab illo eos inuitatos bellum mouisse. Ac primùm iniuria abstinuerunt: tantum repetierunt sororem. Cum respondissent ciues neque penes se esse illam, neque vbi esset relicta, se scire: ad bellum conuersi sunt. Verum aperit eis Academus, haud scio qua ratione odoratus, Aphidnæ eam abdi. Vnde cùm illi honores viuo habiti sunt à Tyndaridis, tũ Lacedemonij, qui sæpius postmodum incursauerunt Atticam, vniuersosque fines perpopulati sunt, Academia abstinuerunt, Academi causa. Dicæ archus verò tradit, cum

Academia vnde dicta. Marathon

Echemus & Marathus Tyndaridas ex Arcadia essent ad bellum illud secuti, nomen ab illo quæsisse Echedemiam, quæ nunc appellatur Academia: ab hoc castellum Marathonem, quòd vltrò se ex quodam oraculo obtulisset ante aciem immolandum. Cùm mouissent Aphidnas & victores essent prælio, expugnauerunt oppidum. Ibi Alycum quo-

Alycus

que ferunt Scironis filium qui id temporis intra præsidia erat Castoris & Pollucis, occubuisse à quo locum quendam agri Megarici, quod corpus eius ibi sit humatum, nomen inuenisse. Hereas ab ipso Theseo prodidit ad Aphidnas cæsum Alycum, & in testimonium hæc de Alyco producit carmina:

Hunc Helenæ causa formosæ prælia quondam
Miscentem, Theseus spaciosa strauit Aphidna.

Haud consonum fit tamen veritati, præsente Theseo fuisse matrem eius & Aphidnas captas. Occupatis Aphidnis, & Atheniensibus trepidãnbus suasit populo Menestheus, vt admitterent in vrbem & acciperent benignè Tyndaridas: vt vni Theseo iniuriæ authori arma inferrent, in cæteros mortales benefici essent & eorum seruatores. Hoc ipsum euentus cõprobauit. nihil enim omnino victores, quã vt initiarentur, postulauerunt: quod non minus quam Herculi propinquitas ipsis cum ciuitate interce-

Anaces vnde dicti. Cic. de Nat. d. lib. 3. Anactes reges.

deret: quam obtinuerãt ab Aphidno adoptati, vt à Pythio Hercules: atque honores assecuti diuinos sunt, Anaces dicti, vel ob factas inducias, quas ἀνοχὰς Græci vocant, vel ob curam & solicitudinem, ne cui malum offerretur, cum esset intra muros tantus exercitus. Nam ἀνακῶς ἔχειν dicunt eos, quibus cura vel tuitio alicuius incumbat, & reges appellant fortasis inde ἄνακτας. Sunt, qui ob stellarum eorum apparitionem ferant Anacas appellari: quod τὸ ἄνω Attici ἀνέκας, id est supra: & ἀνέκαθεν τὸ ἄνωθεν, id est, supernè vocent.

Aethra Thesei mater capta.

Porrò Thesei matrem captiuam Aethram perhibent Lacedemonem abstractam, inde cum Helena Troiam: ac secutam eam Helenam testari hisce versibus Homerum,

Aethram Pitthei gnatam Clymenénque uenustam.

Alij hunc verſum notant & Munychi fabulam, quem ex Demophonte à Laodice clàm editum Ilij creuiſſe ſub Aethra memorant.

Homeri verſus variæ ſententiæ

Nouam & diuerſam planè hiſtoriam refert de Aethra Iſtrus, in tertiodecimo libro rerum Atticarum, prodiſ à certis, Alexandrum Parin in Theſſalia ab Achille & Patroclo, pugna ad Sperchium amnem fuſum fuiſſe, Hectorem Trœzeniorum oppidum, cum id expugnaſſet, diripuiſſe, & Aethram illic depoſitam abduxiſſe. verum id ſane quàm eſt abſonum. Cum verò Aidoneus Moloſſus Herculem hoſpitio accepiſſet, & ſermonem fortè intuliſſet de Theſeo & Pirithoo, quæ ſuſcepiſſent facinora, & detecti cum fuiſſent, quid eſſent paſsi: tulit grauiter Hercules alterius turpem exitum, & alterius periculum. Ac de Pirithoo quidem non putauit operæ precium ſe facturum expoſtulando, verum hoc poſtulauit beneficij, vt concederet ſibi Theſea. Annuente Aidoneo liberatus Theſeus vinculis, Athenas eſt regreſsus, nondum prorſus amicis eius oppreſsis.

Theſeus liberatur vinculis, Herculis gratia.

Ac quæcunque delubra ante ſibi fuerant à ciuitate aſsignata, cuncta Herculi, quatuor demptis, ſacrauit, dixitq́ pro Theſeis Heraclea, vt author Philochorus eſt. Sed cùm mox priſtino more intenderet imperare & præeſſe Reip. in ſeditiones incurrit & motus. Quos verò infenſos ſibi reliquerat, cum comperiſſet eos, præterquam quod ſe odiſſent, inſuper timorem abieciſſe ſui, & populum magna ex parte animaduerteret peruerſum, neque iam ſine ſtrepitu parentem, ſed blandè poſtulantem agi ſecum: conatus vim adhibere, factionibus eſt & ſeditionibus repreſſus.

Theſeo parere Athenienſes detrectant.

Demum rebus deploratis liberos in Eubœam clàm ad Elephenora Chalcodontis miſit. Mox in Gargetto deuotis Athenienſium capitibus, ubi nunc Araterion quod vocant eſt, in Scyron nauigauit: quod amicitia ei cum incolis, vt arbitrabatur, & prædia paterna in illa eſſent inſula.

Theſeus profugit Athenis.

Obtinebat ea tempeſtate regnum in Scyrijs Lycomedes. Ad hunc poſtquam ſe contulit, poſtulauit agros reddi ſibi, quaſi illic commoraturus. Aliqui eum autumant auxilium ab illo contra Athenienſes flagitaſſe. At Lycomedes ſiue quod gloriam tanti viri vereretur, ſiue vt ſtudium ſuum probaret Meneſtheo, eduxit in rupem eius agri Theſea, tanquam inde prædia ei monſtraturus, & de ſaxo præcipitatum interemit. Nonnulli ſua ſponte ferunt prolapſum, cum à cœna in deambulando pro more ſuo offenſaſſet.

Theſei mors.

Atque in præſentia quidem nemo vllam habuit mortui rationem, ſed regnauit Athenis Meneſtheus. Filij eius priuatam vitam agẽtes, Elephenora ad bellum Troianum ſecuti ſunt. Defuncto illic Meneſtheo, reuerſi regnum reſumpſere.

Theſei filij.

Poſterioribus ſeculis viſum Athenienſibus eſt, cùm alijs ex cauſis, honorẽ, vt heroi, Theſeo tribuere, tum milites, qui in acie Marathonia aduerſus Medos ſteterunt, non pauci viſi ſunt, ſpeciem in armis Theſei, ante ſigna conſpicere in barbaros erumpentem.

Theſei honores poſt mortem.

Poſt bellum Medicum, Phedone archonte, cõſulentibus Apollinem Athenienſibus, reſpondit vates, vt reliquias Theſei colligerent, & collocata apud ſe ſeruarent honorificè. Erat verò & auferre illas & noſſe conditorium, intricatum propter inhoſpitalitatem & feritatem incolētium barbarorum. Tandem Cimon, cum ei capta hac inſula, vt in vita eius recenſuimus, cupido inceſsiſſet eruendi oſſa illius, & aquila locum cliuoſum ore, vti fama eſt, tondente, & fodiente vnguibus, diuina quadam ſorte res animum eius ſubiret, aperuit locum. Reperti ſunt magni corporis loculi, adiunctáque cuſpide haſta ænea cum enſe. Hæc à Cimone in triremi ſua deportata, ouantes Athenienſes, eximia celebritate & ſacrificiis, ſicut reducem ad vrbem exceperunt, ac media conditus eſt vrbe prope gymnaſium quod nunc eſt.

Theſei oſſa Cimon reportat Athenas.

Eſt id perfugium inuiolabile ſeruis & omnibus demiſsioribus, timentibusq́ potentiores: quòd tutelaris Theſeus atque auxiliaris fuiſſet, & benignè abiectorum accepiſſet preces.

Theſei ſepulchrum.

Sacrum maximum ei exhibent octauo die menſis Pyanepſionis, quo ex Creta redijt cũ impuberibus. Attamen & aliorum menſium octauo quoque die colunt eum: vel quod primum ex Trœzene octauo Hecatōbæonis, vt memoriæ tradidit Diodorus Periegetes, appuliſſet. vel quod illi præcipuè hic numerus, qui ortus diceretur ex Neptuno, attribuendus eſſet, etenim Neptunum octauis celebrãt.

Theſeus octauo die menſibus ſingulis colitur.

Numerus enim octenarius, qui teſſara ex pari primus eſt, & primi quadrati geminus, propriam repræſentat ſtabilitatem & ſoliditatem virtutis illius dei quem ἀσφάλιον, id eſt ſtabilientem, & γαιήοχον, quod terram coerceat, cognomine dicunt,

Neptunus cur dictus Aſphalius & Geeochus.

Romulus.

Roma unde dicta, uariæ sententiæ.



INGENS Romę nomen, quod gloria est apud omnes gentes decantatum, haud conuenit inter scriptores, à quo vrbs & qua de causa inuenerit. Sed Pelasgos, cum maiorem partem percurrissent orbis, plurimasq; deuicissent nationes, eam oram quidam authores sunt tenuisse, atque ex suo in armis robore, quod ῥώμην Græci vocant, vrbem Romam dixisse. Alij capta Troia nonnullos profugos, cum naues essent nacti, ad Hetruriam vi ventorum expulsos, circa Tyberim amnē anchoras iecisse: vbi vxoribus eorum fatiscentibus, pelagiq; pertæsis iactationis, vnam quę & genere clarior cæteris esse & præcellere mente videbatur Romam nomine, vt classem incenderent suggessisse: id viros primum ægrè tulisse. Deinde cum necessariò sedes circa Palatium posuissent, & breui supra spem succederent omnia: quod agri fertilitatem miram sentirent, reciperent etiam ipsos accolæ: cùm alios Romæ honores habuisse, tum verò eius vt authoris vrbi nomen indidisse. Inde posteris quoque morem perhibent traditum, vt propinquos fœminæ & viros suos salutent osculo: quod illę post classem inflammatam deprecantes viros & iram eorum mulcentes, ita eos salutauissent & amplexi essent.

Palatium, mōs.

Osculandi propinquos origo.

Sunt qui Itali & Leucariæ filiam Romam, sunt qui Thelephi Herculis filij filiam Aeneæ nuptam, alij Ascanij Aeneæ filiam vrbi aiūt nomen dedisse: alij Vlisis & Circes filium vrbem condidisse Romanam: alij Remum Aemathionis filium ab Diomede ex Troia missum: alij Remum Latinorum tyrānum, cum eiecisset Hetruscos, qui in Lydiam ex Thessalia, ex Lydia commigrauerant in Italiam.

Romuli origo.

Iam nec inter eos, qui probatissima adferunt, qui vrbi Romulum contendunt nomen posuisse, de origine eius conuenit. Hi Aeneæ ex Dexithea nata Phorbantis filium cum fratre Remo infantem admodum deportatum in Italiam fuisse. Cum autem scaphæ reliquæ perissent amne effuso, illa verò, in qua pueri erant, ad ripam placidè delata lenem esset, præter spem saluos fuisse, atque ita eum locum Romam fuisse appellatum. Illi Romam fœminæ illius Troianæ filiam, quę Telemachi filio nupta Latino fuit, Romuli matrem fuisse. Aemiliam alij Aeneæ & Lauiniæ filiam ex Marte concepisse.

Fabulosa narratio, de Romuli ortu.

Alij fabulosa planè de eius ortu referunt, spectrum Tarchetio Albanorum regi, homini teterrimo & sęuissimo, diuinum domi oblatum: Genitale ex foco eius masculini sexus extitisse, per multosq; dies cōparuisse, atq; oraculo, quod in Hetruria Tethydis erat, responsum: vt virgo cum spectro coiret, ex qua filium virtute clarissimum, fortunaq; & robore oriturum insignem. Hoc responsum Tarchetius cum vni ex filiabus exposuisset, iussisseiq; cū Genitali illo vt iungeret se: eam quòd aspernaretur, sum misisse ancillam. Tarchetium, vt resciuit, grauiter offensum, ambas in vincula coniecisse, morte uindicaturum. Sed cum Vesta illi in somnio oblata, deterruisset eum à cæde, telam in uinculis texere puellas iussisse, ea lege vt ea detexta elocarentur: atque illas texuisse interdiu, nocte mandato Tarchetij alias retexere telam solitas. Cum ancilla ex Genitali illo geminos esset enixa, Teratio cuidam Tarchetium necandos tradidisse. Illum ad fluuij ripam eos exposuisse, lupam inde accurrentē lactasse, auesq; diuersi generis alimenta minuta ori indidisse: bubulcum tandem re cum admiratione conspecta accedere ausum, infantes sustulisse. Ad hunc modum eductos inuasisse eos Tarchetium, & superasse. Hæc Promation quidam in historia, quam scripsit de rebus Italicis, retulit.

Fabij Pictoris extat fragmentum, et Catonis. uide etiam Halicarnassenm & T. Liuium.

Romuli genus.

Romuli mater.

Cæterùm receptissimæ historiæ & à plurimis approbatę, Peparethius Diocles pręcipua quæq;, princeps apud Græcos edidit, quæ in plerisque Fabius Pictor sequitur. Et quanquam hîc quoque varient, vt breuibus tamen absoluam, illa huiuscemodi est. Ex Aeneæ posteris, qui Albæ regnarunt, ad duos fratres regnum deuenit, Numitorē & Amulium. Vniuerso patrimonio ab Amulio in sortes diuiso duas, regnoq; cum pecunia & aduecto Troia thesauro cōparato, sumpsit regnum Numitor. Amulij cum essent ex argēto quàm Numitoris ampliores opes, facile eum regno exuit: eiusq; filiam, quo perpetuo cælibatu & virginitate liber ab huius partu foret, Vestæ sacerdotē legat, quam Iliam alij vocāt, alij Ream: sunt & qui Syluiam. Non multo pòst deprehenditur contra virginum Vestalium legem prægnans. Ne ultimo supplicio afficeretur, regis filia à patre precibus Antho obtinuit: in custodiam tamen, ne inscio Amulio pareret, data est & remota ab hominum consortio. Illa gemellos edidit mira corporis proceritate & specie. Qua re magis Amulius cōmotus imperat ministro, vt eos exponat.

Faustulus.

Huic Faustulo quidam nomen: alij non huic,

huic, verum ei qui hos sustulit, fuisse tradunt. Minister infantes imposuit alueo, atque exposi us eos descendit ad fluuium. quem inflatum cum cerneret & rapidum, non est ausus accedere, sed ad proxima ripæ expositis, recessit. Fluuio euagato, suscipiens alueum aluuies, & leniter subuehens in loco destituit satis molli, Germanum vocant nunc, quondam mea opinione Germanum à fratribus. Erat iuxtà ficus quam Ruminalem dicebant, vt multorum est opinio, à Romulo: vel quia pecora ruminantia illic captabant vmbram: vel quod maximè probatur, propter puerorum lactationem. Mammam enim vocabant Rumam prisci, & deam infantium educationis præsidem Rumiliam dicunt, eique sacrificium faciunt absque vino, in quo lac libant. Ad pueros ibi iacentes lupam tradunt lactantem cursum flexisse, & picum Martium nutriendis & seruandis præstò fuisse. Marti ea animalia sacra habentur. Picum Martium præcipuo honore venerantur Latini. vnde puerperæ maior habita fides ex Marte peperisse se asseueranti. Quamuis deceptam ferant ab Amulio, qui armatus eam stuprauerat, in eam opinionem venisse. Sunt qui fetant nutricis nomen ex vocis ambiguitate fabulæ locum dedisse. Lupas enim Latini præter notam significationem etiam vocabant eas, quæ corpus vulgabant: cuiusscemodi Faustuli vxorem puerorum nutritij fuisse Accam Laurentiam nomine. Huic etiam sacra Romani faciunt, & mense Aprili flamen Martialis libat, Laurentialia vocant festum. Alteram item colunt Laurentiam ex causa huiuscemodi. Herculis æditus forte ocij fallendi causa, alea cum deo ludere statuit hac lege, si vicisset, vt ille quippiam sibi conferret doni: victus vt deo ipse lautum epulum & concubitum præberet formosæ mulieris. In hanc legem, iacit pro deo, inde pro se. Victus cum stare pactis, & conditioni vellet conuentæ satisfacere: cœnam deo instruxit, Laurentiamque formosam puellam nondum famosam mercede pactus, inuitauit. Lectum ei strauit in templo, qua vt deus potiretur, eo in loco conclusit illam. Fama tenet Herculem cum puella congressum, iussisse ei ad forum mane se conferret, & in quem incidisset primùm, eum osculo dato amicitia sibi iungeret. Occurrit ei quidam ex ciuibus magno natu & opulentus Tarrutius liberis orbus, qui hactenus ætatem in cælibatu egerat. Hic Laurentiam complexus est ac dilexit, multorumque & lautorum prædiorum reliquit moriens hæredem, quæ illa pleraque populo legauit. Hæc cum iam celebri nomine esset atque à deo dilecta, traditur ex hominum ablata conspectu, quo loco prior Laurentia humata est. Velabrum nunc vocant ex eo, quod in crebris fluuij exundationibus traiectus eo loco in forum esset. Traiectum velaturam vocant. Alij deducunt à velo: quòd qui munus populo exhibent, inde velis viam, quæ à foro fert in circum maximum, adumbrent. Hac de causa Laurentia altera apud Romanos colitur.

Germanum. Ruminalis. Rumilia Dea. Picus Martius Lupa. Acca Laurētia, Larentia græcè legitur. Laurentialia. Laurētia altera. Tarrutius. Velabrū, de quo Liuius dec. 3., li. 7.

Faustulus infantes regius subulcus clam omnibus sustulit. Alij veritati consona magis referunt, conscio Numitore, & alimenta suppeditante secretò nutritijs, pueros literis omnique liberali disciplina Gabijs institutos: qui tradunt præterea, quia sugentes visi essent lupam, à papilla Romulum & Remum vocatos. Horum illico in prima etiam ætate corporis præstantia indolem ex proceritate & forma ostendit: & cum adolescerent, acres ambo & fortes, atque ad obiecta pericula magnanimi fuerunt planéque intrepidi. Romulus tamen præcellentior consilio & ciuili prudentia habebatur, in pascendo venandoque, vicinis quibus cum haberet commercium: magnam de se opinionem præbens, ad imperandum se quàm ad parendum natum potius esse. Itaque popularibus & humilioribus grati esse: villicos regios, procuratores & pecoris magistros, vt nihilo se præcellentiores contemnere, nec minis eorum moueri vel ira: in sermonibus & studijs liberalibus frequentes esse, ab otio & inertia vt re sordida abhorrentes, amplecti autem labores, venationem, cursus: facere in latrones impetum & afflictos ab iniuria vindicare. Hinc adolescentibus magnum nomen. Exorta aliquando inter Numitoris & Amulij pastores cōtentione, pecoribusque abactis à Numitoris bubulcis, non tulerūt eam iniuriam, sed ceciderunt eos & in fugā verterūt, exueruntque magna ex parte prēda, nihil Numitoris morati indignationē. Gregem inde inopum & seruorū cogunt recipiuntque, vt res ijs authoribus spectare ad defectionē & audax facinus videretur. Cùm esset autē sacrificādi & augurādi Romulus studiosus, eo forte in sacrificio occupato, inuadunt Numitoris pastores iter cum paruo comitatu facientem Remum. Dum ictus & vulnera vtrinque inferuntur, vincunt Numitoris pastores, ac Remum capiunt. Raptū ad se & accusatum Numitor, quia iram verebatur fratris, ipse non puniuit: sed profectus ad illum, vltionem postulauit, qui frater esset regis, violatus ab ipsius famulis. Rei indigni-

Faustulus. Romuli & Remi educatio. Indoles Studia Romuli religio. Remus capitur.

tas cum etiam Albanos motos eius dignitate afficeret, adductus eſt Amulius, vt Remũ fratri ad ſupplicium dederet.

Numitoris æquitas.

Adoleſcente domũ ducto, corporis eximiã præter cæteros ſpeciem & robur miratus, ſimul animaduerſa in vultu audacia & confidentia animi, imperterritáque & inuicta pręſenti periculo conſtantia: facta deinde & geſta eius audiens, eáque cum corpore & animo comparans, ad caput magnarum rerum,

Dei prouidẽtia.

deo haud dubio imprimis præſente & authore perducitur: ac ſtudio veritatis forte fortuna rogauit, qui ſit quæue eius origo, comíque alloquio & humano intuitu ſpem cum fiducia dat.

Remi oratio, eiuſque & Romuli agnitio.

Ille intrepidè: Nihil, inquit, te celabo, namque regio animo magis mihi videris quàm Amulius eſſe, qui antè audias & quæras quàm damnes: ille dedit inauditos. Primum regis miniſtrorum Fauſtuli & Laurentiæ filios credidimus nos: Gemini ſumus. Verum vt accuſati apud te ſumus & calumnia circumuenti, de vita vt periclitemur, mira de nobis intelligimus. Certa ne ſint, præſens apparet periculum decretũ. Conceptum noſtrum prodigioſum accipimus, incunabula & lactationem infantium etiam magis nouã. Aues enim & feræ, quibus obiecti eramus, imprimis lupa & picus Martius, cum ad magnum fluuiũ in alueo iaceremus, minutis cibarijs nos nutrierunt. Extat alueus & ſaluus eſt, æneis vinculis circũductus, literis inſcriptus exoleſcẽtibus, quæ parentibus eſſent interitus noſtri inutilia iudicia.

Numitoris prudentia.

Numitoris ad verba & ætatẽ ex facie elucentẽ, tẽpus cõparantis blanda ſpes, animum tetigit, ſubijt que cura quemadmodum cum filia, quæ in arcta adhuc detinebatur cuſtodia, remotis arbitris ageret de his.

Fauſtuli in Remo ſeruando ſtudium.

At Fauſtulus, vt captũ Remũ & deditũ accepit, Romuli implorat opem, eíque tandem veram originem ipſius aperit, quam obſcurè antè & obiter hactenus indicauerat: quatenus illis, ſi animum aduerterent, animos facere poſſet. Simul temporis neceſſitate feſtinabũdus & perculſus, cum alueo contẽdit ad Numitorẽ. Venit autem inſuſpitionem regiæ ad portam ſtationi: & cum oculos in eũ intenderẽt, atque ille trepidaret ad interrogata, detectus eſt quẽ pallio operuerat alueus.

Fatalis interuẽtus.

Erat forte inter eos quidam ex illis, qui proijciendos acceperant pueros, & exponendis interfuerunt. Hic vt alueũ aſpexit, agnouit eũ ex forma & literis, rẽq; ſuſpicione attigit, quam non neglexit, ſed aperuit regi, & ad quæſtionem vocauit. Tantis & tã multis circumuentus periculis non omnino Fauſtulus infractus ſtetit, neque omnia tamẽ expreſſa ei fuere. Pueros ergo eſſe fatetur ſuperſtites, ſed procul Alba paſcere. Alueum ſe ad Iliã ferre, quę & certiorem de liberis ſpem videre, & contrectare eum ſæpe cupierat.

Amulij ſolicitus animus.

Id quod vſu venire perplexis ſolet, & illis qui metum vel iram in conſiliũ adhibent, accidit Amulio. Quendam & probum virum & Numitoris amicum ad eum mittit quæſitum, ecquid de incolumitate puerorum intellexiſſet. Ille accedens vt penè hærentem iam Remum in complexibus & oſculis Numitoris vidit, & ſpem eius confirmauit, & vt rẽ gnauiter aggrederetur, author fuit, ſimulq́; ſe illis adiunxit & rem adiuuit. Nec articulus vllam concedebat vel inuitis prolatationem, nam Romulus iam aderat, ad quem odio & metu Amulij globus ſe effuderat ciuium. Manum etiam non contemnendam ipſe adducebat in centurias diſtributam.

Manipulus.

Singulas vnus ducebat, graminis & fruticum manipulum conto alligatum ferens. Inde manet in hodiernũ diem, vt in exercitu hos manipulares appellẽt.

Manipulares vnde dicti.

Amulius obtrũcatur.

At Remus cum ciues ad ſe traheret, Romulus verò adoriretur foris, torpidus tyrannus & attonitus nihil eſt contrà molitus, nec quicquam ſalubris conſilij cepit. itaque deprehenſus obtruncatur. Hæc ferè cum & Fabius referat & Peparethius Diocles, quem puto de condita Roma primùm memoriæ mandaſſe, ſuſpectam quidam habẽt fabulam & commentum. Nos cùm cernamus, quanta vis ſit fortunæ, non debemus ei fidem derogare, reputantes animo, rem Romanam. ſiue diuino aliquo auſpicio & magno miraculo non fuiſſe eò potentiæ progreſſuram. Intefecto Amulio rebusq; compoſitis, Albæ habitare & viuo regnare auo. non induxerunt in animum. Quare permiſſo illi regno, matriq; debito habito honore, ipſis conſilium fuit ſeorſum vrbis, vbi primum fuerant educati, cõdendæ.

Roma cõditur.

nam hæc mihi cauſa potiſsimũ probatur. Fortaſsis autẽ cum iam ſerui atq; exules cõfluxiſſent frequentes ad ipſos, reliquũ erat vt aut res illorũ planè corruerent, ſi diſsipati hi eſſent, aut vt ſeparatim cum ijs coniungerent domicilium. Nã abnuiſſe Albanos in corpus ſuum & ciuitatem recipere fugitiuos illos & exules, conſtat primũ ex mulierũ raptu nõ ex libidine inſtituto, ſed ob cõnubiorũ difficultatẽ neceſſario facinore. Coluerunt enim ſupra modũ raptas.

Aſylum aperit Romulus.

Mox iactis vrbis fundamentis aſylum aperuerũt profugis & fugitiuis, quod Dei Aſylęi appellauerunt: omneſque recipiebãt, neq; ſeruũ dominis, nec creditoribus nexum, nec magiſtratibus dedebant homicidam: verùm inuiolatũ locũ ex oraculo Apollinis præſtare ſe aſſerebant. Ita vrbs eſt breui frequentata. nã prima ædificia

ficia non amplius fuisse mille volunt. Verum de his infrà. Intentis condendę vrbi ilicò de loco discordia interuenit. Romulus quadratam Romam condidit, atque eo in loco statuere voluit vrbem. Auctini Remus munitiorem designauit partem, quod ab eo est Remonium dictum, nunc Riguarium vocitatur. Itaque litem augurio committunt. Cùm diuersa loca cepissent, sex vultures Remo tradunt, Romulo bis totidē se ostendisse: Quidam Remū verè sex vidisse, Romulum mentitum: sed cùm accessisset ad eū Remus, tunc duodecim Romulo visos: quapropter mansisse, vt in augurio capiendo Romani habeāt vultures pręcipuos. Herodorus Ponticus Herculi lætum augurium tradit fuisse, si vultur se obtulisset ei in rē agenda. Et est hoc animal pręter cætera innocentissimum, nec satis vel plantis vel pecori incommodat. Cadaueribus tantum vescitur: nihil, quod viuat, perimit, neque ei nocet. Volucribus ob cognationē abstinet etiam mortuis: cū aquilæ, noctuæ & accipitres sui generis aues inuadant & interimāt vel viuas, licet vt Aeschylus ait:

Remonium. Riguarium.

Vulturum augurіū & natura.

Immunda auis sit, si qua auem depascitur.

Iam volucres aliæ ferè oculis nostris obuersantur. Vulturis rarum est spectaculum, neq; quenquam temere, qui pullos vulturinos conspexerit, inuenias: sed raritas eorum nonnullis & insolentia opinionem inuexit nouam, ex alio orbe huc eos commigrare: cuiuscemodi vates contendunt id esse, quod non natura duce nec sponte se profert sua, sed mittitur diuinitus. Detecta fraude, Remus dolore motus Romuli, cum fossam duceret, qua muro amplecti vrbem statuerat, designationem partim ludibrio habuit, partim interpellauit. Postremo cum eam transiliret, cæsum eo loco esse, authores sunt quidam Romuli manu, alij Celeris, qui sodalis erat Romuli. Eo in certamine Faustulus quoque & Plistinus Faustuli frater, quem socium in educendo Romulo Faustulum habuisse scribunt, cecidere. Celer in Hetruriam exulatum iuit. Ab eo veloces, vocant Romani Celeres: & Q. Metellum, quod patre defuncto munus gladiatoriū populo dedisset, paucis diebus in apparatu positis, velocitatis admiratione, Celerem appellauere. Romulus postquam Remum vnà cum nutritijs suis in Remonia sepeliuit, condidit vrbem: ad quod acciuit Hetruscos, qui velut in mysterijs, vt quidque faciundum erat, ceremonijs quibusdam & scriptis præscripserunt, docueruntque. Comitio fossa est rotunda circunducta. In eam primitias detulerunt omnium, quæ de more vt bonis, natura vtebantur vt necessarijs. Postremo ex qua quisque aduenerat regione, eius terræ portiunculam collatam eo coniecerunt & commiscuerunt. Fossam hanc eodem quo cœlum nomine, vocauerunt Mundum. Hinc vrbe sicut circulo centrum circumscripsere. Conditor aratro æreum vomerem adiungit, iunctis'que bobus mare & fœmina, ipse circum lineamenta profundum inducit sulcum. Sequentium munus est, vt excitatas ab aratro glebas intrò vertant, nec vllam sinant extrà ferri. Ita mœnia linea definiunt, idq; elisis aliquot literis, Pomerium dicitur, quasi post vel pone mœnia. Vbi portam designare visum est, vomere exempto atque aratro sublato, spacium relinquunt. Vnde totum habent murum præter portas sacrum. Nam eas si ducerent sacras, religiosum esset necessaria & impura in vrbem recipere & exportare. Conditam vrbem in confesso est vndecimo Calend. Maias, quem diem Romani patriæ Natalem appellāt, habentq; festum. Initio, vt fama est, nihil immolabant animatum. Purum censebant & incruentum decere Natalibus patriæ solenne consecratum conseruare. Eundem diem illi & ante vrbem conditam, festo Pastorali habebant sacrum, & Palilia vocabant.

Remi & Faustuli cædes.

Celer.

Celeres vnde dicti.

Q. Metellus Celer.

Murorum designatio.

Mundus.

Pomerium vnde dictum.

Muri sacri.

Romæ natalis.

Palilia.

Cæterùm Calendæ hac tempestate apud Romanos nihil quadrant cum Græcorum interlunijs. At diem illum, quo condidit vrbem Romulus, planè in trigesimum mensis apud Græcos tradunt incidisse, quo subiens solis orbem luna defecit: quem defectum Antimachum vidisse Teium Portam Lyricum arbitrantur, cum incurreret in tertium sextæ Olympiadis annum: Varroni philosopho, qui Romanorum plurimæ fuit in historia lectionis familiaris erat Tarrutius, philosophus ille quidem & mathematicus, atq; etiam genethliacus. Cui scientiæ ita se speculandi gratia dederat, vt in ea videretur excellere. Huic posuit Varro, vt Romuli natalem designaret, ex euentis eius ducens rationes, sicut quæstionum Geometricarum docent contextus. Eiusdem esse enim disciplinæ, cùm diem natalem acceperis, vitam cuiuspiam prænūciare, ac vita proposita exquirere natalem. Suscepit prouinciam Tarrutius, positisq; ob oculos Romuli casibus factisq;, ac vitæ spacio & mortis genere: atque istis comparatis omnibus confidenter & intrepide conceptum à matre pronunciauit anno secundæ Olympiadis primo, mensis quem vocant Aegyptij Choeac, (December is sit) tertio & vicesimo die ad tertiam horam, qua sol

Varro philosophus.

Tarrutius mathematicus.

Romuli Natalis.

omni ex parte defecit. In lucem editum mensis Toth, quem dicas Septembrem, vicesimo primo, circa solis ortum: die nono mensis Pharmuthi, qui respondet Aprili, vrbis incunabula fuisse inter secundam & tertiam horam. *Vrbis natalis.* Siquidem non minus vrbis quàm hominis fortunæ certum est tempus quod ex primis incunabulis ad stellarum capitur positiones. Verùm hæc fortasis & similia non tam erunt lectori odiosa, quia fabulosa sunt, quàm nouitate & curiositate ducent. *Romulus Rep. constituit.* Vrbe iam condita iuuentutem in militares ordines centuriauit. Singuli ordines peditum habebant terna millia, tricenos equites. *Legio, vnde dicta.* Quia verò ex omnibus bellicosi lecti erant, Legio dicta. Hinc reliquum cætum habuit & dixit populum. Centum præstantisimorum delegit consilium, Patres vocauit: collegium Senatum. *Patres & Senatus, vnde dicti.* Patres dictos ferunt quod liberorum ingenuorum essent patentes: alij, quod parentes suos laudare possent, quod ex colluuie illa ciuitatis prima licebat paucis. Sunt, qui à patrocinio, Patronem quendam, qui secutus fuerat Euandrum aduenam, defensorem inopum & vindicem, huic rei nomen arbitrantes tribuisse. Verius videatur, Romulum principum & potentisimorum censentem parteis esse, vt patria cura & solicitudine cōplectcrentur demisiores: simulque docentem plebem ne timerent præstantiores, neue inuiderent honoribus eorum, sed vterentur ijs cum beneuolentia, ac ducerent patres appellarentque, id nomen his dedisse. Nam nunc quoque senatores, exteræ nationes, Prætores & Imperatores, ipsi Romani cum amplisimo & honoratisimo, tum minime inuidioso nomine Patres Conscriptos vocāt: *Patres Cōscripti.* principio Patres tantùm, pòst numero amplificato Patres Conscriptos appellauere. Atque eo tam venerando vocabulo populum à senatu distinxit. Cæteros deinde, quibus maiores erant opes, secreuit à plebe, appellauitque Patronos illos, hos Clietes. *Patronus. Cliens.* Ex quo fonte mirificè eos inter se beneuolētiæ necessitudinisque copulauit iure: cùm litigantibus patroni de iure responderent, atque aduocati adessent in iudicio, omnibusque item in rebus consilio eos & studio fouerēt: hos cōtrà colerent clientes nō honorando modò, verùm dote etiā tenuiorū filiabus cōferenda, & ære alieno suscipiendo. Testimonij aduersus patronum clienti, vel patrono aduersus clientem dicendi, nulla legis nulla magistratus coactio erat. Postea his officijs nihil imminuris si mercedem accepissent potentiores à demisioribus, turpe haberi cepit & sordidum. Sed hactenus de his. *Sabinarum raptus.* Ab vrbe condita quarto mense raptum designatum Sabinarum tradit Fabius. Romulum ipsum quidam authores sunt ad arma natum, atque certis adductum oraculis, in fatis esse re militari vt Roma in immensum cresceret, ad violandū Sabinos, animum intendisse: neque sane multas, sed rapuisse triginta duntaxat, ut qui nō tam connubia quàm bellum quæreret. atqui id parum congruit. Verùm vrbem cum statim videret refertam aduenis, quorum haberent pauci cōiuges, reliqui ex egenis conflati & obscuris contemnerentur, neque putaretur consensus eorum duraturus: speraret autem ex hac iniuria vinculum aliquod suis, vbi mulieres demulsissent, cum Sabinis & nasciturū commercium, rem ad hūc modum aggressus est. Primum diuulgauit dei cuiuspiā defossam se sub terra aram reperisse, Consum vocabant deum: *Consus Deus.* siue consiliorum ille præses à consilio vel consulibus dictus, siue Neptunus equestris fuit. *Neptunus equestris.* Hæc ara in circo maximo est, aliàs operta, ludis Circensibus aperitur. Alij dictitant, quia plane arcanum debeat esse & tectum consilium, rectè deo aram quæ sub terra esset abdita, sacratam fuisse.

Ob eam inuentam magnificum sacrificium, ludos, & spectaculum solenne finitimis indixit & concelebrauit. Multi mortales cōuenere. ille cum principibus trabea amictus præsedit. Signum dederat adoriendi, cum ipse exurgens complicasset trabeam rursusq; indueret. Multi gladijs accincti oculos tenebant in eum intentos. Dato signo stringunt enses, & magno clamore ad capiendas Sabinarum filias discurrunt. Fugientes omiserunt Sabinos, neq; sunt eos secuti. *Raptarum numerus.* Raptas aiunt hi triginta tantum, & ab eis nominatas curias: Valerias Antias quingentas uiginti septem: Iuba, octoginta tres supra sexcentas uirgines. Id Romulum subleuauit potisimùm, quod matronam nisi unam non rapuissent Hersiliam, idq; imprudentes. Quippe quos non libido, non iniuria ad rapiendum instigauisset: sed ut commiscerent coniungerentq; utranq; gentem arctisimis uinculis. *Hersilia uxor Romuli.* Hersiliam nupsisse Hostilio quidam tradunt, uiro inter Romanos nobilisimo: ipsi alij Romulo, cui etiam illam liberos peperisse, filiam Primam ex ordine nascendi ita nuncupatam: *Romuli F. Prima appellata.* unicum præterea filium, quem ab concursu sub se ciuium Aollium ille uocauit, posteri Abillium. *Aollius Romuli F.* Hęc Trœzenius scribit Zenodotus, quæ tamen multi refellunt. Inter uirginum raptores fuisse aiunt plebeiorum globū, qui puellam longe ante alias insignē specie & statura ducebant: quā ijs cum quidā eripere ex primoribus conarentur, Talasio ferri il-

ferri illi clamitauerunt iuueni claro proboq;. Quo audito, gratulatione & plausu eos collaudasse, fuisse etiam qui regressi comitarentur gratia & fauore Talasij, Thalasio conclamantes. Inde Romanis in hunc vsq; diem vox nuptialis facta, vt Hymenæus Græcis. Nam prosperè Talasio cessisse hoc matrimonium aiunt. Sextius Sylla Carthaginensis retulit nobis, vir & doctus & festiuus, eam vocem pro signo dedisse Romulum ad raptũ. Itaq; qui virgines abducebant, conclamabant omnes Thalasio: atq; hinc relictum hunc morem nuptijs. Pleriq; inter quos est Iuba, adhortationem & incitationem ad laboris sedulitatem & lanificium, quod Græci ταλασίαν dicunt, censent nondum id temporis Italicis verbis cum Græcis confusis. Quod si hoc placet, & Romani tum Tasalij vocabulum nobiscum vsurpabant, aliam conijcias magis probabilem rationem. nam in fœdere quod Sabini post bellum pepigerunt cum Romanis, conuenit ne aliam operam viris, quàm circa lanificium præstarent vxores: qui mos secutis nuptijs permansit, vt qui elocarent puellas, vel deducerent, vel præsentes essent, omnino Talasio acclamarent per lusum: testantes ad nullum aliud quam lanificium munus, sponsam adduci. Seruatur hinc etiam hodie, ne limen sponsa ipsa transcendat in domum, sed sublata inferatur, quod vi tunc illatæ non ingressæ essent. Addunt quidam, quando sponsæ capillos hastæ discriminent cuspide, primas nuptias denotare vi & hostiliter contractas: de quibus prolixius in Quæstionibus diximus. Admissus hic raptus est octauo decimo die Sextilis, quem nunc vocant Augustum, quo Consualia celebrant. Sabinorum magna gens quidem & bello bona erat, sed uicatim habitabant sine mœnibus. Nam cum coloni essent Lacedæmoniorum, meritò ingentes animos & intrepidos gerebant. At quia magnis se pignoribus cernebant astrictos, timentes filiabus legatos miserunt ad Romulum cum æquis & moderatis postulatis: redderet sibi puellas, & uim illatam resolueret, tum cum bona gratia & lege amicitiam & affinitatem inter utranq; gentem contraheret. Verum cum non remitteret Romulus puellas, peteret autem à Sabinis, ut hanc necessitudinem comprobarent: alij in deliberãdo & apparatu lentè agebant. Cenineñsium rex Acron magno uir animo & bellator insignis, qui iamdudum Romuli cœpta habebat suspecta, & hoc facinore in mulieres auso formidandum cunctis existimans, neq; tolerabilem si ferret impunè, primus bellum intulit, magnisq; copijs mouit in Romulum, & in illum Romulus. Cum iam in conspectu essent, & inter se contuerentur, prouocauerunt se mutuò ad pugnam, copijs in acie quiescentibus. Ibi Ioui Romulus, si hostem vicisset fudissetq;, uouit arma illius semetipsum ei dedicaturum. Acronem superat & occidit, exercitum eius signis collatis profligat. Eodem impetu oppidum eorum capit, nec uiolat tamen eos, qui illic substiterant: nisi quod demoliri ædificia iussos Romam attrahit, atq; in ciuitatem æquo recipit iure. Neq; res alia ulla perinde amplificauit ciuitatem Romanã, ut quod connecteret sibi, & in corpus suum contribueret uictos. Romulus ut uotum Ioui redderet quam gratissimum & oculis ciuium speciosissimum: quercum quam in castris uidit miræ proceritatis, recidit & instar adornauit trophæi, Acronis armis aptè suspensis ex ea adaptatisq;. Veste ipse incincta, & capite fluente coma, laurea coronatus, feretrum dextro innixum humero directum gerens incessit, carmen uictoriale exercitui præiens in armis sequenti, ciuibus cum gratulatione & laudibus cum excipiẽtibus. Triumphorum fuit hæc celebritas in posterum origo & exemplum. Feretrum Iouis Feretrij domum appellatum est à feriendo. Precatus enim deũ fuerat, vt Acronem feriret & cęderet. Opima spolia dicta sunt, authore Varrone, quod diuitias opes appellent. Rectius mihi videtur ab opere. nam cùm manu sua dux ducem interficiens, ipse decus parit, permittitur ei opima spolia consecrare. Ac tribus modò Romanis imperatoribus eius fortuna decoris fuit: primò Romulo, interfecto Ceninensi Acrone: secundò Cornelio Cosso, qui Volũnium Tuscorum ducem occidit: postremo Claudio Marcello, à quo Gallorũ rex cæsus est Viridomarus. Cossus & Marcellus curru iam inuecti sunt, cùm opima spolia ferrent. Romulũ fallitur Dionysius, qui vsum dicit curru. siquidẽ Tarquiniũ Demarati filiũ proditũ memorię est regum principem, eam in speciem & fastum, euexisse triumphos. Poplicolam scribunt alij primum curru triumphãtem inuectum. Nam Romuli quidẽ statuas triũphales uidere est omneis pedestres. Deuictis Ceninẽsibus, dum reliqui Sabini tempus in apparatu terunt, Fidenates, Crustumeni, & Antemnates coierunt contra Romanos. qui item acie fusi oppida sua capi, agrosq; diuidi, ac se Romam passi sunt transferri. Romulus reliquum agri partitus populo, raptarum tantum parentibus, quod eorum fuisset, concessit. Molesta hæc cæteris erant Sabinis. itaq; Imperatore creato Tatio in fe-

Talasio vox nuptialis apud Romanos, cur.
Hymenæus.
Sextius Sylla.
Iuba.
Lingua Italica.
Nuptialis ritus apud Romanos.
Plutar. Proble.
Consualia.
Sabinorum gẽs.
Acron Cenineñsium rex bellũ infert Romulo.
Acron cæsus.
Romuli triumphus.
Triumphorum initium.
Iupiter Feretrius.
Opima spolia.
Tarquinius priscus curru primus Triumpho vsus.
Poplicolam.
Fidenates, Crustumeni, Antemnates cõtra Romanos.

ſtum agmen Romam mouerunt. Haud expeditus erat ad vrbem acceſſus: quod is collis, ubi nunc Capitolium eſt, propugnaculum ijs eſſet cum præſidio: cui præerat Tarpeius, non Tarpeia virgo, ut nonnulli tradunt, qui ſtultum faciunt Romulum. Verùm filia Præfecti Tarpeia, quæ cupidine capta aurearum armillarum, quas gerentes videbat Sabinos, prodidit ijs arcem pacta proditionis mercedem quæ læuis manibus ferrent. Hac conditione Tatio unam noctu reſerat portam, qua recipit Sabinos. Verùm enimuero non vnus ſanè dixit Antigonus prodentes amare ſe, odiſſe cum prodiderint, neq; de Rymitalce Thrace Cæſar, amare ſe proditionem, proditorem odiſſe: ſed eo ferè in ſceleratos animo ſunt illi, qui eorum operam requirũt, vt veneno & felle quarundam maleficarum beſtiarum qui opus habent. Quippe operam eorum dum ex vſu eſt amplectuntur: execrantur ſcelus vbi voto potiti ſunt. Perinde tum Tatius Tarpeiæ fecit, iuſsit ſuis vt conuentorum memores, quæ ſiniſtris ferrent, omnia congererent in illam. Ipſe ante alios detraxit manui armillam, vnaq; cum hac ſcutum ei iniecit. Cum idem facerent omnes, auro illa iniecto ſcutisq; obruta eſt: itaq; numero & pondere oppreſſa. Damnatus eſt ab Romulo & Tarpeius proditionis, ut Iuba author eſt Sulpitium Galbam in hiſtoria prodere. Inter reliquos, qui Tarpeiæ meminerunt, abſurdi ſunt (de quibus eſt Antigonus) qui tradunt ducis Sabinorum eam filiam Tatij fuiſſe: & cum inuita eſſet cum Romulo, hoc perpetraſſe, atque ita fuiſſe à patre in eam conſultum. Poeta verò Simulus plane delirat, qui non Sabinis eam, ſed Gallis putat hanc Capitolium prodidiſſe, cum eſſet regis eorum capta amore. Is ita ſcribit:

Tarpeia prodit Sabinis Capitolium.

Antigoni & Augusti Cæſaris dictum in proditores.

Tarpeiæ mors.

At Capitolinam cuſtos Tarpeia tenebat
Arcem, quæ muris non bene fida fuit.
Gallica dum demens ſequitur connubia: patrum,
Qui orbis ſceptra gerunt, prodidit illa lares.

Mox de eius morte:

Iſtam nam Boij, non gentes mille puellam
Gallorum ad gelidum corripuêre padum.
At ſibi nudatis ſplendentia dona lacertis
Inijciunt miseræ, condecorantq; necem.

Tarpeius collis.

Cæterùm à Tarpeia illic ſepulta, collis ille vocatus Tarpeius fuit, donec locum eum Tarquinius rex Ioui conſecrauit: quo tempore oſſa eius aliò fuerunt delata, nomenq; exoleuit Tarpeiæ: excepto ſaxo quod vocant etiamnunc Tarpeium, ex quo præcipitare ſceleratos ſolebant. Arcem Sabinos inſidentes ira ſtimulante prouocauit ad pugnam Romulus: nec Tatius munitum, ſi vrgeretur, ſuis receptum vidẽs detrectauit. Quod enim inter frequentes colles planiciei eſt, ubi cõcurſurę acies erant, ob loci difficultatẽ vtriſq; acrem videbatur & grauem dimicationem præbiturum: fugam verò & inſectationem in arcto breuẽ. Forte paucis ante diebus limus ex fluminis eluuie altus & cæcus reſtiterat in conualle, quo loco nunc forum eſt: ita cùm tectus erat & euitatu difficilis, tum moleſtus & in imo mollis. Quo cum ferrentur imperitia Sabini, fortuna adfuit ijs. nam Curtius celſo vir animo & clarus nomine, equo longè ante ſigna euectus eſt. Cum equus eius in voraginem demergeretur, conatus eſt eum aliquandiu cædendo & excitando exigere: vbi id parum procedit, omiſſo equo ipſe euadit. Locus ab eo etiam hodie Lacus Curtius dicitur. Periculo Sabini vitato acriter capeſſunt pugnam: in qua licet multis cadentibus, neutro inclinauit victoria. Inter eos cecidit Hoſtilius: hunc Herſiliæ virum & auum Hoſtilij, qui poſt Numam regnauit, perhibent fuiſſe. Cum autem certamina de integro multa, vt veriſimile eſt, breui tempore fierent, vnius potiſsimum meminerunt nouiſsimi: quo cum in capite eſſet Romulus ſaxo ictus, vt penè in terram prolaberetur, pugna que excederet, pedem retulerunt Romani, moti'que campo & ſuga, delati ad Palatium ſunt. Interea Romulus ex vulnere aliquantulum recreatus occurrit fugientibus, ac repetere pugnam, reprimerêque eos atque in hoſtem conabatur reducere: altáque voce, vt reſiſterent, adhortabatur, certamen'que ciebat. Cum verò effuſa fuga circa eum fieret, neque quiſquam hoſtium conſpectum ſuſtineret: tenſis ad cœlum manibus precatus Iouem eſt, fugam vt ſiſteret, ac rem Romanam ruentem ſuſtineret, reſtitueretq;. Hæc orantis multos regis repreſsit verecundia, animumq; ablato timore, addidit. Reſtiterunt vbi nunc Iouis Statoris templum eſt. Tum redintegrato certamine impulerunt Sabinos ad Regiam, quam nunc vocant, & Veſtæ ædem.

Romuli cũ Tatio pugna.

Curtius Sabinus.

Lacus Curtius.

Hoſtilij cædes.

Romulus ſaxo ictus.

Iupiter Stator.

Hîc

Hîc eos iteratę pugnam molientes, terribile visu & inauditum cohibuit spectaculum. Sabinorum filiæ quæ raptæ fuerant, ex diuersis locis accurrere. Hæ per infesta arma & cadauera cum clamore & vlulatu tanquam fanaticæ ad viros & patres intulerunt se, partim infantes in vlnis gestantes, partim crinibus resolutis: omnes tamen blandissimis nominibus, hinc Sabinos, hinc Romanos appellantes. Confestim sedauerunt vtrosque, atque inter vtraque aciem datus est ijs locus. Iam eiulatus ab omnibus pariter perceptus est, speciesque commouit eos: multo maximè oratio in obsecrationem & precationem ex disceptatione & querimonia desinens. Quo nostro, inquiunt, merito in miserias tantas, & nuper & hoc tempore incidimus? vi sumus & iniuria à maritis raptæ, iniuria nostra à fratribus, parentibus, propinquis hactenus neglecta, dum vinculis cũ inimicissimis cõglutinatæ arctissimis, timere raptoribus & violatoribus cogamur præliãtibus, & lugere cadentes. Neque enim vindicatum virgines aduolastis à violatoribus: sed nunc à viris auellitis cõiuges & à liberis matres: qui miseris nobis tristius auxilium, quàm neglectus ille fuit & proditio, fertis: illa nobis ex horum amore, ex vestra miseratione hæc oblata sunt. Nam si alia belli causa esset, dandum hoc erat nobis, quæ vos soceros, auos atque affines effecimus, arma vt poneretis. Sin nos in causa sumus, abducite nos quæsumus cũ generis & liberis, ac reddite nobis parentes cognatósque: abstrahere à prole atque viris omittite, ne iterum captiuæ reddamur. Ea cum Hersilia diceret, orarent'que cæteræ, inducijs factis procedunt ad colloquium duces. Interea mulieres ad parentes & fratres adducere viros liberósque, reficere cibo & potu eos qui quærerent, saucios domum deportatos curare, ostendere domi se præesse, quanta viri in se indulgentia essent, quantaque charitate & honore prosequerentur. Ita pax fit, vt quæ vellent mulieres, manerent apud eos, à quibus tenebantur, ab omni opere & obsequio præterquam lanificio immunes, communem haberent Romani & Sabini vrbem, Roma vrbs à Romulo, Romani omnes Quirites à Tatij patria vocarentur, regnum ducibus domi militiæ'que consociaretur. Locus vbi fœdus ictum fuit hodie quoque à coeundo Comitium vocatur.

Pax inter Romanos & Sabinos.

Quirites vnde dicti.

Comitium.

Geminata vrbe centum ex Sabinis senatores allecti. Legiones constitutæ ex peditibus senis millibus, equitibus sexenis: Tribus tres, Ramnenses à Romulo, à Tatio Tatienses, Luceres à Luco: quò in asylum multi qui confugerant, inuiolati in ciuitatem recepti erant. quippe tres fuisse, & nomen tribus & tribuni declarat. Singulæ denis constabãt curijs, quibus Sabinarum imposita nomina autumant quidam fuisse. Verum id quia à regionibus cognomina complures habent, falsum videtur quamuis multa constituerint in honorem fœminarum, ex quibus hæc sunt: decedere illis via, ab omni obscæno dicto præsente muliere abstinere, non conspici nudum, aut apud iudices rerum capitalium illas causam dicere, earum liberos gestare bullam ex figura & similitudine colli ornamentum & prætextam. Consilia non statim vocabant reges in vnum, sed separata primo cum suis vterque centenis habebant, inde conueniebant omnes. Tatius habitabat vbi ædes nunc Monetæ est: Romulus ad pulchri littoris quos vocant gradus circa descensum ex Palatio in circum maximum. quo loco referunt sacram cornum fuisse, & fabulam artexunt, exercentem se Romulum torsisse ex Auentino lanceam, cuius erat corneum hastile: altè defixam cuspidem conuellere, cùm multi niterentur, neminem valuisse: lasciuientem autem, quæ lignum erat amplexa, humum, ramos & stipitem corni eximia germinasse proceritate. Eam posteri vt rem sanctissimam magna religione venerantes muro cinxerunt. Quæ si cui visa esset minus frondescere vel virescere, sed marcescere & exarescere, id clamore ille ilicò significabat obuijs quibusque: qui sicut ad restinguendum incendium aquam conclamabant, simul concursus fiebat, vndique vasa plena eò aquæ portantium. Caio autem Cæsare gradus instaurante, cum opifices tellurem adhærentem arbori circumfoderent imprudẽtes, planè corruperunt radices, ac contabuit arbor. Menses acceperunt Sabini Romanorum: in quibus quicquid probatu dignũ sit, in vita Numæ retulimus. Romulus ab illis est scuta mutuatus, sua'que ac Romanorum, qui ferre ante parmas Argolicas solebãt, arma mutauit. Festos dies & sacra inter se promiscua habuere: quæ adferret vtraque gens non antiquarunt, instituerũt insuper noua: ex quibus Matronalia sunt, ob bellum direptum, concessa fœminis, itemque Carmentalia. Carmentam aiunt quidã Parcam esse hominum, generationis præsidẽ. vnde colitur à matribus familias. Alij Arcadis Euandri memorant cõiugem fuisse fatidicam, & versibus oracula solitã reddere: propterea à carminibus dictam Carmentam, cùm Nicostratæ verum nomen esset. Hęc quidem vulgaris est opinio.

Legio, quot milites capiat.

Tribus Romanæ.

Curiæ Romanæ.

Honores fœminis Romanis delati.

Bulla, Ornamentum.

Tatij & Romuli ædes.

Sacra cornus.

Menses à Sabinis Romani acceperunt.

Matronalia.

Carmentalia.

Carmenta.

Nicostrata.

Alij verò probabilius Carmentam interpretantur, quasi mente carentem, ex furore fa-

Lupercalia.

natico. De Palilijs suprà est dictũ. Lupercalia ex tempore dicas lustralia esse, quia diebus nefastis aguntur, mensis Februarij, quem interpreteris lustralem. diem veteres Fe-

Febratam, habet Græcè.

bruatam vocabant. Videtur verò è nomine solennitas illa admodum vetusta, ab Arcadibus Euandri comitibus accepta. Cæterùm hæc vulgata est fama, nam de duci nomen potuit à lupa: quod inde Luperci, vnde educatum Romulum ferunt, auspicari cernamus cursum per vrbem. verùm quæ aguntur, causam præbent coniectu difficilem. Iugulant capras, inde nobilibus duobus adolescentibus adductis, alij gladio cruento frontem tingunt, alij statim imbuta lacte lana detergunt eam: detersa ridere adolescentes oportet. hinc tergoribus dissectis caprarum, in subligaculo discurrunt nudi, obuiũ quemq; scuti-

Canē Lupercalibus immolatum.

cis cædentes. Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem & partum ratæ. Celebritas ea hoc quoq; habet peculiare, canem quòd immolent Luperci. Causas fabulosas Butas quidam in Elegijs rerum Romanarum prodit: Romulum deuicto Amulio cursu se exultantem contulisse in locum eum vbi lupa infantibus ipsis summiserat mammam, atque hac solennitate eum cursum referri, nobilesq; in cursu adolescentes,

Pulsare oblatos strictis velut ensibus, Alba
Tunc sese extulerant, Romulus atque Remus.

Luperci quare currant nudi.

Ensem verò cruentum fronti admotum cædis notam esse & periculi. Abstersionem per lac ipsorum monimentum nutrimentorum. C. Acilius ante conditam vrbem author est, Romuli & Remi pecus amissum fuisse, quos Fauno voto facto nudos, ne molestus ijs sudor foret, ad requirendum id, excurrisse. hinc nudos discurrere Lupercos. Canē arbitror, si lustratio id sacrũ est, immolari: quod eo vtantur lustrati. Etenim Græci in sacris lustralibus catulos efferunt, ac passim exigunt catulos, quã ceremoniã vocant περισκυλακισμόν. Quod si in Lupercalibus gratitudinis causa sacrum faciunt, ob eductum & seruatũ Ro-

Vestales virgines.

mulum, non absurdè canem iugulant, quia lupis inimicus est. nisi fanè hoc animal, quod interpellet in discurrendo Lupercos, puniunt. Fama est Romulum etiam ignem

Lituus.

primum consecrasse, virginesq; legisse, quas Vestales vocant. alij tribuũt id Numæ. Mirè alioqui Romulum fuisse tradunt religiosum, augurandiq; peritum, atq; eam ob scientiã lituum gestasse. Est lituus bacillum incuruum, quo qui auspicantur, tẽpla capiunt. Hunc in Capitolio ferunt seruari solitum, sed capta à Gallis vrbe perditum, mox eiectis illis in-

Romuli leges.

ter cætera incensa omnia & corrupta, multò obrutũ cinere inuentum fuisse, intactum autem ab igne. Leges Romulus nonnullas tulit: ex quibus illa dura est, quæ mulieri à uiro uetat diuertere, at uiro permittit illam, ueneficio sublatis liberis vel subdito partu uel adulterio admisso repudiare. Sin alia de causa domo exegerit eam, partem bonorum uiri attribuit mulieri, partem Cereri consecrauit. Qui repudiasset uxorem, deos manes

Parricidium.

placaret. Singulare est, quod qui pœnam in eos, qui parentes necauerunt, nullam sanxierit, quod uis homicidium, parricidij designauerit nomine: tanquam hoc nefario facinore illo inaudito. Ac multis quidem seculis pòst uisus est, meritò sane, id scelus sensisse non

L. Ostius primus apud Romanos patrem necat.

exstiturum. Nam annis prope totis sexcentis, nemo Romæ se isti facinori obligauit: sed patrem interemisse, L. Ostius à secũdo bello Punico, primus fertur. hactenus de illis satis. Porrò familiares quidam Tatij & propinqui, anno eius regni quinto, Laurentum legatos, in quos proficiscentes Romam inciderant in itinere, spoliare sunt aggressi: quos repugnantes & se defendentes obtruncauerunt. Romulus facinore perpetrato tam atroci, cõfestim supplicio afficiendos censebat authores. Tatius rem reijciebat ac dissimulabat.

Tatij cædes.

Vnde aperta est inter eos dissensio exorta, cùm alioqui summa moderatione & concordia regnum administrarent cõmuniter. Cæsorum necessarij cùm pœnas iure gentiũ, per

Armilustrium.

Tatium non consequerentur, sacrificantem cũ Romulo Lauinij adorti interfecère: Romulum vt virum iustum honorificè sunt cum fauore prosecuti. Ille corpus Tatij magno honore Romam delatum, tumulauit in Auentino ad Armilustrium, cędem tamen planè neglexit persequi. Sunt qui scribant metu perculsos Laurentes Tatij percussores dedidisse, sed Romulum cæde pensatam cædem præfatũ, eos noxa soluisse. Ideo sermonibus iactitatum & habitum, vt à regni socio liberaretur, accidisse id eo non inuito. Verùm nihil hinc tumultus, nihil seditionis ortũ ab Sabinis est: sed partim fauore in illum, partim

Fidenæ à Romulo captæ.

metu potentiæ: alij pro deo eum habentes vno & constanti animo illum coluere. Multę etiã exteræ nationes suspiciebant Romulũ. Prisci Latini missis legatis amicitiã cum eo & societatem iunxere. Fidenas cepit vicinam Romæ vrbem (vt quidam authores sunt) ex impro-

improuiso immisso equitatu: quibus in mandatis dederat, vt cardines excinderent portarum, mox oppressit nec opinantes. Alij tradunt, cum occupassent illi inuadere fines Romanos, populabundiq; agrum & suburbium fœdè vastassent, insidijs Romulum circumuentos plurimos occidisse, atq; vrbe eorum potitum esse. Non excidit eam tamen, neque solo æquauit: sed coloniam Romanam illuc, missis ad eam incolendam duobus millibus quingentis ciuibus, Idib. April. deduxit. Subinde pestilētia ingruit, quæ mortem subitam inferens non trahebat morbum. Vulgabatur & in fruges pecudesq;, inde magna sterilitas orta. Sanguine quoque pluit. vnde præter fatales calamitates incessit animis grauis superstitio. Enimuero vbi eadem Laurentes lues infestauit, tum pro certo habitum, ob necem tam Tatij quàm legatorum, iure nō vindicatam vltionē diuinam, vtramque persequi ciuitatem. Deditis pòst homicidis & supplicio vtrinque affectis, perspicuè malū est mitigatū, lustrauitq; Romulus, vrbesq; expiationibus, quas hodie quoq; tradunt ad portā Ferentinam celebrari. Pestilentia etiamnum grassante Camerij fecerūt in fines Romanos incursionem, quasi peste Romanis ad vim propulsandam impeditis. At Romulus infesto exercitu mouit, ac prælio eos fudit, occidit sex millia, expugnatoq; horum oppido dimidium eius, quod bellum reliquum fecerat, Romam habitatum traduxit, Camerium colonos Romanos bis totidem, quam ibi relicti ex Camerijs fuerant, Cal. Sextil. scripsit. Tantum illi sedecim propè annis à condita vrbe superat ciuium. Inter cæteram prædam ex Camerio æneum attulit currum, atq; eum in templo Vulcani dedicauit, cui imposuit statuā suam à victoria coronatam. Ita conualescente Romana re, imbecilliores accolæ obseruabāt Romanos conīēti securitate. Validiores partim metu partim inuidia non negligendum, sed occurrendū ducebant incremento eorum, Romuluśq; reprimendū. Veientes qui latum agrum & amplam colebant vrbem inter Hetruscos, occupant principes bellum facere Fidenis repetitis, quas asserebant pro suis. Id verò nō modo iniquum, sed erat ridiculum etiam: qui laborantibus & bello pressis auxilium non tulissent, sed opprimi siuissent homines, vt tecta nunc & agrū ab alijs reposcerent dominis. Itaq; à Romulo cum contumelioso responso dimissi bipertito exercitu hinc adorti sunt Fidenatium copias, hinc Romulo occurrerunt. Apud Fidenas victores interemerūt duo millia ciuium Romanorum: à Romulo fusi amplius octo millia desiderauere. Iterum ad Fidenas conflixerunt, vbi victoriam præcipuè virtute partam Romuli fuisse, cuius consilium cum pari audacia eluxit, roburq; & pernicitas plusquam humana, omnes fatentur. Quod autem iactitant nōnulli, sane quàm est fabulosum, atq; adeo à fide abhorrens prorsus, quatuordecim millium cæsorum suamet manu, amplius dimidium interfecisse Romulum. Nam simile commentum iactant de Aristomene Messenij, trecentas eum victimas mactasse, ob totidem cæsos Lacedæmonios. Terga dantes non est Romulus insecutus eos qui superstites erant, sed infestum exercitum vrbi eorum admouit. Illi vbi tanta fracti calamitate fuerunt, ad preces conuersi, fœdus & pacem in centum annos fecere. Mulctati sunt magna agri portione, quod Septimagium, id est septimam portionem vocant, & quæ iuxta fluuium erant salinis. Obsides tradiderunt ex primoribus quinquaginta. Ob hanc quoq; victoriam triumphauit Idib. Octob. duxit in eo cùm alios multos captiuos, tum Veientium ducem iam senem, qui imprudenter visus fuerat, & præter ętatem imperitè Rēp. gessisse. Vnde mansit, cùm ob partā victoriam sacrificant, vt senem per forum ad Capitoliū traducant prætextatum, cui bullā puerilē addunt, & proclamat præco, Sardeis venales. Nam Sardianorū fama est Hetruscos colonos esse: sunt aūt vrbs Veij Hetruriæ. Hoc nouissimū, quod gessit Romulus, bellū fuit. Inde id quod multi, adeoq; præter pauca exempla fecerunt omnes, qui magno & mirabili fortunæ successu ad amplas aspirauerunt opes & fastigium, nec ille declinauit: verùm rebus gestis elatus animoq; insolescens, reliquit comitatē illam popularem, quam odioso cōmutauit dominatu, atq; ex habitu, quo ornauit se, pupugit ciues. siquidem tunica vestiebatur purpurea ac toga pretexta. Responsa dabat ex solio reclini. Stipabat eum perpetuò globus iuuenum, qui à ministerij velocitate dicti Celeres fuere. Præcedebant alij, qui baculis turbam summouebant loris succincti, vt ilicò vincirēt eos, quos ille iuberet. Vnde Lictores dicti: & virgæ, quas gestabāt, Fasces. Potuit fortasse vox lictores, interposita nūc litera c dici, cū olim litores dicerētur: quasi λειτουργοί: id est, ministri publici. λήϊτον vocant etiā hodie Græci populum. & λαὸν plebem. At cū auo Albæ defuncto Numitore, licet regnum ad ipsum pertineret, Rēp. in populi gratiā iussisset liberam esse, ac magistratū supremū Albanis quotannis crearet: docuit eadem opera principes Romanos liberæ & sui iuris oculos adij-

Pestilentia Romæ.
Sanguis pluit.
Camerium à Romulo captum.
Veientes, vbi.
Romuli virtus mira in bello.
Romuli cū Veientibus fœdus.
Septimagium, quid.
Sardeis venales, a Sardibus Lydiæ vrbe.
Romuli fastus.
Celeres Romuli Satellites.
Lictores, vnde.
Fasces.
Romuli moderatio in Albæ regno capescendo.

adijcere Reipub. in qua vicissim imperarent parerentq;. Neque enim adhibebantur ad Rempub. gerendam senatores, sed nomen modo & speciem obtinebat honorificam: ac de more potius, quàm sententiæ dicendæ causa cogebantur in senatum: vbi iubenti auscultabant, neque vlla re alia prælati vulgo, quàm quod priores acta audirent, discedebant. ac cætera quidem minus angebant eos. Cum verò captum de hostibus agrum militibus diuisit solus, Veientibusq; obsides reddidit, patribus non probantibus neque auctoribus: tum profectò insigni contumelia visus est suggillare senatum.

De Romuli exitu, variæ opiniones.

Quamobrem cum non multò post raptus ille ex oculis de improuiso esset, non caruit senatus suspicione & calumnia. Excessit rebus humanis Nonis Iul. vt nunc appellant, tunc Quint. nihil dictu certum & constans de obitu suo præter tempus, vt modò diximus, relinquens. Eo die multa, hac quoque memoria, celebrantur in illius commemorationem casus.

Scip. Africani minoris mors.

Neq; verò hæc miranda incertitudo sit: cùm Scipionis Africani, qui à cœna domi extinctus est ratio mortis, neque certa fuerit neque quæsita, sed quidam cum esset sua sponte valetudinarius, sine vlla externa vi referant eum obisse mortem: alij veneno mortem sibimet ipsum obtulisse; alij irruptione in domum noctu facta inimicos spiritum eius intercludisse. Et quidem Scipionis Africani cadauer oculis fuit omnium expositum, præbuitq; corpus aspicientibus facti suspicionem & sensum. Romuli cum subitò decessisset, vestigium nullum corporis comparuit nec vestium. Vnde suspicio fuit aliquorum, in templo Vulcani senatum illi manus attulisse, dissectoq; interfecti corpore partem quemq; in sinu extulisse. Aliorum opinio est, neque in Vulcani, neque patribus tantum præsentibus fuisse ablatum:

Capræ palus.

sed cum extra vrbem forte Romulus concionem ad Capræ paludem haberet, stupendam subitò coortam & atrocem tempestatem, cælíq; miram conuersionem, solis obscuratam lucem, noctem ingruisse non placidam neque quietam, sed cum vehementibus tonitruis, ventoq; & procella vndique incumbente: Ibi multitudinem effusam fugisse, primores se collegisse in globum. Postquam ex tam turbido die lux rediit, & plebe in concionem reuersa rex requisitus & desideratus est, nō permisisse principes, de eo vt inquirerent curiosius: sed vt omnes colerent Romulum iussisse venerarenturq;, vt ad superos raptum, qui ex bono rege volens propitiusq; ipsos sospitaret vulgus eo audito perfusum gaudio & bona spe, cùm pacem precibus poposcisset, domum se recepisse. Fuisse autem nonnullos, qui factum in disquisitionem vocarēt acerbè & inuidiose, patresq; percellerent & infamia aspergerent, quasi ridicula illi populo persuaderēt, cùm regem ipsi sustulissent. Ibi virum inter Patres nobilissimum & sanctissimum, Romuloq; fidum ac familiarem ex ijs qui ex Alba cum eo commigrauerant Romam, progressum in forum,

Iulius Proculus Romulū à morte vidit.

Iulium Proculum, & tactis sacris in concione iuratum dixisse, Romulum iter facienti sibi augusta specie & humana maiore, armis fulgentibus & coruscantibus ornatum, obuium se dedisse, ad aspectum se eius horrore perfusum dixisse: Quo nostro merito rex qua ve de causa iniustis nos & grauibus calumnijs subiecisti, totamq; ciuitatem in immensō destituisti luctu?

Romuli ad Proculum oraculū.

Respōdisse illum: Dijs visum est Procule, postquam tam diu inter mortales viximus, atque vrbem ad summam spem condidimus imperij & gloriæ, vt inter cœlestes, ex quibus eramus, reciperemur. Vale itaque, & nuncia Romanis vt temperantiam & rem militarem colant, ijs artibus futuram caput orbis Romam. Ego vobis propitius deus adero Quirinus. Hæc nuntianti propter vitæ innocentiam & iusiurandū, fides fuit. At enim simul diuinum quendam quasi furorem animos vulgi ferūt corripuisse, neminem negasse, sed suspicione deposita omni & calumnijs, pacē Quirini precibus exposcisse, deumq; eum consalutauisse. Germana hæc profectò cum fabulis videntur apud Græcos de Aristea Proconnesio, & Cleomede Astypalensi nobilitatis.

Aristeas Proconnesio ex conspectu hominū raptus.

Aristeam in fullonis taberna vitam perhibent finisse, corpusq; eius, cum necessarij adessent ad id auferendum, ex conspectu raptum: ac quosdam, qui modo peregrè veniebat, affirmasse Aristeæ se occurrisse Crotonem tendenti.

Cleomedes Astypalensis ex conspectu hominum ablatus.

Cleomedem, cū robore & proceritate corporis plusquam immensa esset, sed stolidus & insanus, multa vi perpetrasse: postremò in ludo literario sustinentem culmen ædium, columnam manu percussisse & mediam fregisse, itaque tectum proruisse. Obtritis pueris cum ciues hominem insectarentur, in arcam se magnam coniecisse, atque operculum conclusum intus ita retinuisse, vt reuellere multi, cùm summa vi conniterentur, non valerent. Pòst vbi arcam diffecuerunt, neque viuum inuenisse neque mortuum. Attonitos ad consulendum Apollinem Delphos misisse, quibus respondisse vatem:

Vltimus Heroum Cleomedes Astypalensis.

Fama est Alcmenæ quoque corpus, cum efferretur, ex oculis subductum, & lapidem in lecto fuisse inuentum. Huiuscemodi multa fabulantur commentitia, ea quæ natura mortalia sunt inter cælestia referentes. Atqui adimere semel virtuti diuinitatem nefas & illiberale, rursus in cœlo locare terram stultum sit. Relinquendæ igitur fabulæ, cum rem ipsam teneamus, vt ait Pindarus:

Alcmenæ corpus euanuit.

Virtutis diuinitas.

Omnium corpus tenetur morte pallida,
Mens restans, æternitatis effigiem tenet.

Ea enim ex diis est sola, inde eius ortus, eodem est & reditus, non quidem comitante corpore: verùm vbi planè à corpore explicata sit & seiuncta, euaseritq; iam vndequaq; pura, carne exuta & munda. Aridus enim hic animus est, vt vult Heraclitus, præstantissimus, qui ex corpore vt è nube fulgur exilit. Commistus verò corpori & implicitus, velut vapor grauis, nebulosusq; ægrè accenditur & supera petit. Non sunt ergo bonorũ corpora contra legem naturæ vnà cũ animo in cœlo collocãda: sed virtutes atq; animi, natura & iudicio diuino ex hominibus inter heroas, ex heroibus inter lares, ex laribus si semel sicut in initiationibus lustrati sint & purgati, omni deposita conditione mortali & dolore, non publica lege, sed reipsa & consentanea ratione in numerum referendi sunt deorum, optimum & beatissimum finem adepti. At Quirinum dictum Romulum quidam quasi Martem putant, alij quod ciues Romani etiam Quirites dicerentur: alij à quiri, ita spiculum vel hastam veteres vocasse, & Quiritidis Iunonis signum spiculo impositum, atque in regia collocatam hastam, Martem appellasse, eosq; qui bello strenuam operam nauassent, donari solitos hasta. Ergo quasi Martialem Romulum, aut hastatum deum nomen inuenisse Quirini. Aedes ei in colle consecrata, quem ab illo nominant Quirinalem. Dies, quo vita excessit, Plebis fuga vocatur, & Nonæ Capratinæ: quod sacra extra vrbem ad Capræ paludem faciant. Cum ad sacrificium pergunt, nomina multa patria proclamant, vt Marcum, Cneum, Caium: referentes quemadmodum fugerent, & se mutuò appellarent in metu illo & tumultu. Hoc simulachrum, alia fama est, non metus, sed festinationis esse & properantiæ, atq; hinc originem deducunt. Cùm vrbe capta eiecti Galli à Camillo essent, neq; se facilè ciuitas ita accisis viribus colligeret, multi nominis Latini duce Liuio Posthumio vrbem infesti bello petiere. Hic castra in conspectu vrbis metatus, per caduceatorem significauit Latinos in animo habere exolescẽtem iam veterem necessitudinem & propinquitatem instaurare, vtraq; gente nouis denuò conglutinata nuptijs. Si igitur bonum numerum mitterent virginum viduarumq;, pacem & amicitiam habituros, vti simili ex causa habuissent cum Sabinis. His auditis Romani, etsi à bello abhorrerẽt, fœminarum deditionem tamen nihilo ducebãt captiuitate potiorem. Hæsitantibus ancilla Philotis, vel vt alij volunt Tutola nomine vtrumque dissuasit. Suggessit autem dolum vt simul & bellum declinarent, nec darent obsides. Eius hoc fuit commentum, vt ipsam vnaq; præstantes forma ancillas ad hostes bene cultas mitterent pro ingenuis. Inde si signum ipsa face daret, Romani adorirentur armati sopitos, trucidarentq;. ita actum est deceptis Latinis. Facem Philotis extulit ex caprifico, stragulis & tapetibus à tergo, vt falleret lumen hostem, & Romanis conspicuũ esset, obiectis. Vt signũ conspexerunt, citato gradu confestim extulerunt se maturãdi causa ad portas, se mutuò cohortantes subinde. Ita hostes adorti nec opinantes fuderũt eos. In cuius victoriæ memoriam, festum celebrant, ac Capratinæ vocantur Nonæ, à caprifico. Inuitant fœminas extra vrbem fici ramis inumbratas. Coactæ ancillæ circumcurrunt luduntq;, mox verberibus & lapidibus inter se præliantur: vt quæ in certamine etiã præstò pugnantibus Romanis & auxilio fuerint. hæc à paucis authoribus recipiuntur. At quod interdiu ita nominibus se mutuò appellent, & ad Capræ paludem * tanquam ad mare pergant, conuenire magis ei, quod suprà memoratum est, videtur: nisi sanè diuersis tempestatibus gestum vtrumque in eundem incidit diem. Romulum fama est quatuor & quinquaginta annos natũ, regni illius trigesimo octauo, inter homines non vltra visum.

Animi æternitas, & origo.

Heracliti de Animo sententia.

Quirinus cur Romulus dictus.

Quirinalis, collis.

Nonæ Capratinæ.

Latinum bellũ.

Philotis seruæ commentum.

*Legendũ planè cẽseo, vt ad sacrificiũ, quod priori narrationi est cõgruẽs.

Romuli ætas, & anni.

THESEI CVM ROMVLO COMPARATIO.

Quibus homines ad res magnas impellantur.
Plato in Phedone.



ABES, quæ de Romulo & Theseo nobis ad memoriam, insignia oblata sunt. Primùm apparet consulto, hunc non coactum, cum regnare in ocio ei Trœzene liceret, regno accepto non obscuro, res magnas vltrò affectasse: illum, quo præsentem seruitutem & impendentem ceruicibus declinaret pœnam, illud Platonis profectò, fortem per metum euasisse, formidineq́; extremi supplicij vi necessitatis accessisse ad res perpetrandas arduas. Deinde factum huius est summum, vnum quod sustulerit Albanum tyrannum: illius accessoria fuerunt & præludia Sciron, Sinis, Procrustes, Corynetes: quos interimens & coercens, Græciam ante à violentis eripuit tyrannis, quàm ij, quos seruabat, qui esset, cognoscerent. Iam Theseo integrum erat securè mari vehi, iniurias vitanti latronum: Romulo non erat solutum negocijs viuo Amulio vacare. Id hinc liquet, quod Theseus nihil læsus priuatim, pro alijs bellum indixit improbis: Illi, quoad illæsi ipsi à tyranno fuerunt, iniurias aliorum tulerunt leniter. Iam si magnificum est vulnus in prælio contra Sabinos accepisse, & obtruncasse Acronem, multosq́; deuicisse hostes: cum his factis pugnam cum Centauris & Amazonibus commissam compares. Quod verò ausus Theseus de stipendio fuit Cretico, siue ad feræ alicuius escam, siue ad parentationem, apud Androgei tumulum: siue quod leuissimum iactatur, ad seruiendum apud improbos & infestos deformiter & fœdè, seipse vltrò obtulit, vt nauigaret cum virginibus & pueris: quis cosequatur dicendo, quantæ sit audaciæ, vel magnanimitatis, vel iustitiæ in Remp. vel cupiditatis gloriæ & virtutis? Vnde mihi quidem haud perperam videntur philosophi amorem definire deorum ministerium ad curam & salutem iuuentutis. Quippe Ariadnæ amor meo iudicio prorsus diuinum opus & machinamentum ad hunc fuit conseruandum. neque reprehendenda illa sit, quod amauerit eum, sed mirandum non omneis eodem fuisse animo iuuenes & puellas. Si verò vna illa ita permota fuit, equidem meritò dignam dicam, cui is honesti & recti optimorumq́; virorum inerat amor, quæ à deo amaretur. Porrò cùm politici ambo essent, tenorem regium conseruauit neuter: sed mutauit & variauit se, alter in popularem, alter in tyrannum. Ita eundem in scopulum diuersis ex animi motibus impegere. Debet enim princeps ipsum primum conseruare imperium: quod conseruatur non secus, si abstineat ab indecoro, quàm si decorum tueatur. Id qui remittit vel intendit, non iam rex est neque princeps, sed aut multitudinis adulator aut dominus euadit: atque sic aut in odium sui populares adducit, aut in contemptum. Atqui lenitatis hoc & humanitatis, illud insolentiæ esse & sæuitiæ peccatum videtur. Quod si infortunia quoque non vndequaque sunt sorti attribuenda, sed discrimina in his morum & affectuum eorum statuenda: præferuida bile & ira cum inconsulto coniuncta impetu, neque illum aduersus fratrem, neque aduersus filium hunc liberes. At principium vnde mota bilis fuit, citius excuset illum, qui maiore ex causa tanquam à grauiore prostratus ictu fuit. Romulo enim, cum esset dissensio ex consilio & deliberatione de bono publico exorta, nemo ignoscat mentem ei subitò tantopere fuisse commotam. Thesea verò in filium, quæ pauci mortalium deuitarunt, amor, obtrectatio, & querelæ impulerunt vxoris. Quod verò grauius est, Romuli euasit in factum flamma & in rem non lætum sortitam exitum. Thesei indignatio ad verba vsque, conuiria, & deuotiones seniles est progressa. De cætero calamitates videntur iuuenis fortunæ ferendæ acceptæ. Itaque tulerit in his Theseus suffragia. At illi hoc primum suppeditat magnificum, quod tenuissima ad res gerendas fundamenta habuerit: siquidem qui serui, & subulcorum dicebantur filij, prius quam liberi ipsi forent, omnes propè liberos effecerunt Latinos, atque vno tempore præstantissima nomina simul sunt adepti, extinctores hostium, necessariorum conseruatores, reges gentium & conditores vrbium, non translatores dicti: vt Theseus, ex multis qui vnum conflauit & frequentauit domicilium, sustulitq́; multa oppida, quæ nomina gerebant veterum regum & heroum. Romulus quidem egit pòst idem, cum hostes compelleret sua diruere deleréq́;, ac victoribus se contribuere. Initio tamen nõ transtulit, neque amplificauit iam extantem, verùm condidit nullo subsidio, comparans sibi pariter agrum, patriam, regnum, sobolem, connubia, necessitudines. Neminem peremit vel perdidit: sed benemeritus est de illis, qui sedium & penatium expertes, populus esse

Amor minister Deorum.
Plato in Sympos.

Principis officium.

Romuli & Thesei peccata, excusantur.

Romulus qua in re Theseo anteferendus.

esse & ciues volebant. Latrones & maleficos non confecit, sed gentes bello subegit, vrbes excidit, reges ducesq; in triumphum duxit. Iam Remi cædes controuersum habet percussorem, ac causas ferè ad alios auertunt. Matrem certè ab exitio conseruauit hauddubiè, auumq; turpiter & fœdè seruientem, in Aeneæ collocauit solio, ac multa in eum de industria beneficia contulit, nec læsit, ne imprudens quidem. Thesei obliuio & incuria præcepti de velo, vix meo iudicio quamuis longa excusatione atque apud socordes iudices, parricidij crimine eximatur. Quod sanè aduertens Atticus quispiam planè difficilem esse defensionem, Aegea fingit appellēte naue cum properè curreret in arcem, speculandi causa, & offendisset, præcipitem fuisse delatum, quasi comitibus caruisset, aut properantem ad mare esset nemo secutus. Adhæc quod in raptu mulierum admissum est, honesto caret in Theseo velamento. primum quia sæpius: rapuit enim Ariadnam, Antiopam, Anaxo Trœzeniam, denique Helenam grandæuus nondum nubilem, sed paruulam atque immaturam, ea ipse ætate vt temperandum ei à nuptijs fuerit vel iustis. Deinde propter causam: neque enim Trœzeniorum, Laconum, Amazonum filiæ, præterquam quod pactæ ei non essent, digniores ad sobolem suscipiendam Atheniensibus puellis Erechtheo & Cecrope prognatis erant: cæterùm non carent hęc, quin lasciuiæ & libidinis causa fuerint perpetrata, suspicione. Romulus principiò raptis paulo minus octingentis, non omnes sed vnam, vt fama est, sumpsit sibi Hersiliam, cæteras inter egregios ciues est partitus. Iam consequenti honore, charitate, æquitate in fœminas, vim illam & iniuriam, eximium factum ostendit & prudentissimum, adiungendam fuisse societatem. adeo confudit mutuò & conglutinauit eas gentes: fontemq; in posterum rebus aperuit beneuolentiæ & potentiæ. Reuerentiæ verò & amoris & constantiæ, quibus deuinxit connubia, perhibet temporis diuturnitas testimonium. Quippe annis *triginta & ducentis, neque vir vxoris, neque viri consortium deserere vxor sustinuit. Verum vt apud Græcos valde curiosi, primum nuncupare possunt parricidam, ita cuncti norunt Romani Sp. *Caruilium vxori nuntium primum remisisse, sterilem causatum. Tanto temporis spacio subscribunt ea quoque, quæ consecuta sunt. Etenim ob necessitudinem illam participauerunt reges inter se regnum, & Remp. gentes illæ. Ex Thesei nuptijs nihil euenit populo Atheniensi ad vllum commercium, amicitię vel cōmunicationis: sed offensiones, sed bella, sed cędes ciuiū, Aphidnarū postremò amissio: atque ægrè deuitauerunt ex misericordia hostium, quos supplices vt deos cierunt, quin in eandem inciderent, in quam Paridis causa Troiani calamitatem. Mater certè Thesei, non venit in discrimen tantum, sed Hecubæ experta est fortunam, deserta à filio atque destituta: nisi illud de captiuitate commentum est, quod vtinam sit cum plerisque alijs mendacium. Nam de diuinitate quæ fabulantur, ea magnum habent discrimen. Romulus enim incolumitatem, dijs admodum propitijs, consecutus est. At editum Aegeo oraculum, vt fœminis abstineret peregrè, non fuisse dijs cordi, natales Thesei ostendere videntur.

Romuli in suos charitas.

Thesei obliuio taxatur.

Thesei raptus mulierum taxatur.

Romuli raptus excusatur.

Primum Romæ vxoris repudium.

* Val. Max. habet viginti & quingentis.

* Val. Max. li. 2. cap. 1. habet Caruilium.

Thesei nuptiæ malorū caussæ.

Romulus Theseo dijs charior.

REVERENDISSIMO PRAESVLI, HVMANISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, D. VVILHELMO, Episcopo Monasteriensi designato, Hermannus Cruserius S. P. D.



CVM ad eum modum optimus vniuersitatis cōditor, hominem finxerit eaq; imbuerit natura vt sine societate non modo iucundè, sed ne commodè quidē viuere queat: præclarè de genere humano, Reuerendissime Præsul, meriti illi sunt, qui homines dissipatos & incertis vagantes sedibus, in vnum conduxerunt: quod facere profectò sine magna prudētia non potuere. Sed tamē longè est illorū anteferenda sapientia & industria, qui inconditas ciuitates atq; cōfusas, æqualibus salubribusq; tēperauerunt legibus. Parui sunt enim domi opes & arma foris, nisi frenū his moderatio disciplinæ plublicæ iniciat: nec verò fuit ciuitas vel regnū tam firmum vllū, nisi bonis concinnatū legibus, quod fuerit diuturnū. Neq; necesse est, omneis vt ciuitates & regna percurrā. Alexandri, cui res bello gestæ Magni cognomen tribuerunt, potentia tanta fuit, adeò vis vehemēs, nihil ei vt obstiterit: qui paruis copiis totū Orientem breuissimo subegit spacio. Huius tamen tantum regnum simul cum ipsius vita expirauit, in multasq; distractum est partes. Quippe vinculo illo deficiebatur Legū & institutorum. Quare prudenter Augustus Cæsar, cum historia recitata ei esset Alexandri, tandem: Miror, inquit, illum iuuenem, cui nunquā in mentem venit considerare, quemadmodum parta constitueret & conseruaret. Et nimirum ille quo plura subegerat, eò inhiabat pluribus. At longè aliam viā ipse est Augustus ingressus, qui simul atque arma ciuilia summouit, ilicò adiecit animū ad Remp. formandam: duxitq; longè prius, exornare ea quæ obtinebat, quàm alias adiicere prouincias. Hac legum ferendarum & rerumpub. componendarum laude, præcipuè enituêre Lycurgus apud Lacedæmonios, & Romæ rex Numa Pompilius: in quibus elaboranti mihi Latinè reddēdis quorum Plutarchus eximias virtutes, præstantissima consilia, & labores in constituendis Rebuspub. suis exudatos, magno præconio atq; elogio prosecutus est, tui Reuerendissime Præsul memoria sæpius occurrit. Atq; vt præteream plurima, quæ expendere & conferre tecum alios, quam ipse commemorare malo, hoc certè non possum omittere, vt illi affectas & male institutas Respub. susceperunt gerendas, ita tuam tibi tui ordines conquassatam & conuulsam capessendam imposuere. Multùm etiam in hac cōmentatione de epistola cogitaui tua: qua, cum aliis vel me maioribus scribarum, mihi respondere tua manu voluisti. quod ego pristinæ consuetudinis, quæ mihi intercessit tecum, à summa ista humanitate tua & comitate, tributū arbitratus sum. Cum enim literis meis pro meo officio tibi fuissem de isto adepto fastigio gratulatus, rescripsisti mihi, quod peritia sacrarū literarum, quæ imprimis requirenda in Episcopo sit, te scirem (ita enim dicere tibi placuit) destitutum, cōditionem tuam citius apud amicum esse cōmiseratione quàm gratulatione dignam. Quo accepto responso, quanquam mirificè moderationē animi tui nihil elatè de se sentientis, exosculatus atque veneratus sum: tantum abfuit tamen, vt illius me pœniteret gratulationis, vt tum demum magis ac magis tibi, neq; vni tibi, sed toti prouinciæ tuæ, sed omnibus etiam nobis, qui præclarè tibi cupimus, tuiq; sumus obseruantissimi, duxerim gratulandum. Nam vt fateor, si gustum sacræ Philosophiæ, nullum cepisses, si disciplinæ Ecclesiasticæ esses omnis rudis, atq; in Rep. planè hospes tractanda, præterea non ductum publica ratione, sed sectantem priuatam ambitionem, voluptatibusq; ac diuitiis inhiantem, omnes viderem te prensare, omnia moliri, vt dominus Ecclesiæ imponereris, multis te modis fore miserabilem: ita cùm institutionibus scirem imbutum optimis fuisse, & sicut non fortassis intricatissimum theologum, qui omnem in spinosis & contortis disputationibus ætatem triuerit, neq; vsquam in arenam descenderit officiorum: ita certè nequaquam peregrinū iis in præceptis, quæ potissimū ad pietatem faciunt, cui fundamento facilè splendidum ædificium inædificare posses: tenerem insuper non temerè præpositum electum te Ecclesiæ Monasteriensis fuisse, qui magnus est ad apicem Pontificalem gradus: adhæc diu te multumq; in negociis publicis iactatum & versatum, magnoq; vsu rerum politum atque instructum: Postremò quia nullo fuco, nullis malis artibus istum locum ambiuisses, sed fugisses etiam atque delatum recusauisses, nec nisi multis precibus exoratus, & quasi machinis amicorum admonitionibus expugnatus suscepisses id, quod magnis studiis plerique, molitionibusq; atque largitionibus, per fas per nefas, per arma quoque persequuntur. Hæc, inquam, cum cognoscerem, & cum priscorum vestigiis te episcoporū, qui non per lenocinia obrepebant, nec cōnixi ipsi se offerebant, sed rapiebantur ad Præsulis munus inuiti, ad istam dignitatem perspicerem aspirasse, quid ego, an non debui exultare? Nam quod ad cognitionem attinet sacrarum literarum, ego sic arbitror, quos Deus ad præfecturam Ecclesiæ designauerit atq; asciuerit, quiq; non per insidias eam occupauerint, sed regia via vocati atq; ingressi sint, eos à fonte omnis eruditionis non modò non destitui, verùm ex coli etiam instruiq;

instruiq;:cuius rei proferre multa argumenta,& citare multos possem assiduos testes. Sed non longè abieris. Tuus ille Paulus,tuæ inquam patronus & præses Ecclesiæ, cum nihil minus quàm Christum vel eius scholam cognosceret,imò persequeretur,simul vt fuit à Christo vocatus,etiam omni pia fuit & cælesti doctrina tinctus diuinitùs. At hunc dices sua ipse voce vocauit Christus. Diuus Ambrosius catechumenus adhuc, qui necdũ vlli ordini dederat ecclesiastico nomen,sed occupationibus esset prouincialibus demersus,omniũ suffragijs ad suscipiendum antistitu prouinciam compulsus fuit:neq; illius designati adeò sacrorum imperiti pœnituit ecclesiã tamen. Tu verò ne ipse quidem dicas tyronem præfectum isti prouinciæ te fuisse. Quia autem iam diu tinctus & isti ordini mancipatus atq; authoratus fuisti,eo certè præstitisti Ambrosio. Cui te militiæ cùm vltrò dederis,eamq; in nauem cõscenderis,nunquam arbitrabor te nisi certo iudicio,omnibus expensis certaminibus & periculis,prouisis etiam ventis & fluctibus,quæ trahit secum illa expeditio, & mare illud voluit,id fecisse. Cùm ergo & institutionem & mores,& etiam summam optimis in rebus voluntatem nossem, quid erat quod sortem lamentandam putarem tuam? Celsiorem profectò animum tuum semper habui,quam vt te cum isto ingenio,exercitatione,mente,in gregẽ aggregandum censerem Epicureorũ, qui omnia sui causa faciunt:modo citra dolorem & molestias genio indulgeant & cutem curent, agi secum putant præclarè,de amicis,de patria,de rep. de æternitate securi. Quando autem nostris moribus atq; institutis, Episcopi officium duo complectitur munera, Ecclesiæ procurationẽ,& principis partes:illic se hactenus præstiterit,ut probos,instructos & vigilantes ministros gregi Christi præficiat,hic popularibus salubri imperio moderetur:ne ego hunc laudatũ & insignem episcopũ ducam,ad quod præstandũ & facultates tibi suppeditare,neq; egregiam voluntatem,neq; vigilantiam deesse,habeo exploratum. Equidem etiam tum, cum vnà euolueremus in Gallia Xenophontis Cyropædiam,aliquod putaui esse omen amplissimi gradus tibi aliquando deferendi. Quod ergo ad eum modũ,ut dictũ ante est,mihi rescripsisti,tuæ fuit modestiæ. Quod tibi fui gratulatus,cùm merito feci & certo iudicio,tum beneuolo animo candidoq;. Qui quanquam, quod maiores labores tibi solicitudinesq; imminêre aduerterem,reprimi ab eo gratulandi officio potuissem:tamẽ cum dignitatem amplificatam tuam, recta ratione ac via conspexissem, amplumq; suppeditatum tibi stadium, in quo excurrere virtutes tuæ,& theatrum instructum, vbi possint elucere:ego, qui te multos ante annos mei omniumq; bonorum studiosum cognouissem,haud immeritò fuisse me gaudio puto elatũ. Neq; est enim felicitatis vulgaris,eo esse positum loco, vbi explicare dotes tuas,& eas queas illustrare. siquidem inclytus ille Atheniensium dux Themistocles,cum Seriphius quidam exprobraret ei,quod non per se, sed propter vrbem Atheniensem,cuius erat ciuis,euasisset tam clarus: Recte ais,inquit. Sed neq; ego,si Seriphius sim , illustris essem:neq; tu,si Atheniensis. Tanti ille virtutem æstimauit in sole positam esse,cuius luminibus obscuritas loci obstrueret plurimum. Ego verò etiam magni pendo,quod eo nunc loco sis, vbi de multis tum publicè tum priuatim bene valeas mereri. Ac nõ vereor,ne assentatiuncula quadam aucupari tuam , quam iam diu habui,gratiam uidear:cum non indignum exoptatum te,atq; designatum dixi. Neq; enim tu is es , qui, qui sis nescias:& qui non eos magis,qui te non admirentur, inuidos, quàm eos qui laudent,assentatores arbitrere. Neq; etiam summi doctissimiq; viri M. Cicero,cum C. Cæsaris clementiam præsentis,& Plinius secundus,cum Imperatoris Traiani laudes à carcere ad metam vsq; assidentis magno præconio extulerunt, propterea notam sibi metuendam adulationis putauerunt. Verum vt, vnde digressus sum,reuertar:cum per rerum scriptores tantis laudibus feratur Lycurgus,qui patriæ inuitis ciuibus quidem & reluctantibus consuluit tamen,armisq; eos ad salutares leges suas recipiendas adegerit:quanto est perhibendus magis Numa,qui non reclamantibus,sed expetentibus & ad suscipiendum regnum orantibus abhorrentem Romanis remp. constituit,legibusq; & institutis composuit? qui hac potissimum ratione ad capessendum regnum inductus ab amicis est, vt diuinum munus arbitraretur regni delationem & administrationem, in qua artes præclaras suas ex vmbra in lucem & puluerẽ educere posset atq; exercere. Quia verò vterq; tam Lycurgus quàm Numa ciuitates suas fœdissimis moribus acceperunt deformatas atq; maculatas,quas ornatissimas atq; nitidissimas reliquerunt: volui lucubrationes meas,quas in eorum vitas ex Plutarcho de Græco sermone in Latinum traducendas posui,tibi,qui nõ optimè comparatam remp. suscepisti,consimilemq; atq; illi viam prospiciendæ tuæ prouinciæ pleno gradu affectasti,dicare. In quorum historia præter eam, de qua egi,cõuenientiam,nõ pauca te vel contemnenda uirtutis & ciuilium artium inuenturum monumenta, quæ delectabũt te,confido. Quicquid hic laboris & vigiliarum impendi, id virtuti tuæ atq; humanitati totum sacraui aliquod meæ de te nunquam ambiguæ,nunc vero etiam confirmatæ opinionis monumentum. Quod meum officium , ne tibi sit ingratum, maiorem in modum te rogo. Vale reuerendissime Præsul.

Lycurgus.



Lycurgi ætas, de qua Clemens Alexãd. Strõm. lib. 1.

E Lycurgo legislatore, nihil omnino quod careat cõtrouersia, habeo cõmemorare. Nã & origo & peregrinatio & obitus, & supra omnia eius circa leges cõmentatio & circa Rẽp. constituendam variè proditur ab authoribus. Præcipua est, qua ętate vixerit, contentio. Quidam enim Ephiti æqualem & socium in digerẽdis festis Olympiacis fuisse perhibent, ex quibus Aristoteles est philosophus, argumẽto vsus disci Olympiaci, qui nominis Lycurgi pręfert inscriptionem. Alij supputãtes tempora ex successione eorum, qui Lacedæmone regnauerunt, vt Eratosthenes & Apollodorus nõ paucis annis eum affirmant primam Olympiadẽ antecessisse. Timęus, cum duo Spartæ Lycurgi diuersis temporibus fuissent, in alterum ob eius claritatem, res gestas collatas vtriusque, suspicatur fuisse, ac maiorem certe non longe fuisse infra Homeri ætatem: nonnulli congressum etiam cum eo.

Xenophõ in li. de Lacedæmon. Rep.

De Heraclidis, Pausanias, Diodorus, & Clem. Strom. li. 1.

Præterea tribuit ei Xenophõ vetustatis opinionem, quãdo eum æqualem Heraclidarum memorat fuisse. nempe fuerunt gẽte Heraclidæ etiam nouissimi Lacedæmoniorum reges. Sed videtur primos illos & suppates Herculi velle Heraclidas appellare. At quanquã adeo dissona historia est: ea tamẽ secuti, quæ quam minimas ambiguitates & locupletissimos habent testes, quæ de eo memoriæ prodita sunt, exequemur. Nam & poeta Simonides nõ Eunomum, sed Prytamidem Lycurgo patrem tribuit.

Lycurgi genus.

Iam plerique omnes Lycurgi & Eunomi non ita deducũt originem, sed ex Patrocle tradũt Aristodemi filio genitum Soum, ex quo Eurytionem, huius filium Prytanim fuisse, ex hoc ortum Eunomum. Eunomũ ex priore vxore tulisse Polydectem, Lycurgum minorem ex Dianassa: vt verò author Eutychidas est, sextum à Patrocle, & ab Hercule vndecimum. Inter maiores eius clarissimus Sous fuit, sub quo Ilotas Lacedæmonij in seruitutem redegerunt, latum'que agrum summotis Arcadibus adiecerũt finibus suis.

Pactum fraudulentum.

Fama est Soum, cùm in loco aspero & arido circunsideretur à Clitorijs, pactum fuisse, si ipse totusq; exercitus suus ex propinquo fonte bibissent, agrũ se, quẽ ijs ademerat bello redditurum ipsis. Cum esset id fœdus iureiurando sancitum, concione aduocata suorum pronunciasse regnum se ei, qui non bibisset, dare. Vbi nemo se temperare potuit, sed biberunt omnes, ipsum descendisse omnium postremum atq; cùm conspersisset aqua se, hostibus adhuc præsentibus discessisse: itaque agrum, quod nõ potassent omnes, retinuisse. Quem etsi ea de re magno in honore haberent, non ab eo tamẽ familiam, verùm à filio eius Eurytionidas appellauere, quod nimium dominatum regni princeps Eurytion, ambitione & populari aura ductus, relaxasset.

Eurytionidæ, hos Pausanias Eurypontidas uocat, in Lacon. lib. 3.

Patris Lycurgi cædes.

Ex ea remissione cum ferociret populus, & insequẽtes reges partim violentius agendo cum offenderẽt, partim per gratiam aut fractas iam opes ius atque authoritatem minimè retinerent, leges conculcatæ & permixta Spartæ omnia perdiu fuere. ex qua cõfusione pater Luculli rex occubuit. Cũ enim manũ conserentes dirimeret, cultro coquinario ictus obijt. Regnũ maiori filio reliquit Polydectę, quo non diu superstite, regnũ redibat, vt erat omniũ opinio, ad Lycurgum: ac regnauit prius quàm vxorem fratris constaret esse prægnantem. Simul atque id fuit perspicuum, declarauit regnum ad infantem, si filius esset, spectare: interim regnum tutorio nomine administrauit.

Prodici, Regum tutores.

Regum pupillorũ tutores vocant Lacedęmonij, Prodicos. At mulier summisit ad Lycurgũ, offerẽs se partum abacturam, si obtinens ille Spartæ regnum, ipsam vellet sibi adiungere matrimonio. Ille enimuero improbitatem mulieris execratus est, postulationẽ non reiecit tamen: sed probantis & conditionẽ accipientis specie negauit faciendum ei esse, vt elidendo medicamentis partu corpus suum læderet, & perniciem sibi accerseret: vbi editus esset, sibi curæ fore, vt confestim tolleretur è medio. Ita ad partum vsque lactauit mulierem. Vt instare sensit puerperium, arbitros enitenti & custodes adhibuit, cum mandatis, si puellam edidisset, vt traderent eam fœminis: sin stirpem virilem, ad se, quicquid ageret, vt eam deferrent.

Charilaus rex Lacedæmoniorum.

Herod. li. 1. Dionys. Halic. li. 2

Forte cœnante eo cum magistratibus, genitus est filius. Illo loco illum adierunt, & obtulerunt ei puerum ministri. Quo accepto dixisse fertur ad præsentes: Rex nobis Lacedæmonij est natus. Mox puerum in solio regio reposuit. Nomen dedit Charilao, quod omnes ingenti gaudio perfusi essent, magnitudinem animi eius & iustitiam collaudantes. Regnauit octo duntaxat menses. Fuit autem de cætero quoque venerandus ciuibus, ac plures virtutis causa erant ei dicto audientes, sedulo'que imperata facere in animum inducebant,

ducebant, quàm qui tanquam regis tutori & vim habenti regiam parērent. Non deerat tamen inuidia: erantq; qui eius incrementis adolescentioris molirentur obsistere, præ cæteris propinqui & necessarij matris regis, quæ ludibrio habita videbatur: cuius frater Leonidas procacius aliquando incessens Lycurgum conuitio, certum se prædixit esse eum regnaturum: suspicione Lycurgum aspergens & calumnia occupans, quasi insidiis eius perēpto rege, siquid ei humanitus accidisset. Similem rumorē illa mulier quoq; seminabat. Quibus permotus, & veritus incerta casus, statuit suspicionē declinare peregrinatione, & dū fratris filius adoleuisset, regniq; genuisset successorē, vagari. Ita profectus & delatus primum est in Cretam. Cretensium institutis cognitis, cum vsus cōsuetudine esset præstātiorum dignitate, leges quasdam eorum approbauit, & accepit domū eas ad vtendū deportaturus, quasdam etiam respuit. Vnum, qui illic inter sapientes & artiū ciuilium peritos numerabatur, comitate & gratia inductū, Spartam misit Thaletem. Habebatur hic poeta Lyricus, atque huius speciei artis vtebatur, reuerà præstantissimorū legislatorum implebat munus. Carmina eius orationes erant, quæ ad parendum & consentiendum incitarent pariter modis & numeris: in quibus multa inerat grauitas & delinimentum, quibus auditores reddebantur sensim placidiores, coalescebantq; inter se ex amore honesti concordia, exuentes, quæ tum illic grassabatur, intestinam simultatem. ita ille viam quodammodo Lycurgo ad eos instituendos muniuit. Ex Creta transmisit Lycurgus in Asiam, ea mente, vt fertur, quo cum Cretica vita tenui & austera, luxum & delicias componeret Ionicas: sicut medicus marcida & ægra corpora cum salubribus, discrimenque dispiceret morum atq; institutorum publicorum. Ibi cum legisset primum vt arbitror versus Homeri, qui apud Cleophyli posteros asseruabantur: vbi animaduertit dispersam in ijs non minorem oblectamento illecebrarum & crapulæ quàm ciuilem prudentiam eruditionemq;, descripsit consarcinauitq; eos ad deferendum domum studiosè. iam enim obscurum quoddam apud Græcos, illius poematis erat nomen, & rari fragmenta habebant, quæ sparsim & inconditè circumferebantur: primus autem omnium vulgauit ea Lycurgus. Aegyptij item apud se arbitrantur Lycurgum fuisse, bellatoresq; à reliquis corporibus diremptos imprimis probasse, ac traduxisse eum morem Lacedæmonem, segregatisq; illiberalibus & sordidioribus operarijs planè elegantem & nitidam remp. instituisse. In hisce astipulantur nonnulli Græci & scriptores Aegyptijs. nam quod lustrauerit Africam & Hispaniam, Indiamq; emensus sit, atque vsus ei fuerit ibi cum Gymnosophistis, neminem tradere, extra Aristocratem Lacedæmonium Hipparchi filium, memini. At Lacedæmonij absentem desiderauerunt Lycurgū, ac crebrò eum accersiuerūt: quòd reges putarent nullo insigni, nisi nomine & honore, excellere vulgo: in illo indolem suspicerent ad imperandū natā, & hominum alliciendorum facultatem. Nec verò reges reditum eius grauabātur, quòd sperarent eius præsentia impotētiam plebis repressum iri. Ergo regressus ad ira animatos, aggressus est ilico res nouas moliri, & mutare rēp. quasi leges singulares nullum essent operæprecium facturæ, nisi sicut corporis affecti & diuersis infecti morbis præsentem resoluisset, versassetq; medicamēnis & purgationibus intemperiem, aliam inde nouam inchoasset viuendi legem. Cum hæc haberet deliberata, primùm Delphos est profectus, consultoq; deo & sacris peractis, regressus domum est cum celebrato illo oraculo quo dijs charū eum & Deum potius quā hominē vates apellauit: rectam reip. institutionem petenti, concedere & annuere respōdit deum, eam quæ longè omnium esset rerump. futura excellentissima. His erectus cōciliauit sibi principes ciuitatis, eosq; ad vnà capessendam remp. excitauit. Primum rem cum amicis occultè communicauit, inde paulatim solicitatos plures ad suum consilium consociauit. Vbi res matura fuit, imperat triginta primoribus, vt prima luce cum armis forum occupent ad præstringendos trepidatione, & terrendos aduersarios, quorum spectatissimos recenset Hermippus viginti. Omnium consiliorum socium & adiutorem in legibus condendis nomināt præ cæteris Arithmiadan. Initio tumultus, ne ista in se pararentur, rex veritus Charilaus cōfugit ad Chalciœcon. inde fide sibi iureiurādo data, excitatus est & adiūxit se illis, nam leni fuit ingenio, quòd ferunt eius collegā in regno Archelaum ad illos, qui adolescētem extollebant, dixisse: Quid ni sit vir bonus Charilaus? qui ne aduersus improbos quidem acerbus est. Cum multa ab Lycurgo nouarentur, primum fuit & potissimū institutio senatus: quē ait Plato, cum regnū temperatum flagrāte dominatu, pariq; potestate præditum, fuisse imprimis salutarem & moderationis magistrum. Namq; suspensa resp. & nūc ad reges in tyrannidē vergens, nūc ad plebē in multi-

Lycurgi peregrinatio.

Thales sapientū vnus & poeta Lyricus.

Lycurgi in Asiā profectio.

Homericæ poeseos laus.

Homeri poema Græcis obscurū, Lycurgus inuulgauit.

Lycurgus rēp. Lacedæmoniorū mutat.

Lycurgus Delphico oraculo probatus.

Chalciœcon Mineruæ est templum æneum.

Liu. lib. 15

Senatus Lacedæmoniorum institutio.

Plato de leg. 3

tudinis arbitrium, senatus potentia instar obicis interiecta æquilibrium retinens, tutissimum ordinem & statum seruauit. quia octo & viginti senes (ita vocabant senatores) ne conualescerent populi vires, ad reges se aggregabant, contra ad reprimendum tyrannidem corroborabāt populum. Eum numerum definitum Aristoteles senatorum ait, quod ex primis triginta Lycurgi socijs duo ignaui cœpta deseruerint. Sphærus totidem ab initio author est consilij eius participes fuisse. & sane aliquam habet vim numerus plenus septenarius quaternario multiplicatus, & quod partibus suis paribus secūdum senarium plenus sit. Equidem adducor ideo potissimum tot eum designasse senatores, quo adiunctis ad viginti octo duobus regibus, vniuersi triginta essent. Tantum verò studij Lycurgus in hūc ordinem posuit, vt petierit de eo Delphis sortes, quas rethram vocāt, quasi dicas decretum. ea est huiusce modi. Vbi templū extruxeris Ioui Syllanio & Mineruę Syllaniæ, populumq; distribueris in tribus, senatum constitues annumeratis regibus triginta virorum: & prout temporum articuli postulabunt, conciones habebis inter pontem & Gnacionem amnem, vbi agent cum populo senatores, & dimittent concionem, neq; ius erit populo verba faciendi. Gnacionem nūc vocant Oenuntem. In campo interiecto inter pontem & amnem Gnacionem conciones habebant, vbi neq; porticus erant, neque alia structura vlla. nihil enim ea arbitrabatur ad consilia rectè capienda interesse: quin citius officere, quod futiles et fluxas inani sensu congredientium mentes efficiant: cùm in signa & tabulas, vel proscenia theatrorum, vel lacunaria fabrefacta, illi qui ad cōcionem veniunt, defigunt oculos. In plebis cōcilio nemini rogationem ferre de vlla re permissum fuit: quam senatus & reges promulgassent, ius populo erat cōprobandi. Pòst cum plebs detrahendo & adijciendo peruerterent & adulterarēt decreta, Polydorus & Theopompus reges asscripserunt hæc rhetræ: Quæ praue populus rogasit, ea senatui regibusq; retractandi ius esto. Id non est ratum facere, sed prorsus summouere & ablegare populū, quasi inuertentem & deprauantem rogationem. Id illi induxerunt ciuitatem, vt crederet hoc deum iussisse, ut his versibus memorat Tyrtæus:

Rhetra Lycurgi.

Gnacion amnis. Oenon.

Eximias sortes atq; hæc oracula vobis,
Vincere si est animus, Phœbus Apollo dedit:
Vrbis consilio sacros reges moderari,
Quos dulcis Spartæ sollicitudo tenet.
Maioresq; senes natu, populumq; frequentem
Hinc latas leges suscipere si placeant.

Ephororum institutio.

Ita temperata per Lycurgum Reip. procuratione, cum adhuc tamen, qui ei successerunt, nimiam & validam paucorum potentiam animaduerterent luxuriari, et ferocire, tanquā frenum, ut ait Plato, iniecerunt ei ephororum authoritatem, atque infra Lycurgum, annis circiter triginta supra centum, primum ephorum designauerunt Elatum rege Theopompo. Quem dicunt, cum exprobraret ei vxor, quòd regnum filijs minus quàm accepisset, esset relicturus: Imo eò respondisse maius, quò diuturnius. Et nimirum abiecta enormitate cum inuidia deuitauit scopulum, in quem Messeniorum & Argiuorum reges apud suos ciues impegerūt: qui frenum dominatus nihil remittere ad popularitatem voluerunt vel laxare. Quanta autem fuerit Lycurgi sapientia & prouidentia, liquidò perspicias ex seditionibus, atque inconditis rebuspub. Messeniorum & Argiuorum cognatorum, vicinorumq; populorū atque regum, qui ab exordio paria assecuti, & in sorte agrorum etiam illis, vt videbantur, superiores, non diuturnam tenuerunt felicitatem: sed libidine regum & populi contumacia res nouas molientes, documento fuerunt, vtique diuina felicitate Spartiatis accidisse, ut Lycurgus apud eos statum publicum concinnaret & formaret. Verùm hæc postea secuta sunt. Alter Lycurgi actus isq; audacissimus, lex agraria fuit. Siquidē cū immēsa esset inęqualitas, multiq; cumularētur in vrbe inopes & egeni, opes verò ad paucos redūdarent: quo fastū, inuidiā, auaritiā, luxū, atq; his vetustiores reip. & asperiores morbos exterminaret, opulentiā & paupertatē: perpulit ciues ut possessiones, in mediū cōferrēt, & de integro partirētur, viuerentq; omnes cōpari inter se & æquabili fortuna: primas autē virtuti deferrēt, neq; aliud inter se discrimen aut imparitatē ducerēt aliā, nisi quam turpitudinis macula definiret, & decus virtutis. Hinc verba rebus executus, diuisit ceterū agrū Laconicū, circumiectis vicis in triginta millia sortium: quod attributū ciuitati Spartanæ fuit, in nouē millia. tot sortes datæ Spartiatis fuère. Sunt qui dicant Lycurgū sex millia diuisisse, tria millia postmodū adiunxisse Polydorum: Alij hunc dimidium nouem millium, dimidium Lycurgum: Sors erat cuiusq; tanta, vt pensionem

Lycurgi sapientia.

Lycurgus agros equaliter diuidit ciuibus.

redderet,

redderet, viris ſeptuagenos hordei medimnos, fœminis duodenos: liquidorum fructuũ proportione prouentuũ. tantum ijs cibarij ad bonum habitũ, & ad valetudinem tuẽdam ſatis eſſe, neq; re præterea vlla putauerunt eſſe opus. Ferunt eum, cum pòſt peregrè reuertẽs agrum frugibus modo demeſsis peragraret, cõſpiceretq; aceruos ęqualiter comparatos & pares, arriſiſſe ac comitibus dixiſſe: Num'ne dicas totam Laconiam multorum eſſe fratrum, qui iam nunc eam inter ſe ſint partiti? Inde adortus reliqua rerum mouentium diuidere, quo omnem excinderet inæqualitatem & imparitatem: cùm cerneret ægrè laturos, ſi extorquerentur ipſis apertè, inſtitit alia ratione illarum rerum ſummouere cupiditatem. Primum monetam omnem auream & argenteam antiquauit: ſoli ferro authoritatem tribuit, eiusq; magno ponderi & moli exiguum aſsignauit precium, vt occuparet decem minarum ſumma, amplum in ædibus armariũ & plauſtrum duorum boũ ad vehendum. Hoc corollario multæ ſcelerum formæ ſunt Lacedæmone eiectæ. Nam quis furari, quis venalis muneribus eſſe, quis defraudare aut rapere ſuſtineret id quod nõ poſſet tegi, cuius nemo eſſet poſſeſsione beatior, ſed nec conflatum vllum vſum præſtaret? Verùm aceto, vt dicitur candentis aciem ferri reſtinguens, alium eius vſum & momentum reſecauit, reddiditq; eneruatum & inhabile. Mox vanas artes & curioſas expulit finibus. Et quidem pleræq; vel nullo exigẽte erant vnà cum publica moneta ſolũ verſuræ, vendibilia cũ non eſſent opera. ſiquidem ferrũ nequicquam exportabatur ad alios Græcos, & vt nullius authoritatis deridebatur. Vnde nulla etiam facultas mercandi erat exoticarum & exquiſitarum mercium, neq; in portubus eorum exonerabant mercatores naues: neq; pedem in Laconia ponebat vel verborũ architectus, vel præſtigiator vates, vel leno, vel monilium aureorum argenteorum'ue artifex, quòd carerent nummis. Verum ita luxus paulatim ijs, qui eum excitabãt & alebant, deſtitutus ſua ſponte emarcuit: neque, cùm opulentiæ eſſet exitus in publicum præcluſus, atque domo ignaua includeretur, prærogatiuam habebant locupletes vllam. Quod in cauſa fuit, vt inſtrumentum quotidianum & neceſſarium, velut lecti, ſedes, menſæ ſupra modum fabricarentur apud eos concinnè, & poculum Laconicum, quod cothon dicebatur, in commẽdatione eſſet maximè ad expeditiones, vt eſt author Critias, quod aqua, ad quam potandum vrgebat neceſsitas, ne offenderet oculos, tegeretur poculi colore: & quia quod turbidi inerat, impingebat intus ac labris cohibebatur, potus accedebat ori purior. In cauſa & hic Legiſlator fuit, quippe opifices, vbi diſceſſerunt ab inutilibus, expreſſerunt in neceſſarijs elegantiam. Quo magis autem incurſaret luxuriam, & admirationem pecuniæ adimeret, tertium & inſigne inuexit inſtitutum, conuiuiorum formam, vnà vt cœnarent frequentes, communibus & præſcriptis obſonijs atque epulis, domi ne veſcerentur in ſumptuoſis lectis & menſis, de macellariorum & coquorũ manibus, in tenebris velut voraces pecudes ſaginantes ſe, labefactantesq; vnà cum moribus corpora in omnem luxuriam proiecta & crapulam: quibus ſunt comitantes prolixi ſomni, calidæ balneæ, longa quies, & quaſi quotidiana valetudo. Fuit hoc magnum, verùm maius illud, quòd communi mẽſa & frugali victu, opes ſacroſanctas, imò deſpectas, vt ait Theophraſtus, & inopes effecerit. Neq; enim vſus vllus vel fruitio erat, nec verò omnino conſpectus vel oſtentatio magnifici ſplendoris, vbi ad eandem mẽſam, iuxtà pauper & diues conuenirent: vt, vulgatiſsimum illud, vna in ciuitate ſub ſole Lacedæmone, Plutus ſeruaretur cæcus, iaceretq; ibi picturæ modo inanimus & immotus. Siquidẽ non licebat prę ſumpta domi cœna cõuiuia inire expletos, ſed obſeruabãt acriter cæteri, atq; eum qui non biberet cũ ipſis, neq; veſceretur, proſcindebãt vt intemperantẽ, & ad conuictum elangueſcentẽ promiſcuum, cõuitijs. Hac potiſsimũ actione, pecunioſos ferunt in Lycurgũ exarſiſſe, eorumq; cateruam coitione facta obſtrepuiſſe ei & inſectatam fuiſſe. Qui poſtremò lapidibus petitus, proripuit ſe foro: alijs autem elapſus ad ſacram ædem confugit. Vnus fuit adoleſcens ingenio alioqui non malo, ſed acris & ardentior, Alcander. Hic fugientis tergo inhęrens, percuſsit reſpicientem baculo, oculumq; excuſsit. Lycurgus nihil vulnere deterritus, ſed obuerſus ad populum, ciuib. faciem cruore oppletam & viſum oſtẽdit labefactatum. Ibi tanta verecundia concio perfuſa & mœſtitia fuit, vt dederent ei Alcandrum, & vicem eius dolentes frementesq; domum vſq; enim proſequerẽtur. At Lycurgus hos quidem collaudatos dimiſit: Alcandrum verò introductum nec verbo læſit nec facto, ſed amotis miniſtris, quibus ad corporis cultum erat vti ſolitus, iuſsit eum ſibi miniſtrare. Ille ſtrenuè imperata & obediẽter fecit. qui ex conſuetudine & contubernio Lycurgi, cũ notaret manſuetudinem & motum animi eius, vitam aſperam, labores indefatigatos,

Lycurgus monetam auream argentamq; in ferream mutat.

Lycurgus inutiles artes eijcit.

Cothon poculi genus mirũ: de quo Athen. li. 11

Cenarum apud Lacedæmonios inſtitutum.

Lycurgo excutitur oculus.

Lycurgi patientia & manſuetudo.

cùm mirifice cœpit eum admirari, tum apud familiares & necessarios prædicauit non esse rigidum Lycurgum nec præfactum, sed solum erga alios lenem illum & blandum. Ad hunc modum castigatus ille fuit, eamq; luit pœnam, qui ex tetro iuuene & præfracto modestissimus vir, atque temperantissimus redditus est. Huius casus Lycurgus monumentum, ædem Mineruæ quam appellauit Optiletin, excitauit: quòd huius regionis Dorij oculos ὀπτίλους vocent. Alij, inter quos est Dioscorides, qui descripsit Remp. Lacedæmoniorum, vulneratum oculum eius autumat fuisse, sed elisum nō fuisse visum: templum autem deæ in gratiam curationis posuisse. Post id infortunium tamen destiterunt Lacedæmonij deferre in concionem baculum.

Andria & Phiditia, conuiuia, cur dicta.

Conuiuia Cretes Andria, Lacedæmonij Phiditia nominant: vel quod amicitiam & beneuolētiam concilient, ἀπὸ τῆς φιλίας loco λ, δ reponentes: vel quod ad frugalitatem assuefaciant & ad parsimoniam, à dictione φειδὼ deducentes. Potuit etiam prima litera aliunde adiecta fuisse, vt nonnulli volunt, ac dicta Editia, ab edendo & victu. Cœtus quinumdenum erant, aut aliquanto his pauciorum vel plurium. Singuli conuictores farinæ medimnos mense, vini congios octonos, casei quinas libras, ficuum binas libras & selibras: præterea ad esculenta parum admodum pecuniæ conferebant. Ad hæc qui sacrificauerat, primitias, vel qui venatus erat, mittebat portionem ad conuiuium. nam ei qui sacrificasset vel venatus esset, liberum erat domi cœnare: reliquos oportebat adesse. Hunc conuiuiorum morem retinuerunt accuratè. Ac cum bello, quo Athenienses deuicerat, rex reuersus Agis apud vxorem vellet cœnare, portionem postulanti non miserunt Polemarchi: cui, quia postridie solennia sacra offensus non fecit, mulctam dixêre.

Pueri ad conuiuia cur ducerentur.

Ad conuiuia pueri quoq; sicut ad ludum temperantiæ ducti ventitabant. Ibi sermones de Rep. excipiebant, doctores conspiciebant ingenuos, assuescebantq; & ipsi iocari, & dicteria citra scurrulitatem facere, atque aliorum sine offensa excipere cauilla. namque videbatur imprimis Laconicum, cauillum sustinere. Impatienti licebat deprecari, & temperabatur facetijs. Vt quisque intrabat, natu maximus commonstratis foribus: His, inquit, verba non egrediuntur. Qui admitti desiderabant ad conuiuium, hoc modo probari aiunt solitos. Quisque conuictor frustillum pastilli manum tenebat, id in vas, quod ferebat in capite minister, tacitus vt calculum iaciebat: qui probaret, simpliciter: qui reprobaret, manu validè compressum. nam compressum perforati calculi vim habet, nec si vnum tale repererint, recipiunt aduentitium. volunt enim vt epulentur inter se læti. Eum qui ita est reiectus, κεκαδδίσθαι dicūt. κάδδος enim vas nominatur, in quod frusta illa cōijciunt.

Ius nigrum.

Regem hunc Cicero Dionysium Tyrannum vocat. Tuscul. 5. quare Pōti vox suspecta.

Inter pulmenta prima laus erat iuri nigro: quare carnes non petebant maiores natu, quas iunioribus permittebant: ipsi decuriati iure vescebantur. Fama est quendam regem Ponti, huius iuris gratia coquum Laconicum comparasse, mox gustu offenso subiecisse coquum: Hoc ius parandum rex est ijs, qui in Eurota lauerunt. Vbi mediocriter biberunt, sine face recipiunt se domum. non permittitur neque tunc neque aliàs ad lumen incedere, quo discant in tenebris & nocte commeare fidenter & intrepidè. Hic ordo fuit conuiuiorum.

Lycurgi leges non scriptæ, sed moribus implātatæ.

Leges non redegit in scripta Lycurgus, sed vna est hæc ex rhetris, quas vocant. Præcipua atque ea quæ maximè referrent ad ciuitatis felicitatem virtutemq;, moribus putauit & institutionibus ciuium, sicut rudimenta impressa hærere inconcussa: cum stabili nitantur voluntate, validissimo ad compellendū vinculo, & habitu, quò institutio imbuebat iuuentutem: quæ in vnoquoq; eorum officium efficiebat Legislatoris. Minuta & quæstuaria commercia, ac quæ vicissitudinem ex vsu aliàs aliam habent, non putauit scriptis præceptis complectenda, vel vsurpatione perpetua: sed permittenda pro tempore accessiones vel decessiones accipere ex arbitrio bene institutorum. Nempe summam & caput omnium legum ferendarum retulit ad institutionem.

Rhetra de luxu.

Itaque ergo vna, vt diximus, rhetra erat, ne scriptis legibus vterentur. Altera iam aduersus luxum, vt quæuis domus fastigium securi haberet fabricatum, fores serra nec aliud instrumento vllo.

Epaminōdæ dictum.

Nam quod dixisse postmodum desponsa sua Epaminondam aiunt, tale prandium non capere proditionem, id primum in mentem venit Lycurgo, talem domum deliciarum & lautitiæ haud esse capacem. Neque tam fit ineptus vel amens vllus, vt in penates humiles & vulgares, lectos argenteis instructos fulcris, stragulas purpureas, aurea pocula, & eum qui hæc comitatur, inferat splendorem: sed comparandus est & æquandus ædificio lectus, lecto vestis, huic reliquus cultus & paratus.

Leontychidæ dictum.

Ex hoc more Leontychidam maiorem referunt Corinthi cœnantem, cum tectum ædium magnificè structum & laqueatum cerneret, rogasse hospitem, Num ligna apud eos quadrata nascerentur.

Rhetra de bello.

Tertiam rhetram Lycurgi commemorant, quæ prohibet, ne bello eosdem repetant hostes: vt ne sæpius exercitati armis existant bellicosi. Qua in re reprehenderunt imprimis postea Agesilaum, quod excursionibus crebris assiduisq; in Bœotiam & expeditionibus, pares bellandi peritia Lacedæmonijs reddidisset Thebanos.

Antalcidæ dictum.

Vnde cum saucium Antalcidas vidisset: Præclaram, inquit refers à Thebanis mercedem, qui inuitos & imperitos dimicare docuisti. Eas leges Rhetras vocauit, quasi à deo sancitas & oracula. Iuuentutis tirocinij, quod maximum censebat & pulcherrimum esse Legislatoris munus, altius exordium repetens, statim curam egit nuptiarum & liberorum procreandorum.

Mulierum apud Lacedæmonios disciplina. Aris. polit. lib. 7. cap. 17.

Neque enim, vt vult Aristoteles, cum animum adiecisset componendis mulieribus, non potuit refrenare nimiam earum licentiam & authoritatem, ob frequentes virorum expeditiones: per quas cogebantur liberũ arbitrium relinquere illis. quamobrem plus satis eas colebant, dominasq; appellabant. Sed & his, quatenus habebat res facultatem, prospexit.

Virginum exercitationes, & disciplina.

Corpora virginum cursu, lucta, discorum & telorum iactu exercuit: vt & fœtus radix validum in valentibus corporibus exordium accipiens germinaret melius, atque illæ strenuè partus excipientes, bene & facilè aduersus puerperij decertarent dolores. Ac remotis delicijs, vmbratili vita, mollitia omni fœminina, assuefecit iuxtà puellas atque adultos nudos in publico versari, certisq; solennibus saltare & cantare assistentibus atque spectantibus iuuenibus. Interim sales in quemque festiuè iacientes, perstringebant peccantes, contrà laudes in merentes carminibus compositas recitantes, magno gloriæ & honestatis cupidine iuuenes incendebant. Cuius enim celebrata virtus fuerat, & qui inter virgines habebatur clarus, abibat elatus illis laudibus. Facetiarum aculei & dicteriorum nihilo erant serijs castigationibus obtusiores: quod ad id spectaculum, simul cum cæteris ciuibus, reges & senatus conuenirent. Detectioni virginum nihil inerat obscœni, cum qua coniunctus rubor erat, aberat libido: sed simplicem assuetudinem & studium boni habitus conciliabat, gustumq; fœminæ præbebat spirituum non inertium: quòd societate nec ipsæ virtutis & gloriæ excluderentur.

Lacænæ mulieris, dictum.

Vnde & dicere & gloriari non dubitabant, quæ de Gorgone Leonidæ vxore literis prodita sunt. Cum mulier quædam peregrina scilicet, diceret ei, Solæ vos Lacænæ imperium in viros habetis: Nempe solæ, inquit, parimus viros.

Plato de rep. libro 5.

Cælibum apud Lacedæmonios ignominia.

Et quanquam hi quoque ad nuptias erant stimuli, pompas dico virginum, vestium detractionem, certamina quæ inspectantibus adolescentibus peragebant, non geometricis sed amatorijs, vt ait Plato, coactibus: suggillabant tamen aliqua etiam ex parte cælibes, qui nudarum certantium spectaculo arcebantur. Bruma etiam hi ex magistratuum edicto, cogebantur forum vestibus spoliati obire. Circulantes autem cantilenam in se compositam concinebant, meritò ita puniri se, quod non parerent legibus. Præterea honoris erant & obseruantiæ, quam præstabant senibus iuuenes, expertes. Quare quod exprobratum Dercyllidæ fuit quantumuis inclyto duci, nemo reprehendit: cui interuenienti non cessit adolescens subsellio, adijciens: Neque enim tu mihi eum, qui cessurus sit, sustulisti.

Nuptiarũ apud Lacedæmonios ritus.

Vxores ducebant raptu, non pusillas aut impuberes, sed adultas & maturas. Raptas abducebat pronuba, capillosq; eius cute tenus circumtondebat: inde tunica virili & calciamentis indutam, in toro sine lumine solam locabat. Sponsus non vino grauis, nec delicijs confectus, sed sobrius cum in conuiuio solito cœnatus esset, latenter ingressus soluebat sponsæ cingulum, eamq; in lecto collocabat. Nec longo ibi spacio commoratus, abibat modestè conferebatq; se cubitum, quò ante fuerat solitus cum cæteris iuuenibus: quemmodum deinceps seruabat, ac transigebat cum coætaneis dies & noctes. Ad spõsam pressè commeabat cum pudore & metu, nequis ex familia perciperet, vnà machinante illa & opportunitatẽ suppeditante, quo in tempore inscijs alijs congrederentur. Neque verò ad modicum temporis ita agebant, sed aliqui etiam liberos prius tulerunt, quàm viserent vxores suas interdiu. Congressus hic non modo temperantiæ erat & castimoniæ meditatio, verùm etiam cum corporibus fœcundos, tum perpetuo amore recentes ad concubitum adigebat & integros, non expletos & flaccidos coniunctionibus immodicis: verum semper reliquias aliquas & aculeum relinquentes mutui desiderij & amoris.

Zelotypiam tollit Lycurgus è Rep.

Postquam tantam matrimonio imposuit verecundiam & temperantiam: nihilo secius vanam illam & muliebrem obtrectationem abegit, hancq; adhibuit moderationem, vt petulantiam & confusionem excluderet à coniugio omnem, liberorum autem eorumq; procreationis permitteret communicationem inter honestos: deridens eos, qui hæc velut seclusa & abstracta à cõmuni vsu, cædibus & bellis exequuntur.

tur. Nam viro natu grādiori, cui florens ætate erat coniunx, si quē probum & pudentem adolescentem charum haberet probaretq́; , ius erat eā huic iungere, & cum impleta esset egregio semine, sibi vēdicare partū. E diuerso liberū erat bono viro, si qua ei casta mulier quę elegātes pueros ederet, alteri nupta cordi esset, agere cū viro, vt copiā sibi ei⁹ faceret, atq; ita tanquā frugiferū aruum cōserere & gignere liberos probos, qui proborum futuri cōsanguinei & propinqui essent. Ante omnia enim nō duxit priuatos parentū filios Lycurgus, sed cōmunes ciuitatis. Quare noluit ex turmalib. sed ex prę stātiss. generari ciues. Deinde reliquos notauit Legislatores oppido insulsos & vanos fuisse, q canes & equos ad optimos admissarios agāt, idq́; gratia vel precio cōtendant à dn̄is: cōiuges verò inclusas, quas ex solis volūt ipsis parere, custodia sepiāt, siue amētes sint, siue decrepiti, siue valetudinarij: quasi verò filij, si ex prauis editi sint, nō ipsis pręcipuè, in quorū sunt potestate & altoribus sint praui: & cōtra probi, eā si nacti originē fuerint. Atq; hæc, quæ tā naturæ cōuenienter id tēporis & ciuiliter agebantur, tantū aberant ab illa, quę pòst secuta fertur, licētia mulierū, vt adulteriū fuerit apud eos inauditum.

Adulteria Spartæ incognita.

Memoratur dictū Geradæ cuiusdam Spartiatæ ex antiquiss. qui hospiti sciscitāti, quæ esset pœna apud ipsos in adulteros constituta, respōdit: Adulter hospes non inuenitur apud nos. quo subijciente: Quid si inuētus sit? Taurum, inquit, luit ingentē Geradas, qui capite traiecto Taygetū bibat ex Eurota. Obstupescente illo ac dicente: Qui existat bos tantus? ridēs Geradas: Qui, inquit, adulter existat Lacedæmone. Hęc de cōiugijs prodita sunt.

Liberorum educatio apud Lacedæmonios.

Lesche.

Arbitriū tollendi partus non erat penes parentem, sed portabat eum in locum Leschen nomine: vbi tribuliū natu maximi cōsidentes infantē spectabant. Qui si mēbris cōpactis & robustis esset, tolli iubebāt eum, sortemq́; ei ex nouē millibus assignabant. Debilem & distortum amādabant in locum voraginosum propter Taygetum, quas Apothetas nuncupabant: quasi nec illi ipsi nec ciuitati, qui nō esset à primordio ad bonum habitū neq; ad robur cōparatus, expediret viuere.

Apothetæ.

Vino infantes cur abluebant.

Ideo nō aqua infantes sed vino abluebāt fœminæ, ad periclitandā eorum constitutionē. quippè comitiales ferunt & morbidos à mero debilitatos flaccescere, salubres durescere & firmari habitu.

Nutrices Lacedæmoniorum.

Iam nutrices curā agebant artificiosam, vt sine fascijs infantiā educentes, mēbra & speciē ijs liberalē conciliarent. Assuefaciebant etiā eos quibusuis cibis & ieiunio: vtq; intrepidi ad tenebras, impetterriti essent ad solitudinē, nescij illiberalis morositatis & vagitus. Hinc mercabātur liberis nōnulli exteri nutrices Laconicas. Etiam quæ Atheniensem nutricata est Alcibiadem, Amylcam tradunt Lacęnā fuisse. Cæterum huic, vt author est Plato, Zopyrum Pericles moderatorem præfecit nihilo alijs mācipijs excellentiorem.

Plato in Alcibiade priore.

Puerorum institutio apud Lacedæmon.

Lacedæmoniorum liberis non præposuit Lycurgus eruptitios aut mercenarios pædagogos, neq; poterat quisquam pro arbitrio suo alere & instituere filium: sed omnes, vt septimum annū excesserunt, centuriauit ipse in classes, pariq; & vna libertate atque contubernio colludere inter se & studijs vacare docuit. Horum cohorti præfectum dedit eū, ingenio qui pręcelleret & in pugnis esset animosissimus. Eū intuebantur, & imperāti erant dicto audiētes, punientēq; ferebant. ita disciplina eorū erat parendi cōmentatio. Ludentes spectabant maiores natu: qui plerūq; contentiones inter eos & certamina ferētes, non defunctoriè, quæ cuiusq; ad audendū & non cedendū in pugnis esset indoles, aduertebāt. Literas, quatenus esset necesse discebant. Reliqua disciplina erat omnis ad obtēperandum, ad labores perferendos, ad enitendū ad victoriam. Quare ętatis progressu exercitationē intendebant. Radebāt eos cute tenus: sine calceis incedere, nudosq; ferè consuefaciebant eos lusitare. Vbi attigerunt annū duodecimū, iam sine tunica agebāt: vnū accipiebant quotānis palliū. Squalidi corpore, balnoarū & vnctionū nescij, tantū paucis diebus per annū gustabant eas lautitias. Vnà quietē turmarim & gregatim capiebāt in thoris, quos ipsi cōstruebāt ex arūdine secus Eurotā crescēte, cuius panieulā manibus citra ferrum defringebant. Per brumam lycophonas quos vocant substernebāt, torisq; miscebant: quod ea materia vim quandā obtinere excalfactoriam videatur. Tum autem cum talibus proborū amatores adolescentium conuersabantur, & curam agebant de ijs maiorē senes: qui accedebant ad gymnasia, spectabantq; nō in transcursu dimicantes & se dicterijs inuicē petētes: verùm existimabant quodāmodo omnes omniū patres, magistros, & rectores esse. Vnde neq; tēpus vacuū neq; locus relinquebatur corrigente offendentē atq; castigante. Imò & magistri pueritiæ ex probatis viris creabātur, & hi per classes pręficiebāt eos, qui inter Irenas prudētissimi & pugnacissimi erant.

Irenes.

Mellirenes.

Irenas vocant illos, qui duob. annis ex pueris excesserāt: Mellirenas in pueris maximos. Hic Iren, cū annis 20. fuerit maior, ducit cohortē suam in pręlijs, cāq; habet domi ad cœnā in ministerio:

imperat

imperat grandioribus, vt ligna adferant, olera minoribus. Ferunt furtò, partim ex hortis, partim in virorum conuiuia perastutè & cautè irrepentes. Deprehensus multa verbera flagello accipit, quod solutus in furando & iners videatur. Furantur etiã quęcunq; valcãt cibaria, insidiari cũ solertia dormientibus meditantes, aut solutiorẽ custodiam agẽtibus.

Lacedæmoniorum furta.

Comperto verbera & fames pro piaculo sunt. Mensam habent angustam, quo propulsantes industria sua famem, ad audẽdum cõcitentur & ad dolos concinnandũ. Id munus est peculiare ciborũ contractorũ: accessoria functio est, quod parẽt corporibus incremẽtum.

Cibi parcitas, ad proceritatẽ facit.

Quippe spiritus non multũ occupatus vel districtus circa affluentiã ciborũ in profundũ & latum trahentium, in longũ fertur ac sursum repit, corpore ob leuitatẽ leuiter & expeditè assurgẽte. Hinc quoq; accedere venustas formę videtur, quod teretes & exiles habitus magis ductiles sint mẽbrorum conformationi cũ obęsi & saginati reluctentur ei suo pondere: mulierum modo prægnantium, quæ purgantur. Exiles hæ, sed scitos tamẽ ob agilitatẽ materiæ monetæ fingenti magis cedentis & argutos partus edũt. At causa huius euentus in medio relinquatur speculantibus. Adeò autẽ pręedantur solicite, vt perhibeatur quidã, qui modo vulpeculam surripuerat, quam inuoluerat amiculo, cũ ventrẽ suum laniaret bestia vnguibus & dentibus, ne detegeretur, intermori sustinuisse. Nec est id incredibile vel ex huius memoriæ adolescẽtibus quos in ara Dianæ Orthię frequẽtes cõspeximus inter plagas expirare. A cæna recũbens iren ex pueris huic canere iubebat: illi quęstionem, ad quam erat respondendũ accurate, ponebat: velut, qui inter viros esset pręstantissimus, aut quod ei videretur cuiuspiã factũ. Inde & existimare de virtutibus & sagaciter indagare ab incunabilis assuescebant de ciuibus.

Pueri Lacedæmonij quibus rebus à cæna exercebantur.

Nã si rogatus, qui bonus ciuis esset aut qui improbus, in respõdendo hæsitaret, id tardi & degeneris ad virtutẽ ingenij ducebant indicium esse. Muniendum etiam responsum ratione erat & probatione in cõcisa & compendiosa verba contracta. Si iners esset responsum, pro pæna mordendum ireni pręebebat pollicẽ. Subinde corã senioribus & magistratibus iren corrigebat pueros, vt specimen præberet, quam rectè & ordine pœnas exigeret. Nec interpellabant mulctantem: verum digressis pueris plectebatur, si asperius quàm oportuisset, aut contrà remissius & lenius vindicasset. In societatem amatores puerorũ existimationis in vtrãque partem veniebant. Memorant, cum aliquando vocem puer in certando misisset parum generosam, indictam à magistratibus mulctam amatori eius fuisse. Mos apud eos tã honestus amandi erat, vt etiam probatæ & egregiæ mulieres àmarent virgines. Riualium æmulationem non erat fas suscipere: sed magis qui eosdem amabant, ex eo auspicabãtur mutuam amicitiam: eoque incumbebant communi studio, vt quam redderent præstantissimũ eum, quẽ diligebant.

Amandi mos apud Lacedæmonios.

Adhæc inbuebant pueros, vt oratione veterentur, quæ sel conditũ venustate haberet, & multũ paucis in verbis sensus. Ferreis nummis Lycurgus, vt exposuimus, ex magno pondere exiguum valorem fecit: sermonis monetæ contra in ieiunis & contractis verbis copiosam & grauem inclusit sententiam, multo silentio eos, strictim vt dicerent & essent in respondendo acuti, moliens.

Orationis breuitas apud Laconas.

Siquidem vt semen est eorũ, qui effusi in Venerem sunt, effętum plerumque & infœcundum: ita loquentia immoderata sterilem effundit insipidumque sermonem. Rex Agis, cum Atheniẽsis quidam Laconicorum gladiorum breuitatẽ derideret, diceretque circulatores facile eos in theatris hausturos: Atqui, inquit, hisce nos gladiolis bene attingimus hostes. Ego verò orationẽ Laconicam, etsi videatur esse concisa, imprimis assequi rem tamen arbitror, & mentẽ ferire auditorum. Et sane ipsum apparet in dicẽdo succinctum fuisse Lycurgum & acutũ, quatenus ex ijs conijcere licet quæ ab eo feruntur dicta: vt illud de rep. ad eum, qui censebat dictionẽ popularem Lacedæmone constituendã: At tu prius, inquit, erigas ditionẽ domi popularem.

Lycurgi sententiæ quedam.

Illud item de hostijs ad illum, qui percontabatur, quid tam exiguas & viles præscripsisset: Ne vnquam, inquit, Deum intermittamus colere.

Lycurgi pietas in Deum.

Iam de certaminibus: quod sola ea ciuibus non vetasset obire, in quibus manus nõ tollatur.

Manũ tollere, dare, tendere, pro eo quod est victũ se fateri.

Similia eius referuntur ad ciues per epistolas responsa. Quomodo hostium impressionẽ arceamus? Si inopes manseritis & alter non aueat plus possidere altero. Iam de muris: nõ carere muris vrbem, quæ viris sit, non lateribus cincta. Cæterũ hæ & similes epistolæ illius ne fuerint, haud est pronum vel asserere vel infirmare. Enimuero quod prolixitatem orationis insectarentur, hæ concisæ sententiæ sunt argumento.

Apophthegmata quorundam Laconum.

Leonidas rex, cum quidam dissereret de rebus grauibus intempestiuè: Re' opportuna hospes, inquit, parum opportunè vteris.

Leonidæ.

Charilaus Lycurgi fratris filius interrogatus de paucitate illius legum, respondit: Qui verbis non multis vterentur, hos non multas quærere leges.

Charilai.

Archid-

Archidamidæ. *Laconum dicta amara.*

Archidamidas accuſantibus nonnullis ſophiſtam Hecatæum, quod conuiuio adhibitus omni ſermone abſtinuiſſet: Qui dicere nouit, inquit, & tẽpus nouit. Dicta illorũ amara, quæ dixi lepotis non eſſe expertia, huiuſcemodi ſunt.

Demarati.

Demaratus, cum fœdus homo ipſum pungeret importunis interrogationibus, atque hac quæſtione identidem obtunderet: Qui optimus eſſet inter Lacedemonios? Tui, inquit, diſsimilimus.

Agis.

Agis Elios quibuſdã celebrantibus, quod honeſtè & iuſtè Olympia agerent: Egregiam verò rẽ, inquit, ſi quinto quoque anno Elij iuſtitiam vno die colant.

Theopompi.

Theopompus ad peregrinũ quendam, qui ſtudium ſuum oſtẽtabat, dicebat'que Philolaconem ſe quaſi cupidum Laconũ inter ciues vocitari. Laudabile tibi, infit, ſit cupidum ciuium tuorum vocari.

Pliſtonacis Pauſaniæ filij.

Pliſtonax Pauſaniæ, cum orator quidam Athenienſis indoctos Lacedęmonios appellaret: Sanè quidem, inquit, Soli enim Græcorum nihil mali nos à vobis didicimus.

Archidamidæ.

Archidamidas ad ſciſcitantem, quot eſſent Lacedæmonij: Satis hoſpes, inquit, ad malos ſummouendũ. Diſcas etiam ex facetijs morem eorum: aſsueſcebant enim, vt niſi in tẽpore non loquerentur, neque vocem emitterent, quin aliquam vtique ſententiam complecteretur notatu dignam.

Ageſilai, in eius uita.

Ille, quem hortabantur, vt audiret quẽdam, qui cantum exprimeret Luſciniæ: Illas, inquit, ipſas audiui. Alius lecto hoc epigrammate:

Arigei, Plutarc. in Laconicis.

Sæuo, qui diros quondam oppreſſere tyrannos,
Ante Selenontis mœnia Marte cadunt:

Merito, inquit, perierunt iſti. permittẽdum enim fuerat, vt totum conflagraret oppidũ. Adoleſcens ad illum, qui daturum ei ſe promitteret gallos gallinaceos in pugna expirãtes: Minime, inquit, ſed eos da mihi, qui in pugnis interficiãt alios. Alius ſellis curulibus ſedentes in diſceſſu nonnullos videns: Abſit, inquit, hic vt conſideam, vnde aſſurgere nequeam ſeni. Atque hoc quidem contortorum dictorum genus eiuſcemodi erat. Quare non abſurdè dixerũt quidam: Sapientiam colendo magis, quàm Gymnicum certamen ſectando agas Laconem.

Lacedæmoniorum cantilenæ.

Porrò elegantiam cantilenarum & carminum non ſecus atque orationis cultum & puritatem affectabant: ſed inerat & carminibus aculeus, qui excitaret animos atq; inflammaret, quaſi motu fanatico & alacritate. Dictio nuda erat & virilis de rebus grauibus & informantibus. Laudes erant fere, quibus immortalitati cõmendabant eos qui pro Sparta occubuerant, & probra ignauorum ad mortem, quod acerbã & infelicem ducerent vitam: profeſsio item & gloriatio ad virtutem cõgruens ætatibus. Quorum vnum libet exempli gratia exprimere. Tres erant in ſolennibus, per tres ętates inſtituti chori. Chorus ſenum exorſus canebat:

Nos quondam eramus inclyti bello uiri.

Iuuenum chorus reſpondebat.

Nos ij ſumus: fac, ſi velis, periculum.

Tertius puerorum.

Nos fortitudine plurimùm præſtabimus.

Plane ſi carminibus Laconicis, quorum etiam hac memoria extant quædam, adhibeas animum, & numeros claſsicos aſſequaris, quibus vtebantur ad tibiam, cum hoſtes inuaderent: iure Terpandrum dicas & Pindarum conſociare muſicæ fortitudinem. Ille ad hunc modum cecinit de Lacedæmonijs:

Vbi floret enſis iuuenum, muſa & ſuauior,
Tum iuſtitia amplas obtinens vias.

Pindarus ait:

Vbi conſilia ſenum, & iuuenum præſtantium
Haſtæ, chori, cantus, ſuauiores deliciæ.

In ſignes muſicos pariter & bellatores faciunt eos.

In ferrum enim ſerpit citharam pulſare peritè,

vt Laconcius poeta dixit. Etenim ante pugnã rex Muſis ſacrificabat, admonẽs, vt reor, diſciplinæ eorum & iudiciorum: vt in periculis offerrent ſe & ſucceſſum ad res memorabiles edendas darent pugnantibus. Interim diſciplinæ rigorem laxabant iuuenibus, nec

Laconũ comæ.

prohibebant excolere comam, armiſque ſe & pallijs ornare: ac delectabantur ijs velut equis ad certamen exultantibus & ferocientibus. Itaque quamuis comã, vbi adulti erant alerent, potiſsimum imminente pugna concinnabant eam, vt nitida appareret & diſcriminata. Adducunt etiam Lycurgi de coma dictum: formoſos eam venuſtiores reddere, deformes horridiores. Exercitationibus quoque vtebantur per bellum mollioribus, & reliquam quoque vitam minus aſtrictam & obnoxiam dabant iuuentuti. Ita ſolis inter

mortales

mortales meditationis ad bellum erat illis bellum respiratio. Iam instructa eorum acie, cum adesset hostis, rex simul capellam immolabat edicebatq́, vt omnes coronas sumerent, & vt tibicines canerent iubebat Castoris carmen, simul etiam ordiebatur clasſicum canere. carmen embaterium dicitur. Quæ res ſpeciem simul atq; horribilem edebat ſpeciem, numeris ad tibiã incedentium, neque turbantium aciem, neque animis fluctuantium, sed modeste & hilariter ad modos euntium in certamen. Neq; enim nimia percelli trepidatione probabile est ita comparatos, aut plus satis ferocire: sed animum cũ fiducia & audacia suscipere stabilem, quasi dei præsente fauore. Ibat in hostem rex comitẽ trahẽs victorem coronati certaminis. Ac referunt quendam, cum offerretur ei Olympijs grandis pecunia, nõ accepisse eam: sed vt magno labore superauit aduersarium lucta, & quispiam diceret ei: Quo tibi hæc Lacon victoria? occurrisse subridentem: Ante regem in acie consistens cum hostibus decertabo. Fusos fugatosq́ hostes hactenus consectabantur, dum fuga eorum confirmassent victoriam, mox receptui canebant: cædere & contrucidare fractos & manus dantes, neque generosum rati neque Græcis dignum. Erat id non præclarum modo & celsi animi, sed conducibile quoque. Namq; certi, qui manus cum ijs conserebant, occidere eos: si qui subsisterent terga vertentibus parcere: fugam capessere, quam in acie manere ducebant commodius. Ipsum Lycurgum Hippias sophista insignem bello virum ostendit fuisse, multisq́ interfuisse expeditionibus. Philostephanus etiam equitum in vlamos contributionem adscribit Lycurgo. Vlamum autem esse, vt ille descripsit, quinquagenum equitũ quadrata acie instructam turmam. Demetrius verò Phalereus rudem rei militaris pacatam constituisse remp. Sane videtur induciarum Olympiacarum inuentum placidi & quieti viri esse. Et quidẽ dictirant nonnulli, vt Hermippus meminit, non incubuisse initio in eam illum rem, neque eo in consilio sociũ fuisse Iphiti: sed cum casu eò venisset & esset spectator, vocem ibi à tergo velut hominis ei accidisse increpantis eum & mirantis, cur ciues suos ad concelebrandũ illud solemne nõ excitaret: conuersum vbi nusquam comparuit, qui fuerat locutus, diuinam vocem esse ratũ. itaq; ad Iphitum se aggregasse, sociumq́ concinnandi festi clarius id & solidius effecisse. Disciplina eò vsque pertinebat, dum adulti essent: nemini enim licebat pro arbitrio suo viuere, sed in vrbe sicut castris stata erat vitæ lex, & in Rep. occupatio: prorsusq́ in animum induxerant patriæ se nõ sibi ipsos esse natos. Itaq; perpetuò, ni aliud esset iniunctũ, inspectabant pueritiam, aut docebant quod ex vsu foret, aut accipiebãt ipsi à maioribus. Siquidem inter cætera bona & felicitatem, quæ ciuibus suis parauit Lycurgus, vnũ fuit copia ocij, quibus sordidis artibus erat in totũ interdictum. Pecuniam quærere, quę magno labore & negocio accumulatur, quod iacerent plane sordescerentq́ diuitiæ, non operæ erat. Ilotes colebant ijs agrum, vectigal quod ante diximus, pensitantes. Venerat quidam Athenis, cum iudicia agerentur, hic cum intellexisset quempiam ocij damnatũ mœstum discedere, & necessarios qui eum prosequebantur, vicem eius dolere & grauiter angi: rogauit eos, qui vnà aderant, vt sibi ostenderet, quisnam ille ingenuæ noxę iudicatus esset. adeo seruilem habebant ineptam in artificijs & quæstu districtionẽ. Iudicia nimirum vnà emigrauerant cũ nummis: quia neque affluentia inter eos neq; indigentia erat, sed omnia æqualia in copia, & parabilia habebant ex frugalitate. Tripudia, festi dies, epulæ, cõmorationes in venationibus, in gymnasijs, & ad Leschas, perpetua apud illos erant: nec vnquam nisi ad bellum peregre proficiscebantur. Atque inferiores quidẽ triginta annis haudquaquam procedebant in forum: verùm explicabant ea, quæ pertinebant ad negocia necessaria, per propinquos & amatores. Maioribus natu probrosum erat assidue ibi volutari, & non partem diei maximam in gymnasijs & Leschis quas vocabant versari. Ibi coibant fere atque tempus inter se traducebant, nullam inserentes mẽtionem compendij faciendi vel forensium tractandorum negociorum. Illius consuetudinis potissima occupatio erat, vt aliquam virtutem laudarent, vel reprehenderent probrũ cum ioco & risu leuiter admonendi & corrigendi causa pungente. Neque sane ipse fuit præfractè austerus Lycurgus: imò illum Risus sigillum authore est Sosibius, posuisse: vrbanitare tanquam laboris & victus condimento tempestiuè conuiuia & similes congressus interpolantem. In summa assuefecit ciues, ne vellent, neu scirent priuatim viuere: verum vt apum more ad Remp. conglobati semper, & inter se circa principem volutati, afflatu'q; Lymphatico atque gloriæ siti tantum non mente alienari, patriæ essent toti. Quam affectionem ex quibusdam eorum dictis colligas licet. siquidem Pædaretus non allectus inter trecentos, perquàm alacris discessit ceu lætitia elatus, quod trecenti in ciui-

Lacones quẽadmodum inierint prælia.

Embaterium carmẽ, cuius meminit Eustathius Iliad. 15.

Lacedæmonij quatenus insectarentur hostes.

Lycurgus bellicosus.

Vlamus

Lacedæmoniorum ocium.

Ociosi puniebãtur Athenis.

Virorũ Spartæ occupatio.

Lacedæmonij reip. nõ sibi priuatim viuebãt.

tate essent se præstantiores. Polystratidas legatus ad regis præfectos inter-[illegible] missus, ijs rogantibus, priuatim an publicè missus esset, respondit: Si compotes vo[illegible] fuerimus, publicè: sin tulerimus repulsam, priuatim. Brasidæ mater Argileonis, cum Amphipoli quidam, qui commeauerant Lacedæmonem, illam inuiserent: an Brasidas, requisiuit, honestè & dignè Sparta cecidisset. Quibus illum extollentibus adijcientibusq; parem Spartæ non esse alium: Absit hospites, inquit, fuit enim honestus & egregius vir Brasidas, sed habet multos Sparta illo excellentiores.

Senatoris deligēdi Spartæ, forma.

Senes ipse, vti diximus, Lycurgus primùm eos qui cœpti sui fuerant participes, designauit. Deinde in locum demortui suffici iussit eum, virtute qui esset prestantissimus iudicatus, sexaginta annis maior. quod quidē præ humanis omnibus certamen maximum esse & cōtentionis summæ videbatur. Quippe non qui ex pernicibus pernicissimus, nec qui ex robustis robustissimus: sed qui inter bonos & temperantes optimus & temperantissimus esset censitus, huic premium cedebat victoriæ in virtute per totam vitam, vniuersa penè potestas in rep. quod arbitriū haberet necis, ignominiæ, & in summa maximorum. Lectio agebatur ad hunc modū. Concione aduocata delecti viri includebantur propinqua domo, hi neminem videbant, neq; ipsi conspecti strepitum tantùm exaudiebant concionis: nam acclamatione cùm alia tū competitores probabant. Nec simul omnes, sed singuli introducebantur per sortem, taciti q; per concionem transibant. Conclusi illi tabulas habebant, in quas referebant sigillatim plausus magnitudinem: nescij cui facta esset, tantum primum esse vel secundum vel tertium, aut quotus quisq; fuisset introductus. cui esset plurimus & maximus factus, hūc renuntiabant. Ille coronatus ad omnia templa circumibat. Sequebatur hinc grex iuuenum collaudantium eum & extollentium, hinc caterua mulierum carmine virtutē celebrantium & vitam eius in cœlum ferentium. Necessariorum quisq; cænam ei apponens dicebat: Hac te mensa ciuitas honorat. Cum eos circumisset, transibat ad solitum conuiuium, vbi cætera de more agebantur. Secundam portionem, vbi esset apposita, tollebat & seruabat. A cæna conueniebant ad ianuam triclinij mulieres familiares eius. Ibi eam, quæ esset apud se maxima in existimatione, acciebat, cui partem eam donabat, addens: præmium se, quo fuisset decoratus, ei conferre. vnde illa quoque magno honore à cæteris matronis deducebatur.

Sepeliendi ritus apud Lacedæmonios.

Sepeliendi quoq; ritū ille dispensauit optimè. Primū omnem eximens superstitionem, funerare in vrbe extinctos, & habere ante oculos rerum monumenta religiosarum nō interdixit: quod innutriri vellet talibus spectaculis & assuescere iuuentutem ne trepidarent vel horrerent mortem: quasi eos qui feralia attrectant aut cōmeant per sepulchra, polluat. Deinde prohibuit quicquam cum corpore condi, sed puniceo amiculo & folijs oleaginis cadauer inuoluebant. Conditorio inscribere non licebat nomen mortui, præterquam viri, qui in bello, & mulieris, quæ sanctè fato cōcesserat.

Luctus tempus Spartæ.

Luctū modico definiuit tēpore, vndecim diebus: duodecimo sacrificare oportebat Cereri & desinere luctū. Nihil erat enim ociosum aut neglectū, sed omnibus rebus necessarijs attexebat vel aliquod virturis præconium, vel insectationē improbitatis, omnesq; angulos ciuitatis referciebat exemplis. In quæ cum incurrerent quotidie, eaq; ante oculos spectarent: nō poterant ad honestum nō trahi & conformari. Quę causa fuit, cur nō reliquerit peregrè proficisci & vagari liberū, ne externos mores adduceret secum vel ritus male formatos & diuersa instituta.

Lycurgus exteros cur ex ciuitate expulit.

Sed & aduenas nulla de causa vtili irrepētes in vrbē abegit: non vt Thucydides autumat, veritus ne instituta sua effingerent & aliquem haurirent ad virtutem profectum: quin potius ne doctores alicuius noxę forent. Quippe externa corpora externos necesse est aduehāt sermones. Nouorū sermonum noua iudicia sunt comitantia, ex quibus fieri non potest, quin multi affectus scaturiant & libidines à constituta rep. velut concentu dissona. Quo magis prouidendū putauit, ne ciuitas perniciosis cōpleretur moribus, quàm ne corpora aliunde immigrarēt infecta. Atq; in his quidē nullū extat iniurię vestigium, nullū iniquitatis: quā legibus Lycurgi impingunt quidā, quasi satis ad fortitudinem, parū ad iustitiam cōpositis.

Cryptia apud Lacedemonios.

At illa, quę apud eos vocabatur Cryptia (si modo & ea ex institutis est Lycurgi, vt scripsit Aristoteles) eandē potuit opinionē Platoni quoq; de rep. & de illo imprimere. ea erat huiuscemodi.

Lacedemoniorū sæuitia in Hilotas.

Potestates solertissimos ex iuuētute certis tēporis interuallis per agros nulla certa de causa mittebāt, cū pugionibus & necessarijs cibarijs, nulla re præterea alia. Hi interdiu per latebras dispersi recondebant se, & quieti dabāt: noctu insidētes itinera, Ilotas si qui in ipsos incidissent, perimebāt. Nonnūquā interdiu in agros profecti occidebāt robustissimos & valētissimos inter eos: vt etiā tradit in historia belli Pelopōnesiaci Thucydides, quos virtute præcellētissimos delegerāt

Thucyd. li. 4.

Lacedę-

Lacedæm ·ij,solitos quasi libertatem adeptos coronari,& circumire templa Deorum, paulo post nusquam apparuisse omnes amplius bis mille:neq; in præsentia vel pòst, quid factum ijs esset, dicere quenquam habuisse. Aristoteles imprimis author est, ephoros inito magistratu primum Ilotis bellum denunciare, ne piaculum sit eos peremisse. Et verò cætera quoq; agebant cum ijs aspere & sęuè: atq; multū meri coactos haurire introducebāt in conuiuia, ostendētes iuuenibus, quàm esset fœda res ebrietas. Cantilenas etiā compellebāt eos canere, & choreas saltare enerues ridiculasq;, abstinere autē ingenuis. Vnde referunt postea in expeditione in Laconiam Thebanorum, Ilotas qui capti fuerant, psallere iussos Terpandri, Alcmanis, & Spendōtis Laconis carmina, excusasse prohibere id dominos. Quare qui aiunt liberum Lacedæmone maximè liberum esse, & seruum maximè seruum, non male considerauerunt discrimen. Enimuero eas atrocitates ego secutis temporibus existimo apud Lacedæmonios extitisse secundum magnum illum terræ motum, quo conspirasse cum Messenijs prodūt Ilotas, atq; ingenti clade oram illam afflixisse, periculumq; creasse vrbi maximum. Neq; enim Lycurgo possum, ex reliqua illius moderatione & iustitia de moribus eius existimans, cui perhibuit vel deus testimonium, tam execrabile istius Cryptiæ opus tribuere. Postquam præcipua eius præcepta moribus iam fuerunt sub ipso expressa, & satis adoleuisset resp. seq; tueri ipsa per se & seruare valuit: sicut fabricato mundo & primum edente motum, Plato memorat exhilaratum Deum: ita lætus & acquiescens specie & maiestate legum suarum, quæ iam eductæ in opus erant & progrediebantur: studuit, quatenus effici humana prouidentia posset, immortales eas & stabiles relinquere in futurum. Igitur accitis in concionem omnibus, cęteris partibus remp. satis recte demonstrauit ad felicitatem & uirtutem cōparatam: potissimum verò & antiquissimum caput prius, quàm consuluisset oraculum, non editurum se ijs. Darent itaq; operam, vt præsentibus legibus inhærerent, neq; variarēt vel inflecterent quicquam, dum esset ipse Delphis regressus: cum recepisset se, quod deus iussisset, id se acturum. Spondentibus cunctis atq; eum ad suscipiendum cohortantibus iter, vbi iureiurando adegit reges, & senatum, deinceps reliquos ciues obseruaturos se & vsurpaturos, dum remeasset Lycurgus, formā illam reip. contēdit Delphos. Vt venit ad oraculum, sacris Apollini factis, cōsuluit eum satis'ne leges recte, vt feliciter & cum virtute viueret ciuitas sua, essent latæ. Responso à deo accepto, præclarè leges latas esse, & ciuitatem, quousq; Lycurgi legibus viueret, permansuram clarissimam: sortes descriptas Spartam misit. Instauratis autem hostijs, amicos & filium complexus, statuit ciues nunquam religione soluere sacramenti, & conciliare sibi mortem ibi voluntariam: id ætatis tum qua neq; viuere neque vitam pœniteret deponere, & cum res suæ abundè lætæ essent. Igitur mortem sibi inedia consciuit, virorum remp. tractantium nec mortem ociosam, nec inertem vitæ exitum: sed eum quoq; participem virtutis & actionis esse ratus debere. Sibi enim perpetràtis pulcherrimis rebus consummationem interitum fore felicitatis: ac ciuibus, qui adiurauerant legibus se eius, dum redisset, vsuros, bonorum se quę parauerat per vitam, relicturum excessum custodem. nec falsus opinione fuit. Vsque eo ciuitas illa disciplina publica & gloria principatum tenuit Græciæ quingentorum spacio annorum, vtendo Lycurgi legibus, quas ex quatuordecim regibus, qui eum sunt vsque ad Agim Archidami filium insecuti, nemo mouit: nam ephororum creatio non remissio legum, sed contentio fuit. Quæ quanquam popularis appareret, optimatium vim amplificauit tamen. Agide regnante primùm pecunia influxit in Spartam, comesq; pecuniæ habendi cupido, & diuitiarum admiratio inuasit per Alexandrum, vel potius Lysandrum: qui inuictus ipse à pecunia patriam impleuit opulentiæ cupiditate & luxu, deportatoq; ex præda auro & argento Lycurgi conuulsit leges. quibus antè vigentibus non ciuitatis Sparta repub. sed viri religiosi & sapientis vita prædita: imò sicut Herculem fingunt poetæ cum pelle & claua orbem terræ peragrasse, vlciscentem sceleratos & feros tyrannos, ita hæc ciuitas ex vna scytala & læna dominans in Græciam volentem & lubentem, obtriuit iniustas in rebuspub. potestates & tyrannides, bellorum arbitrium habuit, seditiones compressit crebro ne vno quidem moto clypeo, vno tantum legato misso, quem ilicò omnes audiebant, apum more superueniente duce, concurrentes & sese componentes. Tanta effulsit disciplina & iustitia illius ciuitatis. Quo magis miror illos qui dictitant, Obedire nosse, non nosse imperare Lacedæmonios. Et Theopompi regis dictum laudant, qui cum diceret quidam per reges stare Lacedęmonem imperādi gnaros: Imo, inquit, per ciues principibus obtemperare doctos. Neq;

Diodorus lib. 2.

Plato in Timeo.

Lycurgi in stabiliēdis legibus, mirū consilium.

Lycurgi mors.

Lycurgi leges pecunia corrupit.

Præstātia reip. à Lycurgo institutæ.

Theopompi Regis dictum, de recte imperando, parendóque.

enim sustinent parere ijs, qui nesciunt præesse, sed est imperantis obedientia disciplina: siquidem efficit, qui bene ducit, vt bene sequaris. Atq; vt artis est equariæ consummatio, placidum equum & obsequentem reddere: ita est regiæ scientiæ efficere obediētiam munus. Lacedæmonij verò non obedientiam, sed desiderium infundebāt alijs ipsos sequendi & obtemperandi. nempe postulabant hi per legatos ab ijs non classem, nō pecuniam, non copias, sed vnum Spartiatam ducem. Quem nacti vtebantur eo cum honore & metu: ita Gylippo Siculi, Brasida Chalcidenses: Lysandro, Callicratida, Agesilao omnes qui Asiam incolunt. Appellabāt quidem illos viros rectores moderatoresq; populorum & magistratuum vt ad quosq; missi erant: cæterùm semper ciuitatem Lacedæmoniorum ceu magistram vel præceptricem honestæ vitæ & compositæ reip. respiciebant. Quo etiam vrbanè cauillatum Stratonicum apparet, legem ferentem & iubētem, vt Athenienses mysteria & pompas agerent, Elij ludos ederent, quòd hoc facerent scientissimè: Lacedæmonij verò, vbi titubarent hi, eos verberarent. At fuit id dictum ridiculè.

Antiphanis Socratici dictum.

Socraticus verò Antiphanes, Thebanos cernens ob Leuctricam pugnam animos attollere, nihil inter eos & pueros dixit interesse, quod cæciderint præceptorem, exultantes. Atqui id caput eo tempore nō erat Lycurgo, vt multis imperantem relinqueret vrbem suam: sed totam ciuitatem ceu vnum hominem censens beatam vitam ex virtute & ciuili trahere concordia. Id spectās machinatus est & concinnauit, vt ingenui & frugi redditi & continentes, quàm diutissimè durarent.

Reip. fundamentum.

Hoc fundamentum Plato reip. sumpsit, Diogenes item ac Zeno, omnesq; quotquot commentati de his in cœlum feruntur, cum præter scripta & verba reliquerint nihil. Hic, qui non scripta, non verba, sed re in lucem edidit remp. quam imitari nemo queat: & arbitrantibus sapientem, qualis informatur, nunquam existere posse, ob oculos posuit totam philosophantem ciuitatem: optimo iure, quicunque vnquam resp. in Græcia instituerunt, antecelluit omneis gloria. Quamobrem illum Aristoteles non satis amplos pro merito honores, quamuis habeat amplissimos, habere ait Lacedæmone.

Lycurgo honores diuini habiti mortuo.

Extat enim ibi templum, vbi vt Deo anniuersaria sacra ei faciunt. Fama est, cum reliquiæ eius in patriam relatæ essent, tumulum de cœlo fuisse tactum: idq; si discesseris ab Euripide, qui postmodum defunctus est, & in Macedonia prope Arethusam humatus, haud temere contigisse cuiquam inter claros viros alij. Hoc quidē suppetit magnum argumentum & testimonium studiosis Euripidis, quod soli ei post fata euenerit et delatum fuerit illud, quod dijs gratissimo & sanctissimo viro antè euenerat. Extinctum Lycurgum alij Cirræ affirmant, Apollothemis deportatum Elim, Timeus & Aristoxenus in Creta vitam finisse, & sepulchrum eius ostendi Aristoxenus ait, in Pergamia iuxta viam regiam.

Antiorus Lycurgi F.

Filium tradunt eum vnicum reliquisse Antiorum: quo sine prole defuncto familia eius exoleuit. Amici eius & familiares anniuersaria & cōuentum, qui longo tempore mansit, instituerunt: ac dies, quibus conuentum celebrabant, Lycurgidas appellauere.

Lycurgi prouisio, ne leges eius soluerentur.

Aristocrates Hipparchi filius hospites Lycurgi memorat, cum in Creta esset absumptus, rogatu eius corpus combussisse, cineresq; dissipasse in pelagus: quo caueret, ne si quando reliquiæ suæ essent Lacedæmonem delatæ, tanquam ipse reuertisset, & soluti essent iureiurando, remp. immutarent. Hæc accepimus de Lycurgo.

Numa Pompilius.

Numa quo tempore fuerit. qua de re Cic. de Or. 2. & Tuscul. 4. Liu. Halicar. libro 2.



EST etiam de rege Numa, quo tempore vixerit, non leuis concertatio, tametsi ad hunc authorem stemmata pro certo referre velint. Verùm Clodius quidam in libro, cui titulum fecit Indicem temporum, vetusta illa acta, cum excinderent Galli vrbem, abolita contendit fuisse. Quæ verò nunc in manibus teruntur, esse à nonnullis in gratiā certorum hominum in nobilissimas familias et gentes, à quibus alienissimi sint, penetrantium, falsò conscripta.

Pythagoras an consuetudinem habuerit cum Numa.

Cum autem fama obtineat Pythagoræ Numam auditorem fuisse, partim eum Græcas literas planè negant attigisse: quasi aut sua indole & per se aspirare ad virtutem quiuerit, aut præstantiori Pythagora tribui barbaro, nescio cui, institutio possit regis: partim Pythagoram dictitāt diu pōst secutum, atque ab Numæ seculo quinque fermè remotum ætatibus: sed Spartiatem Pythagoram, qui Olympijs cursu victor fuit circa sextamdecimā Olympiadem, cuius anno tertio est regnum Numa adeptus, cum peragraret Italiam, consuetudinem habuisse cum Numa,

atq;

atq; in conſtituendo regno conſiliorum ei fuiſſe adiutorem. quare ex præceptis huius Pythagoræ non pauca eſſe inſtituta Lacedæmoniorū admixta Romanis. Et aliàs ortus fuit Numa ex Sabinis: Sabini colonos ferunt ſe Lacedæmoniorum. Cæterū ætates ad amuſſim exigere haud promptum ſit, maximè ſi redducantur ad Olympionicas: quorum ſerò breuiarium Elium Hippiam ferunt nullis certis fultum argumētis edidiſſe. Nos quę memoratu digna de Numa comperimus, exponemus exordio hoc ſumpto conuenienti.

Romuli mors.

Annus à cōdita Roma ſeptimus & trigeſimus agebatur, regnāte Romulo: cū quinto die menſis Iulij, quem nūc Nonas Capratinas vocant, ſacrificium Romulus publicū extra vrbem ad Capræ paludem quam vocant, faciebat. Aderāt ſenatus & frequens populus. Ibi atrox ſubitò coorta tēpeſtas, caligoq; cū procella & fragore ex aere in terrā delata, cæterā turbam perculſam in fugam diſiecit. Romulus autem eſt ex oculis elapſus, nec deinceps vel ipſe vel corpus eſt defuncti viſum. Vnde atroci ſuſpicione patres contacti, ac manauit vulgo fama, iam pridē regnū exoſos, quo eius vim ſui iuris facerent, regē interemiſſe, iam enim aſperius cū ijs atq; imperioſius videbatur egiſſe. At eā opinionē decretis ei diuinis honoribus diſcuſſerunt, quaſi non mortuus Romulus, ſed ſupra ſortē humanā foret. Proclus autē nobilis vir vidiſſe ſublimem ſe cum armis raptū Romulū adiurauit, vocemq; audiuiſſe Quirinum appellari ſe iubentis.

Diſſenſio Romæ de rege creādo.

Mox alius de creando rege motus & fluctus nondū ſatis coalitis inter peregrinos & Romanos veteres animis, verſauit ciuitatem. Nā populus inter ſe grauiter adhuc æſtuabat, & patres inuicē ſuſpecti diſsidebāt. Eſſe igitur regē omnibus placebat, ſed certabatur cōtendebaturq; non de viro tantū, ſed & vtra gens principē daret. Neq; enim hi qui vrbem cū Romulo condiderāt, in animum inducebāt concedere, vt recepti in ciuitatem & agrum Sabini imperare molirentur receptoribus. Contra Sabinorū plena æquitatis erat ratio: quia extincto rege ſuo Tatio non inſurrexiſſent aduerſus Romulum, ſed regnare vnum permiſiſſent, nūc viciſsim regem ex corpore ſuo poſtulabant creari. Nam nec humiliores ſe præſtātioribus Romanis coniunxiſſe, & hac cōglutinatione vires addidiſſe ex frequētia ſua, corpusq; illorum cū ſuo coniunctū ad dignationē ciuitatis prouexiſſe. Atq; hoc ſemen erat ſeditionis.

Liuius centum; Dionyſius ducētos fuiſſe ſcribit. Cū Dionyſio cōſentit Plutar. in Romulo.

Ne autem ſuſpenſa ſine imperio rep. diſcordia omnia miſceeret, cōparant inter ſe centū quinquaginta patres, vt loco Quirini ſinguli viciſsim cum inſignibus imperij ſolēnia ſacra obirent, & ius dicerēt ſenis horis nocturnis & ſenis diurnis. Hæc tēporis vtriuſq; diſtributio & ad ęqualitatem recte cōparata magiſtratibus videbatur: & viciſsitudo ſummi imperij, ne id in oculos plebis incurreret, efficere: cum eundem conſpicerent eodem die & nocte priuatum ex rege factū.

Interregnum.

Forma ea imperij apud Romanos Interregnum appellata. Quāquam autem eos apparet ita populariter & moderatè præeſſe, non potuerunt tamen obtrectationem & murmur populi vitare, tanquam ſummam rerū ad paucorū arbitriū trahentes, & remp. ad nutū ſuum conuertentes, regem nollent. Cōuenit inde inter vtramq; factionem, vt altera regē ex alterius corpore legeret. Ita poſſe exiſtimarūt potiſsimū tolli præſens certamē, eumq; qui creatus eſſet, fore æquabilē vtriſq;: quod his, qui ipſum creaſſent, eſſet ob beneficium deuinctus, & illis faueret ob neceſsitudinem. Cum permitterent veteribus Romanis Sabini lectionem, maluerunt ipſi regnū Sabino deferre, quàm accipere regē ex illorū ſuffragijs Romanū.

Numa rex creatur.

Ita re inter ſe deliberata ex Sabinis creant Numam Pompiliū virum qui Romam nō cōmigrauerat. Verùm adeò erat inclyta apud omnes illius virtus, vt audito eius nomine maiore plauſu eum Sabini, quàm illi, qui detulerāt regnū, acciperēt. Vbi renūciauerūt in concione, quē dixiſſent regē: primores vtriuſq; factionis ad eū oratū, vt ad regnum ſuſcipiendum veniret, pariter mittūt. Curibus Numa celebri Sabinorū vrbe habitabat: à quibus Quirites ſe Romani vnà cū receptis Sabinis nominauère.

Quirites vnde dicti

Filius fuit Pōponij illuſtris viri ex quatuor fratribus minimus, diuino quodam caſu eadē genitus die, qua Romulus condiderat Romam: ea eſt vndecimo Calend. Maias.

Numæ mores & vita ante regnū.

Hic temperatum ſua ſponte ad omnem virtutem animum magis etiam doctrina, tolerantia, & ſapientiæ ſtudio excoluerat. Quarū præſidio artium, non modo motus animi illos infames, verùm etiam honoratā apud barbaros violentiam & fraudulentiam extirpauerat: eam demum veram fortitudinem exiſtimans, quę cupiditatibus animi ſui imponeret rationis frenos. Ita dum ſimul omnem luxum domo & delicias exigit, omnibus ciuibus & peregrinis integrū ſe in iudicando & conſilio dando præbet, ocium ſuum non in luſtris & quæſtibus ponit, ſed in religioue deorum immortalium, & in contemplāda per rationem eorū natura & poteſtate: ingenti nomine fuit & gloria, vt ille quē conſortem regni habebat Romulus, Tatius vnicam filiam ei Tatiam nuptū daret, Nec tamē hę

Numæ vxor Tatia.

nuptię ei tantos spiritus fecerunt, vt ad socerum migraret, sed ibidem commoratus in Sabinis est tuens patrem: simulq́ Tatia viri priuati ocium honoribus & splendore, quibus potuit per parentem frui Romæ, prætulit. Cæterùm hanc ferunt postquam in Numę matrimonio tredecim annos fuisset, decessisse. Hinc Numa relicta vrbana vita plerunq; rusticari & errare solus voluit, egitq; in lucis deorum sacrisq́ pratis ac solitudinibus. Vnde potissimùm nata est de dea fama, nullo Numam illum mœrore aut perturbatione mentis in secessu viuere, sed sublimioris gustu contubernij & cœlestibus nuptijs potitum, ex deæ Aegetiæ ipsius amore flagrantis congressu atq; consuetudine vitam beatã esse adeptum, & rerum diuinarum scientiam hausisse. Haud obscurum est hæc multas resipisce re veteres fabulas, quas Phryges de Atte, Bithyni de Herodoto, & de Endymione Arcades, deq; alijs compluribus, quos beatos ducebant & dijs gratos, à maioribus acceptas probauerunt. Et sanè non mirum est, cum non equorum vel auium Deus, sed hominum amore teneatur: cum his, qui virtutibus excellunt, cupere eum vnà esse, neq; respuere hominis diuini & sapientis familiaritatem. At corporis quoque humani & speciei Deum laremq; trahi consuetudine & gratia, id verò difficile est creditu. Et quidem non absurdè putãtur Aegyptij digerere, nihil prohibere, quin halitus Dei appulsus mulieri principia infundat generationis, sed viro nullum cum dea patère congressum vel corporis cõsuetudinem. Verùm ignorant hi parem inuicem reddere commixta communicationem. Sed enim esse dijs charum hominem, atque hinc amorem illum, quem aiunt, existere ad tuendam modestiam & virtutem, haud sit absonum. Neque errent illi, qui Phorbantem, Hyacinthum, Admetum ab Appolline fabulantur adamatos, sicut etiam Sicyonium Hippolytum: cui aiunt, quoties à Sicyone transmitteret Cirrham, sortes Pythiam quasi sentiente deo & exultante dedisse, vaticinariq; hunc versum solitam:

Numæ cum dea Aegeria consuetudo.

Dijs an cum hominibus sit consuetudo.

A Deo adamati, qui.

Iamq; iterum Hippolyti charum caput æquora sulcat.

Iam Pindari quoque eiusq; carminum Pana desiderio captum fuisse est in fabulis. Adhęc Archilocho & Hesiodo carminum gratia fato functis habitum à deo honorem. Sophoclis etiam viui Aesculapium hospitio vsum fama est, quæ multa ad hanc vsque memoriã vestigia retinet: & defuncto alium deum sepulturam perhibent curasse. Sed cum his fidem habeamus, quid num abnuemus Zaleuco, Minoi, Zoroastri, Numæ, Lycurgo regnis moderantibus & cõstituentibus resp. deum vsum familiariter? An verò potius cum his deos dicemus, ut recta suggerant ijs & moneant, esse seriò congressos: poetis verò & Lyricis vibrissantibus, si tamen vnquam per lusum frui? Si cui videtur aliter, lata est via, vt verbis Baechylidis vtar. Sed nec altera fama, quæ de Lycurgo, Numa & similibus viris refertur, quicquam habet absurdi: cum ferocem multitudinem & difficilem tractarent, multaq; in ciuitatibus suis nouarent, commẽtos fuisse, vt authoritatem diuinam adhiberent illis ipsis, ad quos ista simulabant, salutarem. Porrò Numam annum agentem quadragesimum legati Romani acciuerunt ad accipiendum regnum. Verba fecerunt Proculus & Velesus, quorum alterutrum populus ante videbatur ad regnum prouecturus. Proculi veteres Romani, Tatij factio fuerat Velesi studiosa. Breuis fuit oratio eorũ, fortunam delatam rati Numæ gratam fore. Atqui non parui negocij sanè fuit, sed multæ persuasionis & contentionis inducere eum et flectere sententiam eius, vt ex tranquilla et quieta vita imperiũ reciperet ciuitatis in bello quasi natæ & adultæ. Igitur patre & Martio propinquo adhibitis, respondit omnem vitæ conuersionem lubricam homini esse: cui verò ad vitam tolerandam nihil absit, & cui res suæ satis debeant placere, eum nihil præter dementiam ex assuetis auferre & traducere: quæ si nulla re alia, quod stabiliora certè sunt, præcellant incertis. Tametsi obscurus non sit status regni ex Romuli casibus conijcienti, quanta suspicione aspersus insidiarum collegæ structarum Tatio fuerit, quantum etiam senatum quasi necatus ab eo presserit. Atqui Romulum hi vulgo, inquit, celebrant dijs satum, diuinaq; ei incunabula tribuunt, & seruatum infantem incredibili modo autumant. Nobis mortale genus, nutrimenta & rudimenta sub hominibus, quos cognoscitis. Laus verò morum meorum aliena est à regnaturo, magnum ocium & tranquillitatis literarum studium. Ingens etiam mihi est & inueteratus pacis amor, rerumq; quietarum & hominum cœtus ad deorum honorẽ, et ad se mutuo inuitandos celebrantium, cætera seorsum agros colẽtium aut pascentiũ. Vobis Romani multa bella Romulus inuitus fortasse reliquit. Ad ea sustinẽda ciuitas ardentẽ desiderat & viuidum regem. Iam multum assuetus populus est armis & ob secundum rerum cursum alacris: neque quenquam latet tendere ad maiora eum & libidine flagrare in alios do-

Allij deum, Bacchum fuisse, Pli. 7. 29. & Pausan. in Atticis scribunt.

Numæ oratio regnũ recusantis.

alios dominandi: vt planè despectui sit futuris is, qui veneretur deos, & colere iustitiam, rapinam atque bellum odisse doceat ciuitatem, quæ ducem potius ad bellandum, quàm quærat regem. His verbis repudiãtem regnum Romani maiorem in modum obtestari & orare, ne iterum ipsos in seditionem & bellum ciuile conijceret: cum alium, in quem consensura vtraque factio esset, non haberent. Iam etiam parens & Martius summonis illis suadere & vrgere seorsum eum ad recipiendum ingens & cœleste donum. Siue diuitias tua contentus sorte, inquiunt, non desideras, neque splendorem imperij & potentiæ sectaris excellentiore præditus virtute: saltem regni administrationem ministerium existima dei, qui excitat, neque obsolescere & torpere istam patitur tanram iustitiam. Noli itaque declinare & defugere imperium: quod sapienti viro egregiorum & magnorum factorũ est stadium, in quo & deos colere magnificè & ad pietatẽ mollire liceat homines, qui facillime & promptissimè ad principis se mores conformant. Hi etiam Tatium dilexerunt aduenam principem, & Romuli memoriam honoribus diuinis consecrauerunt. Quid si victorem populum iam satietas capiet belli, triumphisq; expletus & manubijs, sedatum principem & iustitiæ cultorem ad ciuitatem legibus & pace temperandã exoptat? Qui si vel immodico & insano bellandi ardeat studio, nonne satius sit habenas tenentem aliò diuertere feruorem eius, patriæq; atq; vniuersæ Sabinorũ genti florentẽ ciuitatem & opulentã necessitudine & amicitia copulare? His accesserunt, vt fertur, fausta prodigia, contentioq; ciuium eius & studium, vt diuulgatum est, quid adferrẽt legati, rogantiũ iret, atq; regnũ capesseret ad vnanimitatem & concordiã inter ciues conciliandam.

Numæ patris oratio regnum vt accipiat, suadentis.

Vt in eam sententiã descendit, re diuina facta Romã profectus est. Prodijt ei obuiã incredibili desiderio senatus populusq;. Fœminæ eum festis acclamationibus exceperunt. Ad sacras ędes hostię cæsæ, tantaq; omniũ fuit lætitia, quasi non regem, sed exciperet ciuitas regnum.

Numa à re diuina auspicatur regnum.

Vt in forũ descenderunt, Spurius Vettius, qui per eas horas erat Interrex, misit Quirites in suffragia, omnesq; suffragijs illum regẽ dixêre. Cui cũ insignia regni deferrentur, sustinere iussit: velle se deos de regno consulere. Ita vnà cũ auguribus & sacerdotibus in Capitoliũ ascendit, Tarpeium collem appellabant tunc Romani: ibi princeps augurum eũ capite velato ad meridiẽ conuertit, atq; à tergo assistens, dextra in capite Numæ imposita, precatus est, & in omnem partem circunlatis oculis, si qua auspicia vel ostenta dij darent, obseruauit.

Numa inauguratur.

Mirum interea tantæ multitudinis in foro stantis silentium erat, expectantis & in euentum suspensæ: quousq; secundæ & faustæ aues conspectæ rem cõprobauerunt. Tum Numa veste regia indutus ex arce ad populum descendit, exceptusq; est vt vir religiosissimus & sanctissimus plausu & complexu. Inito regno protinus cohortem trecentorũ, quibus stipatus Romulus semper fuerat, quos appellauerat Celeres, exauthorauit. neque enim diffidere fidem sibi habentibus, neque imperare diffidẽtibus in animũ induxit.

Celeres ab Numa exauthorati.

Inde duobus Flaminibus Diali & Martiali tertiũ Romuli addidit, quem vocauit Quirinalem. Nam & priscos Flamines nominabant à pileis quibus caput tegebant, quasi pilamines, vt proditũ memoriæ est, Græcis dictionibus tunc plus quàm hoc seculo Latinæ linguæ immixtis.

Flamen Quirinalis à Numa institutus.

Quas enim ferebant lænas reges, Iuba vult χλαίνας esse, & ministrum in ęde Iouis pubescentem puerũ dici Camillum: quo nomine Mercurium nonnulli Græci à ministerio appellauêre.

Camillus, Mercurius.

Cum hæc instituisset Numa ad cõciliandam sibi beneuolẽtiam & gratiam populi, illicò ciuitatem ferri modo rigidam & bellis efferatam ad humanitatem parar & iustitiam mollire. Et reuera illa tunc erat, quam vocat æstuantẽ ciuitatem Plato. nam ab origine audacissimi quiq; & pugnacissimi, quos ferocitas & proiecta cõglobauerat temeritas, illuc vndiq; confluxerãt: crebrisq; expeditionibus & bellis perpetuis aluerat illa ciuitas & propagauerat vires: ac sicut tigna validius defiguntur agitata, ita induruisse ex periculis videbatur.

Numa populum ad pacem traducit.

Plato de Rep. lib. 2.

Tam elatũ & ferocem populum non vulgaris nec mediocris artis esse ratus tractare & reflectere ad pacem, à religione consilium mutuauit. Sacrificijs plurimùm & supplicationibus atq; choreis, quæ ipse obibat dispensabatq;, coniunctam venerandam grauitatem cum suaui oblectamento & festiuo habentibus, mulcens ac pertractans feruidos & Martiales animos interim metũ deorum inijciens, & spectra lariũ horrenda tristesq; voces nuncians, domabat atq; deprimebat spiritus eorum religione. Vnde percrebuit præcipuè sapientiam hanc & eruditionem ex Pythagora hausisse Numam. Magna enim ex parte hic Reip. suæ institutionem, philosophiã superior in rebus diuinis posuit. Exteriorẽ speciem quoq; & personã eadẽ ac Pythagoras mẽte dicitur petisse.

Numæ & Pythagoræ institutorũ similitudo.

Fertur ille ita mãsuefecisse aquilã, vt certis vocibus sisteret & deuocaret superuolantẽ; iam in conuentu Olympiaco transeuntẽ femur

Aquila mãsuefacta.

aureum protulisse, aliasq; commemorant monstrificas eius artes & facta. Quare scripsit Timon Phliasius,

Pythagoram technis captantem nominis auram
Vita, & mulcentem blandis sermonibus aures.

Numæ fabula deæ cuiuspiam aut nymphæ montanæ amor & arcanum cum ipso contubernium, vt suprà diximus, erat, mutuaq; cum Musis consuetudo. Plerasque autem diuinationes suas contulit in Camœnas.

Numa Tacitam Musam colebat.

Vnam peculiariter atq; eximiè venerari præcepit Romanis, Tacitam eã nominauit: quæ cõmemoratio visa est & obseruatio silentij Pythagorici.

Numa abolet statuas.

Iam huius de statuis scita, vndequaq; Pythagoræ placitorũ sunt germana. neque enim ille sensui aut vlli dolori expositum rerum principium esse: sed inuisibile, incorruptũ, sola mente existimauit apprehensibile. Hic vetuit Romanis hominis vel bestiæ formam tribuere deo, neque fuit vlla apud eos ante vel picta vel ficta imago dei, sed primos centum sexaginta annos templa extruxerunt & cellas dijs: simulachrum per id temporis nullum habuerunt, nefas putantes augustiora exprimere humilioribus, neque aspirari aliter ad deum quàm mẽte posse.

Deum mente colendum.

Adhæc hostiæ eius respondent planè victimis Pythagoricis: incruentę enim erant, ac ferè farina, libaminibus ex vino & rebus simplicissimis parabantur. Alijs præterea argumentis vrgent remotioribus horum contubernium. Quorum vnum est, quod donauerũt Pythagoram Romani ciuitate, vt author in libro quodã Antenori dicato comicus est Epicharmus, vir antiquus & ex schola Pythagorica. Alij quod vnum Numa ex quatuor filijs suis nomine Pythagoræ filij appellauerit Mamercũ.

Aemiliorũ familia, vnde orta. Liu. li. 4.

Ab illo Aemiliam quoque gentem patricijs insertam nomen referunt traxisse, regemq; blando eo nomine expressisse illius in dicẽdo lepores & venustatẽ. Nos Romæ ex multis accepimus, cum narrarẽt ex oraculo, quod olim iusserat Romanis, vt sapientissimo & fortissimo inter Græcos statuas apud se locarent: duas æneas in foro posuisse, vnam Alcibiadis, alterã Pythagoræ. verùm hæc ambiguitatis sunt plena, quæ certè stultæ sit pertinaciæ prolixius agitare vel astruere.

Pontifices à Numa instituti.
Pontifices vnde dicti.

Iam etiam sacerdotum, quos pontifices vocant, adscribunt ordines & primordium Numæ, aiuntq; ipsum inter eos Pontificem maximum fuisse: inde ducto vocabulo, vt nonnulli volunt, quod deos curent, qui potestatem & arbitrium habent omnium rerum. Sunt qui à dictione posse deducant, exemptis quibusdã literis, præcipiente sacerdotibus legislatore sacrificia facere, quæ possent: nec, si quod interuenerit maius impedimentum, fatigante eos.

Varro de ling. Lat. quam hic notat.

Maxima pars nomen omnium absurdissimum approbant, neque aliunde quàm à sacris, quæ peragebantur in pontibus, sanctissimis & antiquissimis hos cognomen inuenisse: quorum tuendorum & reficiendorum, vt cæterorum perpetuorum & solennium sacrorum ad hos sacerdotes cura pertineat: neque enim licitum esse, sed nefas putare Romanos põtem sublicium soluere.

Pons sublicius.

Dicũt enim hunc ex oraculo quodam totũ absque ferro fuisse clauis ligneis iunctum: Lapideus multis seculis pòst ędificatus ab Aemilio Quæstore est. Imò sublicium quoq; referũt ab rege Anco Martio Numę ex filia nepote fuisse excitatum.

Pontifex maximus.

Pontifex maximus instar est interpretis & vatis: vel potius sacrorum antistitis, qui non tantum publicarum ceremoniarũ agit curam, verùm etiã sacrificia priuata obseruat, & vetat solẽnia excedere, docetq; quibus hostijs dij colendi vel placandi sint.

Virginũ Vestalium institutio.
Sacer et æternus ignis.

Insuper virginum Vestalium custos erat, quarum item consecrationem & perpetui ignis, quem asseruant hæ, curam & religionem assignant Numæ: siue puram & incorruptam ignis naturam integris & impollutis credidit corporibus, siue infœcundam & sterilem aggreuauit virginitati. Siquidem in Græcia quoq; sicubi seruatur æternus ignis, sicut Delphis & Athenis viduæ extra ætatẽ positæ nuptiarũ, non virgines præsunt ei. Qui si fortè extinctus fuerit, vt Aristionis tyrãnide sacra lucerna Athenis, & Delphis tẽplo à Medis incenso, belloq; Mithridatico atq; Romanorũ ciuili vnà cũ ara fuit delectus ignis: negãt eũ fas esse ex alio accẽdi igne, sed nouũ & recentẽ parandum, eliciendũq; puram ac liquidã ex sole flammam.

Flamma quemadmodũ ex sole eliciatur.

Succendunt eã scaphijs cauatis in ęqualia latera ortogonia trigonalia, quæ ex circũferentia in vnum centrũ sunt deuexa. His soli obuersis radij vndiq; flagrãtes coguntur & contrahũtur ad cẽtrum. Ita cũ ipsum aera diuidunt attenuatum, tum leuissimum quodq; atque aridissimum appositum fomentum inflammant extemplò, quod accipiant reflectione radij corpus & ictum igneum. Ac nonnulli apud virgines Vestales præter ignem illum æternum depositum nihil arbitrantur: alij sacra quædam nulli conspecta, alij condita ibi esse. de quibus quatenus audire & dicere fas est, disseruimus in vita Camilli. Primas à Numa sacratas Geganiã & Vereniã perhibent, inde Canuleiam & Tarpeiã, pòst adiecisse duas priorib.

Seruium:

Virginũ Vestaliũ instituta.

Seruium: hunc numctum ad nostrum æuum retentum. His Vestalibus virginitas à rege tricennalis præscripta. Eius primo decennio, quæ ad ceremonias pertinent, discunt: medio funguntur sacerdotio, tertio alias instituunt. Quo exacto spacio liberum ijs est nubere, & relicto sacerdotio aliam instituere vitam. Quam facultatem paucas aiunt amplexas, neque fuisse secutis lætam: sed pœnitentiæ & mœrori per reliquum vitæ implicatas cęteris religionem incussisse, vt ad senectutem vsque & mortem in virginitate persisterent. Tribuit his ingentes prærogatiuas: inter quas testamenta vel superstite patre nuncupandi ius, & sine tutore vel curatore liberum rerum suarum arbitriũ, vt quibus tres sunt liberi. Prodeuntibus in publicum lictores apparent. Si cui forte occurrerint ad supplicium rapto, is mortis pœnæ eximitur. Iusiurandum autem exigitur à virgine fortuitum fuisse & incõsultum, nec præmeditatum occursum. Is qui sellam curulem earum subit dum vehuntur, necatur. Ob alia peccata virgines Vestales cæduntur à Põtifice maximo. Interdum nudam, quæ deliquit, loco obscuro & obtenso velo castigat. Stupri verò cõperta iuxta portam, quæ dicitur Collina, viua defoditur. Tumulus ibi intra muros terreus est, in lõgum porrectus, Agger latino sermone vocatur: in eo ędicula subterranea extruitur modica, gradus habet quibus descenditur superne. In ea lectus ponitur stratus & lucerna accensa: eorum quoq;, quæ ad victum sunt necessaria, pauca, vt panis, aqua in ampulla, lac, oleũ: quasi corpus abominẽtur maximis cõsecratum ceremonijs fame cõficere. Damnatam lecticæ indunt, atq; vndiq; obnubẽt eam, vinciuntq; loris, vt ne vocem quidem mittere illa, quę valeat exaudiri, queat. ita eam per forum deuehunt. Decedunt autem via omnes taciti, prosequunturq; sine voce atq; ingenti cum mœstitia. Neque est spectaculum illic vllum magis horrendum, nec tristior facies ciuitatis vlla alio est die. Vbi ad locum illum est lectica delata, apparitores ei vincula demunt: Pontifex maximus ante supplicium, preces quasdam arcanas tensis ad cœlum manibus peragit. Inde educit obuolutam, atque in scalis, quà descensus est in domunculã, constituit: tum auertit se cum alijs sacerdotibus. Postquam illa descendit, retrahuntur scalæ, & ædicula multa iniecta desuper humo cõtegitur, donec complanatum solum aggeris fit. Ad eum modum plectuntur, quæ sacram virginitatem imminuerunt. Ferunt Numam ædem quoq; Vestæ sacro igni orbicularem circumiecisse, vt ibi asseruaretur: adumbrans non effigiem terræ, quasi ea Vesta sit, sed vniuersi mundi: cuius in medio ignis sedem loeant Pythagorei, eamq; Vestam nominant & vnitatem. Terram verò non putant immobilem, neque mediam tenere regionem globi, sed esse in gyrum circum ignem suspensam: neque numerari inter clementa mundi præcipua & prima. Eadem Platonem volunt iam senem de terra sensisse, alio eam loco reponentem: medium verò domicilium alteri cuipiam attribuisse præcellentiori. Pontifices præterea iusta funebria, quibus opus est, præscribunt, quos edocuit Numa, nihil vt eorum polluere arbitrarentur: sed vt deos inferos quoque colerent, qui præstantissimam nostri partem recipiant, præ cæteris eam, quam appellant Libitinam, deam præsidem eorum quæ defunctis sunt Feralia peragenda: siue ea Persephone, siue potius, vt arbitrantur Quiritium eruditissimi, Venus sit: haud malè vni virtuti numinis rationem ortus & excessus ascribentes. Idem luctus certis ætatibus & temporibus finiuit: vt puerum trimulo minorem nequis lugeat, maiorem ne plures menses, quàm ille annos vixit vsq; ad decem: nullam ætatem vltra. Longissimam luctus diem decem mensibus terminauit: quod spaciũ viduis quoq; abstinendi à morte viri pręfinitum est à secũdis nuptijs. Quæ antè nupsisset, ea bouem fœtam illius lege immolabat. Multorum quoq; Numa aliorum sacerdotiorum fuit author. Eorum duo cõmemorabo, ex quibus elucet in primis illius religio, Saliorum & Fecialium: siquidem pacis Feciales arbitri fuerunt, qui mea quidẽ opinione nomen ex officio suo trahẽtes disceptatione comprimebant certamina: neq; prius quàm abscissa omni iuris obtinendi spe ad arma iri sinebant. Pacem enim vocãt, eum verbis non vi mutuas controuersias diremerunt. Feciales Romani frequenter commeabant ad eos, qui iniuriam inferrent, poscebantq; res reddi. Si non redderent, deos testati multa diraq; sibi ipsi ac patriæ suę, ni iustè iniuriam vindicatum irent, imprecabantur: ita indicebant illis bellum. Intercedentibus his aut improbantibus, neque militi licebat neq; regi Romano arma mouere: sed ab his auspicandum ei bellum vt iusto duci erat, inde quid expediret, expendendum. Ac cladem quidem illam Gallicam his violatis ceremonijs inuectam vrbi, fama est. Nam cum obsiderent Clusinos Barbari, Fabius Ambustus in castra missus legatus fuit ad impetrandam obsessis pacem. Qui duriore accepto responso defunctum se munere

Vestalium prærogatiuæ.

Vestalium punitiones.

Vestæ effigies mundi.

Ignis sedes.

Terram in gyrũ moueri.

Funerum ritus.

Libitina.

Lugendi apud Romanos tẽpus.

Feciales. Plutar. Probl. 62. Gell. li. 16. ca. 4.

Liu. lib. 5.

ratus

ratus legationis, præceps arma induit pro Clusinis, ac fortissime dimicantem inter barbaros prouocauit. Obtinuit quidem victoriam oppresso Gallo. Verum legentem spolia vbi Galli agnouerunt, misso Romam caduceatore voceauerunt Fabium in crimen: quod bello non indicto contra ius gentium arma in ipsos tulisset. Ibi agentibus in senatu Fecialibus, vt Gallis dederetur, confugit ad populum Fabius, studioq; plebis perrupit periculum. Mox Galli agmen Romam rapuerunt, vrbemq; dempto Capitolio deleuere. *Saliorum institutio.* Cæterùm hæc in historia Camilli explicantur fusius. Saliorum verò hæc proditur origo. Octauo anno regni Numæ, pestilentia quæ per Italiam vulgabatur, vrbem quoque vastabat. Perculsis ciuibus tradunt peltam æneam in manus Numæ cœlitùs delapsam, *Ancilia.* de hac mira prædicasse regem, ex Aegeria se & Camænis accepisse: esse ea arma ad salutem vrbis missa, & seruanda cum vndecim alijs, quæ pari figura, amplitudine, & forma facienda erant, ne quis fur commodè propter similitudinem interuertere cœlestia valeret: Camænis item eum consecrandum campum & circumiecta prata, vbi plerunque cum ipso congrediebantur: fontem quo irrigatur campus, sacrandum virginibus Vestalibus, cuius aqua lustrarent & aspergerent quotidie penetralia. His fidem factam narrant ex eo quod morbus statim conquieuerit. Eam peltam obtulit Numa artificibus, excitauitq; eos ad similes effingendas. Torpentibus cæteris Veturium Mamuriū insignem opificem ita expressisse effigiem, & imaginem eius repræsentasse, vt ne ipse quidem di- *Salij vnde dicti.* noscere vltrà Numa posset. Horum custodes & ministros Salios constituit. Dicti autem Salij sunt, non vt nonnulli fabulantur ex nomine Salij viri Samothracis vel Mantinæi, qui armatum tripudium tradidit: verùm ab ipso potius tripudio, quod saltando obeunt, cum mense Martio sacras peltas per vrbem ferunt trabeati, balteis latis succincti æneis, galeasq; æneas in capite gerentes, ac minutis pugionibus ad peltas concrepantes. Saltatus huius tripudij pedibus efficitur: motus enim edunt in gyrum haud in- *Ancilia vnde dicta.* concinnos & varios, modulis citatis & frequentibus cum robore & agilitate. Eas peltas ancilia ex figura vocant. neque enim circulus est, neque peltæ orbem, sed habent incisuram lineæ tortuosæ, cuius reflexi sæpius apices, recurrentesq; continenter in se mutuò ἀγκύλην, id est curuam figuram reddunt: aut à cubito, quem ἀγκῶνα Græci vocant, quo gestant ancilia. Hæc Iuba affectans à Græcis hoc nomen deriuare prædicat. Po- *Ouid. Fast. 3.* test etiam ἀπὸ τῆς ἀνέκαθεν φορᾶς, quòd supernè demissa fuissent, nomen esse inditum: vel ab ægrorum medela, quam ἄκεσιν Græci: vel ab siccitatis liberatione, αὐχμοὺς nominant: vel à malorum depulsione, quæ ἀνάσχεσις dicitur. Vnde Castorem & Pollucem Athenienses ἄνακας appellant, si vtique est ad sermonem Græcum deflectendum. Præmium artis Mamurio tributum autumant fuisse carmen quoddam, quod in illius memoriam Salij tripudio illo peragunt. Sunt qui Veturium Mamurium esse aiunt, qui cele- *Numæ regia.* bratur: veterem alij memoriam. Digestis sacris regiam, quæ etiam hodie ita dicitur, iuxta ædem Vestæ ædificauit: vbi plurimùm egit, res diuinas perpetrans, aut instruens sacerdotes, aut cū ijs ex ardore religionis tempus transigens. Alteram habuit domum in *Adorandi deos apud Romanos mos.* colle Quirinali, cuius adhuc locum ostendunt. In pompis & omnibus in supplicationibus sacerdotum antecedebant per vrbem præcones, feriásq; & iustitium indicebant. Siquidem vt Pythagoreos aiunt non permittere, vt obiter quis adoret & supplicet dijs, verùm vt domo statim mente ad id meditatus accedat: ita censuit Numa decere, nihil vt ciues rei diuinæ audirent vel viderent perfunctoriè vel solutè, sed vacui curis alijs velut summo negocio religionis aduerterent animum, viásque à strepitu, crepitu, gemitu, & omnibus quæ comitantur necessarias, & vulgares operas, ad sacras præstarent puras: quorum vestigium nonnullum vel hoc æuo manet Romæ. Cum Consul auspicatur vel *Hoc age, attentionis vox.* immolat: Hoc age, proclamant. Qua voce eos qui assistunt admonent, vt componant se ad id quod agitur. Huius edicta etiam magna ex parte præceptorum Pythagorico- *Numæ et Pythagoræ præceptorum similitudo.* rum fuerunt æmula. Sicut illi præcipiebant: Super chœnicem ne sedeas, Gladio ignem ne verses, Peregrè proficiscens ne te conuertas, Dijs superis imparia immoles, inferis paria: quorum cuiusque sensum tegunt ad vulgus. Eodem modo Numæ quædam instituta rationem habent inuolutam: vt sunt illa, Ne libes dijs ex vite non putata, Ne sacrifices sine farre, Circumagas te dum deos adoras, sedeas cum adoraueris. quorum duo prima mansuetudinem præcipere vt pietatis partem videntur. Conuersio adorantium simulachrum orbis mundi dicitur esse. quin magis videatur, qui adorat deos, quando Orientem spectantibus templis auersus est ab ortu, eo se flectere & mox conuertere ad deum, orbem conficiens & committens ex ambobus consummationem precum. Nisi

quid

quid hercle similiter Aegyptijs rotis inuoluit, & significat hæc figuræ mutatio, nihil esse in rebus humanis stabile: sed quò verterit & voluerit vitam nostram deus, contentos esse nos & boni debere consulere. Considere ab adoratione, omen esse dictitant ratarum precum, & felicitatis in posterum durabilis. Aiunt etiam hanc requiem dispertitionem esse negociorum: quasi actionibus explicatis prioribus considea nt coram dijs, vt auspicentur ab ijsdem alias. Nec verò impedit quicquam, quin hoc cum superioribus congruat, assuesciente nos legislatore, ne pacem deûm occupati, vel in transcursu velut properantes poscamus, sed vbi vacat & ociũ est. Ex huiuscemodi disciplina ad religionem ita placida ciuitas euasit, ita expauit Numæ virtutem, multa vt noua reciperet non abhorrentia à fabulis, nihil rata absonum aut impossibile, quod ille susciperet. Fertur ille aliquando frequentes ciues inuitasse ad epulum, sordidaq; vasa & cœnam planè frugalem plebeiamq; apposuisse. Cœpta cœna intulisse sermonem, deam sibi familiarem adesse, ac repente domum ostendisse poculis instructissimam preciosissimis, mensasq; epulis varijs atque apparatu magnifico affluentes. Omnem verò excessit fidem, quod de eius cum Ioue proditum est colloquio. Fabulãtur enim duos lares, Picum & Faunum in montem Auentinum, cum nondum comprehensus muris esset vel habitaretur, fontibus autem largis scateret & lucos haberet opacos, commeare solitos. Hos cætera Satyris, aut Titanum genti comparaueris. At medicamentorum facultate, præstigiarumq; magicarum technis similia dicunt Idæis Dactylis, vt Græci vocant, commentos peragrasse Italiam. Eos Numam autumant comprehendisse: cum fontem, ex quo potare solebant, vino miscuisset & melle. Captas in varias se vertisse formas, effigiem suam deposuisse, nouasq; induisse & horrendas imagines. Verum vbi teneri se valido nexu & inenodabili senserunt, cùm alia multa præcinuisse futura, tum fulgurum procurationem, quæ in hanc diem cepis, Crinibus, & mænis peragitur, monstrasse. Alij negant illos lares prodidisse ei hanc procurationem, sed eos Iouem cœlo deuocasse incantamentis, atque hunc infensum præcepisse Numæ, vt capitibus procuraret. Cum exciperet Numa, ceparum'ne? dixisse eum, hominum: Numam autem denuo præcepti diritatem auertentem interrogasse, crinibus'ne? Ac cum respondisset Iupiter, animatis: tum Numam, vt ita diceret, instructum ab Aegeria addidisse, mænis: ac discessisse Iouem propitium. Locum verò Elicium ab illo appellatum quasi Ilicium, quòd Ileos Græcè propitium significet. atque procurationem ad eum modum peragi. Fabulosa hæc & ridicula hominum illius seculi studium religionis, quod excitabat assuetudo, indicant. Ipse Numa, vt ferunt, adeò fuit diuina fiducia fretus, vt cum ei aliquando adesse hostes annunciatum esset, arridens dixerit: Ego verò sacra facio. Hunc memorant primum Fidei & Termini templa excitauisse. Fidem autem constituisse Romanis maximum iusiurandum, quod etiamnum obseruant. Termino publicè & priuatim in finibus agrorum immolant hoc tempore animalia, olim hostia erat inanima: docente Numa debere eos deum Terminalem, cum pacis sit præses & arbiter iustitiæ, cæde purum esse. Videtur verò planè hic rex agrum Romanum terminasse, cum noluisset Romulus mensura proprij prodere rapinam alieni: siquidem compedes terminos esse, si seruarentur, virium: & iniuriæ indicium, si non seruarentur. Neque sanè latus initiò ager fuit Romanus, sed eum magna ex parte quæsiuit Romulus bello: quem diuisit totum Numa egenæ plebi, quo præcisa iniuriæ necessitate inferendæ, inopia traductum ad colendos agros populum arua mitigarent. Quippe institutum aliud nullum tam acrem amorem & celerem inducit pacis, quam vita rustica, quæ ex audacia bellica, quatenus propugnatio postulat proprij, retinet: libidinem violentiæ & rapiendi resecat. Quamobrem agriculturæ Numa & quietis illecebris implicans ciues, atque hanc vt morum magistram potiùs quàm opulentiæ conciliatricem amplectens, distribuit agrum in partes, quas pagos vocauit, singulisq; custodes præfecit & arbitros. Interim inspexit ipse eos, atque ex operibus coniecturam capiens de moribus ciuium, alios ad honores & authoritatem prouehebat, socordes & ignauos castigabat probris & conuicijs.

Numa qua arte placidos reddit Romanos.

Numæ miracula.

Numæ cum Ioue congressus.

Picus.

Faunus.

Fulgurum procuratio.

Elicium, loci nomen.

Fidei & Termini templa erecta à Numa.

Numa terminat agrũ Romanũ.

Numa agriculturam euehit.

Præ cæteris eius institutis commendatur populi per artificia centuriatio. Nam ciuitas cum ex duabus constare gentibus, sicut diximus, videretur, vel distaret potius, neque vllo modo coalescere in vnum sustineret, nec quasi eluere illas factiones & discrimen, sed certaminibus assiduis partium & contentionibus conflictaretur: reputans corpora rigida, & quæ per se commiscentur ægrè, temperari mutuò comminuta & concisa, atque exiguis portionibus coire: interesse putauit, vt multitudinem

Numa diuidit populum per artificia.

in plu-

in plures dissecaret partes, vtque conijceret eos ex his in alia discrimina, atque ita primum ingens illud dissidium obliteraret distractum in minuta. Diuisit autem ciuitatem per artes tibicinum, aurificum, fabrûm, tinctorum, sutorum, coriariorum, æraríorum, figulorum. Reliquas artes in vnum coegit, fecitque ex omnibus corpus vnum: collegiaque & concilia atque sacra cuique sectæ decentia attribuit. Ita primum sustulit ex vrbe factiones, ne hi Sabini, illi Romani: hi Tatij, illi haberentur & vocarentur Romuli ciues. Atque hæc distractio consensus & temperamentum est cum omnibus omnium facta. Laudatur item inter acta eius correctio legis, qua patri erat liberos distrahendi: à qua excepit eos, qui in matrimonio essent, si contraxissent patris consensu & iussu nuptias: durum enim existimauit tanquam libero collocatam matrimonium tenere serui. Libauit & siderum rationem, non consummatè quidē, nec pingui tamen Minerua. Nam Romuli regno menses habuerunt temerè confusos: cum partim nec viginti dierum, partim quinque & triginta, alios plurium computarent: rudesque discrepantis cursus lunæ & solis vnum hoc tenerent, vt esset annus 360 dierum. Numa inæqualitatis variationem vndecim diebus animaduertens discrepare, quod lunatis trecētis quinquaginta quatuor diebus constet, solaris verò expleat 365. geminatis vndecim hisce diebus mēsem intercalarem duorum & viginti dierum, quem Mercidinū vocant Romani, mensi Februario altero quoque anno inseruit. Cæterum hoc eius remedium imparitatis opem requirebat maiorem.

Numa Romæ tollit Romuli & Tatij factiones.
Mensium ordinatio à Numa instituta.
Mercidinus mensis.

Ordinem etiam retexuit mensium, ac Martium qui erat primus, tertio loco posuit. Primum locauit eum, qui fuerat sub Romulo vndecimus, Ianuarium. Duodecimus & vltimus tunc Februarius erat, quem nunc habent secundū. Plerique tamē adiunctos quoque ab Numa hos contendunt, Ianuarium & Februarium: ab exordio constitisse decem mensibus annum, vt apud nonnullos barbaros tribus, & in Græcia apud Arcadas quatuor, sex in Acarnania. Aegyptijs menstruus annus fuit, mox quadrimestris, vt ferunt. Qui quamuis regionem colant maximè nouitiam, habentur vetustissimi, & numerum annorum in annalibus suis infinitum supputant, mensibus inter annos annumeratis. Nam Romanos quidem in menses decem non duodecim annum descripsisse docet postremi vocabulum, quem nominant etiamnum Decembrem. Martium ordine dictum primū ex eo liquet, quod eum qui est ab hoc quintus, Quintilem appellent, sextum quoque Sextilem: & ita deinceps reliquos. Si verò Martio Ianuarium & Februarium prætexuissent, oportuisset vt Quintilem quidem nuncupassent eum, sed reposuissent eum in numero septimum. Et quidem verisimile sit, dicatum à Romulo Marti Martium, dictum ab eo simul primùm fuisse, secundum Aprilem, qui nomen à Venere, quā ἀφροδίτην nominant Græci, traxit: quo mense faciunt huic sacrū, mulieresque Calendis redimitæ myrteis coronis lauant. Quidam non à Venere nomen sortitum: sed quia vox tenuis est, ideo Aprilem ferunt nominatum hunc mensem, quòd vere tunc adulto plantarum germina aperiat. id linguæ Romanæ consentiens est. Proximum dicunt à Maia Maium: Mercurio enim sacer est. Iunium à tempore anni. Sunt nonnulli qui ab ætatibus indita his nomina ferant, dicuntur enim, qui grauiore ætate sunt, maiores: iuniores, qui minore. Residuorum mensium quemque ab ordine sicut numerauerunt, ita nominarunt Quintilem, Sextilem, Septembrem, Octobrem, Nouembrem, Decembrem. Pòst Quintilis à Cæsare, qui deuicit Pompeium, Iulius: Sextilis à secundo principe, cui cognomen fuit Augusto, vocabulum habuit. Succedentes appellationibus suis transnominauit Domitianus: verùm haud id diu. Quo trucidato receperūt suas, atque alter Septēber, alter vocatur October. Nouissimi soli, quod à primo nomen habuerunt ex ordine, seruauere. Illi autē, qui adiecti à Numa vel traducti fuerunt, Februarius: quasi lustralis sit. Februo enim purgo significat, plantasque expiant eo tēpore, & Lupercalia, quod solenne lustrationis pene est æmulū, celebrant. Primus ab Iano dictus est Ianuarius. Me quidem tenet opinio, Numam Martium à Marte appellatum primo loco mouisse, quod artes ciuiles studeret vbique præferre bellicis. Nam Ianus inter primos vel lares vel reges, ciuilium artium fuit cultor, vitamque feram atque immitem dicitur immutauisse. Vnde bifrontem fingunt eum, quod aliam ex alia faciem rationemque accommodauerit vitæ. Est eius templum Romæ bifore, quod Martis Ianuam vocant. Hoc aperiri bello & claudi pace composita solenne est: quod quidem difficilis est exempli & rari. Quia perpetuo ob latitudinem implicatum est imperium bello, dum cum circunfusis vndique barbaris nationibus colluctatur. Tantum Cæsaris Augusti æuo, oppresso Antonio fuit clausum, & ante non diu M. Attilio & Tito Manlio Consulibus: sed mox fuit armis motis reseratum. Numa regnante

Anni ratio varia.
Martius mensis. Aprilis.
Maius. Iunius.
Iulius. Augustus.
Februarius.
Ianuarius.
Ianus.
Quādo Romæ clausum Iani templum. Liu. lib. 1.

gnante nunquam visum est patuisse, sed tres & quadraginta cōtinuos annos mansit occlusum: ita res bellica prorsus & vndequaq; cōticuit. Non solū enim cicuratus & demulcitus populus Romanus iustitia & placiditate regis fuerat: sed & circumiectæ ciuitates quasi aura quadam & vento salubri illinc afflatæ cœperunt inuertere se, ac desiderio fuerunt capti omnes iustitię, pacis, agrorum colendorum, liberorum in ocio educandorū, & venerandorum deorū. Festi dies, ludi, conuiuia, inuitationesq; tutò inter se cōmeantiū & conuersantiū Italiā tenebant, omni virtute & æquitate tanquā ex Numę fonte sapientię ad omnes permeante, & permanāte illius tranquillitate: vt nec grandiloquentiæ pœticę consurgere ad illorum temporum conditionem valuerint, qui canunt:

Numa regnante perpetua pax fuit.

Hastæ ubi prælongæ, & durorum acies gladiorum
Fœda situ nimio, obducta & rubigine squallent,
Nec tuba dat sonitum, inq; aurem dormitur utramque
Securè.—

Neq; enim bellum vel seditio vlla, neq; nouatio in rep. Numa regnante extitisse refertur: neque aduersus illum ipsum odium vllum vel liuor, vel ex affectatione regni insidiæ vel cōspiratio hominū. Cęterū siue deorū metus pro eo, vt putabatur, excubantiū, siue virtutis reuerētia, siue fortuna secunda vitā hominū ab omni labe seruās eius regno immunē & integrā, clarū dedit exēplum & testimoniū voci Platonis, quā ille nō paucis seculis pòst nō dubitauit de rep. proferre: Tunc demū solutos malis mortales & liberatos fore, si forte diuinitus regia potentia cum mente copulata philosophica, valentiorem improbitate virtutem & superiorē reddidisset. Etenim beatus reuera est vir sapiens. Beati etiā auditores sermonū, qui ex ore promanant sapientis. Nec fortasse vi opus ibi sit, nec minis ad multitudinem: imò ipsi virtutē cum in illustri & claro exēplo vita imperantis cernunt, euadūt spōte sapientes, seq; ad innocentem & beatā vitam, in amicitia & concordia mutua, coniuncta cū iustitia & temperantia, componunt: in qua optimus est omnis præsidij finis: & dignissimus omnium ille regno sit, qui ad eam vitam & statū deducere valet populares.

Reipub. felicitas unde, Platonis sententia.

Hæc præ cæteris videtur Numa perspexisse. De liberis eius & vxoribus in diuersum trahunt authores. Alij coniugem eum præter Tatiam non habuisse, neq; liberos extra vnā filiā Pompiliam dicunt sustulisse. Alij supra hanc quatuor alios habuisse filios edunt, Pōponem, Pinū, Calpum & Mamercum: quorū vnumquemq; prosapiā & claræ successionē gentis reliquisse. Pomponis enim esse Pomponios sobolem, Pini Pinarios, Calpi Calpurnios, Mamerci Mamercios: quibus etiam ex illo cognomen regibus sit inditū. Tertij hos, quod gratiæ id harum familiarum dederint, & imagines ab Numę successione ijs cō donauerint falsas, insectantur: Pompiliamq; reclamant ex Tatia editam, sed ex alia fuisse vxore, quam post regnū adeptum duxerit, Lucretia. Omnes certè Pompiliā consentiunt Martio nupsisse. Martius hic filius fuit illius Martij, qui ad regnum suscipiendum Numā impulit: is enim simul cum eo cōmigrauit Romam, & honoris causa allectus in senatum fuit. Post obitū Numæ, Tulli Hostilij competitor regni cū repulsam tulisset, consciuit sibi ipse mortē. Cuius filius Martius, qui in matrimonio Pōpiliam habebat, hæsit Romę, & Ancū Martiū, qui Tullo Hostilio in regno successit, procreauit. Hūc moriens Numa, vt traditur, quinq; natū annos reliquit.

Numæ posteritas & vxores.

Anci Martij pater.

Fuit excessus eius non subitus neque repentinus, sed senio & lenta ęgritudine pedetētim cōtabuit, vt scripsit Piso. Decessit nō multo plus quàm octogenarius. Vitā eius socij & amici populi, qui ad exequias eius conuenerūt, etiam funere cohonestauerunt, allatis publicè odoribus & coronis. Senatores lectū subierūt, ac sacerdotes deorum pręsentes eū sunt prosecuti. Reliqua multitudo immixtis fœminis & pueris, nō tanquā iustis assisterent senis regis, sed quasi efferret quisq; ex charissimis vnum in flore ætatis sublatū, cuius desiderio teneretur, ita cū eiulatu & planctu secuti sunt.

Numæ mors.

Numæ funus.

Corpus ex præcepto eius, vt fama est, non cremauerunt: verùm duas arcas lapideas fecerūt, quas condiderūt sub ianiculo. Quarum in vna cadauer eius positū fuit, in altera libri sacri, quos ipse, vt in Græcia legum scriptores tabulas, quas Cyrbas vocāt, cōscripserat: & quæ in ijs expressa erant, quia ea tradiderat cū viueret pōtificibus, omniū q; arte & sensu imbuerat eos: sacras tabulas vnà cum corpore iusserat humari, censens non tutò arcana mortuis cōmitti literis. Eadē ductos ratione nec Pythagoreos memorāt præcepta sua scripto mandare, sed memoriam & disciplinā earum instillare dignis viuā. Ac cum perplexæ illę & arcanæ, quas vocāt, in geometria rationes & cōmentationes essent indigno cuipiā euulgatæ, denunciare deos contenderūt, magna aliqua & inusitata clade se admissum illud scelus persecuturum: vt meritò sit ignoscendum ijs, qui tam multis cō-

Numæ libri.

Pythagorei cur nihil scriptū reliquerint.

currentibus affinitatibus familiaritatem Numæ conciliare nituntur cum Pythagora. Valerius Antias scriptũ reliquit, duodecim volumina de rebus sacris, duodecim irẽ Græca alia de studio Sapiẽtię in ea arca cõdita fuisse. Quadringẽtis ferè annis pòst P. Cornelio M. Bebio Consſ. magnis imbribus cum tumulus perruptus esset, eruit arcas eas eluuies. Earum opercula defluxerant, atq; altera prorsus inuenta inanis, sine vllis reliquijs aut vestigio corporis humani. In altera cõmentarij reperti: quos dicitur legisse, qui tum Pretor erat Petilius, & in senatu iurasse, non videri sibi ius vel fas esse, vt ea scripta in vulgus ederentur. quare delati in Comitiũ libri cremati fuisse. Ita omnes bonos & probos viros laus etiam fato functos à tergo grandior insequitur, cum breui pòst emarcescat inuidia: cuius anteuertat quorundam etiam fata extinctio. At verò illius gloriam secutorum regum fecerunt fortunæ illustriorẽ. Quinq; fuerunt: horum nouissimus pulsus regno in exilio cõsenuit. Reliquorum quatuor absumptus suo fato est nemo, sed tres insidijs circumuenti occubuêre. Qui proximè Numã regnauit Tullus Hostilius, cum plurimas illius virtutes, præcipue & supra cæteras religionẽ ludibrio habuisset, atq; cum lacerasset, vt inertiæ authorẽ & effœminatũ, euertit ciues ad bellum. Atqui ne ipse quidem ferociæ inhęsit suę, sed ex morbo graui & difficili mutauit sententiã, ac superstitioni succubuit lõgè à pietate Numæ remotæ. Quo morbo magis ac magis alios infecit, vt fama est, fulmine ictus.

Bonorum laus post fata.
Successorũ Numæ fata.
Val. Max. li. 3. ca. 4.
Idẽ lib. 9. cap. 1.
Virg. Aen. 6

LYCVRGI CVM NVMA COMPARATIO.

Numæ & Lycurgo Virtutes communes, facta diuersa.



QVANDO Numæ & Lycurgi vitã contexuimus, vtroq; explicato non prætermittemus, etsi operosum sit, colligere eorum discrimina. Nam quatenus cõueniant, liquet ex actibus: in quibus sunt moderatio eorum, religio, artes ciuiles facultas erudiendi, & quod rudimentum condendarũ legum petierit vterq; solùm à Deo. Ex peculiaribus vtriusq; insignibus, primum in Numa est regni adeptio, in Lycurgo traditio. Hic enim, cum id obtineret, reddidit: ille, quod nõ ambierat, accepit. cui alij dominatum in se priuato & alenigenæ dedere, alter ex rege redegit se in ordinẽ. Perhibenda res quęsiuisse inocentia regnum. Perhibenda item regno antiquiorẽ duxisse innocentiam. Quippe superiorẽ ita conspicuũ, vt dignus regno videretur, virtus reddidit: alterum ita euexit, vt repudiaret regnum. Deinde quomodo musici liras, laxã hic & luxu diffluentem intendit Spartam: ille Romam ferocem & intentam laxauit. At plus negocij fuit Lycurgo: non enim loricam exuere, neq; ponere docuit ciues ferrum, sed aurum & argentũ remouere, lectosq; & mensas eijcere sumptuosas: neq; omissis armis festos dies agitare & sacra facere, sed repudiatis cœnis & comessationibus, in armis & exercitijs desudare & meditari. Vnde ille beneuolentia & reuerentia sui dicẽdo ciues omnia peregit: hic periculis & vulneribus ægrè euasit superior. Lenes tamen Numæ & blandi modi qui ex impotentibus & flagrantibus moribus ad quietem populares & iustitiam inflexit, deliniuitq;: quod si illud aduersus Ilotas institutũ cõpellamur inter acta Lycurgi referre atrocissimum facinus & teterrimum, longe moderatiorem & humaniorem fuisse legislatorem Numam dixeris. Quippe iussis quoq; seruis, more introducto vt Saturnalibus vnà cum dominis eadem epularentur mensa, libertatis gustum præbuit. Nam institutum hoc quoque ferunt à Numa, qui voluit vt qui in colendo iuuissent, partem hi ferrẽt anniuersariorum fructuum. Aliqui id fabulantur illius, quæ fuit æuo Saturni, ęquabilitatis durare vestigium: quo tẽpore nemo seruus aut dominus, omnes verò propinqui & pates habebantur. In summa videtur iuxtà vterq; ad continentiam populũ & ad frugalitatẽ cõposuisse: cęterarũ virtutum ille fortitudinẽ magis, iustitiã hic sectatus. Nisi sanè ex destinata actionũ vtriusq; natura & vsu diuerso, dissimilis adhibenda molitio erat: neq; enim compescuit arma ob ignauiã Numa, sed innocẽtię causa: neq; ad nocendũ Lycurgus, sed ne opportuni essent iniurijs, bellatores ciues effecit. Itaq; cũ quod luxuriaret in ciuitate, vterq; execaret & expleret quod abesset, necessario magnas inuexerũt cõuersiones. Iã descriptio & digestio Reip. planè plebeia Numę & popularis, ex aurificibus, tibicinibus, & sutoribus cõfusum quendã & planè dissonũ conflãtis populũ: Tetrica Lycurgi & res ad optimates trahẽs, sordidas artes euertit in seruorũ & inquilinorũ manus. Ipsos verò ciues scuto & hastæ alligauit, vt bellorũ artifices & famuli essent Martis: nihil docti nec cõmentãtes, pręterquã vt audiẽtes ducibus essẽt, & superarẽt hostes. Liberis enim,

Lycurgo, quæ difficilia.
Serui cum dominis Saturnalibus vescebantur.
Macrob. Satur. lib. 1.
Numæ & Lycurgi institutorũ diuersorum caussæ diuersæ.
Populi descriptio.

vt semel verè essent liberi, omnis interdictus quæstus fuit. Curam quærendæ pecuniæ vt ciborum & cœnarum ministerium seruis delegauerat & Ilotis. Nullum Numa talem delectum habuit: tantum militarem repressit rapacitatem. Reliqua compendia non constrinxit, nec istã emouit inæqualitatem: verum accumulandi opes in immẽsum ius fecit, gliscentis & irrepentis effusè in vrbẽ inopię securus. Obsistendum verò initio statim erat auaritiæ cum nec magna disparitas, sed æqualis esset & indiscreta omnium sors, vt fecit Lycurgus: declinandæq; illius noxæ, quæ nõ leues fuerunt, sed infinitorũ & grauissimorum malorum, quę cunq; acciderunt, fontem & originem præbuêre. Iam lex agraria neq; Lycurgum suggillauit inuecta, neq; omissa Numam. Illi enim basim & fundamentum cõstituendæ reip. cõmodauit ea æqualitas. Hic, quia nuper diuisus ager fuerat, non putauit aliam moliendam partitionem, nec mouendam priorem adhuc, vt videtur, incõcussam.

Aequalitatis ciuium vtilitas.

Agrorũ diuisio.

Quod attinet ad nuptiarum & stirpis augendæ communicationem, qua omnem ęmulationem è rep. vterq; rectè atq; prudẽter sustulit, non cõcinunt vnde quaq;. Sed Romanus, cum esset ei copia liberorum, exoratus ab alio, qui sobolem quæreret, permittebat ei vxorem: cum dimittendi eam prorsus, cõmodandiq; alteri atq; inde recipiẽdi eã arbitrium haberet. Lacedęmonius retinẽs domi vxorem priore manente fœdere coniugij, vsum vxoris permittebat ad stirpem propagandam exoranti. Multi etiam, sicut diximus, domum inuitabant alios, ex quibus putabãt potissimũ venustos & probos filios posse procreari. Quid igitur interest inter hæc instituta? nisi quod vehemens hæc & effusa sit erga coniugẽ æquanimitas in ijs, quæ perturbant ita plerosq; & vrunt, vt mœstã per æmulationem vitam traducant: illa verecundam quandam habent modestiam, quę nuptias prętexit & intolerantiam confitetur commodandæ coniugis.

Connubiorũ ratio.

Præterea curam puellarum restrinxit ad pudorem muliebrẽ & verecundiam Numa arctius: Lycurgi soluta prorsus & fluxa in iocos incurrit poëtarũ. φαινομηρίδας enim vocãt eas, velut Ibicus, quod incessu coxas retegerent: & ἀνδρομανεῖς quasi virosas & in viros insano ardentes amore, vt Euripides qui ait:

A Numa puellarũ disciplina melior.

Quæ cum choro iuuenum suas vastant domos

Coxis apertis & peplis fluentibus.

Sanè virginum tunicæ imæ non habebant pinnas consutas, sed explicabantur, & totum incessu aperiebant femur, id quod clarissimè hisce versibus ostendit Sophocles:

Stola caret, tunicam induens Hermione

Dilabidam retegit femur iuuencula.

Vnde procaciores dicuntur fuisse, & primum aduersus ipsos viriles viros. Quippe domi omne imperium habebãt: publicè verò de rebus maximis & dicebant & suffragium ferebant. Numa autem matronis dignationem apud viros & honorẽ quem, vt raptas placarent, indulserant ijs regnante Romulo, conseruauit: cæterũ magna verecundia sepsit eas, curiositatem detraxit, sobrietatem docuit, silentium tenere assuefecit, vino prorsus interdixit, dicere ne de rebus quidem necessarijs permisit sine viro. Ac cum fœmina aliquando causam in foro pro seipsa dixisset, fama est senatum deos consuluisse, ecquid hoc exẽplum vrbi protenderet. Quàm autem parentes & modestas prębuerint se, exempla docent improborum. Sicut enim apud nos memoriæ mandant historici, qui primi sanguinem ciuilem fuderint, aut arma fratribus intulerint, aut extiterint parricidæ: ita recensent Romani principem nuncium vxori nullo exemplo Spurium Caruilium remisisse, anno ab vrbe condita trigesimo trecentesimo: primam Pinarij vxorem Thalęam nomine iurgia habuisse cum socru Gegania, Tarquinio regnãte Superbo. Tam rectè atque ordinè temperatæ leges erant coniugales. Iam cæteræ virginum institutioni etiam leges sunt nuptiales consequentes.

Lacenæ fuerunt nimium viriles.

Mulierum Romanarum modestia.

Repudium primum Romæ.

Lycurgus maturas & viri appetẽtes elocat: quo ea consociatio impellente iam natura beneuolentiæ & amoris potius, quam odij & timoris contra naturã coactarum esset ingressio, corporaq; firmiora essent ad vterum ferendum atq; enitendũ: velut ad nihil aliud nuberent, quam ad pariendum. Romani natas duodecim annos & minores iungunt nuptijs: ita potissimum corpus & mores puros illibatosq; in manum viri censentes, peruenturos. Sunt autem superiora, vt patet, ad liberorum procreationem magis naturæ consentanea, hæc ad vitam coniugalem aptandis moribus. At verò in regendis pueris, eorum cœtibus habendis, instituendis, consociandisq;, ad cœnasq; & exercitationes, & ludum componendis atq; poliendis nihilo Numam vel infimo legislatori arguit Lycurgus præstare: cum ille parentis vel libidini vel vsui permittat adolescentium disciplinam: siue quis agricultorem reddere filium, siue fabrum, siue ærarium, siue tibicinem voluerit, quasi non ad eundem finem formari à prima ætate & flecti moribus

Quantũ valeat educatio & disciplina.

Arist. polit. 8.

debeant: sed sicut vectores, qui nauem alius alia de re & consilio conscendunt, vrgentibus periculis metu rerum propriarum in medium consulere, alioqui respectum agere vnumquemque rerum priuatarum. Ac vulgares quidem legislatores non culpes vel scientia vel potentia defectos. At verò sapienti ad regnum accito populi nuper collecti & nihil repugnantis, vbi prius elaborandum erat, quàm in puerorum disciplina & iuuentute subigenda: ne seditiosi ne'ue turbulenti euaderēt moribus: sed mox ab incunabulis ad vnam figurati & conformati formam virtutis consentirent inter se. Id quod Lycurgo cùm ad alia multa, tum ad legum conseruationem fuit adiumento. Nam parui fuisset momenti iurisiurandi religio, nisi per disciplinam & institutionem leges puerorum moribus quasi tinxisset, & nutrimenta ardenti studio imbuisset institutorum suorum. Vnde præcipua & prima legum capita amplius quingentos annos, tanquam acri & valida infecta tinctura, viguerunt. Enimuero quo destinauerat Numa actiones suas, ut in ocio & tranquillitate ageret Roma, protinus cum ipso expirauit, et ab excessu eius biforem ædē, quam clausam tenuerat ipse, quasi reuerà ibi cōstrictum domans bellum, vtrinque aperuerunt, cædibusque ac sanguine inundauerūt Italiam. Ita elegātissimus ille & æquissimus status ne modico quidē tempore durauit: quippe vinculo deficiebatur institutionis. Quid ergo roges, num ne fecit re militari Roma progressum? Quæstio hæc apud homines, qui progressum in pecunia & luxu & imperio potius, quàm in securitate, tranquillitate & continentia cum innocentia coniunctis collocant, longum flagitet responsum. Et quidē id ipsum pro Lycurgo dicas facere: quod Romani, ubi à Numæ disciplina discesserunt, tanta incrementa imperij sumpserunt. Contrà Lacedæmonij simul atque instituta deserverunt Lycurgi, ex summo potentiæ apice ad infimam reciderint sortem, amissoque Græciæ imperio fuerint in periculum excidij adducti. Illam tamen hauddubiè prærogatiuam habet Numa insignem & diuinam, quod hospes ad regnum vocatus fuerit, omnia cum beneuolentia mutauerit, & moderatus sit ciuitati nondum consentienti, nullis ad id armis vsus vel vi, quomodo aduersus populum optimates duxit Lycurgus: sed sapientia & iustitia, non temeritate omneis conglutinauerit & colligauerit.

Lycurgi legum stabilitas, unde.

Numæ instituta cum eo extincta.

Bellóne an pace Resp. procedat.

Numa qua re Lycurgo anteponendus.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. DANIELI ARCHIEPISCOPO MOguntino, sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario, & Principi Electori, Domino suo clementissimo, Hermannus Cruserius S. P. D.



AGNA semper inter homines, Reuerendissime Princeps Elector, dissentio fuit, quid in vita esset maximè exoptandum. Neque verò constitit intra ociosorum & philosophorum scholas hæc controuersia, sed etiam cogitationes & vitam insedit summorum virorum. Id enim spectat quisque, vt efficiatur beatus: uerùm beatitudinem alius ad aliam rem, pro suo quisque studio refert. Multi ambitione & effrenata gloriæ cupiditate rapti, dum omnia magnis honoribus metiuntur, orbem terræ concutiunt, seque ipsi, dum eos persequuntur, dant præcipites. Nam quid tanto molimine Cyrus, Alexander Magnus, Dictator Cæsar (libenter enim prætereo nostræ memoriæ principes, & vsurpo exempla vetera) quid tantis discriminibus & prouinciarum tam multarum conuulsione omnia miscendo quæsiuerunt: nisi, cuius concipere nullum ipsi terminum poterant, inanem speciem gloriæ? Eius dum finem nullum statuerunt, semperque hiante ad eam fuerunt siti, fecerunt naufragium. Magna pars summam bonorum reuocant ad voluptatem, quam vt assequantur & deuitent dolorem, nihil non mouēt & versant: pro nihilo ducentes, etiamsi deserant officia. Sordidissimi & ignauissimi, quæ maxima turba & fex est hominum, omnia ad pecuniam, quam nemo sapiens concupiuit, & ad opulentiam dirigunt coaceruandam. Ex in secta M. Crassus Romæ fuit, in Asia Cræsus rex Lydiæ: qui ne Solone quidem admonente sapientissimo viro discere potuit alio quærendam loco quàm in thesauro beatitudinem esse, donec fortunis exutus omnibus atque à Cyro captus, morte proposita serò tandem sicut Phryges sapuit: ac tum demum, qui rebus incolumibus suis affluentia occœcatus copiarum, vel noluerat vel non potuerat, destitutus ab omnibus aliud esse didicit abundare opibus, aliud beatum esse: & qui contempserat rebus suis florentibus magistrum, qui, quæ vera esset beatitudo, docebat, huius agnouit iam perditus prudentiam. Vnde præclarè Poeta noster ait:

Nescia

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Nec seruare modum rebus sublata secundis.

Ita hi, qui animum mancipatum habent pecuniæ, eamq; virtuti præferunt, si peruenerint ad gubernacula Reip. eã ferè solent impingere in scopulum atq; euertere. At sapientes homines, qui ad omnes fortunas portũ habere apertum voluerunt, quo excludi nullis quantumuis aduersis ventis, nulla sæuiente tempestate valerent, finem bonorum in vna virtute posuerunt, solumq; honestum contenderunt propter seipsum expetendũ, & vltimum malorum turpitudinem. Huic militiæ doctißimi quiq; & optimi nomina dederunt, atq; in hac se palæstra iactauerunt: qui non solum nulla delmiti voluptate, aut pecunia capti, aut fascinati vanæ vmbra gloriæ, nullius habito priuati respectu: verum etiam periculis spretis & doloribus, imò contempta morte normam & in vita priuata & Repub. virtutis, atq; quod dictaret vera rectaq; ratio & honestas, id tantum uelut propositum petiuerũt in actionibus suis. Hi ergo, quatenus assequitur mortalitas, beati sunt vel in egestate, cruciatibus, in ipsa deniq;, qua est homini acerbius nihil, morte. Talis Athenis ex priuatis Socrates, & ex gerentibus Remp. Solon, Aristides, Phocion, & Lycurgus Lacedæmone fuit: qui obtinere regnum apud Lacedæmonios cum posset, ut ciuibus libertatem quæreret ueram, atq; in optimo eos statu collocaret Reip. retineretq;, uoluit semetipse in ordinẽ redigere, patriamq; relinquere, & in terra mori peregrina. Talis quoque fuit apud Romanos P. Valerius Poplicola, quem contendit Plutarchus Romanum cum Græco Solone. Quorum duorum uitas insignium uirorum egregiorumq; legislatorum & probißimorũ in repub. Principum, de integro à me Latinè redditas tibi, reuerendißime Princeps Elector, cuius summæ curæ leges per Germaniam imperij, ut Archicancellario sunt creditæ, dedicandas existimaui. Cui enim rectius nuncupem legum scriptores, quàm ei, cuius in tutela uiuunt leges. Hi mei sudores si amplitudini fuerint commendati tuæ, non arbitrabor male me horas meas collocasse. Quod mihi, ut contingat, ualde opto.

Vale reuerendißime Princeps
Elector.

Solon.



IDYMVS Grammaticus in tabularum Solonis breuiario, quod ad Asclepiadẽ scripsit, testimonium citat Philoclis cuiusdam: quo preter opinionem aliorum, qui Solonis meminerunt, asserit filium eum Phocionis fuisse. Omnes enim vno ore ab Execestide memorãt genitum viro, vti ferunt, inter ciues medioerium facultatũ, sed genere primæ familię. Duxit enim à Codro originem. Matrem Solonis Heraclides Ponticus matris Pisistrati fuisse consobrinam tradit, fuitq; initiò inter eos necessitudo ex propinquitate magna, magna item ex indole & forma: quod captus Pisistrati amore, vt nonnulli perhibẽt, esset Solon. Vnde ni fallor, exorta pòst ciuili inter eos dissensione simultas illa nullam in acerbitatem aut atrocitatem excessit: sed constiterunt eorum animis vetera iura, ardentemq; magni ignis viuam adhuc flammam conseruauerunt, memoriam & gratiam amatoriam. Nam aduersus formosos non fuisse Solonem munitum, neq; satis animi habuisse, vt quasi pugil congrederetur cum amore cominus: id cùm ex versibus eius cognoscas, tum ex eo quod scripsit legem quæ disertè vetabat, ne se serui vngerent, aut pueros amarent: quod id annumeraret inter res probatas & honesta studia: & ad ea quodam modo dignos inuitaret, à quibus arceret indignos. Fertur Pisistratus quoq; amatorem Charmi fuisse, & signum Cupidinis in Academia, vbi ignem accendunt illi, qui sacram facem decurrunt, sacrasse. Igitur Solon, cum facultates suas pater eius munificentia, vt ait Hermippus, & largitionibus attriuisset: nec deessent, qui vellent suppeditare ei necessaria, erubescent accipere ab alijs, quod ex ea esset natus domo, quæ succurrere consueuisset alijs, contulit se etiamnum adolescens ad mercaturam. Quamuis alij dicant multarum rerum vsus & cognitionis potius gratia Solonẽ quàm quæstus vagatum per orbem fuisse. Erat enim sapiẽtiæ ex professo amator. Quippe qui vel grauis ætate iam senescere se diceret multa indies addiscentem. Diuitias non nimium sectatus est, aitq;:

Vide Suidam.

Solonis genus.

Solonis & Pisistrati amicitia.

Solon mercaturã primũ exercuit.

Haud magis est diues, cui argenti atq; affluit auri

Solonis de diuitijs, iudicium.

Copia, cum frugum fertilis arua soli,
Grex quoq; equûm, muliq;: atq; hæc cui sola super sunt,
Vt valeat venter, cum pedibusq; latus:
Huc si natorum florens accesserit ætas,
Et decor vxoris, ritè beatus erit.

At alio loco ait:

Non sperno nummos, si sit possessio iusta:
At nolo iniustos, vitio nam sequitur.

Quid autem causæ est, quin boni & politici viri nec solicitentur illorum parandorum cura superuacaneorum, nec rerum vtilium & commodarum respuant vsum? Enimuero illo seculo, ut ait Hesiodus, nullum opus vitio vertebatur, neq; adferebat ars discrimen. Mercatura etiam in dignatione erat; quę commoda ex regionibus barbaris asciisceret, amicitias cum regibus conciliaret, & multarum rerum conferret peritiam. Aliqui insuper mercatores magnarum conditores vrbium fuerunt: vt qui Massiliam cōdidit primus, quem Galli Rhodani accolæ cupidè amplexi sunt. Adhæc Thalem memorant mercaturis faciendis operam dedisse, Hippocratem quoque mathematicum: Platoni item occasionem fuisse peregrinationis olei in Aegypto distractionem. Cæterùm quod fuerit profusior Solon & vita mollior, atque in versibus licentiore vsus sit quàm pro philosopho de Voluptatibus oratione, id ex vita mercatoria putant ei hæsisse. Siquidem pro multis & grauibus, in quibus versatur, periculis lautitias aliquas & delitias eam postulare. Nam quod in pauperum se potius numero quàm opulentorum reponeret, ex hisce liquet:

Mercaturæ cōmoda.

Massiliæ conditor, mercator. Strabo lib. 4.

Thales et Plato, mercatores.

Pauperitas cum virtute, diuitijs præstat.

Diues enim plerunq; malus, sed rectus egenus:
At virtutis opes non nisi rectus habet.
His non cedo malis, quarum est possessio firma: ast
Esse potest locuples improbus, atq; probus.

Solō poesi vsus.

Poetica ab initio non vllam ad rem grauem, verùm ludibundus videtur temporis perocium fallendi gratia vsus obiter, atque in ea se exercuisse. Pòst & sententias inclusit versibus philosophicas, & ex ijs, quæ gesserat in rep. intexuit multa: non scribendi historiam vel memoriæ causa, sed ad defendendas actiones suas: interim ad excitandos, castigandosq; & obiurgandos Athenienses. Tradunt aliqui & leges suas aggressum in carmine illigare, ac principium recensent huiuscemodi:

Oramus primùm, rex vt Saturnius hisce
Legibus aspiret, velit & concedere laudem.

Solon philosophiam moralē amplexus, Physices ignarus.

Ex philosophia ethica, præcipuè politica, sicut plerįq; sapientum est sectatus. In physicis mirè est simplex & antiquarius, ut ex his patet:

Nubibus è gelidu niuium vis densa creatur,
Et quæ per tectum grando crepare solet.
At tonitru è claro spectatur fulmine nasci,
Et pelagus venti si incubuere, mouent.
Verum id si flatus conturbet nullus, in orbe
Aequum vel placidum nil magis esse potest.

Omnino sola tunc videtur Thalis sapientia vsum excessisse speculatione: reliqui ciuilibus ab artibus nomen inuenerunt sapientiæ. Fuisse vnà perhibentur & Delphis & pòst Corinthi, vbi communem quendam conuentum eorum & conuiuium Periander instruxerat. Maiorem authoritatem ijs & gloriam mensæ orbis, & per omnes circulus, mutuaq; inter ipsos cum honorifica modestia concessio conciliauit. Nam cum Coi, vt fama est, verriculum traherent, cuius iactum adhuc incertum hospites emerant Milesij, auream mensam conspexerunt extractam, quàm fuisse ab Helena aiunt à Troia remeante, cum veteris oraculi reminisceretur, deiectam. Concertatione de mensa inter hospites & piscatores exorta, excipientibus inde ciuitatibus contentionem, quæ in bellum vsque erupit, responsum utrisque ab oraculo Delphico est, ut sapientissimo mensam donarent. Ita primùm Miletum est ad Thalem missa, Cois vni illi id, de quo cum vniuersis Milesijs arma contulerant, vltrò dono dantibus, Thale Biantem se sapientiorem as-

Mēsa aurea verriculo extracta.

Rara sapientum modestia.



rem afferente, ad illum peruenit: ab illo rursus ad alium missa est tanquam sapientiorem. Inde ita circulans & remissa rediit iterum ad Thalem. Ad vltimum ex Mileto Thebas deportata, & Apollini Ismenio est sacrata. Theophrastus author est Prienen eam primum ad Biantem fuisse destinatam, deinde ad Thalem remittente eam Miletum Biante: ita ambitu omnium confecto rediisse ad Biantem, ad extremum Delphos deportatam. Hæc fama est à plerisque vulgata: nisi quod donum pro mensa alij phialam à Crœso missam, alij relictum ibi à Bathycle poculum prodant. At priuatam consuetudinem & colloquia cum Solone Anacharsis atque etiam Thalis literis tradunt huiusce modi. Anacharsim autumant, cum ad ædes Solonis commeasset, fores pulsasse, atque edidisse aduenam se esse, qui ad contrahendam cum eo amicitiam & ius hospitij eò accessisset. Responsum reddente Solone, præstat domi amicitias conciliare: Quin tu igitur, subiecisse Anacharsim, qui domi es, iungis nobiscum amicitiam & hospitium. Eam illius sagacitatem cum stuperet Solon, hominem excepisse benignè, atque aliquandiu apud se detinuisse, cum Rempublicam gereret, & leges conscriberet. Enimuero re intellecta derisisse Anacharsim molitionem Solonis, qui ciuium se iniurias & cupiditates putaret refrenaturum scriptura, quæ nihil à telis araneorum differret, sed sicut illæ, imbecillos tenuesque esset, quos comprehendisset, retentura: validos verò & pecuniosos transmissura. Quibus Solonem ferunt occurrisse: stare homines etiam pactis conuentis, quæ neutri parti expediat violare: ac leges ita se temperare ciuibus, omnibus vt futurum perspicuum esset, antiquius esse colere iustitiam, quam ius violare. Verum horum quidem euentus Anacharsis coniecturæ potius, quam spei respondit Solonis. Iam hoc quoque dixit se mirari Anacharsis, cum concioni interfuisset, quod dicerent apud Græcos sapientes, stulti iudicarent. Cum profectus esset Miletum ad Thalem Solon, aiunt mirum sibi eum dixisse videri, quod nuptias & sobolis procreationem omnino negligeret. Thalem autem in præsentia quidem tacuisse, aliquot verò dierum interuallo subornasse peregrinum quendam, qui modò decimo die ab Athenis profectum se diceret. Quærente Solone, nunquid Athenis noui: Hominem, quæ diceret edoctum: Nihil respondisse aliud, nisi sane quod adolescens efferretur, & prosequeretur funus tota ciuitas. Nam erat, vt ferebatur, inquit, clari viri filius & virtute inter ciues primi. Nec aderat ille, sed longo iam spacio dixerunt eum peregre esse. O hominem infortunatum, dixisse Solonem. Quod nam ferebant eius nomen? Audiui equidem, inquit, nomen homo, sed excidit mihi: tantum memini multam habitam mentionem eius sapientiæ & iustitiæ. Ita scilicet admoto ad singulas interrogationes metu, Solonem iam tandem commotum ipsum hospiti suggessisse nomen ac requisisse, Solonis ne ille defunctus esset filius. Quo annuente, cœpisse illum caput cædere, aliaque & facere & dicere, quæ mœrore oppressi assolent. Tum Thalem represso Solone ridentem dixisse: At hæc me Solon à connubio deterruerũt & à liberis tollendis, quæ te etiam infringunt virum constantissimum. Te verò nihil hic nuncius moueat: hæc enim ficta sunt. Atque hæc quidem Hermippus Patæcum, qui Aesopi se ferebat animam habere, scribere refert. Atqui ineptus & ignauus fit, qui formidine amissionis res comparare necessarias negligat. Eadem enim ratione neque opes, neque gloriam, neque sapientiam, cum hanc habeas, trepidans ea spoliari, amplectaris. Etenim virtutem, cuius nihil fructu præstantius vel iucundius, ex morbis cernimus & venenis labefactari. Atque ipse Thales nihilo magis à terrore securior per cœlibatum erat: nisi sanè amicos, familiares, patriam refugit habere. Imo verò filium etiam ipse habuit adoptiuũ ex sorore natum vt aiunt, Cybistum. Nam cum animo quidam insiti sint igniculi amatorij: natusque ille sit, sicut ad sentiendum, cogitandum, reminiscendum, ita ad diligendum: arrepit & adhærescit quid externi his, quos deficit proprium. cum velut domum & prædium legitimis orbum successoribus, alieni & non iusti filij pium animum captant obsequijs: cui simul atque insinuauerint se & occupauerint eum, infundunt vnà cũ amore curam sui ac solicitudinẽ. Itaque cernas eos qui durius quam pro natura de nuptijs & suscipiendis liberis verba faciunt, mox eosdem ex vernarum filijs & alumnis pellicum ægrotantibus & morientibus confectos desiderio & in voces erumpentes abiectas. Sunt, qui canum & equorum interitum fœdè & perditè luxerunt: cum alij certè filijs orbati bonis neque afflixerint sese, neque turpes præbuerint, imò etiã vitam reliquam trãsegerint moderatè. Imbecillitas enim non charitas affert hominibus, qui ratione ad fortunam non occalluerunt ægritudines

Anacharsis cum Solone consuetudo.

Solonis cũ Thale colloquium, an bonũ sit liberos procreare.

Cogitatio de rerum charарũ amissione, nõ multum nos debet solicitare.

Cybistus Thalis filius.

Naturalis amoris affectus.

immensas & trepidationes, quibus nec frui præsentia rei optatæ licet: quod expectatio, ne spolientur, dolores & tremores & anxietates his offundat perpetuos. Non oportet autem ab egestate consilium mutuari ad pecuniæ ereptionem, neque ad amicorum amissionem ab eorundem solitudine, neque ab orbitate ad liberorum occasum, verùm ex ratione ad omnia. Cæterum de his vt hoc loco plus satis. Cum autem Athenienses diuturno bello & graui de Salaminiorum insula cum Megarensibus gesto fatiscentes sanxissent lege pœnam capitalem, si quis rogationem ferret vel referret iterum ad ciues de asserenda Salamine: eam infamiam Solon grauiter ferens, cum videret iuuentutem magna ex parte occasionem quærere arma mouendi, neque eos tamen metu legis audere id incœptare, simulauit dementiam, rumorq́; per vrbem ex domo eius percrebuit esse eum furore correptum. Composuerat autem clàm elegos, quos meditatus vt memoriter recitare eos posset, pileatus prosiliit repentè in forum. Ingenti concursu facto suggestum præconis conscendit, & cantu eos versus pronunciauit, quorum hoc est exordium:

Solon insaniam simulat, vt recuperet Salaminiorum insulam.

Adsum præclaræ præco Salaminis ab ora,
In cœtum vestrum dulce poema ferens.

Huius poematis inscriptio Salamis est, & versus continet cētum sanè quam venustè scriptos. Quos vbi cantauit, & amici eius cœperunt laudare: præcipuè autem adhortatus Pisistratus ciues est & inflammauit ad parendum dicenti, soluerunt legem, bellumq́; de integro susceperunt, rebus gerendis præfecto Solone. Ac fama quidem vulgaris est huiuscemodi. Porrò ad Coliadem nauigauit cū Pisistrato. Ibi cum omnes fœminas offendisset solennia sacra Cereri facientes, hominem fidum transfugæ specie misit Salamina: qui monrret, si primarias Athenienses matronas redigere cuperent in potestatem suam, secum vt quam ocyssimè nauigarent ad Coliada. Postquam pellecti Megarenses viros aliquot naui impositos miserunt, ac Solon eam aduertit ex insula aduchi, imperauit vt mulieres facesserent: adolescentes autem adhæc imberbes earum stolis, mitris, & calceis ornati, pugionibusq́; sub veste abditis muniti lusitarent & saltarent in littore, dum hostis descendisset, & nauem ipsi haberent opportunam. Dum hæc ad eum modum aguntur, Megarenses ea falsi facie, cum propè applicuissent, effuderunt certatim se, velut fœminas capturi. Ita nemo effugit, sed occubuerunt omnes: & profecti Athenienses in insulam, illicò sunt ea potiti. Alij negant eo modo occupatam, verùm primum Apollinem Delphicum ei sortes hasce dedisse:

Salamis, Solonis elegia.

De Coliade templo, Strabo. lib. 9. & Pausan. in Atticis.

Solonis stratagema.

Solon Salamina occupat.

Heroas terræ proceres venerabere sacris,
Quos ager Asopiæ pullata condidit vrna:
Quà vespertinus spectatur Phœbus in vndis.

Solonem autem, cum in insulam nocte transmisisset, immolasse Periphemo & Cichri heroibus victimas. Inde ab Atheniensibus quingentos accepisse voluntarios cum decreto: si obtinuissent insulam, vt hi arbitrium haberent Reip. ibi moderandæ. Nauigijs deductis multis piscatorijs, comitante vna naue, quæ triginta remis agebatur, iecisse eum anchoras propè Salamina ad brachium Eubœæ obiectum. Megarenses, qui Salamine erant, eo nuncio allato, sed incerto, tumultuariè ad arma concurrisse, & nauem speculatum, quid agerent hostes, misisse. Qua oppressa, cum propius mouisset, cæsisq́; Megarensibus imposuisse naui huic Solonem delectos quosq́; Athenienses: quibus iussit, vrbem peterent, ac se, quatenus fieri posset, tegerent: simul cæteris assumptis Atheniensibus pugnam terrestrem cum Megarensibus commisisse: dum decernitur prælio, maturasse illos, qui in naue erant, vrbem occupare. Videntur verò huic famæ ea quæ agebantur, astipulari: siquidem nauis quædam Attica silentio primum appellebat. Inde illis cū clamore & fremitu aduolantibus, vir vnus armatus exiliebat, atque ad promontorium Sciradion terra venientibus vociferās currebat. Iam extat secundū littus sacellum, quod ædificauit Solon: superauit enim Megarenses, & quoscunq; prælij calamitas reliquos fecerat: datis inducijs omneis missos fecit. Verùm enimuero Megarensibus in pertinacia persistentibus, multisq́; cladibus vltro citroq́; illatis, arbitros & iudices Lacedæmonios sumpsere. Ac Homeri authoritatem plerique authores sunt fuisse Soloni suffragatam: nam versum cum in recensu nauium interiecisset, in iudicio eum recitasse hæc carmina:

Disceptatio inter Athenienses & Megarenses de Salamine.

Bis

Bis sex adduxit curuas Salamine carinas
Aiax inuictus, quas in statione tenebat,
Vrbis Athenarum quà castra habuere phalanges. — *Iliad. lib. 2.*

Cæterùm ipsi ducunt hæc Athenienses pro vanis. Solonem verò planum fecisse aiunt iudicibus Philæū & Eurysacem Aiacis filios ciuitate ab Atheniensibus donatos ipsis insulam hanc tradidisse, habitauisseq; hunc in Baurone Atticæ, illum in Melite, trahereq; curiam Philaidarum, vnde erat Pisistratus, ex Phileo nomen. Quo autem magis Megarenses reuinceret, nixum humandi ritu fuisse defunctorum, quos non ita vt illi, sed vt ipsi humarent. Terra autem mortuos à Megarensibus condi ostenderunt ad Orientem obuersos, ad Occasum Athenienses. Cui reclamans Megarensis Hireas ait, Megarenses quoq; cadauera in Occasum versa collocare. Et eo iam maius insuper iudicium, singulos loculos habere Athenienses, Megarenses ternos & quaternos singulis loculis condi. At Soloni etiam oracula quædam Apollinis, quibus Salamina ille deus Ioniam appellauit, dicuntur suffragata. Hanc causam disceptauerunt quinq; Spartiatæ, Critolaidas, Amōpharetus, Hypsechidas, Anaxillas, Cleomenes.

Sepeliendi ritus Megarēsium & Atheniens.

Erat iam vel hinc celebris Solon & inclytus: maius tamen nomen & clarius apud Græcos parauit, cum causam defendit templi Delphici, esse ei succurrendum, nec permittendum, vt Cerrhæi profanarent oraculum, sed causa Apollinis esse Delphis subueniendum. Ab illo inducti fuerunt ad arma Amphyctiones, vt testantur cùm alij, tum in Pythionicarum breuiario Aristoteles, traditq; eius sententię Solonem authorē fuisse. Non fuit ille tamē ad bellum hoc designatus dux, vt tradere Samium Euāthem Hermippus ait. neq; enim id orator prodidit Aeschines, & in Delphorum commentarijs Alcmæon, non Solon est Atheniensium dux relatus.

Solon defendit causam templi Delphici.

In Orat. in Ctesiphontem.

Porrò Cylonium scelus iam peragitabat diu ciuitatem, ex quo consortes coniurationis Cyloniæ supplices Mineruæ domum redire archon Megacles ad causam dicēdam impulit. Hos annexum simulachro filum tenentes, vbi in descensu appropinquauerunt venerandis deabus, rupto sua sponte filo Megacles cum collegis institerunt, quasi rejciente supplices dea, corripere. Atq; eos, qui extra templū erant, saxis obruerunt: qui verò ad aras recurrerunt, hos iugulauerunt. Solos missos fecerunt illos, qui ad vxores ipsorum manus tetendissent. hinc vocati impiati, detestabiles habebantur. Qui verò Cyloniorum supererant, denuo opibus pollebant, ac perpetuas cum genere Megaclis exercebant discordias.

Cyloniū scelus, de quo Thucid. lib. 1. Herodis. 5. Cic. de Leg.

Quo autem tempore maximè flagrabat seditio, & discesserat in partes populus, iam in authoritate erat Solon, qui principibus adhibitis Atheniensium intercessit, rogandóque & monendo induxit illos, qui impiati dicebantur, causam vt dicerent & iudicium subirent. Apud trecentos delectos ex primoribus iudices Myrone postulante Phlyensi damnati, & in exilium, qui supererant, acti sunt, defunctorum cadauera effossa trans fines proiecēre. Inter hos motus ingruentibus etiam Megarensibus amiserunt Athenienses Nisæam, Salamisque ijs est iterum elapsa. Iam terrores ex superstitione pariterque ciuitati oblata visa, ac vates piacula quædam noxásque, quæ expianda essent, significari denunciarunt extis. Eam ob causam accitus ex Creta venit Epimenides Phæstius, quem in numero sapientum quidam, rejcientes Periandrum, recensent septimum. Habebatur is vir religiosus, in rebúsque sacris sapientia præcellens fanatica & mystica. Vnde Nymphæ filium Balthæ nomine, ac nouum Cureta cum illius ætatis homines dicebant. Qui vbi adfuit, & vsus est familiariter Solone, multa ei clàm præstruxit, & viam præmunijt ad leges conscribendas. Nam res diuinas reddidit minoris impensæ, ciuésque ad luctum mansuetiores, sacrificia quædam statim exequijs adijciens detracta asperitate barbarica, qua deuinctæ ante mulieres fuerant: & quod caput erat, propitiationibus, procurationibus, ac signis dedicandis, lustrans vrbem atque expians, parentes iustitiæ magísque sequaces ciues reddidit ad vnitatem.

Epimenides Phæstius, è septē sapient. vnus, Peāndro excluso. Vide Suidam in Curete. & Lact. Firm. li. 1, ca. 22.

Fertur hic, cum Munychiam vidisset diúque considerasset, dixisse ad coronam: Quam cæcutit ad futura homo? Suis ipsorum dentibus peresuri hunc locum Athenienses sint, si præuiderent, quantum is fatigaturus sit ciuitatem. Simile quid diuinasse aiunt Thalem. Iussisse enim loco certo se agri Milesij vili & contempto tumulari fato functum, prædicens fore, vt is locus aliquando forum esset Milesiorum. Ac Epimenides quidem summis laudibus atque ingentibus honoratus donis à populo Atheniense, præter surculum ex sacra olea, nulla re petita aut accepta discessit. Porrò Cylonio sopito tumultu & exterminatis, vt dictum est, ijs qui eo scelere fuerunt contacti, de integro

Solon sedat seditionē, Athenis.

integro sunt in veterem relapsi de Rep. seditionem, atque in tot partes est ciuitas, quot discrimina regio habebat, distracta. Siquidem Diacriorũ, qui montani erant, familia erat imprimis popularis: Pediæi (campestres erant hi) paucorum potentum studiosissima: medium quendam & mistum Reipub. tenorem tertij Parali (maris erãt accolæ) sequentes obstabant, & vtrosque remorabantur à dominatu. Quia verò flagrabat eadem tempestate pauperum cũ diuitibus ex inæqualitate dissensio, ciuitas prorsus in lubrico versabatur. Vna autem superesse ratio videbatur ad salutem & quietem, si res delatæ ad dominatum essent. Totus erat enim populus ære alieno oppressus à diuitibus. nam aut illis arabant sextantem fructuum pensitantes, vnde sextantuli & capite censi fuerunt vocati: aut versuram facientes, corporis nexu duci à creditoribus poterant: quorum partim seruiebant ibi, partim extra patriam venundabantur. Multi etiam liberos suos distrahere compellebantur (neq; vetabat lex) & vrbem propter fœneratorum crudelitatem deserere. Ibi maxima & validissima pars coitione facta sese mutuò cohortati sunt ne ea tolerarent: sed vnum caperent ducem virum fidum, eosq; qui intra diem iudicatum non fecissent, eximerent, agrum diuiderent, atque in totum Reipublicæ statum inuerterent. Hi qui inter Athenienses maximè sani erant, aduertentes Solonem præcipuè vacare crimine, neque opulentorum in iniuria socium esse, neque necessitatibus implicatum inopum, orauerũt eum vt Rempublicam capesseret & componeret contro uersias ciuium. Atqui Phanias Lesbius ipsum dicit Solonem ad seruandam Rempublicam dolo vtramque partem circumuenisse, atque ostendisse occultè egenis legem agrariam, pactorum firmitudinem pecuniosis. Verùm ipse primò se Solon dubitauisse hanc actionem refert suscipere, deterritum horum auaritia, illorum insolentia. Creatus fuit secundum Philombrotum archon, simúlque concordiæ arbiter & legislator. Fuit autem pergratus diuitibus vt locuples, vt probus pauperibus. Vox etiam dicitur eius, quam antea miserat, in ore populi fuisse, Aequalitatem certaminis authorem non esse, eamq; tam locupletibus placuisse quam inopibus: quod æqualitatem hi mensura & numero assecuturos se confiderent, illi dignitate ac virtute. Vnde in spem erecta magnam vtraque factione principes fauebant Soloni, sequestriq; dominatus incendebant eum, qui haberet in arbitrio suo ciuitatem, ad rem maiore mole capessendam. Medij etiam ciues, quia videbant mutationem ex ratione & lege laboriosam esse & arduam, non abhorrebant ab vno creando principe iustissimo & prudentissimo. Sunt qui dicant Soloni sortes quoque has ab Apolline datas:

De Diacrijs & alijs, Herod. Aristot. polit. lib. 5. & Suidas, nonnihil discrepat.

Solonis æquitas.

Solon creatur Athenis legislator, & Archon, id est princeps.

Ad puppim residens moderator dirige cursum,
Multus Athenarum populus tua signa sequetur.

Præter cæteros insectabantur eum necessarij, quod nomine deterreretur tyrannidis: quasi non virtutis esset eam suscipientis mox versura in regnum. Id accidisse quondam Euboicis, qui Tynnondam: in præsenti Mitilenæis, qui tyrannum creauerant Pittacum. Horum nihil Solonem de sententia mouit, sed dixit, vt fertur, ad amicos: Præclarum fundum tyrannidem esse, sed non habere exitum. Ad Phocum autem versibus scribens:

Solon recusat suscipere tyrannidem.

Pittacus tyrannus.

Solonis de Tyrannide dictum.

Quod solum, inquit, natale conseruaui,
Tyrannidem verò & cruentam vim ferox
Non attigi, nec pollui fœdans suauem gloriam:
Haud me pudet. Nam hoc modo præstare longè conspicor
Hominibus cunctis.

Vnde patet eum & prius quàm leges scriberet, in maxima authoritate fuisse. Quæ verò in refugientis tyrannidem iactauerunt opprobrium, hisce carminibus scripsit:

Neq; cordatus Solon est, neque vir est consili.
Quando non admisit ipsus, quod bonum confert deus
Capta quamuis præda paret, non tamen traxit rete
Animum miser liquit, nec est compos sui.
Optandum vbi fuisset imperium bonum nactus,
Et tyrannidis vel vnicum diem potens fuisset,
Instar vtris vt flagellarer, simul genus interiret.

Hos

Hos multitudinis & improborum de se sermones introduxit. Nec tamen repulso dominatu Rempublicam nimium molliter gessit nec dissolutè, vel ad gratiam potentium: nec ambitiosè erga eos, qui rebus ipsum imposuerant, tulit leges. verum vbi res tolerabilis erat, ibi nihil correxit vel mouit: veritus ne si Rempublicam vndequaque miscuisset & confudisset, viribus deficeretur ad eam denuò stabiliendam, & optima ratione temperandam. At quæ suadendo sperabat se apud obsecundantes, & vim adhibendo obtenturum apud tolerantes: ea, vt ipse refert, egit, vnà vim & iustitiam copulans.

Temperamentũ optimum.

Quare rogatus post, ecquid optimas leges populo Atheniensi scripsisset: Optimas inquit, quas accepturi illi erant. Nam quod recentiores aiunt Athenienses asperitatem rerum benignis & blandis vocabulis contegentes, inuidia nominis vrbanè emollita scorta appellare amicas, tributa descriptiones, præsidia ciuitatum stationes, carcerem custodiam:

Rerũ asperitas molli appellatione mitigata.

id primum commentum, ni fallor, fuit Solonis, qui æris alieni condonationem, nouas tabulas appellauit. Hoc fuit enim in actis eius primum. Siquidem tulit, vt reliqua remitterentur, & nequis fœneraret deinceps in corpus.

Nouarum tabularum lex à Solone lata.

Et quidem haud desunt authores, in quibus Androtion est, non condonatione æris alieni, sed vsurarum alleuatos moderatione acquieuisse pauperes, atque hoc beneficium nouas tabulas nominasse, gratumq; fuisse, simúlque huic, quæ adiuncta fuerunt, mensurarum augmentum & monetæ precium. Quippe minam, quæ fuerat antè septuaginta & trium, centum fecit drachmarum. Itaque cum numero parem summam, valore minorem præstarent, multum accessit commodi magnum æs dissoluentibus, nihil creditoribus tamen detrimenti.

Solon minam auxit.

Maxima pars nouis tabulis aiunt semel fuisse pacta conuenta vniuersa circumducta: quibus consonare citius carmina Solonis. Gloriatur enim in his agri se ante pignori nexi fixos passim terminos remouisse: quæ pridem seruiebant, nunc libera esse: & ciuium ob æs alienum in nexum abductorum, partim in patriam reduxisse, linguæ Atticæ iam, vt qui per varia loca errauerint, oblitorum: partim dura ibidem oppressos seruitute in libertatem asseruisse. Euenisse verò rem ei ex hac actione memorant omnium acerbissimum. namque vt institit iam æris alieni gratiam facere, & orationem rei congruentem, & honestum quæreret exordium: ad amicos, quibus maximam fidem habebat, quibúsque imprimis vtebatur, Conona, Cliniam, & Hipponicum agros retulit se non moturum, sed in animo habere æs alienum inducere.

Solon cum Lycurgo comparatur.

Hi præuenientes ilicò & præuertentes, fœnerati sunt à diuitibus ingentem pecuniam, qua latos agros comparauére. Proposito inde decreto, cum hi possessionibus fruerentur, nec redderent argentum creditoribus: fœdo crimine Solonem & calumnia, non quasi defraudaretur vnà cum alijs, sed socius esset fraudatorum, inuoluerunt. Verùm hoc crimen mox dilutum est quinque talentis: ea enim summa fœnus exercebat, quam ex lege expunxit princeps. Alij, in quibus Polyzelus est Rhodius, quindecim tradunt fuisse. Amicos eius tamen perpetuò appellauerunt decoctores. Atqui partium neutrarum tenuit gratiam: sed incurrit in diuites, quòd contractus antiquasset, & plus in pauperes, quòd legem agrariam, quam spe deuorauerant, non tulisset: neq; exemplo Lycurgi omnium vndequaq; fecisset pares, & adæquasset fortunas. Enimuerò ille, qui vndecimus esset ab Hercule, & annos complures Lacedæmone regnasset, magna authoritate, amicis, opibus, per quæ in opus educere sua de Repub. consilia valebat, erat succinctus: viq; potius quàm persuadendo, vt etiam excuteretur ei oculus, rem maximam ad salutem ciuitatis suæ & concordiam perfecit, vt nemo aliquis vel diues vel pauper esset inter ciues. Solon verò, qui popularis erat & sortis mediæ, suis institutis eò quidem non aspirauit: sed nihil tamen infra potestatem fecit suam, quæ ipsius consilio & fide, quam ei habebant ciues, nitebatur. Nam plerosque offendisse se alia expectantes, ipse hisce versibus declarauit:

Tunc candidi merum crepabant gaudium, nunc inuidi
Luminibus intuentur obliquis, amaro animo.
Et siquidem, inquit, fuisset æquè alius potens,
Potens tamen non esset ille ciuium:
Nec destitisset omnibus ruentibus,
Exugeret dum pingue lac famelicus.

Citò tamen huius decreti animaduersa commoditate querelas deponentes suas priuatas, publicè sacrificauerunt, idq; sacrificium appellauerunt Tabulas nouas. Insuper

Solonis summa & absoluta in Rep. potestas.

Reip. emendatorem ac legislatorem designauerunt Solonem. Nec verò potestatem ei vllis circumscriptam cancellis, sed permiserunt semel vniuersa, magistratus, conciones, iudicia, curiam: vt horum cuiusque censum, numerum & tempus definiret, præsentia instituta pro arbitrio vel abrogaret vel confirmaret.

Solonis leges. Draconis leges à Solone abrogatæ.

Ac primum leges Draconis ob asperitatem & pœnarum atrocitatem cunctas rescidit: præterquam latas de sicarijs. Noxas enim persecutus est ille penè omneis capitali supplicio, vt & ocij damnati morte mulctarentur: ac qui olus surripuerant vel poma, in hos non secus atque in sacrilegos consuleretur. Vnde postmodum lepidè ait Diomedes, sanguine Draconem non atramento scripsisse leges. Ille ipse, vt perhibent, rogatus quid plerisque fraudibus pœnam capitalem irrogasset: respondit exiguas se mereri eam existimare, ad magnas non habere maiorem.

Solon censum instituit populi Athenensis. Pentacosiomedimni. Zeugitæ. Thetes.

Deinde Solon cũ magistratus omnes penes locupletes vt ante statueret relinquere, reliqua autẽ munia Reip. quorum plebs exors erat, facere promiscua: censum ciuium egit. Ac quorum facultates aridorum simul & liquidorum fructuum mensuras quingentas redderent, hos primæ classis fecit, vocauitq; Pentacosiomedimnos. Secundę classis eos, qui æquum alere aut trecentas valerent efficere: atque hos ordinem equestrem nuncupauerunt. Zeugitæ, quasi opifices tertiæ classis ciues dicti, quibus modus vtriusque generis simul erat ducẽtarum. Reliqui omnes appellati Thetes, id est capite censi. His nullũ magistratum permisit: cæterum hactenus in societatem veniebant hi Reipub. vt suffragium in concione & calculum haberent in iudicijs: quod initio nihil esse, tractu apparuit ingens.

Legum obscuritate, dignitas iudiciorum aucta.

Quippe magna controuersiarum pars recidit ad iudices. quorum autem magistratibus notionem delegauerat, perinde de illis ad forum concessit cuilibet prouocationem. Dicitur præterea legibus scribendis implicatioribus & multum contortis vim amplificasse subselliorum. Cum enim decidi per leges non possent lites, euenit vt nunquam non opus haberent iudicibus, ad quos sicut legum quodam modo dominos controuersias omnes deferrent. De hac exęquatione sibi ipse hisce versibus gratulatur:

Nam vires populo tribui, quantæ satis essent:
Non detractus ei, aut amplificatus honos.
Sed neque diuitijs & opum splendore superbis
Tunc plus permisi, quàm satis esse rebar.
Vtraq; prævalidis munijni pectora scutis:
At paribus gaudens vincere neutra tuli.

Atque impensius ratus plebis subueniendum infirmitati, cuilibet dedit de illata cuiuis iniuria actionem: siquidem altero pulsato, vel læso, vel violato, cuique ius erat, cui facultas suppetebat & voluntas, authorem iniuriæ postulare & reum facere. Et rectè assuefecit legislator ciues mutuò inter se, alterum alterius, vt si vnum sit corporis sui membrum, sensu & dolore tangi. Huic legi vocem eius concinentem commemorant.

Curia Areopagitarum.

Cùm esset enim ex eo quæsitum, quæ esset optimè comparata ciuitas: Illa, inquit, in qua illæsi perinde ac læsi insectantur, & vindicant maleficia. Porrò consilium Areopagitarum cum ex annuis magistratibus constituisset, in quo erat ipse quoque, quod Archon fuisset, & populum nihilo minus videret ex æris alieni remissione inflatum ferocientemq;:

Secũda curia Athenensis.

alteram insuper curiam conscripsit, legitq; ex singulis quatuor tribubus centenos viros: qui vt decretum facerent ante concionem, sanxit, neque quicquam nisi ex senatusconsulto populus rogaretur.

Supremus senatus Athenis.

Supremum senatum omnium arbitrum & custodem constituit legum: arbitratus quasi in anchoris curijs duabus stantem minus fluctuaturam ciuitatem, plebemq; præstaturam tranquilliorem. Plurimi igitur Areopagitarum curiam ad Solonem vti diximus, referunt authorem. Quibus astipulari videtur, quod nusquam meminerit Draco Areopagitarum, vel eos appellauerit: sed vbique cum Ephetis agat de rebus capitalibus.

Solonis leges aliæ.

At tabula Solonis tertiadecima octauam legem ita ad verbum habet descriptam, Qui ante Solonem archontem notati infamia fuerunt, integra fama sunto: extra quam qui in Areopago, vel qui apud Ephetas, vel in Prytaneo à regibus damnati homicidij, aut latrocinij, aut affectati regni solum exilio verterunt, cum lex hæc fuit promulgata. Hæc verò contra Areopagitarum consilium præcurisse Solonem archontem eiusq; leges sunt argumento. Nam qui tandem fuissent illi in Areopago iudicati, si primus curiæ Areopagitarum dedit Solon cognitionem? Nisi herclè habuit obscuritatem aliquam aut defectum hæc tabula: vt conuicti criminum, quæ ad notionem pertinent

Areopa-

Areopagitarum, Ephetarum, & Prytanum, cum hæc promulgata est lex, manerent infames, cum alŋ famæ restituerētur. Ea certè fuit eius mens. Ex cæteris eius legibus est singularis imprimis & noua illa, quæ eum, in seditione qui fuisset neutram partem secutus, infamia notat. Vult enim neminem non permoueri, vel sentire rebus in tuto collocatis suis incōmoda publica, neq; eo se vendicare, quod patriæ dolore vel morbo nō tangatur: sed vt ilicò partibus se melioribus & iustioribus associent, cumq; his periculo offerant se potius & succurrant ijs, quàm operiantur ex tuto, vnde stet victoria.

Neutram partē in seditione secutus, notatur à Solone infamia.

Absurda autem & ridicula videtur illa, quæ puellæ opulentę orbæ gratiam facit: si ille, qui eam vendicauit ex lege & obtinuit, ad complexum sit impotens, proximis viri se substernere.

Lex de puellis orbis opulentis

Atqui aiunt nonnulli fuisse id constitutum rectè in eos, qui inhabiles ad Venerem cum sint, pecuniæ causa tamen diuites illas orbas iungunt sibi matrimonio, inferuntq; ob legis priuilegium vim naturæ. Cum enim cernunt licere puellæ orbæ, quem libeat, admittere: vel abstinebunt ab ijs nuptijs, vel retinebunt eas cum macula, auaritiæ & improbitatis pœnam dantes. Bene est etiam, quod non quemlibet, sed quem velit ex viri necessarijs admittat orba: quo proles de familia sit & de stirpe eius. Huc facit item, quod sponsa cum sponso concludatur, & malum cydonium voret cum eo: & quod ter mense cogatur, vt minimum orbam is qui eam duxit, complecti. Nam etsi non generent liberos, honos tamen hic qualisqualis à marito castæ mulieri habitus & beneuolentia multas absterget vndiq; collectas acerbitates, nec permittit eam iurgijs plane abalienari. Cæteris coniugijs dotes detraxit, sponsamq; præter tres stolas & suppellectilem parui precij afferre quicquam vetuit.

Solon dotes dari prohibuit.

Neq; enim meritorium aut venale volebat fœdus esse nuptiarum, sed liberorum causa, & gratiæ atque amicitiæ virum & mulierem consociari. Siquidem Dionysius, cum postularet mater eius ciui cuipiam collocari: Ciuitatis respondit leges affecutum, se tyrannidem euertisse, naturæ verò, vt nuptias intempestiuas conciliaret, vim afferre non posse.

Dionysij dictum de nuptijs.

At in ciuitatibus non est ea admittenda confusio, neq; toleranda incongruæ & ingratæ coniunctiones, quæ nullum habent opus nec finem nuptialem: verùm seni iuuenculam ducenti prudens magistratus vel legislator illud ad Philoctetem dictum obijciat:

Commodè verò potes miser
Ducere uxorem.

Quod si iuuenem repererit in anus cubiculo pecuniosæ, ex concubitu perdicum modo pinguescentem, traducet eum ad virginem, quæ virum requirat. Sed de his satis. Commendatur item lex Solonis, quæ maledicta vetat in defunctos congerere.

Lex de maledictis.

Est enim putare eos, qui decesserunt, sanctos pium: abstinere ab ijs, qui non extant, iustum: & ciuile odij tollere æternitatem. In viuum contumelias effundere in sacris, iudicijs, curijs, & ludis interdixit. Mulctam pendendam priuato tres drachmas, binas alteras ærario præscripsit. nam irę nusquam moderari, illiberale putauit & effrene, vbiq; arduum, nōnullis etiā impossibile. Debet verò ad id, quod effici potest, lex accommodari: dum modo intendat cum fructu paucos, & non multos incassum punire. Iam probatur lex eius testamentaria.

Lex Solonis testamentaria.

Etenim antea non erat ius testamentum condere, sed familiæ defuncti pecunia & hæreditas relinquendæ erant. Hic liberum fecit non extantibus liberis, cui visum esset, sua donandi, amicitiamq; propinquitati, & gratiam prætulit necessitati, pecuniamq; mancipiū fecit possessorum. Nec indefinitè tamen citra delectum dare indulsit: sed si non per morbum vel medicamentum, nec vinculis vel vi astrictus, vel vxoris inductus esset blāditijs: Rectè atq; ordine, improbis modis inducaris, an vim patiaris, nihil ratus interesse: sed dolum vi, & voluptatem dolori conferens, quasi æquè de statu mentis deijcere homines valeant. Profectiones quoque mulierum, luctusq; & festa lege astrinxit inconditam licentiam coercente.

Lex Solonis de peregrinationibus fœminarū.

Proficiscēti foras tres non amplius stolas permittit habere, neq; plus cibi vel potus secum efferre quàm obulo emptum, neq; calathum cubitali maiorem, nec de nocte nisi curru vectam ad lucernam iter facere. Lacerationes plangentium, ploratum excitantia & eiulatum in alienorum funeribus sustulit.

Lex funebris Solonis.

Parentare boue interdixit, vel amplius tres vestes cum mortuo condere, ad aliena monumenta nisi in iustis exequiarum accedere: quorum sunt etiam nostris legibus vetita pleraq;. Adiectum nostris est, vt qui ea admittunt, quasi perturbationibus & erroribus erga propinquos suos eneruibus & effœminatis aspersi mulctentur à Gynęconomis.

Solō traducit ciues ad artificia.

Porrò vrbem cum videret hominibus quotidie in Atticam vndique, propter libertatem & securitatem confluentibus compleri, agrum autem ferè infœcundum malignumq;: eos verò qui mare exerceant, nihil

ſolere ijs, qui nihil reddere habeant, importare: traduxit ad artificia ciues, tulitq; legem, ne filius parentem, qui ipſum non docuiſſet artem, cogeretur alere. Nam Lycurgo quidem, qui vrbem colebat à turba defecatam peregrina, agrumq; haberet multis multum, qui plus bis totidem ciuibus, vt ait Euripides, eſſet alendis: præſertim quia Ilotica multitudo, quam præſtabat non marceſcere ocio, ſed perpetuis attritam laboribus eſurire, erat Lacedæmoni circunfuſa, ſatius erat odioſis exolutos & vilibus negocijs ciues armis alligare, vt eam vnam artem arriperent meditarenturq;. At Solon, qui rebus potius leges, quam res applicabat legibus, & conſiderabat agri indolem vix aratoribus ſuſtentandis eſſe, neque ſegnem poſſe & reſidem turbam tolerare, artibus adiecit dignationem: & curiæ præcepit Areopagitarum, quonam ſe quiſq; tueretur quæſtu, obſeruare atq; in ocioſos animaduertere. Illud verò iam durius, quod ad alendos parentes non aſtringerentur, vt author Ponticus eſt Heraclides, ex meretricibus procreati. Quippe nuptiarum decus qui prætereat, profitetur ſe non liberorum gratia, ſed voluptatis aſſciſcere mulierem: habetq; mercedem ſuam, neq; locum ſibi quærendi reliquit de genitis, quibus ipſam reddidit probroſam natiuitatem. At nihil omnino importunius videtur legibus illis, quas tulit de mulieribus Solon. Nam adulterum interficere deprehendenti permiſit: ſin verò liberam fœminam rapuerit quis, eiq; vim intulerit, huic centum drachmarum præfiniuit mulctam. Si lenocinetur, viginti drachmarum, exceptis quæ propalam venales ſunt, meretrices dico: hæ enim palam adeunt ad eos, qui dant mercedem. Præterea filias vendere aut ſorores interdicit, extraquam virginem in ſtupro ab ipſo deprehenſam. Atqui abſurdum eſt, vt idem factum modo aſperè & atrociter vindicet, modo leniter quaſi per ludum mulctam indicat tranſlantiam pecuniariam. Niſi quia id temporis non abundabant Athenæ argento, eius difficultas inrendit pœnas pecuniarias: nam in ſumptum victimarum ouem imputat, & pro medimno drachmam. Victori ludis Iſthmijs centum drachmarum præmium aſſignauit, Olympiacis quingentarum. Ei qui lupum attuliſſet, dedit quinque drachmas, qui lupam, huic vnam, vt Demetrius Phalereus eſt author: atque hoc precium ouis eſſe, illud bouis. Nam quas in ſextadecima tabula præſcribit eximiarum hoſtiarum taxationes, eæ erant haud dubio longe maiores. Sunt alioquin illæ quoque vt hoc ſeculo tenues. Eſt autem tranſlatitium apud Athenienſes, qui agrum habent pecori quàm aruo commodiorem, bellum cum lupis gerere. Ac ſunt, qui tribus tradant non ab Iouis filijs, ſed à generibus, in quæ diſtributa à primordio ſtudia hominum fuerunt, nomina ſortiras: ita bello deditos, appellatos Hoplitas: operi Ergadas: reliquorum duorum agriculturæ incumbentes, Gedeontas: qui pecuariā faciebant, Aegicoras. Quia verò nec amnes perennes, neque lacus, neq; fontes abundè ſuppeditant regioni, verùm puteis manu factis vtuntur ferè: legem ſcripſit, vbi puteus publicus intra hippicum eſſet, eo vti vt eſſet ius. Hippicum ſpacium quatuor ſtadiorum erat: vt priuatam aquam perueſtigarent, vbi maius interueniret interuallum. Quod ſi foſſa decem paſſus in altum depreſſa, aquam in ſuo non inueniſſent, tunc vt ſumerent à vicino, & ſex congiorum hydriam bis die implerent. Inopiæ enim ſubueniendum, non alendam exiſtimabat ignauiam. Ad hæc modum plantandi digeſsit perquam artificioſe. Aliam arborem qui in agro ſuo plantaret, cum à vicino abſiſtere pedes quinque imperauit: qui ficum aut oleam, nouem: quod radices agant hæ longius, neque ſit omnibus earum innocens vicinia: ſed & alimentum eripiant, & halitum efflent aliquibus infeſtū. Scrobem aut foſſam qui ducere velit, eum recedere tam longè iuſsit à fundo alieno, in quantam profunditatem depreſſerit eam. Qui apum aluearia collocat, abſcedere à prius poſitis alienis pedes trecentos. Ex fructibus ſolum oleum dedit peregrinis diſtrahendi facultatem, aliorum exportationi interdixit: eoſq;, qui quid euexiſſent, archontem iuſſit deuouere, aut ipſum ærario dependere centum drachmas. Prima tabula eſt, quæ hāc legem continet. Vnde non eſt ſemel illis abroganda fides, qui aiunt olim etiam ficuum vetitam exportationem fuiſſe, & delatorem exportantium à delationibus factitandis, quod Græci φαίνειν vocant, dictum ſycophantam. Legem prætere a ſcripſit, ſi quadrupes pauperiē fecerit: in qua canē, qui momorderit, ligatum quatuor cubitorum cathena noxæ dari præcipit. Hoc commentum ſcitum eſt ad ſecuritatem. Iam lex etiam de ciuibus aſſcriptitijs ſcrupulum præbet: quia recipi ciuitate vetat, niſi qui ſint in perpetuum exiliū patria ſua exacti, aut cū toto domicilio Athenas artis ſuæ exercēdæ gratia cōmigrauerint. Quod ſtatuiſſe ferunt eū nō tam ſummouēdorum cauſa alienigenarū, quàm inuitādorū Athenas ſpe certa in cōmunicationes ſe vēturos ciuitatis, ſimul fidos exiſtimās fore

hos

Ocioſi puniebātur Athenis.

Lex Solonis de mulieribus.

Pecuniæ raritas erat Athenis tēpore Solonis.

Athenienſes lupis infeſti.

Tribus Atheniē ſes vnde dictæ.

Hoplitæ.

Ergades.

Gedeontes.

Aegicoræ.

Lex de puteis.

Hippicum.

Lex plantandi.

Vide digeſt. fin. reg. l. vlt.

Lex fodiendi.

Sycophanta, vnde dictus.

Lex de ciuibus aſſcriptitijs.

hos quod consulto, illos quod coacti patriam suam repudiauissent. Proprium verò est Solonis institutum epulatio in curia, quod παρασιτεῖν ille appellauit. siquidem non permittit eidem illic epulari frequenter. Sin autem ille, cui id delatum sit, contemnat: infligit ei pœnam, ratus hoc honoris publici fastidium, illud esse plus æquo appetentis. Has leges in centum annos omneis sanxit. Relatæ fuerunt in axes vel tabulas quadratas ligneas, quas Axonas dicunt, thecis inclusas aliquanto longioribus quàm largioribus, in quibus vertebantur: quarum in prytaneo adhuc nostra memoria tenuia extiterunt vestigia. Appellabantur authore Aristotele Cyrbes. Ac Cratinus Comicus de Solone & Dracone ait: Iam quibus nunc cyrbibus torrent legumina? Aliqui volũt eas, in quibus sacra & sacrificia sunt descripta, proprie cyrbes: axonas fuisse appellatas cæteras. Senatus autẽ stabilituros leges Solonis se commune iusiurandum peregerunt, singuli autem thesmothetę conceptis verbis peculiare iuxta Lithon (suggestus est in concione Athenis) siquã violassent legem, auream statuam paris sibi ponderis Delphis ipsos dicaturos. Perspecta autem mensis varietate, nec cursum lunæ vel cum exortu solis vel cum obitu prorsus cõgruere, verum subinde eam solem eodem die & assequi & prætergredi: hunc ipsum diẽ ἕνην καὶ νέαν: id est, nouissimam & primã lunã iussit appellari, partem eius, quæ coitum cũ sole lunæ antecedit, desinenti: residuam inchoanti arbitratus attribendam. Et fuit certè primus qui Homerum percepit canentem:

Epulatio in curia.

Cyrbes.

Axones.

Lithon suggesti nomẽ Athenis.

Solonis institutũ de mensibus.

Hic cum desierit mensis, tum cœperit ille.

Odyss. ξ

Insequentem diem νουμηνίαν vocauit. Dies mensis, qui succedunt vigesimo, non attexendo, sed detrahendo & retexendo, vt lumen lunæ aduertit, vsque ad trigesimum numerauit. Quia verò perlatis legibus adibant indies aliqui Solonem, qui vel laudarent eas vel obtererent, vel monerent, vt tabulis intexeret vel demeret, quod cuique in mentem veniret: plurimi verò quærerent & percunctarentur, peterentq; quemadmodum accipiendum quidq; esset, quamq; haberet sententiam, vt explanaret & enodaret: considerans, ni faceret ea, rem insolentem fore, & si faceret, inuidiosam: atq; eas ambiguitates statuens omnino declinare, importunitatemq; subterfugere & querimonias ciuium (Nam vt ipsemet ait,

Omnibus in magnis difficile est canere)

ad speciem peregrinationis munus naucleri prętexens, impetrato à populo Atheniense, vt abesse sibi decennium liceret, nauem conscendit: interea fore sperans, illis leges suas familiares. Primum in Aegyptum est delatus, ibiq; commoratus, vt ipse ante dicit:

Solonis peregrinatio.

Faucibus in Nili, qua littora curua Canopi.

Aliquantisper etiam cum Psenophe Heliopolita & Sonche Saita inter sacerdotes literatissimis, in contemplanda egit sapientia: ex quibus audiuit, vt author Plato est, sermonem Atlanticum, quem versibus apud Gręcos exorsus est explicare. Inde in Cyprum nauigauit, vbi in summa gratia fuit apud quendam illius regionis regem Philocyprum. Habebat oppidum hic exiguum à Demophonte Thesei filio ad Clarium amnem conditũ, munito quidem loco, sed aspero & sterili. Ei Solon, cum esset lætus campus subiectus, illuc suasit vt vrbem trãsferret, amœnioremq; & ampliorem excitaret. Atq; ipse pręsens, vt frequentaretur oppidum cultoribus, curam egit, sociusq; fuit regis in constituendo eo cùm ad vitam tum ad securitatem commodissime tuendam. Vnde frequentes incolæ confluxerunt ad Philocyprum, æmulatiq; hoc sunt cæteri reges. Quare Soloni honorem habuit, nominata vrbe, quæ dicta ante Aepea fuerat, ab huius nomine Solis. Huius conditę vrbis ipse meminit, Philocyprum eam in elegijs appellans:

De Sermone Atlantico, plato in Timæo.

Soli conduntur in Cypro in Solonis honorem.

Atqui rite Solis, inquit, *nunc longo tempore regnans*
Incolito hanc vrbem, tuq; genusq; tuum.
Me cum pace quidem, vernis redimita coronis
Dimittat clara sed Cytharea Cypro.
Et celeri patriæ repetentem littora naui,
Dirigat in portum candida diua meum.
Gratesq; atq; decus, fuerim quod conditor vrbis,
Soluat ea, & nostrum dextra secundet iter

At Solonis cum Crœso congressum temporibus quidam vt commentitium refellere se putãt posse. Ego verò historiã adeo illustrẽ & tam multis consignatã testibus: & quod maius est, cũ Solonis moribus consentaneã, illiusq; maguitudine animi dignã & sapiẽtia,

Solonis & Crœsi congressus.

non possum in animum inducere, vt repudiem ob chronicas quasdam, quas vocant regulas: quas sexcenti corrigentes nihil hactenus constituere certi, in quo consentiant inter se depugnantibus, valuere. Soloni ergo Sardeis aiunt ad Crœsum eius rogatu profecto, simile quiddam accidisse atq; homini terrestri, qui primùm petit mare. Ille enim alius ex alio fluuium cum videt, putat eum æquor esse: item Soloni aulam permeanti & multos contemplanti ex aulicis splendidè cultos, ac pompose incedentes cum comitum atq; stipatorum agmine, vnusquisq; videbatur Crœsus esse: quousq; ad illum ipsum est deductus circumiectum omni cultu qui ex gemmis, colore vestis, ex auro fabrefacto ad nitoris elegantiam vel præcellentiam vel admirationem parari potuisse videbatur: quo nimirum spectaculum ei præberet quàm augustissimum politissimumq;. Cæterùm vt coràm astans non modo nihil est motus Solon, nec ad eam speciem vocem misit pro Crœsi expectatione, verùm etiam ingenuè declarauit sanis, illius insolentię se & ineptiarum nullã ducere rationem: iussit ei thesauros pecuniæ suæ aperiri, & vt duces regiũ omne instrumentum & splendorem ostenderent. At nihil erat istis opus Soloni: facile enim ipse ille poterat in semetipso ingenium & mores suos demonstrare. Vt igitur contemplatus omnia & reductus est, num quem hominem, requisiuit ex eo Crœsus, se nosset beatiorem.

Tellus beatus.

Cum dixisset Solon Tellum nosse se ciuem suum, recessisseq; bonum virum Tellũ fuisse, & honestis relictis liberis, cum nihil ei in vita abfuisset, fortiter pro patria dimicantem cum laude mortem oppetijsse. Habebat iam pro stipite eum & trunco Crœsus, quod neque auri neq; argenti vi metiretur beatitudinẽ: sed hominis vitam & obitum popularis, priuatiq; tam immensæ potentiæ & imperio anteferret. Tandem tamen rogauit eum denuò, secundum Tellum nunquam cognosceret beatiorem alium. Verùm occurrente iterum Solone, Cleobin & Bitonem singulari & inter se & in matrem pietate viros, qui remorantibus bobus iugum ipsi plaustri subijssent, genitricemq; ad Iunonis traxissent delubrum, gratulantibus ei ciuibus exultantem. Inde sacris peractis epulati non surrexissent postridie, sed in tanta gloria vitam, cum morte citra vllum dolorem vel cruciatum reperti essent commutasse: Quid nos, inquit, iam ira incensus Crœsus, nullo ne nos numero inter beatos habes? Cui Solon nolens vel adulari ei, vel ultra asperare: Græcis, inquit rex Lydorum, cùm mediocria dij dederunt alia, tum sapientiam quandam ex mediocritate meo iudicio constantem plebeiamq;, non regiam aut splendidam: quæ vitam consideràs varietati fortunæ expositam, non sinit nos præsentibus bonis animos tollere, neq; vllius suspicere felicitatem vicissitudini opportunã temporis. Offert enim vnicuiq; ex improuiso futurum alias atq; alias conuersiones. Cui verò prosperitatem Deus exitu confirmauit, hũc numeramus beatum. At viuentis adhuc & periculis in vita propositi beatitudo, sicut certantis præconium & corona, fluxa est et vana. Ea fatus Solon digressus est, & offendit non correxit Crœsum. Erat eadem tempestate Sardibus fabularum scriptor Aesopus, quem Crœsus accitum in honore habebat. Hic vicem Solonis doluit illiberaliter dimissi, monensq; eum: Cum regibus Solon, infit, est aut nequaquam aut quàm iucundissime agendum. Cui Solon: Minimè, inquit, imò nequaquam aut quàm optime. Ac tunc quidem Solonem Crœsus tantopere despexit. Postquam verò acie fuit à Cyro victus, amissaq; vrbe viuus venit in potestatem eius, & cremandus fuit, vinctusq; pyræ extructę inspectantibus Persis omnibus & assistente Cyro est impositus: quantum intendere valuit vocem, exclamauit: Solon, Solon, Solon. Id miratus Cyrus misit quæsitũ ex eo, quis nam deorum vel hominum esset Solon ille, quem in rebus perditis vnum cieret. Crœsus nihil dissimulans: Hic vir, inquit, in sapientibus Græciæ vnus fuit. Quem ego accersiui, non quidem quo quicquam audirem, aut quibus habebam opus, discerem: verùm vt mihi scilicet spectator esset, & illius tãtæ meæ abiret testis felicitatis: cuius mihi amissio profectò plus attulit mali, quam boni adeprio. Nam verbo fuit & opinione eius bonum præsentis, sed inclinatio in calamitates mihi reuerà euadit graues & lugubres. Atq; vir ille ex ea fortuna præsentẽ augurãs finẽ monuit me vt vitæ spectarẽ, neq; volubili elatus fiducia ferocirẽ. Quib. ad Cyrũ relatis, ut qui sapiẽtior esset Crœso, & exẽplo videret testatũ sermonẽ Solonis, nõ modo liberauit Crœsum, sed & dũ vixit, honore est eũ prosecutus. Retulit autẽ eã Solõ laudẽ, quod duorũ regum vno dicto alterũ seruasset, alterũ erudiuisset. At Athenis omnes per Solonis absentiã in seditionẽ exarserãt. Dux erat Pædiæorũ Lycurgus, Paralorũ Megacles Alchmeonis, Pisistratus Diacriorũ, in quibus capitecensi erant locupletibus imprimis infesti. Vigebant quidem etiam tum in ciuitate leges Solonis: sed ad res nouas spectabant, & desiderabant omnes alium reip. statum. Sperabant, non

Cleobis & Biton in matrem pij.

Quos Solon beatos censeat. Arist. Ethic. libro 1.

Valer. Max. libro 7. cap. 2.

Seditio Athenis absente Solone.

non quod æquum erat, sed aliena quoque se assecuturos in mutatione, & aduersam partem vndequaque oppressuros. In hoc rerum statu regressus Solon Athenas erat quidem in magna apud omnes reuerentia atque honore: cæterùm ad dicendum vel agendum in publico nec vires aderant ei præpediente senio nec alacritas: capita verò factionum seorsum appellans, tentabat discutere discordias, eosq; reconciliare: præcipue auscultante ei, vt apparebat, Pisistrato. Etenim blandus hic erat, & suauis in sermone, refugium pauperum, in gerendis simultatibus facilis moderatusq;. Cum autem etiam ea, quæ natura denegasset sibi adumbraret: maior ei, quàm illis, qui ea obtinerent, fides erat vt pudenti viro & modesto, ac imprimis amanti, vt sicui alij, æquitatis, grauiterq; ferēti, siquis præsentem rerum statum moueret, aut rebus studeret nouis. quippe his artibus plebi imposuit. At citò deprehendit ingenium eius Solon, fraudemq; primus introspexit: non suscepit tamē odium eius, verum demulcere nitebatur eum & corrigere, dixitq; tum ei tum alijs: siquis principatus cupiditatem eliderct ex animo eius, & dominandi mederetur libidini, nō esse ad virtutem magis factum nec ciuem meliorem alium. Cum iam mouere Thespis cœpisset tragœdiam, & retineret rei nouitas multitudinem (necdum enim ad certaminis contentionē euaserat res) quod audiendi & discendi Solon studio teneretur, magisq; in senectute in ocium ludumq; se, & vero etiam in conuiuia atque musicam remitteret: ipsum agentem, vt mos erat veterum, spectauit Thespin. Mox sub ludis conuenit eum, quæsiuitq;: ecquid ipsum puderet in tanta corona tanta proferre mendacia. Vbi respondit Thespis, non esse indignum ea per ludum vel dicere vel facere: Solon terra baculo grauiter percussa: At breui, inquit, qui nunc probamus & amplectimur hunc ludū, reperiemus eum in contractibus & negocijs. Vt verò semetipse Pisistratus cōsauciauit, atque sita rheda in forum delatus, populum, tanquā insidijs inimicorum Reip. causa esset circumuentus, inflammauit, multiq; vicem eius indignabantur fremebantq;: propius accedēs Solon & asistēs ei, Parùm recte, inquit, agis fili Hippocratis Homericū Vlissem. Eadem enim designas ad fallendū ciues, quibus hostes ille flagris à semetipso mulctatus elusit. Inde præstò plebs fuit ad protegendum Pisistratum, & ad cōcionē venit populus. Vbi cum ferret Aristo, vt quinquaginta stipatores stationarij ei asignarentur, surrexit Solon ad id dissuadendum, multaq; cōmemorauit his similia, quę carminibus mādauit:

Solō redit Athenas.

Pisistratus occupat tyrannidem Athenis.

Thespis primus tragœdus.

Pisistrati dolus à Solone deprehensus.

Solonis libertas & constantia.

Nam vos lingua viri, vos blandimenta morantur. Et
Vestrum quisq; quidem vulpis vestigia figit:
Verum tota cohors pectora cæca gerit.

At cum inopes cerneret studiosos Pisistrati, & tumultū cientes, locupletes verò ob metum fugę consulentes: recesit, dicens his se fortiorem, illis esse prudentiorem: prudentiorem ijs qui quid agebatur, non intelligerent: fortiorem alijs, qui cū intelligerent id quod agebatur, obsistere tamen dubitarent tyrānidi. Postquam eam rogationem sciuit plebs, non anxiè deinceps de numero sattellitum disceptauit cum Pisistrato: verùm quotcunq; aleret & cogeret, apertè conniuit, dum ille occupauit arcem. Inde tumultuante ciuitate, cōfestim Megacles cum Alcmeonidis cæteris profugit. Solō, etsi exacta iam ætate esset, neq; vllum haberet subsidium, in forum progressus tamen habuit ad ciues concionē, qua partim stultitiam eorum & ignauiam est insectatus, partim accendit & incitauit eos, ne desererent libertatem. Quo tempore etiam hoc celebre dictum commemorauit: Fuisse antè ipsis exorientem reprimere tyrānidem expeditius, nunc grandius esse & illustrius constitutam iam & adultam excindere & euertere. Vbi verò nemo ob pauorem audiuit eum, domū discesit, sumptisq; armis atq; pro foribus in vico positis: Ego quidē, inquit, quantū potui, patrię & legibus succurri. Ac deinceps tenuit se in ocio, neq; amicis, vt solum verteret, monentibus audiens fuit, verùm carminibus scriptis improperauit Atheniensibus:

Solonis libertas.

Si vestra fletis culpa tot tristia paßi,
Ne velis irasci noxia turba dys:
Hos auctos ipsi vos euexistis in arcem.
Nunc ergo domini vos iuga ferre decet.

Quamobrem docentibus multis mortem ei impendere à tyranno, rogantibusq; qua re fretus adeò loqueretur temerè: Senectute respondit. Atqui Pisistratus sane potitus rerū ita, Solonem obseruauit, honore & beneuolentia prosequens eū, accersensq; vt hic in cōsilio illius esset, multaq; eius instituta probaret. namq; leges plerasq; Solonis retinuit, ijsq; paruit ipse princeps, & amicos cocgit. Quippe iā in dominatu apud Areopagitas cædis

Solonē obseruauit Pisistratus.

accusatus, modestè ad iudiciũ stetit ad causam dicendã: quam tamen deseruit accusator.

Pisistrati leges.

Preterea leges ipse alias scripsit: inter quas est illa, ut mutilati in bello ex ęrario alãtur. Cæterũ id Heraclides ait, cum antè in Thersippo membris truncato Solon decreuisset, Pisistratum imitatum. Vt autem Theophrastus scriptum reliquit, nec legem de ociosis Solon, sed Pisistratus tulit, qua agrum redderet cultiorem, & infrequentiorem vrbem. At

Athlanticus sermo.

Solon cum argumentosam de Athlantico sermone vel fabula inchoasset commentationem, quam ex doctis Sai acceperat conuenientem Atheniensibus, elanguit, non propter occupationes, ut Plato vult, sed potius ex senio, operis magnitudine deterritus. Nã ocio quidem eum abundasse indicant hæ voces:

Addiscens fio nocte dieq́ʒ senex. Et,
Sunt Veneris Bacchiq́ʒ mihi nunc munera cordi
Musarumq́ʒ, viros quæ recreare solent.

Platonis Athlanticus dialogus, qui & Critias inscribitur.

Atqui Plato argumentum Athlãticum prægestiens vt amœni loci aream desertam, quæ proximitatis iure ad ipsum rediret, excolere & expolire: cinxit ingentibus vestibulis, septis, & atrijs, qualia scriptum nullum aliud nec fabula nec poema habuit, aditũ. Sed quia serò admouit ei manum, opus leto anteuertit. Et quo magis, quæ scripta sunt, oblectant,

De Iouis Olympij templo. Plin. lib. 36. cap. 16.

Solonis mors.

eo grauius opere angunt non consummato. Vt enim vrbs Atheniensis templum Iouis Olympij, ita argumentum Athlãticum inter scripta multa præclara solum reliquit Platonis sapientia imperfectum. Porrò fuit superstes Solon, postquam occupauit Pisistratus tyrannidem, vt memorię tradidit Ponticus Heraclides, per multos annos: vt Phanias Ephesius, minus duobus annis. Siquidẽ cœpit Pisistratus dominari Comia archonte, Hegestrato verò archõte, cuius magistratus proximus Comiæ fuit, Solonem refert Phanias obisse. At combusti cineres fuisse per Salaminiorum insulam dissipatos, est absurdum, vt absonum planè sit à fide & fabulosum: quod proditum est tamen cùm ab alijs testibus assiduis, tum ab Aristotele philosopho.

P. Valerius Poplicola.

Poplicolæ genus. Liuius lib. 1. & Dionysius Halicar. lib. 2.



VM tali viro nos Solone comparamus Poplicolam, cui pòst hoc nomẽ populus Romanus honoris causa tribuit, antè fuit P. Valerius dictus. Apparet hunc fuisse ortum ex Valerio, qui apud maiores, vt Romani & Sabini annis depositis in vnum populum coirent, pręcipuus fuit author. Hic enim est ille, qui prę cęteris reges ad colloquium perpulit conciliauitq́ʒ. Eius ergo Valerius stirps, vt fama est, cum adhuc foret sub regibus Roma, insignis eloquentia erat & diuitijs: quorum his ad liberalitatem & humanitatem erga inopes exercendam, illa rectè & liberè pro iustitia vtens magnam statim expectationem præbuit, si quando sui iuris esset resp. fore, vt primum locum obtineret. Postquam verò Tarquinium Superbum, qui nec bonis artibus regnum, sed impiè & nefariè parauerat: neq́ʒ regia administrabat virtute, sed superbè & tyrannicè: populus perosus & grauatus casum Lucretiæ, quæ ob stuprum oblatum semet ipsa trucidauit, ansam cepit ab eo desciscendi: ac L. Brutus moliens nouare res, primum consilium

Valerius Bruti in regibus eijciendis socius. Valer. Max. lib. 4. cap. 4.

consociauit cum Valerio, quo acerrimo adiutore reges expulit: quamdiu putabatur populus vnum regis loco electurus ducem, conquieuit Valerius, imperiũ existimans ad Brutum, qui auspicem præbuerat se ad libertatem, pertinere potius. Quia verò auersus erat ab vnius dominatus populus nomine, atq́ʒ æquiore animo dispertitam videbatur summam potestatem laturus, ideoq́ʒ duos destinaret posceretq́ʒ: spe concepta cum Bruto se cõsulem designatum iri, offendit. Collega enim Bruto datus inuito est, pro Valerio Lucretiæ vir Tarquinius Collatinus: nõ ille quidẽ virtute Valerio præcellẽtior, sed primores metu adhuc suspensi multa adhuc foris molientiũ regũ & lenocinijs solicitantiũ ciuitatẽ, duceẽ quærebant quàm acerrimũ & implacabilẽ eorũ hostẽ. Id indignè

Valerius ægrè fert consulatus repulsam.

ferens Valerius, ideò minorẽ fidẽ haberi sibi omnia pro patria experturũ, quia nulla priuatim se pepulisset iniuria tyrannorũ, abstinuit curia, foro tẽperauit, & reip. semel deposuit procurationẽ. Quare sermonẽ & metũ præbuit vulgo, ne offensione animi cum regib. cõspiraret, remq́ʒ publicã & ciuitatẽ adhuc nutãtem euerteret. Cum verò suspectaret Brutus præterea nõnullos alios, statueretq́ʒ solemnib. adhibitis victimis stata die senatũ iure-

Liu. Dec. 1. lib. 2.

Prima Tarquinij legatio de regno recuperando.

iurando adigere: perquàm alacris Valerius descẽdit in forũ, iurauitq́ primus nihil se cõcessurũ vel indulturũ Tarquinio, sed libertatẽ pro viribus defensurũ. vnde magno gaudio senatũ, simul fiducia consules erexit. Mox iuramentum reconfirmauit. Legati venerunt à Tarquinio cum literis populariter scriptis sermonibusq́ modestis, quibus plebem inflecti putabat posse: quod præ se ferrent spiritus illos deposuisse regem, & æqua postulare. Quos cum consules ad populum censerent producendos: haud permisit id Valerius, sed obstitit & intercessit, ne inopi multitudini, quæ magis à bello quàm regno abhorreret, semina & materiam darent turbandæ Reipub. Mox alij missi legati, qui Tarquinium regno se abdicare & arma attulerunt positurum, bona modò & pecuniam repetere sua amicorumq́ & familiarium, vnde in exilio se tolerarent. Cum inclinatẽ multi in eam sententiam, & præcipuè vrgeret eam Collatinus: Brutus acris vir animi & ad iram asperi, prouolat in forum: proditorem collegam clamitans, qui belli & dominatus subsidium largiretur ijs, quibus vt viaticum exilij decerneretur, nulla esset ratione tolerandum. Ibi pro concione princeps C. Minutius homo priuatus Brutum monet, & populum hortatur: viderent vt ea pecunia se potius aduersus tyrãnos, quàm aduersus ipsos armarent tyrannos. Ad postremum vicit tamen ea sententia apud populum Romanum parta libertate, pro qua pugnabant: ne pecuniæ causa profunderent pacem, verùm vnà cum tyrannis pecuniam exterminarent.

Altera legatio Tarquinij de repetitione bonorum.

Tarquinij legati Romæ proditionem moliuntur.

Atqui Tarquinius eam in minimis ponebat, sed repetitio illa spectabat eò, vt simul & populum pertentaret, & consilia strueret proditionis: eamq́ moliebantur legati, causæ moræ illa bona prætexentes, dum partim distrahere, partim seruare, alia auehenda curare se iactant: quoad corruperunt duas familias, quæ magna in æstimatione habebantur, Aquiliorum in qua tres senatores, & Vitelliorum, in qua duo erant, omnes Collatini consulis sororum filij. Iam alia necessitudo cum Bruto Vitellijs peculiaris intercedebat, quod sororem eorũ haberet Brutus in matrimonio, numerosamq́ ex ea prolem: ex qua duos iam adolescentes propinquos suos & familiares Vitellij asciuerunt, & ad coniurandum impulerunt: quo insererent se in inclytam Tarquiniorum familiam & spes regias, atque ita patris stoliditate & asperitate explicarent. Asperitatem enim vocabant illius aduersus improbos seueritatem. Stoliditatis, qua specie & obtentu securitatis causa diu fuerat apud tyrannos vsus, nec pòst effugit cognomen.

Aquilij & Vitellij, cũ Bruti filijs, patriæ proditores.

Coniuratio humano cruore hausto sancitur.

Vt igitur hi adolescentes pellecti in colloquium cum Aquilijs venerunt, omnibus visum est hominis iugulari sanguine libato & visceribus tactis, magnum & dirum iusiurandum concipere. Ad eam rem in domum Aquiliorum congrediuntur. erat nimirum domus, vbi ea erant agenda, vasta & obscura. In ea seruus Vindicius imprudentibus illis delitescebat, non fraude, aut agi quicquam eiuscemodi adoratus: sed cum esset forte fortuna ibi, illisq́ subitò superuenientibus offerre se formidaret, substitit, atq́ pone arcam ibidem positam abdidit se. Ita & quæ gesta ibi fuerunt contemplatus est, & excepit eorum consilia. Statuerant consules obtruncare: in quam rem literas ad Tarquinium scriptas dederant legatis. nam ibi diuertebant hospitio accepti ab Aquilijs, & tunc coniurationi intererant.

Vindicius percipit coniurationem.

Vbi his patratis digressi sunt, subduces se inde Vindicius, quid hac in re faceret, non satis expediebat, sed hærebat: graue esse, id quod erat, ratus de criminibus atrocissimis deferre apud patrem filios, aut apud auũculum sororis filios Collatinum: neq́ quisquã occurrebat in populo Romano priuatus, cuius fidei res credi tam arcanę possent. Contrà cũ quiduis citius, quàm continere posset eas, conscientiaq́ stimularetur facinoris, contulit se ad Valeriũ, eius adductus comitate & humanitate: quod facilis indigentibus esset ad eum aditus, domusq́ eius omnibus pateret, nec colloquiũ vllius abiecti hominis aut postulationem reijceret.

Vindicius coniurationem Valerio indicat.

Hunc vt adijt Vindicius, omniaq́ solo præsente Marco fratre & vxore ei detexit: obstupefactus atq́ perhorrescẽs, non putauit dimittẽdum hominem, verum inclusit eũ in cubiculo, relicta ad custodiam ianuę vxore. Inde fratrem iubet ad literas, si qua posset, occupandas & seruos detinendos atrium regium cingere, ipse cum clientibus & amicis, quos semper circa se frequentes habebat, atq́ cũ multis seruitijs ad domum Aquiliorũ, qui tunc non erant intus, contendit. Ita preter omniũ expectationẽ irrũpens per ostiũ, literas illic positas offendit vbi diuertebãt legati. Interea accurũt Aquilij, & ad ianuã, vt extorqueãt ei, manus conserunt. Hi resistũt, & togis collo circumiectis vix vi inter se mutuò per vicos impellentes in forum perrumpunt. Eadem fortuna circa atrium regium fuit, vbi Marcus alias epistolas, quæ cũ supellectile exportabantur, oppressit: ac seruos regios, quotquot potuit, protraxit in forum. Sedato per consules tumultu, vbi Vindicius est iussu Valerij ex cubiculo productus,

ſontibusq́ꝫ accuſatis recitatæ literæ: neque illi quicquam, quod reſponderent, habuerunt: cæteri coniectis in terram oculis cõticeſcebant. Pauci in Bruti gratiam exilij fecerunt mentionem. Et verò etiam Collatini lachrymæ ſpem eis lenioris ſententiæ & Valerij ſilentium faciebat. At Brutus vtrumq́ꝫ filium nomine compellans: Age Tite, inquit, age Valeri, quid reſpondetis ad crimina hæc? Vbi ter interrogati nihil reſpõderunt, tum ad lictores conuerſo vultu: Iam reliquę, inquit, veſtræ partes ſunt. Illi confeſtim injiciunt adoleſcentibus manus, togis ſpoliant, manibus poſt tergum illigatis corpora virgis cædunt. Ibi alijs oculos auertentibus, nec ſpectaculum illud ferentibus, fama eſt, faciem illum nuſquam aliò detorſiſſe, nec miſericordia quicquam de ſolita vultus auſteritate & ſeueritate mutauiſſe: ſed toruè filios in medio ſupplicio intuitum, dum humi extenſos ſecuri percuſsêre. Inde permittens reliquos collegæ, diſceſsit: re perpetrata quam nemo vel laudauerit ſatis vel vituperauerit. Quippe aut virtutis celſitudo omnem ſenſum animo eius excuſsit, aut perturbationis moles callum obduxit dolori. Eſt neutrum autem vulgaris aut humani ingenij, ſed vel diuini vel beluini. Atqui æquius eſt, vt ſuffragetur iudicium gloriæ Bruti, quàm virtuti fides iudicantis imbecillitate detrahatur. Neque enim ita arduum populus Romanus fuiſſe Romulo æſtimat condere vrbem, vt fundare & conſtituere Remp. Bruto. Poſtquam igitur ex foro digreſſus eſt, ſtupor horrorq́ꝫ & ſilentium omneis ob hoc factum diu defixit. At mollities Collatini & cunctatio animum dedit Aquilijs, vt diem poſtularent ad ſe purgãdum, vtq́ꝫ Vindicius ſeruus ſuus ipſis reſtitueretur, nec detineretur ab accuſatoribus. Quæ concedere cũ intenderet Collatinus, iamq́ꝫ concionem dimitteret: non dubitauit Valerius hominem retinere turbæ, qua cinctus erat, immixtum, neq́ꝫ populũ dimiſsis proditoribus digredi promiſit: poſtremò corporibus eorũ manus injicere, Brutumq́ꝫ appellare, ac rem indignã eſſe vociferari: ſi filiorum necandorum neceſsitate collegę impoſita, condonandos Collatinus mulieribus patriæ proditores & hoſtes exiſtimaret. Ibi excandeſcente Conſule, & vt Vindiciũ abducerent iubente hinc: lictores repulſa turba eum prehendunt: ſi qui obſiſtunt hos pulſant, illinc neceſſarij Valerij defendunt eum ab iniuria, populusq́ꝫ Brutum inclamat. Qui reuerſus facto ſilentio ait de filijs ſatis fuiſſe ſuum iudicium: de cæteris ciues, qui libertatem haberent, in ſuffragia ſe mittere: Dicat, inquit, qui volet, & cauſam probet populo. Enimuerò non iam moratus populus eſt orationes, ſed cum ſuffragia iniſſet: abomnibus damnati, & ſecuri ſunt percuſsi. Erat verò iã Collatinus vel ob propinquitatem regum in nonnulla ſuſpicione, deinde alterum eius nomen deteſtabantur Tarquinium. Cum præterea populum in hac cauſa offendiſſet, vltrò abdicauit ſe magiſtratu, & in exilium iuit. Itaque comitijs iterum habitis, Valerius magnificè eſt Conſul renunciatus, retulitq́ꝫ ei populus dignã egregia illa voluntate gratiã: cuius hic ferre Vindicium arbitrãs debere partem, tulit ad populũ, vt primus ille libertus ciuitate donaretur, & ſuffragium, in qua vellet aſſcriptus tribu, ferret. Alijs libertis ſerò diuq́ꝫ pòſt per ambitionẽ popularem Appius ſuffragij ferendi ius dedit. Atq́ꝫ ex huius nomine Vindicij, qui ſolida libertate fuit donatus, dicitur vindicta manumiſſus. Inde bona regum diripienda plebi dedere. Domum regiam & atrium ſolo æquauerunt. Amœniſsimam campi Martij partem poſsidebat Tarquinius, quam Marti cõſecrauerunt. Fortè ibi tũ meſsis erat, iacebantq́ꝫ adhuc manipuli: eam frugem, quia ob conſecrationem religioſum erat triturare & conſumere, magna vis hominum in fluuium coniecit: mox arbores cæſas eòdem congeſsit, planeq́ꝫ incultũ agrum & ocioſum reliquerunt Deo. Cum multa aũt conſertim coacervarentur, non longè ſunt amne delata, ſed quò primi acerui in vadis hęſitantes, conſedere. Quia verò aggeſtæ materiæ non patebat trãſitus, ſed applicabatur illigabaturq́ꝫ, accepit compages vinculum & ſoliditatem auctam ab vnda. Nam limum affatim inuexit, cuius præbuit adiectio incrementum pariter & firmamentum: neq́ꝫ appulſus eius commouit, imò molliter premẽdo coegit omnia & conſtrinxit. Ob eã amplitudinem & firmitatem maior ei indies facta acceſsio eſt, & adiunctum ſpacium, quòd plurima accepit eorum quæ amne deferebantur. Inſula ea nunc in vrbe ſacra eſt, in qua templa deorum ſunt & ambulationes: vocatur Latina voce, Inter duos pontes. Alij hoc accidiſſe ferunt, non cum conſecraretur campus Tarquinij: verùm poſtea vicinum illi alium fundum cum Tarquinia dedicaret. Virgo hæc Tarquinia ex Veſtalibus vna fuit, quamobrem magnos eſt conſecuta honores: in quibus fuit teſtimonij dictio, quam inter fœminas obtinuit ſola. nam conceſſum ei plebiſcito ius nubendi non vſurpauit. Hæc ita fabulantur facta. Tarquinium, vbi vidit ad recuperandum regnum dolo viam obſeptam, re-

ceperunt

Brutus animaduertit in filios. Val. Max. lib. 5. cap. 8.

Brutus ob interfectos filios laudandúsne an vituperandus.

Collatini mollicies periculoſa.

Collatinus in exilium abit, Valerius ei in Cos. ſucceſsit.

Liu. lib. 9.

Vindicta manumiſsio à Vindicio dicta.

Campus Martius.

Inſula inter duos pontes Tiberis, quomodo facta.

Dionyſ. li. 5. Aeſculapio ſacram dicit. vide Liu. lib. 2. Val. Max. lib. 1. de mirac.

ceperunt prompto animo Thusci, eumq́ȝ ingenti manu instíterunt reducere. Aduersus quos consules Romani legiones eduxerunt, aciemq́ȝ instruxerunt in locis sacris: quorũ alterum Arsiam syluam, alterũ Aesuuia prata vocant. Cum iam ad manus esset ventum, Tarquinij filius Aruns & Romanus cõsul Brutus, haud fortuito inter se occursu, sed odio inter se inflammati & ira, hic tanquam in tyrannum & hostem patriæ, ad pœnas ille expetendas exilij sui, concitant infesti calcaribus equos. Qui ira magis quàm consilio concurrentes, suiq́ȝ protegendi immemores simul cecidêre.

Arsia silua. Plutarch. habet, ἄρσιον ἄλσος.

Bruti & Aruntis Tarquinij cædes mutua.

Tam acris prolusionis nõ habuit certamen meliorẽ exitum, sed magna vtrinq́ȝ strage edita, tempestas acies diremit. Vnde æstuabat Valerius, quod euentum ignoraret pugnæ, & milites cerneret tam cæde suorũ perculsos, quàm hostium erectos. adeò indiscreta & cõpar strages ob multitudinem fuit. Veruntamẽ aspectus ex propinquo funerum suorum ostendebat vtrisq́ȝ magis cladem, quàm victoriã coniectura hostilium. Superueniente nocte, qualem à tam cruẽta pugna verisimile est, cum castra teneret silentium, perhibent concussum lucum fuisse, atq́ȝ ex eo ingentem editam vocem, vno plus Hetruscorum quàm Romanorũ cecidisse in acie. Fuit ea vox hauddubiè diuina: siquidem ilicò ab ea arrectis & sublatis Romanorum animis castra personarunt. Hetrusci verò perfusi terrore & attoniti, castra deseruerũt, atq́ȝ dilapsi penè omnes sunt. Moratores paulò minus quinq́ȝ millia Romani adorti ceperunt, prædamq́ȝ diripuêre. Inito numero cæsorũ inuenti ex parte hostium trecenti supra vndecim millia, totidem vno minus ex parte Romanorum. Pugnatum aiunt pridie Cal. Martias.

Valer. Max. li. 1. cap. 8.

Romanorum de Hetruscis victoria.

Valerius triũphans inde primus consulum, quadriga vrbem inijt: quę res augustam speciem & magnificam, non odiosam prębuit, neq́ȝ inuidiosam spectatoribus. Neque enim tanta id factum consecuta æmulatio esset, neque quę per multos annos durauit ambitio. Gratus etiam ad populum honos collegæ habitus fuit, quo exequias eius & funus decorauit Valerius: in cuius laudem orationem funebrem habuit, quæ vsq́ȝ adeò placuit populo Romano, tamq́ȝ fuit probata, vt huius exemplo pręclari & insignes viri omnes vita functis à pręstrantiss. laudẽtur. Perhibent etiã hanc laudationẽ orationibus funebribus fuisse Græcorũ vetustiorem: nisi sanè huius quoq́ȝ rei author fuit, vt Anaximenes orator scriptum reliquit, Solon.

Narrationũ funebrium initiũ.

Cæterùm ideo magis infesti erant & incẽsi in Valerium, quod quem libertatis ducebat parentem populus, Brutus in summo magistratu esse solus noluisset, sed primum sibi & alterũ cooptasset collegam. Hic vero, inquiunt, qui in se omnẽ potestatem congessit, non est Bruti hæres consulatus nihil eum contingentis, cæterum Tarquinij tyrãnidis. Quid refert autem verbis Brutum celebrare, reipsa imitari Tarquinium, qui cũ omnibus simul fascibus solus in forum descendit ex domo tã ampla, quantam ne regis quidem dissipauit? Et habebat profectò Valerius superbiorem domum in Velia, quam vocant, foro imminentem: vnde in omnem partem despectus ex edito erat, difficilis accessus & ardui foris: vt descẽdentis superba facies & regius põpæ esset fastus.

Poplicolæ superba domus.

Quantum aũt referat in imperio & magnarũ rerum procuratione positũ habere aures liberè admonentibus & vera dicentibus pro assentantibus apertas, demonstrauit. Nã vbi ab amicis accepit nõ probari facta sua plebi, non est cũ ijs luctatus neq́ȝ stomachatus: sed confestim nocte adhuc magna manu contracta fabrorum diruit domum, & funditùs totam dissipauit. Id luce populo, qui conuenerat, aspiciẽti memorabilis quidem visa est & rara illius viri magnitudo animi: verùm domum doluerũt ablatam, atq́ȝ illius amplitudinem, quæ vrbi erat decori, sicut hominis per inuidiam immeritò euersæ, desiderauerunt.

Poplicola domũ suam diruit.

Val. Max. li. 4. cap. 1.

Doluerunt etiam vicem consulis velut penatiũ inopis apud alios habitantis. Diuerterat enim ad amicos Valerius, dum ei aream dedit populus, & ædificium extruxit priore demissius, vbi nunc delubrum est, quem Vicum publicũ appellant.

Vicus publicus.

Vt autem non se modo, sed consulatum quoque pro terrifico placidum & gratum redderet populo, fascibus detraxit secures. Ipsas etiam ad concionem accedens depressit fasces & populo submisit, speciem maiestatis addens principatui populari: id'que consules ad nostram vsque memoriam obseruant. At non animaduertit multitudo non facere illum se, vt arbitrabatur, submissiorem, sed inuidiam ea moderatione depellere & imminuere: atque in tantum suas amplificare opes, quantũ detrahere videbatur de licentia: coluitq́ȝ libens eum populus & tulit volens, vt etiam Poplicolam appellauerit. Atque ex priscis eius nominibus hoc magis inualuit, quo nos etiam in reliqua vita eius describenda vtemur.

Poplicolæ cognomen cur Valerio tributum.

Ad consulatus petitionem admisit quemuis. Cæterùm prius, quam subrogaretur sibi collega, euentus ignarus metuensq́ȝ, ne collega ex inuidia vel inscitia sibi repugnaret, solus summa potestate ad optimas & præstantissimas actiones vsus est.

Primùm

Poplicolæ actiones & leges.

Primùm senatum, qui fuerat ad paucitatem redactus, suppleuit. Nam partim Tarquinij regno antè, partim nuper in acie occubuerant. Quos hic ascripsit, centum sexaginta quatuor memorant fuisse. Leges deinde tulit, ex quibus vim populi maximè intendit illa de prouocatione rei aduersus consules ad populum: altera de sacrãdo capite eius, qui magistratum absque populi suffragijs cepisset. Mox tertia, quæ succurrit inopibus: atque ea vectigali ciues subleuauit, effecitq; vt acrius incumberent opificijs. Illa quam tulit aduersus eos qui consulibus non parerent, nihilo secius visa popularis est, atque in gratiam potius plebis quàm principum lata. siquidem mulctam ei, qui dicto audiens non esset, quinque bobus dixit & duabus ouibus valentem. Ouis erat decem obolis, bos centum: quòd infrequens esset id temporis nummi apud Romanos vsus, sed pecudibus & armentis censeretur. Vnde facultates suas etiamnum à pecudibus peculium nominant, & vetustissime nummi boue vel oue vel sue fuerunt signati: filijsq; suis Suillijs, Bubulcis, Caprarijs, Porcijs nomina indebant. Cum in his legislatorem se adeò popularem præbuisset & moderatum: ea in moderatione pœnam supra modum intendit. Tulit enim legem de interficiendo indicta causa eo, qui regni occupandi iniisset consilia. Percussori impunitatem dedit, si iudicia sceleris demonstrasset. Quia enim, qui res moliatur tantas, facere non possit vt omneis fallat: fieri autem possit, vt qui non fefellerit, iudicia antecertat potentia opprimere: cognitionis, quam eripit scelus, anticipandæ ei, cui facultas esset, ius fecit aduersus sceleratos. Iam lex etiam de Quæstoribus habuit commendationem. Cum esset enim ad bellum collatione stipendij opus pro facultatibus ciuium: quod pecuniam neque tractare ipse vellet, neque permittere amicis, nec verò vt omnino in tecta priuata pecunia publica deferretur, attribuit ærario templum Saturni, quo ad nostram vsque ætatem vtuntur: populóque concessit, vt duos Quæstores crearet. Creati primi Pub. Veturius & M. Minutius. Ingens vis est pecuniæ coacta. Censiti fuere centum triginta millia. Orbis viduisq; gratia facta tributi pendendi. His dispensatis collegam subrogauit Lucretiæ patrem Lucretium: cui maiori natu priorem locum concedens tradidit fasces. Inde hæc prærogatiua hucusque grandioribus ætate est conseruata. Quo intra paucos dies defuncto, comitijs iterum habitis suffectus est M. Horatius, atque hic reliquum anni collega Poplicolæ fuit. At Tarquinio alterum bellum populo Romano ex Hetruria mouente, fama est magnum factum portentum. Aedem Iouis in Capitolio, dum regnaret adhuc, cum tantum non consummasset Tarquinius: oraculo monitus, an suo ipsius fortè consilio currum figlinum Thuscis opificibus ciuibus Veientibus imponendo fastigio locauit. Pòst aliquanto regno est exactus. Ea quadriga, cum Thusci figuratam immisissent in fornacem, quod lutum solet in igne, non spissata est, neque resoluto humore astricta: sed exurrexit & creuit, atque in tantam molem támque solidam & firmam exiuit, vt fornacis ablato culmine & parietibus deiectis ægrè educeretur. Id quia vatibus visum est cœleste felicitatis & potentiæ prodigium, penes quos ea quadriga foret: statuerunt repetentibus Romanis non tradere eam Veientes. ac tantum responderunt, ad Tarquinium quadrigam non ad Tarquinij spectare expulsores. Mox ludis Circensibus cum spectaculum aliàs ageretur assueta solennitate, victricem quadrigam agitator coronatus sensim exigebat circo. Ibi equi ab nulla consternati euidenti causa, sed ex nescio qua diuina incitatione vel casu, effuso cursu Romam rapto secum contenderunt agitatore. Nec quicquam adducendis habenis vel demulcendis profecit equis: verum abripuerunt vi victum & ablatum, dum iuxta Capitolium ad portam, quam nunc Ratumenam vocant, effuderunt eum. Quo facto Veientes obstupefacti metuq; perculsi, permiserunt artificibus vt currum restituerent. Templum Iouis Capitolini Tarquinius Demarati filius in bello, quod gessit cum Sabinis, vouerat. Id Tarquinius eius, qui vouerat, *filius vel nepos extruxit: non dedicauit tamen, sed erat penè absolutum, cum Roma pelleretur. Vt iam vndequaque perfectum & decenti specie fuit extructum, affectauit id Poplicola dedicare. Cæterùm æmulati ex primoribus multi minus quidem cæteris eius honoribus, quos ex promulgatis legibus & bellis perpetratis fuerat meritò consecutus, verum aliorum hunc non duxerunt ei tribuendum, hortatiq; sunt ac stimulauerunt Horatium, hanc vt ambiret dedicationem. Cum autem Poplicolæ necessitas incumberet expeditionis: concessa ex plebiscito Horatio dedicatio est, eumq; dixerunt in Capitolium, tanquam non futuri superiores, si præsens ille esset. Alia fama est, sortitis Cõsulibus Poplicolæ prouinciam inuito euenisse, alteri dedicationem. nam quid huius rei fuerit, conijcias licet ex gestis in dedicatione

Ouis & bouis precium Romæ pro nummo.

Peculium vnde dictum.

Quæstorum institutum.

Prodigium.

Eutrop. lib. 1. de G. R.

Iouis Capitolini templum, à quo extructũ & dedicatum.

*Filius'ne an nepos fuerit, Halicarnass. docet. lib. 4.

catione. Idibus Septembribus, quod tempus incidit potissimum in plenilunium mensis, quem vocăt Athenienses Metagitniona, cum in Capitolium omnes conuenissent: dum Horatius silentio facto & reliquis perpetratis, postem de more tenēs, effatur solemnem dedicationis precationē: Marcus Poplicolæ frater, qui diu ostio astiterat captans occasionem, Filius tuus consul, inquit, in castris ex morbo perijt. Torsit id omnes assistentes. at Horatius nihil commotus, sed tantum fatus: Cadauer, quo vulnis efferte, ego luctum non accipio: reliquam dedicationem peregit. Is nuncius verus non erat, sed vt auerteret Horatium, fuerat Marcus cum emētitus. Memorabilis viri illius constantia, siue dolum momento intellexit, siue nuncio quamuis fidem habuerit, non fuit tamen permotus. Par euentus videtur in secundo dedicando templo fuisse. Nam primum quod Tarquinius condidit & dedicauit Horatius, incendium bellis ciuilibus absumpsit. Secundum excitauit Sylla, sed Catullus Sylla fato præuento, est dedicationi præscriptus. Quod cum iterum bellis intestinis Vitellianis deflagrasset, tertium cùm alia vsus felicitate, tum hac Vespasianus ab initio vidit excitatum ad finem, concidens paulò pòst non vidit: verum hactenus Syllam superauit felicitate, quatenus ille consecrationem templi ab se ædificati, hic interitū morte pręuenit. Simul enim atque decessit Vespasianus, Capitolium haustum incendio est. Quartum hoc ab Domitiano, & expletum est & dedicatum. Dicitur in fundamenta impendisse Tarquinius quadraginta millia pondo argenti. At huius, quod nunc extat, vel maximas vnius priuati Romani reputatas opes nō suppeditasse in deaurationem, in quam plus duodecim millia talentum exhausta. Columnæ sunt ex marmore Pentelico excisæ quadrato, quarum elegantissimè respondebat crassitudini longitudo: eas enim vidimus Athenis. Nec desecatis denuò expolitisque tantum accessit venustatis, quantum decessit symmetriæ, apparuitque exilibus redditis exhaustus decor. At quibus facit Capitolij magnificentia admirationem, hi vnam si in Domitiani domo videant porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pellicum diætam: cuiuscemodi est Epicharmi ad gurgitem dictum,

Horatij constantia in dedicando templo Iouis Capitolini.

Templum Iouis Capitolini, quoties deflagrauerit, et restitutum sit. Appian. li. 1. bel. ciuil.

In Capitolij fundamenta, quantum impensum.

De Epicharmo, Diog. Laer. li. 5. & Suid.

Non benignus es, habes morbum, gestis tu largiens:

Consimile quid ad Domitianum cogatur dicere: Non tu quidem religiosus, nec magnificus es, morbo teneris, gaudes cum in ædificia omnia profundas: qui vt Midas ille omnia tibi aurea fieri & gemmea cupis. Cæterum de his satis. Tarquinius à magno illo conflictu, quo filium, qui solus fuerat cum Bruto congressus, amiserat: Clusium supplex ad * Claram Porsenam perfugit virum maxima potentia inter reges Italicos subnixum, & humanum, vti habebatur, magnanimum'que. Hic auxilium ei pollicitus est. At primum per legatos à Romanis, vt reciperent Tarquinium, postulauit. Quod vbi abnuit populus: indicto ei bello, & quo tempore in quemque locum inuasurus esset denunciato, multis cum legionibus mouit in eos. Id temporis Poplicola iterum & cum eo Tit. Lucretius Consules facti. Poplicola regressus Romam, quo primùm animo vinceret Porsenam, oppidum Sigliuriam imminente iam eo condidit. Quod cum grandi impensa muniisset, misit eò septingentos colonos, quasi floccifaceret & contemneret bellum. Cæterum acriter muros huius oppidi Porsena aggressus præsidium eiecit, permixti'que fugientibus hostes propè in vrbem eruperunt. Verùm pro porta occurrit Poplicola hostibus, cōmissaque iuxta amnem pugna, substitit prementem multitudine hostem, quoad multis vulneribus strenuè acceptis ex prælio est sublatus. Eadem fortuna collegæ eius fuit. vnde perculsi Romani fuga ad vrbem salutem petierunt. Cùm magno impetu hostes per pontem sublicium ferrentur, Roma fuit penè vi capta. Ibi princeps Horatius Cocles, & duo primæ nobilitatis viri Hermenius & * Lucretius, hostibus se in ponte obiecere. Horatius dictus Cocles cognomine fuit, quod alter oculus ei esset in bello excussus: vt nonnulli dictitant, quod simus esset naso ita depresso, nullum vt esset inter oculos interstitium, & supercilia haberet commissa. Vnde vocare eum multitudo cum Cyclopem vellet, labente lingua obtinuit, vt diceretur à vulgo Cocles. Hic positus in statione pontis, quoad eum socij à tergo rescidissent, sustinuit hostes. Inde armatus se in Tyberim misit, atque incolumis ad vlteriorem ripam tranauit, iaculo Hetrusco in natibus ictus. Cuius virtutem Poplicola admiratus statim tulit ad populum, vt quisque ex Quiritibus cibaria ei vnius diei conferret: deinde quantum agri vno die circumarasset. Adhæc statuam æneam ei in æde Vulcani posuerunt. Eo honore contractam ex vulnere claudititatem leniuère. Dum Porsena vrbem pmit, infestauit insuper Romanos fames, & Thuscorum alter exercitus per se agrum populatus est.

Domitiani insania.

*Liu. habet Lartem, id est Regem.

Porsena indicit Romanis bellū.

Horatius Cocles.

* Apud Liu. est Lartius.

Cocles, vnde dictus.

Poplicola

Mutij Scæuolæ insigne facinus: Val. Max. li. 3. cap. 3.

Poplicola tertium consul, obsistere Porsenæ statuit quiescendo & vrbem tuendo. In Hetruscos copias eduxit occulte, eosq; acie fudit interfectis quinque millibus. At factum C. Mutij à multis sed diuersimode celebratum est: neq; id nos, vt maxime consentaneum est, præteribimus. Fuit hic cùm omni ornatus virtute, tum bellicis artibus præstantissimus. Porsenam autem cum constituisset opprimere incautum, veste indutus Hetrusca & assimili lingua vtens, in castra penetrauit. Cũ ambisset tribunal, vbi rex considebat: ignoraret autem regem, & timeret sciscitari, qui esset, quem maxime ex consessu arbitratus est regem esse, cum stricto gladio obtruncauit. Ob id factum comprehensus est, & quæstionem de eo habuerunt. Erat ibi accensus ad sacrificium Porsenæ foculus: ei dextram iniicit. Dum torretur caro, intuitus Porsenam est truci & imperterrito vultu, donec attonitus miraculo eum dimisit, gladiumq; quem porrexit ei ex tribunali, reddidit: ille eũ protensa læua accepit. Hinc fama est eum Scæuolæ nomẽ, quod est læuum, inuenisse. Ibi vicisse ait Porsenæ se terrorem, victum esse ab eius virtute: atq; indicaturum ei gratis, quod minis non detexisset. Trecenti Romani, inquit, coniurauerunt, & in castris tuis errant captantes opportunitatem. Ego, cuius prima sors fuit, non succenseo fortunæ, quod à bono aberrauerim viro, eoq; quem amicum potius quàm hostem esse populi Romani deceat. His dictis adiunxit Porsena fidem, propensiorq; fuit ad pacificandum: non ita meo quidem iudicio, illorũ formidine trecentorũ, vt commẽdatione & admiratione spirituum ac virtutis Romanæ. Hunc virum etsi pleriq; omnes & Mutium & Scæuolam nominãt, Athenæus Sandon tamen in libro, quẽ ad Octauiam scripsit Cæsaris sororẽ, fuisse etiam dicit Posthumium vocatum. At Poplicola nõ tam acrem hostem existimans Porsenam, quàm magnopere referre, vt amicitiam & societatem eius adiungeret populo Romano, non dubitauit eum Tarquinio controuersiarum ferre iudicem: fidentiq; animo prouocauit crebrò ad eum, probaturum illum se hominem sceleratissimum esse, & iure exutum regno. Ad quod cum asperius respondisset Tarquinius, nullius se cognitionem subiturũ, & omnium minime Porsenæ, si à societate discedat & mutet sententiam: infensus Porsena cœpit male de eo sentire. Intercedente verò & magno studio pro Romanis filio eius instãte Arunte pacem cum ijs firmauit ea lege, vt agrum quem ademerant Hetruscis, restituerent & captiuos remitterent, reciperentq; vicissim perfugas. In hæc obsides dederunt ex patricijs prætextatos decem & totidem virgines, in quibus Poplicolæ filia erat Valeria. Interea cum apparatum belli Porsena iam omnem habita Romanis fide dissoluisset: virgines Romanæ descenderunt lauatum, quà ripa arcuatim complexa amnem, lenem quam maxime & placidam efficiebat vndam. Vbi nullam stationem vident, neq; vllos prætereuntos alias aut præuehentes, ardor cepit eas rapidum altumq; fluuium tranandi. Sunt qui dicant vnam earum Clœliam nomine, equo traiecisse, excitasseq; & confirmasse alias natantes. Vt sospites ad Poplicolam venerunt, non laudauit ille nec probauit factum: sed tulit moleste, si Porsena ipse inferior videretur fide, & audacia puellarũ fraudis suspicionem inustura Romanis esset. Comprehensas igitur ad Porsenam remisit. De quo Tarquinius certior factus, locatis insidijs ab vlteriore ripa magnam manum immisit in eos, qui ducebant puellas. Illis nihilominus minori numero resistentibus, filia Poplicolæ Valeria, per medios erumpens pugnantes effugit, & tres eam secuti serui præstiterunt eam incolumem. Cum cæteræ non sine periculo versarentur inter dimicantes, Aruns Porsenæ filius re intellecta tulit ijs propere suppetias, fugatisq; hostibus Romanos expediuit. Vt vidit Porsena reductas virgines, authorem cœpti requisiuit & aliarũ hortatricem. Audito nomine Clœliæ intuitus eam placido & leni vultu, equum ex regijs adduci eximio instructum ornatu iussit, eumq; virgini dono dedit. Hoc testimonio nituntur, qui vnam Clœliam referunt equo fluuium superasse: quod alij negant, sed honoratam ab Hetrusco virilem eius audaciam. Huic statua equestris via sacra, qua ascenditur in Palatium, posita est. Alij non Clœliæ eam, sed Valeriæ asserunt esse. Porsena pace cum Romanis iuncta cùm aliam ciuitati exhibuit ingentem munificentiam, tum nihil præter arma vt deportarent Thusci, castra cõmeatu & omnis generis opulentia referta, relinquerẽt, imperauit, eaq; donauit Romanis. Vnde mos vsque ad nostram ætatem in honorem & memoriam perpetuam illius beneficij manet in sectionibus primùm bona Porsenæ regis proclamandi. Statua ei posita ærea iuxta curiam rudis & opere prisco. Inde Sabini fines Romanos incursauerunt. Consules creati M. Valerius Poplicolæ frater & Posthumius Tubertus. Cum in negocijs maioribus nihil nisi ex sententia & authoritate ageretur Poplicolæ, M. Valerius duobus ingentibus prœlijs victoriam reportauit: in quorum altero

Poplicola Porsenam fert Tarquinio iudicem.

Pax Romanorũ cum Porsena.

Clœliæ & virginum Romanarum audacia. de qua re Valer. Max. li. 3. ca. 2

Porsenæ in Romanos liberalitas.

M. Valerius Poplicolæ frater, de Sabinis triũphat.

altero 13. millia hostium cum concidisset, ne vnum quidem desiderauit de suis. Cuius rei præmium præter triumphos accepit domum, quam publicè ciuitas ei ædificauit in Palatio: & cum fores illius seculi aliæ intrò impellerentur in aperiendo, ita illarum ædium effecerunt solarum fores vestibulares, vt extrà reijcerentur: id significantes ex hac prærogatiua semper eum de publico vsurpare. Græcas aiunt apud veteres omnes fuisse ad eum modum factas, argumento à comœdijs sumpto: quod qui in publicum sunt prodituri, ianuas suas intus pulsent & strepitum edant: quo foris qui prægrediuntur vel pro ostio stant, caueant vbi id audiunt, ne fores in vicum expulsę illidantur in ipsos. Proximo anno Poplicola quartùm consul factus est. Quia Sabini & Latini conspirauerant, erat belli suspicio. Religionē insuper ciuitati attulerat, quod omnes mulieres, quæ ea hora prægnantes erant, partus imperfectos eijcerent, neq; esset suo tempore vllus editus. Itaq; Poplicola ex libris Sibyllinis placatis dijs inferis, ludisq; ex oraculo Apollinis instauratis, & fiducia diuini numinis erecta ciuitate, iam ad hominum se conuertit minas. Magna enim belli moles & coitio hostium erat ante oculos. In Sabinis Appius Clausus erat vir pecuniosus & robore corporis imprimis strenuus, præcipuè virtutis laude & eloquentia præcellens. Huic idem, quod omnibus solet magnis viris, accidit vt premeretur inuidia. Aemuli, ideo calumniabātur pacis eum esse authorem, vt auctis populi Romani opibus tyrannidē sibi & dominatum quæreret in patria. Quos rumores sentiens secundis auribus populi accipi, seq; esse pacis turbatorib. & ferocibus exosum, timuit iudicio se cōmittere: verùm quia factione amicorumq; & necessariorum manu erat septus, concinit seditionē. Ea mora belli distulit Sabinos. Quæ Poplicola non solum resciscere laborans, sed facem etiam flammamq; addere seditioni: denunciauit per homines idoneos Appio putare se, quia bonus & integer vir foret, nō debere eum quamuis læsum grauius, pœnas à ciuibus suis expetere. Quod si vellet saluti suæ consulere, & relictis inimicis suis transfugere Romam, recepturum se eum, vt ipsius virtus & dignitas populi Romani mereretur. Hæc Appio multum secum voluenti in re necessaria visa sunt optima factu: ac concilio habito amicorum, quos plerosq; pariter in sententiam suam traxit: quod in Sabinis maximè pacatum erat, & ad placidam vitam modestamq; compositum, quinq; millia familiarum cum liberis & coniugibus Romam transtulit. Cuius præscius consilij Poplicola benignè & promptè excepit eos omni officiorum genere. Nam familijs mox ciuitatem dedit, singulisq; agrum binum iugerum trans Anienem fluuium, Appio 25. iugera dedit, eumq; inter patres legit: qui hunc gradum ad Remp. primum fecit. In quo cum specimen præbuisset prudentiæ, in principum dignationem peruenit, pollentesq; habuit opes, & claram post se gentē Romæ reliquit Claudiorū. At res Sabinas illorū migratione tam tranquillas non permiserunt homines populares quiescere & conticescere, Appium vociferantes, quę præsens non potuisset, perfecturum exulem & hostem, ne persequantur illatas ab Romanis iniurias. Magno igitur agmine profecti propè Fidenas consedere. Insidias etiam ante vrbem locauerunt, atq; in locis saltuosis & cauis duo millia militū condiderunt. Prima luce paucos equites apertè constituerunt mittere prædatum: quibus erat imperatum, cū propius vrbem prouecti essent, paulatim gradū referre, dū traxissent hostem ad locū insidiarum. Hæc Poplicola eodē die cognouit ex perfugis. Itaq; confestim copias suas ad omnia instruxit & dispēsauit. nam gener eius Posthumius Balbus qui ducebat secū tria millia militū, primis tenebris profectus, insessis summis collibus, sub quib. abdiderant sese Sabini, in occasionem imminebat. Collegæ Lucretio cū expeditissimo quoq; & impigerrimo ciuiū iussit in agentes prædā impressionē dare equites: ipse cū reliquis copijs hostes à tergo cinxit. Fortè obscura nebula prima luce exorta est, pariterq; subsessores Posthumius magno clamore ex edito inuasit, Lucretius in progressum equitatū suos immisit, Poplicola castra hostiū adortus est. Vndiq; igitur pressi cæsiq; Sabini sunt. Qui in castris erant, eos cū ne gladium quidē strinxissent, in fugam præcipites cōfestim Romani oppressere: quibus spes in perniciē vertit extremā. Nā incolumes alij alios rati omissa pugna & acie, hi ex castris ad positos in insidijs, illi contra in castra properarūt ad hos: atq; ex aduerso incurrerūt in effusos, ad quos confugiebant: & in quærentes auxilium, à quibus expectabant opē. Ne ad internecionē delerentur Sabini, sed aliqui superessent, propinquitas ijs oppidi præstitit Fidenarū, præsertim qui ex castris, dū caperētur, eruperūt. Qui Fidenas non tenuerūt, aut cæsi sunt, aut viui venerūt in hostiū potestatem. Hāc victoriam, quāuis omnia magna Romani asscribere dijs soliti sint, vnius consilio attribuerunt ducis: primūq; hęc fuit post præliū vox militū, claudos, cæcos, & penè vinctos

De foribus, vide Plin. li. 36. ca. 15.

Poplicolæ quartus consulatus.

Appius Clausus Romā migrat.

Claudia gens, vnde. Liu. Dec. 1. lib. 2

**Puto legendū Albus.*

Sabini cæduntur.

Poplicolam hostes ipsis obiecisse trucidandos. Etiã pecunia populus ex præda & captiuis corroboratus est. At Poplicola mox, vbi triũphauit, & sequentibus consulibus Rẽp. tradidit, fato functus est, vitamq; suam, quatenus assequi valet mortalitas, pręter cæteros omnibus, quæ censentur bona & beata, consummauit. Populus quasi nullũ virtutis pręmium contulisset in viuum, sed omnia ei deberet, sciuit: vt cadauer eius publico funere efferretur, in cuius honorem quadrantes singuli contulere. Matronæ seorsum concilio habito, ad singulare eius decus & laudẽ totum annũ eum luxerunt. Ex plebiscito hic quoq; in vrbe humatus est iuxta Veliam quam vocant, datumq; toti eius stirpi ius huius sepulchri. Nunc tamen nemo ex familia conditur ibi, sed cadauer eò delatum deponũt. Tum ardentem facem quispiam tenens, eam tantum subijcit, mox retrahit: qua re ius testatur sibi esse, sed abstinere se honore: inde mortuum tollunt.

Poplicolæ mors & funus.

SOLONIS CVM POPLICOLA
COMPARATIO.



ITA QVE habet hęc collatio singulare quiddam, quod in nulla omniũ quas descripsimus, reperias: quod alter fuerit alterius ęmulus, alter testis. Considera enim, quod Solõ de virtute emisit ad Crœsum elogiũ, an ne Poplicolæ id citius q̃ Tello cõueniat. Telli enim, quẽ ob honestã mortem, virtutem, & liberorũ probitatem fuisse pronũciauit beatissimũ, neq; ipse in carminibus suis vt viri boni fecit mentionẽ, neq; liberi eius, vel magistratus clarus fuit. Poplicola princeps authoritate & gloria ciuitatis Romanę ob virtutẽ, dum viueret, fuit: & ad mortuũ ex clarissimis familijs & gẽribus, vel nostra etate Poplicolę, Messalę, Valerij per annos sexcẽtos nobilitatis splendorẽ sicut ad originẽ referunt. Tellus vt vir fortis ordinibus nõ excedẽs sed pugnãs, est ab hostibus occisus. Poplicola verò cæsis hostibus, quod est quàm ipsum cecidisse felicius, cum patriam in consulatu & imperio suo vidisset victricem, & honorem assecutus esset triumphassetq;, optatum ab Solone & in cœlum elatum est exitum consecutus. Iam etiam ea, quæ refellens Mimnernum de vitæ spacio exclamauit:

Poplicolæ felicitas.

Solonis, de vitæ spacio.

Mors mea ne careat lachrymis, linquamus amicis
Mærorem, vt celebrent funera cum gemitu:

beatum Poplicolam efficiunt. Quippe morte sua non amicis modò & familiaribus, verum etiam ciuitati toti, infinitis hominibus lachrymas, desiderium, mœrorẽ sui causa incussit. Nam matronæ Romanæ eũ velut amissum filium vel fratrem vel communem parentem luxere.

Non sperno nummos, inquit Solon, *si sit possessio iusta,*
At nolo iniustos:

quasi imminente vindicta. Poplicolæ licuit non solùm non improbè diuitem esse, sed etiam bene merenti de inopibus impendere honestè. Si ergo fuit omnium Solon sapientissimus, fuit beatissimus Poplicola. Quæ enim illi bona pro maximis & pulcherrimis in votis fuerunt, horum Poplicola parandorum & fruendorum perpetuò ad fata vsque habuit facultatem. Ita ornauit Solon Poplicolam, vicissim Solonem Poplicola. Exemplum enim instituenti in Repub. statum popularem pulcherrimum dedit: dum deposito imperij fastu placidum illud & gratum concinnauit. Multis insuper ex illius legibus vsus est. namque magistratuum creandorum arbitrium populo dedit, & reis ad populum ius prouocandi, sicut Solon, ad iudices dedit. Curiam alteram vt Solon non instituit, sed auxit præsentem, numerumq; penè duplicauit. Quæstorum ęrarij instituendorum hæc fuit causa: vt consul, nec si bonus esset, à maioribus rebus auocaretur: nec si malus, subsidium haberet grauius lædendi, si in manu eius tam imperium quàm pecunia esset. At insectatio tyrannidis fuit in Poplicola acerbior. Nam si quis tyrannidem moliatur, Solon pœnam infligit conuicto, hic ante iudicium interficere eum liberum fecit. Gloriatus optimo iure est Solon, quod cum vocarent se & res ipsæ ad dominatum, & ciues reciperent non inuiti, recusauisse eum. Non minor est Poplicolæ gloria: qui consulare imperium, quod tyrannicum acceperat, reddiderat magis populare: neque potestate, quam obtinebat, cum liceret, sit vsus. quod animaduertisse prior Solon videtur, qui ait:

Poplicola Solonis Remp. expreßit.

Quæstorũ creãdorum causa.

Qui populum princeps gaudet retinere fauentem,
Non nimium rigidus, non quoq; laxus erit.

Proprium Solonis æris alieni eſt condonatio, qua re potiſsimum libertatem ciuibus confirmauit. Nullum enim habent vſum leges æqualitatem inducentes, quam eripit æs alienũ pauperibus: cũ, vbi maximè vſurpare videtur libertatẽ, ibi maxime ancillentur diuitibus, in iudicando, in magiſtratibus gerendis, in dicendo aliorũ obnoxij nutibus & serui. Iã hoc maius eſt, quod cũ nouas tabulas ſemper excipiat ſeditio, his ſolis quaſi medicina ancipiti illa quidem, ſed valida adhibita in tempore etiam exortam ciuilem diſcordiã diſcuſſerit, ſuaq; virtute & exiſtimatione ipſius rei oppreſſerit infamiã & obtrectationem. Porrò omniũ in Rep. actionũ exordio ſplendidior Solon. Dux enim fuit non comes, & per ſe ſine vllo ſocio res plurimas maximasq; in Rep. geſsit. Alter fine felix & beatus. ſiquidẽ Solonis Rẽp. ipſe vidit Solon ſubrutam. Poplicolæ Reſp. ciuitatẽ vſq; ad arma ciuilia in decẽti ordine conſeruauit. Ille leges, ſimul atq; perlatæ fuerũt, in ligneis relinquẽs ſcriptas tabulis auxilio deſtitutas, diſceſsit Athenis. Hic remanens Romæ, imperans, & Rẽp. gerens ſtabiliuit eam & in tuto collocauit. Iam illi vel cupienti Piſiſtratum, cũ præſenſiſſet, reprimere facultas defuit, tyrannidiq; ſuccubuit naſcenti. Hic regnũ longo iam tẽpore pollens & præualens extruſit & euertit: parẽ quidem virtutẽ & conſimilem adferens voluntatẽ, ſed fortuna & poteſtate ad virtutẽ efficaci vſus. Res bello geſtas Soloni ne illas quidẽ quę actæ contra Megarenſes fuerunt, Daimachus Platæenſis, ſicut explanauimus, attribuit. At Poplicola maximis certaminibus, in quibus ipſe militis & ducis obiuit munera, victor euaſit. Præterea ad Rẽp. capeſſendã Solon velut ludens ſpecie aſſumpta inſani, cum cauſam Salaminis ageret, acceſsit. Hic à primordio iacta maximis de rebus alea Tarquinio obiecit ſe, detexitq; proditionẽ. Et quatenus pręcipuus author fuit ſumendi de coniuratis ſupplicij, & ne elaberentur, nõ corpora tantum tyrannorũ eiecit vrbe, ſed ſpẽ etiam incîdit. Qui cũ negocia, quæ certamen & animũ & infeſtam flagitabant aciem, fortiter & acriter excepit, tũ multò tractauit rectius ea quæ pacatam comitatem & conceſsionẽ poſtulabant blandã, Porſenam inuictũ bello virum & horribilẽ ſcitè conciliando & ad amicitiam traducendo. Quãuis obijcias hic Solonem Athenienſibus, quam amiſerant, recuperauiſſe Salamina: Poplicolã agro, quem tenebãt Romani, deceſſiſſe. Atqui ſunt res ex tẽporibus ponderandæ præſentibus. Siquidem vir in Rep. verſatus, negocia, vt vnũquodq; quam cõmodiſsime teneat, nõ vno tractat modo: & parte dimittenda ſæpe ſeruauit totũ, paruaq; iactura conſecutus maiora eſt: ſicut vir ille tunc relicto agro alieno, ſuũ in perpetuũ tenuit: & quibus grande erat vrbem retinere, his caſtra obſidentium ipſos acceſsionis adiecit. Permiſſa autem iudicio hoſtis controuerſia & victoria relata cumulum accepit tantum, quo victoriam redemiſſet libenter. Etenim bellum Porſena diremit, & apparatum illis reliquit belli, virtutis & probitatis Romanorum ductus exiſtimatione quam impreſsit ei conſul.

Solonis nouæ tabulæ.

Iuſtinus Piſiſtrato etiã belli Megarenſis victoriam tribuit.

Politicum præceptum.

NOBILI AC GENEROSO DOMINO, D. CAROLO A BRIMEV, COMITI A MEGEN, DOMINO HOMbrecuriæ & Vveſtmaliæ, Gubernatori Gelriæ, Hermannus Cruſerius S. P. D.



CVM res duæ ſint quæ hominem ad honores & opes prouehant, virtus rei militaris & eruditio: longè mihi maioris dignitatis viriumq;, clariſsimè Comes, virtus rei militaris fructuoſiorq; eſſe videtur. Nam quicunque hac præcelluit, is non ſolum opes ſuas tenuit, verumetiam adiecit alienas. Hac arte primi parauerunt imperium Babylonij, hac Cyrus regnum Perſarum conſtituit & euexit, hac Alexander Orientem ad Indum amnem vſq; ſubiugauit, eadem populum Romanum dominum reddidit Gẽtium, hac Carolus Magnus feroces Saxones fregit, indomitos Hungaros domuit, & bellaces contudit Longobardos. Hæc ijs, qui præditi ipſa fuerunt, æternam gloriam peperit, cæterosq; parêre his coegit. Omnes vrbanæ res, omnia præclara ſtudia, omnis eruditionis laus & induſtria latent in tutela & præſidio bellicæ virtutis. Simul atq; cõcrepuit ſuſpicio tumultus, artes ilicò reliquæ conticeſcũt. Iam ſumma dignitas eſt ijs, qui militari laude antecellunt: omnia enim, quæ ſunt in regno vel ditione aliqua, vel in Rep. atq; ſtatu ciuitatis, ab ijs defendũtur & firmantur. Summa etiã vtilitas: ſiquidem eorũ conſilio et periculo cùm rep. tũ etiam noſtris rebus perfrui poſſumus. Ab his belli pericula repellũtur. Hi nõ ſe modo, ſed & cæteros protegunt, eripiunt diſcriminibus, & ſeruant. Quam quidem quàm diu gens vlla coluit, tã

diu & sua retinuit & fines amplianit. Vbi eam de manibus depòsuit, ociumq́; & socordiam est sectata, ilicò imperium amisit & libertatem. Ita deiecti dominatu à Persis sunt Chaldæi, ita Persæ à Macedonibus exuti, ita spoliati ab Romanis Macedones. Ipsa deniq; terror gentium Roma, vbi luxui cœpit se mancipare & ponere arma, est à Gothis oppressa. Reliquæ sunt quidem scientiæ pacis ornamenta. At ars militaris ipsam parit, ipsam etiam protegit pacē. Ea si deficiantur, ilicò detrahuntur. Stetit quidē hac vna perdiu vrbs Roma, multasq́; nationes sibi subiecit, antequā artem nosset singularē vllam aliā. Verùm vbi hanc amisit, amisit vnà imperium omniaq́; quæ quæsierat, decora. Quo magis hæc est colēda virtus, hæc ars meditanda: non tantū vtilitatis gratia, verùm etiam necessitatis: quo honestè in securitate degamus, neq; præda efficiamur insidiantium vicinorum. Ea arte præcelluerunt Alcibiades & C. Marcius Coriolanus, qui res magnificas gesserunt: neq; vsquā, vbi ipsi interfuerunt, cespitauêre. Eorum illustrium virorum vitas, quas modo ex Græcia in Latium traduxi, tuo nomini, clarissime Comes, existimaui consecrandas: siquidem quæ in te est scientia rei militaris, et magnanimitas, et res bello gestæ postulabant, vt viri bellicosissimi ad te ducē bellicosissimū diuerterent. Iam incitauit me, vt hoc par vitarum tibi dicarem, Gelris vnde originem ex vna parte traho, quæ semper bello habita insignis est, cui nunc præes & moderaris: adhæc amicitia quæ tibi intercedit cū illustrissimo Principe meo, vicinitasq́; cū eodem, & cum ea vrbe, vbi domiciliū habeo, Campensi. Hunc meū laborem & voluntatem humanitas tua spondet mihi non fore tibi ingratam. Vale clarissime Comes.

Alcibiades.

Alcibiadis genus.



LCIBIADIS origo ex alto ducta authorem habere Eurysacem Aiacis filium putatur. Materna stirpe Alcmeonides fuit ex Dinomache Megaclis filia genitus. Pater eius Clinias triremi suo instructa, impendio ad Arthemisium magna laude depugnauit, pòst ad Coroneā cecidit in prælio aduersus Bœotios. Tutores Alcibiadis fuerūt Pericles & Ariphron, Xantippi filij propinqui eius. Ferunt non immeritò Socratis beneuolentiam & amicitiam haud parum ei momenti attulisse ad gloriam: siquidem Niciæ, vel Demosthenis, vel Lamachi, vel Phormionis, vel Thrasybuli, vel Theramenis illustrium illius ætatis virorum: horum inquam nullius ne mater quidem vllius est scriptis nominata. Alcibiadis verò etiam nutricem Lacænam natione, nomine Amiclam, & Zopyrum nouimus pædagogum: quorum huius Plato, illius Antisthenes meminit. De venustate Alcibiadis formæ nihil fortasse refert dicere: nisi quod & puerū & adolescentem & virum cū omni efflorescens ætate corporis & articulis amabilem reddidit & iucundum. Neq; enim, vt Euripides dixit, omniū pulchrorum etiā pulcher autumnus est: verum Alcibiadi id inter raros alios ex corporis indole & tēperatura suppeditauit. Voci eius vel balbutiem decorem addidisse ferunt, & loquentiæ blandam conciliasse gratiam. Meminit eius balbutiei Aristophanes hisce verbis, quibus cauillum iacit in Theorum:

Illustrium quorundam virorū matres ignotæ.

Alcibiadis forma.

Iustin. li. 5.

Alcibiades balbus.

Mox Alcibiades ait ad me balbutiens:
*Celnus Theolum, capite * coluino ille adest.*
Rectè Alcibiades id quidem balbutijt.

* Gracè colax est pro corax. quæ gratia, hic reddi latinè nō potest. Itaque coluino pro cornino posui.

Et Archippus filium Alcibiadis perstringens:

Graditur, inquit, nitens, vix pallium luxu trahens:
Ne non patri sit similis ipse filius.
Inflectit & collum simul balbutiens.

Alcibiadis mores.

Mores eius multas postea nimirum magnis in rebus & fortunis multifarijs varietates vicissitudinesq́; contrarias edidere. Cum autem natura grandes animi motus inessent ei, peruicacia laborauit potissimùm & primatus ambitione: vt liquet ex eius dictis, quæ cō memorantur puerilib. Nam in lucta cū deprimeretur: ne caderet, manus illius qui ipsum deprimebat, sibi iniectas ori admouit, & mordere cœpit. Qui nexu laxato cum diceret: Mordes Alcibiade more mulierū? Minime verò, inquit, sed more leonū. Pusio etiānum lusitabat in vico talis. Cū iactus vices redirent ad ipsum, superuenit plaustrū onustum. Ibi primū aurigam sustinere iussit, nā incidebat iactus in viam qua transibat plaustrū. Quo non parente ob rusticitatem, sed pergente, alij pueri dimouerunt se. Alcibiades pro vehiculo abiecit se in faciē, expandensq́; se, eo modo dixit, si vellet, vt trāsiret. Ita metu homo percitus vehiculū inhibuit: & qui id spectabant, conclamauerunt pauidi, accurreruntq́; ad eum. Postquā dedit se ad discendū, cæteros magistros attendit sedulò, at tibia canere

Alcibiadis studia.

vt

vt rem sordidã & illiberalem refugit. Nã plectri quidem & liræ vsum nihil dicebat gestũ vel formã deprauare libero homini conuenientẽ, tibiam verò inflantis hominis ore vel intima familiaritate cõiunctos vix agnoscere vultũ: prętere a lirã non adimere pulsanti quin simul loqui & accinere valeat: tibiã obturare & obstruere cuiusq; vocẽ, & incidere sermonẽ. Ergo, inquit, canãt tibia Thebanorũ filij, nã dicere nesciũt. Nobis Atheniẽsib. vt à maioribus accepimus, dux Minerua & pręses Apollo est, quorũ superior tibiã proiecit, alter excoriauit fistulatorẽ. Ita iuxtà ioco ac serio se ipse Alcibiades & cęteros ab eo studio abduxit. statim enim dilata est inter pueros fama, meritò Alcibiadẽ fastidire fistulã, & eius studiosos deridere. Vnde ex oblectamẽtis liberalibus planè fuit explosa & prorsus irrisa tibia. In maledictis Antiphõtis relatũ est, puerũ domo profugisse ad vnũ ex amatoribus suis Democratẽ. Cum Ariphron proclamare eũ constituisset, Periclẽ id impediuisse ac dixisse: si fato functus est, vno die propter pręconiũ inuenietur citius: sin est sospes, reliqua vita eius erit deplorata. Insuper vnũ ex assectis eius ab eo interfectũ, quẽ fuste percussisset in Sibyrtij palęstra. Verũ non est standũ fortasse his, quæ inimicus ex professo proscindẽdi eius causa iecit. Cũ multi iã & pręstantes viri & assidui assectarẽtur eum, cęteros liquebat rapi & duci formę eius venustate. At Socratis amor magna cõprobatio pueri virtutis fuit & indolis. Quã cum emicare & elucere animaduerteret in specie, suspectas aũt haberet diuitias eius, dignitatẽ & occupantẽ eum assentationib. & obsequijs cœtũ, hinc ciuiũ, hinc externorũ atq; sociorũ, institit obuiã ire, eiusq; curã agere, ne fructum suũ sicut plãta vitiaret & abijceret in flore. Nullũ enim quemquã fortuna his, quæ dicuntur bona, vsq; adeò circũsepsit, cinxitq; foris ad prædudẽdum philosophiæ aculeis & sermonibus libertate atq; stimulo cõditis aditũ, vt mox à tyrocinio delinitus Alcibiades & circumiectus fuit ab adulatoribus, ne audiret monentẽ & erudientem. Vi tamen ingenij cognouit Socratem, eumq; diuitibus repulsis & claris amatoribus, admisit. Breui inde vsus familiaritate eius, cum differentem audiuisset eum qui non effœminatam voluptatem venabatur amatorem, nec oscula vel contrectationes affectabat: sed situm animi nudabat, inanemq; ac stolidam retundebat insolentiam:

Tibia canere, sordidum.

Minerua tibias abiecit.

Socratis erga Alcibiadẽ amor. de quo Plato in Alcibiade primo.

Gallus velut seruus premens alam horruit:

ac Socratis arbitratus est conatũ reuera deorũ esse ministeriũ ad curã & salutẽ adolescentium. Despiciens aũt semetipse, suspiciens illum, exosculans beneuolentiã eius, reuerens virtutis, imprudens simulachrũ amoris, vel vt ait Plato, mutuum imbibit amorẽ: vt mirarentur oẽs, cum cœnitare apud Socratẽ eum, cum illo se exercere, illius vti contubernio, reliquis amatoribus cernerent austerum esse & difficilem: nõnullis etiam insultantem superbè, vt Anyto Anthemionis filio. Hic amore deperibat Alcibiadis. Qui cum hospites nonnullos inuitasset, vocauit hunc quoq; ad cœnã. At hic venire abnuit, sed domi cum sodalib. mersus vino ad Anytum cõmessabundus profectus est: foribusq; triclinij astans, & contẽplatus aureis & argenteis refertas poculis mẽsas, pueris suis iussit dimidium eius auferre ac domum ad se deferre: nec dignatus tamen est intro ire, verũ his actis digressus est. Stomachãtibus hic hospitibus, indignamq; rem esse fremẽtibus & insolentem, quam in Anytum designasset: Imò inquit benignam Anytus, siquidem quæ licebat ei tollere vniuersa, horum nobis partem reliquit. Talis item aduersus alios amatores erat, præter vnum hominem incolã. Quem, vt aiunt, non admodum locupletem, cum omnia distraxisset, & quod inde erat redactũ ad centũ stateras, offerret Alcibiadi, vt acciperet, orans: arridens lætusq; vocauit ad cœnam. Benignè accepto aurum homini reddidit, iussitq; vt redimentes postero die vectigalia publica licitatione superaret. Detrectanti, quod multorum talẽtorum esset licitatio, denunciauit: ni faceret, se verberibus eum mulctaturum. Erat nãq; priuata quædam ei cum publicanis offensio. Manè igitur ad forũ profectus incola addidit licitationi talentum. Vbi collatis capitibus indignãtes publicani laudare eũ iusserunt prædem, tanquã reperturus neminem esset. Perculso homine & iam recedente procul stans Alcibiades archontibus: Me, inquit, scribite, meus est amicus, ego pro eo spondeo. Quo audito omne illorum abscissum consiliũ fuit. Soliti enim secundis redemptoris dissoluere priores non expediebãt rei difficultatẽ. Precibus igitur hominẽ aggressi sunt oblata pecunia: sed non permisit Alcibiades, vt minus caperet talento. Quod vbi accepit, ea mercede iussit ei rem relinquere. atq; ea ratione homini subuenit. Porrò Socrates in amore cũ multos haberet riuales, modo Alcibiadis ob ingenij eius præstantiam potens erat: quod oratio sua manus huic inijceret, & cor versaret, exciretq; lachrymas. Interim adulatoribus varias obijcientibus illecebras sese permittens, elabebatur Socrati;

Alcibiades Socratis oratione delinitus.

Alcibiadis in Anytũ insolentia.

Alcibiadis liberale factum.

Publicanis imponit Alcibiades.

atque reuera hic vt fugitiuum venabatur eum, qui ipsum verebatur & formidabat vnum, reliquos cõtemnebat. Ac Cleanthes eum, quem amabat, ab se quidẽ teneri dicebat auribus, riualibus verò suis multas præbere ansas, quas apprehẽdere ipse nollet, ventrẽ significans, penem & gulam.

Alcibiades voluptatibus deditus.

At Alcibiades erat haud dubiè ad voluptatem pronus. Nã illa, quæ à Thucydide refertur, incontinẽtia victus, quam adhibuit corpori suo, hanc præbet suspicionem. Verum ambitionem eius tamen magis & gloriæ cupiditatem prehendẽtes corruptores, parum illum tempestiuè impulerũt ad magnas res suscipiendas: persuadentes ei, vt primùm Remp. attigisset, non cæterorum modo ducum & concionatorum ilicò obstructurum ipsum luminibus: verum potentiã etiam apud Græcos Periclis gloriamq; superaturum.

Similitudo elegans.

Itaque vt ferrum igne emollitum densatur denuò frigore, & partibus suis coit: ita illum Socrates iactabundum & arrogantem, quoties arripuisset, premens eum oratione & contrahens, infractum reddebat & demissum: cum perciperet quàm multorum indigus & exors esset ad virtutem.

Alcibiades Grãmaticũ percussit, quod Homerum non haberet.

Vbi ex pueris excessit, adijt ludimagistrum, postulauitq; volumẽ Homeri. Qui cum nihil se diceret Homeri habere, inflicto colapho reliquit eum. Cum alius habere diceret se Homerũ, quem ipse emendasset: Et tu, inquit, literas doces, qui vales emendare Homerũ? Quin iuuenes instruis? Ad Periclis ianuã, vt eum cõueniret, cum accessisset, & intelligeret occupatum, quòd quemadmodum referret rationes, secum volueret: discedẽs Alcibiades, Atqui satius erat, inquit, perpendere quemadmodũ rationes Atheniensibus non referret.

Alcibiadis prima militia Socrate comite.

Alcibiades à Socrate seruatus.

Fuit admodum adolescens in expeditione contra Potideam suscepta, habuitq; contubernalẽ & in certaminibus latus suum cingentem Socratem. Cum aliquando acris pugna esset, præ cæteris ambo dimicauerũt strenuè, saucium aũt Alcibiadem protexit & defendit Socrates: & verò, quod constitit omnibus, eum cum armis conseruauit. Debebatur ergo optimo iure præmium militare Socrati. Sed cum ob dignitatem apertè contenderent duces deferre Alcibiadi honorẽ: Socrates, quo eius in rebus præclaris intẽderet ambitionem, primus testis fuit & author, vt donaretur ille corona & decoris armis. Iã pugna in Delio terga dantibus Atheniensibus, Alcibiades equo vectus Socratem pedibus se cũ paucis recipientem, vt eum conspexit, non est præterlatus, sed stipauit texitq; eum, quãuis instarent hostes & multos obtrũcarent. Cæterũ hæc pòst consecuta sunt. Hipponico Calliæ patri, cui diuitæ & nobilitas ingens nomẽ & opes conciliauerant, inflixit colaphũ, nulla ipse quidẽ incensus ira vel simultate, sed cũ per lusum id cõstituisset cũ sodalibus. Ea proteruia per ciuitatẽ diuulgata, cum oẽs Hipponici iniuria meritò cõmoueret, lucis principio accessit ad Hipponici ædes, pulsatisq; foribus adijt illũ, positaq; veste corpus ei flagellandũ obtulit atq; mulctandum: qui deposita ira ignouit ei, postmodũ dedit ei nuptui filiam Hippareten. Alij Hipponicũ negant, sed filium eius Calliã despondisse Alcibiadi Hipparetẽ, addita dote decem talentorũ.

Alcibiades qualis in matrimonio.

Deinde cum peperisset, altera insuper decẽ Alcibiadem extorsisse: quasi ita conuenisset, si nati essent liberi. Callias verò insidias metuens, hæredem eum corã populo ex asse, si ipse decessisset sine liberis, nuncupauit. At Hipparete casta fœmina & viri amans, cum esset impatiens iniuriarũ genialis tori: quod consuetudinẽ ille haberet cum meretricibus peregrinis & vrbanis, diuertit ab eo, & contulit se ad fratrẽ. Non laborante id Alcibiade, sed lætè agente, oportebat eam diuortij monumenta apud archontem deponere non per alios, sed ipsam præsentem. Quæ vbi adfuit, vt id ex lege ageret: irrumpens Alcibiades rapuit eam, medioq; foro domum ferens abijt: nec fuit quisquã, qui obsistere vel eam auferre sustineret.

Alcibiades vxorem suam è foro domum extulit.

atq; illa mãsit apud eum, quoad vixit. Cæterum nõ multo post, cum nauigasset Alcibiades Ephesum, vita excessit. Et quidẽ non fuit vis hæc visa prorsus detestãda, vel inhumana: lex namq; ideo in publicũ meo iudicio producit ipsam, quæ diuertit, quo congrediendi cũ ea viro & retinendi eius sit facultas.

Canis miræ magnitudinis.

Canis, quẽ habebat Alcibiades inusitata magnitudine & specie septuaginta emptum minis, per quàm elegantẽ caudam detruncauit. Obiurgantibus eũ familiaribus, omnesq; dicentibus, canis causa pungi & insectari ipsum, arridens: Ergo fit, inquit, quod volo. Volo enim de eo loqui populũ Atheniensem, nequid de me dicat deterius.

Alcibiadis largitio.

Primum eius in concionẽ accessum largitionẽ ferunt habuisse pecuniæ, non quidẽ ex composito: sed cũ præteriret strepẽte populo Atheniẽse causã requisiuisse motus. Intellecto donatiuũ populo datũ à quibusdã, accessisse atq; largitũ item de suo. Plaudente populo clamoreq; tollẽte oblitum ex gaudio fuisse coturnicis, quã forte in pallio ferebat. Qua territa & auolante intendisse populum clamorẽ, ac consurrexisse frequẽtes, vt prestò essent ei ad auem capiendã. Cepisse autem Antiochum gubernatorẽ auem, atq; ei restituisse: inde charissimũ fuisse Alcibiadi.

Ad

Ad remp. cum magnas ei fenestras natales, opulentia, strenuitas in prælijs, frequentia amicorum & familiarium aperirent, ex nulla re malebat, quàm ex dicendi lepore ad plebem valere. Nam eloquentem eum fuisse cùm Comici testificantur, tum inter oratores disertissimus, qui in oratione contra Midiam Alcibiadem ostendit inter cætera eloquentissimum fuisse. Quod si Theophrasto credimus viro præ cæteris philosophis multæ inquisitionis & lectionis: inueniendi ea, quæ causæ conferrent atq; excogitandi, omnium fuit Alcibiades acerrimus. Cum verò inuestigaret non tantum, quæ dicēda essent, sed & quibus quæq; nominibus & verbis, atq; eum illa subinde præterirent: offendebat & inter dicendum obmutescebat interquiescebatq; fugiente ipsum dictione, excutiens memoriam & rem reputans. Huius in equis alendis magnificentia etiam curruum numero fuit celebris. Solus enim hic præterea nemo ad Olympiæ ludicra neque priuatus neq; rex septem misit. Palmam verò quod retulerit primam & secundam & quartam, vt author est Thucydides: vel, vt Euripides, tertiam: ea re excellit splendore & gloria omnibus, qui in eo genere elaborauerunt. Sic enim canit Euripides:

Alcibiadis ad Remp. accessus.

Alcibiadis eloquentia.

Alcibiadis victoria Olympiaca.

Te Cliniæ verò patris fili canam.
Nam pulcher es, & vt victor, vnus omnium
Pulcherrimus inter Pelasgos puluere
Olympico. Primam liquet palmam omnibus
Et proximam cum tertia tulisse te,
Cursum fuisse liberum laboribus.
Ramis oliuæ bis coronatus, bis &
Es voce præconis celebratus palàm.

Hanc eius gloriam fecit munificentia hostium illustriorem: siquidem tentorium ei Ephésij posuerunt eximiè adornatum. Pabulum equis & copiam victimarum præbuit Chiorum ciuitas, Lesbij vinum & cæteras epulas largè multos inuitanti. At enim calumnia quædam vel malignitas, quæ in illum incurrit honorem, præbuit plerisq; sermonem. Famanamq; est fuisse Athenis Diomedem hominem non malum, amicum Alcibiadis: qui palmam Olympiacam auens obtinere, cum esse currum publicum accepisset apud Argiuos, magnam autem Alcibiadis authoritatem Argis sciret, multosq; ibi habere hunc amicos, induxit eum ad emendum currum. Emptum Alcibiades suum proprium professus est: Diomedi verò frementi, ac deum hominumq; fidem testanti, vale dixit. Videtur iudicio quoq; hac de re actum, atq; orationem scripsit Isocrates de curru pro Alcibiade puero: in qua Tisias nominatur, non Diomedes, qui iudicium ei dictauit. Postquam ad remp. accessit admodum adolescens, ilico reliquos populi duces depressit: aduersarios autem habuit Phæacem Erasistrati filium, & Niciam Nicerati: hunc ætate iam prouectū & optimum habitum ducem, superiorem in limine tunc positum vt ipse incrementi: claris autem ortum maioribus, at cùm alijs rebus tum dicendi facultate eo inferiorem. Priuatim enim affabilis & facundus potius esse, quam puluerem ferre forensem videbatur. Siquidem habebat, vt refert Eupolis, loquentiæ multum, nil eloquentiæ. Versatur etiam in manibus quædam in Alcibiadem & Phæacem scripta oratio: in qua inter cætera relatum est vasa, quibus ciuitas abundabat aureis & argēteis, omnia Alcibiadem vt propria in quotidiano vsu habere. Erat Athenis Hyperbolus quidam Perithœdes, cuius Thucydides quoq; vt hominis tetri meminit, & materiam Comicis pene omnibus perpetuā dicteriorum in theatris præbuit: homo autem perfrictæ frontis & gloriæ incuria probri cōtemptor. Quæ cum impudentia sit & vecordia, audaciam eam nominant nonnulli, & fortitudinem. Hic nemini quidem erat probatus, verùm ad suggillandos perstringendosq; principes vtebatur eo populus frequenter. Huius ergo impulsu decennale exiliū, quod vocant Ostracismon, erat populus irrogaturus. Eo ad leniendam inuidiam potius quàm timorem, vt quisq; inter ciues honore & authoritate præcellebat, ita eum premebant semper & exagitabāt. Cùm esset nemini dubium, quin ex tribus illis essent exilium vni inflicturi: consociauit factiones Alcibiades in vnum, ac re cum Nicia communicata damnationem in ipsum vertit Hyperbolum: vt alij volūt, nō cū Nicia, sed collocutus cū Phæaco: illius adiūcta secta, Hyperbolū eiecit ciuitate nihil minus cogitātē. Vilis enim in eā mulctā vel obscurus nemo incidebat, vt ait Plato Comicus Hyperboli mētionē faciēs:

Alcibiadis aduersarij initio reip. gerendæ.

Eupolides de Alcibiadis facundia.

Hyperbolus in exilium decennale pellitur.

Thucyd. lib. 8.

Ostracismus, pœnæ genus Athenis.

Quamuis suis sit digna passus moribus,
Seipso tamen non digna, nec suis notis:
Nam non repertum istius est causa Ostracum.

Alcibiades paci Græcorũ obſtat.

Vetùm de his alio loco latius, quæ memoriæ prodita ſunt, retulimus. At Alcibiadẽ non minus exiſtimatio apud hoſtes Niciȩ, quàm apud ciues honores mordebãt. Siquidẽ erat Alcibiades quidẽ hoſpes publicè Lacedȩmoniorũ, curamq; habuerat eorũ, qui capti fuerant ad Pylon. Cȩterũ quia pacẽ illi opera Niciȩ potiſsimũ obtinuerãt, captiuosq; receperãt, atq; ideo diligebant eum mirificè, eratq; in ore Grȩcis à Pericle bellũ cõflatum, finitũ ab Nicia fuiſſe, eamq; pacẽ nominabant pleriq; Nicieam: haud mediocriter anxius Alcibiades

Pax Niciea.

inuidensq; ei ſtatuit cõuellere fœdus. Ac primum cũ ſuboleuiſſet ei quærere Argiuos odio ac metu Lacedæmoniorũ perfugiũ, fecit ijs clã ſpẽ Athenienſiũ ſocietatis, atq; eos cùm per nuncios tũ ipſe cũ primoribus populi agens confirmauit, ne formidarẽt aut ſuccũberent Lacedȩmonijs: ſed reſpicerẽt Athenieſes, & ſpaciũ darẽt. Nã breui fore, eos vt pœniteret pacemq; turbarẽt. Vt verò ſocietatẽ Lacedȩmonij cum Bœotijs inière, neq; Nanpactum, vti debebant, tradiderunt integrum Athenienſibus, ſed dirutum: populum Athenienſem, quem acceperat frementẽ, magis magisq; inflammauit, ac multitudinẽ in Niciam incitauit, eumq; exagitauit cõſentaneis criminibus, noluiſſe in prȩtura eum illos, qui ab exercitu hoſtium relicti in Sphacteria fuerant, capere: captos autẽ ab alijs in gratiam Lacedȩmoniorũ liberaſſe ac reddidiſſe: deinde qui amicus ſit illorum, eos ne coniurarent cũ Bœotijs & Corinthijs, non induxiſſe: prohibere verò, ne Grȩci, qui cupiunt, ſocietatẽ & amicitiam, ni videatur Lacedȩmenijs, copulent cum Athenienſibus. Cũ inde Nicias aduerſo rumore eſſet, aduenerũt forte ab Lacedæmone legati cũ æquis, vt ſtatim oſtẽdebant, mãdatis: docueruntq; cum libera poteſtate ſe ad omneis controuerſias ȩquis legibus cõponendas miſſos. Cũ id placeret curiȩ, & eſſet populi cõciliũ in poſterũ diẽ in-

Alcibiades decipit legatos Lacedæmoniorum.

dictum: trepidus Alcibiades perfecit, vt colloquerẽtur ſecum legati. Vt congreſsi cũ eo ſunt: Quid hoc rei eſt, inquit, Spartiatæ? An fugit vos ſenatum ſemper erga legatos moderatè ſe gerere & humaniter, populum verò eſſe elatum & grandia affectare? Quod ſi miſſos vos dixeritis cum mandatis liberis, imperandi & extundendi vobis nullum faciet modum. Quin mittitis hanc amentiã ſi æqua à populo Athenienſe impetrare, nec inuitis vultis vobis quid extorqueri: ita verò agite cum populo Athenienſe, quaſi poteſtatẽ nõ habeatis plenam, nos in Lacedȩmoniorum gratiam erimus vobis præſtò. Ita fatus iuſiurandum dedit ijs, traduxitq; eos ab Nicia fidem vt ſibi haberent, mirantes eius vt nõ vulgaris viri & ſolertiam & prudentiam. Inſequenti die cõuenit populus, quo legati proceſſerunt. Rogati ſanequam comiter ab Alcibiade, quid veniſſent: negauerunt libera mandata habere. Mox Alcibiades inſtare cum clamore, quaſi nõ eos iniuria afficeret, ſed afficeretur ipſe, perfidos & verſipelles appellans: neq; vt quicquam boni vel facerent vel dicerent, oſtendens veniſſe: fremere etiam ſenatus, exardeſcere ira populus, Nicias impoſturȩ & doli ignarus, ſtupore & pudore ex iſtorum hominum inconſtantia defixus eſſe.

Alcibiades Prætor ſiue Dux creatur.

Ita exploſis Lacedȩmonijs Alcibiades deſignatus Prȩtor: Argiuos, Mantineos, & Elios adiunxit extemplò populo Athenienſi ſocios. Huius facti nemo rationem cõmendauit, ingens fuit tamen res ab eo perpetrata: qui penè vniuerſam diſſociauerit & concuſſerit Peloponneſum, atq; vno die tot legiones in acie ad Mantineam Lacedæmonijs obiecerit, certamenq; ijs & periculum remotiſsimè ab Athenieſium finibus conflauerit: in quo non multum operæ precij fecerunt ex victoria victores: & ſi offendiſſent, vix eſſe Sparta poterat incolumis. Secundum pugnam mille viri Argis confeſtim populi imperium moliti ſunt diſſoluere, & ciuitatem in ſuam redigere ditionem. Adfuerunt etiã Lacedæmonij, & ius populi ſuſtulerunt. Hic cum plebs arma reſumpſiſſet & eſſet victor, super-

Murus ab Argis ad mare deductus.

ueniens Alcibiades, victoriam præſtitit populo ſolidam, & vt lõgos muros deducerent, fuit author, atque his mari iunctis vrbem penitus populi Athenienſis viribus annecterent. Ille fabros & lapicidas ex Athenis adduxit, atq; omne ſtudiũ præſtitit ijs: qua re nõ minorem ſibi ipſi, quàm ciuitati Athenieſi gratiã & opes quȩſiuit. Suaſit itẽ Patrẽſibus, vt murorũ brachijs cõmitterent vrbẽ mari. Hic cũ admonerẽt quidã Patrẽſes, Athenienſes vos deuorabũt: Alcibiades fortaſsis carptim, inquit, & à pedibus: Lacedȩmonij verò à capite & ſemel. Enimuero cõſuluit etiã populo Athenieſi, vt terrã quoq; aſſereret: & obiecto iuuẽtuti ſemper illo, quo adigũtur Agrauli iureiurãdo, id vt prȩſtarẽt re, admonuit. Iurãt enim terminos ſe Atticȩ habituros triticũ, hordeũ, vineas, oleas quo ſuggerebatur ijs, omnẽ vt aſſererẽt terram cultã & frugiferã. His actionibus, orationibus, prudẽtiæ &

Alcibiadis luxus.

eloquentiæ ingentẽ ex altera parte immiſcebat vitȩ luxũ cõmeſſationes, amores, proteruiã, mollitiẽ veſtiũ purpurearũ, quas per forũ trahebat, inſolentẽ profuſionẽ, inciſuras in triremibus fororũ, quo mollius cubaret, cũ iniecta haberet faſcijs non aſſeribus ſtragula,

clypeum

clypeum deauratum, in quo non assueta Atheniensibus insignia, sed Cupido fulmen tenens erat sculptus. Quæ principes cum viderent: tum execrabantur ferebantq́ grauiter, tum extimescebant istam hominis dissolutionem & contemptum legum, velut tyrannica & monstrifica. Animum aduersus eum populi, exprimit hisce versibus Aristophanes:

Populi Atheniens. de Alcib. sensus.

Cupit quidem, sed odit, ipsum vult tamen.

Alio loco grauans magis eum suspicione:

In ciuitate ne leonem nutrias:

Sin educasti, obtempera eius moribus.

Largitiones enim ludorumq́ exhibitiones & munificentia in populum, quibus addi poterat nihil: claritas maiorum, dicendi vis, corporis decor, roburq́ cum militaris rei cōiunctum peritia & virtute efficiebant, in reliquis vt conniueret omnibus, eaq́ ferret populus Atheniensis moderatè, utq́ vocabulis peccata eius leuissimis, ludos appellaret atque humanitatem: vt cum Agatarchum pictorem vinxit, exinde cum pinxisset domū suam, muneribus dimisit honoratum. Taureæ ex aduerso ludos edēti, quod secum certaret pro victoria, colaphum infregit. Meliam mulierem ex captiuis sumpsit, cuius ex complexu puerum natum tulit. Eam enim vocabant humanitatem. Causam tamen, vt Melij puberes omnes interficerētur, quia scriptum in id defendit plebiscitum, præcipuè dedit.

Alcibiadis petulantia.

Cum pinxisset Aristophon Nemeam, quæ sedentem in complexu suo Alcibiadē tenebat, spectauerūt tabulam, lætiq́ eò concurrêre. At maioribus natu erant hæc quoq́ vt tyrrannica & intoleranda offensæ. neq́ absurdè visus est Archestratus dicere, duos Græciam Alcibiades non potuisse ferre.

Nemeæ picturā Plinius tribuit Niciæ.

Cum Timon ab hominum odio Misanthropus dictus Alcibiadem, quem cum in concione obtinuisset id quod agebat, prosequebatur populus magno honore, non præteriret neq́ defugeret, sicut solet alios, sed iret obuiam, dataq́ dextra: Macte, inquit, incremento fili esto, magna enim omnes hos cumulabis calamitate: partim risere partim incessere eum conuitijs: nonnullos magnopere id dictum permouit, adeò varia erat ob morum eius inconstantiam de eo opinio. Porrò Siciliæ viuo etiā Pericle adiecerat oculos populus Atheniensis, & defuncto manus admouit: atq́ societatis specie auxilia & subsidia armorum mittebat assiduè ijs, qui ab Syracusanis infestabantur, gradum faciens ad maiorem expeditionem.

Alcibiades author expeditionis in Siciliam.

Thucyd. lib. 6.

At qui prorsus eum inflammauit ardorem, induxitq́ vt ne carptim neq́ minutim, sed ingenti classe expeditionem susciperēt & subigerent eā insulā, Alcibiades fuit, qui spē populi inflauit ad grādia, & grandiorib. ipse inhiabat: siquidē exordiū esse ad ea, quę cōplexus spe erat, expeditionis: nō terminū, sicut cæteri, cogitabat Siciliā. At Nicias quidē, quod ardua foret res capere Syracusas, reuocabat populū ab eo cōsilio. Alcibiades verò Carthaginē somnians & Africā, horū accessione Italiā & Peloponnesum iā amplexus, tantū non pro promptuario belli ducebat Siciliā. Ac iuuentutē habuit statim sua spōte spe arrectā. Senes hi audiebāt mira de ea expeditione memorātes: vt multi in palæstris ac hemicyclis sedētes, figurā insulę, sitū Africæ & Carthaginis depingerēt. Verùm Socratē philosophū & astrologū Metonē nihil ferunt ciuitati ex ea expeditione auguratos boni, superiorē ex præsentia & prędictione, vt arbitror, dæmonij sui familiaris: Meton siue reputanda secū te metuens futuri, siue ratione aliqua diuinādi insaniā simulauit, ac face arrepta ardente domū suā instituit succēdere. Quidā nullā demētię specie à Metone aiūt adumbratā, sed nocte eum domū inflammasse: mox progressum manè ad cōcionē orasse supplicē populū, vt ad tantæ alleuationē calamitatis filiū sibi ab ista expeditione relinquerēt immunē. Ita ludificatus ille ciues, quod petebat, obtinuit.

Socratis & Metonis præsagia.

Alcibiades Prætor in Siciliam mittitur.

Nicias Prætor fuit inuitus designatus, fugiens quantum poterat prouinciam hanc vel collegæ causa. Existimauerunt enim Athenienses bellum gestum iri rectius, si solutum non misissent Alcibiadem, sed eius audaciam cum Niciæ temperassent cautione. Nam tertium prætorem Lamachum etsi vergentem annis, nihilo apparebat esse ex certis prælijs Alcibiade minus flagrantem & temerarium.

Thucyd. lib. 6.

Cum deliberaretur de copijs & apparatus ratione, iterum obsistere Nicias cœpit & bellum compescere. Sed cum repugnaret Alcibiades, & esset in sententiam eius discessum, rogationem tulit orator Demostratus, de apparatu & tota belli ratione vt Prætoribus permitteretur. Facto in id plebiscito, instructisq́ ad classis expeditionem omnibus, tetra prodigia maximè solennibus apparuêre. Incurrētibus in dies illos Adonijs species passim mortuis, qui efferuntur, similes exponebant fœminæ, & exequias planctibus repræsentabāt cātilenisq́ lugubribus. At verò truncati vna nocte Hermæ, quos vocāt, qui maxima ex parte mutilati facie erāt, multos perculerūt etiā illos, talia qui cō tēnebāt, Manauit fama

Hermæ; id est Mercurij. Simulachra Athenis mutilata.

Syracu-

Syracuſanorum cauſa colonorum ſuorum Corinthios, quo ijs oſtentis reprimeretur populus Athenienſis, bellumq; deponeret, hæc patraſſe. Nihil populū tamē vel hic rumor mouit vel portenta, haud quicqnam fœdi ducētem accidiſſe, ſed cuiuſcemodi deſignare iuuenes temulenti in laſciuiā ex luſu delapſi ſolēt: iram verò ſimul & metū ei res velut ex cōiuratione ad magnos deſignata motus excitauit. Itaq; acriter quamuis ſuſpicionē excuſsit tā ſenatus huius rei cauſa habitus, quàm concio vt paucis diebus ſæpius aduocata. Interea ſeruos nonnullos & incolas produxit Androcles concionator, qui Alcibiadem eiuſq; amicos aliorū laceratorū ſignorum & effictorū per vinum myſteriorū inſimulauerūt. Hi Theodorum quendam oſtenderūt egiſſe præconem, Polytionem tediferū, Alcibiadē hierophantē, cęteros ſodales aſtitiſſe myſterijs initiatos appellatoſq; myſtas. Quippe hęc cōtinebat Theſſali Cimonis filij accuſatio: qui Alcibiadis nomē de profanatis Cereris & Proſerpinę ſacris detulit. Frendēte ira populo atq; in eū incēſo, & Androcle (erat enim Alcibiadis hic vt alius nullus hoſtis) facē ſubdente: fuit Alcibiades initio perturbatus. Verùm vbi nautas aduertit, quotquot nauigaturi in Siciliam erāt, ſtudioſos ſui eſſe, ſimulq; milites Argiuoſq; & Mātineos, qui mille peditū erār, audiret diſertè dicētes, Alcibiadis ſe gratia trāſmarinā & longinquā expeditionē ſuſcepiſſe: quē ſiquis læſiſſet, abſceſſuros ilicò domū, animū recepit atq; occurrit ad ſe defendēdū. Ita fracti iterū ſunt inimici eius, veritiq; ne populus, quod eius opera indigeret, mollior foret in iudicādo. Igitur quo huic rei occurrerēt, hoc ſtruxerūt vt oratores qui ſpecie Alcibiadi nō iniqui, odiſſent eū tamē nō ſecus atq; illi, ex profeſſo qui eſſent hoſtes, in concione dicerent, rē indignam eſſe tanti imperatorē exercitus cum libera poteſtate ei catū legionibus ſocijſq; cōſcriptis, inter ſorte ductos iudices & aquam infundentes corrumpere tēpora. Nūc verò quod felix fauſtumq; ſit, pergeret: bello confecto ijſdē legibus præſens cauſam diceret. Verùm ea malitia prolatiónis non fefellit Alcibiadem, ſed pro concione durū demōſtrauit eſſe: vt relictis cōtra ſe criminibus & calūmnijs, timore ſuſpēſus iudiciali cū tāto exercitu mitteretur. Decere enim, niſi crimina purgaret, vt animaduerteretur in ſe: ſin purgaſſet ſe, & eſſet cōpertus inſons, ad hoſtes vt ſe liberatū calumniatorū metu cōuerteret. Ceterùm vbi nō audiuit eū populus, iuſſus ſoluere, vela fecit cū collegis. Triremes habebat nō multū intra quadraginta & cētum, pedites quinq; millia centum, ſagittarios funditoreſq; & leues milites ad mille trecentos, appartatumq; alium ingentē. Inde vt appulit ad Italiā & tenuit Rhegium, propoſuit ibi cōſilium ſuum, quemadmodum inſtituendū bellum foret. Cui repugnante Nicia, aſtipulante verò Lamacho, in Siciliam vectus Catanā ad deditionem ſubegit. Nihil geſsit præterea, quod confeſtim eſſet reuocatus ad iudiciū. Primùm namq; frigidis, vti diximus, ſuſpicionibus Alcibiades & calumnijs aſperſus fuit per ſeruos & incolas. Deinde quia laceſsiuerunt maleuoli abſentem acrius, & cum violatis ſimulachris myſteriorum crimen, quaſi ab eadem perpetratum coniuratione ad res nouandas confuderunt: coniecerunt in carcerem eos, qui quauis de cauſa fuerunt delati, inauditos: pœnituitq; eos, quod flagrantibus delictis tantis, in iudicium non rapuiſſent damnaſſentq; Alcibiadem. Quiſquis in conceptam aduerſus illum flammam incurrit neceſſarius vel amicus vel familiaris, ſæuioribus illis vſus eſt. Delatores omiſit Thucydides appellare. Alij tamen Dioclidem & Teucrum edunt, in quibus Phrynichus eſt Comicus, cuius hi verſus ſunt:

Alcibiades profanatorū ſacrorum accuſatur.

Alcibiadis inimicorū doli.

Alcibiadis expeditio in Siciliā.

Queſtio Athenis habita de violatis ſignis

Phrynichus Comicus.

O ſignum amabile Herme, ne cadas caue, aut te afflixeris vſquam.
Præbeas ne anſam alicui alteri Dioclidi praui aliquid facere volenti? Caueto.
Nō Teucro enim dare indicij volo ſceleſto præmia hoſpiti.

Et quidem nihil certi vel firmi iudices demōſtrarunt. De quibus rogatus vnus, quemadmodum vultus eorum, qui truncauerant ſimulachra, cognouiſſet: vbi reſpondit, Ad Lunam, toto cælo errauit, nam fuerunt hæc interlunio admiſſa. Excitauit id quidem ſanorū hominum ſtrepitum, populum verò ne hoc quidem fecit ad calūmnias remiſsiorem: ſed eodem, quo cęperat, perrexit impetu in vincula dare & cōijcere, quicunq; eſſet delatus. Inter cuſtodias & vinctos illorū criminum cauſa etiam orator erat Andocides: quē refert Hellanicus Hiſtoriographus inter Vliſsis poſteros. Habebatur minimè popularis, ſed de factione paucorum potentium Andocides: cui præcipue ſuſpicionem attulit mutilatorū ſignorum amplum ſignū propter domum eius locatū Aegeidis tribus monumentū. Nā inter admodum pauca ſimulachra nobilia inuiolatū remāſerat prope ſolū. Qua de cauſa vocatur adhuc Andocidis: omneſq;, licet reclamet inſcriptio, ita id nomināt. Accidit, vt ſupra cæteros, qui ex eadē cauſa vincti erāt, conſuetudo Andocidi & amicitia cū quodā

Andocides orator in carcerem coniectus.

Aemyl. probus, Androcidē vocat.

esset nō paris hominc dignitatis, intelligētiæ autē & audaciç singularis Timæo nomine. Hic Andocidi cōsulit, semetipse cū paucis aliīs vt deferat. Cōfitenti enim cōcedi ex plebiscito impunitatē: exitum incertū iudiciī, potētibus maxime terribile esse. Satius esse, vt permēdacia incolumis sit, quā eodem ex crimine pereat ignominiose. Qui si cōmodū publicū spectet, conducere vt paucis cōdonatis & dubiīs, multos & bonos viros eximat irç populi. His Timçi verbis & monitionibus inductus Andocides, cū de semetipso & cçteris cōfessus esset, veniā habuit ex lege. Quos detulit, nisi qui profugissent, necati omnes sunt. Ac maioris fidei causa, adiecit iīs Andocides proprios seruos. Neq; hic tamē deposuit omnē irā populus: verùm postquā à violatoribus signorū discessit, acrius quasi ociātebile in Alcibiadē totus incubuit. Postremo misit ad eum triremē Salaminiā. Atq; hoc quidē disertè dedit misśis in mādatis, vim ei ne admouerent, neq; iniīcerēt manus: sed lenibus verbis vt aggrederētur eū, denūciarentq;, vt ad causam dicendā sequeretur & purgaret se ad populū. Timebāt enim tumultū in hostico exercitus & seditiones: quod Alcibiadi, si ei libuisset, facile erat factu. Quippe ob discessum eius animū abiīciebāt, magnaq; cūctatione expectabāt ac inerti mora, velut calcare rerū amoto, ductutū Niciū bellū. Nā bellator quidē erat Lamachus vir fortis, sed authoritate ob inopiā dignitateq; deficiebatur. Exēplò igitur in discessu suo Alcibiades Messanam ademit Atheniēsibus, erāt enim parati certi ad dedendū oppidū. Quos ille cum optimè nosset, indicauit eos Syracusanorū amicis, remq; corrupit. Thurios progressus cū ex naue descēdisset, abdidit se, elapsusq; est inuestigātibus ipsum. Cognitus à quodā, qui dixit: Nō fidis Alcibiade patriæ tuç? Cçtera, inquit, omnia: sed de capite meo ne matri quidem: ne forte pro albo atrū calculū imprudēs iniīciat. Post audito capitis se damnatū à ciuibus: At ego, inquit, illis ostendā me viuere. Accusationē illā hisce verbis perscribūt: Thessallus Cimonis filius Laciades, Alcibiadē Cliniæ Scambonidē, quod aduersus ceremonias & instituta Eumolpidarū, prçconum & sacerdotū Eleusinensiū mysteria simulauit, & familiaribus suis domi ea ostendit, veste indutus quali ostendit sacra hierophantes, se ipse hierophantem nominauit, Polytionē tediferum, præconē Theodorū Phegeensem, cçteros sodales mystas appellauit, & spectatores violatarum dearum Cereris & Proserpinç, detulit. Damnauerūt eū indicta causa, publicauerūt bona eius: insuper sciuerūt, vt omnes sacerdotes caput eius sacrarēt, quarum vnā aiunt Theano Menonis filiā Agraulensem plebiscito intercesśisse, ac votorū se dixisse nō execrationum esse sacerdotē. Tā multis iugulatus plebiscitis atq; iudiciīs Alcibiades, vt primū Thuriīs profugus traiecit in Peloponēsum, Argis hçsit aliquādiu. Formidās autē inimicos deposita recuperandæ spe patriæ, Spartā ad petendā fidem publicā misit: priores iniurias ostendēs, quibus se fuerat vltus, maioribus cōmodis & emulumētis pensaturum. Qua data recipientibusq; eū Spartiatis, alacris eò profectus vnū ilico perfecit, vt omissa cūctatione & procrastinatione Syracusanis ferrent suppetias, excitēq; eos atq; incitauit, vt duce misso Gylippo cōuellerent vires in Sicilia Atheniēsium: alterū etiā mouerēt Atheniensibus ex Pelopōneso bellum: Tertiū & maximū, vt munirēt Deceleā: quod vrbē Atheniēsem çquè ac nihil aliud presśit cōtriuitq;. Alcibiades cùm hinc publicè fuit probatus & suspiciēdus, tum priuatim aurā popularem captauit, ac multitudinem demētauit ad vitam Laconicā accōmodando se: vt corpore cū viderēt cutetenus rasum, frigida lauantem, offa victitantē, iure vtentē nigro: haud crederēt, mirarenturq; si coquū hic vir domi vnquā habuisset, vel aspexisset vnguētarium, aut Milesiā sustinuisset artingere lçnā. Nēpe habebat, vt fama tenet, inter cçteras hāc vnā artē & ad capiēdos homines fabricā, vt aggregaret se & cōuerteret ad studia & mores aliorū, citioribus quàm Chamçleō variēs mutationibus: veruntamē vnū ille, vt aiūt, nescit repræsentare colorē album. Alcibiades verò iuxtà inter bonos versans & prauos, nihil nō imitari, nihil nō valebat exprimere: verū Spartæ exercitationibus intētus, frugalis, austerus esse: in Ionia voluptuarius, lçtus, segnis: in Thracia vino & equitationi indulgere. Si cum Tissapherne satrapa ageret, pompa & luxu Persicum superare splendorē: nō quo sese tam expeditè in alios ex aliīs ritus deflecteret, aut omnem reciperet vicisśitudinem moribus: sed quod si ingenium sequeretur suum, incursurus esset in eos, quibus vtebatur familiariter: figuram & speciē semper arripiebat & induebat eā, quç illis esset apposita. Ac Lacedçmone quidē, foris si aspiceres hominem, diceres: Non iste Achillis filius: sed ipse sit quem instituit Lycurgus. Ad veros autem eius animi motus & facta exclames: Pristina est mulier. Siquidem regis Agidis vxorem Timeam in castris agentis & absentis ita peruertit, ex se vt vterum gesserit, neque id iret inficias. Quæ cum virilem stirpē edidisset, foris appellabat

Alcibiades reuocatur Athenas ad iudiciū.

Alcibiades diuehitur, aufugit.

Alcibiadis accusatio.

Alcibiades absēs damnatur.

Alcibiades Spartam confugit.

Alcibiades Chamæleōte mutabilior.

Euripides in Oreste de Helena, in matris funere comis suis parcente.

Alcibiades Agidis regis vxorē corrumpit.

eam

eam Leotychidem, domi insusurratum auribus familiarium & pedissequarum à matre nomen Alcibiadi erat. Ita ista mulier eius deperibat amore. Ille per insolentiam iactabat non contumeliæ causa se id fecisse nec libidine victum, sed vt progenies apud Lacedæmonios regnaret sua. Hæc ita agi multi detulerunt ad Agim, cui fecit potissimum fidem tempus: quod terræmotu exterritus fugisset ex thalamo ab vxore, nec decem mensibus pòst cōsuetudinem cum ea habuisset, post quos natum noluit agnoscere Leotychidem: quod in causa fuit, vt ab regno postmodum Leotychides decideret. Porrò secundum cladem, quā acceperant in Sicilia Athenienses, Chiorum, Lesbiorum, & Cyzicenorum legati vnà ad defectionem ineundam venerunt Spartam. Hic pro Lesbijs cùm Bæotij facerent, Pharnabazus pro Cyzicenis, de consilio Alcibiadis statuerūt ante cæteros Chijs opem ferre. Soluit etiam ipse, atque vniuersam ferè Ioniam impulit ad rebellandum, multaq; detrimenta, adiunctus Lacedæmoniorum ducibus, populo Atheniensi inflixit. At Agis ob stupratæ iniuriam vxoris illi infestus, angebatur super gloria eius. Pleraq; enim geri & succedere fama erat Alcibiadis opera: reliquorum quoq; Spartiatarum potentissimi quiq; & ambitiosissimi inuidia iam in Alcibiadem flagrabant. Itaq; incubuerunt in hoc, idq; perfecerunt, vt magistratus vrbani scriberent in Ioniam, cum vt de medio tollerēt. Hic cum id clam resciuisset, cauit sibi: atq; in omnibus quidem, quæ agenda essent, faciebat pro Lacedæmonijs: sed sedulò declinabat, ne in potestatem eorum veniret. Ad Tissaphernem autem cum securitatis causa contulisset se, mox primus apud eum & maximus fuit. Namq; versutiam eius & insignem calliditatem, quia integer non erat, sed prauus & versutorū studiosus, suspiciebat barbarus. At quondiana eius in familiari consuetudine & conuictu vrbanitate, nulli mores non flectebantur, nullum non capiebatur ingenium: sed etiam timentibus ipsum æmulisq; erat vsus eius, & aspectus tamen iucundus & gratus. Igitur serus aliàs atq; Græcorum vt nullus alius Perses osor Tissaphernes, adeò mancipatus Alcibiadi erat, eius delinitus assentationibus, vt vicissim ipse blandiendo eū superaret. Siquidem hortos, quos præter cæteros habebat amœnissimos, fontium & pratorū salubrium gratia, in quibus prætoria erant & recessus regio exquisitoq; exculti splendore, vocari Alcibiadem voluit, omnesq; deinceps ita vocauerunt & appellauerunt. Repudiatis igitur Lacedemoniorum partibus vt infidis, Agideq; suspecto obterebat eos & insectabatur apud Tissaphernem, obsistēs ne sedulò illis auxiliaretur, neu opprimeret Athenienses: sed vt malignè suppeditando premeret eos & attereret sensim, redderetq; vtrosq; regi opportunos, vbi cladibus sese mutuis confecissent. Hic verò est assensus facile, neque dissimulauit eum se ferre in oculis & magni facere. Vnde respiciebāt vtrinq; Græci Alcibiadem, & populum Atheniensem pœnitebat afflictum, quod ita de illo consuluissent. Dolebat etiam ipse de fortunis eorum, metuebatq; ne illa semel cōuulsa ciuitate in arbitrium veniret infensorum sibi Lacedęmoniorum. In Samo omnes penè fortunæ Atheniensium vertebantur: atq; ex illo portu classe prouecti partim ea, quæ desciuerant, recipiebant: partim tuebantur sua hostibus adhuc mari vtcunq; pares. Verùm metuebāt Tissapherné, & quę mox adfuturæ dicebātur, naues Phęnissas centū quinquaginta munero: quæ si venissent, spes nulla relicta ciuitati erat salutis. Hęc cū cerneret Alcibiades, misit clam ad primores Atheniensium, qui Sami erant, spem ostentans conciliaturum se ipsis Tissaphernem, non in gratiam multitudinis, cui nihil fideret, sed optimatū si viri fortes esse, & repressa populi insolentia capessere ipsi Remp. & conseruare vellent vrbem. Ac cæteri quidē aures præbebant Alcibiadi. Vnus verò inter duces Phrynichus Diradiotes suspicatus id, quod erat, nihil Alcibiadis referre, in populi esset an in paucorum nutu Resp. sed omnibus modis reditū eum in patriam quærere, propterea ex insectatione populi principum animos sibi parare, ijsq; surrepere, reclamauit: cæterū victus sententia, & iam ex professo Alcibiadis factus inimicus, clam id classis hostium præfecto Astyocho significauit, vt caueret monens, Alcibiademq; inconstantem atq; vtrisq; partibus sese venditantem comprehēderet. Atqui imprudens proditor cū proditore agebat. Nam Tissaphernis Astyochus obseruans, cernensq; quanta in gratia foret apud eum Alcibiades, detexit ei monita Phrynichi. Alcibiades ad Phrynichum in crimen vocandum confestim misit certos Samum. Frementibus omnibus & in Phrynichum coortis, cū non haberet aliud, quemadmodum hinc se expediret, aggressus malum est maiore emendare malo. Iterum mittit ad Astyochum de iudicio expostulatum, cum pollicitatione classem se & castra Atheniensium ei proditurum. Verumtamen nihil Atheniensibus Phrynichi proditio ob proditionem alteram Astyochi incommodauit. Nam & hanc quoq; aperuit Alcibiadi

Alcibiades relictis Lacedæmonijs fugit ad Tissaphernem.

Alcibiades, locus amœnissimus, appellatus.

Vulgi inconstātia.

Alcibiades recōciliatur Atheniēsibus. Thucyd. li. 8.

Alcibiadi Phrynichi conditionem. At Phrynichus id prospiciens, & ab Alcibiade expectans secundam insimulationem, occupauit ipse Atheniensibus classem hostium prædicere aduentaturã, monuitq; vt à classe ne digrederentur, ac castra munirẽt. Cum his intẽti Athenienses acciperent iterum ab Alcibiade literas, monente vt asseruarẽt Phrynichũ, qui tradendam in potestatem hostium classem susceperat, non habuerunt ijs fidẽ: quod Alcibiadem existimarent, cui planè nota erant hostium consilia & cœpta, illis ad circumueniendum Phrynichum abuti. verum falsi fuere. Postea tamẽ Phrynichũ cum vnus excubitorũ Hermon pugione in foro percussisset: Athenienses causa cognita Phrynichum proditionis, mortuum damnauere, Hermonem eiusq; consortes donauerũt coronis. Ibi Alcibiadis amici Sami superiores Pysandrum mittunt Athenas ad mouẽdam Remp. & incitãdos princepes, vt summam rerum arriperent, populiq; conuellerent vim: Alcibiadem ea conditione ipsis Tissaphernis amicitiam & societatẽ adiuncturũ. Hic color erat, hic prætextus res in paucorum redigentium ius. Vbi opes suas constituerunt, & rerum sunt potiti illi qui quinq; millia dicebantur, cùm essent solũ quadringenti, in minimis iã Alcibiadem ponebant, ac segnius prosequebãtur bellum: partim quod nondũ fiderẽt ciuibus ab ea abhorrẽtibus conuersione, partim quod Lacedæmonios semper paucorũ potentię studiosos remissius secum arbitrarentur acturos. At plebs vrbana inuita per metũ quiescebat. Non pauci enim, qui quadringẽtis repugnabãt apertè, obtrũcabantur. Qui Sami erant, his nũciatis indignantes, instituerũt Piręeũ abnauigare, Alcibiademq; acciuere, cui delato imperio in tyrannos ducere, eosq; iusserũt opprimere. Enimuero hic nõ vt fortassis alius quispiam, qui multitudinis euectus beneficio esset, egit vel acquieuit, omnia vt censeret indulgenda, nec quicquam luctandum cum ijs, qui ex errone & exule tantæ classis, castrorum & copiarũ tantarum ducem atq; prætorem creauerãt. Sed quod magni erat ducis officiũ, vt resisteret ira præcipitibus. Itaq; prohibẽdo eos, nequid secus admitterent, in præsentia quidẽ certe illi ciuitati citra controuersiã conseruauit imperiũ. Si enim domum inde essent profecti, hostes statim facultatẽ habuissent totius sine puluere occupandæ Ioniæ, Hellesponti & insularum, dum cum Atheniensibus Athenienses bello ciuili decertarent intra vrbis mœnia. Quod ne fieret, vnus potissimũ impediuit Alcibiades, non suadendo modo & docẽdo multitudinem, sed etiam singulos partim obsecrando partim corripiendo. Adiuuit eum Thrasybulus quoque Stiriensis tum pręsentia sua tum clamoribus: erat enim, vt ferunt, Atheniensium hic vocalissimus. Iam alterũ Alcibiadis præclarum factum est, quod cum ostendisset classem Phœnissam se, quam ab rege expectabant, vel ad ipsos traducturum, vel præstaturum certe, ne illis cõiungerentur, properè conscendit. Has naues cum circa Aspendum essent conspectę, non adduxit Tissaphernes, sed Lacedæmonios delusit. Causa auersæ classis apud vtrasq; partes collata in Alcibiadẽ fuit, magis apud Lacedęmonios tamẽ: quod barbaro suggessisset, vt Gręcos sineret sese mutuò obterere. Neque enim obscurum erat, vtris accessissent partibus tantæ vires, eas maris imperium extorturas alteris fuisse. Inde quadringenti illi oppressi sunt, quod Alcibiadis necessarij promptè opitularentur factioni populari. Cum vellet autem iuberetq; plebs vrbana, vt Alcibiades ab exilio reuerteretur: non existimauit ille inani sibi & inutili misericordia & beneficio plebis, sed gloriose redeundum esse. Quare paucis nauibus primum ex Samo Cnidiorum & Coorum pelagus obiuit. Ibi comperto Mindarum Spartiatem pergere cum tota classe in Hellespontũ & insequi Athenienses, maturauit ducibus Atheniensibus suppetias ire. Ac forte fortuna in eo articulo aduenit octodecim nauibus, quò vtrinq; classes vniuersæ concurrerant circa Abydũ: & confligẽtes altero cornu victrices, victæ altero in serum vsq; acrem trahebant pugnã. Aduentu suo cõtrariam vtrisq; expectationem præbuit, vt erigerentur hostes, Atheniẽses terrore percellerentur. Mox signo ex naue prætoria sublato amicum se esse, magno impetu in victores & insectãtes est Pelopõnesios inuectus, fugatos in terrã expulit, & tergis inhęrẽs fugientiũ naues eorũ concidit, premitq; multos ex ijs, qui conabantur enatare: quamuis Pharnabazus ijs terra subueniret, nauesq; eniteretur in littore seruare. Postremò captis de hoste triginta nauibus, suis receptis trophæũ excitauere. Tam nobili potitus victoria cũ affectaret ilico ostentare se Tissapherni: cũ muneribus donisq; & comitatu imperatorio cõtendit ad eũ. Verũ frustratus est spe sua: nã apud Lacedęmonios iã pridẽ male audienti & metuẽti, ne crimẽ sibi pararetur apud regẽ, in tẽpore visus est Alcibiades adesse, & cõprehensum coniecit Sardibus in vincula, illius calũnię mutuaturus ex hac iniuria purgationẽ. Triginta pòst diebus habita Alcibiades alicunde equi copia, elapsus custodibus

Phrynichi cædes, & mortui condemnatio.

Alcibiades reuocatur ab exilio.

Thrasybulus Atheniensis vocalissimus.

Alcibiadis calliditas.

Alcibiades prælio nauali superat Lacedæmonios.

Alcibiadis à Tissapherne capti, fuga.

profugit Clazomenas, Tissaphernem insuper calumniatus, emissum se ab illo fuisse. Profectus in castra Atheniensium nunciato Mindarum & Pharnabazum Cyzici cōuenisse, cohortatus est milites, necessarium demōstrans esse, vt nauali & terrestri prælio decernerent cum hostibus, & verò etiā muros oppugnarent. nam ni vndiq; victores essent, difficultatē fore stipendij. Mox cū omnes imposuisset nauibus, & Proconnesum decurrisset, edixit vt in medium reciperent minora nauigia: ac darēt operā, ne qua præsenrisceret aduentū suum hostis. Forte imber repentinus & ingens cū tonitru effusus adiumento fuit, simulq; cœpta texit. neque enim hostes modo latuit, sed Athenienses quoque: quod cū præter eorum expectationē conscendere iussisset, soluerit. Paulo post & tēpestas discussa est, & Peloponnesiorū in conspectu fuit classis, quæ in anchoris pro Cyzicenorū portu stabat in salo. Veritus igitur Alcibiades ne conspecta nauiū suarū multitudine refugerēt in terrā: ducibus iussis vt lentius nauigantes sequerentur à tergo, ostendit se cū nauibus quadraginta, hostes prouocasiuit. Postquā ludificati contēpta paucitate quasi cū his solū futurū sibi certamē esset, atq; ita infesti in Alcibiadē iuerūt: cōfestim coorti in pugnam manus conseruêre. At vt reliquæ in dimicantes iam intulerūt se, perculsi terga dederūt. Alcibiades autem nauibus viginti præstantissimis, mediam perrūpens aciē, ad terrā successit, & extensione facta institit fugiētibus ex nauibus, multosq; obtrūcauit. Mindarū & Pharnabazum opem his ferentes fudit, ac Mindarum strenuè dimicantem interemit, Pharnabazus consuluit fugæ. Multis interfectis spoliatisq; naues omnes ceperunt: Cyzico etiā, cū id esset à Pharnabazo desertum & contrucidati Peloponnesij, capto, nō Hellespontū modo confirmauerunt sibi, verùm etiam mari vi expulêre Lacedæmonios. Interceperūt scriptas quoq; Laconicè de hac clade ad Ephoros literas. Effluxerūt præclaræ res, Mindarus interijt, esuriunt milites, hæremus quid faciendum sit. In tātum verò animos sustulere Alcibiadis milites, tantosq; sumpserūt spiritus, vt dedignarētur alijs militibus se subinde victis inuictos vbiq; cōmiscere. Nā forte non multo antè ad Ephesum re à Trasyllo male gesta, æreum trophæum Ephesij in opprobrium Atheniensium erexerant. Hæc improperabant Thrasylli militibus milites Alcibiadis, extollentes se & suum imperatorem, nec eos ad eadem gymnasia vt tenderent apud se in castris, dignabantur. Vt verò Pharnabazus magno equitatu & pedestribus copijs populantes Abydenorū fines est adortus, suppetias veniens Alcibiades fugauit eum, persecutusq; ad noctem vsq; est cū Thrasyllo: ac tunc se cum eo coniunxit, atq; inter se cōgratulantes ouantesq; in castra rediêre. Postero die excitauit trophæum, & Pharnabazi prouinciam, nemine ire contrà auso, ferro & igni vastauit. Sacerdotes ibi aliqui capti, sed sine precio ab eo dimissi. In Chalcedonios, quod desciuissent, præsidiumq; ac præfectum recepissent Lacedæmoniorū, mouit arma: sed omnem prædā vbi eos intellexit ex agris coactam apud amicos suos Bithynos deposuisse, eorū finibus exercitū admouit, & caduceatore præmisso incusauit Bithynos. Qui trepidātes prædā illi tradiderunt, amicitiamq; iunxerūt cum eo. Dū Chalcedō ex mari in mare circūuallatur, accurrit Pharnabazus ad soluendā obsidionē, & præfectus Hippocrates cōtractis copijs suis eruptionē fecit ex vrbe in Athenienses. Alcibiades directa aduersus vtrunq; acie, Pharnabazum in fœdā fugā auertit, Hippocratem cū magno militū numero profligatum oppressit. Inde ad conficiendam pecuniā prouectus est in Hellespontū. Selybriam ibi cepit: vbi intempestiuè in periculū coniecit se magnum. Nam qui dedere receperant ei oppidum, signum face constituerant media nocte dare. Id maturius facere metu vnius ex coniuratis, qui mutabat consilium, subacti fuêre. Igitur cum esset fax sublata exercitu nondum parato, raptis secum militibus ad triginta, & reliquis properè sequi iussis, cursu contendit ad mænia. Porta ei patefacta, adiunctisq; ad xxx. suos cetratis viginti simul atq; vrbem irrupit, sensit Selybrianos ex diuerso armatos inuehere se. Cum verò subsistenti nulla appareret salus, & ad fugam capessendam, in imperiis suis semper ad eam diem inuictus, esset ambitiosior: tuba silentio indicto præcepit vni ex astantibus pronunciare: ne Selybriani in Athenienses arma sumerent. Hoc edictū partim segniores fecit ad certamē, ratos omnes hostes intra mœnia esse, partim spe erecti ad pacificationē fuere. Dum inter cōgressos vltro citroq; verba fiunt, superuenerūt copiæ Alcibiadis. Cōijciens autem id quod erat non abhorrere à pace ciues, metuit ne vrbem Thraces diriperent. frequentes enim erant, qui Alcibiadis gratia & beneuolentia adducti strenuā præstabant in bello operā. Quare omnes eos emouit oppido, supplicesq; nihil violauit Selybrianos, sed exacto stipēdio & præsidio imposito discessit. At prætores, qui Chalcedonē circumsidebant, pepigerunt cū Pharnabazo fœdus hisce legibus: vt stipendiū præstaret,

&

Alcibiadis victoria ad Cyzicū.

Alcibiadis victoria ad Chalcedonem.

Alcibiades Selybriam capit.

Chalcedonē recipiunt Athenienses.

& Chalcedonij iterũ in ditionẽ cederent populi Atheniẽsis, ne fines Pharnabazi Athenienses incursarẽt: Pharnabazus Atheniensiũ legatis ad regem duces & fidẽ publicã daret. Postquã igitur postulauit Pharnabazus, vt reuersus Alcibiades etiã in fœdus iuraret: abnuit, ni prior ille iurasset. Iureiurãdo vtrinq; prestito mouit in Byzantinos, qui defecerãt, vrbemq; eorũ circumuallauit. Cum verò Anaxilaus & Lycurgus adiunctis quibusdã alijs vrbẽ recepissent ei pacta incolumitate tradere, sermonẽ dissipauit rebus nouis se circa Ioniam exortis reuocari: ac de die omni cum classe discessit. Nocte reuersus & cũ militibus armatis egressus in terram tenuit se silentio sub mœnibus. Naues in portũ inuectæ, & impressionẽ ingenti edito clamore, tumultu, & strepitu faciẽtes, simul re inopinata torpidos Byzantinos defixerũt, & sentiẽtibus cũ Atheniẽsibus liberũ spaciũ, quod omnes essent in portum & classem intẽti, Alcibiadẽ recipiendi dedere. Haud processit tamẽ res sine certamine. siquidẽ qui Byzãtij in præsidio erãt Peloponnesij, Bœotij, & Megarẽses naualem manũ auerterũt & redigerunt ad naues: cũ Atheniẽsibus, quos in vrbe senserãt esse, infesta acie manus cõseruerunt, atq; acri cõmissa pugna Alcibiades in dextero cornu vicit, Theramenes in sinistro. Hostes, quos Mars reliquos fecit, viui ad treceẽtos in potestatẽ venere. Byzantinorũ post præliũ nemo interfectus, neq; patria pulsus. His enim cõditionibus aperuerãt illi portas, atq; hęc receperãt, omnia sua vt ipsis salua forẽt. Quapropter proditionis Anaxilaus Lacedæmone postulatus, non deformauit factũ suũ oratione. negauit enim ciuẽ se Lacedęmoniũ, sed Byzantinũ: cũ nõ Spartã cerneret, sed Byzantiũ, in præcipitẽ casum adductum vrbe circũuallata, nemine quicquã importãte: cõmeatum, qui prę manibus esset, Pelopõnesijs & Bœotijs cõsumentibus, Byzãtinis verò cũ liberis & coniugibus esurientibus, non prodidisse hostibus: sed bello & calamitatibus exemisse patriam suã æmulãtem Lacedæmoniorũ excellentissimos, quibus vnum tantũ esset honestũ & iustũ, quod ex re sit patriæ. Grata fuit Lacedæmonijs oratio, illosq; iudicio liberauere. At Alcibiades iam visere cupiens penates, vel potius toties fusis fugatisq; hostibus videri affectãs à ciuibus, vela fecit. Naues Atheniensium vi magna clypeorũ & manubiorũ vndiq; adornatæ erant, magnũ agmẽ trahebat secũ captiuarũ, plura deportabãt concisarũ ab se & oppressarũ insignia, quæ ducentarũ omnes explebãt numerũ. Quę verò his Samius Duris, qui stirpẽ se ferebat Alcibiadis attexit, ad tibiã cum remos cõcitasse, classicos modulãte Chrysogono Pythionicè, hortatorẽ Callipedẽ fuisse tragœdiarũ histrionem statis, xistide, & reliquo cultu, quo prodire in scenã solitus erat, velatum: nauem prætoriam velo purpureo in portũ decurrisse, quasi vinosus comessabundusq; aduentaret: ea neq; Theopompus, neq; Ephorus, neq; Xenophon prodidit. Neq; illũ verisimile sit ab exilio & ærũnis tantis tam procaciter cũ Atheniensibus egisse in reditu. Imò etiam inuectus in portum timidè est: neq; cum in portu staret, prius ex triremi ascendit in terrã, quàm in foris consistens præstò videret cõsobrinum suum Euryptolenũ amicosq; atq; necessarios frequentes, qui prodirent ei obuiam, & inuitarent. Postquã descendit, reliquos duces ne aspicere quidem dignabantur homines, qui obuiã processerant: sed cõcursu ad illum facto plaudebant, salutabant, prosequebantur eum, coronis redimibant qui adire poterant: qui non poterãt, spectabant illum à longe, iuuenibusq; monstrabant senes. Multum etiam lachrymarum permixtum publicæ erat lętitiæ, & recordatio cũ his lętis rebus cladium superiorum: reputantibus ijs nõ futurum fuisse vnquam ab Sicilia vt decidissent, vel vlla ipsis alia elapsa spes fuisset, si ea tẽpestate imperium & exercitum reliquissent Alcibiadi: quando tunc, cum ciuitatẽ suscepit mari prope expulsam, terra vix suburdia tenẽtem, & domesticis distractam seditionibus, ex reliquijs excitatam exilibus atq; debilibus, non in pristinum modò maris restituerit imperium, sed terra quoq; hostiũ vbiq; victricem reddiderit. Ac lex antè de illius reditu perlata fuerat ex Critię Callęschri filij rogatione, vt ipse hisce elegijs commonens Alcibiadem beneficijs cecinit:

In cœtu populi dixi hanc, sententia quæ te
Cum plausu letum restituit patriæ.
Hæc est ad plebem per me ipsa rogatio lata,
Hoc tibi sit pignus, quod mea lingua dedit.

Ibi aducato ad concionẽ populo procedens Alcibiades, cũ suas defleuisset, deplorassetq; calamitates: populũ parũ & modicè castigasset, omnia autẽ malę fortunę suæ & inuido ascripsisset fato, plurimũq; de hostium spe disseruisset, & ad sumendum animũ incitasset eos: coronis aureis donatus est, ac terra mariq; imperator cũ libera potestate creatus. Sciuerunt etiã, vt res familiaris ei restitueretur, adhæc Eumolpidæ & præcones, quas fecerãt

Alcibiades recipit Byzantium.

Anaxilai fortitudo.

Alcibiadis honorificus in patriã reditus. Iustinus lib. 5.

Alcibiadis in patriam redeũtis, cautio.

Populi Atheniens. ad Alcibiadẽ visendũ, cõcursus.

Alcibiadi imperium delatum.

populi iussu, denuo expiarēt deuotiones. Quas cum expiarent cæteri sacerdotes, Theodorus: Ego verò, inquit, nihil in illius caput, si nihil remp. læsit, execratus sum. In hoc Alcibiadis secundo rerum cursu, conturbauit tamē nonnihil aliquos ipse reditus articulus.

Plynteria Mineruæ.

Quo enim est die in portum delatus, Plynteria Mineruę agebatur. Hęc sacra Praxiergidæ arcana vigesimo quinto die faciunt mēsis Thargelionis, omnemq́ ornatum deæ detrahunt, & simulachrum eius operiunt: unde hunc diem habet præcipue populus Atheniensis inter nefastos feriatum.

Alcibiadis reditus, malum omē.

Non volens igitur vel propitia visa excipere Minerua Alcibiadem, sed intecta facie auersari eum & reijcere. Verùm succedentibus Alcibiadi ex voto omnibus, dum complentur centum triremes, quæ profecturæ iterum ad bellum erant: cupido quædam oblata Alcibiadi non ignaua est, quæ tenuit eum vsq; ad mysteria. Nam vt munita Dicelea fuit, & infestam hostes, qua itur Eleusina, viā tenebant, nullam ceremoniæ, quæ per mare agebātur, speciē habebāt: sed prætermittebātur necessariò sacrificia, tripudia, atq; multa quæ in itinere agebantur sacra, cum Iacchū deducūt. Præclarum itaq; existimauit Alcibiades, & ad deorū religionē & ad hominū laudē, ut sacris veterē ritū restitueret: prosequēs terrestrib. copijs sacrū & præter hostes stipās.

Alcibiades mysteria restituit.

Siquidē Agim se maiorē in modū, si quiesceret, deiecturū & fracturū, aut sacrā & piā pugnā de sanctissimis & maximis ceremonijs in cōspectu patrię inituru, atq; oēs habiturū ciues virtutis testes suæ. Vbi hæc ei deliberata sunt, Eumolpidisq; & præconibus denūciauit, speculatores posuit in verticib. montiū, & lucis principiò certos antecursores præmisit. Sacerdotes, mystas, & mystagogos accipiens atq; armis tegens, ritè deduxit & sine strepitu, amplumq; exhibuit & augustum illius spectaculū expeditionis, quā appellabāt candidi Hierophantis & mystagogi functionē. Quia verò adoriri eum nullus ausus est hostiū, reductis in vrbē sacris, sustulit animos, præturamq; in eā euexit existimationē, inexuperabilis & inuicta vt haberetur suis auspicijs. Infimam verò & egenam plebem vsq; adeò illexit, vt nihil æquè atq; eum aueret tyrannum habere, dicerentq; nonnulli & eum adirēt hortantes: inuidiam opprimeret, plebiscita legesq; tolleret ac nugatores, qui euerterent Remp. quo citra calumniarum metum ageret, & res gereret. Atq; ille quidē, quid in animo habuerit de vsurpando dominatu, incertū est. Principes certè ciuitatis metu perculsi instituerunt, vt primo quoq; tempore conscenderet, decreueruntq; ei cùm alia, tum quos ei visum esset collegas.

Alcibiadis secunda expeditio.

Soluit igitur cum centū nauiū classe. Delatus Andrū, ciues & Lacedæmonios, quotquot se ei obtulere, cōcīdit: nō cepit tamē oppidū, quod quidē semen aduersus eum cōmuniū criminū prębuit aduersarijs. Equidē existimo Alcibiadē si quem vnquam, ab sua ipsius cōuulsum gloria.

Alcibiadem sua ipsius rerum gestarum gloria euertit.

Quæ ingens cum esset, audaciæ & prudētiæ eius ex rebus collecta preclarè gestis existimatio, suspectum eum reddebat, sicubi titubasset: quasi res sibi nō esset curæ, neq; cuiquā fides fiebat non potuisse. nā sedulò agentē nihil non valuisse arbitrabātur assequi. Expectabāt etiā Chiorum subactorū & reliquæ Ioniæ nunciū. Quare molestè ferebant nō cōfestim omnia, neq; euestigiò adferri transacta: non reputātes ærarij angustias, quib. bellū gerēs cum hominibus, quib. erat rex magnus præbitor, subinde haberet necesse relicto exercitu ad stipendiū proficisci, & ad cōmeatū explicādū: Etenim nouissimū crimē hinc emanauit.

Lysander dux Lacedæm. uicit Athenienses.

Quippe Lysander cum imperio ab Lacedæmonijs ad classem missus quaternos obolos pro ternis, ex subministrata à Cyro pecunia, nautis dabat in capita: hic verò cum ęgrè iā ternos suggereret, in Cariā ad pecuniā cōficiendā cōtēdit. Quē aūt præfecerat classi Antiochus, bonus quidē erat gubernator, cæterū vecors & licentior. Cui cum imperatū ab Alcibiade foret, etiamsi lacesserent eum hostes, ne prælio decertaret: eò prorupit proteruiæ & cōtemptus, vt cōpleta naue sua & altera præterea de classe, Ephesum infestus pergeret, & nauiū hostiliū proras cum ingenti petulātia factorū dictorumq; scurriliū præueheretur.

Alcibiadis gubernator Antiochus prælio nauali cæsus.

Hic primò Lysander paucis prouectus nauibus est, atq; eum insecutus. Atheniēsib. tota classe ei subsidio venientibus, soluit item suas ac potitus victoria ipsum interemit Antiochū, naues multas simul & capta cepit, trophæumq; excitauit. Ad eū nunciū regressus Samū Alcibiades, & cū tota classe in altū prouectus, prouocauit Lysandrū. Verū ille hac victoria cōtentus non mouit se.

Alcibiades premitur iterum calumnijs.

At ex ijs, quos habebat in exercitu Alcibiades maleuolos, Thrasybulus Thrasonis filius inimicus eius, Athenas profectus est ad eū criminādū: incēsisq; inimicis vrbanis eius, pro cōcione omnia dixit Alcibiadē perdidisse nauesq; amisisse, quod ageret insolētius in imperio: cui homines imponeret, qui ex cōpotationibus & nautica dicacitate plurimū apud eū posset, dū ipse ad pecuniā faciēdā liberè vagaretur, vinoq; & lustris cōfectus atq; inter scorta Abydena & Ionica in omnē proteruiā proiectus esset, hostib. in propinqua statio-

ne

ne agentibus. Obiecerūt item arcē, qua in Thracia prope Bisanthen munierat sibi receptū, quasi viuere in patria aut non posset aut nollet. Ita impulsi Athenieses prodita sua in illum ira & felle, alios legerunt prætores. Quibus cognitis percitus metu Alcibiades excessit in totū castris, cōscriptoq; externo milite, liberis Thracibus bellū suo nomine intulit. Magnam argēti vim ex præda coegit, simulq; finitimus Græcis securitatem præstitit à barbaris. Cum verò prætores Tideus, Menander, & Adimantus cunctas, quę tunc Atheniensibus erant, naues in Aegos flumine tenerent, atq; id haberent instituti, vt quotidie infesti peterēt Lysandrum, qui stationem habebat apud Lampsacū: sub luce lacessentes eum, inde retrò redirent, diemq; solutè & supinè traducerent per contemptum hostium: Alcibiades, qui in propinquo agebat, haud floccipependit id vel neglexit, sed equo aduectus incōmodam stationē docuit eos delegisse locis importuosis & oppido carētibus: è longinquo autē necessaria Sesto petere, & sinere socios nauales, cum in terrā descēdissent, quo cuiusq; animus ferret, vagos palari: cū classis ipsis obiecta staret ad vnius iussum imperatoris omnia facere obsequenter assueta. Hæc monēti Alcibiadi & ad traducendā Sestum classem hortanti, non auscultauerunt prætores. Tideus insuper contumeliosè, vt faceret, imperauit. neq; enim penes ipsum sed alios esse imperium. Ita Alcibiades suspicatus etiā nōnihil in ijs proditionis, abscessit & ad familiares, qui ex castris ipsum prosequebantur, dixit: nisi tā insigni cōtumelia esset affectus à prętoribus, paucis diebus cōpulsurū fuisse se Lacedæmonios, vt classe confligerēt cum ipsis, aut desererēt naues. Visus quibusdā id est ostētandi gratia iactasse, alijs dixisse cōsentanea: si Thracibus ex continenti immissis multis iaculatoribus & equitibus oppugnaret quateretq; eorum castra. nā peccata eum Atheniēsium res ipsa breui cōprobauit rectè peruidisse. Siquidē cū subitò hos & ex improuiso adortus Lysander esset, octo naues cū Conone solę effugerunt: reliquæ paulo minus ducentæ captæ atq; abstractæ. Tria millia capitum cepit atq; trucidauit Lysander, Athenas quoq; breui post in potestatē redegit, naues inflāmauit, lōgos muros diruit. Hinc Alcibiades formidine imperātium, terra iā mariq; Lacedæmoniorū, secessit in Bithyniam, magnamq; vim deportari curauit pecunię, magnā tulit secum, maiorē etiā in qua degebat arce reliquit. In Bithynia inde magna fortunarum suarum parte nudatus & ab illius loci Thracibus exutus, statuit ad Artaxerxē contendere: ratus nō deteriorem se Themistocle experimētum agēti regi probaturum & meliorē causa. Neq; enim aduersus ciues se vt illum, sed pro patria aduersus hostes operā suā pręstaturum, & postulaturum à rege opem. Facultatē itineris tuti imprimis cēsens Pharnabazum præbiturum, cōtendit ad eum in Phrygiā, egitq; apud eum: inuicem colens eum, & ipse honorificè habitus. At Athenienses ęgre ferebāt vel imperium sibi extortū. Vbi verò libertate quoq; ijs adēpta, triginta rectores Lysander imposuit vrbi: quę non venerāt in mentem, cùm esse possent incolumes, rebus iam profligatis perspexere, lamentantes cōmemorantesq; peccata & imprudētiam suam, quorum ducebant maximum alterā in Alcibiadem indignationem. Namq; proiectus fuit nihil ipse secus meritus: sed incensi in ministrum, qui paucas naues fœdè amiserant, fœdius ipsi præstantissimo bellicosissimoq; ciuitatem spoliauerunt imperatore. Adhuc tamen ex præsenti rerum statu spes quædam vtiq; affulgebat exulis, haud semel esse incolumi Alcibiade de rep. Atheniensē actū. Qui enim ante nō satis habuisset in ocio & quiete viuere exul, ne nunc quidem, si res saluę sint ipsius, eum Lacedæmoniorum superbiā & tyrannorū neglecturū contumeliā. Hęc non erat absonum plebē somniare: quādo triginta illis quoq; in mentē venit curā agere, sedulò explorare, atq; aduertere quid ille moliretur vel deliberaret. Postremò docuit Lysandrū Critias non posse Lacedæmonios, dum reip. arbitrium apud populum Athenis foret, securè imperium tenere: & vt placidè & patienter paucorū ditionē Athenieses ferant, acquiescere eos tamē rebus præsentibus nō permissurum Alcibiadē. Cęterum nō prius hęc Lysandrum mouerunt, quàm à magistratibus vrbanis est Scytala allata, quæ iuberet, vt Alcibiadē tolleret: siue illi quoq; solertiā eius & in rebus gerēdis felicitatē timuerūt, siue Agidis id dederunt gratię. Cū igitur misso nuncio Lysander ad Pharnabazū id ei mādasset exequēdum, atq; ille Mageo fratri & Susamithri patruo hoc facinus delegasset: agebat fortè Alcibiades in vico quodā Phrygię, eratq; vnà amica Timandra. Ei imago secundū quietē huiuscemodi oblata est. Visus est amicæ esse amictus amiculo, & in vlnis illa caput suū tenens faciē comere more fœminę, pigmentoq; & fuco illinere. Alij vidisse eū ferunt à Mageo se in somno obtruncari, & corpus suū comburi: atq; hāc fuisse ei speciē nō multo ante obitū obiectā aiunt. At illis, q misi ad eum fuerūt, nō fuit animus committere se in domū, vbi agebat: sed corona circūfusi succenderunt eā. Quare animaduersa Alcibiades vestes & stragula

Alcibiadi adimunt Athenienses imperium.

Alcibiadis salutare consiliū cōtemnūt Athenienses.

Athenienses ab Lysandro deuicti.

Alcibiades in Bithyniam profugit.

Lysander 30. tyrannos Atheniēsib. imposuit.

Atheniensiū sera pœnitētia.

Scytala Laconica.

Alcibiadis somniū ante necem. Valer. Max. li. 1. cap. 5.

Alcibiadis cædes.

Timandra Alcibiadem funerat. vide Aemyl. Probum.
Lais Corinthia meretrix.

plęraq; glomerata igni iniecit, ac lacerna sua circũ sinistrã intorta, dextra strictũ tenẽs gladiũ deiecit se in ignẽ, ex quo inuiolatus ante euasit, quã deflagrarẽt vestes, barbarosq; cõspectu suo dissipauit. Nemo enim prẽstolatus est cũ, neq; cominus cõgressus: sed eminus iacula & sagittas ingessere. Cũ ad eũ modũ cecidisset, & recessissẽt barbari: sustulit Timãdra cadauer, suisq; obuelatũ & inuolutũ tunicis ex præsenti copia splẽdidè & prolixè funerauit. Huiꝰ ferũt filiã fuisse Laidẽ, quę dicta fuit Corinthia, cũ Hiccaris Siciliæ oppidulo fuerit captiua abducta. Nõnulli in cæteris Alcibiadis fato his assentiũtur: authorẽ cædis tamẽ nõ Pharnabazũ fuisse, neq; Lysandrũ, neq; Lacedęmonios: sed puellã Alcibiadẽ nobilis loci pellectã in cõtubernio habuisse. cuius fratres grauiter cõtumeliã ferentes, domum in qua degebat Alcibiades, inflãmasse, atq; illũ se deiecisse, vt dictum est, & per ignem erupisse.

C. Marcius Coriolanus.

Marciorum familia.



ARCIORVM gẽs Romę inter patricios multos dedit claros viros, ex quib. Ancus Marcius fuit Numę ex filia nepos, qui post Tullũ Hostiliũ regnauit. Ex hac familia etiã P. et Q. Marcij fuere, qui magnũ & insignẽ aquęductũ Romę fecerũt: & Cẽsorinus, quẽ populus Romanus creauit iterũ cẽsorẽ. Postea illo suasore sanxerũt lege, ne quis eum magistratũ bis caperet. At C. Marcius, de quo hic agimus, sub matre eductus vidua, patre orbus: solitudinẽ docuit, etsi alijs sit obnoxia incõmodis, ad virtutẽ tamẽ & claritatẽ obtinẽdã nihil esse impedimẽto, quę alioquin occasionẽ prębet improbis ipsam culpãdi et insectãdi: velut incuria ipsos labefaciat. Idẽ hic testimoniũ perhibet illis, qui naturã arbitrãtur, si generosa sit & bona, deficiatur aũt institutione, sicut fœcũdũ agrũ, q cultus nõ sit, multa simul cũ virtutib. vitia edere.

Coriolani ingenium.

quã quidẽ robur & firmitas ad omnia eius mẽtis magnos extulit & valẽtes ad virtutẽ impulsus. Cõtra indulgẽs impotentib. iris, inflexibiliq; peruicaciæ, cõsuetudinẽ cũ hominib. eius præbuit neq; facilẽ neq; comẽ. Sed q eius aduersus voluptates, labores et pecuniam immotũ animũ extollebãt, nominabãtq; eã cõtinẽtiã, iustitiã, et fortitudinẽ: è diuerso in cõgressib. ciuilib. abhorrebãt vtã graui, tristi, & imperioso.

Musarum fructus.

Nullũ enim ex Musarũ placiditate ferunt mortales maiorẽ fructũ, q̃ quod ingeniũ doctrina & institutione molliat, vt amplectatur per doctrinã mediocritatẽ, & q̃d est immodicũ deponat. Omnino habebat illis quidẽ tẽpestatib. Roma præ cæteris virtutib. artes bellicas & militares in honore.

Virtutis vocabulum quid significet.

Quod cõfirmatur ex eo, q virtutẽ illi ab vno fortitudinis nomine deducũt: et cũ eo peculiari vocabulo fortitudinẽ nũcupẽt, cõmunis sit tamẽ generis appellatio. At Marcius ad certamina bellica supra alios ꝓnus, mox à puero arma tractauit. Nec verò esse vsq; usui cẽsens accersita arma his, natiua & genitiua qui nõ habẽt expedita atq; instructa: ita corpus ad omnis generis pugnã parauit, vt ad cursum agilis esset, et põdus haberet in prehẽdẽdo luctisq; bellicis difficile extricatu. Qui igitur cõcertationẽ cũ eo de magnanimitate & virtute habebãt, vbi succũberẽt, corporis eius causabãtur inflexibile robur, et nullo fatiscẽs labore.

Coriolani prima militia.

Prima stipẽdia fecit admodũ adolescẽs, quo tẽpore Tarquinio, qui regnauerat Romæ, deinde fuit expulsus, multis prælijs ꝓfligato & nouissimã iacienti aleã plerũq; nomẽ Latinũ, plurimi etiã alij Itali socia arma iũxerãt, & Romã moliebãtur reducere: non tã quod studerẽt illi, q̃ vt populi Romani incremẽta, quę suspecta habebãt & inuisa, detraherent. In hac pugna, quæ sæpius in vtrãq; partẽ variauit, Martius strenue dimicans in cõspectu dictatoris militẽ Romanũ, qui prope eũ fusus humi erat, nõ deseruit, sed protexit, inferentemq; se repulit & interfecit hostem.

Coriolanus corona ciuica donatur.
Coronæ quercæ honos.
Quercus præstantia. Liu. dec. 1. lib. 8.

Itaq; victoria dux potitus illum inter primos corona quercina donauit. Hæc enim ei, qui seruauit ciuem, de more datur: siue quercũ potissimũ in honore habuerint causa Arcadũ, qui Glandiuori sunt ab oraculo appellati: siue q facilis vbiq; sit ducibus huius copia arboris, siue sacrã Ioui vrbiũ præsidi coronã quercicã ritè dari seruato ciue cẽsuerint. Est aũt ferarũ arborũ quercus fertilissima, & vrbanarũ robustissima. Erat quoq; ex ea cibus glãs, & potus melitiũ. In obsoniũ etiã plerasq; feras & aues præbebat, ad capturã ferẽs viscus. Fama tenet visos in illa pugna Castorẽ & Pollucẽ, atq; mox à prælio manãtib. sudore equis cõspectos in foro nuncios victorię, quo loco propter fontẽ ædes eorum extat. Vnde diem victoriæ Idus Iul. Tyndaridis cõsecrauère. Atqui iuuenum animos tenuiter glorię cupidos claritas & honores, si delati maturè fuerũt, restinguũt, citoq; explẽt sitim eorũ & auiditatẽ: solida verò & firma pectora alũtur or-

Gloriæ studium in Coriolano.

namẽtis, illustrãturq; quasi vẽto ad ea, quæ putãtur bona, excitata. Nõ enim quasi mercedẽ accipiãt, sed pignus dẽt, deserere erubescũt gloriã suã, & nõ ijsdẽ factis eã superare. Eo

animo cũ esset Martius, ęmulationẽ sibi ipse proposuit fortitudinis, semṕq; recens contẽdẽs esse egregijs factis, decora decorib. coniunxit, & spolia cumulauit spolijs: effecitq; vt cũ superioribus insequẽtes imperatores de honorib. & laudibus suis certarent, quo illos superarent. Neq; certe, cũ sępius pugnatum ea tẽpestate à Romanis sit, complurá q; gesta bella, ex vllo sine corona vel donis est regressus. Virtutis alijs gloria finis erat, huic glorię matris gaudium. Nam vbi laudari ipsum illa audiuisset, & donari vidisset corona, lachrymásq; præ lætitia esset cõplexa: id summo sibi honori felicitatiq; ducebat esse. Nẽpe aiũt Epaminondã quoq; pręse tulisse hũc affectũ: qui, quod Leuctricũ suum ductũ & palmã pater & mater etiã tum superstites vidissẽt, in maxima reposuit felicitate sua. Cęterũ fuit in tantũ ille beatus, quod vterq; parẽs sit ei gratulatus, eiusq; fuerit particeps lętitię Marcius, matri se putãs patris quoq; vicẽ beneuolentiã debere. Volumnia nõ satiebatur oblectanda & colẽda. Vxorem instante illa & precãte duxit, atq; vno in tecto cum matre, natis sibi iã liberis, habitauit. Cum iã nomen esset eius in vrbe & opes ob virtutẽ ingentes, seditio inter senatũ, qui tuebaẽ opulentos exorta est & populũ, qui per q̃ se grauiter putabat opprimi à fœneratorib. siquidẽ mediocriter locupletes pignorationibus & auctionibus omnib. exuebant fortunis. Qui prorsus erãt inopes, eos ipsos ducebãt, et corpora tenebant nexa vulnerũ cicatricibus oppleta & confecta, obitis pro patria expeditionibus quarũ subierant nouissimã contra Sabinos: cũ ditissimi quiq; ostẽdissent se lenius cũ ipsis acturos, & ex senatus decreto spõsor consul M. Valerius intercessisset. Cæterũ cum in eo quoq; prælio egregia opa militũ enituisset, hostesq; cæsi essent, neq; quicquã remitterẽt tamẽ fœneratores, curia aũt dissimularet promissorũ meminisse, duciq; denuo ciues & pignora capi permitteret, tumultus verò inde seditioq; occuparet fœda ciuitatẽ, neq; motus populi hostes fefellisset, sed inducto exercitu fines Romanos vastarẽt, habẽtibusq; delectũ iuuentutis cõsulibus nemo respõderet ad nomẽ: tunc iterũ dissonę sentẽtię fuerũt magistratuũ. Pars subueniendũ censebant pauperibus, nimiumq; rigorẽ laxandũ iuris. Alij cõtrà senserũt, inter quos erat Marcius: nõ pecuniæ iacturę tantã rationẽ ducens, sed initiũ hoc esse procacitatis & cõtumaciæ insurgẽtis aduersus leges plebis. Id si saperẽt, vt opprimerẽt & extinguerẽt, hortatus est. Senatu his de rebus crebro paucis diebus habito, nec quicquã expediẽte plebs repentè cõspirans, ac sese mutuo cohortata excessit vrbe, et in montẽ, qui nũc Sacer appellaẽ, trãs Anienẽ amnẽ secessit. Quieti sine vlla violẽtia, tantũ vrbe se iam dudũ fremebãt pulsos: aera, aquã, locum suppeditaturã vbiq; ad sepulturã Italiã, quibus nihilo amplius sint colẽtes Romã habituri, q̃ vt pro diuitibus militãtes vulneribus cõcidantur & vitã profundãt. Id timẽtes patres ex maiorib. natu moderatissimũ queq; & maximè popularẽ miserunt ad plebẽ. Princeps legationis fuit Menenius Agrippa. Hic partim obsecrãs, partim senatũ defendẽs, in extrema oratione ad figurã peruulgatam fabulę delapsus est. Nam oẽs hominis partes cõiurasse ait contra ventrẽ, queſtas solũ ignauũ in homine & immunẽ quiescere, omniáq; illius queri auiditati ingẽti suo labore & ministerio: ventrẽ verò stultitiã earũ derisisse ignorantiũ recipere quidẽ alimentũ intra se omne, sed reddere id ex se & distribuere in alias. Eadẽ, inquit, ratio Quirites patrũ est vobiscũ. nã rectè atq; ordinè deliberata apud eos consilia cœptaq; omnibus vobis adferũt & dispertiũt vtilitatẽ atq; fructũ. In concordiã deinde cõcessum est, postulauerũtq; à senatu & obtinuerũt, vt quinq; viri crearẽtur, quibus auxilij latio esset, qui nũc tribuni plebis vocãtur. Primos creauerũt, quos seditionis authores habuerãt, *Iunium Brutũ & Siciniũ Vellutum. Ciuitate recõciliata plebs cõfestim arma cepit, & obnixè imperata ad bellũ fecit. C. Marcius quanquã nec ipse populi viribus elanguescẽte principũ potentia lætus fuit, pariterq; nobilitatẽ plerãq; vidit animatã, incitauit eã tamẽ ne cõcederẽt in defendẽda patria popularibus: sed incũberet, vt cognoscerẽt virtute potius ipsam quàm opibus antecellere. Porrò Volscorũ gentis, quibuscũ gerebant bellũ, caput Corioli erant. Quã vrbem cũ obsideret consul Cominius, reliqui Volsci trepidãtes, omnib. collectis viribus in cõspectu oppidi statuerunt cũ Rom. cõfligere, atq; duabus ex partibus eos adoriri. Aduersus id Cominius bipartito exercitu, extra inuadẽtib. Volscis ipse occurrit, & Titũ Lartium virum inter Romanos præstãtiss. reliquit ad obsidionẽ continuandã. Ibi contẽpto Coriolani castrorũ pręsidio eruptionẽ fecere, inuadẽtesq; Romanos primò superiores fuerunt, eosq; intra vallũ vsq; insequebãtur. Hic Marcius cũ modica manu procurrit, cæsisq; qui se primi obtulerũt, atque aliorum retuso impetu, Romanos alta voce ad repetendam pugnã vocauit. Erat enim, qualẽ esse Cato voluit militem, non manu tantum & gladio, verum & vocis contentione & obtutu vultus terribilis aspicienti hosti atq; intolerabilis. Concurrentibus multis & se ad illum aggregãtibus, receperunt se pauidi hostes,

Coriolani insignis in matrem pietas. de qua Val. Max. lib. 3. cap. 2.

Fœneratorũ acerbitas Romæ.

Plebs Romana in Sacrum montem secedit.

Liu. dec. 1. lib. 2.

Menenij Agrippæ oratio de cõcordia.

Tribunorũ plebis initiũ.

*Liu. habet C. Licinium & L. Albinum, ni mẽdosus sit locus.

Coriolorũ obsidio.

Neq; hactenus fuit cõtentus, sed tergis inhæsit eorum, & effusè fugientes vsq; ad portam egit. Ibi Romanos contẽplatus non vltrà persequi, hostem quod grando ex muris ingereretur telorum: neque, vt permixtus fugiennbus in vrbem virorum plenam bellicosorum armáq; tenentium irrumperet, substituere vllus animo auderet: institit tamen, hortatúsq; est, atq; incendit suos, patefactã vociferans à fortuna insectannbus magis quàm fugientibus portam.

Corioli oppidũ captum.

Cum sequi nisi pauci detrectarent, via per medios facto hostes magno impetu, in oppidum vnà cum hostibus irrupit: neq; quisquam erat primùm, qui restare vel ei se auderet obijcere. Vbi deinde perpaucos in vrbe animaduertit, qui præstò essent sibi & assisterent: inter medios socios simul & hostes agens, pugnam dicitur incredibilẽ manus prõptitudine, pedum velocitate, atq; ardore animi in oppido edidisse: fusisq; omnibus, in quos eum tulit impetus, partim in vltimas vrbis parteis extrusisse, partim re deplorata arma abijcientibus magnam cõmoditatem Lartio inducẽdi in oppidum Romanos dedisse. Ita oppido capto, dum plerique in eo sunt exhauriendo & diripiendo occupati, indignatus Marcius clamat rem indignam esse: si dum consul & qui cum eo sint ciues signis collatis fortasse cum hostibus dimicent, ipsi circumcursitent ad prædam, aut prædæ colore periculum declinent. Sed cum pauci parerent ei, quos prõptos videt, secum trahens pergit, quò processisse sentit exercitum, crebrò excitans agmen & adhortans ne elanguescat: crebrò deos precans, ne post prælium, verum tẽpestiuè adsit, quo certamen queat vnà cum ciuibus & periculum subire.

Testamentũ militare.

Moris erat id temporis in acie stantibus Romanis, cum iam sumpturi scuta essent & togam præcincturi, testamenta in procinctu facere, & tribus aut quatuor exaudientibus nuncupare hæredem. Id agentibus militibus Marcius, cũ hostis sub oculis esset, superuenit. Ac primus eius cõspectus cũ paucis cruore & sudore oppletis venientis iniecit pauorem. Cæterum postquam accurrit, consuliq; exultans dextrã porrexit & captam annunciauit vrbem, Cominius aũt complexus eum & osculatus est: omnibus, qui vel ipsum successum audiebant vel assequebantur coniectura creuerunt animi clamaueruntq;, pergeret & prælium cõmitteret.

Coriolani opera vincuntur prælio Volsci.

At Marcius percunctatus Cominiũ est, quemadmodum acies instructa hostium, & vbi robur eorũ esset locatum. Cum arbitrari se respondisset ille, quæ mediã aciem obtinerent, cohortes Antiatium esse longè fortissimas, neq; esse animo vllis inferiores. Ergo Marcius, Quæso, inquit, petóq; me vt hisce cum viris illis opponas. Id consul collaudato animo eius cõcessit. Vt hastis cœptũ est pugnari, prouolantis ante aciem Marcij vim non sustinuerũt, qui in fronte stabant Volsci: sed partem eam aciei ille, in quam intulit se, disiecit protinus. Inde cũ aciem hostes vtrinq; circũagerent, cingerentq; Marcium armis, metuens ei consul misit eò delectam, quam circa se habebat, cohortẽ. Hic acri circa Marcium coorta pugna, multisq; breui spacio cadentibus, instãtes valida impressione pepulerũt hostes. Ad quos insequendos conuersi laboribus & vulneribus grauẽ rogauerũt Marcium in castra vt se reciperet.

Fortis militis vox.

Ille responso dato, lassitudine confici nõ esse vincennium, hęsit in fugientiũ tergis. Succubuit & reliquus exercitus, magnáq; edita strages, multi etiam capti.

Marcio habiti honores. Valer. Max. li. 4. ca. 3.

Postridie Marcio accersito, cõuocatisq; ad prætoriũ reliquis, conscendit consul tribunal. Vbi dijs cùm tam ob multas res feliciter gestas meritas grates egisset, conuertit se ad Marciũ. Primum eum insignibus tulit laudibus, cũ partim illius virtutis ipse in certamine spectator fuisset, partim testis esset Lartius. Deinde ex omni pecunię, equorum, & hominum præda, quę erat ingẽs capta, antequã alij partirentur, iussit eum decimã partem sumere. Hoc amplius equũ ornatum ei virtutis causa donauit.

Coriolani continentia in honoribus accipiendis.

Cõprobante hoc exercitu, procedens Marcius equum ait se accipere, gratamq; sibi esse consulis cõmendationem: reliqua sicut mercedem non honorẽ repudiare, contentum fore virili prædæ portione. Vnam gratiã, inquit, præcipuam peto, quam mihi oro concedas. Hospes mihi in Volscis & amicus fuit vir bonus & probus. Hic captus est, atq; ex opulento & beato factus seruus: ei multis oppresso calamitatibus vnam sufficit demisse, ne sub hasta veneat. Ita fatum maior excepit Marcium acclamatio: plures q; fuerunt, qui inuictum eius aduersus pecuniam animum, quàm virtutẽ stuperent bellicã. Quippe qui nõnulla inuidia & ęmulatione in eximios eius honores affecti fuerunt, illis quoq; tunc, eo quod nõ caperet eos, dignus esse, qui magna caperet, est visus: atq; impensius sunt virtutẽ eius exosculati, qua tanta pręmia reijciebat, quàm eam, ob quam fuerat ea meritus. Pulchrius est enim pecunia quàm armis rectè vti, ac non desiderare pecuniã, quàm vti ea magnificẽtius.

Coriolani cognomen decernitur Martio.

Vbi clamor & strepitus conquieuit multitudinis, ita Cominius fatus est: Dona illa cõmilitones non potestis recusantẽ & inuitum, vt accipiat, cogere: sed quod hac de re repellere datum non valeat, id ei demus, cognoménque ei decernamus Coriolani: nisi in eo tribuendo res ipsa iam nos præuertit.

Hinc

Huic tertiũ nomen habuit Coriolani. Vnde liquet clarisſimè, ex nominib. propriũ fuiſſe Caium, alterũ familiæ vel genti cõmune Marcium, tertium ex facto fuiſſe aliquo pòſt vel ex caſu, vel figura, vel virtute impoſitum: ſicut tribuerunt Græci ex re geſta cognomen Soterẽ & Gallinicum, ex forma Phyſconẽ & Grypum, ex virtute Euergetem & Philadelphum, ex felicitate Eudemonem alteri Battorũ. Aliquibus regibus dederũt cauilla appellationem, vt Antigono Doſonẽ, & Lamyrum Ptolemęo. Largius ſunt hoc genere vſi Romani, ac quendam ex Metellis, quod diu in publico verſaretur fronte, in qua vlcus habebat, obligata appellauerunt Diadematum: Alium Celerẽ, quod paucis ab obitu patris diebus, munus funebre gladiatorũ mira celeritate maturauiſſet exhibere.

Nomina propria apud Romanos.

Cognomina vnde impoſita. Pli. lib. 18. ca. 3. Macrob. Saturn. li. 1. ca. 6.

Aliquos ex natiuitatis caſu: nunc quoq; vocant Proculum, ſi abſente editus patre ſit: Poſthumiũ, ſi defuncto: Geminis editis, ſi ſublatus alter ſit, ſuperſtitẽ Vopiſcum. Ex corporis nota non Syllas modo & Rufos, ſed & Cæcos & Claudios cognomina imponunt: probè aſſuefaciẽtes ciues, ne cæcitatẽ vel aliud corporis vitium probroſum ducant aut cõtumelioſum, ſed aures his vt proprijs nominibus accõmodent. Cæterũ pertinent hæc ad aliud ſcribendi argumentũ.

Seditio Romæ propter famem.

Vt bellũ conticuit, ſeditionẽ de integro excitauerunt populi duces, nulla quidẽ noua de cauſa vel iuſta offenſione: ſed quæ tumultibus eorũ ſuperioribus neceſſariò comitabãtur mala, horũ arripuerunt contra nobilitatẽ velamentũ. Incultis & efferatis agris, cum annonę facultatẽ aliunde cõparandæ tempora belli non permitterent, magna difficultas erat annonę. Quare videntes homines factioſi, neq; cõmercium frumenti eſſe, neq; ſi ſit abundare argẽto populũ: ſermonibus & calũnijs aſperſerunt locupletes veteri odio impulſos authores famis eſſe. Inter hæc legati Velitris aduenére, qui oppidũ dederent populo Romano, orarẽtq; vt mitteret eò colonos.

Velitras colonia ob peſtilentiam deducta.

Peſtilẽtia enim ita depopulata oppidũ erat, vt vix decima pars ſupereſſet ciuiũ. Viſa ergo prudẽtibus eſt percõmodè & in tẽpore neceſsitas oblata Veliternorũ: quia ea re ſubleuaturi annonę difficultatẽ erant, & ſeditionẽ ſe diſcuſſuros ſperabãt: ſi quod maximè turbidũ & à ſeditioſis erat incitatũ, velut tabidam vrbis colluuiem & turbulentã reieciſſent. Hos ergo conſules recẽſitos in coloniã miſerunt. Quo aũt ciuilibus mederentur tumultibus, cæteris delectũ ad bellũ Volſcicum indixerunt: rati in armis, caſtris, & cõmunibus periculis cõmiſtos pernicioſos & inopes, populares & nobiles placabiliores inter ſe & amiciores fore. Enimuerò hic intercedere Sicinius & Brutus ſeditioſi tribuni, rem ſęuiſsimã vociferãtes blandiſsimo nomine eos coloniã appellare, & homines pauperes tanquã in voraginẽ detrudere: cũ hos in oppidũ aeris inſalubris, & inſepultorũ plenam funerũ habitatũ ablegent, ſub alienis et infeſtis dijs: deinde nõ contẽtos partem ciuiũ fame necare, partẽ peſti obijcere, etiã bellũ vltrò quærere, vt ne qua calamitas abſit ciuitati, quoniã vltra ſeruire diuitibus abnuat. Huiuſcemodi orationibus populus impletus nec nomina edebat apud cõſules, & ſordebat ei colonia.

Coriolanus offendit populũ.

Hæſitante ſenatu tumidus iã faſtu Marcius, inflatus animis, & apud optimates ingens, propalã obiecit ſe tribunis. Et coloniã quidem deduxerũt, eosq; qui in ſortẽ venerũt, grauibus mulctis cõpulerunt migrare. Cũ verò nomina dare in delectu prorſus abnuerunt, ipſi trahẽs ſecum Marcius clientes ſuos & nonnullos alios quos induxit, agrũ Antiatẽ depopulatus eſt. Vbi magna vi frumẽti reperta, magna etiã abacta præda pecoris hominũq;, ipſe omnibus abſtinuit, ſed milites præda plenos & manubijs reduxit ad vrbẽ. Vnde cæteri pœnitẽtia ducti et inuidia aduerſus eos, qui abundabãt, infenſi erãt Marcio, eiusq; nomine & opibus, quaſi contra populum grandeſcẽtibus, offendebãtur. Pòſt aliquãto petijt Marcius conſulatũ. Hic multi demitigabãtur, & rubor populo erat, virũ nobilitate & virtute primũ tot tantisq; reb. geſtis ſuggillare & præterire. Nã de more petẽtes conſulatum rogabãt & prenſabant ciues togis in comitijs ſiue tunicis amicti: ſiue quo magis ea ſpecie ſummitterẽt ſe ad petitionẽ: ſiue quo ſubijcerẽt oculis, qui cicatrices habebãt, perſpicuas virtutis notas. Neq; eñ ex populi ſuſpicione largitionis & ambitus diſcinctũ volebãt & ſine tunica ad comitia progredi candidatũ. Serò enim & multis pòſt ſeculis nundinatio & redẽptio ſubijt, interueniitq; comitialibus ſuffragijs pecunia. Hinc iudicia & caſtra licitationibus conſtuprata, & armis argẽto expugnatis reſpublica in dominatum vertit.

Iudicia et ſuffragia qui primus corruperit.

Nam ſcitè profectò ille, quicunque dixit, primum euerſum populum ab iſto primo, qui primus epulis & largitionibus eum deliniuit. Cæterùm videtur occulte hæc peſtis & ſenſim obrepſiſſe, non ilicò erupiſſe in lucem Romæ. neque enim conſtat, qui Romę populum vel iudicium princeps pecunia redemerit.

Anytus Anthemionis F.

Athenis verò memorant Anytum Anthemionis precio deliniuiſſe principem iudices proditi Pylireus belli Peloponeſiaci exitu: quo tempore aureũ adhuc ſeculum & ſincerũ Romanũ forum tenebat.

Porrò

Porrò cũ Martius multas ostenderet cicatrices in multis acceptas prẹlijs, in quibus annos septendecim perpetuos, stipẽdia faciens tulerat palmã: verecundia eius virtutis constituerunt inter se eũ creare consulẽ. Postquam verò illucente die comitiorũ, Marcius in cãpum magno cũ fastu deducente ipsum progressus est senatu, atq; nobilitas præ se tulit omnis nihil ęquè sibi curę fuisse: plebs è diuerso deposita beneuolẽtia in illũ sua, ad offensum delapsi sunt & inuidiã. Accesit huic morbo metus, ne si vir de secta optimatũ & tãtę in nobilitate authoritatis esset consulatũ adeptus, populũ libertate exueret omni.

Coriolanus repulsam patitur consulatus.

Ergo his ità animatis tulit Marcius repulsã. Vt renũciati alij sunt, indignè rẽ senatus passus est, maiore cõtumelia se rati q̃ Marciũ affectos. At ille casum neq; modicè tulit neq; leniter, quod efferuescẽti & pręfractæ animi parti velut magnitudine præditæ & celsitate assueuisset indulgere: grauitate verò & lenitate, cuius pręcipuè debet esse, qui gerit rẽp. particeps, ex ratione & doctrina non cõduisset illã, & ignoraret solitudini contubernalẽ, vt dixit Plato, peruicaciã imprimis defugiendã esse ei, qui in rep. & cũ hominibus studet versari, atq; amplectendã, quæ magnopere à quibusdã deridetur, tolerantiam.

Plato in Epistola ad Dionem.

Cum esset aũt vniusmodi & rigidus, vincere verò atq; superare oẽs duceret prorsus opus esse virtutis, nõ imbecillitatis mollicieiq; ex insigni languore & ægritudine animi quasi tumorẽ iram germinantis, plenus perturbationis & fellis in populũ discesit. Iuuẽtus nobilitatis, quę in ciuitate maximè exultabat & enitescebat magnitudine animi, cùm semp Marcij mirificè studiosa fuerat, tũ eo tempore adhęrẽs ei & comitãs parum cõmodè, indignando eius vicẽ dolendoq; stimulabat irã. Erat enim eorũ in artibus militaribus, cũ in expeditionib. forent, dux & magister benignus, docẽs vt virtutis inter se æmulatione, cũ præclara facinora edidissent, citra inuidiã gestirẽt animo. Interea numerus magnus frumẽti Romã per Italiam coempti aduecta est: nec minor ab Syracusis Gelonis tyrãni dono. Vnde pleriq; bonã spem conceperant fore, vt simul cũ egestate cibariorũ etiã discordia ciuilis sedaretur. Confestim ergo coacto senatu circũfusus curiæ populus expectabat exitũ, sperãs tolerabili precio frumẽtũ, quod erat emptũ, se accepturũ, & donum partiturũ gratis. Quippe in curia erãt, qui id suaderẽt senatui. At Marcius surgens castigauit effusos in plebẽ acriter, ambitiososq; & proditores nobilitatis appellauit, perniciosa semina eos ferocię & insolentiæ in multitudinẽ iacta in semetipsos alere: quæ præstaret initio resecare oriẽtia, neq; rudimẽto populũ adeò valido confirmare.

Coriolani aduersus plebis insolentiam, oratio.

Eum iã horribilem quoq; hinc esse, quod omnia ad eius libidinẽ fiant, nec vllã ad rem cõpellantur inuiti, nec sint consulibus dicto audientes: sed sine imperio agẽtes duces suos magistratus appellẽt. Largitiones ergo & diuisiones, inquit, sicut apud Gręcos, vbi populi merũ est imperiũ, ignaui decernitis prorsus ad reip. internecionẽ, vt eorũ foueamus contumaciam. Neq; enim præmiũ ferent accipere se earũ, quas deseruerũt expeditionũ: vel secesionũ, quibus patriã reliquerũt: vel calũniarũ, quas receperunt cõtra senatũ: sed quia cedẽtes metu nos atq; assentãtes hæc tributuros & concessuros sperant, nullum finẽ facient rebellionis, neq; disidijs vel seditionibus tẽperabunt. Est itaq; insignis hæc insania. Quod si sapimus, extorquebimus plebi tribunatũ, qui consulatus est euersio, & diuisio ciuitatis non iam vt antè vnę, sed ita dissectę, nunquã vt coalitura sit post hac, nec consensura: neq; desituri nos simus ægrotare & inter nos tumultuari. Hæc atq; his similia cũ multa diceret Marcius, promptissimam habuit huius furoris iuuentutẽ sociam & locupletes penè oẽs: qui hunc vnum inuictum in ciuitate & liberum esse conclamarunt. At ex maioribus natu quidã rei euentum timẽtes improbabant id. Nihil autem consecutum est boni: nam tribuni, qui senatui intererant, vbi sententiã Marcij viderunt obtinere, eruperunt cũ clamore ad plebem vociferãtes, vt coirent & sibi opem ferrent. Cum streperet tumultu concio, dictis expositis Marcij parũ abfuit, quin ira flagrans irruperit in curiam populus. At tribuni Marciũ in crimen vocauerunt, & per viatores citauerunt.

Seditio Romæ ob Coriolanũ.

Quos ille cũ summouisset contumeliosè, ipsi accesserunt cum ædilibus vi vt eum abducerent. & iam manus inijciebat ei. Ibi nobilitas conspirans repulerunt tribunos, ædiles etiam pulsauerunt. Ac tunc quidem appetens nox tumultũ dissoluit. Prima luce populum consules cernẽtes exacerbatum & vndiq; in forum concurrentẽ, metuere de rep. cœperũt, aduocatoq; senatu deliberandũ proposuerunt, vt lenibus verbis & benignis decretis placarent & sedarent multitudinẽ: tẽpus id, si sapiant, de dignitate vel de honoribus non esse contendendi, sed anceps discrimen & praeceps facilitatem & humanitatẽ postulare senatus. Cum in eorũ sententiam frequẽtes trãsissent, progresi in concionẽ, populũ quàm humanissimè appellauerunt & demulserũt: diluentes leniter crimina, & modicè eos castigantes. De precio aũt annonæ & frumenti facile osten-

oſtenderũt inter ipſos conuenturũ. Vbi pars magna populi lenita eſt, modeſtoq; & quieto ſilentio gratã ſibi eſſe probariq; oſtendit conſulis orationẽ, exurgentes tribuni ſenatus moderationi populũ, quacunq; in re deceat, viciſsim prędicauerũt cedere: Marciũ verò iuſſerũt reſpõdere, nũ inficias eat ad pturbationẽ reip. & populi euerſionẽ cõcitaſſe ſenatũ: & cũ ab ipſis citaretur, nõ obtẽperaſſe, deniq; pulſatis contumelioſè in foro ædilib. ciuile bellũ, quantũ in ipſo erat, concitaſſe & in arma ciues coegiſſe. Ea iactauerũt, quo aut demitteret ſpũs ſuos Martius præter ingeniũ blandiẽdo: aut ſi ingeniũ ſequeretſ ſuũ, quod potius natura eius perſpecta expectabãt, iram aduerſus ſe populi excitaret implacabilẽ. Progreſſus eſt enim velut purgaturus ſe, populus aũt cum ſilentio ſtetit ac cõquieuit. Vt verò exorſus eſt apud homines orationẽ expectãtes deprecatoriã, non modo odioſa vti defenſionis libertate, maioreq; accuſatione q̃ libera defenſione: verũetiã vocis contẽtione & habitu oris intrepidũ animũ propè ad contẽptum vſq; & ſecuritatẽ præ ſe tulit: exarſit populus, nec diſsimulauit moleſtã ſibi eſſe & odioſã eius orationẽ. Ibi tribunorũ Sicinius violẽtiſsimus pauliſper cũ collegis collocutus, inde pro cõcione fatus eſt tribunos eũ rei capitalis dãnaſſe. Tũ imperauit ędilib. vt in rupẽ raperẽt eum, atq; inde in ſubiectã vallem ſtatim præcipitarẽt. Cum ædiles manus ei inijcerẽt, res viſa eſt vel plebis magnæ parti horrẽda atq; inſolẽs: Patricij verò amẽtes & anxij clamorib. tẽtare ei auxiliari, partim manibus etiam eos, qui Martiũ arripiebãt repellere, eumq; in cateruã ſuam recipere: partim manib. porrectis plebẽ orare. At cũ neq; oratione neq; voce in tãta confuſione & tumultu quicquã proficeretſ: quod aduertẽtes tribunorũ amici & familiares, nõ poſſe ſine magna nobilitatis ſanguine rapi Martiũ ad ſuppliciũ: ſuaſerunt his, vt ablata ſupplicij nouitate & indignitate, indicta cauſa ne eum occiderẽt, ſed mitterẽt populũ in ſuffragia. Tũ tranqllus Sicinius nobilitatẽ ſciſcitatus eſt: quoniã conſilio populi punitioni eximerẽt Marciũ. Illis contra querẽtibus: qua mẽte quóue cõſilio ciuẽ Romanũ nemini ſecundũ ad tã atrox atq; inuſitatũ ſuppliciũ inauditũ raperent. Atqui Sicinius, ne hanc, inquit, ſeditionis & diſsẽtionis cũ populo ſumatis ſpeciẽ, largitur vobis, quod flagitatis de eo vt cognoſcatur. Tibi C. Marci diẽ in trinũdinum ad populum dicimus, tũ innocentiã tuam probato. Eã conditionẽ nobilitas accepêre: ſatisq; habẽtes abducere Marciũ, abierunt. Interpoſito ante trinundinũ ſpacio (Nundinas enim populus Romanus nono quoq; die agit) ſpẽ ijs eludẽdi criminis bellũ cum Antiatibus dedit velut laxamentũ & tẽpus habiturũ, dum flacceſcẽte ira vel prorſus ſopita per occupationẽ & bellũ foret tractabilis populus. Verùm vt pace cũ Antiatibus breui cõpoſita ſunt reuerſi: anxij multa cõcilia patricij habuerũt agitantes, quẽadmodum neq; Marciũ proderẽt, neq; tribunis ex integro populũ concitãdi darent materiã. Hic Appius Claudius, qui infenſiſsimus plebi habebatur, teſtificatus eſt ipſum ſenatum ſe perditũ iturum, & rẽp. prorſus daturum præcipitẽ, ſi populo ferẽdi de capite patriciorum ſuffragij permitterẽt arbitrium. At maiores natu & qui præcipuè populares erant, non ſæuum neque acerbum cenſebãt, ſed lenem & benignum permiſſa poteſtate populum fore. Non enim cõtemnenti ſenatum, ſed contemni arbitranti hoc iudicium honori & lenimẽto futurũ: vt ſimul atq; fuerit in ſuffragiũ miſſus, offẽſam ſit abiecturus. Vt ergo aduertit ſenatũ Marcius hinc ipſius beneuolẽtia, hinc populi timore ſuſpenſum, ſciſcitatus ex tribunis eſt: Quo de crimine poſtulaturi ſe & ad diſquiſitionẽ eſſent populi vocaturi. Qui vt reſpõderunt regni affectati intẽtaturos ſe crimẽ idq; probaturos. Ibi exurgẽs: ipſe ad concionẽ, inquit, ad me purgandum pergã, neq; vllum genus notionis, neq; ſi conuictus fuero, ſupplicij recuſabo. Modo id, inquit, crimen deferatis, neq; imponatis ſenatui. Quod cũ recepiſſent, ea lege conſtitutum eſt iudicium. Concione aduocata hoc primum expreſſerunt, vt ſuffragia nõ centuriatim ſed tributim ferrentur: quo antè locupletes, illuſtres, & militares inopi, ſeditioſæ, & deploratæ multitudini darẽt prærogatiuam ſuffragiorũ. Deinde omiſſo regni crimine, quod doceri non poterat, illa recoxerunt dicta, quæ pridem iecerat Marcius in ſenatu, cum annonã prohibebat relaxari, & adimi populo tribunos ſuaderet: nouum inſuper crimen adiecerunt, prædæ partitionem quã ex agro Antiate captam non retulerat ad ærarium, ſed diuiſerat illis, qui cum ipſo militauerãt. Quo maxime dicitur perculſus Marcius fuiſſe, ſiquidem fuit id ei præter expectationẽ obiectum, neq; paratam ex tempore idoneã ad populum habebat defenſionẽ: verum laudãti milites ſuos obſtrepuerũt maiore numero illi, qui nõ militauerãt. Demum tribubus in ſuffragia miſsis, tribus dãnatoriæ ſuperauerunt. Pœna fuit damnationis perpetuũ exilium. Pronunciata ſentẽtia, qua damnatus eſt, nulla vnquã cæſis hoſtib. tãtos fecerat populo ſpiritus victoria, quantũ tunc exultãs & ouãs diſceſsit,

Coriolani in dicenda cauſſa cõſtantia.

Coriolano dies dicitur ad populum.

Coriolanus regni affectati accuſatus.

Coriolanus dãnatus exilio.

At

Ad senatum merus angor mœrorq́ tenuit dolentem & ingemiscentem, quod non omnem lapidem prius mouissent, quam tantam contumeliam & licentiam perpesi essent populi. Neq́ opus ad discrimē veste tunc vel alijs insignibus erat: sed statim patebat popularem esse, qui gaudebat, qui mœstus erat, patricium. At ipse imperterritus & infractus Martius, gestu, & incessu, & vultu cōstans, in omnium perturbatione aliorum nihil fortuna sua motus videbatur esse: nō ratione ille aut animi lenitate, aut quo casum suum ferret modicè: sed quod esset ira oppressus & indignatione, quam plerıq́ nesciunt ægritudinem esse. Cum enim velut flagrans in excandescentiam vertit, tunc demissionem hanc abijcit & ignauiā. Vnde strenuus videtur iratus: sicut febricitans calidus, quasi subsiliente inflatoq́ atque intumescente animo. Hanc affectionem suā Martius ilicò re ipsa ostendit. Domum enim profectus, postquam matrem & vxorem complexu salutauit, lachrymarum & eiulatus plenus eiulantes, atq́ vt casum suum ferrent moderatè, monuit: confestim digrediens ad portam est profectus. Quò à frequenti nobilitate deductus, nulla re accepta vel à quoquam petita comitantibus tribus aut quatuor clientibus excessit vrbe. Inde cum paucos dies in villis quibusdam suis varia consilia secum, qualia subijciebat ira, voluisset: non illa quidem bona vel conducibilia, sed quemadmodum pœnas expeteret à populo Romano, graue statuit ijs mouere & finitimum bellum. Primùm igitur solicitare instituit Volscos, quos florentes viris & opibus sciebat: superioribus cladibus haud tantum accisas vires eorum, quantum pertinaciæ & indignationis ratus accessisse. Erat Antij vir longè diuitijs, virtute & natalium splendore princeps Volsci nominis ac regiæ authoritatis, *Tullio Aufidio erat nomen. Hunc sibi præ cæteris Romanis certus erat esse infensum. Quia enim ex concertatione, vt iuuenum fortium gloriæ & æmulationes ferunt, crebrò inter dimicationes minis, prouocationibus, iactantijsq́ certauerāt inter se, priuatam publicè adiunxerant inimicitiam. Cum Tullij tamen celsitudinem animi nosset, & præter omneis Volscos occasionem captare eum infestandi vicissim Romanos, testimonium reliquit illi, qui ait:

Iræ vis.

*Accium Tulliū vocat Liuius, & Dionysius, li. 8.

Iræ repugnare arduum est:
Quidquid cupit, licetur vitâ.

Coriolanus confert se ad Volscos.

Sūpto enim amictu & habitu, quo minime, qui esset cognosceretur aspectu vt Vlisses, infestorum hominum est vrbem ingressus. Erat diei serum, multiq́ occurrerunt ei, sed nouerat nemo. Profectus domum ad Tullium, repente ad focum nullo sentiente penetrauit, ibiq́ tacitus sedit capite obuoluto nihil agens. Familia stupore defixa dubitauit excitare eum, quod aliqua & ex veste atque silentio eius eluceret maiestas. Narrant igitur Tullio iam cœnanti hoc monstri. Qui surgens adijt eum rogauitq́, qui esset, quidq́ petitum venisset. Ita Martius aperiens se & paulisper moratus: Si nondum, inquit, Tulli me cognoscis, sed nec aspectus facit tibi fidem, necessitas me delatorem facit mei ipsius. C. Martius sum, qui plurimas clades Volscis intuli: & quod non sinit id inficiari, cognomen circunfero Coriolani. Siquidē multorum sudorum & periculorum illorū præmium paraui nullum aliud, quàm inimicitiæ in vos testem appellationem. Hoc mihi intactum superest. Cæteris hinc populi inuidia & iniuria, hinc magistratuum & nobilitatis languore atque proditione spoliatus sum, pulsusq́ in exilium supplex ad focum tuū consedi, non securitatis causa & salutis. Nam mortem si horrerem, quid huc venirem? Verum persequi aueo pœnas ab ijs, qui me fecerunt extorrem: quas iam sumo, qui in arbitrium me contuli tuum. Itaque si animus tibi est hostes adoriri, age vtere iam Tulli meis calamitatibus, & infortunium meum in Volscorum verte prosperitatem. Hactenus verò pro vobis melius quàm contra vos pugnabo: quatenus pugnant melius illi, quibus consilia nota hostium sunt, quàm ignari. Quod si cecidisti animo, neque ducere ego spiritum aueo, neque tibi honestum sit incolumitatem præstare veteri inimico & perduelli, nunc segni & inutili. Vbi ea Tullius audiuit, ingenti est lætitia elatus, dexteraq́ ei data: Surge inquit, Marci, bonoq́ esto animo. Per enim commodè nobis cecidit, huc quod te contuleris. Tu à Volscis expecta maiora. Inde benignè Marcium inuitauit. Insequentibus diebus contulerunt inter se consilia belli. At ciuitatem Romanam nobilitatis aduersus plebem ex Martij potissimum orta damnatione exagitabat simultas. Ac multa prodigia aruspices, sacerdotes, priuati denunciauerunt haud contemnenda. Vnum hoc erat. Titus Latinus de plebe homo, quietus probusq́ alioquin & liber superstitione multoq́ magis vanitate. Huic somnium fuit: Visus Iupiter præcipere, iret, senatui denunciaret malum supplicationis præsultorem, quem miserant sibi displicuisse. Hoc ostentum sibi ait primum parum

Coriolani ad Tullium oratio.

Prodigia.

rum curæ fuisse. Vbi iterum ac tertium neglexisset oblatum, egregium filium se amisisse, corporisque repẽtino languore & debilitate correptũ. Hæc in curiam lectulo delatus expo suit. Quibus editis confestim conualescere eum corpus sensisse, surgẽtemque suis pedibus domum memorant reuertisse. Miraculo senatus attonitus diligenter de re quæsiuit. Fuit ea huiuscemodi. Seruum suum quidã alijs seruis tradiderat pręceperatque, ut cæsum flagellis medio agerent foro, inde interficerent. Hæc agentes & hominẽ verberantes varios flexus præ dolore motusque indecoros alios magnitudine cruciatus uoluentem supplicatio forte secuta est. Ea species minime iucunda, atque motus incõcinni multos pręsentium offenderunt: factum tamen nemo vindicauit. Maledixerunt tantum & diras imprecati sunt tã atrociter mulctãti. Etenim magna id tẽporis humanitate seruos prosequebãtur: & quia ipsimet obirent operas suas, & cõmunem cum illis vitam agerent, habebant eos benignius & familiarius.

Pœna seruorum Romanis, quæ.

habebatur autem punitio serui qui peccauerat, acerba: si lignum plaustri, quo sustentant temonem, circa viciniam portaret. Ita enim punitũ cum domestici & vicini vidissent, nullam habebãt deinceps ei fidem, appellabantque cum furciferum.

Furcifer vnde dictus.

Illud visum Latinus vbi patribus narrauit, atque illis ambiguum fuit, qui ille ludorum fuisset ingratus & malus præsultor: subijt nonnullis ob insolentiam supplicium serui illius, quem flagellatum per forum rapuerant, mox occiderant. Sacerdotibus id esse confirmantibus pependit dominus pœnas, supplicationemque deo ac ludos instaurauerunt. Videtur autem cùm cætera Numa sacrorum sapientissimus fuisse præceptor, tum præclare sane ad religionem hoc constituisse. Nam cum magistratus & sacerdotes quid rei diuinæ faciunt, antecedens præco magna voce clamat, Hoc age. Qua voce rebus diuinis iubent intentos esse, neque vllo opere eas vel negocio interpellare: quod pleraque mortalium coactu quodammodo & vi efficiantur. Sacrificia verò supplicationesque & ludos solent Romani non solum ex tanta occasione, sed ex minutula etiam instaurare.

Romanorũ superstitio.

Siquidem si vnus equus thensas ducentium clanguisset, itemque si læua manu prehendisset auriga habenas, supplicationem decernebant instaurandam. Secutis temporibus vnum sacrificium tricies instaurarunt, quod semper aliquid delicti vel offensionis interuenisse diceretur. Tanta religio erat erga deos populi Romani. At Marcius & Tullius principibus gentis adhibitis clam consultauerunt hortantes eos, dum occupati Romani domesticis seditionibus sint, vt arma ijs inferrent. Sed cum pudor hos deterreret, quod fœdus & inducias in biennium fecissent: speciem ipsi Romani prębuerunt, ex nescio qua suspicione vel calumnia inter spectacula & ludos iussis per præconem Volscis ante solis occasum vrbe excedere. Aliqui fallacia & dolo Marcij compositum, sunt authores. Misisse hunc ad consules Romanos falsò Volscos criminatum, in animo eos habere medijs ludis adoriri Romanos, & vrbem inflammare. Incendit hoc edictum omnes grauius in Romanos. Tullius autem rem exaggerans & exacerbans eis persuasit denique, vt missis Romam legatis agrum oppidaque bello Volscis adempta repeterent. Romani auditis legatis stomachantes responderunt, Priores arma Volscos capturos, Romanos posituros posteriores. Tullius ex inde omni nomine Volsco contracto, vt bellum decernerẽt, consuluit: & Marcium accirent, memoriaque obliterata offensarum, persuaderent sibi plus socium tunc allaturũ adiumenti, quam nocuisset hostis. Qui accersitus cum verba ad populum fecisset, nec minus facũdia quàm armis pollere eum & rei militaris peritum apparuisset esse, prudentiaque præcellere & audacia: deligitur collega addito Tullio dux belli cum libera potestate.

Coriolanus dux belli contra Romanos à Volscis creatur.

Qui cum timeret, ne tẽporis, quo se paraturi Volsci erant, longior propagatio rei gerendæ præcideret opportunitatem: reliqua primoribus ciuitatis & magistratibus contrahere & subministrare iussis, ipse prõptissimo quoque sine delectu inducto vt voluntarij sequerentur se, in fines Romanos repente præter omnium expectationem inuasit. Vnde tantum prædæ factum vt auferre eam & in castris non valerent consumere.

Coriolani in agrum Romanũ excursio.

Atqui nihil minus illa in expeditione, quàm prędam & agri vastationem morabatur: verùm cuius gratia hæc agebat, id magni ducebat, nobilitatem vt cõmitteret cum populo. Quippe fœdatis & proculcatis omnibus alijs, illorum prædia diligẽter tutatus est, nec lædi vel attingi permisit quicquam, quod esset eorum. Vnde querelæ inter eos & seditio exorta maior. Plebẽ criminata nobilitas est, quod virum tãtum in exilium egissent iniquè. Cõtra populus accusauit illos, quod odio inducti Marcium accersiuissent: & dũ pars altera vexatur bello, ipsi spectatores desiderẽt, qui opum & bonorum foris hostem suum habeant custodem. Eo Marcius patrato cum multum Volscis momenti ad audendum & despiciẽdum hostes fecisset, saluum reduxit agmen. Mox omnes Volscorũ vires

magna alacritate coière. Quæ cum essent ingentes, partim relinquere ad oppidorū præsidia statuerunt, reliquos ducere in Romanos. Optionem detulit Tullio Marcius prouinciarum. Tullius verò Marciū ait cùm nihilo se esse virtute inferiorem, tū fortuna omnib. in prælijs prosperiore vsum: ideo voluit foris eum exercitui præesse, oppidis mansurum se præsidio, atq; exercitui necessaria administraturum. Hinc magis Marcius confirmatus primum Circcios coloniam Romanā mouit, quam in voluntariam deditionem concedentem nihil læsit. Inde perpopulatus est agrum Latinum. Pro Latinis socijs, qui assiduè Romanorum opem implorabant, expectabat eos ibi dimicaturos secum. Verum quia languescebat plebs, & pauci dies supererant magistratus consulibus, quibus rem adducere in discrimen nolebant, ideoq; Latinos domum remiserant: ipsa oppida Marcius tandem aggressus est. Tolerienses, * Vicellenses, Pedum, adhæc Bolanos, cum mœnia defenderent, vi cepit, homines in prædam redegit, bona eorū diripuit. Qui adipsum desciuissent, horum magnam egit curam, atq; vt ne inuito quidem se aliquid paterentur detrimenti, quam remotissimè ab eorum finibus castra locauit, & ab agris eorum abstinuit. Postquam Bolas oppidum non plus duodecim ab vrbe millibus & quingentis passibus cepit, ingentiq; præda capta omnes propè puberes interfecit: & Volsci, qui ad præsidiū fuerant relicti vrbium, retineri non potuère: sed ad Marciū cum armis omnes concurrerent, vnicumq; & solum dicerent se illum ducem agnoscere, ingens erat eius per totam Italiam nomen, atq; immensa laus virtutis, quæ vnius migratione corporis rerū conuersionem tam nouam effecisset. Res erat Romana confusa. Prælio decernere abnuebant. Coniurationes quotidianæ & seditiosæ inter illos voces erant: donec Lauinium allatum est vallo ab hostibus clausum, vbi deorum penatium sacra deposuerant Romani, generisq; inde originem trahebant: quod condidisset primum illud oppidum Aeneas. Inde magna plebem & subita mutatio incessit sententiæ: perquàm autem absurda & importuna nobilitatem. Populus enim voluit Marcij damnationem antiquare, atq; reuocare eum in ciuitatem. Senatus habitus re in concilio deliberata id improbauit & interdixit: siue obsistere omnibus, quæ cupiebat plebs, contendit: siue alias illum beneficio populi redire noluit in patriam, siue etiam illum ipsum iam oderat, quod infestaret omnes non ab omnibus læsus, & hostem se declarasset patriæ: cuius sciret præcipuam & optimam partem vicem suam dolere, vnaq; secū esse violatam. Recitato pro concione senatusconsulto, populus suffragium inire & iubere rē vllam, nisi patres authores facti essent, haud valebat. Quo nunciato vehementius multo Marcius exasperatus omissa obsidione signa furibundus ad vrbem mouit, & ad * fossas Clœlias castra ad quintum ab vrbe lapidem posuit. Cum esset terribilis aduentus eius multùmque conciuisset perturbationis, seditionem tamē discussit in præsentia. Nemo enim iam multitudini repugnare, neque magistratus neq; senator de reditu Marcij audebat: sed cum aspicerent discurrentes per vrbem fœminas, in templis supplices, lachrymantesq; senes & precantes, omnia autem destituta animis & sanis consilijs: rectè populum animaduerterunt ad reuocandum Marcium animum appulisse: senatum verò longe, lateque errare, qui cum deponere iram & simultatem debuisset, tunc susciperet eam. Decernuntur igitur ad Marcium legati, qui reditum illi decretum nunciarent in patriam, pacemq; ab eo peterent. Missi ab senatu necessarij Marcij magnam expectabant ab eo ob coniunctionem & familiaritatem, in primo congressu comitatem, sed in cassum. Quippe per hostium castra ducti conuenerunt sedentem in cœtu & cum fastu intolerabili. Ibi in principum Volscorum concilio iussit eos, quid petitum venissent, edere. Qui benigna & placida habita modestáq; vt tempus postulabat oratione, cum finem dicendi fecissent: responsum reddidit qua de iniuria sibi illata atrox & iratum, qua de Volscis vt imperator oppida præcipiens agrumq;, quæ ijs ademerant bello, redderent ac lege lata Volscis ciuitatem vt Latinis darent, aliam nisi æquis & iustis conditionibus non esse stabilem pacem. Spacium ijs ad deliberandum triginta dies dedit. A digressu oratorum confestim recessit ex agro Romano. Hanc criminandi ansam nōnulli ex Volscis, quos iamdudum illius mordebat stimulabatq; potentia, primam arripuere. Ex his erat Tullius, non quod vlla ipse priuatim affectus iniuria esset: sed quod vitio mortalium communi laboraret. Torquebatur enim, quod gloria sua obsolesceret, & ipse despiceretur à Volscis, qui omnia in vno reponebant Marcio: cæteros autem volebant, quātum ipsis impertiretur ille authoritatis & imperij, in eo acquiescere. Hinc primæ querelæ proseminatæ in occulto sunt, conspirantesq; inter se & factum eius incusantes, proditionem vocabant illum receptum,

Coriolani in Romanos expeditio.

* Lauicos fortasse, vt est apud Liu. seu fortè Lauicanos legendum.

*Liu. fossas ciuilias habet, vel cluilias, nisi, quod suspicor mendum sit.

Legati ad Coriolanum de pace missi.

Volscorū in Coriolanum inuidia.

ceptum, non murorum aut armorum, sed temporum, quibus conseruari hæc & reliqua, & contrà amitti soleant, triginta dierum inducijs bello datis, cũ maiores vel minori spacio interuenire vicissitudines possent. Quamuis hoc spacium Marcius haud segne trãsegit, sed socios hostium circũuagans solicitauit, populatus est, atq; oppida septem magna frequentiáq; cepit. quibus tamen ferre Romani suppetias nõ fuerunt ausi. Ita obtorpuerant animi eorũ, & instar corporum plane obstupescentiũ & resolutorum erũt ad bellum moti. Circumacto tempore cũ iterum adesset cum omnibus copijs Marcius, alterã legationem miserũt deprecatum eum: deponeret offensionem, & reductis ex agro Romano Volscis faceret, proponeretq; ea quæ è re vtriusq; populi duceret esse. Meni enim nihil populũ Romanum remissurũ: siquid indulgendum arbitraretur Volscis, positis armis omnia assecuturos. Ad ea pronũciauit Marcius, nihil se vt Volscorũ ducem responsurũ, sed vt ciuem Romanũ adhuc monere & consulere ipsis, moderarentur animis suis, & intra triduũ redirent, atq; ęqua postulata sua comprobarẽt. Sin alia sententia sit, non vltra ipsis in castra cũ inanibus verbis tutum fore venire. Vbi senatus reuersis legatis relata audiuit, sicut in graui tẽpestate & fluctibus ciuitatis sacram anchorã iecit. Quotquot enim erant deorum immortalium sacerdotes, sacrifici, ęditui, augures, quod patrium ijs erat & antiquũ sacerdotium: hi omnes cũ insignibus, quibus vtebãtur de more in sacris, vt Marcium adirent decreuere, petitum & obsecratum: poneret bellum, ita de re Volscorum cũ ciuibus ageret. Hos castris quidem recepit, verum nihil cõcessit, nihil fecit vel respondit placatius: tantum vt prioribus conditionibus vel pacíscerentur fœdus, vel bellum gererent. Quibus regressis vrbe decreuerunt se tenere & tueri mœnia, itáq; impetum hostium repellere, spem in tẽporis tractu, potissimum & incertis reponentes fortunę: quãdo nihil ipsis salutare in mentem veniebat: sed tumultus, pauor, voces turbulentæ occupabant ciuitatem, quousque accidit quiddam illis, quæ identidem ab Homero referuntur, cui tamen non satis vulgus fidem adhibet, consimile. Cum enim ille magnis in rebus & temerè accidentibus dicat atque exclamet:

Altera ad Coriolanum legatio.

Sacerdotes et augures mittuntur ad Coriolanum.

Quomodo Deus mentes hominũ ad agendũ moueat.

Illi sug gessit rem oculos dea cæsia Pallas. Et,
Ast aliquis mentem populo deus abstulit, vt qui
Pectoribus famam inseruit.— Item,
Vel meditata facit, vel sic deus omnia iussit.

Contemnunt eum, quasi rebus impossibilibus & fabulis absonis sui cuiusque consilij arbitrio fidem abroget. Quod non facit Homerus, sed verisimilia & vsitata ratione effecta nostris asscribit consilijs, aitq; frequenter:

Ast ego consilium turgenti pectore cepi. Et,
Sic ait, at tristi mœrore affectus Achilles
Ambiguas hirto versabat pectore curas. Et alio loco,
—Sed non induxerat illa
Optima versantem prudenter Bellerophontem.

In rebus verò monstrosis & temerarijs, vbi impetus fanaticus & lymphaticus animus requiritur, non tollentem inducit deũ, sed mouentem volũtatis arbitrium: neq; impulsum infundentẽ, sed species impulsuum ductrices. Quibus actionem nõ efficit inuitis nouis, verum præbet liberæ voluntati exordium, & fiduciam vel spem addit. Aut enim adimenda semel dijs erit omnis causa & primordium nostrarum rerum, aut quę nam supersit ratio alia, qua iuuent mortales, & eorum adsint conatibus. Neq; enim corpus illi nostrum componant, neq; manus & pedes vt res requirit, versent: at agẽdi vim, quæ est in animis nostris, & voluntatem principijs quibusdam & visionibus atq; imaginationibus excitẽt, aut contra auertant, comprimantq;. Romæ interea mulieres partim per alia templa, pleræq; & nobilissimæ ad Iouis Capitolini aram supplices se abiecere. Inter quas Poplicolæ soror magni illius viri, qui rem Romanã multum belli domiq; promouerat, Valeria erat. Cæterum Poplicola, vt in illius historia commemorauimus, iam erat defunctus. Valerię, quod genus non deformare vita putaretur, celebre erat nomen, & in honore habebatur. Hæc repentè ita, vt dixi, mota atq; ex diuino instinctu, cum id, quod expediret, attigisset: surrexit, cæterasq; omnes excitauit, & perrexit domum ad matrem Marcij * Volũniam. Quam ingressa cum sedentem apud nurum inuenisset, & paruos Marcij liberos in sinu tenentem, circunfusa ei reliquarum corona mulierum: Nos, inquit, quas conspicitis Volũnia & tu Vergilia, fœminæ ad fœminas accessimus sine vllo senatusconsulto vel magi-

Deus initiũ motus voluntati præbet.

**Liuius appellat Veturiam.*

Valeriæ ad Volumniam Coriolani matrem oratio.

ſtratuum edicto: ſed deus vt arbitror noſtrorũ miſertus ſuppliciorũ incendit nos, vt vos adiremus oraremusq́ rem nobis ipſis quidẽ alijsq́ ciuibus ſalutarẽ: vobis verò, ſi nos audictis, glorioſiorẽ, quàm Sabinorum tetulerũt filiæ ex bello quę, amicitiam & pacem inter parentes viroſq́ conciliauêre. Agite dum, pergite vnà nobiſcũ ſupplices, ac date patriæ verũ hoc atq́ iuſtum teſtimoniũ: quanquã cladibus afflicta multis fuerit, nihil lęſiſſe eam vos tamẽ, neq́ iratè de vobis conſuluiſſe: imò vos reddere illi, etiãſi nihil impetratura ſit æqui. Sic fatam Valeriã aſſenſu ſunt cæteræ ſubſecutæ: quibus reſpõdit Volumnia.

Volũniæ ad matronas Romanas oratio.

Et cõmunium periculorũ mulieres in partem venimus, & priuatim male nobiſcũ agitur, quę Marcij perdidimus gloriam virtutemq́. Corpus quidem eius contẽplamur hoſtium armis cuſtodiri potius quàm cõſeruari. Extrema verò hæc nobis miſeria, ſi ita deſperata reſp. eſt, in nobis vt repoſitam ſpẽ habeat ſuam. Haud ſcio enim an nullam rationẽ ille ſit noſtri habiturus: ſiquidem nullã habet patrię, quam & matri & cõiugi & liberis prætulit. Veruntamen vtamini nobis, & adducite ad illum: ſi nihil aliud, in ſupplicijs pro patria emori poterimus. Inde pueros & Vergiliã ſecum trahens profecta eſt cũ cæteris matronis ad caſtra Volſcorum. Excitauit hæc earum miſeranda ſpecies etiam apud hoſtẽ verecundiam & ſilentiũ. Sedebat cum primoribus Marcius pro tribunali. Vt adeſſe mulieres vidit, cœpit mirari. Inde agnita vxore, quæ prima in agmine erat, conabatur obſtinationẽ & atrocitatẽ ſuam retinere. Cęterum ad illius conſpectum victus animo & conſternatus haud ſuſtinuit, vt adirent ſedentẽ: ſed propere deſcẽdit occurritq́, ac primum matrẽ perdiu oſculatus, inde vxorẽ ac liberos, nullum modum iam lachrymandi & complectendi eos fecit, ſed ſicut vndis motui animi permiſit ſe auferendũ. Vt his ſatiatus matrem velle ſenſit verba facere, adhibito Volſcorũ concilio audiuit hũc in modũ diſſerentẽ. Qualem conditionẽ domi tuum nobis fili exiliũ peperit, vt nos taceamus, ex veſte & miſerorũ corporum facie conijciens vides. Nunc tecũ reputa omnium nos calamitoſiſſimas fœminarũ adeſſe, quibus quod ſpectaculum eſſet iucundiſſimũ, fortuna horrendiſſimũ reddidit: mihi, vt filium: huic, vt virum patriam obſidentẽ cernat. Quæ verò cæteris rerum eſt alleuatio aſperarũ & aduerſarũ, vota vt dijs faciant, id nobis eſt implicatiſſimũ. Neq́ enim licet nobis & patriæ victoriam & tibi à dijs poſcere ſalutem: ſed quæ nobis inimici imprecentur, hæc noſtrę habẽt preces. Aut enim patria neceſſe eſt, aut te orbentur coniunx tua & liberi. Ego verò non expectabo vt fortuna me viua hoc decernat bellũ: verum, niſi induxero te, vt recõciliata gratia, cõpoſitiſq́ controuerſijs & offenſionibus vtriuſq́ partis benefactor ſis potius, quã peſtis alterius: ſic habeto, & ad id te cõpara, te patriã prius q̃ exanimem tranſcenderis genitricẽ tuam, non oppugnaturũ. Neq́ enim illa mihi operienda eſt dies, qua vel triũphari de filio à ciuibus, vel filium aſpiciam de patria triũphantem. Quod ſi abs te poſtulem, vt conſerues proditis Volſcis patriam tuam, difficilis fili & perplexa tibi deliberatio propoſita ſit. Neq́ enim perdere honeſtũ eſt ciues, neq́ fidem ſecutos tuam prodere iuſtum. Nunc exolui malis petimus, quod vtriſq́ pariter ſalubre, Volſcis honorificũ magis & pulchrum eſt: qui ob id, quod ſuperiores ſint, maxima dicentur nobis tribuiſſe beneficia, cũ non ſecus ea ipſi accipiant pacẽ & amicitiam. Quæ ſi ſecutæ erunt, tu imprimis fueris author: ſin minus, in ſolũ te culpa vtrinq́ conferetur. Bellũ aũt cum ſit incertum, hoc habet certi tamen, quod victori id ſupererit tibi, Paris vt patriæ ſis: victus verò cẽſeris per irã benemeritis & amicis fuiſſe maximarũ effector ærũnarum. Ita dicentem cũ audiret Marcius, neq́ vllum reſponſum redderet, iterũ Volumnia: Quid ſiles, inquit, fili? Irę ne & offenſioni omnia dare præclarũ eſt, turpe aũt matri de tantis rebus indulgere? An verò meminiſſe iniuriarũ magno eſt viro decorũ, merita erga filios parentum venerandis & colendis ijs penſare à præſtanti & bono viro eſt alienũ? Atqui nemini ita congruat referre gratiã, vt tibi, qui tam acriter perſequeris ingratitudinẽ. Et quidẽ à patria magnas iam pœnas recepiſti, matri verò gratiã retuliſti nullam. At erat imprimis pium citra neceſſitatẽ abs te oranti mihi tam honeſtam & iuſtã petitionem concedi. Si non obtineam, quid extremam ſpem extraho? Sic fata procubuit vnà cũ coniuge & liberis ad genua eius. Hic Marcius cum exclamaſſet: Quo me adegiſti mater? ſuſtulit eam, dextraq́ arctè preſſa: Victoria, inquit, lęta patriæ, mihi funeſta es potita: à ſolo enim ab vna te victus. His dictis pauliſper cũ matre & vxore ſeorſum collocutus, petentes eas remiſit retrò Romã. Nocte elapſa Volſcos reduxit non perinde neq́ pariter oẽs animatos: Alij enim & illum & factum eius improbabant, neutrum alij ad reconciliationem & pacem propenſiores. Nonnulli, etſi quæ agerentur culparent, non male ſentiebant tamen de Marcio, ſed veniam dandam machinis conuulſo tantis. Nemo autẽ obſtrepuit ei, ſed

Val. Max. lib. 5. cap. 4. Liu. li. 2. dec. 1.

Volũniæ ad Coriolanũ filium oratio.

Coriolani in matrem pietas.

Coriolanus reducit ab vrbe Volſcos.

omnea

omnes virtutis eius magis quàm imperij reuerētes secuti eum sunt. Populus verò Romanus quāta trepidatione perfusus vrgente bello fuerit, maiorē dedit eo defunctus significationē. Simul enim quoq; stationes, quæ in muris erāt, Volscos conspexerūt se recipientes, mox patefactis omnibus tēplis, quasi nunciata esset victoria, coronati victimas cecidere. Præcipuè gratia & honorib. quos patres populusq; vniuersus mulierib. habuerunt, illustris fuit gratulatio ciuitatis: cū ferrent & haberent illas palàm salutis fuisse authores. Senatus cū decreuisset, quicquid postulassent, quod ad ipsarum laudem & præmiū pertineret, id consules facerēt & præstarēt: nihil postulauerūt aliud, quàm vt tēplum fortunę muliebri ædificaretur, impēsas ostenderūt se collaturas, victimæ & reliqua, quę ad honorem deorū pertinerent, vt publicè præberetur.

Fortunæ muliebris templū Romæ.

Quā munificentiā cum collaudassent patres, & de publico tamen tēplum & simulachrū posuissent: nō eo min⁹ pecunia fœminæ collata alterū signum fecere. quod Romani memorāt in ęde locutū vocem misisse huiuscemodi: Pia me religione fœminæ dedicastis. Bis hanc vocē fabulanť auditā, monstris similia & abhorrentia à fide persuadētes nobis. Nam sudorē signa videri emanare lachrymasq;, & sanguineas quasdā stillas, nō sit impossibile. Ligna enim et lapides subinde sitū contrahūt, vnde gignitur mador. Varios etiā edunt sua sponte colores & accipiūt tincturas ex aere, quib. diuinitus aliquid nihil sane prohibeat portendi.

De simulacrorū sudoribus & vocibus.

Iā fieri queat, vt stridori muris et gemitui signa similē vocem reddant ex ruptura vel distractione partiū interiorū violētiore. Perfecta verò vox & sermo tā clarus, absolut⁹ & dilucidus ex inanimato nulla ratione fieri potest vt exeat: cū ne animus quidē nec deus citra corpus organicū & instructū congruētibus ad sermonē instrumentis queat vocē edere et disserere. At vbi historia multis nos & locupletib. vrgeat testib. similē sensui ibi statuendū est motū subeuntē opinandi vim, q̄ est in animo, inducere opinationē: quomodo in somno audire ea videmur, quę nō audiamus: & quę nō videamus, ea videre. Verūtamen q perquàm flagrāti ardote & amore persequūtur deū, atq; ideo nihil aspernari neq; respuere tale valēt, his diuinę potētię humanā sortē excedēs multū fidei facit maiestas.

Diuinæ potentiæ maiestas.

Nulla enim in re vsquā conditionē humanā repręsentat, nec natura, nec motu, nec arte, nec virib. ne quid si quid faciat, quod efficere nos nequimus, & molitur, quod nō valemus moliri, id absurdū sit. Imò vero qui in omnibus est absimilis nobis, multo maxime alius operib. & diuersus est. Verū res diuinæ magna ex parte, vt Heraclitus ait, prætereūt ex diffidentia nostram cognitionem. Porrò Marcium, postquā Antium ab expeditione est reuersus, perosus pariter & ob metū infestus Tullius tētauit mox p insidias sustollere: aduersus quē parem occasionē, hęc si effugisset, nō esset habiturus.

Coriolano Tullius insidiatur.

In quē cum multos cōcitasset subornassetq;: iussit ei abdicare se imperio & rationē gesti imperij Volscis reddere. At timēs Marcius imperatore Tullio, cuius maximè inter suos ciues opes essent, priuatus esse: Volscis ait se redditurū, si iuberent, imperiū, quod omniū iussu suscepisset: rationē ne tunc quidē recusare, si quis posceat Antiatiū, reddere. Cōuocato ad conciliū populo cōpositi concionatores quidā exurrexerūt, plebēq; inflāmauerunt. Verum cū surgēte Martio ardor tumultus reuerētia eius languesceret, & liberè dicendi daretur ei facultas, atq; optimus quisq; Antiatiū, & qui præcipuè ocio delectabātur, non dissimularēt benignè se audituros atq; æquè iudicaturos: veritus Tullius est Marcij defensionē. Quippe erat cū primis disertus, ac priora facta beneficentiā posteriore culpa habebāt maiorē. Imo crimē erat illud prorsus magnitudinis testimoniū eius beneficij. Neq; enim iniuria affectos arbitrati se fuissent, quia Romā non redegerant in ditionē, nisi per Marciū rem eò deduxissent. Igitur visum est nō vltra procrastinare vel tētare vulgus: sed qui in cōiuratione erant audacis s. non audiendū vociferātes proditorē, neq; permittendū, vt dominatū in Volscos vsurparet, nec deponere vellet prouinciā: globo facto trucidauerūt eum, neq; tulit ei quisquā assistentium opē.

Coriolani cædes.

Displicuisse plurimis rem cōfestim declarauerunt. Concurrerūt enim ex oppidis, & corpus eius honorificè extulerūt, monumentūq; decorarunt vt bellatoris & imperatoris insignis armis ac manubijs.

Funus.

Populus Romanus morte eius nūciata signum vel honoris vel irę in eum nullum aliud edidit: sed postulantibus mulierib. lugere eum, vt quæq; parentē, vel filium, vel fratrem solet, decem menses permisere. Hic luctus terminus erat longissimus, quē N. Pompilius, vt in illius vita recensuimus, definiuit.

Luctus ex Numæ lege.

At Marciū ilicò Volscorum res desiderauerunt. Primum enim certamine, quod cum Aequis socijs & amicis contraxerant, vtri imperatorē darent, orta seditio in vulnera & cædes erupit. Deinde ab Romanis fusi acie, in qua cecidit Tullius, & precipuus exercitus flos perijt, fœdam pacem accipere, qua in populi Romani ditionem fuerunt redacti & pacti imperata facere, sustinuerunt.

Tullij cædes.

ALCIBIADIS CVM M. CORIOLANO COMPARATIO.

Res ab vtroque gestæ.



REBVS horũ gestis, quæ dictu & cognitu digna putauimus, expositis, bellicas neutram in partem magnopere cernimus inclinare. Multa enim militaris audaciæ & virtutis excēpla, multa etiam artis & prudentiæ in imperio iuxtà vterqꝫ edidit. Nisi Alcibiadem, quod terra maríque perpetua victoria & secunda sit vsus fortuna, excellentiorem declarare ducem libeat. Nam habuit hoc vterqꝫ, quod quãdo præsentes fuerunt, & exercitui præfuerunt. resp. suas manifestè erexerint: & contrà manifestius depresserint, cum desciuissent. At actiones Alcibiadis domi illas nimium blandas, dissolutionisq́ꝫ & titillationis in ancillando plebi maculam detestabantur prudentes, è diuerso Marcij austeras, superbas, atqꝫ nimiũ pro nobilitate pugnantes, oderat populus Romanus. neutræ igitur commendandæ. Atqui popularis & obsequiosus inculpatior sit illis, qui quo alieni à populo colendo videantur, insultant ei. Turpe est enim ad potentiam assequendam assentari populo. Verùm potentia ex timore collecta & iniuria atqꝫ oppressione cùm fœda tum iniqua sit. Iam moribus constat candidum Marcium & apertum fuisse: vafrũ Alcibiadem in rep. tractanda & fallacē. Præcipuè autem improbitatem eius reprehendunt & dolum, quo Lacedæmoniorũ circumuentis oratoribus, vt author est Thucydides, pacem diremit. At enim hæc actio, licet implicauerit denuo ciuitatem bello, validam tamen atqꝫ formidabilem Mantineorum & Argiuorum societate

Alcibiadis et Coriolani mores.

Thucyd. lib. 7. & 8.

quam adiunxit ei Alcibiades, reddidit. Marcium quoqꝫ fraude cũ Volscis cõmisisse Romanos falsis criminibus onerando eos, qui ad ludos proficiscebantur, Dionysius memoriæ prodidit. Iam causa magis infame effecit factum. Neqꝫ enim ex contentione, neqꝫ ex ciuili pugna vel cõcertatione, sicut ille, sed iræ indulgẽs, à qua nullam ei ait Dion relatam gratiã, multas Italiæ partes concussit, multasq́ꝫ nihil merentes obiter, ob indignationē in patriam afflixit vrbes. Quamuis Alcibiades quoqꝫ ciuibus impellente bile multarum extitit machinator calamitatũ, vt primum tamē pœnitere cognouit eos, mollitus est: ac cũ iterum fuisset ab ijs repudiatus, non probauit prætorum errores, neqꝫ male cõsulentib.

Val. Max. lib. 6. cap. 5.

& periclitantibus cõniuit: verum factũ, quod erga Themistoclem præcipuè celebratur Aristidis, idem erga illos duces quãuis inimicos egit: quos adijt, indicauitq́ꝫ, atqꝫ docuit quid ex vsu esset. Marcius primum totam ciuitatem infestauit, cũ læsus nõ esset à tota, sed optima potissimaq́ꝫ pars esset vnà cum eo vulnerata, atqꝫ de eo doleret. Deinde multis legationib. et precibus cũ vnam procurarēt offensam ac dolorē, quia his inflexus nõ est neqꝫ dedit locũ: declarauit ad obterendã atqꝫ proruendam, non ad recipiēdam patriam & reditum sibi parandum, bellum se atrox atqꝫ inexpiabile concitasse. At hoc certe dicas esse inter eos discriminis. Alcibiades ex metu simul & odio Spartiatarũ insidijs appetitus ab ijs transijt ad Athenienses: Marcio Volscos, quem illi omnibus officijs prosequebantur, parum honestũ erat deserere. Siquidē dux creatus ab ijs fuerat, summamq́ꝫ acceperat cũ potentia fidem: non vt ille, quo abutebantur potius quàm vtebantur Lacedæmonij, cum oberrasset Spartæ, mox volutatus in castris esset, permisit demum se in Tissaphernis arbitrium: nisi sane redire cum cuperet in patriam, ne perirent funditus Athenæ, obseruauit illum.

Alcibiadis et Coriolani circa pecuniam, modus.

Atqui pecuniam Alcibiadem minus honestè mercenariam frequenter accepisse, & turpiter in luxum profudisse & libidines, literis proditum est. Marcium, vt caperet quod honoris causa dabatur, non induxerunt imperatores. Vnde in dissentionibus ciuilibus de ære alieno multitudini summo fuit odio: quasi non cõpendij gratia, sed per contumeliam & fastidium insultaret ipsis. Antipater autē in epistola quadam de Aristotelis philosophi obitu scribens: Inter cætera, inquit, vi præditus fuit ille ducēdi animos. Marcij verò res gestæ & virtutes, quod hoc claudicarēt vno, illis ipsis, de quib. bene merebatur acerbæ fuerũt: qui superciliũ eius, & solitudinis, vt Plato ait, peruicaciam cõtubernalem non tulerũt. E diuerso Alcibiadis, qui comiter agere cũ adeuntib. nouerat, nõ est mirum rerum ab eo pręclarè gestarũ florentem gloriam cum beneuolentia ciuiũ & honore fuisse fauorabilē. Quandoquidem etiã offensæ nõnullę eius sæpe acceptę illis fuerũt et delectabiles. Inde hic quanquã non modicis neqꝫ paucis incõmodis affecerat rēp. dux tamen prætorq́ꝫ identidē designatus est. Ille cum ob multa decora & strenuè facta legitimè ambiuisset consulatum, est præteritus. Ita superiorē ciues non poterant vel læsi odisse: alter hoc assequebatur, vt cum admirarentur eum, non amarent tamen. Enimuero nihil Marcius

cius reip. imperator præstitit, sed cõtra patriã hostibus multa. Alcibiadis benefacta & militis subinde & ducis sensit populus Atheniensis: ac præsens, quantum volebat, erat aduersarijs superior, absente eo valebant calumniæ. Martius damnatus à populo Romano præsens est, Volsci præsentem interemerunt, improbè quidem ac nefariè, colorem præbuit ipse tamen probabilem: quod cum publicè ad conditiones pacis non descendisset, priuatim adductus à fœminis odium hostile nõ sustulisset tamẽ, sed flagrãte adhuc bello tempora perdidisset & corrupisset. Decuerat verò de eorũ, qui ipsius secuti fidẽ fuerant, sententia se recipere, si maximam sui erga illos officij ducebat rationem. Sin nulla Volscorum cura tangebatur, sed vt iræ satisfaceret, intulit bellum, qua expleta id prosequi desijt: non matris gratia parcere oportebat patriæ, sed vnà cum patria parenti. Nẽpe pars erat & mater & cõiunx eius, quam oppugnabat, patriæ. At publicis obsecrationibus precibusque legatorum & supplicijs sacerdotum spretis, receptus matri condonatus, non generitricis honos, sed labes erat patriæ: quæ cõmiseratiõe & deprecatione vnius fœminæ causa est incolumitatẽ cõsecuta, velut indigna quæ cõseruaretur propter semetipsam. Inuidiosa igitur hæc & crudelis fuit atque importuna profectò gratia, neutramque in partẽ recta. Signa enim remouit nec cum assensu hostibus nec cum assensu sociorum: quorum fuit fons omnium austeritas, intolerabilis arrogantia & peruicacia, quæ sua sponte est vulgo tædiosa: consociata verò cum ambitione efferatur, prorsus atque intolerabilis euadit. Siquidẽ nec prensant, qui his vitijs contacti sunt, multitudinem perinde vt si non cupidi sint honorũ, deinde stomachãtur repulsam passi. Quippe supplicẽ se non præbere neque blandum plebi, id Metellus etiã & Aristides & Epaminõdas habuẽre: sed quod verè floccifacerẽt ea, quorũ erat in nutu posita populi delatio & ereptio. At in exiliũ pulsi decẽnale, repulsam passi, & dãnati sæpius nõ fuerũt infesti ciuib. insolẽtiæ eius causa: verũ amplexi eos sunt, vbi fuerũt pœnitẽtia ducti, & in gratiã redierũt cũ petẽtibus. Vt enim quisque minimè obsequitur plebi, ita minimè debet eã vlcisci: quod maxima offensio ob repulsam ex immodica nascatur gloriæ siti. Atqui Alcibiades honorib. delatis nõ ibat inficias duci se, & angi præteritũ. Vnde acceptus et gratus studebat esse ijs, quibus cũ agebat. Marcio verò vt coleret illos, qui prouehere eũ ad honores et augere poterãt, nõ permittebat superbia: irã aũt & ægritudinẽ incẽdebat neglecto ambitio. Atque hæc sunt, quæ in eo viro culpes: cætera sunt splẽdida omnia. Tẽperãtia & abstinentia cũ præstantissimis & innocentissimis Græcis, nedũ cũ Alcibiade hercle audacissimo in his et honesti securissimo sit cõferẽdus.

Alcibiadis & Coriolani in patriam animus.

Metelli, Aristidis & Epaminõdis de casu & bonitas.

Coriolani insignis cõtinentia.

NOBILI AC GENEROSO DOMINO, D. LAMORALO, PRINCIPI A GAVEREN, COMITI AB EGmont, Baroni à Baier, &c. Gubernatori Flandriæ & Artesij, Hermannus Cruserius S. D. P.



CVM hæsitarem mecum, clarissime Domine, cui potissimum traductas à me in linguam Latinam Themistoclis et Camilli vitas inclytorum ducũ, dedicarem: nemo potior occurrit, cui deferri id muneris deberet quam tibi. Meretur enim id hinc præclara virtus tua, hinc amicitia, quæ tibi intercedit cum illustrissimo Principe meo arctissima: multo autem maximè immortalia merita in regiones hasce omnes inferiores tua, quibus afflictas res nostras non solum recreasti, sed erexisti etiã iacentes, magnisque vulneribus medicinã fecisti, atque ingentes imminentium periculorũ discussisti nebulas. Themistocles grassantẽ in Græcia regẽ Persarũ Xerxẽ, qui vrbẽ Atheniensem excidit, prælio naualis superauit, Græcia exegit, vrbemque suã instaurauit, reddiditque eã longe quã ante excidiũ suum clariorẽ & pollentiorẽ. Camillus in exilium ab ingratis ciuibus suis eiectus Romam, quam ceperant inflammauerantque Galli, extorsit victoribus atque ab ijs liberauit, victores cõcidit, signa retulit amissa, vrbẽ nouã excitauit, reduxit in patriã ciues: eamque, quæ antè hostibus prædæ fuerat, spolys decorauit hostiũ illorum, à quibus fuerat disturbata. Haud aliter his proximis annis, cum Galli vehementer fines harũ ditionũ attriuissent, multa firmaque præsidia, et hic et in Italia, magna vi occupassent, quæ nõ magna spes erat recipiẽdi, tu animo fortissimo ita duab. ingẽtib. pugnis hostes cõtudisti, ita afflixisti et cõculcasti: vt tremuerit Gallia, putaueritque, secũ actũ præclare, si pacẽ acciperet, receptuque præsidijs tribus, ingentẽ numerũ occupatorũ restitueret. Quare dici meritò de te, quod dictũ fuit de Camillo, debet, retulisse te signa. Siquidẽ prælia illa omnis insecutæ fundamentũ fuerũt victoriæ. Hæc fanũ Quintini aperuerũt, hæc Hanũ, hæc Castelletũ: hæc denique vires & animos fregerũt Gallorũ. Hæ ergo palmæ, et salutẽ patriæ et nomẽ tibi pepererũt immortale. Nos verò, ad quos etiã eorũ triũphorũ fructus redũdauit, colere te & celebrare debemus. Porrò fons, vnde ista præclara facta scaturiũt,

fortitudo eſt animi, quã peculiariter appellauerũt Latini virtutẽ. Huius eſt propriũ nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere: nihil quod homini accidere poſsit, intolerãdũ ducere. Ex tali animo profecta ſunt omnia, quæ geſsit Themiſtocles, Ariſtides, Poplicola, Camillus, Fabritius, duo Decij, Scipiones Africani, Paulli. Neq; eſt virtus alia vlla quæ maiorẽ ſplendorẽ & gloriã conciliet. Hæc enim eſt illa, quæ nõ modo à ſe, ſed & ab alijs propulſat iniuriã. Licuit Herculi lautè viuere ocioſo & ſecuro, licuit & Theſeo quietè regnare Athenis. Verũ inducti hi ab animi magnitudine, contempto luxu & deſidia, cõtemptis etiam periculis, perſecuti ſunt oppreſſeruntq; eos qui vbiq; erãt improbos homines & violentos. Licuit verò etiam tibi amplis frui paternis & maternis opibus inerti: at maluiſti ad gloriã eniti, atq; pro patria in labores & diſcrimina te demittere. Quẽ animũ vt tibi ſecundet deus, & ſucceſſum ad cõſequentia tribuat, opto. Ita enim ſecura erit ab inſultibus hoſtilibus patria, & læta frui poterit pace. Neq; erit hæc tibi infrugifera opera: omnis enim ætatis te conſequentur laudes. Ego verò pro virili hac cõmentatione honorare nomen tuum volui: quod meum ſtudium, vt boni conſulas, valde te clariſsime Domine rogo: Vale. Campus.

Themiſtocles.

Themiſtoclis genus.



HEMISTOCLES obſcurioribus ad gloriam natalibus fuit. Patrẽ enim habuit Nicoclẽ minus clarũ ciuẽ Athenienſem, Phreariũ curia, tribu Leontide. Genere materno nothũ ferunt, vt oſtendũt hi verſus:

Abrotonum ſum Threſſa quidem, Græcis tamen illud
Dico Themiſtoclem me genuiſſe decus.

Cæterùm Phanias Themiſtoclis matrem Carinã, nõ Threſſam, neq; Abrotonũ, ſed Euterpẽ prodidit nominatam. Neanthes prǽterea patriã ei Halicarnaſſum Cariæ attribuit. Quapropter cũ nothi in Cynoſarges coirẽt, (gym-

Cynoſarges gymnaſiũ Herculis.

naſiũ id Herculis eſt extra mœnia: quod nec ille iuſtus deus, ſed nothus ex genitrice eſſet mortali) induxit nõnullos Themiſtocles ex nobilitate iuuenes, vt ſe in Cynoſarges comitarẽtur, ſecumq; vngerẽtur. Quare callidè videtur nothorũ & legitimorũ ſuſtuliſſe diſcri-

Themiſtocles diſcrimẽ legitimorũ & nothorũ ſollit.

men. Cæterũ de ſtirpe fuiſſe cũ Lycomedarũ in aperto eſt. Nã ſacrarium apud Phlyẽſes, quod Lycomedarũ cõmune erat, hic incẽſum à Barbaris, vt author eſt Simonides, inſtaurauit, tabulisq; ornauit. Cõſtat puerũ etiamnũ ardoris animi plenũ fuiſſe, indole ſapientẽ,

Themiſtoclis indoles.

ſtudio ad res magnas propẽſum, natumq; ad rẽp. tractandã. Nã quod remiſsionis & ocij à literis diſcẽdis dabatur, id nõ puerorũ more aliorũ per luſum & oſcitantiam terebat: ſed inueniebãt orationes cũ ſecũ meditantẽ & componentẽ. Argumentũ orationũ illarũ accuſatio erat aliqua, vel defenſio puerorũ. Itaq; præceptor dicere ſolebat: Tu nihil fili eris mediocre, ſed omnino vel magnũ lumẽ vel peſtis. Quippe etiã diſciplinas morales, vel ad voluptatẽ vel vrbanitatẽ exquiſitas, ſegniter & lẽte arripiebat. Quæ verò de prudẽtia vel actibus rerũ tractarẽt, eas præſeferebat prǽter ætatẽ, velut ingenio ſuo fretus, nõ aſpernari. Vnde poſtmodũ cum derideretur ab ijs, qui videbãtur liberalibus & vrbanis exculti exercitijs, cõpulſus eſt arrogãtiore reſpõſo ſe tueri, lyræ ſe aptãdæ tractãdi'ue pſalterij eſſe rudẽ: ſed vrbẽ quã paruã accepiſſet & obſcurã, claram & magnã reddere, id ſe tenere. O-

Themiſtocles Anaxagoræ & Meliſsi auditor.

ſtẽdit Steſimbrotus tamẽ Anaxagoræ fuiſſe Themiſtoclẽ auditorẽ, ac Meliſſo phyſico operã dediſſe. Sed tẽporibus errat. nã cõtra Periclẽ, qui multo fuit Themiſtocle minor, cũ obſideret ille Samũ, Meliſſus prætor defendit eã: Anaxagoras autẽ cũ Pericle vixit. Credendũ ergo illis potius, qui Themiſtoclẽ ſcribunt Mneſiphili Phrearij fuiſſe aſſeclã. Fuit

Mneſiphilus Phrearius.

hic nõ orator, neq; ex ſecta philoſophorũ, quos phyſicos nominãt: verũ eã quã ſapientiã vocabãt, quæ ſciẽtia erat reip. gerẽdæ, & prudẽtia negocioſa, amplexus eſt & tenuit velut ſectã ex ſucceſsione Solonis: quã ſequentes cũ artibus confuderũt forenſib. & ab actu rerũ traiecerũt meditationẽ ad verba, vnde ſophiſtæ ſunt appellati. Cæterũ ad hũc, cũ iã ac-

Sophiſtæ ũde dicti.

Themiſtoclis iuuentus.

ceſsiſſet ad remp. applicuit ſe. Primis iuuentutis motibus varius fuit & verſatilis, ſolumq; ſuum ſequebatur ingenium, nullis excultum literis vel diſciplinis. Vnde magnas illud vtrãq; in partem faciebat inſtitutorũ vitæ viciſsitudines, declinabatq; crebrò ad deteriorẽ: quod poſtea ipſe confeſſus eſt, ferociſsimos pullos iactans, vbi recte docti & formati fuerint, generoſiſsimos euadere equos. Quas verò hic nonnulli attexunt fabulas, abdicatum à patre fuiſſe, matrem ex pueri infamia dolori imparem conſciuiſſe ſibi mortem, fictas arbitror. Et contrà ſunt, qui dicant reuocantem eum à rep. gerenda genitorem oſtendiſſe ei in littore maris veteres triremes abiectas & deſpectas: quod pariter aduerſus duces ſuos gerat ſe populus, cum fructum vltra ex ijs non capiat. Atqui maturè & acriter

eum

eum negocia publica appareat illexisse, & impense occupasse gloriæ cupiditatem: qua ab initio statim impulsus ad ambiendum primatum graues substitit cum potentibus in rep. & principibus inimicitias: præ cæteris cum Aristide Lysimachi, qui semper ab eo dissentiebat. Et quidem videtur eius cum hoc simultas iuuenile rudimentum habuisse. Amauit vterque, vt Ariston philosophus scriptum reliquit, formosum Stesilaum Cea oriundum. hinc fuit perpetuum inter eos & de rep. dissidium. Verumtamen vitæ & morum videtur dissimilitudo eam exaggerasse distractionem. Nam Aristides cum mansueto ingenio & probis esset moribus, neq; in rep. gerenda quicquã gratiæ populi daret vel gloriæ seruiret suæ, sed omnia ad honestatem cum securitate & iustitia coniunctam dirigeret: non poterat facere, quin incitanti ad multa populum, ingentesq; res nouanti Themistocli, quo incrementum eius reprimeret, subinde repugnaret.

Themistoclis et Aristidis simultas.

Dicitur amore gloriæ inflammatus adeò insano, & rerum perpetrandarum magnarum præ ambitione fuisse: vt iuuenis planè, cum aduersus barbaros pugnatum apud Marathonem esset, & res gestæ celebrarentur Miltiadis, cerneretur cogitabundus plerumq;, noctes exigeret insomnes, & consuetas compotationes intermitteret, diceretq; percunctantibus & stupẽtibus vitæ suæ vicissitudinem, somnum sibi adimere Miltiadis trophæum.

Themistoclis ambitio.

Reliqui enim calcem belli arbitrabantur esse cladem ad Marathonem barbarorũ, Themistocles verò certaminum exordium maiorum: ad quæ se ipse accingebat assiduè ad Græciam protegendam, impendentiaq; longe prospiciẽs ciuitatem exercebat.

Themistoclis dictum.

Ac primũ vectigal Laureoticum ex argenti metallis partientibus de more inter se Atheniensibus, solus sustinuit ad populum ferre, vt hac omissa diuisione triremes ea pecunia ad bellum Aegineticũ armarẽt. Hoc enim vigebat in Græcia maximè, obtinebantq; numero nauium Aeginetæ pelagus. Qua de causa eos facilius induxit. neq; Dariũ vel Persas (nam aberant hi procul, nec pro certo timebant venturos) ostentauit: verũ ciuiũ in Aeginetas acerbitate & æmulatione abusus in tempore est ad apparatum. Siquidẽ ex ea pecunia centũ triremes, quæ cum Xerxe depugnauerunt, paratæ sunt. Mox deducens & detrahens paulatim ciuitatem ad mare, quasi terra ne cum paribus quidẽ cõparari valerẽt, viribus aũt naualib. cùm barbaros reprimere, tum Græciæ possent iura dare: pro statarijs peditibus, vt ait Plato, nauticos eos & pelagicos homines reddidit, præbuitq; ansam sui calumniandi, lancea & clypeo Themistoclem ciuibus extorto populum Atheniensem scalmo et remo alligasse. Hoc designauit victo, vt tradit Stesimbrotus, Miltiade, qui opposuerat se ei. Hisce rebus syncerum statum & purum reip. polluerit necne, id spectet ad philosophos fortasse disquirere. nam illo certè tempore allatam Græciæ ex mari incolumitatem, atq; vrbem Atheniensem quæ fuit deleta, fuisse à triremibus erectã cùm alia tum ipse testatus est Xerxes. Quippe legionibus adhuc integris terrestribus, vt victus nauali est pugna, tanquam impar hostibus consciuit fugam: Mardoniumq;, vt equidem censeo, magis ad sustinendos à persequendo se Græcos, quàm ad subiugandos reliquit.

Themistocles inducit Athenienses ad triremes parandas.

Quærendæ pecuniæ oppidò fuisse eum intentum alij ob munificentiam affirmant. Cum enim assiduè immolaret, atque in excipiendis esset splendidus hospitibus, magna facultate pecuniæ eum opus habuisse. Alij contrà nimias sordes exprobrant & malignitatem eius, vt qui etiam missitata cibaria venundaret. Cum à Phillide, qui equos alebat, pullum flagitasset, deneganti minitatus est breui se domum eius ligneum equum effecturum: obscurè significans crimina se familiaria & lites ei aduersus quosdam necessarios misturum.

Themistocles quærendæ pecuniæ intentus.

Cupiditate gloriæ omnes superauit mortales. Itaque iuuenis etiamdum & nouus, maximis precibus ab Epicle Hermionensi citharista, quem magno in honore Athenienses habebãt, vt artem exerceret apud se, contendit: id cupiens, frequentes vt domum suam quærerent & celebrarent. Ad solemne Olympiacum profectus, cum conuiuijs, tabernaculis, reliquoq; nitore & apparatu certaret cum Cimone, offensionem concitauit in se Græcorum. Nempe illi quidem ea concedenda & iuueni & nobili putabant. At hic nouus homo, qui indignè supra fortunas suas tollere spiritus videbatur, etiã insolentiæ incurrit crimen.

Themistoclis ambitio.

Victor quoq; fuit choragus certãtibus tragœdis, quo tẽpore hi ludi erãt ingẽtis studij & cõcertationis. Cuius victoriæ tabulã dedicauit cũ hac inscriptione· Themistocles Phrearius choragus erat, Phrynichus docebat, Adimãtus præsidebat.

Themistocles victor certaminis tragœdorum.

At erat plebi acceptus, partim quod omnes ciues nominibus suis salutaret sine nomenclatore, partim quod integrum iudicẽ prẹberet se in cõtractib. Ac Simonidi Cio aliquid iniqui ab ipso prętore postulãti respondit, nõ fore ipsum bonum poetam, si præter modos caneret: nec se, si præter leges quid largiretur, magistratũ probatũ, Alio tẽpore deridens Simonidẽ insanire dixit eum:

Themistocles acceptus plebi.

quod

quod Corinthijs, qui magnam incolerent vrbem, conuitio proſcinderet: cum ſibi imagines faceret, qui tam fœda eſſet facie. Cum opes eius aſſurgerent, & eſſet populo gratus, tandem Ariſtidem inuidia ei conflata & factione ſua oppreſsit, atq; in exilium decẽnale exegit. Poſtquam petijt iam Græciam Medus, conſultantibus de imperatore Athenienſibus, fama eſt cæteros periculi magnitudine deterritos vltrò petitionẽ imperij abieciſſe: Epicydem verò Euphemidis filium concionatorem, hominem diſertum quidem, ſed animo imbellem & venalem, competitorem imperij ei fuiſſe & omnium opinione obtẽturum ſuffragijs, Temiſtoclem proinde veritum, ne omnia peſſum irent, ſi eſſet prætor iſte deſignatus, vt abſtineret à petendo, nummis ab Epicyde redemiſſe. Commendatur item factum eius in interpretẽ, qui cum regis legatis venerat ad terram & aquam poſtulandam miſſus. Illum enim ex plebiſcito comprehenſum necauit, quod ſermone Græco mandata edere barbarorum fuiſſet auſus. Iam illud de Arthmio zelite. Huic enim & liberis progenieiq; eius, quod aurum à Medis ad Grecos deportaſſet, ex Themiſtoclis ſententia eſt infamia irrogata. Maximum fuit omnium, quod bella Greciæ inteſtina extinxerit, contentioneſq; eorum diremerit mutuas: ſuadens, vt ſuſpenderent belli cauſa ſimultates. Qua in re egregium ſocium habuiſſe memoratur Chileum Arcadem. Suſcepto ducatu extemplò parauit ciues in naues imponere, authorq; ciuitati fuit, vt deſerta vrbe quam remotiſsimè à Græcia occurrerẽt Barbaro claſſe. Ceterum reclamantibus multis, eduxit in Tempe cum Lacedæmonijs ingentes copias, vt eo loco defenderent Theſſaliam nondum cum Medis vt putabant, ſentientem. Sed cum illinc eſſent re inſecta reuerſi, & Theſſalorum ad regem defectione omnia in parteis Medorum ad Bœotiam vſque diſceſsiſſent: tunc conſilium de mari Themiſtoclis cœperunt probare Athenienſes. Ita mittitur cum claſſe ad Artemiſium, vt fauces illas tueretur. Hic Græcis Eurybiadi & Lacedæmonijs deferentibus imperium: Athenienſibus autem, quod nauium numero reliquos vincerent fermè vniuerſos, derrectantibus alijs parere, perſpiciens Themiſtocles diſcrimen, cùm ipſe ceſsit Eurybiadi imperio, tum Atheniẽſes placauit: recipiens iis, ſi ſe viros fortes præbuiſſent in bello, effecturum ſe, vt Græci vltrò ſummam rerũ ipſis eſſent in poſterum delaturi. Quare apparet potiſsimam cauſam eũ Græciç fuiſſe ſalutis, & precipue ad gloriam Athenienſes prouexiſſe, vt qui virtute hoſtibus, ſocijs antecelluerint facilitate. Vt vetò claſsis Barbarorum Aphetas applicuit, expaueſcens multitudinem Eurybiades frontem obtinentium nauium, aliaſq; accipiens ſupra Sciathum ducentas circumuehi: ſtatuit quàm ocyſsimè in interiorem Græciam ſe recipere, & quamproximè tenere Peloponneſum, atq; ſic claſsi pro ſubſidio terreſtres copias circumfundere: quod vires regis maritimas cenſeret inſuperabiles. Hic metuentes Eubœi, ne à Græcis deſererentur, miſerunt cum ingenti ſumma pecuniæ Pelagontem ad colloquendum occultè cũ Themiſtocle. Quam vbi ille accepit, dedit eam, vt tradit Herodotus, Eurybiadi. Cum autem ex ciuibus reluctaretur ei Architeles, qui ſacrç nauis erat trierarchus: pecuniæ verò, quam præberet ſocijs naualibus, inops properaret ſe cum naue ſubducere, incendit in eum vehementius Themiſtocles ciues, vt concurſu facto cœnam eius diriperent. Quare attonito Architeli, ac grauiter id ferenti mittit in ciſta Themiſtocles panem & carnes in cœnam, ſubijcitq; argenti talentum in fundo, adhortans vt in præſenti cœnet, & poſtero die ſocios nauales curæ habeat. Sin minus, laceraturum oſtendit ipſum ſe ad ciues, quaſi nummos ceperit à Barbaris. Hæc Leſbius Phanias memorat. Prælia quæ id temporis inita cum Barbarorum claſſe fuerunt, non magnopere decreuerunt ad ſummam belli: ſed ad experientiam magno fuerunt Græcis momento, re ipſa doctis in ipſo diſcrimine neq; numerum nauium, neque ſpeciem vel ſplendorem inſignium, neque inſolentes vlulatus, aut barbaricas cantilenas, viris cominus congredi doctis, atq; ad dimicandum animatis horribiles eſſe: verum oportere iſtis contemptis ipſa petere corpora, collatiſq; manibus aduerſus illa dimicare. Quod intelligens Pindarus rectè de pugna ad Artemiſium commiſſa videtur dixiſſe:

Cecropidæ clarum libertatis poſuere fundamentum.

Quippe pars eſt audacia victoriæ. Artemiſium autem Eubœæ eſt ſupra Heſtiçam ad Boreã expanſum litus: cuius ex aduerſo maxime eſt ex ditione, quæ paruit Philocteti Olizon. Fanum habet non amplum Dianæ Orientalis cognomine. Ei eſt lucus circumiectus, & cingunt pilæ lapide candido coactæ. Lapis, ſi manu confricetur, colorem & odorem repræſentat croceum. Earum pilarum in vna hæc carmina ſunt inciſa:

Diuerſas Aſiæ gentes certamine quondam

Naudi

Marginal notes:

Themiſtocles pellit Ariſtidem in exilium.

Themiſtocles Athenienſium dux aduerſus Xerxem.

Themiſtocles ſalutis Græciæ autor.

Artemiſiũ littus.

Nauali hoc fudit ventiſono in pelago
Victor Cecropidum populus, Mediſq; peremptis
Dictynna hæc poſuit clara trophæa tibi.

Monſtratur huius littoris locus, qui ex multa circumiecta arena cinereum puluerem & atrum ex imo edit velut aduſtum, vbi naufragia & cadauera putantur cremaſſe. At nunciatis ad Artemiſium, quæ apud Thermopylas acta fuerant: vbi ceci diſſe didicerũt Leonidam, & Xerxem tranſitus terreſtres obtinere, retrò conceſſerunt in Grçciã claudentibus agmẽ Athenienſibus, atq; ob virtutem ex rebus geſtis maiorem in modum animos ſuſtollentibus. Præteruehens Themiſtocles orã, vbi appulſus nauiũ hoſtiliũ neceſſarios & receptacula videbat, incidit in lapidibus, quos partim ibi inuenit temerè iacentes, partim ipſe in locis ſtationi & aquationi idoneis poſuit, magnas literas: quibus obteſtabatur Ionas, vt ſi poſſent, ad ſe tranſirent ipſorum genitores & propugnantes pro ipſorũ libertate: ſin minus, Barboros vt in prælijs fatigarent turbarentq;. His ſperabat effecturũ ſe, vt aut deſciſcerent Iones, aut concirentur in ſuſpicionem apud Barbaros adducti. Porrò cum eſſet Xerxes ex ſuperiore Doridis tegione in Phocidem digreſſus, oppidaq; Phocenſiũ flamma deuaſtaret: non tulerunt Græci ſuppetias, licet orarent Athenienſes, vt ad arcendum à terra Attica bellum in Bœotia occurrerent, ſicut ipſi obiecerant ſe ad Artemiſium. Verùm cum audiret eos nemo, ſed reſpicerent Peloponneſum, omneſq; vires molirentur intra Iſthmum contrahere, & murum de vno mari in alterum ducerent: ibi ſimul ob proditionem exarſerunt Athenienſes, ſimul mœſtitia & angor deſertos ſollicitauit. Nã cum tam innumerabilibus legionibus nõ erat ſententia conferre ſigna. Vnũ reſtabat neceſſarium, vt in præſentia vrbe relicta naues amplecterentur. Accipiebat id plebs moleſtè: quod aris fociſq; relictis neq; victoriam deſiderarẽt, neq; viderent ſalutẽ. Hic Themiſtocles ad inducendam multitudinem humanis deſtitutus conſilijs, ſicut in tragædia machinam erigẽs prodigia cœleſtia & oracula admouit ijs. Oſtentum mutuatus eſt à dracone, qui per eos dies non fuit in adyto viſus: & libaminibus, quæ ei proponebantur quotidie, integris repertis ſacerdotes enunciauerunt pro concione, dicendi poteſtate ijs à Themiſtocle facta, dereliquiſſe Mineruam vrbẽ, & ducem ſe ciuibus ad mare præbere. Iam oraculo populum tractauit, nihil aliud docens muro ligneo quàm naues oſtendi, atq; idcirco nominari diuinam à deo non miſeram neque infelicem Salamina: vt à qua cognomen apud Græcos ingens eſſet palma tractura. Vbi ſententia eius comprobata eſt, ſcribit plebiſcitum, vt vrbs fidei Mineruæ populi Athenienſis præſidis concrederetur, iuuentus naues conſcenderet: liberis, coniugibus, ſeruitijs incolumitatem, quã quiſq; poſſet, expediret. Rogatione perlata pleriq; parentes & coniuges Trœzenen deportauerunt deponendos, quos receperunt Trœzenij benignè. ſiquidem ſciuerunt ijs publicè alimẽta binis in ſingulos obolis die prçbitis: & pueris poma vt liberũ eſſet, vnde liberet, ſumere: merces inſuper præceptoribus eorum ſolueretur. Hoc plebiſcitum Nicagoras ſcripſit. Cum verò difficultate rei nummariæ laborarent in publico Athenienſes, Ariſtoteles author eſt curiam Areopagi militibus in capita octonas drachmas diuiſiſſe, eamq; potiſsimam fuiſſe cauſam complendę claſsis. Verum Clidemus & hoc quoq; Themiſtoclis aſsignat conſilio. Nam deſcendentibus Pirçeum Athenienſibus in ſimulachro Mineruç deſideratam ait fuiſſe ægidem. Themiſtoclem igitur, cum ſpecie quærentis excuteret omnia, immenſam vim pecuniæ inueniſſe in impedimẽtis abditã. Qua in medio poſita abundaſſe claſsiarios milites viatico. Conſcendente ciuitate alijs ſpectaculũ hoc miſerationem, miraculum alijs audacię mouit, parentes aliò dimittentium, ipſorum autẽ immotorũ ad eiulatũ lachrymaſq; & cõplexus parentũ, qui in illã inſulã tranſmittebant. Iã multi ciues, qui ob grauẽ ætatẽ relinquebãtur, miſerabiles erant. Præterea erat ex mãſuetis & domeſticis animalibus cũ latratu & deſiderio aſſectãtibus cõſcendentes altores ſuos permouẽs oblectatio. Inter quę Xantippi canis refertur patris Periclis, nõ ferens diſiũgi ab eo, in pelagus inſiliſſe, ac iuxta triremem eius natans tenuiſſe Salamina: vbi deficiẽs, ſtatim expiraſſe. cuius eſſe monumentum dicitur id, quod monſtratur hac quoque memoria, & appellatur Canis ſepulchrum. Atque hæc quidem præclarè Themiſtocles. Adhæc teneri ciues animaduertens Ariſtidis deſiderio metuq;, ne indignatione ille permotus converteret ſe ad regem, ac res Græciæ euerteret, (quippe oppreſſus à Themiſtoclis factione ante bellum & datus in exilium fuerat) ſcribit plebiſcitum, permitti ad tẽpus exulantibus reditum in patriam, vt agant & conſulant cum alijs ciuibus, quæ è Rep. Græcię forẽt. Habebat autem Eurybiades ob dignitatem Spartæ imperium ad claſſem.

Themiſtoclis ſtrategema.

Ligneus murus naues.

Themiſtoclis ſuaſu Athenienſes vrbẽ relinquunt.

Trœzeniorũ in Athenienſes benignitas.

Canis Xãtippi.

Canis ſepulchrũ.

Ariſtides reuocatur ab exilio, Themiſtoclis decreto.

Qui

Qui languidus ad periculum cum inde ſoluere & cõtendere ad Iſthmũ, vbi terreſtres copiæ conuenerant Peloponneſiorũ, intenderet, reclamauit ei Themiſtocles, quo tẽpore peruulgata illa perhibetur dixiſſe. Nam cum Eurybiades diceret ei, In ludis Themiſtocle eos qui maturius exurgunt, cædunt alapis: Sane quidẽ, inquit Themiſtocles, at nec moratores donãt corona. Cum baculum ille ſuſtuliſſet ad pulſandum ipſum, Themiſtocles: Feri, inquit, ſed audi tamen. Eam moderationẽ ſtupẽte Eurybiade iubenteq; vt diceret, reduxit eum ad meliora conſilia Themiſtocles. Cum verò iactaret quidam eum, cui vrbs non eſſet, non recte docere alios, qui haberent, patrias ſuas deſerere & prodere: retorta Themiſtocles ad eum oratione, Nos quidem, inquit, ſceleſtè tecta & muros, ne in ſeruitutem redigamur rerũ cauſa ſurdarũ, dereliquimus, & tamen vrbs eſt nobis omniũ Græciæ ampliſsima ducentæ hæ triremes, quæ hoc tempore vobis, ſi ſalutem ab ijs quæritis, ad auxilium ſunt præſtò. Qui ſi iterum deſtitutis nobis vos ſubduxeritis, iamiam aliquis ex Græcis audiet Athenienſes & ciuitate libera & agro haud illo, quem amiſerunt, potitos deteriore. Sic fatus Themiſtocles ſuſpicionem & formidinem iniecit Eurybiadi, ne Athenienſes ab ipſis deficerent. Cum Eretrius quidam dicere cõtra eum intenderet: Nũ vos quoq;, inquit, dicere quid de bello vultis, qui ſicut loligines gladiũ habetis, cor nõ habetis. Dum ita diſſerit Themiſtocles, in foris ex ſuperiore loco nauis perhibent quidam viſam fuiſſe noctuam ad dexteram claſsis volantem, atq; in antennis conſidẽtem. Quod potiſsimum in cauſa fuit, vt aſſentirentur ei, atq; ad præliũ nauale accingerent ſe. Vt verò

Herod. li. 8

claſsis hoſtium terræ Atticæ ad Phalericum admota vicina obtexit littora, atq; ipſe cum terreſtri agmine rex ad mare deſcendit, vt ſemel cũ omnibus copijs in conſpectu eſſet, effluxerunt ex Græcorum animis Themiſtoclis admonitiones, & Iſthmũ ceperunt denuò Peloponneſij reſpectare, frementes ſi quis aliud proponeret. Viſum eſt igitur nocte vela facere, atq; edictũ gubernatoribus, vt parati ad nauigandũ eſſent. Hic anxius Themiſtocles, quod loci & anguſtiarum cõmoditate Græci amiſſa in ſuum quiſq; oppidum dilaberentur, cõmentus eſt & ſtruxit illum per Sicinum aſtum. Erat natione Sicinus Perſes captiuus, ſed amans Themiſtochis & liberorum eius præceptor, quẽ occulte ad Perſam mittit nunciatum, Athenienſium ducem Themiſtoclem cum rege ſentientem ei primũ enunciare Græcos fugam circumſpectare, monereq; ne eis facultatem det fugiendi: ſed interea, dum tumultuantur deſtituti terreſtribus legionibus, adoriatur & deleat copias nauales.

Themiſtoclis ſtrategema, quo pugnam Salaminiam obtinuit.

Eum nuncium Xerxes quaſi à beneuolo animo profectum amplexus eſt, gratumq; habuit, deniq; edixit nauiũ præfectis, cæteras naues vt ſilentio inſtruant: cum ducentis autẽ profecti totum tranſitum vndiq; claudant, & circumueniant inſulas, ne quis elabatur hoſtium. Id agi Ariſtides Lyſimachi primus ſentiens contendit tacitus ad tabernaculum Themiſtoclis: non quidem quod gratia ei cum illo intercederet, imò fuerat, vt diximus, illius opera exterminatus. Prodeũti ad ipſum declarat circumſeptos ſe. Qui cũ aliàs integritatem eius haberet perſpectam, lætus tunc eius præſentia aperit ei quid per Sicinũ egiſſet, hortatur Græcos vt retineat, ſecumq; in id incumbat: quia maior ei adhibeatur fides, vt in faucibus pugnam naualem committant.

Themiſtoclis & Ariſtidis conſenſus ad pugnã incendam.

Igitur collaudato Themiſtocle Ariſtides alios duces & trierarchos adit & ad prælium accendit. Nondum adiungẽtibus tamen ei his fidem, ecce triremis vna Tenedia, cui præerat Panętius, transfugit ad Gręcos, quæ cinctos ipſos eſſe nunciauit. Ita iam ira quoque præter neceſsitatem ſtimulauit Græcos ad confligendum. Vbi diluxit, Xerxes in edito conſedit, claſſem & aciem ſpeculans, vt Phanodemus ait, ſupra fanũ Herculis, qua anguſto freto dirimitur ab Attica inſula, vt Aceſtodorus in Megaridis confinio ſuper colles, quos Cerata appellant. Aureo ſedit ſolio multis adhibitis ſcribis, quorum erat munus, vt quæque res in prælio gereretur, excipere. At Themiſtocli ſuper nauem pętoriam ſacrificanti, tres captiui oblati ſunt forma venuſtiſsima, veſteq; & auro eximiè exculti. Dicebãtur Sandauces regis ſororis & Autarcti filij eſſe. Quos contuitus vates Euphrantides, vt ſimul & magnam hoſtiæ & lucidam flammam ediderant, ac bonum omen ſternutamento à dextera parte eſt darum: dexteram Themiſtoclis complexus, adoleſcentes illos omnes iuſsit vt victimam & hoſtiam Omeſti Baccho votis nuncupatis immolarent. Ita pariter Gręcis ſalutem promitti & palmã. Stupente Themiſtocle eo vaticinio tãto & tã atroci, vulgus vt in grãdibus ſolet periculis & rebus aſperis, ſalutẽ potius ex abſonis quã conſentaneis ſperans, cœpit deũ ſimul vna voce ciere, adductiſq; ad arã captiuis ſacra ex præſcripto vatis fieri coegit.

Numerus nauiũ quæ depugnarũt ad Salamina.

Hæc philoſophus, & hiſtoriarũ non rudis Lesbius Phanias memoriæ prodidit. De nauiũ barbaricarum numero Aeſchylus poeta vt certus & firmans in tragœdia Perſis ita ait:

Xerxi

Xerxi scio naues erant certò quidem mille.
Verum ducentæ & septem erant celeres
Supra modum: sic obtinet rumor volans.

Pugna naualis Græcorum cum Xerxe.

Atticæ clxxx. erant numero. Singulæ habebant octonos denos, qui ex foris pugnarent. Eorum erant quatuor sagittarij, reliqui grauis armaturę. Videtur autem non secus tēpus Themistocles ac locum animaduertisse & captasse, neque prius aduersam barbaris aciē explicuit, quàm consueta hora adfuit, qua ventus ex mari increbrescens fluctum per fretum impelleret: cuius impetus Græcorum nauibus non oberat compactis & humilioribus: barbaricas verò edinoribus puppibus forisq; excelsioribus & ob pondus minus agiles retorquebat, ac Græcis acriter incurrentibus, & ad Themistoclis, vt qui maxime videret, quid è re esset, iussa intentis transuersas obijciebat. Iam vbi agebat Themistocles, Xerxis classis præfectus Ariamenes, ingenti vectus naue iacula & sagittas velut è muro ingerebat: qui vir insignis erat, & regis fratrum longe fortissimus & iustissimus. Eum Amenias Decelensis & Sosicles Pediensis vnà vecti, vt concurrentes infestę naues & in se metuò impactę rostris cohæsere, insilientē in ipsorum nauem exceperūt, hastisq; afflictum præcipitauerunt in mare. Corpus eius inter cætera fluitans naufragia Artemisia agnitum deportauit ad Xerxem. Dum ita certatur, fama est ingēs lumen ab Eleusine refulsisse, campumq; Thriasium strepitu & vocibus, sicut ex cœtu hominū mysticum Iacchum deducentium, ad mare vsq; personasse. Ab agmine vocē edentium assurgens paulatim à terra visa ijs nubes deflectere à continente & in naues incumbere. Alij species videre visi sunt virorum armatorum manus ab Aegina pro Græcorum classe protendentium. Eos putabant esse Aeacidas, quos votis ante pugnam implorauerant. Princeps nauem cepit ciuis Atheniensis Lycomedes trierarchus: cuius abscidit insignia atq; Apollini Victori sacrauit. Reliqui æquantes in angustijs barbarorum frontem, inuehentes carptim illos ac semetipsos turbantes, cum in serum extraxissent pugnam, fuderunt fugaueruntq; atq; insignem illam & nobilem victoriam, vt Simonides ait, qua neq; apud Gręcos neq; apud Barbaros clarius decus vllum extitit nauale, retulerunt virtute & strenuitate communi omnium militum, consilio verò & prudentia Themistoclis.

Græci prælio naunli vincūt Xerxem.

Secundū prælium nauale Xerxes adhuc cum re male gesta luctans, aggreditur per aggeres Salamina traducere in Græcos copias terrestres freto, quod erat interfusum, obsepto. Themistocles autem verbis Aristidem pertentans censere simulauit se, vt classe in Hellespōtum profecti pontem rescinderent: Quo Asiam, inquit, in Europa capiamus. Quod cum improbaret Aristides, diceretq;: Hactenus quidem cū barbaro ludente contulimus arma quem si in Græcia incluserimus & metu ad necessitatem adegerimus virum tam multis subnixum legionibus, non vltra sub vmbraculo sedens aureo pugnam solutè spectabit: sed omnia audebit, & omnibus rebus ipse metu vrgente occurrens quod titubatum est, corriget, cōsiliumq; de summa rerum inibit sanius. Nō est igitur Themistocle, inquit, hic nobis soluendus pons: verum etiam, si qua fieri queat, parandus alter, quo istum properè ex Europa exturbemus.

Themistoclis calliditas.

Aristidis consiliū de pōte Xerxis excindendo.

Themistoclis strategema.

Ergo Themistocles, si ita esse, inquit, ex vsu videtur, tempus est vt rationem ineamus omnes struamusq; quo Græcia excedat quàm ocyssimè. Vbi in eā sententiam itum est, quendam ex regijs eunuchis, quem inuenit inter captiuos Arnacē nomine mittit: qui renunciet regi, decreuisse mari nunc victores Gręcos Hellespontum classe petere ad pontem, qui ibi constratus sit, intercidendum: Themistoclem autem de rege laborantem monere, vt properato itinere ad mare suum contendat & transmittat, dum moras aliquas ipse socijs nectit & cunctationes ad insequendum. Hoc Barbarus nuncio expauescens properauit se recipere. Documentum autem prębuit in Mardonio Themistoclis & Aristidis prudentia. siquidē signa ad Platæas cum Xerxis minima parte exercitus cum contulissent, aleam subierunt summæ.

Themistocles prælio nauali primas tulit.

Inter ciuitates palmam tulit, vt tradit Herodotus, ciuitas Aeginetarum: Themistocli verò quamuis inuidia obstante inuidia omnes tribuerunt palmam. Vt enim concesserunt omnes in Isthmum, & suffragia duces ab ara tulerunt: primum virtute semetipsum quisque, secundum à se renunciauerunt Themistoclem. Lacedæmonij verò deduxerunt eum Spartam: vbi Eurybiadi virtutis, sapientiæ præmium illi tribuerunt oleaginam coronā, & currum, qui in ciuitate erant, primarium ei donauerunt. Trecentos pręterea miserunt ex iuuentute sua, qui eum ad fines vsq; prosequerentur. Fama est proximis insequentibus Olympijs, cum in curriculum concessisset Themistocles, cōtemptis certatoribus, spectatores totum diem oculos in illū defixisse, peregrinisq; stupentes illum magno cum plausu monstrasse: vt ille lętitia

perfuſus nō obſcurè tulerit apud amicos, ſatis ſe fructus ſuorum pro Græcia ſuſceptorū laborū percepiſſe.

Themiſtocles ambitioſiſſimus.

Erat namq;, ſi fides habenda ijs eſt, quæ de eo cōmemorantur, natura auidus ſupra modum gloriæ. Siquidem deſignatus à populo nauarchus, nulli rei publicè vel priuatim vacauit ſigillatim: verùm quæcunq; res eſſet ad ipſum delata, illā in eū reiecit diē, quo erat cōſenſurus: quo vno tēpore multis rebus intētus & à diuer... appellatus hominibus, magnus eſſe & ſummę videretur authoritatis.

Themiſtoclis dicta.

Cadauera in littore eiecta inſpiciēs, vbi exornata vidit armillis aureis & torquibus, ipſe prçterijt, ſed comitāti oſtēdit ea dixitq; amico: Tolle ea tibi. neq; enim tu Themiſtocles es. Ad Antiphatē, qui formoſus fuerat, & geſſerat quondā ſe aduerſus ipſum inſolētius, tunc autē propter authoritatem aſſectaretur: Sero, inquit, adoleſcens ambo tamē ſimul cœpimus ſapere. Athenięſes ipſum referebat nō habere in honore vel admiratione, ſed ſicut ſub platanū ſub ſe tēpeſtate coorta & ingruētibus periculis refugere: cū diſſerenuerit apud eos, caſtrare ſe & reſcindere ramos.

Herod. in Vrania Timodemū Aphidnæū vocat: Plato de rep. li. 1. & Cic. in Catone cū Plutarcho conſentiūt.

Cū exprobaret ei Seriphius quidā non ſua eū ſed patrię gloria ſplendorē aſſecutū: Recte ais, inquit. At neq; ego ſi Seriphius ſim, euaſiſſem clarus: nec tu ſi Athenienſis. Dux quiſpiam, qui vtilē operam nauaſſe ſe exiſtimabat ciuitati. Huic, cū inſultaret Themiſtocli & res geſtas ſuas cōtenderet cū ipſius: Cū feſto, inquit, altercās dies poſterus iactauit illum laboribus & ſudoribus diſtrictum eſſę, ſe verò fruenda præbere feriantibus apparata. Ad quæ reſpondiſſe feſtum, Recte ſanè: At ni ego eſſem, tu nō eſſes: Sic niſi ego, inquit, tunc fuiſſem, vbi nunc vos eſſetis? Filium ſuum, qui licentius abutebatur matris indulgentia & per illam ſua, falſe dicebat plus quam vllus Gręcorū pollere. Cæteris enim imperare Athenienſes, ſe Athenięſibus, ſibi illius matrem, matri illū. Cum omni in re facere aliquid vellet ſingulare, prędiū diſtrahens iuſsit pronūciari etiam bonū id vicinum habere. Ex illis, qui nuptias filiæ ſuæ ambirēt, cum probum prętuliſſet pecunioſo: ait virum ſe quęrere potius, qui pecunia egeret: quàm pecuniam quæ viro. Atq; in facetijs erat huiuſcemodi.

Themiſtocles inſtaurat Athenas.

Explicatus bello mox inſtitit vrbem inſtaurare & muris cingere ephoris, ne aduerſarentur, pecunia vt Theopompus ſcribit redemptis: vt pleriq; alij, eluſis hoc modo. Spartam ſpecie legationis profectus eſt. Ibi conquerentibus Spartiatis, quod muro circundarent vrbem, & ad criminandum Athenienſes ex compoſito Poliarcho ab Aegina miſſo, inficias iuit, & mittere eos iuſsit ad res inſpiciendas: ſimul vt ſpacium ex mora excitando muro pararet, & legatos pro ſe obſides retinerent Athenienſes. Quod euenit. nam re comperta nihil læſerunt eum Lacedæmonij, ſed diſsimulata ira ſua dimiſerunt.

Themiſtocles extruit Piræcum.

Hinc Piræcum commoditate animaduerſa portus extruxit, totamq; vrbem ad mare accommodauit, contrariam quodammodo ſectam in ciuitate ac veteres Athenienſium reges inſtituens. Illi enim, vt fertur, intendentes reuocare à mari ciues atque ad relinquendas naues colendumq; aſſuefacere agrum, diſsipauerant illam de Pallade fabulam: ambigente de illa regione Neptuno, cum oſtēdiſſet iudicibus oliuam, cauſam eam obtinuiſſe. At Themiſtocles non, vt comicus ait Ariſtophanes, vrbi commiſit Piræeum, imò vrbem annexuit Piræeo, & terram mari. quæ res vires populi aluit contra optimates, eumq; audacia inflauit, omni ad nautas, hortatores, & gubernatores redundante authoritate. Vnde ſuggeſtum, qui erectus in Pnyce erat vt ſpectaret mare, conuerterunt pòſt terram verſus triginta tyranni, imperium maritimum rati gignere populi potentiam, & paucorum principatu minus offendi agricolas. Enimuero Themiſtocles rem conceperat animo de viribus naualibus celſiorem.

**Pagaſam alij.*

Cum enim claſsis Græcorū à diſceſſu Xerxis *Pagaſas decurriſſet in portum, ibiq; hybernaret, pro concione oſtēdit Athenienſibus habere rem ſe conducibilem ipſis & ſalutarem, ſed non edendam in vulgus.

Athenienſium æquitas. Cic. de Off. 3.

Athenienſibus, vt eam vni aperiret Ariſtidi iubentibus: qui ſi probaret, exequeretur eam. Ita oſtēdit Ariſtidi Themiſtocles claſſem Græcorum in animo habere ſe incendere. Mox concionē hic ingreſſus: re ait, quā in animo haberet Themiſtocles, nullam eſſe neq; vtiliorem neq; iniquiorē. Ita præcipit ei populus Athenięſis, vt ab iſto cōſilio deſiſteret. Cum in conuentibus Amphyctionicis referrent Lacedemonij ad conſilium, vt ab eo cōſilio arcerentur ciuitates, quæ arma nō conſociaſſent aduerſus Mœdū: timens ne ſummotis à cōſeſſu Theſſalis, Argiuis, prçterea Thebanis illi haberēt ſemel ad nutum ſuum ſuffragia, atq; ex eorū volūtate omnia gererētur, patrocinatus eſt hiſce ciuitatibus, & ſententias Pylagorarū circumegit docens, quæ conſortes belli fuiſſent, vnā & triginta ciuitates eſſe, atq; has magna ex parte planè exiles. Nō eſſe igitur ferendū, ſi excluſa à fœdere reliqua Græcia, conſiliū hoc ad duarum vel triū ampliſsimarū arbitrium ciuitatum redigeretur. Ex eo incurrit potiſsimum in Lacedęmonios. Quapropter Cimonem prouexerūt

honori-

honoribus, quo Themistocli cum in rep. excitarent aduersarium. Fatigauit & socios circumuectus insulas ac nūmos ab ijs exprimens. Atque apud Andrios, cum eos pecuniam posceret, refert illum Herodotus hæc dixisse & audiuisse. Duas ait deas secum adduxisse, Suadam & Vim. Illi responderūt apud se quoq; duas esse magnas deas, à quibus illi pecuniam dare prohiberētur, Paupertatem & Inopiam. Timocreon Rhodius poeta mordet in cantico Themistoclem acerbius: quod exulibus alijs mercede reditū in patriā confecisset, se vero hospitem & amicū prodidisset pecunia adductus. Eius hi sunt versus:

Herod. li. 8

Timocreō Rhodius poeta Lyricus in Themistoclem.

Si tu modo Pausaniam laudéue Xantippum effers, vel tibi Leutychidam:
Ego autem Aristidem cano virum, sacris optimus vnus qui venit Athenis.
Mendacem enim, iniquum, proditorem odit Latona Themistoclem,
Qui sordidulam ob pecuniolam suum minime reduxit auarus hospitem in patriam Ialyson:
Sed inde tria arripiens talenta, vadit in malum exitium.
Iniquè aliquos reuehens, quosdam exigens, hos & trucidans nactus onus pecuniæ.
Nunc pandochus ineptus in Isthmo est, ridiculum faciens
Actum, apparatq; frigidas carnes. Verum autem epulantur illi,
Precantur & Themistocli, vt ne horam quidem supersit.

Longe verò petulantioribus & apertioribus probris Themistoclē iam exulem & damnatum proscidit Timocreon, composuitq; carmen, cuius hoc fecit exordium:

Musa carminis decus huius, inuulga per Græciam, vt par atq; iustum est.

Fertur Timocreon, quod parteis secutus Medorū fuisset, inter alios etiam Themistoclis calculo damnatus atque exterminatus fuisse. Vt iam partes Medicæ sunt Themistocli crimini datæ. hæc in eum scripsit:

Haud quippe Timocreon solus fidem dedit
Medis. Sunt alij non improbi minus.
Non claudico solus: latent vulpes aliæ.

Quia verò ciues iam ex inuidia libenter in eum calumnias recipiebant, coactus est factis suis crebrò ad populum commemorandis stomachum ei facere, & ad infensos: Quid tumultuamini, inquit, si sæpius ab ijsdem beneficia accipitis? Momordit etiam multitudinē æde extruēda Dianæ, quam Aristobulen, quasi optima consilia ipse ciuitati & Græcis dedisset, appellauit. Iuxta domum suam delubrum hoc in Melita struxit, vbi nunc cadauera supplicio affectorum carnifices proijciunt, vestesq; & laqueos efferunt eorum, qui strangulati & interfecti fuerunt. Præterea pusillum signum positum Themistoclis etiam nostra fuit ætate in Aristobules fano: eluceto; ex eo non animus modo, sed species etiam illius augusta. Igitur inflixerunt ei decennale exilium, vt dignitatem & authoritatem eius deprimerent. quod ex more habebant in omnibus, quorum opes ipsis graues erant, & mediocritatem fastus excesserat popularem. Namq; pœna non erat decennale exilium, sed mitigatio & alleuatio inuidiæ: quæ præcellentiores gaudebat detrahere, atq; odium suum in hanc euomebat contumeliam. Postquam expulsus vrbe fuit, dum Argis agit, casus Pausaniæ maleuolis eius materiam suggessit. Proditionis crimen intentauit ei Leobotes Alcmæonis filius Agraulensis subscribentibus accusationi Lacedæmonijs. Pausanias enim struens illud proditionis facinus, primò Temistoclem id licet amicum celauit. Vt eiectum vidit vrbe & indignè id ferentem, non dubitauit eum ad consortium cœptorum inuitare, ostendito; ei literas regis in Græcos ipsum vt improbos & ingratos inflammans. Qui quanquam eam solicitationem reiecit, societatemq; semel repudiauit, nemini patefecit tamen id consilium: quia sperabat fore, vel vt desisteret ab ea mente, vel alia ratione, qui res absurdas & ancipites affectaret temere, detegeretur. Punito ea de causa Pausania repertæ sunt nonnullæ literæ & scripta, quę de his agebant, quæ Themistoclem in suspicionem adduxerūt. Atq; hinc Lacedæmonij eū calumniabātur, hinc criminabantur inuidi ciues non præsentem, sed per epistolas purgantem præcipuè priora crimina. Nam ad inimicorū calumnias scripsit ciuibus: se, qui imperare vellet, ad parendum autem neq; factus esset, neq; haberet voluntatem, nunquam animum inducturum, vt barbaris & hostibus semetipse cum Grecia venderet. Nihilominus inductus ab accusatoribus populus misit certos, quibus imperatum erat, vt cōprehenderent eū, attraherentq; ad causam in concilio Græcorum dicendam. Quod vt præsensit, traiecit in Corcyram, quæ ciuitas beneficia sua habebat. Cum enim illum controuersiæ, quam habebant cum Corinthijs, cepissent iudicem, diremit pugnā eorum, iudicauitq; vt viginti

Themistocles offendit populum.

Themistocles in exilium. Valer. Max. li. 5. de ingratis

Themistocles accusatur proditionis.

Themistoclis fuga.

Themistocles iudex inter Corcyreos & Corinthios.

talenta Corinthij ijs penderent, & Leucadem possiderent communem vtriq; coloniam. Inde fugit in Epirum. Cum verò Athenienses & Lacedæmonij eum persequerentur, cõiecit se in asperam & cœcam spem, & ad regem Molossorum recurrit Admetum. Hic cum nescio quid ab Atheniensibus postulauisset, ignominiose à Themistocle tunc in ciuitate florēte reiectus, perpetuo habuit eum odio, ac præ se tulit, si in ipsum incidisset, pœnas se ab eo petiturum. At illa in fuga formidans, magis Themistocles domesticum & recēs odium, quàm veterem iram & regiam, huic se permissum iuit, ac supplex Admetum

Supplicãdi mos apud Molossos.

adijt nouo & inusitato more. Nam filium eius puerum admodum tenens abiecit se ad focum eius. Hunc maximum & prope solum, qui non reijciatur, Molossi modum ducunt supplicandi. Aliqui Phthiam aiunt regis coniugem eam rationem supplicãdi suggessisse Themistocli, filiumq; suum apud focum cum eo locasse: alij Admetum ipsum, vt necessitatem apud eos, qui illum insequerentur, cur non dederet eum, excusaret, modum istum supplicandi struxisse ei & machinatum fuisse. Vxorem & liberos eius clam Athenis exportauit Epicrates Acharnensis, quos illuc misit. quem eo nomine Cimon pòst capitis damnauit, vt scribit Stesimbrotus. Mox horum nescio quomodo oblitus, aut Themistoclem faciens oblitum nauigasse autumat eum in Siciliam, atq; ab Hierone tyranno filiæ eius nuptias petisse, recipiens in ditionem eius se Græciam redacturum: quod aspernante Hierone tum contendisse in Asiam. Cæterùm abhorret à fide hæc ita facta fuisse. Siquidē Theophrastus in libris de Regno Themistoclē scribit, cum ad Olympia certatum Hiero misisset, & tabernaculũ erexisset splendidè adornatũ, pro sententia apud Græcos dixisse, vt tentorium tyranni diriperent, & arcerent à certamine equos eius.

Thucyd.lib.1.

Thucydides naue conscensa à Pydna refert eum ad alterum mare prouectum, nec quenquam vectorum, qui esset, nosse: quoad ventis nauem onerariam Naxum, quæ id tēporis ab Atheniensibus circumsidebatur, rapientibus exterritus nauiculatori tum & gubernatori aperuerit se, & qua precibus qua minis agens denuncians q; apud Athenienses se crimine & mendacijs ipsos pressurũ, non imprudentes, verum mercede inductos initiò ipsum recepisse. Hac ratione expressit, vt præteruecti transmitterent in Asiam.

Themistoclis pecunia.

Pecunia eius magna ex parte furtim per amicos egesta & in Asiã est deuecta. Deprehensam & publicatã summã centũ Theopompus, Theophrastus octoginta talentũ dicit fuisse: cum vires bonorũ Themistoclis prius, q ad remp. accederet, triũ nõ essent talentorũ.

Themistoclis in Asiam fuga.

Vt delatus Cymam multos sensit rei maritimæ præfectos insidias ad se capiendũ tendere, præcipue Ergotelē & Pythodorũ (erat enim præda cõpendiũ ex re qualibet captantib. opima: quod præmiũ rex in caput eius ducenta talenta pronunciasset) Aegas Aeolicũ oppidulũ refugit, nulli extra hospitē Nicogenē notus. Erat Aeolũ hic locupletissimus, et principib. qui circa regem erãt, familiaris. Apud eum paucos delituit dies. Inde à cœna sacrificio facto magister liberorũ Nicogenis Olbius, mēte motus lymphatusq; exclamauit hũc versum:

Nocti consilium, vocem da, victoriamq;

Hinc sopitus Themistocles vidit in somnijs draconem ventrē suum circumiectũ & arrepentē collo: vbi faciē attigit, versum in aquilã & complexũ se alis sustulisse longamq; viã auexisse: deniq; in aureo caduceo, quod se obtulit, secure statuisse immēso pauore & terrore exemptũ. Mittitur igitur ab Nicogene, qui rem est huiuscemodi fabricatus.

Persarum Zelotypia.

Quia nationes barbaræ fere & præter cæteras Persica æmulatione erga mulieres asperæ natura sunt & atroces: neq; enim vxores solùm, sed ancillas quoq; emptitias & pellices anxia sepiunt custodia, ne à quo non domestico conspiciantur, verũ domi degant conclusæ. Per viam vndiq; septæ in tētorio vehuntur curribus. Tali Themistocles tectus vehiculo ferebatur. Comites eius obuijs & percunctantibus responderunt Græcam mulierem se ab Ionia ad quendam regis admissionalem agere. Ac Thucydides quidē & Charon Lampsacenus Xerxe defuncto produnt in sermonem venisse Themistoclem filio eius: Ephorus,

Thucyd.lib.1.

Dion, Clitarchus, Heraclides, alijq; complures ipsum conuenisse Xerxem. Verum Thucydidem magis cum annalibus, licet ne hi quidem cõsarcinati sint fideliter, apparet congruere. Vbi Themistocles ad ipsum iã discrimē peruenit: primũ Artabanũ cõuenit tribunũ militũ, ostēditq; Græcũ se esse, velle aũt cũ rege maximis de rebus, & de ijs, quæ potissimũ eũ solicitēt, agere. at ille: Leges hospes, inquit, mortalib. discrepantes sunt, alijs alia honesta: omnib. aũt honestũ est domestica ornare et tueri. Ac libertatē vos præ cæteris et æquabilitatē spectare fama est: nobis inter multas & præclaras leges hæc est præclarissima, venerari regē & imaginē adorare omnia cõseruãtis Dei. Si igitur accõmodare te morib. nostris in animo est, regemq; adorare, copia tibi erit & cõtemplãdi eius & appellãdi.

Sin alia

Sin alia eſt ſententia, vteris ad eum internuncijs. Regi enim non eſt vllum audire, qui eum non adoret, ſolenne. Ad quæ Themiſtocles reſpondit in hunc modum, Ego verò Artabane adſum, quo regis nomen & potentiam reddam ampliora: & quando ita deo, qui euexit Perſas, viſum eſt, cùm ipſe parebo veſtris legibus, tum efficiam vt plures hunc adorent regem. Proinde nihil hoc impedimenti adferat ſermonibus, quos cum rege ſtatui conferre. At quem nam, inquit ex Græcis Artabanus referam veniſſe? Neque enim vulgaris hominis præ te fers ingenium. Cui Themiſtocles: Id Artabane prior rege audiet nemo. Ita narrat Phanias. Eratoſthenes in commentario, quem ſcripſit de Diuitijs, attexit fœmina adminiſtra Eretrica, quæ tribuni pellex erat, colloquium eum & gratiam obtinuiſſe illius. Vt ergo introductus ad regem eſt, eoque adorato conſtitit tacitus: imperauit interpreti rex, vt quæreret, qui ſit. Rogante interprete reſpondit, Adſum tibi rex, Themiſtocles ego Athenienſis exul, quem Græci perſequuntur: cui multas quidem pœnas Perſæ, ſed plurima debent præmia ob impeditam à me inſectationem, cum patriæ incolumitas, Græcia iam in tuto collocata, nonnihil vobis gratificandi tribuit mihi facultatem. Equidem comparaui omnino me ad præſentem calamitatem, veni'que paratus ad beneficium à placato & reconciliato accipiendum, & ad deprecandum iram infeſti. Tu age, cum teſtes meorum erga Perſas meritorum meos habeas hoſtes, abutere mea fortuna potius ad virtutem probandam tuam quàm ad explendam iram. Conſeruabis enim ſupplicem tuum, & perdes Græcorum hoſtem. Ira fatus Themiſtocles orationi diuinum oſtentum, quod fuerat ei in Nicogenis ædibus oblatum, ſubiunxit: & Iouis Dodonæi oraculum, quo ad cognominem deo pergere iuſſus conceperat animo remitti ſe ad illum. Magnum enim vtrunque & eſſe & dici regem. Poſtquam dicendi finem fecit, nihil ei reſpondit Perſes, quamuis animos eius ſtuperet & audaciam: ſed apud amicos eum fuiſſe ſibi ipſum gratulatum vt de fortuna ſua adeo ſecunda, precatúmque Arimanium, hoſtibus ſuis ſemper daret eam mentem, vt præſtantiſsimos de medio ſui ſummouerent, dijs ferunt ſacrificaſſe, inde mox conuiuium iniſſe, ac præ gaudio nocte in medio ſomno ter exclamaſſe: Themiſtoclem habeo Athenienſem. Vbi illuxit: conuocatis amicis acciuit eum omni deſtitutum bona ſpe, vbi ianitores vidit audito præſentis nomine infeſtos ſibi, atque maledicta ingerentes. Ad hæc tribunus Roxanes, cum ipſum præteriret rege ſedente & ſilentibus cæteris, ſubmiſsè ducto ſuſpirio ait: Serpens Græce verſipellis, fortuna te regis huc egit. At verò vt in conſpectum regis venit, & denuo eum adorauit, rex ſalutauit appellauitque eum benignè: Ac iam tibi ipſi, inquit, ducenta talenta debeo. Cum enim temetipſe adduxeris, meritò quod in caput tuum fuit pronunciatum præmium te ducenti, feres. Multo his plura promiſit ei, eumque confirmauit, atque liberè iuſsit vt diceret de rebus Græcorum, quæ viſa eſſent. Cui reſponſum Themiſtocles reddidit, ſermonem hominis inſtar eſſe pictorum ſtragulorum. Nam vt hæc, ita illum aperire expanſum imagines, contractum tegere & deprauare. Itaque eſſe tempore ſibi opus. Capto ea ſimilitudine rege, & vt ſumeret imperante, annuum poſtulauit. Interea lingua Perſica abunde percepta, appellauit per ſe regem. Atque remotioribus opinionem præbuit agere de rebus Græciæ. Sed quia multa per id tempus in aula & circa regis amicos nouabantur, contraxit apud principes inuidiam: quaſi etiam de illis licentiam apud regem vſurparet loquendi. Haud quaquam enim erant huius honores & reliquorum exterorum comparandi. At rex adhibuit eum etiam venationibus & domeſticis oblectationibus, vt ad matrē quoque regis admitteretur, eaque vteretur familiariter: acceperit inſuper iuſſu regis præcepta magica. Cum Demaratus Lacon iuſſus poſcere munus popoſciſſet, vt more regum directa citari Sardeis inueheretur: Mithropauſtes regis cōſobrinus apprehenſa Demarati manu dixit: Hæc quidem citaris non habet cerebrum quod tegat: tu verò vt fulmen accipias, haud fueris proinde Iupiter. Ob eam poſtulationem cum deſpiceret per iram rex Demaratum præ ſe ferentem implacabilem ſe ei eſſe, iuduxit precibus Themiſtocles, vt reconciliaretur ei. Memorant ſubſecutos quoque reges, quorum temporibus maior cōmunicatio cum Græcis rerum fuit Perſicarum, quoties cuiuſpiā Græci indigerent opera, polliceri ſolitos & ſcribere omnes, maiorem apud ſe fore Themiſtocle. Ipſum quoque aiunt Themiſtoclem, vbi iam ingens euaſit, & colebatur à multis, ſplendida aliquando appoſita menſa filijs dixiſſe: Perieramus filij, niſi periſſemus. Vrbes tres tradunt plerique ei in panem, vinum, & eſculenta datas, Magneſiam, Lampſacum, Myunta. Duas adijciunt alias Cyzicenus, Neanthes & Phanias, Percoten & Palæſcepſin in ſtratum & veſtem.

Themiſtoclis & regis Perſarum colloquium.

Themiſtocles gratus regi Perſarum.

Mithropauſtis dictum.

Descendenti ad mare ob pertinentia ad Græciam negocia Themistocli Perses quidam Epixyes nomine, superioris Phrygiæ satrapa insidias struxit, paratis iam pridẽ Pisidis, qui in oppido, quod Leontocephalon vocant (significat ea uox caput leonum) pernoctantem trucidarent. Cui matrem Idæam perhibent oblatam per somnium meridianti dixisse: Deuita Themistocle leonum caput, ne in leonem incurras. Pro hoc ego abs te postulo ancillam Mnesiptolemam. Vnde pauore offusus Themistocles adorata dea declinauit viam regiam: ac locum illum alio circuitu prætérlatus, iam nocte consedit. Cum autem vnum ex iumentis, quæ portabant tentorium eius, esset in fluuium delapsum, serui Themistoclis aulæas madefactas expanderunt ad siccandum. Interea accurrunt cum gladijs Pisidæ. Cum autem ea, quæ siccabantur, non satis peruiderent ad lunam: arbitrabantur ea Themistoclis esse tentorium, atq; se illum intus inuenturos quiescentem. Vbi iam ingressi propius sustulerunt aulæam, intenti serui inuoluerunt in eos ac corripuerunt. Ita defunctus periculo in deæ, quæ sibi fuerat oblata, venerationem Magnesiæ templum Dyndimenæ condidit, cuius filiam suam creauit Mnesiptolemam sacerdotẽ. Vt Sardos venit, & per ocium ędium sacrarum molitiones spectauit, viditq; numerum signorum, & in Matris magnæ virginem, quam Hydrophoron vocãt, ex ære factam magnitudine cubitali: quam ipse super aquas Athenis positus, deprehensis ijs qui fuerant aquam suffurati & auerterant, ex mulctatitia factam dedicauerat pecunia: siue captiuitate eius signi motus, siue ad ostentandum Atheniensibus, quanto in honore, & quanta esset apud regem authoritate, egit apud satrapam Lydiæ, vt hoc signum sibi mittere liceret Athenas. At stomachante barbaro, & regi se per literas id significaturum minitante, trepidus Themistocles confugit ad mulieres, conciliatisq; pellicibus eius pecunia, & illius demulsit iram, & in posterum circumspectius egit, quod iam inuidiam formidaret barbarorum. Neque enim pererrauit, vt Theopompus ait, Asiam: sed Magnesiæ sedes habens, magnisq; cultus donis, atque pari in honore ac primores Persarum habitus, perdiu vitam egit securam: quod superiorum prouinciarum rex distractus negocijs non admodum attenderet animum ad res Græciæ. Vt verò Aegypti rebellio adiutoribus Atheniensibus, nauésque Græcorum vsque ad Cyprum & Ciliciam prouectæ, dominansq; Cimon mari cum ad occurrendum Græcis, & ad eorum reprimendum aduersus se incrementum reuocauerunt: iamq; delectus habebatur, duces dimittebantur, & Magnesiam ad Themistoclem cum mandatis regijs veniebant nuncij, vt res Græciæ susciperet, præstaretq; promissa: neque ira inflammatus in ciues suos vlla est, neque tantis honoribus & potentia incitatus ad bellum, sed & effectum rei fortaſsis in expedito non ratus esse, præsertim quod haberet ea tempestate duces Græcia inclytos, & mirifica esset Cimonis in rebus Græcorum gerendis felicitas: maximè autem rubore gloriæ rerum gestarum & illorum trophæorum, optime deliberauit vitæ conuenientem colophonem imponere. Itaque sacris operatus, conuocatosq; complexus amicos; hausto vt celebris fama est, taurino sanguine: vt aliqui volunt, veneno præsentaneo sumpto annos natus quinque & sexaginta, quos ferè in republica administranda & imperio transegit, Magnesiæ vitam cum morte commutauit. Causa & ratione mortis intellecta regem opinionem de eo maiorem habuisse, amicósque eius & familiares perpetua benignitate memorant complexum. Liberos reliquit Themistocles ex Lysandri Alopecensis filia Archippa Archeptolin, Polyeuctum, & Cleophantum: cuius Plato philosophus vt optimi equitis, cæterà inertis meminit. Ex maximis natu Neocles, morsu equi interijt admodum puer. Dioclem auus adoptauit Lysander. Filias habuit complures: quarum Mnesiptolemam ex secundis nuptijs genitam, frater non ex eadem matre Archeptolis adiunxit sibi matrimonio, Italiam Panthedes Chius, Sybarin Atheniensis Nicomedes, Nicomachiam Phrasicles Themistoclis fratris filius illo iam defuncto Magnesiam profectus accepit à fratribus. Minimam hic omnium liberorum eius eduxit Asiam. Eius habent Magnetes amplum in foro conditorium. De reliquijs non est adhibenda fides Andocidi, qui in libro ad amicos scribit peruestigasse reliquias eius & dissipasse Athenienses. Mentitur enim id, quo principum factionem incendat in populum. At Philarchus in historia quasi in tragœdia excitans machinam, Neoclem quendam ac Demopolin Themistoclis filios inducit: coq; mouere animos & incitare nititur, quod nemo est tam indoctus, qui fictum esse ignoret. Diodorus Periegetes in libris, quos de Monumentis scripsit, magis suspicione ductus quàm certitudine rei, prodidit apud portum Piræei excurrere ab Alcimi promontorio sicut cubitum quendam: & vbi

Themistocles insidias euadit, in somnio admonitus.

Themistoclis exitus.

Themistoclis in patriã charitas.

Mortis genus. Val. Max. lib. 5. cap. 6.

Themistoclis liberi.

Themistoclis sepulchrum & reliquiæ.

& vbi intra hunc flexeris, qua subtranquillum est mare, ingentem extare basim: atque illam, quæ in ea extat, aræ speciem sepulchrum Themistoclis esse. Arbitratur etiam Platonem Comicum sibi astipulari hisce versibus:

Plato Comicus.

Tua tumba stat cumulata commodo loco.
Mercator hanc semper salutabit pius.
Aduectus & reuectus hic videbitur.
Aliquando certamina simul naualia.

Posteritati Themistoclis Magnesiæ vsque ad nostram memoriam mansere certi honores: quibus fruebatur Themistocles Atheniensis, qui cum consuetudo nobis & amicitia apud Ammonem philosophum intercessit.

Honores post mortem.

Camillus.



INTER ea quæ de Marco Furio Camillo referuntur multa & eximia, singulare imprimis videtur ac mirandum, quod qui victorias imperator plurimas & præclarissimas retulit, Dictator quintum fuit dictus, quater triumphauit, alter etiam Romæ appellatus conditor, ne semel quidem consul fuerit. In causa fuit reipublicæ status, quo populus a patribus dissidens, ne consules crearentur, obstitit: sed tribunos rebus præfecit, quorum propter numerum, tametsi consulari essent & authoritate & potestate, minus in plebis oculos incurrebant imperium. Quippe quos paucorum offendebat potentia, his minus molestum erat sex viros quàm duos rempublicam tenere. Per id tempus cum potissimum Camillus gloria & rebus gestis floreret, quamuis ciuitas medio tempore comitia consularia habuerit subinde, non sustinuit tamen consul inuito fieri populo. In cæteris magistratibus, quos multos cepit & varios, ita se gessit: vt potestatem suam, cum vel solus obtineret, supremam in medium conferret: gloria verò ad eum redundaret vnum, vbi etiam collegas habebat. Huius causa fuit eius prudentia, qua superabat citra controuersiam omnes: illius modestia, sine inuidia imperantis. Nam cum gens esset Furiorum ea tempestate non admodum illustris: nomē factis suis hic parauit primus, quo tempore sub dictatore Posthumio Tuberto in magno contra Aequos & Volscos certamine stipendia faciebat. Ibi equo ante aciem prouectus, accepto in fœmore vulnere, non remisit tamen pugnam: sed cum infixum ex vulnere iaculum recepisset, congressus cum fortissimis hostium vertit eos in fugam. Inde cùm alios est honores adeptus: tum, quæ in magna id temporis erat dignatione, censuram. Huius recensetur vnum eo in magistratu eximium factum: quod cælibes partim blandè appellando, partim denuncianda mulcta viduis, quæ ob bella erant multæ, matrimonio copulauerit: necessarium alterum, quod qui antè immunes fuerant, censuerit pupillos. Assidua bella, quæ sumptus requirebant ingentes, id expressere. Vrgebat verò præcipuè obsidio Veiorum. Hos quidam Venetanos appellant. Caput hæc vrbs erat Hetruriæ, armorum copia & militum numero Romæ nihilo inferior. Ei opulentia, luxus, deliciæ, & splendor animos fecit, vt cum populo Romano de gloria atque imperio certans sæpe & egregiè pugnauerit. Cæterum sub ea tempestate multis accisi Veientes cladibus, ambitione remissa, excelsis & validis muris cinxerant vrbem: armis que atque telis, & commeatu & omnis generis apparatu importato, sustinebant alacres obsidionem. Longinqua ea fuit, iuxtáque oppugnantibus laboriosa & molesta. Nam qui non diu æstatis hora militare, & hybernare domi assueuerant: tunc à tribunis primùm præsidia compulsi fuerunt extruere, castra in hostico munire, itaque cum æstate hyemem continuare. Iam annus huius belli septimus ad exitum vergebat, cum vocabantur in discrimen duces: & quod segniter vrgere viderentur obsidionem, abrogatum est ijs imperium, surrogatíque ad bellum alij, inter quos Camillus tribunus tunc iterum fuit. Is eo tempore non interfuit obsidioni. Quippè bellum erat sortitus aduersus Faliscos & Capenates, qui Romanis alia districtis re, cum fines eorum fœdè id temporis vastassent, ac per totum bellum Hetruscum Romanos solicitassent, repressi à Camillo sunt, multisque amissis muris inclusi. Inde res lacui Albano accidit medio belli ardore cum quouis rarissimo miraculo conferenda: quæ quia vulgari

Camillus cur cõsul non fuerit. *Liu. li. 5. dec. 1.* *Paucorū potentia vulgo inuisa.* *Camilli prudentia ac modestia.* *Camilli censura.* *Veiorū obsidio.* *Camillus iterum tribunus.* *Lacus Albani exundatio prodigiosa.*

causa & ratione carebat ex rerum natura ducta, pauorem incussit. Aestas erat extrema & praeceps, nec coelestibus aucta aquis aut ventis admodum fuerat turbulenta austrinis. Lacus autem & amnes & riui & fontes, quos habet Italia frequentes, partim iam planè exaruerant, partim tenuem & exiguam trahebant vndam. Fluuij aestatis causa vt semper humili & angusto alueo ferebantur: cum Lacus Albanus, qui neque aliunde ducit originem, neq; aliò se effundit, pinguibus clausus montibus, nulla de causa, nisi si qua diuina, inflatus dilucidè intumuit: vt pertingeret ad dorsa montium, & summos vndequaque aequaret tumulos, sine aestu tamen insurgeret vel fluctu. Id pastoribus erat primùm ac bubulcis miraculo. Verùm vbi repagulo, quod veluti ceruix à subiectis campis arcebat lacum, prae copia & mole refracto, magno iam impetu per sata & arbusta in mare defluxit: tum non Romanos modò consternauit, verùm etiam omnibus Italiam incolentibus visum est magni quid portendere. Plurimum etiam in castris Veios obsidentibus, quo iam lacus allatum miraculum fuerat, hoc agitabatur sermonibus. Id quod in obsidione solet diuturna, vt commercia multa inter se hostes & congressus habeant: familiaritatem Romanus quidam contraxit, & colloquia habuit cum Veiente quodam veteris homine disciplinae, qui praestare scientia diuinandi dicebatur. Romanus, vbi hunc vidit de lacus incremento exultantem, atque obsidionem habentem ludibrio: Non id solum, inquit, prodigij hac tempestate, sed longe foediora sunt alia Romanis facta portenta. de quibus ad ipsum ait se referre velle, vt rebus suis consulere in communi calamitate valeat. Ille Romano prompte morem gerere, & sedulò sermones cum eo miscere, velut res abditas auditurus. Dum abducitur inter confabulandum longius à porta, tum hominem Romanus praeualens viribus sublimem arripit, pluribúsque ex statione accurrentibus capit, atque in potestatem redactum deducit ad imperatores. Ita oppressus ille, considerato fatum ineuitabile esse, sortes patriae suae occultas aperit, non antè expugnabilem eam quàm lacum Albanum hostes effusum retrò ab cursu suo deriuarent, atque auerterent à mari. His nunciatis senatus re deliberata oratores qui Apollinem consulerent, Delphos decreuit. Legati fuerunt celebres magniq; viri, Licinius Cossus, Valerius Potitus, & Fabius Ambustus. Qui cursum nacti prosperum, consulto Apolline sortes domum retulerunt cùm alias, tum quae solennes Latinarum ceremonias edisserebant neglectas: & vt Albani lacus aquam, quoad eius fieri posset, à mari in pristinum alueum reducerent. Quod si non valerent, riuis fossisq; eam extinguerent per agros demotam. His relatis sacerdotes sacrificare, populus operi se ad aquam auertēdam accingere. Decimo huius belli anno reliquis abrogatis magistratibus, Dictator ab senatu Camillus dictus, magistrum equitū dixit Cornelium Scipionem. Inde pro imperio vota nuncupauit, si huiusce belli faustum exitum dij dedissent, ludos magnos se facturum, aedemq; deae, quam Matutam matrem vocant Romani, dedicaturum. Hanc, si ceremonias respicias sacrorum eius, Leucotheam sane censeas esse. Ancillam enim in penetralia abductam caedunt alapis, pòst expellunt eam, fratrumq; liberos amplectuntur prae suis. In sacrificio imitantur nutricum Liberi Patris gestus atq; Inus pellicis causa casus. Votis susceptis fecit in fines Faliscorum Camillus expeditionem, eosq; atque auxiliares eorum Capenates magno fudit praelio. Mox ad obsidionem conuersus Veiorum, cum difficilem murorum oppugnationem cerneret & arduam: cuniculos acceptāte fossuram circa vrbem humo, vt deprimi eatenus opus posset, ne animaduerteretur ab hostibus, egit. Quod vbi ex voto successit: vt ad muros eliceret hostem, vrbem propalàm aggreditur. Alij per coecos cuniculos clam Iunonis aedem, quae in arce erat, multo omnium amplissimam eius vrbis celebratissimamq; occupant. Quo tempore ferunt rege Hetruscorum sacrificante, aruspicem extis intētum exclamasse: qui hostiae eius exta prosecuisset, ei victoriam deos spondere: eamq; vocem, qui in cuniculo erant, Romanos excepisse, ac proruto pauimento cum clamore ac crepitu armorū prosiliisse, hostibusq; expauescentibus ac fugientibus corripuisse exta & Camillo obtulisse. Caeterum haec fabulosa videantur. Vrbe expugnata militibusq; ingentem egerentibus praedam, contēplans ex arce cūcta, Camillus primùm illachrymauit. Deinde cū celebraretur à circūstantibus felicitas eius, manus ad coelū tollēs precatus est: Iupiter Opt. Max. dijq; rectè ac malefactorum arbitri, haud vos latet non iniustè nos, sed necessitate compulsos ab infestorū & nefariorum hostiū ciuitate persequi poenas. Si qua tamen nos manet vicissim huius inuidia prosperitatis: oro, vt eam luere ego pro vrbe exercituq; Romano quàm minimo meo priuato incommodo valeam. Simul atq; ita fatus est, vt in more est Romanis à precibus & vene-

Romani hominis astus.

Camilli prima dictatura.

Matuta. Leucothea.

Veij cuniculo capiuntur.

Camilli preces captis Veijs.

veneratione deorum sese conuertere dextrorsum, dum circũagit se, prolabitur. Perculsis illis, qui aderant, cũ humo erexisset se: Ab immensa felicitate, inquit, leui ex voto defunctus sum casu. Vrbe direpta Iunonis signum Romã deportare, vt vouerat, visum est. Cõuocatis ad id artificibus Camillus sacra fecit, precatus&qz deam, vt studium amplecteretur Romanorum, volens&qz & propitia dijs Romam incolentibus cõmigraret. Signũ ferunt summissa voce velle & annuere dixisse. Liuius tradit inter precandum attrectasse Camillum deam & inuitasse: inde velle & annuere ac sequi libentem respondisse ex astantibus nonnullos. Cæterum hoc miraculũ astruentibus & defendentibus fortuna magnopere suffragatur vrbis, quę ex paruo & humili exordio sine numinis perpetuo ex multis et magnis signis præsentis fauore euadere ad eam gloriam & potentiam haudquaquã potuisset. Adferunt præterea nõ absimilia, sudasse sæpe simulachra, aliquãdo gemitus edidisse: visas&qz eas etiam auertisse se & nictatas esse, quę non pauci veterũ memoriæ prodiderũt. Multa item, quæ accepimus ex nostræ memoriæ hominibus, habemus referre miranda, quæ non contemnas facile. Cæterũ fidem ijs adhibere vel detrahere nimiã, anceps sit humanam ob imbecillitatem, quæ nullis certis circumscripta cancellis est, ne&qz sui compos: sed recedit modò in superstitionem & vanitatem, modò in deorũ neglectum & fastidiũ. Præstat aũt cautio & mediocritas. At Camillus siue rerum gestarum magnitudine, quod vrbem Romæ æmulam deleuisset in decimum annum obsessam, siue ab adulatoribus inflatus, maiores spiritus sustulit quàm pro legitimo & ciuili magistratu: triumphũ duxit cùm aliàs superbum, tum quod curru quatuor iuncto equis albis sit inuectus, nullo exemplo vel priorum vel insequentium imperatorum. Sacrum enim eum currũ habent deorũ regi & patri dicatum. Quare ciues alienæ insuetos insolentiæ offendit. Accessit huc altera causa, quod legem, qua populus distrahebatur, impediret. Siquidem ferebant tribuni vt plebs & senatus diuiderentur, pars Romę remaneret, in captam vrbem pars, cui obuenisset sorte, transmigraret. Ita fore opulentiores, qui magnis duabus & ornatis vrbibus, simul&qz agris essent & reliquis opibus fruituri. Plebs, quę admodum iã aucta erat & locupletata, actiones eas approbabat tribunorum, ne&qz desistebat tumultuari in cõtionibus, postulans vt in suffragia mitteretur. At senatus cum optimatibus nõ populi diuisionem tribunos, sed euersionem moliri vrbis Romæ existimãs, Camilli anxius implorat opem. Ille certamen formidãs, moras plebi impedimenta&qz, quibus de die in diem reijceret rogationem, nectebat. At&qz hac quidem re offendit vulgus. Prædæ verò decima pars eum in apertissimum & acerrimum plebis odium, cum ansam illa, si non vndequaque iustam, non leuem haberet certè, coniecit. Quippe cum Veios peteret: si vrbe potitus esset, Apollini decimam partem se vouerat sacraturum. Vrbe capta & direpta, siue interpellare ciues dubitauit, siue rebus præsentibus distẽto voti effluxit memoria, concessit illis prędam. Postquam se dictatura iam abdicauit, retulit hac de re ad senatum: & aruspices in victimis obnunciauerunt portendi deorum iram, quę expiationibus & piaculis esset placanda. Tum senatusconsultum factum est, non quin præda maneret diuisa (neque enim fieri commodè aliter poterat) sed vt prædæ, quam quis&qz habuisset, partem decimam iuratus in medium conferret. Fuit id acerbum magnopere & graue militibus hominibus egenis post labores exudatos multos, eorum quæ quæsiuerant & iam absumpserãt, tantam cogi inferre portionem. Quorum tumultu cum Camillus vndi&qz percelleretur, ne&qz causam expediret commodiorem: descendit ad ineptissimam, oblitum se voti confessus. Illi verò fremebant eum, qui votum conceperat de rerum hostilium sacranda decima, nunc eam cogere ex fortunis ciuium. Attamen ex ijs, quæ omnes pro rata quisque contulerunt, decreuerunt crateram auream faciendam & Delphos mittendam. Quia verò auri Romæ copia deerat: magistratibus, vnde compararent, consultantibus matronæ vltrò cætibus ad eam deliberationem habitis aurea ornamenta corpori suo dicata omnia octo talentorum pondere accommodauerunt ad donum. Honos ijs à senatu meritus est habitus, decreto vt in matronarum laudem oratio funebris, vt fieri viris solet (ne&qz enim laudari publicè fœminam defunctam antè fuerat receptum) haberetur. Inde ex principibus tres oratores in naui longa viris delectis instructa & ornatu solẽni Delphos mittũt. Erat aũt & hyems & cœlum serenum. At operæpreciũ est audire, queadmodũ illi in summum adducti periculũ præter spem tamẽ euaserint. Liparensiũ naues eos ad Aeoli insulas vẽto destitutos pro prædonib. persequebantur. Qui vbi supplices manus tetẽderunt: à vi quidem abstinuerũt illi, sed nauẽ alligatam deuexerũt in portũ. Cum aũt piratica iudicasset, & res at&qz corpora sub hasta venderẽt: ægrè vni virtute & authoritate vin Timo sithei

Plutarchi de miraculis iudiciũ.

Camilli fastuosus de Veientibus triumphus.

Camillus offendit populum.

Lex de pop Roma. migratione Veios.

Crateram aureã Romani Delphos mittunt.

Matronæ Romanæ aurũ ad craterã conferunt.

Fœminæ quando in funere cœpte laudari Romæ.

Timositheus seruat legatos Romanos.

sithei sunt prætoris inducti, vt dimitterent eos, quos est cum præsidio etiam nauium suarū prosecutus, adiutorq́ in dedicando dono fuit. Quæ res merito ei Romę honori cessit. Tribunis plebis postea rogationē de transmigrādo Veios renouantibus, quod in tēpore aduersus Faliscos exortū bellum esset, comitia in principū fuerūt potestate. quibus cū alijs quinq́ tribunus militū Camillus creatur. Quippe ducē res postulabant authoritate et nomine cum rerū vsu præditum. Postquam suffragia dedit populus, Camillus exercitu

Camillus obsidet Falerios.

cōscripto mouit in Faliscos, vrbemq́ munirā atq́ omnib. ad bellum necessarijs instructā circunsedit Falerios. Quanquā autem capi vrbem nec procliue erat, nec breuis esse perspiceret spacij: parabat versare tamen ciues & distinere, ne domi resides tribunorū plebis intenderent concionibus & seditionibus. Quo remedio fere semper vtebātur medicorum more ad motus turbulentos ex ciuitate propellendos. Falisci autē, quibus septos vndiq́ credebant se, munitionibus freti vsq́ adeò contemnebant obsidionem: vt præter stationes in muris dispositas togati per vrbem reliqui obuersarētur, liberiq́ eorum circa ludos literarios frequētes essent, & circa muros ambulationis exercitationisq́ causa producerētur à magistro. Cōmuni enim demandabant Græcorū more Falisci liberos, vt ijsdem à prima ætate rudimentis contubernioq́ assuescerent. Hic magister insidias Faliscis struens per liberos, educebat eos quotidie extra portā breuioribus spacijs primùm: mox ab exercitationē in vrbē reducebat: deinde paulatim lōgius abducēdo, vt in alta securita

Camilli præclarum factum in ludimagistrum Falerium proditorem.

te nihil eos assuefecit timere. Dum oēs tandē inter stationes Romanas traxit, ac prodidit adduci se ad Camillū iubens. In prętorium adductus & in medio consistens: Pręceptor, inquit, & magister sum, meumq́ erga te fauorē huic præferēs necessitudini adsum, vt vrbē tibi pignore horum tradā puerorum. Fœdū id audienti Camillo facinus visum, atq́ ad coronam conuersus: Sæua res, inquit, bellū est, cumulumq́ secū trahit iniuriarum & vio-

Virtute propria, non aliena fraude res gerendæ.

lentię. Sunt bonis viris tamen certę belli leges: neq́ ita ad victoriā est incumbendū, quin scelestę & impię factorum gratiam declines. Quippe sua innixus virtute magnus debet dux, non fraude res gerere aliena. Inde lictoribus imperat, vt istum denudēt, manibusq́ post tergū illigatis virgas & flagella pueris ad cædendū agendumq́ in vrbem proditorē darent. Proditionem magistri modò senserant Falisci: ac cum ciuitatē ingens luctus non immeritò ex tanta clade occupasset, & nobilium virorū simul ac mulierū fieret in muros & portas sicut amentium concursus: adducunt præceptorē pueri nudum vinctūq́ verbe-

Falisci dedunt se Camillo.

rantes, Camillumq́ seruatorem & deum & patrem appellātes. Vnde admiratio non parentibus tantū puerorum, sed & alijs ciuibus, qui huic spectaculo intererant, desideriūq́ subijt Camilli iustitiæ, ac concione aduocata legatos, qui se suaq́ Camillo dederent, miserunt. Remisit Camillus eos Romam. In senatū adducti ita verba fecerunt: Victoria Romani iustitiam ducētes priorem docuistis nos, parēre vt malimus vobis, quàm liberi esse: qui non tantum armis nos indicamus, quàm cedere fatemur vobis virtute. Camillus, cū permitterent iudicio & arbitrio eius inuicem de conditionibus pacis patres, stipendio à Faliscis accepto, ac fœdere cū gente Falisca icto exercitū reduxit. At milites, qui prędam Faleriorum spe conceperant, vt Romā reuersi inanes sunt, apud reliquos ciues velut hosti plebis detraxerunt Camillo, qui consultum nollet egenis. Cùm verò tribuni plebis legem de habitandis Veijs de integro rogantes populū ad suffragia vocarent, Camillusq́ propalàm inuectus in plebem & concionabundus præter cæteros premeret eam, rogationem antiquarunt inuiti: sed omne odium conuerterūt in Camillum, adeò vt ne familiari quidem luctu eius (ex morbo enim fuerat altero de filijs orbatus) leniti quicquā de

Camilli accusatio.

odio remitterent: quamuis hoc vulnus vir lenis & placidus ferebat acerbè. Sed cum esset ei dies dicta, luctus eum domi cum mulieribus cohibuit. Accusator L. Apuleius crimen interuersæ prædæ Hetruscæ intentauit, adeoq́ valuas quasdam ex manubijs æreas domi eius iactabatur apparere. Erat plebs in eum incensa, neq́ dissimulabat se quauis ratione eum damnaturam. Ille igitur accitos amicos, cōmilitones & collegas, quorū erat ingens turba, rogauit ne se iniqua damnatione ob turpē noxam circūueniendum proderent vel illudendum inimicis. A quibus re inter ipsos deliberata & cōmunicata responsum tulit, non posse se illum, vt videbatur, iudicio eripere, collaturos quanti damnatus esset. Ita ille tantæ impatiens indignitatis statuit consultrice ira cedere vrbe, & in exilium abire. Salutata vxore & filio domo tacitus ad portam progressus ibi substitit, conuersusq́ supinas

Camillus abit in exilium.

manus tetendit ad Capitolium, ac deos precatus est: Si innoxius populi iniuria & inuidia suggillatus in exilium pelleretur, vt primo quoq́ tēpore populum Romanū pœniteret, omnibusq́ mortalibus constaret ope eum egere sua & desiderare Camillum. Ille cum di-

ras

ras ciuibus vt Achilles imprecatus solum vertisset: indicta causa damnato lis ei est assium quindecim millibus æstimata. Quę summa ad argenti ratione relata efficit mille & quingẽtas drachmas. As enim erat pecuniola, vnde decussis denarius vocabatur. Camilli votã haud est quisquam Romanorũ, quin insecutam confestim pœnam arbitretur, ac vindictam violato non gratam quidem, imo acerbam, nobilẽ tamen contigisse & memorabilem. Tãta deorum ira vrbi Romanæ incubuit, tantamq; ea tẽpestas secum trahens cladẽ & discrimẽ vnà cum ignominia vrbem oppressit: siue casus in id tẽporis incidit, siue numinis deus hoc curat quispiã, ne impunè opprimatur virtus ingratitudine. Primùm mense Iulio mors censoris magnum malum denunciare in foribus esse visum est. Populus enim Romanus supra modum dignitatem censoriam veneratur et sacram habet. Alterum prodigium fuit. Vir quidam ante Camilli exilium, obscurus ille quidem nec senatorij ordinis, probus tamen & frugi certe habitus tribunis M. Cedirius renunciauit rem nõ sanè contemnendam. Superiore ait nocte ex via, quam nouã vocant, cum à quopiam alta voce appellaretur, respexisse se nec vidisse tamen quenquam: audiuisse aũt humano maiorẽ vocem, quę sibi hoc diceret: Age M. Ceditii, tribunis militaribus nuncia summo mane intra paucos dies Gallos expectent. Tribuni hæc relata spreuerunt et habuerunt pro ludo. Paulò post insecuta est Camilli calamitas. Galli ex Celtis oriundi patria, cum alere præ grauante multitudine omnes non valeret, ad nouas quærendas sedes feruntur profecti. Multa millia iuuenum bellicosorum erant, quos longe maior sequebatur puerorum & mulierum caterua. Horum pars oceani Septentrionalis Riphæis superatis mõtibus oras inuasisse, atq; vltima insidisse Europæ: pars inter Pyrenæos montes & Alpes sedibus positis iuxta Senones & Celtorios diu habitauisse. Pòst vino, quod tum allatum primũ ex Italia fuit, gustato, ita fuisse potus noua voluptate capti & insanisse omnes: vt arreptis armis parentes secum trahentes ilicò contenderũt versus Alpes, regionem illam, quæ tam præstantem fructum gigneret, quæsituri: præ qua sterilem aliam immitemq; ducebant. Inuexisse in Galliam vinum atq; illiciendę in Italiam gentis author & dux Aruns dicitur fuisse, clarus in Hetruria vir, neq; sua sponte improbus, sed ex casu huiuscemodi. Tutor erat pupilli inter populares opulentissimi & formæ præcellẽtis, Lucumoni erat nomen. Hic apud Aruntem à puero educatus fuerat, et iã adolescens etiam non reliquit domum eius, ipsius duci se consuetudine simulans. Diu Arũtis vxorem ignari corruperat, & ipse corruptus fuerat ab ea. Cùm eò amor vtriusq; exarsisset, vt neq; cõpescere libidinem, neque possent occultam habere: adolescens propalàm per vim aufert mulierem. Vir iure pœnas persecutus, postquam eum frequentia amicorum, magnitudine pecunię, sumptibusq; superauit Lucumon: ex patria profugit, atq; ad Gallos, de quorum viribus audierat, contulit se, illisq; se in Italiam expeditionis ducem præstitit. Galli primo impetu totam occupant regionem, quam Thusci ab Alpibus ad superum inferumq; mare pertinentem quondam tenuerant. Nomina sunt argumento: quorum alterũ ad Aquilonem vergens Adriaticum, ab Adria Thuscorum colonia: alterum ad meridiem spectans cõmuni vocabulo gentis Thuscũ vocant. Arborib. regio omnis pascuisq; lęta atq; irrigua fluminibus, incolebatur vrbibus octodenis insignibus & amplis, ad rem industria parandam & ad luxum vitæ pariter comparatis. Has Galli eiectis Thuscis ipsi insedere. Verum hæc multo ante acta fuerant. Galli Clusium tunc Hetruriæ vrbem admotis copijs obsidebãt. Clusini opem ab Romanis postulantes orauerunt, vt legatos cum literis ad Barbaros mitterent. Missi fuere tres ex Fabiorum gente clari viri, qui magnos honores adepti Romæ erant. His Galli propter nomẽ vrbis comiter exceptis omissa oppugnatione in colloquium conuenere. Qua Clusinorũ iniuria incitati vrbem eorum oppugnatum venissent Romanis quęrentibus, ridens Gallorum rex Brennus: Iniuria afficiunt, inquit, nos Clusini, qui solum & agrum latius affectãt possidere, quàm colere valeant: neque aduenis nobis qui multi sumus & inopes, partẽ concedant finium. Eadem in vos iniuria Romani primum Albanorum, Fidenatium & Ardeatium fuit: nunc Veientium, Capenatium, multorumq; Falisci & Volsci nominis. Quibus nisi parte fortunarum suarum vobis cedant, arma infertis, in seruitutem eos abripitis, populamini, vrbes excinditis. Neq; factum id vestrum tamen iniquum fit, sed antiquissimam legem sequimini ducem, quæ fortibus res largitur ignauorum, ducta à deo & ad bruta vsque terminans. Nam et his natura cõparatum est, vt præferri imbecillioribus velint pręstantiora. Desinite Clusinorum deplorare obsidionem, ne exemplo Galli vestro incipiant oppressorum à vobis misereri. Ex hoc responso abhorrere Brennum cognoscunt Romani à quietis consilijs.

As. Decussis. Denarius.

Belli Gallici prodigia.

Gallorũ origo.

Gallorum primus in Italiam transitus.

Thuscorũ quondam potentia.

Clusium Hetruriæ vrbs.

Brennus Gallorum rex.

Itaq;

Ius gentium à Romano violatum.

Itaq; Clusium ingressi ciues confirmant & acuunt, vt vnà secum faciant in barbaros impressionem: siue quo experirētur illorum virtutem, siue vt ostenderent suam. Cùm eruptione pro muris Clusinis pugnarent, vnus ex Fabijs Q. Ambustus euectus extra aciē equo, Gallo cuidam proceritate corporis & forma insigni, qui longe ante signa extulerat se, occurrit ignotus initiò, quod esset cōcursus acris, & perstringerent aciē hostium fulgentia eius arma. Vt Barbarū superauit pugna occiditq;, legentē spolia agnouit Brennus. Ille deos testatus violato iure gentiū, quod apud omneis sit nationes sacrosanctum, cum qui vt legatus venisset, hostilia perpetrasse: extemplò signo receptui dato solutaq; Clusinorum obsidione, Romam agmen conuertit. Ne tamē cupientibus quisquam existimaret oblatam iniuriam & quæsitam occasionem: legatos præmittit, qui Fabium sibi ad supplicium postularent dedi: simul lento agmine progreditur. Romæ senatu conuocato cùm alij multi Fabios increpauerunt, tum sacerdotes qui appellantur Fœciales, religione senatui iniecta iusserunt, vt iniuriæ piaculo in vnum authorem verso id amoliantur à reliquis.

Fœcialium munus.

Hos Fœciales quietissimus & iustissimus rex instituit Numa pacis custodes, cognitores arbitrosq; causarū belli indicendi legitimarum. Eam disceptationem reiecit senatus ad populum. Vbi Fœcialibus non secus quàm in curia Fabium criminantibus, tantum cepit plebem religionis ludibrium & contemptus, vt etiam Fabium illum cum fratribus tribunum militum designarent. His Galli intellectis inflammati præcisa omni mora citato pergunt agmine.

Galli Romā infesti contendūt.

Ad quorum multitudinem & rutilantia arma, vimq; & ferociam trepidos, qui viā accolebant & prorsus iam de agris & vrbibus esse arbitrantes actum, præter spem nihil læserunt, neq; populati fines sunt: sed vrbes ex propinquo cum præterirent, Romam contendere se, solos petere clamabāt Romanos: reliquos pro amicis habere. Ita signa Gallis ad vrbem rapientibus, tribuni legiones nō pauciores numero (erant enim non infra 40. millia peditum) verum tumultuarios plerosq; ac tyrones ad bellum educunt, deorum immemores, non litatò, non auspicato, quomodo expetere pacem deum ante certamen & pugnam conueniebat. Iam ducum multitudo non mediocrem confusionem rebus gerendis attulit: cum tamen ad media bella multis tempestatibus ante vnicum ducem, quē dictatorem vocant, dixissent: haud nescij, quanti dubijs temporibus intersit vno animo ciues libero imperio, à quo prouocatio non sit, dicto esse audientes. Maximo detrimento reip. Camilli indigna fuit fortuna: cum nisi populariter & ambitiosè imperares, periculum propositum haberes. Profecti ab vrbe ad vndecimum lapidem castra metati sunt prope flumen Alliam, qui haud procul inde immiscet se Tyberi.

Alliensis pugna qua Galli fundunt Romanos.

Quo loco cū obuijs babaris fœdè, quia incondita omnia apud ipsos erāt, præliati in fugam vertuntur. Sinistrum cornu in amnem actum ilicò hostes oppressēre. In dextro, quod ex campis sensim impressionem declinans ad colles successerat, minus damni acceptum. Horum plerique inde incolumes euaserunt ad vrbem. Alios, quos hostis satietate cædis reliquos fecerat, quasi Roma desperata, ac complorata rep. fuga nocte detulit Veios. Pugnatum plenilunio circa solstitium æstiuale: quo die ante quoque ingens Fabiorum accepta clades fuerat, ex qua familia trecenti fuerant ab Hetruscis cæsi. Cæterùm obtinuit, vt dies ex clade posteriore ad nostrum vsque æuum à flumine Alliensis vocaretur.

Dies Alliensis. Dies nefasti, de quibus Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 16.

De diebus nefastis, habendi nec ne sint, & an rectè Hesiodum, qui alios bonos, alios constituit malos, quasi ignoret cuiusuis diei eandem esse naturam, reprehenderit Heraclitus, alio loco disputauimus. At ab hac commentatione non sit fortassis alienum pauca referre exempla. Hinc Bœotijs in diem quintum mensis Hippodromij, quem appellant Athenienses Hecatombæona, victorias duas clarissimas, quibus libertatē Græciæ asseruerunt, contulit fortuna, Leuctricam & alteram ante annis amplius ducentis ad Gærestòn, cum Lattamiam & Thessalos fuderunt. Hinc Persæ mensis Bœdromionis die sexto in Marathone, tertio ad Platæas eodemq; ad Mycalem sunt à Græcis cæsi vigesimo sexto in Arbelis. Apud Naxum nauali victoria circa plenilunium mense Bœdromione Athenienses sunt duce Chabria potiti. Ad Salamina vigesimo, vt in Cōmentario de diebus ostendimus. Mensis quoque Thargelion fuit manifestè Barbaris infaustus. Alexander regis præfectos hoc mense superauit ad Granicum. Eiusdem mensis die vigesimoquarto Carthaginenses in Sicilia cæsi à Timoleonte sunt: quo die eiusdem mēsis & Troia putatur capta, vt Ephorus, Calisthenes, Damastes & Phylarchus authores sunt. E diuerso mensis Metagitnion, quē vocant Bœotij Panemū, parū fuit Græcis secundus. Huius mensis die septimo signis collatis ad Cranona Antipater victos funditus euertit, & fuerant antè iuxta Chæroneum afflicti à Philippo. Hoc eodem die, eodem mense &

anno

anno Archidami copiæ, quas transportauerat in Italiam, à barbaris incolis cæsæ sunt. Carthaginenses diem vigesimũ secundum, vt qui calamitates ipsis plurimas & maximas vbiq; attulerit, habent nefastum. Nec verò me fugit contrà circa tempus mysteriorum fuisse dirutas ab Alexandro Thebas, posteaq; præsidium Macedonicum vigesimo die mensis Boedromionis, quo die mysticam pompam Bacchi educũt, recepisse Athenienses: eodem itẽ die Romanos prius duce Cepione à Cymbris exutos castris, inde Armenios & Tigranen ductu & auspicijs Luculli fudisse: Attulum regem & Pompeium Magnum periisse natalibus suis. Breui multos valeam cõmemorare, quibus vicissitudo fortunæ in eosdem recurrit dies. Romanis hic dies inter nefastos vnus est: & eius causa alteri singulis mensibus bini, postquam religio ex hoc casu & superstitio, vt solet, increuit. Verùm hæc sumus in causis rerum Romanarum accuratius persecuti. Porrò ex acie si vestigijs institissent ilicò Galli fugientium, haud dubiè Roma funditus euersa, & qui ibi remanserant, deleti essent omnes. Tanto pauore, qui ex fuga se Romam receperant, repleuerant ciuitatem: tanta etiam incesserat eam perturbatio & stupor. Nunc cum victoriam non putarent barbari tantam, ex ingẽti lętitia ad epulas, simulq; ad prædę in castris captę partitionem cõuersi, spacium profugiendi ex vrbe effusæ turbæ, & remanentibus sese colligendi prębuerunt, & ad defensionem parandi. nam reliqua deserta vrbe Capitolium telis & munitionibus firmauerunt. Sacrorum prima cura fuit, quorum partim in Capitolium comportauerunt. Sacrum ignem Vestę virgines cum sacris rapientes profugerunt. Scribunt tamen nonnulli præter æternum ignem nihil eas seruare, quem Numa rex tanquam rerum omnium principium dedit colendum. Habet enim vim mouentem supra cætera ignis: & generatio motus est, aut cum motu certè. Reliquũ materiæ destitutum calore, torpidum iacens & mortuo simile, velut animam quęrit ignis vim: quę simul atque accessit, confert se ad agẽdum quid aut patiendum. Ignem igitur virum curiosum, & quem fama tenet ob sapientiam cum Camœnis consuetudinem habuisse, Numã consecrasse & perennem mandasse seruandum, vt instar æternæ, quę vniuersitatem moderatur, virtutis. Alij ignem Græcorum more purum sacris proponi ardentem: cætera in penetralibus condita præter has virgines, quas Vestales vocant, nemini conspecta: plurimorumq; vulgatum sermone est Mineruæ signũ ibi asseruari, ex Troia in Italiam ab Aenea aduectum. Sunt, qui fabulentur deos ex Samothracia, cum Troiam conderet, attulisse eò Dardanum, atque sacrasse, sacraq; & ceremonias ijs instituisse: Aeneam inde capta Troia clam sublata seruasse, dum in Italia consedit. Qui verò maiorem habere se huius rei notitiam iactant, duo aiunt illic reposita dolia esse, apertum alterum atq; inane: alterum plenum & consignatum, solarum vtrunq; sanctissimarum harum virginum permissum oculis. Hos alij hinc arbitrantur falli, quod ea tempestate virgines maximam sacrorum partem in duo condita dolia defoderint sub æde Quirini: vnde locus adhuc doliorum seruet nomen. Præcipuis verò & dignioribus sublatis, sacris trans fluuium ceperunt fugam. Ibi L. Albinus de plebe homo, plaustro coniugem paruosq; liberos suos cum rebus necessarijs inter profugientes exportans: vbi ferre gremio virgines sacra deũm conspicit omni destitutas ope & fatigatas, euestigiò vxorem ac liberos cum rebus suis detrahit ex plaustro, illas in vehiculum imponit, vt in ciuitatem quandam Græcam recipiant se. Huius religionem & reuerẽtiam Albini, quam aduersus deos immortales difficilimo articulo demonstrauit, non potui facere, vt silentio præterirem. Aliorum deorum sacerdotes, senesq; consulares & triumphales non sustinuerunt vrbem relinquere: sed quæ augustissima vestis est thensas ducentibus triumphantibusq;, ea vestiti, & Pontifice maximo præeunte verba Fabio, deos precati, quasi pro patria semetipsi deuouentes, in foro eburneis sellis cum eo consederunt ornatu: quod sors ferret, expectantes. Tertio quam pugnatum fuit die, Brennus signa ad vrbem tulit. Qui postquam nõ portas clausas, nullam in muris inuenit stationem: insidias primùm suspectas habuit & fraudem, haud credens Romanorũ tam deplorata esse cõsilia. Vbi id, quod erat, cognouit: ingressus porta Collina cepit Romam trecentis sexaginta annis, & aliquanto amplius quàm condita fuisset: si verisimile est vsquam illorum temporum extare exactam memoriam: quando alia recentiora effecit confusio illa ambigua. Hæc tamen captæ vrbis calamitas obscuro rumore statim perlata in Græciam est. Ponticus enim Heraclides affinis his temporibus, in libro de Anima, annunciatũ ex Occidente refert exercitum alienigenarum ex Hyperboreis progressum, Gręcam vrbem cepisse Romã, illo in tractu prope Oceanum sitam. Equidem non mirer, portentosum hominem & vanum Heraclidem, veritati captæ vrbis

Romanorum in diebus obseruandis superstitio.

Sacer ignis.

Ignis vis.

Quæ sacra apud Vestales seruarentur.

Mineruæ signũ ex Troia.

L. Albini in deos pietas.

Roma à Gallis capta.

Aristotelis de capta Roma testimonium.

iactantiæ causa aspersisse Hyperboreos & Oceanum. Aristoteles philosophus captam à Gallis vrbem accepisse se disertè testatur: sed Lucium, qui eam seruauerit, nũcupat, cum Marcus fuerit, non L. Camillus. Verùm hæc per coniecturam dicta sunt. Occupata vrbe Brennus relicto ad Capitolium præsidio per forum descendens, substitit miraculo virorum eo ornatu & silentio considentium: quòd nec assurgerent aduenientibus hostibus, neq; vultũ colorem've mutassent: sed soluti & intrepidi scipionibus, quos manu tenebãt innixi, & in se mutuò versi quiescerent. Huius rei cõmoti Galli miraculo sunt, diuq; cun ctatio eos atttectandi accedendiq; velut augustiores tenuit. Donec vnus ex illis ad M. Papirium propius accedens, admota leuiter manu mento eius barbam, quam habebat promissam, demulsit: in cuius caput Papirius scipionem eburneum ita incussit, vt id com minueret illi. Hunc Barbarus strictò occidit ense.

Romanorũ seniores à Gallis occiduntur.

Ab hoc initio reliquos impetu facto contrucidauerunt, neq; vlli postea mortalium parci, diripi permultos dies tecta, expilatis & exhaustis iniici flammæ, diruiq; ea, quod infensi essent Capitolium insidẽtibus, qui vel inuitantibus non fuerant audientes: sed ex interiecto muro oppugnantibus vulnera defendendi sui gratia ingesserant. Quod in causa fuit, cur & vrbem euerterint, atque insuper quos ceperunt, promiscuè viros & mulieres, senes puerosq; cõtrucidauerint.

Capitolium obsidetur à Gallis.

Cum segni obsidione deficeret Gallos commeatus, partitis copijs pars apud regem ad custodiam arcis remanserunt, pars prædatum iuerunt per finitimos populos, vicosq; vi expugnabant: non omnes simul tamen, sed alijs alij regionibus cateruatim et manipulatim pa lantes: quòd secundis rebus elati sine metu agerent. Maxima manus & maximè compo sita Ardeam, vbi agebat Camillus, contendere. Ille rep. quidem post damnationem absti nens vitam colebat priuatam. Tunc autem spem animo concipiebat, variaq; agitabat, nõ contentus si inscijs hostibus euaderet sospes, sed moliebatur per opportunitatẽ eos adoriri. Qui cum Ardeates cerneret satis abundare iuuentute, sed propter ducum imperitiã & socordiam parum animatos, coniecit primùm in iuniores sermonem: Non esse Romanorum cladem virtuti asscribendam Gallorum: neque aduersa, quę rebus male consultis perpessi sint, ferenda accepta ijs, qui nihil ad victoriam contulerant: imò fortunæ esse id opus. Præclarum esse, vt bellum peregrinum & barbaricum, quod finem habeat vincendi, qualem ignis, victum vt perdat, propulsent vel cum periculo. Verùm si caperent animos, & alacres essent, securam oblaturum ipsis se in tempore victoriam. Cum ea ad hortatio iunioribus placuisset, inde ad magistratus & senatores Ardeatium conuersus, vbi hos eòdem induxit, armauit iuuentutẽ: atque ne hosti, qui prope erat, suboleret res, cõtinuit intra muros. Illi fines depopulati onustiq; præda, castra neglectim ac tumultuariè in cãpo metati sunt. Nox inde oppresit temulẽtos, fuitq; silẽtiũ in castris. Hæc Camillus ab exploratorib. edoctus, eduxit Ardeates: atq; interiectũ spaciũ silẽti agmine emensus, media ferme nocte copias admouit vallo.

Camillus propè Ardeam cædit Gallos.

Tũ magno sublato clamore tubisq; cõcinẽtib. vndiq; terrorẽ iniicit hostibus, vino somnoq; ita cõfectis vt vix ad illũ strepitũ excitarentur. Pauci, quib. crapulã excusserat pauor sese colligẽtes, cũ Camillo se obiecissent, pugnãtes ceciderũt. Cæteros sopore crapulaq; adhuc graues, cũ occupassent, inermes cõtrucidauẽ re. Paucos, qui nocte se eiecerãt castris, equites die in agris palãtes assecuti interemerũt. Hæc victoria ilico rumore per ciuitates dilata, iuuẽtutem magno numero conglobauit, exciuitq; Romanos imprimis, quos fuga ex acie Alliensi detulerat Veios, lamentantes inter se. Quem ademit vrbi Romę fortuna virum Camillum, decorauitq; pręclaris factis eius Ardeam: cum interim illa, quæ edidit atq; eduxit talem virum, vrbs iaceat complorata. Nos autem ducis exortes, & alienis cincti muris, Italiam per ignauiam prodimus. Quin imperatorem nostrum per legatos repetimus ab Ardeatibus, aut ipsi armati ad illum pergimus. Neq; enim vltrà ille exul aut ciues nos nulla patria, quam obtinet hostis, sumus. Ita consensu omnium mittunt legatos, qui orent Camillum, vt imperium susciplat. At ille ante se, quam populus, qui Capitolium tenebat, legitimè sciuisset, negauit se suscepturum: illos pro patria habere incolumes, iubentibusq; promptè obsecuturum, non se ingesturum inuitis. Ac Camilli quidem pudorem admirati sunt & probitatem: sed difficultas erat in arcem mittendi.

Pontius Cominius ascendit in Capitolium.

Imò vt per vrbem in Capitolium plenam hostium euaderet nuncius, haudquaquam fieri videbatur posse. Erat inter iuuenes Pontius Cominius mediocribus quidem inter ciues natalibus, gloriæ verò & honoris cupidus. Hic ei discrimini obtulit se vltrò. Literas autem non accepit ad eos, qui in Capitolio erãt, ne capto se cognoscerẽt ex ijs hostes Camilli consiliũ. Veste vili & sub ea suberis corticibus sumptis, reliquum itineris luce tutum perfecit. Primis tenebris cum prope vr

bem es-

bem esset, quia ponte ob custodiam hostium non licebat flumen transire: vestem (neq; enim erat multa vel grauis) capiti circumligata, incubans atq; innixus cortici ad vrbē tranauit: atq; insomnes ex ignibus & strepitu conijciens, vitabũdus peruenit ad portã Carmentalem: vbi silentiũ erat maius, quà collis Capitolinus maximè abscissus est, frequentiq; atque aspero vndique assurgit saxo. Hac ille clam scandit, & ad stationem tandem in muro excubantem, vbi maxime abrupta rupes erat, ingenti difficultate euadit. Salutatis, qui sit, aperit: à quibus ducitur ad magistratus. Senatu euestigiò conuocato, Camilli annunciat victoriam adhuc ignaris, & mandata exercitus edit: admonens, vt imperium Camillo, quod vni illi absentes milites dicto fore audientes viderentur, confirmarent. His acceptis ac re deliberata dictatorem Camillum dicunt, Pontiumq; eàdem remittunt. Is pari fortuna & hostes fefellit, & ciuibus qui extra vrbem erant, retulit senatus decretum. Camillus magna lætitia receptus ab ijs, inuenit iam 20. millia armatorũ: maiorē numerũ ipse ex socijs conscripsit, & ad Gallos adoriendos expediebat se. Ita Camillus dictator iterum dictus. Veios profectus concionem ad milites habuit, ibidemq; maioribus copijs ex socijs contractis, statuit aggredi hostem. Romę barbari, quà Pontius nocte Capitoliũ superauerat, transeuntes animaduertunt passim pedum vestigia & manuum, vt quodq; vel apprehenderat vel complexus fuerat, passim etiam diruptis innatorũ obtritus & terræ procidua, renunciantq; regi. Ille locum ipsum contemplatus in præsentia tacuit. Sub noctem expeditissimo quoq; de suis, & montibus maximè assueto delecto: Viam nobis, inquit, quam ignorabamus, ad se hostes ipsi demonstrant non inuiã, neq; inaccessam esse hominibus. Pudendum aũt sit, cum habeas principium, exitum non persequi, & à loco abstinere tanquam inexpugnabili: cum qua capi possit, ipse suggerat hostis. Nam quâ vni procliuis ascensus, illac nec multis est singulatim arduus. Imò qui simul aggrediũtur, multum alterni innixi subleuantesq; mutuò habent adminiculi. Præmia autem & honores pro cuiusq; merito habebũtur. Ita rege fato, Galli promptè operã suam polliciti sunt.

Camilli secunda dictatura.

Noctis conticinio multi simul cœperunt silenti agmine petram scandere. Qui quanquã cum locis præruptis & confragosis colluctabãtur, spe tamen molliora tentãtibus & proniora erant. Itaque primi vbi verticem attigerunt, atq; se in ordinem disposuerunt: tantũ non murũ tenuerunt, stationemq; inuaserunt sopitam. nam nec homo eos nec canis sensit. Sacri anseres ad ædem Iunonis alebantur aliàs liberaliter, tunc parcè, & angusto suppeditante ipsis cõmeatu neglecti affligebantur. Est autem illud animal alioqui sua sponte acris auditus, & ad omnem strepitum expauescēs. Hos & inedia insomnes et turbidos minimè Gallorum ingressus fefellit: sed cursu & clangore delati ad Romanos, omnes excitauerunt. Et iam barbari quoq; vt senserunt se detectos, ingentem sustollentes clamorem, maiore vi intulerunt sese. Romani raptis confestim armis, quæ cuiq; obuia erant ex præsenti copia, obijciunt se hostibus. Primus omnium Manlius vir consularis, cùm corpore valido tum animo insigni, duobus simul hostibus occurrens: alterius, qui sustulerat securim, quam copida vocant, dexteram eius ense amputat: alterum vmbone in faciem ictum, retrò præcipitat de saxo. Inde muro superstans cum ijs, quos festinatio ei aggregauit, paucos reliquos, qui ascenderant, cum nihil designassent memorabile, deturbat. Ita depulso periculo præfectum vigilum prima luce præcipitant de saxo ad ima. Manlio victoriæ pręmium honore quam emolumento amplius decernunt: cui omnes, quantum quisq; in diem cõmeatus recipiebat, selibras farris, vel quartarios vini cõtulêre.

Galli nocte aggrediuntur Capitolium.

Sacri anseres seruant Capitoliũ.

Manlius reijcit à Capitolio Gallos.

Inde cœperũt Galli cadere animis. Et enim tũ annona eos premebat angustior, quod timor arceret eos à frumētando Camilli: tum morbus in eos vulgabatur ex cadaueribus promiscue aceruatis, castra habentes inter rudera: cinerisq; cumuli aera torridum acremq;, cũ quid vēti motũ esset excitãtis vapore corpora, inter respirandũ affecerũt. Pręcipuè natiui cœli cõmutatio, cùm ex locis vmbrosis & æstate amœnorum plenis recessuum, in humilem & grauem sub autumnum se coniecissent: & obsidio Capitolij, ociumq; diuturnum (nam mēsem iam septimũ resides circũsidebant arcem) mouit eos, stragesq; in castris tãta erat, vt ne sepelirētur quidē præ multitudine funera. Neq; erant interim in meliore statu obsessi. nam cùm fames gliscebat: tum quid ageret Camillus, quia ignorabãt, languescebãt animis. Quia enim custodiebant barbari vrbē arciè, nemo valebat ad eos penetrare. Itaq; in tali rerũ vtrobiq; statu, qui in stationibus erãt, milites intulerũt inter se primo de paciscendo mentionē. Quod vbi principibus placuit, inter Sulpitiũ tribunum militũ & Brennum colloquio transacta res est: vt Romanus mille pondo auri daret, illi vt his acceptis statim vrbe & finibus decederent. His iureiurando firmatis, auroq; apportato, pondera

Gallos pestis Romæ infestat.

Romani auro se ab Gallis redimunt.

à Gallis allata iniqua, primùm clam, mox apertè detractum lancis momentum, & peruersum est. Id Romanis indignè ferentibus, Gallus addita insolentia et contumelia, gladium discinxit, quem vnà cum balteo adiecit ponderibus. Tum Sulpitio quærente, quid hoc rei esset: Quid aliud, inquit, quàm veh victis? quod postea in prouerbium abijt. Apud Romanos alij indignati, censereq; recepto abeundum auro esse, sustinendamq; obsidionem. Alij dissimulandam putare mediocrem iniuriam, nec probrum cumulo precij attribuendum ipsis, qui vel aliquid dare, temporibus postulantibus, nō honestè quidem sed necessario sustinerent. Interea dum Romani cum Gallis & inter se altercantur, venit Camillus cum exercitu ad portas. Qui re intellecta, quæ agebatur, iussit reliquos instructos composito gradu subsequi, ipse cum primoribus ad Romanos se actutùm citato confert gradu. Romanis ei loco decedentibus, recipientibusq; vt summum magistratum modestè & cum silentio: aurum ex lance sublatum lictoribus tradit, trutinam et pondera recipere Gallis & facessere iubet. Addit, ferro patriam non auro seruare Romanis solenne esse. Fremente Brenno, & contra pacta affici se iniuria conquerente: negat ritè factam esse, neque ratam pactionem. Se namque creato dictatore, cum penes alium neminem imperium lege sit, cum ijs, quibus ius non esset, pactos esse. Nunc dicendum esse, quid uelint. se adesse, penes quem arbitrium lege sit petentibus veniam dandi, & supplicium sumendi, nisi pœniteat, ab authoribus. His Brennus turbatus cœpit tumultuari. Et iam manus vtrinque gladijs admouebant, atque impellebant se inuicem confusi: utpote qui inter ædificia & viarum angustias versarentur, locisq; vbi instrui non posset acies. Cæterùm Brennus confestim ad se reuersus, paucis desideratis in castra Gallos reduxit. Nocte excitatis omnibus excessit vrbe, progressusq; ad octauum lapidem via Gabina, castra metatus est. Simul atque diluxit, institit ei Camillus fulgentibus armis, cum exercitu tunc animi pleno, commissaq; ad multum diei acri pugna, Gallos ingenti cæde fudit, fugauitq;: cepit & castra eorum. Multos ex ijs, qui effusi in fugam erant, euestigiò Romani adepti interfecerunt. Maximam partem illi, qui in vicis circà & oppidis habitabant, inuaserunt dissipatam, trucidaueruntq;. Ita Roma magno miraculo capta, maiore est recuperata: cum septem totos menses in hostium potestate fuisset. Occupauerūt eam Galli paucis diebus post Idus Quintiles: exacti fuerunt Idibus Februarijs. Camillus triumphauit, vt meritus erat, qui amissam seruauit patriā, ciuitatemq; ipsam in se reduxit. Nam qui profugerant cum liberis & coniugibus, cum triumphante redierunt vrbem inuecto. Obsessi in Capitolio, qui penè extincti fame fuerant, occurrerunt alijs cum lachrymis, se mutuò præ insperato præsenti gaudio complectentes: sacerdotes que deorum immortalium & æditui, quæ in fuga sacra aut ipsi defoderant, aut clam secum asportauerant, salua reportantes, lætum præbuerunt spectaculum ciuibus: qui eos, vt si ipsi cum illis Romam dij remearent, cum gratulatione receperunt. Camillus sacris operatus lustrauit vrbem præeuntibus pontificibus. inde ædes sacras restituit priores. Nouum etiam templum extruxit Aio Locutio, quo loco nunciam cœlitus barbarorum aduentus vocem audiuerat M. Cedirius. Incumbente Camillo, annitentibusq; sacerdotibus, sacra loca magno labore inuenta. Vt visum est vrbem instaurare, quæ proruta tota erat, desperatio plebem inceptus incessit, cunctatioq; omniū rerum egenam. Quippe alleuationem potius & refocillationem desiderabant, quàm vt fatigarent & affligerent se, neque argento neque corporibus valentes. Ita sensim Veios respicientes vrbem omnibus instructam rebus & stantem, materiam præbuerunt hominibus ambitiosis populū concitandi, & sermonibus aduersus Camillum seditiosis. Illum enim ambitione adductum & priuata gloria vrbem ipsis inuidere paratam, compellere verò ad ruinas colendas & ad excitandam, quæ prostrata flamma erat, vrbem: quo nō solùm dux Romanus & imperator, verùm etiam amoto Romulo conditor appelletur. Hinc seditionem senatus metuens, (licet nullius vnquam excesserat sex mensium spacium dictatura) vt abdicaret se intra annum dictatura Camillus, cum vellet, non permisit. Ipse etiam senatus hortando & prensando populum leniebat, mulcebatq;: nunc monumenta & sepulchra maiorum ostendens, nunc subijciens fana & loca sacra quæ Romulus, Numa, alij'ue reges sacrauerant, atq; ipsis reliquerant. Inter prima sacra recens caput proposuit, quod in moliendo Capitolij fundamento inuentum, locum illum portendit caput Italiç fore. Ad hæc si Vestæ ignes à Virginibus post bellum accensos obruerent iterum, atque extinguerent relicta vrbe, sessurum ipsis ignominiæ: siue ab alijs habitatam Romam aduenis vel alienigenis, siue desolatam aspiciant ac desertam. Hæc apud ciues priuatim & publicè

Camilli uox fortissima.

Camillus acie fundit Brennum.

Aio Locutio ædificatum templum Romæ.

Camillo Dictatura prorogata.

publicè sæpe quiritantes, rursus à plebe commouebantur præsentem lamentante inopiã, precantes ne se tanquam ex naufragio nudos & omnium rerum indigos in vnum cogerent, vt vrbis reliquias euersæ, cum parata esset præ manibus altera, compingerent. Visum igitur Camillo est sententias senatus perquirere. Cùm autem multis ipse disseruisset pro patria, multis etiam alij, quibuscunque esset visum: postremo L. Lucretium, qui princeps dicere solebat, primo loco sententiam, deinde ordinè reliquos rogauit. Silentio facto cum iam dicturus sententiam Lucretius esset, fortè centurio cohortem stationis diurnæ reducens illac, locum concilij transibat. Is ad Primipilum exclamauit, vt ibi maneret, signumque statueret: Optime enim, inquit, hic manebimus. Huic voci tam opportunè auditæ, eique omini & ænigmati Lucretius adoratis dijs est assensus, omnesque alij pedibus in eam sententiam discesserunt. Mirifica etiam in plebe consecuta volũtatis mutatio est excitantibus se mutuò & incumbentibus ad ædificandum. Promiscuè cœperunt & sine discrimine, prout paratus quisque fuit, aut qua cuique libuit, in vacuo ædificare. Vnde festinatio & acceleratio curam exemit vicos dirigendi in ædificanda vrbe, distinguendique ædificia. nam intra annum asseuerant nouam tum mœnibus tum priuatis tectis stetisse vrbẽ. Pontifices, qui à Camillo loca sacra requirere & terminare erant iussi, omnibus mistis, vt ad Martis curiam Palatium lustrantes peruenerunt, offendũt eam sicut reliquas prostratam à barbaris atque exustam. In moliendo & purgando loco reperiunt sub magno cumulo cineris Romuli baculum, quo vti ad auspicia solitus erat. Is ab altera extremitate inflexus est: Lituum vocant. Huius in cœli regionibus describendis vsus est auspicantibus: ad quod ille augurandi peritissimus illum habuerat. Romulo deinde ex conspectu hominum ablato, hunc baculum sacerdotes à contactu hominum seruauerunt vt rem sacram. Eo tunc amissis cæteris integro inuento, læti spem conceperunt Romam hoc omine æternam significari fore: haud dum his defunctos ærumnis repentè occupat bellum. Acqui simulque Volsci & Latini fines Romanos populabantur. Tusci Sutrium obsidebant, socium populi Romani oppidum. Cùm autem tribuni militum, qui exercitui præerant, ad Martium montem, vbi castra habebant, obsiderentur à Latinis, significassentque Romam, quanto in periculo castra, ne expugnarentur à Latinis, versarentur, Camillus tertiùm dictator dicitur. Fama de hoc bello est duplex: fabulas primùm percensebo. Latinos aiunt, siue in speciem, siue reipsa instituisse de integro contrahere inter vtramque gentem affinitatem, ac legatos misisse, qui ingenuarum puellarum à Romanis poscerent connubia. Fluctuantibus, quid consilij caperent, Romanis (quippe & bellum, qui nondum respirauerant, neque collegerant se, horrebant: & postulatione connubij obsides suspicabantur peti, quod specioso titulo vocarent connubium) ancillam Tutolam nomine, vt alij dicunt, Philotidem principibus subiecisse, secum vt mitterent ancillas, quę ætate florente & liberali essent forma, in virginum ingenuarum morem excultas: reliqua sibi curæ fore. Principes probato consilio delegisse ex ancillis, quas ad eam rem illa probasset: eas que veste ornatas & mundo Latinis, qui statiua non procul habebant ab vrbe, tradidisse. Nocte cæteras gladios hostibus subtraxisse: Tutolam vel Philotidem conscensa edita caprifico, et stola aduersus castra obtensa, facem Romam versus sustulisse: quod ei cum magistratibus signum alijs inscijs ciuibus conuenerat. Quapropter tumultuarie à militibus excursum fuisse, cum instarent duces, sese mutuò appellantibus, vix vt instrui possent in aciem. Vallum nec opinantibus hostibus sopitisque adortos cepisse castra, atque maxima ex parte hostes obtruncasse: idque gestum Nonis Quintilibus, quas nunc appellant Iulias. In huius rei memoriam festum agi, quo primùm agmine erumpentes vrbe nomina plurima patria & vulgaria cient, Caium, Marcum, Lucium, & his similia: referentes mutuam illam in properando appellationem. Deinde splendidè comptæ vrbem circumeunt ancillæ, dicteria in obuium quemque iacientes. Pugnam quoque inter se conserunt, vt quæ etiam tum in prælio cum Latinis inito operam nauauerint suam. Ad epulum consident ficulneis inumbratæ ramis. Eum diem Nonas Capratinas à caprifico, vt arbitrantur, ex qua facem edidisse ferunt puellam illam, nominant. Alij pleraque, quæ hic aguntur & dicuntur referũt ad Romuli casum. Illo enim die ex oculis hominum extra portam abiisse Romulum, caligine subito cum procella coorta: vt autem nonnulli arbitrantur, sole deficiente. Atque hinc diem illum Nonas Capratinas à capra dictum. Nam Romulum, vt in vita eius retulimus, cum ad paludem capræ appellatam haberet concionem, ex conspectu hominum ablatus est. Cæterùm plerique scriptores historiam alteram magis probant, quam hoc modo narrant. Di-

Omẽ instaurandæ Romæ.

Roma instauratur.

Lituus incensa Roma, integer repertus.

Bellum Romæ à finitimis illatũ.

Camilli tertia dictatura.

Ancillæ astu, Roma bello liberata.

Quæ hic de hac ancilla narrantur, sunt etiã in Romulo. vide Macrob. Sat. libro 1. cap. 6.

Nonæ Capratinæ, vnde dictæ.

Camilli stratege ma.

ctator tertiùm Camillus dictus, nunciato legiones cum tribunis militũ à Latinis & Volscis obsideri, delectum habere non iuniorum solùm, sed maiorũ natu quoq; coactus est: ac longo flexu Martium montem exercitu circunducto, castra à tergo hostium clam est metatus. Multis inde accensis ignibus significauit aduentum suum. Ea re cõfirmati, qui obsidebantur, inuadere hostem & manus conserere adoriuntur. Latini & Volsci recipiunt se intra vallum, eum multa materia sepiunt, castraq; vndiq; muniunt ancipiti ab hostibus trepidatione: certi alteras copias ab domo expectare, simulq; auxilia respiciẽtes Hetruscorum. Hoc Camillus animaduerso: veritus, ne quod ipse fecerat, qui hostes cinxerat, in se verteret, præripere maturat occasionem. Erat sepes qua se munierant, lignea & vis magna venti deferebatur à montibus simul atque dilucesceret. Igitur multo igne parato, copias summo manè eductas distribuit, vt alij in hostem missilia iacularentur, & magnum clamorem ex altera parte tollerent: alios, qui flammam iniecturi erant, qua potissimum incumbere in vallum hostium solebat ventus, ducens horã operiebatur. Vbi iam

Camillus cedit Latinos.

commissa pugna sol exortus est, & increbruit ventus: signo aggrediendi dato, grandinẽ telorum ignitorum ingessit vallo. Flamma vt materiam contextam, & vallũ ilicò amplexa ligneum in proxima se vndique dissipauit: Latini qui nihil haberent ad manum, quo arcerent, restinguerentq; incẽdium, cum tota castra iam depasceretur ignis, angusto conglobati loco, in armatos & instructos pro vallo hostes compulsi sunt effundere se. Pauci horum euasere. Qui in castris restiterunt, flamma omnes absumpti, dum igni restincto prædam Romani diripuerunt. His actis Camillus ad prædam captiuosque seruandos, præfecto castris Lucio filio profectus est ad fines hostiũ depopulandos, captoq; Aequorum oppido, & Volscis ad deditionem redactis, confestim Sutrium mouit, magnisq; itineribus, vt in periculo constitutis & obsessis ab Hetrusco subueniret, (Nondum enim

Camillus Sutriũ eodẽ, quo amissum fuerat, die recepit.

clades ad eum perlata Sutrinorum fuerat) contendit. At illi dediderant iam hostibus vrbem, omnibusq; rebus exuti, atq; cum singulis emissi vestimentis, in agmen Camilli cum liberis coniugibusq; inciderunt, suamq; lamentabantur sortem. Miserabili cõmotus specie ipse Camillus, cum Romanos cerneret obtestantibus eos Sutrinis nõ tenẽtes lachrymas, ac molestè casum eorum ferẽtes, decreuit instare vltioni, eoq; ipso die Sutrio admouere exercitum: reputans se hostes, copiosa modo capta & opulenta vrbe, in qua nullus reliquus hostis esset, neque aliunde timerent, solutos prorsus ac sine stationibus deprehensurum. Nec eum fefellit opinio. non solùm iter eius per fines inexploratum hostibus fuit, verùm etiam antequam animaduerterẽt, ad portas accessit, murosq; tenuit. Neglecta enim inuenit omnia. Effuderant sese omnes intra tecta in vinũ & epulas. Vbi senserunt hostes iam in vrbe esse, adeò demersi epulis erant & crapula, vt pleriq; ne fugam quidem tentarent: sed intra tecta cum summa turpitudine, vel cæderentur vel in potestatem se darent hostium. Ita Sutrium bis eodem die captum est: eueniq;, vt qui oppidum ceperant, id amitterent: & qui amiserant, opera id recuperarent Camilli. Ductus hinc triumphus, non secus gratus clarusq; ac duo priores fuit. Nam ciues præcipuè in eum maleuolos, quiq; omnia eius præclara facta fortunæ potius accepta quàm virtuti eius referebant, tum res gestæ consilio eius atq; virtuti adegerunt omnem ascribere gloriam. Inter

Manlius Capitolinus seditionem mouet.

aduersarios & æmulos eius princeps erat M. Manlius, is qui ex arce depulerat primus Gallos, cum Capitolium essent nocte adorti: vnde nomen illi inditum Capitolino. Hic primatum affectans in ciuitate, cùm bonis artibus superare laudes Camilli non valeret, viam ad tyrannidem affectauit communem illam & vulgatam subeunda plebe, maximè obæratis. Itaq; dum hos aduersus fœneratores defendit patrocinaturq;, illos vi eripit ac duci lege prohibet: breui magna manus stipat eum egenorum, quorũ audacia & tumultus in foro in ingentem optimates adduxit metum. Dictator Q. Capitolinus ob hãc causam dictus, in vincula cum duci Manliũ imperasset: plebs, quod fieri nisi in grauibus calamitatibus & publicis non solet, vestem mutauit. Ita senatus seditionis timore dimitti iussit Manlium. Ille ob id nihilo factus melior, insolentius factionibus & seditionibus ciuitatem implet. Camillo igitur rursus creato tribuno militum, cum esset Manlio dies dicta, accusatores impediebat magnopere loci conspectus. Nam locus, vnde nocte reiecerat Manlius Gallos, erat ex Capitolio in foro conspicuus, mouebatq; præsentes, cum eò manus tenderet, & lachrymabundus illius decoris renouaret memoriam. Vnde perplexi iudices diem sæpius distulerunt. qui neque liberare eum manifestis cõuictum iudicijs crimine poterant in animum inducere: neq; cum locus tantum subijceret oculis factum, lege agere valebant. Quod vbi considerauit Camillus, extra portam in Petelinum lucum,

vnde

vnde conspectus non esset in Capitolium, iudicium traduxit. Ibi accusator crimen intendit, iudicesq; facinoribus eius ob oculos positis, dignas præsentibus sceleribus pœnas ei irrogauerunt. Manlius, vbi damnatus est, in Capitolium ductus, ac de saxo præcipitatus, locum eundem habuit & eximiæ gloriæ & tristissimi exitus monumentum.

Manlij Capitolini supplicium.

Populus Romanus domum eius demolitus, in area ædem deæ, quam Monetam vocant, ædificauerunt: latumq; ad populum est, ne quis posthac patritius in arce habitaret.

Monetæ ædes.

Porrò Camillus sextum tribunatum sibi oblatũ deprecatur. nam præterquam quod exacta iam esset ætate, etiam inuidiam habebat vicissitudinemq; fortunæ ex tãta gloria & felicitate suspectam. Apertissimè autem excusauit ob corporis valetudinem. siquidem ijsdem fortè diebus morbo detinebatur. Enimuero non concedere ei vacationem populus, sed clamare: non equitis ab eo, non peditis in prælijs munus, consilium duntaxat & ductum requirere. Itaq; suscipere magistratum, & vno adiuncto ex collegis L. Furio, compulerunt eum in hostes ducere. Prænestini & Volsci hi erant, qui ingentibus copijs vastabãt sociorum populi Romani fines. Ab vrbe profectus castra hostium castris contulit, eo animo vt bellum traheret. Quod si dimicandum plane esset, cõfirmato corpore vt pugnaret. Cum verò collega eius Lucius gloriæ cupidine postularet ferociter conflictum, incenderetq; simul centuriones ac manipulares: veritus, ne inuidia videretur iunioribus victoriã & decus è manibus eripere, cum inuitus educere illi in aciem permisisset legiones, ob valetudinem & imbecillitatem cum paucis substitit in castris. Postquam inconsultè Lucius in certamen prouectus titubauit, animaduerso Camillus Romanos terga dare, nõ cõtinuit se: sed exiliẽs ex lectulo, occurrit cum comitatu suo ad portas castrorũ, & per medios fugiẽtes intulit se in instãtẽ victis hostẽ.

Camillus fusos Romanos in pugnam reducit.

Ergo Romani partim extẽplò pugnã repetẽtes sequũtur Camillũ: partim q adhuc se ex fuga recipiebãt, obijciũt se pro duce cõglobãtq; cohortantes inter se, ne desererẽt ducẽ. Hoc modo tũ hostes ab insectãdo repressi. Postero die educit copias Camillus, hostesq; signis collatis fundit, atq; in castra vnà cũ effusis in fugã illatus, ingẽtẽ stragẽ edit.

Camillus fundit Prænestinos & Volscos.

Inde cũ expugnatũ *Sutricũ intellexisset à Thuscis, et colonos fœde trucidatos: plerosq; milites & graue armaturã remisit Romã. Trahẽs autẽ secũ ex delecta iuuẽtute impigerrimos quosq;, eos qui oppidũ tenebãt, adortus Thuscos est. Fusos partim expulit vrbe, partim interfecit.

**Satricum habet Liuius.*

Camillus cædit Thuscos.

Regressus cũ ingẽti prędа Romã, demõstrauit prudẽtissimos esse, q nõ deterriti valetudine & ętate ducis, vsu & animo prẽditũ vegeto tergiuersantẽ designauerãt, affectũq; præ florẽnb. ætate & ambitiosis. Quare cũ defectio Thusculanorũ nũciaretur, mãdãt id bellũ Camillo, vnũ tãtũ ex quinq; collegis allegeret sibi. Ille cæteris, quamuis peterẽt & cuperẽt oẽs, præteritis, cõtra expectationẽ omniũ optauit L. Furiũ. Is ille erat, qui modo inuito Camillo cõflictus author, in pręcipitem casum remp. adduxerat. At hic, vt scilicet obrueret eã calamitatẽ, ac collegæ infamiã leuaret, pręposuit eũ cæteris.

Camilli in Thusculanos expeditio.

At Tusculani errorẽ callidè auertẽtes, cũ esset iã in expeditione aduersus ipsos Camillus, aratorib. pastoribusq; agros vt in alta pace cõpleuerãt, patebãt portæ, pueri in ludis operã literis dabant, ex vulgo opifices suo quisq; operi intenti cõspiciebantur, spectatiores in foro obuersabantur togati, magistratus sedulò circumibãt ad designandũ Romanis hospitia, tanquã remoti ab omni suspicione essent mali, nec cuiusquam sibi cõmissi conscij. Hæc res non exemit quidem eos apud Camillum proditionis opinione, sed illorum pœnitentia ex proditione flexit eum ad misericordiã: senatũ adire iussit ijs pœnam deprecatum. Deprecantibus adfuit Camillus, vt & crimine liberarentur, & ciuitatem impetrarent. Hæc Camilli præclarissima in sexto tribunatu gesta fuere.

Tusculanorum calliditas.

Post hæc Licinio Stolone ingentem in vrbe concitante tumultum (nam plebs insurgebat aduersus patres, vt duorum consulum, qui quotannis designarentur, alter ex suo corpore crearetur, non patritij ambo) tribuni militum creati sunt: comitia consularia impediuit plebs.

Seditio Romæ.

Cum res magistratibus non creatis ad grauiorem spectaret motum, Camillus quartùm dictator à senatu plebe inuita creatus est: haud sane etiam ipse volens, vt qui committi nollet cum hominibus, quibus licebat ex multis & ancipitibus prælijs liberè & verè dicere plura se cum ipsis militiæ, quàm domi gessisse cum patritijs: nunc verò eorum odio esset lectus, vt aut ipse, si superior foret, multitudinem opprimeret, aut opprimeretur victus.

Camilli quarta dictatura.

Attamen quo mederetur huic malo, cum diem præsciret, qua ferre rogationem destinauerant tribuni plebis, in eam delectum edicit, populumque euocat ex concione in campum, magnam mulctam denuncians ei qui ad nomen non respondisset. Contra tribuni certare minis atque deierare, si pergeret, quo minus suffragia inire de lege valeret populus, obstare: quingenûm millium æris ei mulctam dicturos,

Igitur siue alterum exilium & damnationem veritus vt ætate iam graui & tantis rebus gestis indignam, siue tantæ plebis procellæ & pertinacæ impar, tunc quidem domum se recepit. Insequentibus diebus causatus valetudinem, abdicauit se dictatura. Senatus alium dictatorem creauit. Qui magistro equitum dicto ipso seditionis duce Stolone, legē maximè aduersam nobilitati (qua cautum est, ne quis plus quingenta iugera agri possideret) permisit perrogari. In præsentia quidem Stolon plebiscito victor magnificus, paulo post conuictus tenere modum agri quem cæteris interdixerat, sua ipse lege mulctatus est. Cum superesset iam, quod acerrimum erat, & fuerat primùm motum, quodque plurimum torquebat senatum cum plebe certantem, de comitijs consularibus cōtentio: nuncij repente pro certo adferunt, iterum Gallos à mari supero ingentibus copijs Romam contendere: & vnà cum fama aderat belli moles, vastabantur agri, homines, quibus receptus Romam erat clausus, per montes vagi spargebantur. Hic timor seditionē compressit, consentientesque cum plebe et eius cōsilio patres, vno animo quintam dictaturam deferunt Camillo. Erat is tum exacta ætate, & propè annum octogesimum attingebat. Verùm perspectis reip. temporibus & periculis, nihil iam mulcta vt antè deterritus, omnique abiecta causa delectum extemplò suscepto imperio habuit. Sciebat vim barbarorū Camillus maximam esse in gladijs, quibus grauiter barbarorum more sed nulla arte ferientes humeros maximè & capita detruncabāt. Ad id galeas plerisque ferreas parauit politas extrà, vt labentes gladij vanum ictum efficerent, vel frangerentur. Scuta laminis ferreis induxit, quia lignum per se non resistebat plagæ. Suos autem milites docuerat cominùs tractare pila oblonga, quibus subiectis ensium hostium exciperent ictum. Cum Galli haud procul vrbe consedissent ad fluuium Anienem, et essent castra grauia ac referta omnis generis præda: metatus est castra in molli tumulo multisque partibus cauo, vt maxima pars exercitus extra conspectum esset: qui autem conspiciebantur, ex trepidatione viderentur in locum arduum se contraxisse. Eam Gallorum opinionem vt cōfirmaret Camillus, cum sub oculis suis agros vastarent, nō arcebat, sed castris munitis cōtinebat se, dum Gallos partim ad populandum effusos, partim qui in castris remanserant, epulis vinoque largo diem noctibus continuantes, cernit. Ibi ante lucem pręmissa leui armatura: quę, vt ne instrui posset acies, impediret perturbaretque, subito impetu in eos facto: grauiorem armaturam deduxit summo mane, ac planis campis instruxit. Quorum numerus & alacritas vbi barbaris, qui esse paucos putabant & trepidos, præter expectationem conspecta est: conciderūt animis ex eo primùm quod contemni se, cum inuaderentur, existimarēt. Incursus deinde leuis armaturę, quę prius quàm consueto ordine consisterent, vel essent per cohortes digesti, turbans illos impellensque, temerè atque inconditè eos pugnam inire coegit. Postremò vt grauē armaturam Camillus induxit: illi partim sublatis gladijs properauerunt cōserere manus. Romani pilis obiectis, quorum ferro excipiebant ictus hostium, ferrum illorum molli tenuique protusum lamina retudēre. Vnde inflectebant se illicò gladij atque plicabantur, scuta transfigebantur, grauabanturque dependentibus pilis. Ergo suis abiectis armis ad hostium se conuertebant, ac prehensa manibus pila moliebantur traijcere. Romani iam nudos conspicientes, aggrediuntur eos gladijs. Ita cædes multa ante signa edita, alij effusa fuga per campos delati, cùm colles & loca edita præcepisset Camillus. Nam castra quidem ob ferociam immunita, facilè sciebant hostem expugnaturum. Pugnatum tredecim annis à Roma capta ferunt, atque hinc animum Romanis planè confirmatum aduersus Gallos, quos supra modum timuerant: vt morbo nuper & cœco casu, non virtute existimarent ab se superatos. Tantus verò erat eorum terror, vt lege esset cautum, vacationem belli sacerdotibus præterquam Gallico tumultu esse. Hoc obijt nouissimum Camillus militare certamen. Nam Velitris hoc confecto bello obiter est potitus, cùm venirent nullo tentato certamine in ditionem. At contentio superarat atrocior ciuilis aduersus plebem. Nam victoria ferox magna vi instabat, vt alter consul præter consuetum modum crearetur ex plebe. Ei opponebat senatus se, neque permittebat vt dictatura abdicaret se Camillus, quo ius nobilitatis authoritate & summo eius imperio tutaretur commodius. Sedenti pro rostris Camillo, & ius dicenti missus à tribuno plebis viator, sequi se iussit ei, manusque iniecit quasi eum ducturus. Ibi clamor & strepitus occupauit, vt numquam aliàs forum: alijs, qui cingebant Camillum, viatorem à tribunali repellentibus: vulgo ex inferiore loco, vt detraheretur, vociferante. Ille in tali tumultu fluctuans animo, summum imperium tamen non proiecit, sed abducto senatu cōtulit se in curiam.

Lex de modo agri possidendi, qua Stolon legis autor est damnatus.

Galli iterum petunt Romam.

Camilli quinta dictatura.

Galli iterum cæduntur à Camillo.

Gallicus timor quantus Romæ.

Seditio Romæ de altero consule creando.

Quò priusquam ingrederetur: ad Capitolium respiciēs deos precatus est, vt præsentem motum in bonum exitum verterēt: ædemq; Concordiæ, si esset tumultus sedatus, vouit. In senatu cum magnam altercationem excitassent pugnantes sententiæ, vicit tamen lenior, quæ concedebat plebi permittebatq; alterum cōsulem ex popularibus creare. Hoc senatusconsultum cum dictator pro concione pronunciasset, ilico plebs haud immeritò læta est senatui reconciliata, Camillumq; ingenti plausu & fauore deduxit domum. In sequenti die coacto populi concilio, sciscitur vt ædes Concordiæ, quam vouerat Camillus, quæ foro & concioni immineret, ob sedatum extrueretur tumultum. Adiectus insuper Latinis dies vnus, vt quaternis diebus agerentur, vtq; populus Romanus omnis in præsentia sacrificaret coronatus. Camillus comitijs habitis, consules creauit ex patricijs * M. Aemilium, & L. Sextium, de plebe primum. Hic exitus fuit rerum à Camillo gestarum. Proximo anno pestilentia Romæ vulgata infinitam multitudinem de plebe absumpsit, plurimos etiam eorum qui in magistratu erant. Obijt & Camillus: cuius mors vel ætate eius vel vita omnibus honoribus consummata haudquaquam immatura, acerbior fuit tamen populo Romano quàm aliorum cunctorum, qui lue eo anno periere.

Consul alter ex plebe creatur.

Concordiæ ædes extruitur.

*Liu. habet L. Aemilium Mamercum: aliàs etiam Mamercinum.

Camilli mors.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. CHRISTOPHORO Duci Vuirtembergensi & Teckensi, Comiti in Mompelgard, Principi & Domino suo clementissimo, Hermannus Cruserius S. P. D.



QVANQVAM inter eos, Illustrissime atq; humanissime Princeps, qui ciuitatibus suis præfuerunt, vel prouincias & regna obtinuerunt, pauci boni, plurimi tetri fuerint & immanes: nemo tamen fuit illorum adeò perditus & profligatus, quin aliqua vmbra duceretur laudis, nomenq; suum posteritati & immortalitati aueret cōmendare. Cùm autem factis suis pleriq; diffiderent, neq; argumētum scriptoribus ad laudem suppeditare se viderent posse speciosum: decurrerūt ad inania & vana & tempore certè interitura. Ita alij famam nominis ex ingentibus molibus, quas excitauerunt, captauere: vt Aegyptiorum Reges, qui insanas erexerunt pyramidum structuras: C. Cæsar Caligula montes æquauit, valles exaggerauit, & sinum maris constrauit: Domitianus Amphitheatrum struxit, qui etiam mēses Septembrem & Octobrem vocabulis transnominauit suis. Aliqui aliorum statuis capita ademerunt, suaq; truncis reposuerunt. Statuas nonnulli picturasq; ad imagines suas effingi à præstantissimis artificibus voluere. Neq; id soli tamen mali principes, verùm etiam medij quoq; ac boni. Nam & Alexander ille Magnus ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo volebat fingi: quòd illorum artem etiam sibi gloriæ fore putabat. Neq; Augustus Cæsar exprimi se nisi ab excellentibus ferebat. Atqui illi artifices corporis simulachra tantum ignotis faciebant nota: quæ si vel nulla sint, nihilo sunt tamen obscuriores clari viri. Nec minus enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neq; pictam neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere elaborarunt. Nec verò Miltiades, vel Themistocles, vel Aristides: quorum etiamsi fuerint effigies, iniuria temporis tamen interciderunt & abolitæ sunt. Parui enim libri, qui fuerunt Xenophontis in rege laudando Agesilao, & Herodoti, qui præstantia facta recensuit Miltiadis, Themistoclis & Aristidis, facile omnes imagines omnium statuasq; superarunt. Hæc mihi præfari in historiam Pelopidæ & Marcelli, quam ex Plutarcho Latini iuris feci, clarissimorum virorum & fortissimorum, in mentem venit. quorum etsi nulla statua, nulla pictura ad nos peruenerit: excitauerunt tamen præstantissimis factis suis & virtutibus scriptores insignes, qui res ipsorum gestas posteris traderent & commendarent. Neq; enim vlli concedit historico apud Latinos Titus Liuius, neq; apud Græcos vlli est in suo genere scribēdi Plutarchus inferior: à quorum vtroq; celebratus Marcellus, ab altero est Pelopidas. Quod par insignium ad virtutem & animi magnitudinem ducum, illustriaq; bonorum principum specula atq; exempla: qui fœdissimis temporibus patrias suas afflictas prolapsasq; excitauerunt atq; erexerunt: ex Plutarchi sylua delegi, quæ in honorem tuum Princeps laudatissime, lingua Romana in secessu meo sum interpretatus: meumq;, quem hoc in opere laborem impendi, nomini dedico tuo. quod me non absurdè puto fecisse. Perspexi enim, cùm consuetudinis cum adolescente mihi te fruitionem tua verè principe digna & rara humanitas aperuisset, egregiam indolem & moderationem tuam, animumq; ad virtutem & honesta omnia propensum. Cognoui item incredibilem patientiam, atque in rebus tum angustis splendorem. Cùm autem malignè tibi vel

non

non liberaliter certè ad cultum tam generosi principis necessaria præberentur, vel suppeditarentur: nullas vsuras contraxisti tamen, nullam fecisti versuram, nec vlli decoxisti, quod illi ætati est solenne, creditori. Quippe cauisti, ne æs alienum haberes. Hæc enim vt scirem, interior tua mihi detexit familiaritas. Animaduerti etiam haud vulgarem vigilantiam, & in obeunda militia, ducisq; imperio fungendo strenuitatem & fortitudinem singularem. Intellexi inde à locupletibus authoribus, postquam ditiones paternas suscepisti, res tuas priuatas, quas dissipatas conuulsasq;, remp. tuam quam deformatam atque prostratam recepisti, quàm breui, quàm sapienter & moderatè collegeris, refoueris, excolueris, confirmaueris q;: itaq; effeceris, vt hoc tempore quasi lumen aliquod, in tantis tenebris Germaniæ videare, effulgere. Quod me quoque, qui à primo tempore vt te cognoui, te cœpi suspicere, excitauit vt hoc scripto excellentiam tuam, tanto interuallo aliquando salutarem, omniaq; precarer fausta. Hoc symbolum meæ erga te obseruantiæ ne reijcere velis, sed pro pristina tua & genuina humanitate amplecti digneris, enixè rogo. Eo mihi præstare tua benignitas maius beneficium non poterit. Namq; prout hæc mea lucubratio calculum tuum obtinuerit, ita mihi animus aut addetur aut eripietur, ad reliquos viros, quos depinxit Plutarchus, Latino colore illustrandos: Vale excellentissime Princeps.

PROOEMIVM IN PELOPIDAM ET MARCELLVM.

Nimia audacia & temeritas reprehenditur.



CATO Maior, celebrantibus quibusdam hominem temerariæ & projectæ in bello audaciæ, interesse ait, magni virtutem, an vitã vili pendas. Et recte dixit. siquidem miles Antigoni ferox quidem, sed affecto corpore & habitu, palloris causam regi requirēti, dicitur reconditum morbum detexisse. Verùm cùm magna cura rex, si quod remedium esset, nihil summæ opis iussisset medicis prætermittere: restitutus ita sanitati, strenuus ille non obiecit deinceps se discrimini, neque præceps ruit in certamina. Quam conuersionem cum Antigonus exprobraret ei & miraretur, non celauit ille causam, ac: Tu me, inquit, reddidisti rex timidiorē, qui ijs me malis explicuisti: quamobrem non laborabam viuere. Ideò de Spartiatis quidam Sybarites dicitur pronunciasse, quo tantis laboribus & ea defungantur vita, nō magni ducere eos mortem in bello oppetere. Cæterùm Sybaritis quidem luxu diffluentibus & mollitia, iure videbantur odisse vitam illi, qui ob virtutis ardorem & studium mortem non exhorrescebant. Lacedæmonij vtrumq;, & viuere & mori libenter, virtuti tribuebant, vt declarat funebre carmen:

De vita & morte, variæ sententiæ.

> *Hi* (enim inquit) *cecidere bonum non vitam aut cedere fato*
> *Rati, at vtrumq; horum fine locasse bono.*

Neq; enim mortis reprehendēda fuga sit, siquidē vitam non turpiter appetas: neq; commendanda expectatio, si coniuncta cum odio sit viuendi. Vnde fortissimos quosque & bellicosissimos viros educit vbique ad certamen Homerus accuratè armatos. Apud Græcos etiam legislatores eum, qui clypeum proiecit, puniunt: non eum, qui gladiū vel hastam: docentes, nequid mali patiatur, priorem cuiq; curam ducendam, quam vt hostibus inferat, præsertim magistratui aut duci. Nam si, vt distinxit Iphicrates, leuis armatura manibus similis est, pedibus equitatus, pedites pectori & thoraci, capiti imperator: nō sui curam periculo se exponentem temere & ferocientem dicas abijcere, sed omnium quorum ex ipso dependet salus, & contrà. Itaq; Callicratidas magnus cæterà vir, parum rectè respondit vati. Cum enim hic oraret eum, vt mortē declinaret, quam denunciarent exta: non in vnius anima respōdit positam Spartam. Siquidem cum pugnaret, vnus erat, & cum nauigaret, vel stipendia faceret Callicratidas: sed cū dux esset, vim erat in se complexus vniuersorum. Ita vnus iam non erat, qui cum tam multa simul corruerent. Præclarius senex Antigonus, cùm nauali prælio esset ad Andrum decertaturus, & quidam longe plures diceret esse hostium naues: At me ipsum, infit, quàm multis oppones? Nempe maiestatem meritò extollit imperantis peritia & virtute succinctam: cuius primùm munus est, vt seruet eum qui conseruat omnia. Vnde scitè Timotheus, cum apud Athenienses aliquando cicatrices corpore acceptas ostenderet Chares, & traiectum hasta clypeū: At me, inquit, quàm puduit, cum prope oppugnantem Samum cecidit telum, quod gessissem me precipitantius quàm tanti exercitus duci & imperatori conueniret. Vbi enim magnum ad summam adfert periculum ducis momentū, hic neq; manibus neq; corpori est par-

Clypeum abijcientes cur punirent Græci.

Ducem belli cautum ad se conseruandum esse debere.

Timothei dictū.

est parcendum: repudiatis ijs, qui iactant debere bonum imperatorem maximè ex senio, sin minus senem mori. At vbi paruum ex re bene gesta est operæprecium, & siquid titubatum sit, corruunt vniuersa: nemo tum militis operam, quæ discrimen secum trahat ducis, desideret. Hæc mihi Pelopidæ vitam & Marcelli describenti insignium virorum, qui inconsulta morte perempti fuerunt, præfari venit in mentem. Cum enim manu imprimis strenui fuissent, & clarissimis expeditionibus vterque patriam suam decorasset, adhæc ex sæuissimis aduersarijs Annibalem hic inuictum princeps, vt fama est: ille dominãtes terra marique Lacedæmonios acie fudisset fugassetque, temere semetipsi proiecerunt, vitamque profuderunt: quo tempore tales viros viuere & præesse oportebat. Quare secuti similitudinem, vitas eorum in describendo comparabimus.

Pelopidas.



PELOPIDAS Hippocli filius, nobili Thebis genere, sicut Epaminondas fuit. Hic amplis innutritus opibus, cum adolescẽs adhuc splẽdidas facultates ex hæreditate accepisset: vt ostenderet dominum se reuerà non seruum esse pecuniæ, ad bene merendum de bonis viris, qui premebantur inopia, conuertit animum. Plerique enim, vt Aristoteles ait, aut præ sordibus non vtuntur diuitijs, aut ob luxum abutũtur: seruiuntque perpetuò hi voluptatibus, illi quæstui. Ac cæteri grato animo Pelopidæ aduersus ipsos munificentia & benignitate sunt vsi. Vnum ex amicis, vt in sortem veniret fortunarum suarum, non induxit Epaminondam: cum tamẽ veniret in societatem ipse illius paupertatis vestis tenuitate, mensæ frugalitate, laborum tolerantia, & in bello simplicitate glorians, vt Euripideus * Canopeus: cui cum essent opes amplæ, haud proinde animos mox sustulit: imò turpe duxisset sibi, si plus corpori, quàm Thebanorum egentissimus impendisset. At Epaminondas paupertatem, quam familiarẽ acceperat & hereditariam, philosophiam colendo, vitamque à prima ætate instituendo cælibem, expeditiorem etiam atque leuiorem reddidit. Pelopidas verò in splendido fuit matrimonio. Tulit etiam liberos. At nihilo attentior ad rem, omnemque vitam in procuratione reip. consumens, facultates attriuit suas. Cum autem admonerent illum amici, suggererentque rem ipsum necessariam negligere, pecuniæ comparationem, Necessariam hercle huic, inquit, Nicodemo: commonstrans claudum & cœcum quendam.

Pelopidæ genus.

Pelopidæ liberalitas.

Eurip. in Supplicibus.

* Capaneus habet Græcè.

Pelopidæ dictũ de necessitate pecuniæ.

Porrò erat ad omnem virtutem vterque iuxtà comparatus: nisi quòd exercitationibus magis deditus Pelopidas esset, Epaminondas disciplinis: & quod essent ocij nacti, hic in discendo & philosophando poneret, ille in palæstris & venationibus. Inter multas & præclaras artes, quæ vtrique gloriam conciliauerunt, nihil æquè admirati sunt prudentes, quàm quod per tot certamina, præturas, & publicas actiones syncera inter eos à primo ad vltimum necessitudo & amicitia constiterit. Si enim Aristidis & Themistoclis, Cimonis & Periclis, Niciæ & Alcibiadis consideraueris actiones, quantarum contentionum inter ipsos, quantarum simultatum fuerint & æmulationum plenæ: hinc ad Pelopidæ te erga Epaminondæ beneuolentiam & obseruantiam conuerteris: rectius & iustius hos in magistratibus & imperijs vocaueris collegas, quam illos, qui semper in hoc fuerunt, non tam vt hostes, quàm vt alter alterum superarent. Vera causa virtus erat, per quam non gloriam, non opes, quæ grauem & contentionum plenam secum inuidiam trahunt, ex rebus gestis captantes: sed diuino amore à principio inflammati ambo, vt opera sua patriam redderent quàm clarissimam & potentissimam, alter alterius decoribus ad id vtebantur vt proprijs. Veruntamen arbitrantur plerique amicitiam eam tam arctam ex illa ad Mantineam expeditione extitisse, cui interfuerunt, cum Lacedæmonijs integra adhuc amicitia & fœdere, misissent Thebani auxilia. Cum enim inter pedites locati vnà essent aduersus Arcadas: vt gradum retulit Lacedæmoniorum cornu, in quo ipsi stabant, multique terga verterunt, testudine obnixi sunt ijs, qui se intulerunt. Ac Pelopidas septem acceptis aduersis vulneribus, super aceruum cadauerum sociorum pariter & hostium corruit. Quem etsi haberet Epaminondas pro deplorato, processit tamen ad protegendum corpus eius & arma, multisque se vnus obiecit, certus prius occumbere, quàm Pelopidam deserere

Pelopidæ & Epaminondæ amicitia.

Veræ amicitiæ causa.

deserere iacentem. Iam ipso etiam grauiter affecto, cum pectus hasta, gladio brachium esset vulneratum: ecce ab altero cornu rex Lacedæmoniorum Agesipolis succurrit ijs, amboscꝙ præter spem eripuit. Posthac cum Lacedæmonij cum Thebanis in specie vt amicis & socijs agerent, reuerà spiritus ciuitatis Thebanæ, & potentiam haberent suspectam, præcipuè verò Ismeniæ & Androclidæ odissent factionem, in qua erat Pelopidas, quam esse putabant libertatis studiosam & popularem: Archias, Leontidas & Philippus, homines paucorum ditionis cupidi, locupletes, ambitiosicꝙ egerunt apud Lacedæmonium Phœbidam, vt traducês illac, exercitam occuparet ex improuiso Cadmiam, expulsiscꝙ aduersarijs remp. paucorum principatu Lacedæmoniorum iuri obnoxiam redderet. Qui impulsus nec opinâtes Thebanos festo Cereris adortus est, captacꝙ arce Ismenias vinctus ac raptus Lacedæmonem, paulo post est necatus. Pelopidæ, Pherenico, Androclidæ, qui multis cum alijs fugæ consuluerant, indicitur exilium. Epaminondas verò, quod ob philosophiæ studium velut quietus, & ob paupertatem contemneretur velut inops, domi se continet. Postquam abrogauerunt Lacedæmonij Phœbidæ imperium, mulctamcꝙ dixerunt centum millium drachmarum, nihilo tamen minus Cadmiã cum præsidio tenuerunt: reliqui per Græciam quidem omnes, quid hoc monstri esset, mirabantur, quod authorem punirent, factum comprobarẽt. Thebanis verò, qui vetere exuti reip. forma ab Archia & Leonitida tenebantur oppresi, ne sperare quidem vllam supererat liberationem à tyrannide, quam Spartiatarum vallatam opibus euerti vide-bant non posse, nisi quis simul illis terræ marisꝙ imperium extorqueret. At certior factus Leontidas hærere Athenis exules, acceptoscꝙ plebi & in honore esse apud bonos viros, struit clam ijs insidias: ac per homines ignotos, Androclidam interficit dolo, cæteri elabuntur ei. Redduntur etiam Lacedæmoniorum Atheniensibus literæ: quibus imperauerunt, ne reciperent exules, neue eos concitarent: sed tanquam à socijs declaratos communes hostes exterminarent. Verùm Athenienses cùm inueterata sua & genuina humanitate, tum vt gratias referrent Thebanis (qui eum populum imprimis ad reditum in patriam adiuuerant, sciuerantcꝙ: si quis Atheniensium arma per Bœotiam aduersus tyrannos ferret, neminem id audire aut videre Thebanorum) omnem iniuriam ab ijs abstinuerunt. Pelopidas verò licet inter adolescentiores foret, priuatim singulos exules inflãmabat, & ad eos in conciliabulis verba faciebat, necꝙ honestum necꝙ pium esse, vt oppressam seruitute & præsidio vinctam imposito relinquerent patriam: ipsi verò sua securitate & salute acquiescerent, suspensicꝙ ex Atheniensium plebiscitis, supplicescꝙ semper colerent oratores, & eos qui impellere multitudinem valerent: verùm periclitãdum esse de summa rerum, proposita pro exemplo Thrasybuli audacia & virtute, sicut ex Thebis ille erumpens obtriuerat Atheniensium tyrannos: ita vt ipsi quoque mouentes ex Athenis Thebas in libertatem assererent. Vbi hic cum assensu auditus est, mittunt occultè ad amicos, qui illic remanserant: & quæ deliberauerant, aperiunt. Illi comprobant consiliũ. ac Charon, qui nobilissimus erat, offert domum suam. Philidas effecit vt scriba crearetur Archiæ & Philippi, qui erant per id tempus polemarchi. Epaminondas incenderat iamdudum iuuentutem. namque præcipiebat, in gymnasijs vt prehenderent Lacedæmonios, & cum eis luctarentur. deinde ex victoria & palma cum ouantes videret, castigabat eos: magis pudendum ipsis esse, si quibus tantum præstarent robore, his per socordiam seruirent. Die ad rem patrãdam dicta, visum exulibus est, vt Pherenicus, dum alios cogit, Thriasij subsisteret: pauci autem ex iunioribus susciperent periculum prægrediendi in vrbem. quibus si quid grauius contingeret ab hostibus, vt cæteri omnes curandos susciperent eorum liberos & parentes. Huic discrimini princeps offert sese Pelopidas, mox Melon, Damoclides & Theopompus viri summo loco nati atcꝙ inter se cæterã amici & fidi, sed pro gloria & virtute semper æmuli. Hi cum amplexi essent eos, qui illic manebant, & nuncium ad Charonem præmisissent, amicti lacernulis profecti sunt. Traxerunt secum canes venaticos, & varos ferebant ne cui in via suspicionem mouerent, sed venari & vagari aliàs viderentur. Vt verò præmissus ab his nuncius Charonem adijt, atcꝙ illos in itinere retulit esse: ipsius Charonis ne instans quidem periculum immutauit animum, sed vir fortis extitit præbuitcꝙ domum suam. At Hippostenidas quidam, non ille quidem vir malus, imò & patriæ amans & exulum studiosus: verùm animo non perinde firmo, vt occasio præceps & præsentes postulabant res, quasi æstuans ad magnitudinem discriminis, quod in manibus erat, atcꝙ vix tandem animaduertens Lacedæmoniorum ipsos imperium quodammodo concutere, fretoscꝙ inopibus exulibus tentare illorum

Lacedæmonij occupant Cadmiã: Græcè est καδμεία.

Atheniensium in Thebanos gratitudo.

Pelopidæ consilium de liberandis Thebis.

Strategema.

illorum conuellere potentiam: domum digressus mandat clam per amicum quendam Meloni & Pelopidæ, rem in aliud tempus extruderent, redirentq; Athenas commodiorem opportunitatem expectaturi. Chlidoni nomen erat nuncio. hic ad se domum perrexit, eductoq; equo poposcit frenum. Hæsitante vxore eius cum non esset ad manum, ferenteq; cuipiam se id ex necessarijs commodasse, iurgia primum inter eos, mox maledicta exorta, imprecante muliere ei & alijs à quibus mitteretur, infaustum iter. Itaq; cum multum diei in his rixando cōsumpsisset, & verteret casum in omen Chlidon, deposuit prorsus profectionem, atq; ad alia se conuertit. Tantulum abfuit, quin maxima & pulcherrima cœpta statim in limine destituerentur tempore. At Pelopidas cum suis vestitu assumpto rustícano, dispertiti alij alia parte vrbem luce adhuc occultè ingressi sunt. Ventus niuem effundebat incipiente se conuertere cœlo: quo magis tecti fuere, quòd plerique procellæ causa recepissent se domum. Quibus autem cura incumbebat, quid ageretur cognoscendi, hi illos exceperunt ex itinere, & confestim domum deduxerunt ad Charonem. Fuerunt cum exulibus duodequinquaginta. Tyranni verò hoc se modo habebant. Scriba Philidas, qui consiliorum exulum erat particeps, adiuuabat, vt dictum est conatus eorum. Hic multo ante in eum diem ostenderat Archiæ & Philippo compotationem, & conuiuium, & mulieres nuptas: in eoq; erat, vt quammaximè luxu & vino cōfectum præberet ad cædem insidiatoribus. Non admodum merso crapula indicium delatum est, haud vanum quidem, incertum tamen & perquàm obscurum, occultari in vrbe exules. Quanquam autem aliò detorquebat sermonem Philidas, misit tamen apparitorem Archias ad Charonem, qui eum confestim accerseret. Iam vespera erat, & Pelopidæ socij armati gladijsq; accincti instruebant se. Pulsatis autem repentè foribus, accurrens quispiam audiensq; ex apparitore, qui diceret acciri à polemarchis Charonem, perculsus renunciauit id intrò. Ibi omnibus ilicò obuersatur rem detectam esse, & se re memorabili perpetrata nulla perisse. Consuluerunt tamen, vt dicto audiens esset Charon, fidenterq; polemarchos adiret: constans alioquin vir immotoq; in ipsis periculis animo: tunc autem propter illos attonitus anxiusq;, ne qua ipse ex nece tot ac talium virorum suspicione aspergeretur proditionis. Exiturus igitur arripit ex gynæcio filium adhuc puerum illum quidem, cæterùm specie & robore corporis supra æquales præcellenti, eumq; tradit Pelopidæ cohorti: vt si pro insidiatore & proditore habeant se, cum illo vt hoste agant, neq; parcant ei. At multis quidem eorum motus & spiritus Charonis lachrymas expressere: omnes verò succensuerunt, si vllū putaret adeò mollem & præsentibus labefactatum discriminibus, secus vt cogitaret de ipso, aut omnino eum culparet: ac filiū orauerunt ne admisceret ipsis, sed ex veniēte tempestate eum auferret: quo incolumis & ex faucibus ereptus tyrannorum vltor ille succresceret ciuitati atq; amicis. Enimuerò negare se filium Charon amoturum: nullā enim ei videre vitam aut salutem pulchriorē, quàm si vnà cum parente & in amicorum cœtu tam multorum citra contumeliam defungeretur. Hinc precatus deos, cum omnes esset amplexus, confirmassetq;, discessit: attendens sibi, vultumq; ac tenorem vocis componens, quo quàm alienissimus videretur à conatibus suis. Astante eo ad fores progressi Archias & Philidas dixerunt: Qui sunt illi Charon, quos adesse audio, qui in vrbe occultentur, & conspirasse nonnullos cum ijs ex ciuibus? Charon conterritus primùm, mox quæsiuit, qui nā illi ingressi essent, & apud quos latitarent. Vbi nihil videt, quid diceret, certi Archiā habere, suspicatus à nullo certo authore emanasse indicium, Etiam atq; etiā videte, inquit, ne inanis vos conturbet rumor: verumtamen considerabo amplius, nihil est enim fortassis vilipendendum. id Philidas quoq; præsens collaudauit. Ita abducit Archiā, rursusq; multo vino immergit, ac cōpotationē illa de mulieribus spe traducit. Regressus Charon domum, vt offendit illos nō ad victoriā aliquā accinctos, vel salutē sperantes, sed vt nobili morte casuros & cum multo hostiū sanguine, rem ipsam aperit Pelopidæ: apud reliquos ementitur fictos quosdā Archiæ alijs de rebus sermones. Ecce aūt nondū prima præterierat, cum alterā his fortuna immittit procellā. Aderat enim missus Athenis ab Archia hierophāte ad Archiā cognominem hospitē huius & amicū nuncius cum literis, quæ non frigidā continebāt, neq; fictam suspicionem: sed quod postea cognitum est, exactè omnia quæ gererentur, explicabant. At tunc ad Archiam admissus temulentum tabellarius, reddita epistola: Hanc qui misit, inquit, ilicò vt legas eā mandat, de serijs enim scripta est. Hic arridens Archias: Ergo, inquit, in crastinū seria. Simul acceptam epistolā subijcit puluino, ac denuo Philidæ ad institutum sermonem aures prębet. Hoc dictum vulgari prouerbio vsurpatur e-

Pelopidas ingreditur Thebas rustícano vestitu.

Philidas scriba.

Pelopidæ periculum.

Charonis Thebani constantia.

Archias hierophanta.

In crastinum seria, prouerb.

Pelopidas tyrannos Thebanorũ occidit.

tiamnum apud Græcos. Cum iam matura res videretur, bipertitò eruperunt, Pelopidas & Damoclidas in Leontidã & Hypatẽ, qui vicinas ædes habebãt: Charon & Melon in Archiã & Philippum, inducta thoracibus veste muliebri, atq; ad inumbrãdã faciẽ densis coronis redimiti abiegnis & piceis. Vnde cum primùm ianuæ triclinij astiterũt, plausum illi & tumultum cierunt: rati, quas iam pridem expectabãt, adesse mulieres. Postquam verò vndiq; circumspecto conuiuio, singulisq; accumbentiũ exactè notatis, strinxerunt enses, & per mensas inuolantes in Archiã & Philippum, qui essent, demonstrarunt: paucos ex conuiuis monuit Philidas vt quiescerent, cæteros, qui resistere cum polemarchis moliebantur eosq; protegere, perfacile vino graues trucidauère. At Pelopidas cum suo globo plus habuit tunc negocij: siquidem sobriũ & valentẽ virũ adoriebantur Leontidam. Fores occlusas (iam enim dederat se quieti) repererunt, diuq; pulsantes audiuit nemo. Vix tandem minister, qui percepit pulsantes, prodijt ex ædibus, & repagulum amouit. Simul atq; laxantur & remittuntur fores, vno agmine irrumpentes prostrato famulo ruunt ad cubiculum illius. Leontidas autem ex pulsu & cursu id quod erat conijciens, eiecit se lecto stringitq; gladiũ: sed omittit lucernas extinguere & in tenebris ipsos inter se committere. Nunc multo lumine conspectus ad ianuam ijs cubiculi occurrit, primùm illatum vulnerat & occîdit Cephisodorum. Eo prolapso cum secundo Pelopida manus conserit. Difficilẽ qua arcta ianua, qua impedimentum iam mortui iacentis Cephisodori duramq; pugnam facit. Tandem superior Pelopidas euadit, interfectoq; Leontida extemplò cum manu sua contendit in Hypatem. Simili modo in domũ eius irruperunt. verùm sensit ille statim rem, confugitq; ad vicinos. Quẽ e vestigiò cõsectati ceperunt, confoderuntq;. His cõfectis cum coniunxissent Meloni se, significauerunt rem

Thebanorum libertas restituitur.

in Atticã exulibus, ciues ad libertatẽ vocauerunt, eosq; qui se aggregauerãt ipsis, detractis à porticibus spolijs, & ergastulis quæ erant circa domum Charonis, vbi hastæ & gladij parabantur, ruptis armauerunt. Auxilio eis armati venerunt Epaminondas & Gorgidas, qui non contemnendam ex flore iuuentutis & senum optimorum centuriauerant manum. Iam tota ciuitas arrecta tumultu circumsonabat, tecta collucebant, cursitabatur vltro citroq;: nondũ coierat plebs tamen, sed suspensa rei nouitate, neq; quicquã habens certi diem operiebatur. Vnde offendisse Lacedæmoniorũ præfecti visi sunt, qui nõ protinus occurrerunt, nec prælio decreuerunt: cum ipsum præsidiũ ad mille quingentos esset, & ex vrbe cõflueret ad eos ingens numerus: verùm clamoris, igniũ, secessionis multitudinis vndiq; confluentis terrore continuerunt se, seruaruntq; ipsam Cadmiam. Prima luce armati ex Attica præstò fuerunt exules: populus venit ad cocionẽ. in quam Pelopidam cum socijs Epaminondas & Gorgidas sacerdotibus, cinctos porrigentibus coronas, & populum ad liberandã patriam deosq; excitantibus, deduxêre. Concio ea specie erecta plausum & clamorẽ edidit amplectentium eos vt optimè de ipsis meritos, & ser-

Pelopidas recipit Cadmiam.

uatores. Hinc Pelopidas cũ Melone & Charone creatus Bœotarches extemplò circumuallauit & corona oppugnauit arcem: opprimere maturãs Lacedæmonios, & Cadmiã prius recipere, quàm ex Sparta superueniret exercitus. Vix autẽ hi peruenerãt fide publica emissi in Megaridem, cùm ijs obuiam venit cum ingentibus copijs Thebas mouẽs Cleombrotus. Lacedæmonij autem ex tribus præfectis, qui fuerant Thebis, Hermippidam & Arcissum damnatos necauerũt. Tertius Dysaoridas, cui lis magna pecunia æstimata fuit, ex Peloponneso solum vertit. Hunc actum virtute virorũ & periculis certaminibusq; illius, qui perpetratus à Thrasybulo fuit, æmulũ, pariq; à fortuna euentu dispensatum Græci appellauerunt illius germanum. neque enim alios in expedito sit proferre, qui pauciores maiorẽ numerũ, & pollentissimos egentiores audacia & consilio superauerunt, vberioremq; fructum patrijs suis attulerunt. Illustriorem hunc conuersio rerum

Pelopidas euertit Lacedæmoniorũ potentiã.

effecit. Illud enim, quod fastigium detraxit Spartæ, eamq; terra mariq; exuit imperio, bellũ ex ea scaturijt nocte, qua Pelopidas nullo fultus præsidio, nullis muris vel arce, sed domum regressus duodecimus, si metaphora exprimenda veritas est, quæ indissolubiles & adamantinæ videbantur, Lacedæmoniorum imperij compedes dissoluit atq; disrupit. Vt ergo magnis copijs Bœotiam Lacedemonij inuaserunt, trepidãtes Athenienses renunciauerunt Thebanis societatẽ: eosq;, qui cum Bœotis faciebant, iudicijs afflixerunt,

Pelopidas committit Athenienses cum Lacedæmonijs.

partimq; morte affecerũt, partim egerũt in exiliũ, nõnullos pecunia mulctauerunt. De Thebanis vndiq; destitutis actũ videbatur. Erat id tẽporis Pelopidas cũ Gorgida Bœotarches. Hi machinãtes cõmittere denuò Athenienses cum Lacedæmonijs, struũt rem huiuscemodi: Sphodrias magnis quidem rebus bello gestis clarus & celebris, sed vanior &

spe

spe inani, stultaq; inflatus ambitione cum exercitu relictus ad Thespias fuit, vt perfugas Thebanorum reciperet, adiuuaret'que. Ad hunc Pelopidas priuatim mercatorem quendam, quo familiariter vtebatur, cum nummis allegat clam & cum verbis, quæ efficacius illum quàm pecunia impulerunt: Præstare maiora aggredi, & capere ex improuiso securis Atheniensibus Piræeum. nihil enim perinde Lacedæmonijs expectatum fore, quàm tenere Athenas: neque Thebanos ijs infestos, qui eos proditorum loco habeant, laturos opem. Tandem inductus Sphodrias nocte signa mouit in Atticam, atque Eleusina vsque progressus est. Inde ignauia militum re infecta, cum detectum consilium esset, & bellum conciuisset Lacedæmonijs non mediocre nec leue, agmen Thespias reduxit. Hinc sociauerunt Thebanis arma Athenienses promptissimè: mareq; asseruerunt, ac circumuecti Græciam receperunt & allexerunt eos qui spectabant ad defectionem. Thebani per se soli conseruerunt quotidie manus cum Lacedæmonijs, conflixeruntq; prælijs: non illis quidem magnis, sed quæ magnam exercitationem adferrent & vsum. Vnde excitati animis sunt, & corporibus durati, peritiamq; ex consuetudine & audaciam ex certaminibus comparauêre.

Exercitationes Thebanorum in armis.

Quamobrem Antalcidam aiunt Spartiatem Agesilao ex Bœotia reuerso saucio dixisse. Næ tu egregiam mercedem refers à Thebanis, qui bellare inuitos & dimicare docuisti.

Antalcidæ dictũ in Agesilaum.

Fuit profectò magister eorum non Agesilaus, sed illi qui per occasionem & cum consilio, sicut catulos peritè Thebanos immiserunt hostibus, donec gustata victoria nec animorum pœnituit eos, inter quos præcipuam Pelopidas laudem tulit. Ex quo enim primum belli eum ducem ceperunt, non intermiserunt quoq; anno imperium ei deferre: sed vsque ad exitum vitæ, aut sacram cohortem duxit, aut fere semper fuit Bœotarches. Ac Lacedæmonij quidem apud Platæas atque Thespias fusi fugatiq; fuerunt: vbi Phœbidas quoque, qui Cadmiam occupauerat, cecidit. Magnam manũ etiam pepulit ad Tanagram, vbi & ipsum interemit præfectum Panthœdem.

Thebanorũ de Lacedæmonijs victoriæ.

Cæterùm hæ dimicationes sicut fecerunt animos & spiritus victoribus, ita victis non planè fregerunt ferociam, neque enim dimicatum signis collatis fuit, neq; vlla insignis aut ordinata extitit aut legitima pugna: sed opportunis excursionibus, receptibus, aut insectationibus adorientes eos, manusq; conferentes successum habuerunt. Prælium verò ad Tegyras, quod prolusio quædam Leuctrici fuit, ingentem gloriam peperit Pelopidæ. cuius victoriæ vendicare nullã partem collegæ eius, neq; hostes, quin victi essent, causari quicquam potuerunt.

Pelopidæ de Lacedæmonijs victoria ad Tegyras.

nam Orchomeniorum oppido, quod partes sequebatur Lacedæmoniorum, & præsidium ab ijs duarum cohortium acceperat, nõ cessabat struere insidias, captans opportunitatem. Vt verò præsidium accepit mouisse in Locridem, sperans vacuum reperturũ Orchomenon se, duxit eò sacram cohortem & exiguam manum equitum. At oppido cum appropinquasset, & nunciatum ei esset alios Lacedæmone aduenire, qui præsidio succederẽt, reduxit exercitum retrò per Tegyras, quà vna patebat via circum radicẽ montis. Nam interiectus planiciem Melas amnis, qui mox à fontibus in paludes nauigabiles & stagna diffunditur, inuiam omnem reddit.

Melas fluuius.

Paulò infra paludes fanum est Apollinis Tegyrei, & oraculum desolatum, quod non admodum diu sed vsq; ad bellum Medicum floruit sacerdote Echecrate. Quo loco fabulæ memorant hunc deum genitum esse. Vicinus autẽ mons Delus vocatur, iuxtaq; eum diffusum flumen cogitur. Ponè fanum duo scaturiunt fontes, qui dulcedine, copia, & frigore singularem laticem effundunt: quorum vnũ Palmam, Oleam alterum etiam nunc vocant, vt non inter arbores duas, sed fluẽta videatur peperisse Latona: & prope est Ptoon, vnde oblato subitò apro exterritam ferunt fuisse. Iam quę de Pythone & Tytio referuntur, ea hæc loca item accommodant ad ortum dei.

Latonæ partus in Delo monte, inter duos fontes: quorum alteri Palmæ, alteri oliuæ nomen.

Maximam verò partem relinquo vestigiorum. neq; enim hunc deum patria fama inter eos refert lares, qui geniti ex mutatione sunt immortalitatem adepti, vt Herculẽ & Liberum patrem, qui virtute mortalitatem & corpus iniurijs obnoxium conuerterunt in immortalitatem: sed est inter æternos & ortus exortes, si qua ex sapientissimorũ dictis coniectura est de istis capienda.

Apollinis natura & diuinitas.

Igitur sub eandem horã Tegyras remeantes ex agro Orchomeniorum Thebani & Lacedæmonij ex aduersa Locride regressi concurrerunt. Vt primum superatis faucibus in conspectu fuere, & quidam ad Pelopidam accurrens ait, Incidimus in hostes: Quid magis, inquit, quàm in nos illi? Simul equitibus tanquam prælium commissuris equos ex nouissimo agmine præcepit admittere. Ipse grauem armaturam (trecenti erant) in arctum conglobauit: sperãs, qua maximè parte impetum dedisset, aciem se hostium, qui numero superabant, perrupturum. Erant duæ Lacedæmo-

Mora, cohors Lacedæmonijs.

niorum cohortes, quas appellant Moras. Eam cohortem Ephorus ait militum quingentorum esse, Callisthenes septingentorum: nõnulli, in quibus est Polybius, nongentorū. Polemarchi Spartiatarū alacres Gorgoleon & Theopompus impresionem fecerunt in Thebanos. Cum incursus præcipue circa duces infestus & atrox vtrinq; fieret, primùm Lacedæmoniorum polemarchi, qui delati in Pelopidam fuerant, ceciderunt.

Pelopidæ victoria.

Deinde conuulneratis interfectisq; ijs, qui circa hos erant, trepidatio totum peruasit exercitum: atq; is aperuit mediam aciem Thebanis, quasi euadere porrò & per eos cuperent elabi. Cum verò qua data via erat, duceret Pelopidas ad conglobatos, magnaq; cæde peruaderet per eos: tum effuso cursu coniecerunt se in fugam. Nec longe sunt eos Thebani insecuti. quippe formidabant propinquos Thebani Orchomenios & Lacedæmonios, qui missi ad succedendū priori præsidio fuerāt. Contenderunt aūt hactenus, acie vt vincerēt & perrumperent superando totū eorū exercitū. Inde trophæo excitato, & cęsorū spolijs lectis, domū se ouantes retulere. Neq; sanè in tam multis prælijs, quæ cū Græcis & barbaris inierūt, ante eam diē Lacedæmonij à paucioribus victi plures fuerāt vnquam: imò ne vbi pares quidem signis collans cum paribus decertauerunt. Vnde intolerabiles erāt eorū spiritus, gloriaq; sua percellentes oppositos hostes, qui ne ipsi quidē pares cõparare se sustinebant cum Lacedæmonijs, ad manū cõferendā veniebāt. At ea pugna prima alios quoq; docuit Græcos nõ Eurotā solùm, neq; quod Babycen & Cnacionē interiacet, soli viros proferre bellatores & pugnaces: verùm apud quos proueniūt, qui rubore

Hostibus terribiles, qui.

turpitudinis & confidentia ex rebus honestis tangantur iuuenes, quiq; infamiā magis fugiant quàm pericula, hos terribiles hostibus esse præcipuè.

Sacra cohors.

Sacrā cohortē, vti memorāt, princeps Gorgias ex trecentis delectis viris cõscripsit. Habebāt hi in Cadmia castra: vbi ea, quæ ad exercitationē pertinerent, & victus ijs publicè præbebatur. Vnde cohors vrbana nominabatur. nā arces eo tēpore vocabāt fere vrbes.

Arces vrbes dictæ.

Sunt qui ex amantib. hūc globum constitisse referāt. ac commemoratur Pammenis festiuū dictū. Quippe Homericū

Iliad. lib. 2

Nestorem nescire ait aciē instruere, qui tribules & curiales vnà cētutiare iubeat Græcis:

Et tribui tribus & sua curia curiæ vt adsit:

Amoris mutui in pugnando, vis.

cùm amator apud amicum locādus sit. Siquidem gentiles gentilium & tribulium rebus trepidis non magnam ait ducere rationem: indissolubilē verò & infractum esse ex amatoria contractum necesitudine cuneum. vbi hi amore dilectorum, verecundia illi amantium discrimina pro se mutuò perferant. Neq; est hoc mirandum, si vel absentiū horum capiuntur pudore potius quàm aliorum præsentium. vt ille qui, cum ipsum hostis iacentem esset interempturus, orauit & obsecrauit hunc, vt traijceret sibi gladio pectus: Ne cum videat, inquit, à tergo me amasius vulneratum, suffundatur rubore. Ferunt etiam

Iolaus Herculis amasius.

amasium Herculis Iolaum socium certaminum fuisse, & in dimicando latus eius claudere solitum. Aristoteles author est ad tumulum Iolai sua quoque memoria fidem sancire adamatos & amantes solere. quare verisimile est vocatam quoque eam cohortem fuisse sacram: quatenus & Plato diuinum amicum nominat amatorem. Fama est permansisse hanc vsq; ad prælium Chæronense inuictam: atq; vt secundam pugnā mortuos Philippus inspiciens eo institit loco, vbi trecenti illi incurrerant infesti in sarissas, omnes' que in arctis vijs atq; in vnum confusi iacebant, obstupuisse, cùm autem amantium audiuisset eam esse cohortem, illachrymasse ac dixisse: Male pereāt, qui hos facere quicquam aut pati, quod turpe sit, suspicantur. Sane huic amantiū consuetudini non, vt poetæ autumant, Laij casus originē apud Thebanos dedit, sed legislatores. Qui cum natiuā eorum ferociā & seuitiam remittere mox à pueris & mollire studerēt, fistulam ferè omni in re & seria & ludicra adhibuerunt, eiq; addiderunt honorem & dignationem. Adhæc

Harmonia, dea.

præclarum amorem in palæstris aluerunt ad temperandos adolescentium mores. Et recte ob id deam Harmoniam, quam Marte & Venere ferunt prognatam, vrbi velut tutelarem consecrauerunt: quòd vbi strenuitas & vis bellica venustate condita & gratia sit commixta, omnia ad decentissimam & moderatissimam remp. concinentia cõponantur. Cæterùm sacrā hāc cohortē Gorgidas in primos ordines diuellēdo, & pro tota peditū acie in frõte collocādo offuscauit illorū virorū virtutē, neq; ad cõmunem effectum robur eorum adhibuit: vtpote dissolutum & magna ex parte confusum cum deteriore. Pelopidas verò, vt virtus eorum eluxit fortiter ad Tegyras circa ipsum dimicantium, non distraxit eos deinceps neq; discerpsit: verùm his sicut toto corpore vsus est, cum quib. primum incursum in maximis certaminibus fecit. Vt enim pernicius equi ad currus iuncti, quàm seorsum currunt acti: non quia maiore vi admissi aera impellant numerosiores atque

que perrumpant, verùm quod inflammet mutua hæc contentio & concertatio feruorem animi: haud aliter fortes viros æmulatione inter se egregiorum factorum ad connitendū in communem actum æstimabat vtilissimos esse expeditissimosq;. Postquam verò pace cum omnibus Græcis Lacedæmonij pacta, solis arma Thebanis intulerūt, ac decem millibus peditum & mille equitibus rex irrupit in fines eorum Cleombrotus, neq; par prioribus periculum Thebanis impendebat: verùm apertè proponebatur & denunciabatur eis exterminatio, terrorq; Bœotiam longe maximus incessit.

Cleombrotus rex Lacedæmoniorum.

Egrediēs domo Pelopidas, cum vxor in prosequendo ad lachrymas effusa eum, vt se seruaret, admoneret, Id mulier, inquit, priuatis semper suggerendum: imperatoribus verò, vt seruent alios.

Pelopidæ dictū principe dignū.

Cum in castra venisset, & Bœotarchas offendisset dissentientes: primus assensus est Epaminondæ, qui dimicandum censebat cum hostibus. Neque erat enim creatus Bœotarches, sed præfectus sacræ cohortis, & ea præditus authoritate, quam merito habebat ille, qui tam præclara patriæ ad libertatem dedisset pignora. Vt igitur decernere prælio visum est, & castra in Leuctris castris Lacedæmoniorū collata habuerūt: species oblata Pelopidæ in somnis est, quæ supra modū exterruit eum.

Visio Pelopidæ in castris Leuctricis.

Extant in Leuctrico campo Scedasi filiarum, quas Leuctridas ex loco vocāt, tumuli. nam eo fortè loco, cum vi essent à Spartiatis compressæ hospitibus, humatæ fuerant.

Leuctrides.

Eo perpetrato tam atroci atque nefario facinore pater earum, vbi vindictam impetrare non potuit Lacedæmone, diras Spartiatis imprecatus, super sepulchra puellarum seipsum iugulauit. Inde vaticinia & oracula Spartiatis assiduè prænunciabant, Leuctricam vitarent & declinarent à dijs vltionem. Id autē non ita multi intelligebant, sed ambigebant de loco: quod etiam oppidulum Laconiæ littori impositum Leuctron nominetur: præterea eiusdem nominis sit vicinus locus Megalopoli Arcadiæ. Cæterùm fuit hic casus longe Leuctricis vetustior.

Leuctron, oppiduli nomen.

Porrò Pelopidas in castris sopitus, visus sibi est virgines ad monumēta lamentātes videre, ac Lacedęmonios deuouentes: præcipientemq; Scedasum, si referre de hostibus vellet victoriam, rufam virginem vt puellis immolaret. Cum autem videretur ei præceptum hoc dirum & tetrum, retulit rem excitatus ad vates & duces. Hi partim suaserunt, ne id negligeret aut prætermitteret, commemoraruntq; ex vetustate Menœcea filiū Creontis & Herculis filiam Macariam: ex recentioribus Pherecydem sapiētem illum à Lacedæmonijs interfectum, pellemq; eius à regibus ex vaticinio quopiam asseruatam: & Leonidam, qui pro Græciæ salute semetipse quodammodo deuouit: præterea eos qui ante pugnam naualem à Themistocle ad Salamina immolati fuerāt Baccho Omesti. quę quidē cōfirmata successibus fuissent.

Eurip. Phœniss.

Contrà quemadmodum ab Agesilao, qui ex ijsdem ex quibus Agamemnon, locis aduersus eosdem mouebat hostes, victimam dea filiam eius postulauisset: quod ei visum per quietem est Aulide oblatum: quam ille non dedisset, & quia elanguit in eo, infamem expeditionem & rudem reliquisset. Partim contrà dissuaserunt: nulli enim cœlestium hostiam cordi esse adeò barbaram & immanem. neq; enim Typhonas istos mundo præesse aut Gygantas, sed omnium deûm atque hominum parentem docebant. Lares verò humano capi cruore & cæde, ineptum esse fortassis credere. Qui tales si sint, contemnendos esse vt impotentes. In impotenti enim & deprauata mente existere & hærere absurdas istas & peruersas libidines.

Pia de Deo sententia.

Dum hæc disputant principes, & præter cæteros Pelopidas hæsitat: ecce equula armento relicto per medios lata armatos, apud illos ipsos cursum sustinuit. Ibi cæterorum quidem oculos color iubæ insigniter rutilans, alacritas, vox exultans feroxq; conuertit. Vates verò Theocritus re animaduersa voce magna appellauit Pelopidam: Adest fortunate tibi hostia, nec virginem expectemus aliā, sed vtere dei munere. Tum corripuit equam, ductamq; ad virginum sepulchra, votis factis coronis redimiuerunt, mactaueruntq;, ac gaudio elati speciem oblatam Pelopidæ et sacrificium per castra diuulgarunt.

Dei repentinum auxilium.

Equa pro virgine cæsa.

In prælio obliquam aciem Epaminonda in sinistrum cornu trahente, quo à cæteris Græcis reduceret dextrum Lacedæmoniorū cornu quàm longissime, & Cleombrotum valida in illud cornu impressione impelleret & profligaret: re hostes animaduersa cœperunt conuertere aciem suam, & dextrum cornu explicare circumagereq;, vt circumuenirent & cingerent multitudine Epaminondam. Interea procurrit Pelopidas, ac cum globo trecentorum illorum maturat incurrere in Lacedæmonios incompositos & inter se tumultuātes: prius quàm cornu extenderet Cleombrotus, aut rursus coniungeret & aciem suam clauderet. Quamuis rei militaris omniū Spartiatæ peritissimi & summi artifices nulla in re æquè laborarent aut versarent se, ac ne dissolutis ordinibus inconditi fluctuarent, verùm vt omnes omni ex parte, vbicunque pe-

Pugna Leuctrica.

riculum præsens opprimeret, præfectorum & manipulariorum munus obeuntes iuxta instruerent ordines & dimicarent.

Pelopidæ & Epaminondæ victoria Leuctrica.

At tunc Epaminondæ phalanx in solos illos se inuehens & cæteros prçterlata, Pelopidas'que incredibili pernicitate & feruore in medios illatus armatos, animos eorum & disciplinam eò vsque confuderunt, vt fuga & strages, quanta antea nunquam, ederetur Spartiatarum. Vnde parem atque Epaminondas, penes quem summus erat magistratus, qui'que vniuerso præerat exercitui, priuatus hic & exiguæ ductor manus gloriam retulit illius victoriæ & decoris.

Pelopidæ & Epaminondæ expeditio in Peloponnesum.

Ambo tamen Bœotarchæ Peloponnesum inuaserunt, plurimasq; gentes retraxerunt à Lacedæmonijs, sibi'que adiunxerunt, Elim, Argos, totam Arcadiam, ipsius plęraque Laconiæ. Et quanquam tempestas in ipso esset articulo brumalis solstitij, atque vltimi mensis vergentis pauci reliqui essent dies, ac mox ineunte primo mense successuri alij, morte indicta ijs, qui magistratu non abirent, ideo'que Bœotarchæ cęteri cùm legis metu, tum hyemis effugiendæ causa reducere exercitum contenderent domum: princeps Epaminondæ assensus tamen Pelopidas accensis militibus Spartam petijt, superato'que Eurota multis potitus est eorum oppidis, fines'que omnes ad mare vsque vastauit. Habebant sub signis militum Græcorum lxx millia, quorum ipsi erant Thebani minus duodecima parte. Verum perpulit socios omneis absque publico decreto vel lege, vt eos duces sequerentur obsequenter, illorum splendor. Quippe prima & antiquissima lex naturæ ei, cui opus salute est, imperatorem illum, qui valet conseruare, præficit: sicut vectores, licet tranquillo cœlo aut in statione apud opportunum littus obstrepuerint gubernatoribus, insolentes'que fuerint, procella tamen ingruente & discrimine illos respiciunt statim, atque spem in ijs ponunt. Namque Argiui, Elij, Arcades, qui de imperio in concilijs disceptabant & altercabantur cum Thebanis, cùm dimicandum esset & instarent pericula, vltro obedientes sequebantur eorum duces. In illa expeditione omnem Arcadiam fecerunt vnius corporis. In agrum Messenium expulsis Spartiatis, qui tenebant eum, veteres Messenios reuocauerunt, reduxeruntq; ad Ithonen habitandam. In reditu per Cenchream Athenienses, qui in faucibus eos tumultuosè adoriri moliebantur & transitu prohibere, fuderunt.

Thebanorum in Pelopidā & Epaminōdam ingratitudo.

Ob res hasce gestas cæteri omnes virtutem horum amplectebantur mirificè, & in admiratione felicitatem habebant. At intestina & ciuilis inuidia vnà cum gloria gliscens parum excepit eos benignè vel comiter. vterque enim sub reditum est in iudicium capitis vocatus: quod, cùm primo mense quem Bucation vocat, summo magistratu cedere ex lege alijs debuissent, quatuor solidos adiecissent menses: quibus res illas ad Messenen, Arcadiam, & Laconiam gesserant. Postulatus prior Pelopidas est: quo maiore est periculo iactatus. vterque tamen noxæ exemptus fuit.

Epaminōdæ patientia.

Cæterùm eam calumniam & conatum maleuolorum tulit Epaminondas leniter, magnā partem virtutis & magnanimitatis in rep. moderanda ducens, ciuium tolerare iniurias. Iracundiore ingenio Pelopidas, & ad pœnas ab inimicis expetendas à necessarijs incensus occasionem arripit huiusce modi.

Pelopidas damnat Menecludem calumniatorē.

Meneclides orator vnus erat ex ijs qui cum Pelopida & Melone in Charonis ædes coierant. Cùm autem non esset in pari apud Thebanos dignatione, qui esset disertissimus quidem, sed moribus improbis & malignis, appulit ingenium suum ad calumniandum & arrodendum præstantiores. neque post illud iudicium destitit. Ac Epaminondam quidem deiecit Bœotarchia, diuq; in reip. negocijs eum fatigauit. Pelopidam verò lacerare ad populum non quiuit, sed vt conflictaretur cum Charone, machinatus est. Et quia commune habet liuor leuamen; si quibus ipsi præstare non valent, hos saltem esse alijs ostendant inferiores: assidue in concione Charonis res gestas extollebat, illius celebrabat expeditiones victorias'que. Atque equestris prælij ad Platæas decus, quod ante pugnam Leuctricam duce obtinuerant Charone, dedicare ad hunc modum instituit.

Pugnas pingebant veteres.

Androcydes Cyzicenus conduxerat publicè tabulam pingendam alterius pugnæ. hoc opus Thebis faciebat. Cum autem defectio illa extitisset, atque esset exortum bellum, Thebani tabulam penè absolutam penes se retinuerunt. Hanc Meneclides, quo perstringeret Pelopidæ & Epaminondæ ornamenta, suasit populo vt inscripto Charonis nomine dedicaret. Erat verò absurda ambitio præ tam multis & talibus pugnis vno gloriantium facto vnaq; victoria: qua Geraudam quendam obscurum Lacedæmonium, & cum eo quadraginta cecidisse, præterea præclari nihil autumant gestum. Hanc rogationem Pelopidas vt aduersus legum interdicta latam defert, vrgens non esse ex more Thebanorum aliquem ornare priuatim, sed patriæ publicè titulum retinere victo-

riæ.

riæ. Ac Chatonem quidem non destitit per omnes actiones cumulare laudibus, at Meneclidam vt inuidum & improbum arguens, & Thebanos rogitans, num extaret nullum ipsis præclarum factum * litem Meneclidæ æstimauit pecunia: quam cum ob magnitudinem soluere non posset, res nouas postea in urbe molitus est. Habent hæc quoque quandam eius vitæ contemplationem.

*

Alexander Pheræus tyrannus.

Cùm autem Pheræorum tyrannus Alexander multos quidem Thessalos apertè bello oppugnaret, immineret verò omnibus, ac ciuitates Thebas ad petendum ducem cum copijs legatos misissent: cernens Epaminondā Pelopidas res in Peloponneso ordinare, detulit & attribuit se ipse Thessalis. neque enim suam obtorpescere peritiam & facultatem volebat, neque ubi esset Epaminondas, imperatorem desiderari ducebat alium. Simul vt in Thessaliam mouit, Larissam recepit, & Alexandrum studuit ad se supplicem venientem inuertere, & ex tyranno cicurare atque efficere legitimum Thessalis principem. Qui cum esset planè deploratus & ferus, magna item eius sæuitia, magna etiam proteruitas & auaritia proferrentur, exacerbato in eum Pelopida & infenso profugit cum stipatoribus. At Pelopidas cum securos à tyranno Thessalos reliquisset, eos que mutuò inter se conciliasset, petijt Macedoniam.

Ptolemæus, Diodorus lib. 15.

Ptolemæus enim intulerat Alexandro apud Macedonas regnanti bellum. vterque autem disceptorem illum & iudicem acciuerat: deinde socium & adiutorem eius qui lædi videretur. Hic aduentu suo cum controuersias finiuisset, exules que reduxisset: Philippum obsidem regis fratrem, prætereà que pueros triginta alios ex primoribus accepit atque Thebas duxit, ostentans Græcis in quantum fastigium ascenderet resp. Thebanorum splendore potentiæ & fide iustitiæ.

Philippus Macedo obses Thebis.

Hic ille est Philippus qui cum Græcis insecutis temporibus de libertate eorum arma contulit. Id temporis puer apud Pammenem hospitium habuit. Inde æmulus Epaminondę habitus est: notata fortasse in militia & imperio eius strenuitate, quę exigua portio illius fuit virtutis: temperantiæ verò, iustitiæ, magnitudinis animi, lenitatis, quibus verè vir celsus ille fuit, neq; natura Philippus, neq; imitatione fuit consors. Mox Thessali denuo accusauerunt Alexandrum Pheræum, quod quietem ciuitatum solicitaret. Missus eò Pelopidas cum Isinenio legatus, non duxerat domo secum copias, neq; expectauerat bellū, sed subita necessitate fuit ei vtendū Thessalis. Interea renatus tumultus in Macedonia est. Ptolemæus enim peremerat regem, regnumq; inuaserat: amici autem illius perempti acciuerunt Pelopidam. Qui cum rebus ijs nollet deesse, nec proprios milites ad manum haberet, conscripsit indidē mercenarios quosdam, atq; hac manu confestim mouit in Ptolemæum. Vbi in propinquum venerunt, corrupit conductitium militem Ptolemæus pecunia, pellexitq; ad se vt transirent. Pelopidæ verò ipsam veritus existimationem & nomen eius, occurrit vt præcellentiori, eumq; complexus ac supplex promisit regnū se defuncti fratribus conseruaturum, & eosdem, quos Thebanos, hostes & amicos habiturū. In hæc obsides dedit Philoxenum filiū suum, et quinquaginta ex familiaribus. Eos misit Pelopidas Thebas. Cùm autem morderet eum conductorum mercede militum proditio, acciperetq; pecuniam eorum maxima ex parte, liberosq; & coniuges Pharsali esse: quibus si esset potitus, satis vlturum se iniurias suas putabat: delectu habito nonnullorum Thessalorum Pharsalum venit.

Pelopidas capitur ab Alexandro Pheræo.

Confestim ingresso eo oppidum, superuenit cum exercitu Alexander. Existimabat autem eum Pelopidas ad purgandum se præstò esse, ideo cōtendit ipse ad eum, non ignarus quidem nefarium hominem & latronem esse, sed fretus vrbe Thebis suaq; authoritate et gloria nihil timuit mali. Ille vbi inermem vidit solumq; accedentem, iniecit confestim ei vincula, & Pharsalum occupauit, pauoremq; & metum illis, qui ei parebant, cunctis incussit: verentibus, ne à tam atroci iniuria & audacia parsurus nemini esset, itaq; se aduersus quosuis homines & quacunq; in re gesturus, velut vita tunc omnino deplorata. At Thebani eo nunciato soliciti exemplò miserunt eò exercitū: cui, quod infensi tum essent Epaminondæ, alios duces præfecerunt.

Pelopidæ fortitudo.

Pelopidam tyrannus Pheras abstraxit. ubi primùm, quod abiectum in calamitate & infractum existimaret, omnibus permisit eum alloqui. At postquā gementes Pelopidas Pheræos consolatus est, quod nunc impenderet hauddubie tyranno vindicta, atque illi nunciari iussit, absonum esse quòd miseros & innoxios ciues quotidie excruciaret & trucidaret: sibi verò, quem certò sciret, si euasisset, pœnas ab ipso persecuturum, parceret: miratus animum et securitatem eius, Quid properat, inquit, Pelopidas mori? Quo audito: Vt tu, inquit, magis quàm nunc execrandus percas maturius. De cætero prohibuit, ne quis præter domesticos eum adiret.

Thebe Alexandri Pheræi vxor.

Thebe verò Iasonis filia, vxor Alexandri, cum accepis-

set de custodibus Pelopidæ firmitudinem & celsitudinem animi eius, expetiuit eum videre & conuenire. Vt accessit ad eum, & velut mulier magnanimitatem eius nō illicò in tantis ærumnis perspexit: sed ex squallore, sordibus, & maligno victu conijciens acerba eum & indigna illo nomine premi calamitate, illachrymauit. Primùm incertus, quæ nam mulier esset, mirabatur Pelopidas. vbi cognouit eam (quod consuetudo ei & gratia intercederet cum Iasone) compellauit eam nomine paterno. Cum diceret illa, Miserere me vxoris tuæ: Me verò tui, inquit, quæ soluta feras Alexandrum. hæc oratio pupugit Theben. Quippe crudelitatem oderat flagitiaq́ tyranni, qui præter cæteram libidinem etiam minimum natu fratrem eius in pellicatu habebat. Quare inuisit Pelopidam frequenter: & cum liberè euomeret apud eum miserias suas, dedit ille animum ei & spiritus, atque in Alexandrum incendit eam. Vt verò prætoribus Thebanorum expeditio in Thessaliā sine effectu fuit, ob imperitiamq́ vel fortunam infestam recesserunt ignominiose: singulis dixit ciuitas decem millium drachmarum mulctam, misitq́ cum copijs Epaminondā. Hic subitò magnus motus fuit arrectorum claritate ducis Thessalorum. Fortunæ autem tyranni poterant paruo momento conuelli. tanta formido duces & familiares eius incesserat, tantus ardor populares ceperat ad defectionem & expectatio futuri, quasi tūc pœnas pendentem aspecturos se tyrannum. Verùm enimuerò Epaminondas, cui Pelopidæ incolumitate posterius suum decus erat, veritus ne rebus con quassatis & spe abscissa, feræ modo verteret se Alexander in illum, lentè prosecutus bellum est, circumuagandoq́ cum apparatu bellico & cunctando præparauit, & compresit tyrannum: vt nec peruicaciam eius & ferocitatem remitteret, neque extimularet acerbitatem & iracundiam. Audiebat enim eius immanitatem, contemptumq́ honesti atque legū: viuos homines cum defodere, alios pro ludo pellibus tectos aprorum & vrsarum venaticis canibus immissis decerpere, & conficere iaculis: Meliбœam & Scotusam fœderatas ciuitates & amicas in concione satellitibus vndiq́ circunfusis, citra vllum discrimen ætatis contrucidasse: lanceam qua confoderat patruum Polyphronem consecrasse, eiq́ redimitæ vt deo immolare, atque Tychonem appellare: cùm aliquando tragœdum Euripidis agentem Troadas spectaret, prorīpuisse se ex theatro, missoq́ nuncio confirmasse hominem atque adhortatum, ne ideo minus prosequeretur ludos, neque enim idcirco discedere se, quòd eum fastidiret, sed quod erubesceret ciues, si se qui nullius vnquam ab se necatorum fuisset captus misericordia, calamitati illachrymantem Hecubæ & Andromaches conspicerent. Iste tamen splendore ipso & nomine atq; maiestate Epaminondæ ducatus perculsus,

Gallus uelut seruus premens alam horruit,

ac citò ad satisfaciendum legatos misit. Ille verò firmare inter Thebanos & istum hominem non sustinuit pacem & amicitiam, sed pactis inducijs triginta dierum, receptis que Pelopida & Ismenia reduxit exercitum. Porrò Thebani legatos odorati de societate à Lacedæmonijs & Atheniensibus ad magnum regem mitti, legauerunt ipsi quoque Pelopidam prudenti sane ob celebre nomen eius consilio. Primum enim ascendit per regis prouincias nobilis & celebratus. Neque enim segniter percurrerat Asiam, neque obscurè pugnarum cum Lacedæmonijs commissarum splendor. Verùm ut primus de prælio Leuctrico increbuit rumor, recentis semper alicuius accessione victoriæ increscens atque ascendens, ad superiores prouincias longissime dispersus fuit. Deinde aulicorum oculis satraparum, ducum, & principum subiectus in magna fuit apud eos admiratione & sermone: Hunc illum esse virum, qui terra mari que Lacedæmonios profligasset, Spartamq́, quæ non multo antè regi magno & Persis duce Agesilao de Susis & Ecbatanis intulerat bellum, intra Taygetum & Eurotam redegisset. Erant hæc grata Artaxerxi. qui, quo videretur suspici & coli à summis viris, magis auxit existimationem Pelopidæ & extulit eum honoribus. Vt verò vultum eius aspexit, & orationem audiuit Attica grauiorem, & simpliciorem Laconica: impendio magis complexus est eum, atque animo verè regio non dissimulauit quanti illum faceret. neque clam fuit cæteros legatos plurimum illi tribuere: quamuis videretur inter Græcos eximio honore Antalcidam prosecutus Lacedæmonium fuisse, quod coronam, quam in conuiuio capite gerebat, in vnguento mersam ei misisset. At cum Pelopida non egit tanta licentia, sed munera ei splendidissima & amplissima, quæ de more erant misit, & postulata eius confirmauit: vt Græci immunes suis legibus agerent, Messene coleretur, Thebani amici paterni regis haberentur. Cum his responsis nullo dono, nisi quod gratiæ & beneuolentiæ esset pignus, accepto discessit. Quæ res reliquos legatos sugillauit præcipuè.

siquidem

Epaminondas liberat Pelopidā.

Alexandri Pherei crudelitas.

Pelopidas legatus ad regē Persarum.

Pelopidas honoratus à rege Persarum.

siquidem Timagoram populus Atheniensis damnauit necauitq́: si ob multitudinem donorum, rectè atque ordine. Neq; enim aurum modò & argentum acceperat, verùm etiam preciosum lectum & seruos † lectisterniatores, tanquam rudibus ad ista Græcis: insuper LXXX vaccas cum bubulcis, tanquam lacte bubulo ad valetudinem opus haberet: denique fuit lectica ad mare delatus, ac quatuor talenta lecticarijs mercedis præbita à rege. Atqui non videntur ob sordes illas præcipue exarsisse in eum Athenienses: quando Epicrate Lixa olim nec dissimulante dona se ab rege accepisse, & profitente rogationem se laturum, vt nouem archontū loco, nouem quotannis legatos ad regem ex popularibus & tenuioribus designarent, quo muneribus auctiores forent, arrisit populus. cæterùm quòd omnia tributa Thebanis fuissent, id eos momordit: non reputantes Pelopidæ gloria quàm multis splendidis dictionibus & orationibus apud hominē, qui semper coleret bellica laude præstantes, præcelleret. Atque hæc legatio quidem non mediocre regresso domum Pelopidæ studiū, ob Messenes restitutionem & aliorū Græcorum libertatem, peperit. At quia Alexander Pheræus iterum ad ingenium suum relapsus, non pauca oppida Thessalis ademerat: Phthiotis, vniuerso nomini Achęo, atque Magnetum genti imposuerat præsidium: ad nuncium reuertentis Pelopidæ miserunt confestim ciuitates legatos ad petendum suppetias, & illum ducem. Ea cum Thebani libentes sciuissent, omniaq́ protinus parata, ac dux iam esset profecturus: sol defecit & caligo occupauit interdiu vrbem. Hoc ostento cernens Pelopidas trepidantem ciuitatem, nō putauit pauidos & languescentes extrudendos, neq; periculo obijciēda septem millia ciuium: sed solùm se dedit Thessalis, trahensq́ secum trecentos equites voluntarios & externos. Profectus est obnunciantibus uatibus & reliquis ciuibus inuitis. magnum enim existimabant de cœlo & inclyto viro factū portentum. At ille cum maiore ira, ex prioribus contumelijs, exarserat in Alexandrū, tum spondebat sibi ex colloquijs cum Thebe habitis, domum se eius affectā & exulceratā reperturum. Potissimùm aūt eum splendor facti acuit auentem & annitentem, quo tempore Lacedæmonij Siciliæ tyranno Dionysio duces & præfectos mittebant, & præbitorem Athenienses habebant Alexandrum, eiq; Aeneam statuā vt benemerenti posuerant: tunc Græcis ob oculos ponere, solos esse Thebanos qui belligerarēt pro oppressis tyrannide, & iniustos per Græciam & violentos dominatus obtererent. Vt ergo Pharsalum venit & delectū habuit, mouit raptim in Alexandrum. Qui paucos Thebanos cernens cum Pelopida, cùm duplo plures ipse pedites, q̄ essent Thessali, haberet, occurrit ei ad fanum Thetidis. Cùm Pelopidam autem moneret quidam, magna manu tyrannū adesse: Bene habet, inquit, plures enim vincemus. Tumuli conuexi & excelsi circa Cynoscephalas appellatas, exporrecti aduersi ad medium campi erāt: hos occupare ambo peditatu instit ere. Equites autem Pelopidas, qui multi & fortes erant, immisit in hostium equitatum. Vbi hi victores, & fugientium tergis inhærentes delati sunt in campum, Alexander verò colles illos conspectus est tenere, & in peditatum Thessalorum serius aduentantem, ad asperaq́ atq; edita eluctantem inuectus, primos interfecit, reliqui vulnerabantur impunè. eo Pelopidas animaduerso reuocauit equites, & in globum hostiū imperauit dare impressionem. Ipse arrepto clypeo raptim succurrit ijs, qui in collibus pugnabant, ac per postremos erumpens in primam aciem, tantum roboris & alacritatis addidit omnibus: vt viderentur etiam hostibus alij esse facti, ac tum corporibus tum animis incumbere. Duas iam aut tres impressiones propulsauerant. cùm vident & hos magna vi irrumpentes, & reuertentem ab insequendo equitatum: tunc verò gradum retulerunt. Pelopidas ex edito contemplatus totam hostium aciem nondum quidem vertisse terga, sed fluctuantem vndiq; & tumultuantem, substitit, ac circumlatis oculis requisiuit Alexandrū. Quem vt conspexit mercenarios milites in dextero cornu cientem, ordinesq́ restituentē, non repressit ratione iram, sed ad aspectum eius incensus, commisit ardori corpus & rei gerendæ imperium, longeq́; ante primam aciem euectus, alta voce prouocauit tyrannum. Ille verò non excepit neque expectauit impetum eius: uerùm vitabundus se inter stipatores abdidit. Marcenariorum, qui primi pedem contulerunt, concisi à Pelopida, nonnulli etiam vulnerati interfecti que. Maxima pars eminùs arma eius hastis traiecerunt, eumque contrucidauerunt: quò vsque supra modum anxij Thessali ex collibus, ad ferendum suppetias decurrerunt. Iam prolapso eo aderant equites, qui totam pepulerant aciem, & longe fugientes consectati compleuerant strage campos interfectis amplius tribus millibus. Hic grauem præsentium Thebanorum ex morte Pelopidæ molestiam

Athenienses puniunt legatum, qui dona acceperat.

† Sic appellat Plautus, quos Græci Strotas uocant.

Pelopidæ secunda expeditio cōtra Alexandrū Pheræum.

Solis eclipsis terret Thebanos.

Cynoscephalæ.

Pelopidæ & Alexādri pugna.

Pelopidas trucidatur.

molestiam, patrem, seruatorem, maximarum ac præclarissimarum magistrum virtutum appellantium nemo perinde mirabatur: Thessali verò, qui omnem humanum virtuti debitum excesserunt decretis honorem, multo magis dolore suam aduersus eum beneuolentiam declarauere. Fama est eos, qui huic prælio interfuerunt, non ante loricam posuisse, non equo frenum detraxisse, non vulnus obligasse, vbi eum cecidisse acceperunt: sed armatos & calentes ad mortuum accurrisse velut spirantem, atque hostium spolia vndique circa corpus cumulasse, totondisse equos, totondisse seipsos: multos, cum in tentoria se recepissent, nec ignem accendisse, nec cibum cepisse: silentium & mœstitiam vniuersum exercitum occupauisse: non quasi clarissimam & maximam obtinuissent victoriam, verùm tanquam à tyranno superati & oppressi fuissent.

Pelopidæ funus.

Ex vrbibus, vbi hæc nunciata sunt, magistratus, simul'que adolescentes, pueri, & sacerdotes effuderunt se ad excipiendum corpus Pelopidæ, trophæa, coronas, arma aurea ingerentes. Vbi iam efferendum corpus fuit, seniores Thessali adierunt Thebanos, postulantes vt permitterent ipsis mortuum funerare, quorum vnus ita verba fecit: Beneficium socij à vobis petimus hoc, quod ornamento in tanta calamitate nobis & solatio erit. Non enim viuum Thessali Pelopidam prosequuntur, nec meritos honores sentienti habent: sed si contrectare exanimem licebit, & per nos decorare atque humare corpus eius, fidem faciemus vobis, credere nos cladem hanc esse Thessalis quàm Thebanis maiorem. Vos enim bono imperatore tantùm fortuna, nos & hoc & libertate spoliauit. Nam qua fronte alium posthac ducem à vobis non reddito Pelopida poscemus? Concesserunt ea Thebani.

Funeris honos, qui splendidissimus haberi debeat.

Illo funere splendidiora fuisse dixerit alia nemo, qui splendorem non ebore, auro, purpura metitur: vt Philistus, qui Dionysij decantat & stupet sepulturam, sicut magnæ tragœdiæ tyrannidis theatrale exodium. Alexander Magnus defuncto Ephæstione non equos modo & asinos totondit, verùm etiam pinnas detraxit muris: quo vrbes loco prioris imaginis sordida assumpta & squalida specie viderentur lugere. Sed iussa dominorum hæc, quæ magna violentia exprimuntur & cum inuidia honoratorum & odio cogentium, nullum significauerunt studium vel honorem, sed barbaricum fastum, sed luxum, sed insolentiam, opes in res vanas & illaudatas effundentium.

Pelopidæ summa beatitas.

At vir popularis, quem peregrè fato functum, non coniuge, non liberis, non præsentibus propinquis, nemine rogante vel compellente, tam multi populi & ciuitates certatim pro se quique prosecuti sunt, extulerunt & coronis decorarunt, iure visus est summam assecutus beatitudinem.

Aesopi dictum de felicium morte.

Mors beata.

Non enim, vt Aesopus ait, mors est felicium acerbissima, verùm beatissima: quæ res bonorum virorum lætas securo loco deposuit, & fortunæ declinauit conuersionem. Melius ergo Lacon ille, qui Olympionicem Diagoram, cum spectasset filios illi victores Olympiæ, spectasset etiam nepotes ex filijs & filiabus, salutans: Morere Diagora, inquit. non enim in cœlum ascensurus es. Olympiacas autem & Pythicas laureas nemo opinor in vnum collectas omnes vni dignetur conferre Pelopidę certaminum. Quę cum multa decertasset, & victor euasisset, vitam'que pene omnem gloriosè & honorificè traduxisset, tandem in decimatertia Bœotarchia, coniunctum cum tyranni oppressione decus obiens, pro Thessalorum expirauit libertate.

Thebani Pelopidæ cædem vlciscuntur.

Mors eius quamuis valde grauis fuerit socijs, magis fuit tamen fructuosa. siquidem Thebani simul atque fatum Pelopidæ intellexerunt, nulla interposita ulciscendi mora, eduxerunt raptim Malcite & Diogirone ducibus exercitum septem millium peditum & septingentorum equitum. Cùm autem reperissent deiectum Alexandrum & viribus truncatum, compulerunt eum vt Thessalis, quæ ademerat ijs, oppida restitueret: Magneras, Phthiotas, Achæos liberaret, & præsidia inde deduceret: denique ipse iuraret eosdem se, quos Thebanos, hostes habiturum. Hac mulcta satiati Thebani fuere.

Alexander Pheræus ab vxore sua interficitur.

Cic. de Offic. li. 2.

Quas verò paulo pòst ob Pelopidam pœnas dijs dederit, commemorabo. Theben eius coniugem primùm Pelopidas, vti diximus, docuit, ne trepidaret splendorem & apparatum tyrannidis externum armis vallatum & fugitiuis. Deinde ipsa metuens hominis perfidiam, & crudelitatem exosa, coitione cum tribus fratribus suis facta Tisiphono, Pyrholao, Lycophrone, insidias ei ad hunc modum struit. Cætera ædium tyranni statio excubantium seruabat: cubiculum verò, ubi solebant quiescere, in edito erat, pro quo canis deligatus, omnibus nisi ipsis & vni seruo, qui eum curabat, horrendus, agebat excubias. Quo tēpore eum statuerat Thebe adoriri, fratres iam de die in conclaue quoddam abdiderat propinquum. Ea more suo ad Alexandrum sola iam sopitum ingressa, ac mox egressa

seruo

seruo foras iussit canem abducere, velle illum dicens quietè dormire. Scalas etiam, verita ne strepitum ederent ascendentibus adolescentibus, constrauit lana. Inde ad thalamũ fratres gladijs accinctos adduxit: quibus pro foribus relictis, ingressa est ipsa. Ensem, qui supra caput eius suspensus erat, detractum in signum, recubuisse cum somno stratũ, ostendit fratribus. Hîc adolescentes terrore exanimatos & torpescentes, illa lacerans probris ac frendens deierauit, Alexandrum se excitaturam, consiliumq; ei aperturam. Ita pudore simul & metu perfusos introduxit, lumenq; admouens circumiecit eos cubili. Quorum vnus apprehendit presitq; pedes, illius caput alter crinibus correptum retorsit, tertius ense feriens obtruncauit eum. Ac mortis quidẽ celeritate citius fortasse quàm oportuit, defunctus est. Vno verò hoc quod primus omnium tyrannorum à propria sit vxore sublatus, & post obitum cadauer cum contumelia proiectum à Pheræis, conculcatumq;, dignum facinoribus suis exitum visus est inuenisse.

Alexander Phereus tyrannorum primus ab vxore necatus.

M. Marcellus.



M. CLAVDIVM, qui consul Romanus quinquies fuit, patrem habuisse Marcum memorant. Primum suæ gentis, tradit Posidonius, vocatum Marcellum, quasi Martialẽ. Fuit enim vsu rei militaris peritus, corpore robustus, manu strenuus, bellator natura. Igitur ferociam hanc ingentem & feruorẽ ad prælia attulit: reliqua modestus, humanus, Græcarum literarum & disciplinarum hactenus, ut coleret præstantes in ijs & in admiratione haberet, studiosus: sed parem voluntati nõ est exercitationem in ijs, neq; doctrinam propter occupationes assecutus. Nam si quos homines Deus alios, vt ait Homerus,

Marcelli genus.

Marcelli mores.

Iliad. 14.

A teneris voluit versari Marte feroci
Vltimum in vsq; diem:

uoluit certè principes eius memoriæ Romanos. Qui iuuenes bellum cum Pœnis, in Sicilia constante ætate de ipsa Italia cum Gallis habuerunt, ad postremum cum Anniba le & Pœnis iterum iam colluctati sunt senes, carueruntq; contrà ac vulgus in senio uacatione militiæ: quod pro nobilitate atq; virtute proueherentur ad gerenda bella & imperium. Marcellus autem nullius generis pugnandi expers vel rudis, pugnans ex prouocatione vicit seipsum. Quare à quocunq; prouocaretur, non detrectauit: omnesq; interfecit, à quibus esset prouocatus. Fratrem in Sicilia Otacilium circumuentum protexit, seruauitq;: & hostes, qui eũ premebant, occidit. ob quæ facta coronis iuuenis, alijsq; præmijs est ab imperatoribus donatus. Cum verò magis ac magis virtus eius enitesceret, creauit eum ædilem curulem populus, pontifices augurem. Sacerdotium: id est, cui potissimum auguriorum procurationem obseruationemq; lex attribuit. In ædilitate ex casu quodam, necesse habuit accusationem instituere. Filium habebat Marcum cùm forma in flore ætatis insigni, tum moribus & eruditione rara, ut eum ciues admirarẽtur. Hunc lasciuus & audax homo amore deperiens collega Marcelli Capitolinus attentauit. Cuius tentationem adolescens primùm per se reijcit. Vbi ille cum iterum appellat, defert rem ad patrem. Id iniquo animo ferens Marcellus accusat hominẽ in senatu. Qui appellatis tribunis plebis, varia diuerticula, varias præscriptiones molitur: neq; his prouocationem recipientibus inficiatione reijcit crimen. Quia verò tentatio Capitolini remotis arbitris fuerat, placuit senatui puerum accersere. Cuius ruborem & lachrymas præsentis, mixtumq; flagrantissima ira pudorem cum cernunt patres, nullo vltra quæsito iudicio, damnant Capitolinum, litemque pecunia æstimant: ex qua mensam argentariam fecit Marcellus, quam dijs dicauit. Porrò primum bellum Punicum vigesimo & altero anno finitum, semina rursus tumultus Gallici Romæ exceperunt. * Iberes, qui regionem Italiæ subalpinam incolebant, gens Gallica vel per se pollens, milites ex cæteris Gallis mercenaria stipendia merentes, qui Gæsatæ vocantur, exciuerunt. Miraculum autem fuit & felicitas populi Romani, quòd in Punicum non incurrisset bellum Gallicum: sed velut spectatores vt integri assurgerent in victorem, dum illud gereretur, bona fide quieuissent, tunc autem victores adorirentur lacesserentq; ociosos. At non mediocrem pauorem tamen suscepturis bellum Romanis propinquum & finitimum, vicinia & antiqua gloria iniecit Gallorum, quos timuisse eos præ cæteris, quod

Romanorum in bellis labores.

Marcellus fratrem protexit.

Marcellus Capitolinum accusat.

Bellum Gallicũ.

Iberes.

* Legendum arbitror Insubres quorũ hic meminit epitome Liuij.

Gæsatæ milites.

Bellum Gallicũ terribile Romanis.

ris, quod vrbem aliquando cepissent, apparet. A' quo tempore lege cautum fuit vacationem pontificibus nisi tumultu Gallico esse. Trepidationis argumentũ, qua belli apparatus (neq; enim tot vno tempore legiones habuisse in armis populus Romanus vel ante vel pòst vnquam fertur) qua sacrificia extraordinaria fuère. Qui cum ab institutis barbarorum & immanium gentium essent alienissimi, ac de dijs imprimis cum Græcis & piè sentirent: tum bello ingruente ex vaticinijs librorũ Sibyllinorũ Græcum & Græcam, simulq; Gallum & Gallam in foro Boario, quod vocant, sub terra viuos demisere.

Homines sub terra viuos demissos.

quibus ad hunc vsq; diem Græcis & Gallis sacra arcana & nefanda faciunt mense Nouembri. Per initia huius belli cum Romani nunc insignes victorias obtinerent, nunc fœdè cæderentur, nihil perfectum ad summam belli, donec C. Quintius flaminius, & P. Furius Philo consules in Insubres ingentes copias duxère. Tum qui per agrum Picenum perfluit, amnem sanguine conspexerunt manantem.

Lunæ tres uisæ.

Fama fuit tres lunas visas Arimini. Comitijs autem consularibus vitio creatos consules augures obnunciauerunt. Extemplò igitur misit in castra senatus literas: quibus consules accersiuerunt & reuocauerunt Romam, vt consulatu se primo quoque tempore abdicarent, nec quicquam pro imperio aduersus hostes gererent.

Flaminius superat prælio Gallos.

Eas allatas Flaminius non prius, quàm fusis fugatisq; barbaris fines eorum esset depopulatus, soluit. Quare redeunti cum ingenti præda non prodijt obuiam populus: imò, quia literis, quibus retrahebatur, nõ paruisset statim, neque dicto audiens fuisset, sed eas ludibrio & cõtemptui habuisset, nihil propius factum est quàm vt ei negarent triumphum. Secundum triumphum abrogauit ei extemplò cum collega magistratum, eosq; redegit in ordinem.

Romanorũ magna religio.

Ita omnia Romæ ex religione pendebant. Auspicia ritusq; veteres, ne si secundissimi quidem rerum sequerentur cursus, ferebant negligi: antiquius ad salutem publicã rati, si magistratus deos suspicerent, quàm si superarent hostes.

Cic. de Diuin li. 2. Val. Max. li. 1. cap. 1.

Itaq; Tiberius Sempronius, quem virtutis & probitatis gratia ciues plurimi fecerunt, successores creauit consul Scipionem Nasicam & C. Martium. Cum iam in prouincias profecti illi essent, incidit in libros ad sacra populi pertinẽtibus: vbi quiddam, quod latuerat ipsum, solenne reperit. id hoc fuit: Cum auspicaretur consul, in domo extra vrbem vel in tabernaculo ad id cõducto, sedebat: quod si qua de causa redire in vrbem nullisdum visis certis signis cogeretur, relinquendum erat prius cõductum tabernaculum, & quærendum alterum, ex quo de integro seruaret de cœlo. Hoc cum Tiberium, vti reor, falleret, bis eodẽ vsus illos, quos dixi, renunciauit consules. Cognito pòst vitio, rem ad senatum retulit. neq; neglexit adeò minutam offensionem senatus: scripsit Scipioni Nasicæ & C. Martio, qui relictis prouincijs ilicò Romam regressi, deposuerunt magistratum. uerùm hæc pòst insecuta sunt. Verùm illa tempestate duobus clarissimis viris sacerdotia sunt adempta: Cornelio Cethego, quòd exta hostiæ nõ ritè porrexisset: Q. Sulpitio, quia immolanti apex, quem gestant flamines, de capite ei defluxisset: Minutio dictatori, qui magistrum equitum dixerat C. Flaminium, quia stridor soricis auditus erat, imperium abrogarunt, aliosq; suffecerunt. Neq; his tamen tam anxiè obseruandis minutijs, quia nihil uariabant nec excedebant maiorum instituta, in vllam impingebant superstitionem. Vt consulatu se Flaminius cum collega abdicauit,

Marcelli primus consulatus.

M. Marcellus per interreges consul declaratur. Qui inito magistratu collegam sibi allegit Cn. Cornelium. Fama fuit multum pacificantibus Gallis & inclinante ad quietem senatu, inflammasse Marcellum ad bellum populum. Attamen conuenit pax: quam rupisse dicuntur Gęsatæ, qui ad triginta millia superatis Alpibus Insubres concitauerunt, ijsq; coniunxerunt se: quorum etiam longe plures erant legiones, inflatiq; animis rectà

Acerra urbs.

Acerras petierunt, in ripa Padi amnis positam vrbem.

Viridomarus, ex Liuio et alijs.

Inde Gæsatarum rex Viridomarus decem millibus militum assumptis, regionem circumpadanam vastauit. Quod vbi perlatum ad Marcellum est, collega ad Acerras cum peditatu, vniuersaq; graui armatura, & tertia parte equitum relicto, reliquum equitatum secum trahens, & ex peditibus expeditissimos quosque ad sexcentos, nec die nec nocte, raptim agmine facto, remisit iter, dum ad hostes peruenit iuxta Clastidium vicum Galliæ, qui nõ multo antè in ditionem Romanorum venerat.

Clastidium, uicus.

Nec spacium reficiendi militis uel quietis dandæ habuit. Confestim enim senserunt aduentum eius barbari, qui iam aderant, contempseruntq; eum, quod paucos admodum pedites secum haberet. Equitatus verò Galli, cum optimi ipsi equites sint, eaq; re plurimùm videantur præstare, & in præsentia quidem superarẽt numero quoque Marcellum, nullam rationem duxère. Ergo protinus ruunt, velut eum conculcaturi, magno impetu, & sæua minitantes. Ante signa versabatur rex. Hic Marcellus,

cellus, quia pauci sui erant, ne circundarentur circumfunderenturq; ab hostibus, alas equitum promouit, atque equo circumuectus extenuauit, produxitq; cornu, dum prope hostem venit. Ibi, dum aciem in hostes dirigit, equus eius vlulatu illorũ expauefactus, retrò cedit, vicq; Marcellum auertit. Ille veritus, ne ea res permoueret in omen versa milites, equum properè in sinistram flectit, & ad hostes conuertit, solemq; ipse adorat: vt si non casu, sed eius rei causa circumegisset equum. Solemne est enim Romanis, cum adorant deos, in orbem se conuertere.

Romanorum in adorando ritus.

Cùm iam ad manus ventum esset, fertur præstantissima hostium arma Ioui Feretrio vouisse. Ibi Gallorum rex conspicit Marcellum, & ab insignibus conijciens ducem esse, longe ante aciem prouectus est, simulq; alta voce lacessens eum & hastam vibrans, admittit infestus in eum equum, proceritate inter Gallos exuperans, armisq; ex auro & argento fabrefactis, & varia picturatis tinctura, instar fulguris insignis radiantis.

Marcellus regem Gallorum prouocātem occidit.

Quæ arma lustranti oculis aciem Marcello, vt visa sunt præcellentissima, eaq; votis se sacrasse dijs existimans, in regem impetum dedit, thoracemq; eius hasta transfixit, tum libramento equi premens in terram præcipitauit eum, alterum deinde ac tertium repetens ictum, occidit. Mox desilijt ex equo, iniectaq; mortui armis manu suspiciens in cœlum ita fatur: Arbiter insignium factorum ducum, & actuum imperatorum in bello atque prælijs, Iupiter Feretrie, te teste dux ducem, consul regem manu mea tertius ego hunc confossum interfeci. Tibi consecro prima & præstantissima ex spolijs. Tu ad reliquias belli pergentibus eundem tribue fortunæ cursum. Hinc concurrunt equites non cum solis seorsum equitibus, sed cum inferentibus se simul peditibus quoque confligunt, referuntq; singularem victoriam, modo que nouam ac stupendam. Neque enim equitatum & peditatum tam pauci, tam numerosum, quod quidem proditum memoriæ sit, vnquam vel antè uel pòst fuderunt. Hostibus magna ex parte cæsis, lectisq; spolijs, reuertitur ad collegam.

Galli à Marcello cæsi.

cui res aduersus hostes bellum gerenti ad vrbem Galliæ maximam & frequentissimam, Mediolanum vocant, male cedebat. Hanc Galli cisalpini pro capite habent. quare pro ea acriter propugnantes, nõ tam obsidebantur quàm obsidebant Cornelium. At reuerso Marcello & Gæsatis, ubi de regis clade ac cæde certiores facti sunt, se recipientibus capitur Mediolanum. Reliqua oppida vltrò Galli, suaq; omnia dedunt Romanis. Gallis pax satis æqua data.

Mediolanum capitur.

Marcellus ex senatusconsulto solus triumphauit. Triumphus fuit reliqua magnificentia, opulentia, spolijs, immanibus corporibus captiuorum cum primis memorabilis. Verum omnium gratissimum spectaculum & rarissimum ipse fuit dux, qui arma barbari deo tulit. Ex quercus eximiæ excelso & recto stipite detruncato parauit in modum trophæi ferculum. Deligauit ex eo & suspendit in orbem spolia, singula aptè & decorè annectens. Prægressa pompa portans ferculum conscendit currum, ac triumphalis imago ipse illius memoriæ pulcherrima speciosissimaq; inuectus vrbem est. Exercitus secutus est fulgentibus armis ornatus, Iouemq; & imperatorem carminibus compositis, atq; cantilenis victorialibus concelebrauit.

Marcelli triumphus.

Templum inde ingressus Iouis Feretrij donum dedicauit tertius & vltimus ad nostram vsq; memoriam. Primus opima spolia occiso Ceninensium rege Acrone retulit Romulus, de Volumnio Hetrusco secundus Cornelius Cossus, ab his Marcellus de Gallorum rege viridomaro, post Marcellum nemo.

Marcellus dedicauit opima spolia.

Deus, cui consecrantur, Iupiter Feretrius vocatur à trophęo, quod feretro gestabatur: deducto nomine è lingua Græca, quæ passim sermoni Latino erat etiam tum confusa. Alij esse cognomen Iouis fulminantis affirmant à feriendo dictum. Sunt qui deductum volunt ab ictibus, qui in bello inferuntur. nam nunc etiam in conflictibus cum hostibus instant, ad feriendum crebro adhortantur se mutuò.

Iupiter Feretrius, vnde dictus.

Hæc spolia vocantur peculiariter opima. licet in commentarijs dicant Numam Pompilium primorum opimorum spoliorum, secundorum, & tertiorum meminisse, eumq; præscribere, prima capta vt Ioui Feretrio consecrentur, Marti altera, tertia Quirino: præmiumq; sit primis asses trecenti, secundis ducenti, tertijs centum: fama obtinet tamen sola in honore illa esse, quæ in acie, & prima, & duci ab se interfecto detrahit dux. verùm de his satis.

Opima spolia, quæ.

Illa victoria populo Romano, bellumq; profligatum, vsq; adeò fuit acceptum, vt Apollini Delphico donum crateram auream centum pondo gratiæ referendæ causa mitterent, partemq; magnam prædæ donauerint socijs ciuitatibus, ac multa ad regem Syracusarum amicum & socium Hieronem curauerint ferenda. At quo tempore irrupit in Italiam Annibal, missus cum classe Marcellus in Siciliam est. mox Cannensi clade, qua multa millia mortalium perierũt, accepta: cum pauci incolumes Cannusiũ se ex fuga recepissent, & Annibal timerent, qui

Marcelli res gestæ bello Punico secundo.

robur exercitus Romani deleuerat, ne Romam euestigiò raperet agmē: Marcellus primùm ad præsidium vrbis mille quingentos milites, quos in classem scriptos habebat, misit. Inde ex senatusconsulto profectus Cannusium, accepto quod eò militum cōfluxerat, eduxit eos munimentis ad arcendam populationem. Principes autem Romani ac proceres in prælijs plerique ceciderant. Fabij verò Maximi, cuius propter fidem & prudentiam maxima erat authoritas, curam in cauendo, ne quid acciperet detrimenti, nimium anxiam cōquerebantur, segnem ad res gerendas & timoris plenam esse. Cum autem hunc prospiciendæ securitati satis esse confiderent, haud tamen ad repellendū hostem ducem satis acrem: Marcellum eiusq; fidentiam & promptitudinē, cum illius temperantes componentesq; cautione atq; prouidentia, nunc ambos cum imperio consulari, nunc alterum consulem, alterum proconsulem aduersus hostes misêre.

Posidonij de Fabio & Marcello dictum.

Tradit Posidonius fuisse Fabium clypeum, Marcellum ensem appellatum. Ipse certè confitebatur Annibal timere se vt pædagogum Fabium, Marcellum vt aduersarium: ab illo, nequid mali inferret, prohiberi se: ab hoc etiam accipere. Cùm autem apud Annibalis milites, multa ex eius victoria licentia & ferocia creuisset: dilapsos ex castris, & prædas ex agris agentes adortus, concidebat eos, paulatimq; copias illius atterebat. Hinc cùm Neapolitanis & Nolanis opem ferret: superiorum, cùm Romanis essent sua sponte satis fidi, cōfirmauit animos. Nolam verò ingressus discordiam ibi inuenit, quòd senatus plebē, quę erat tota Annibalis, neq; regere neq; valeret cōtinere.

Bātij fortitudo.

Erat Bantius in oppido inclytus nobilitate & uirtute uir. Hunc, cum acerrimè ad Cannas certasset, multis interfectis hostium ad postremum in aceruo cęsorum cadauerum inuentum, & coopertum iaculis honorauerat Annibal, & non modò eum sine precio domum remiserat, sed addiderat insuper dona, atq; ius cum eo amicitiæ & hospitij contraxerat. Ob eius gratiam meriti vnus erat eorum, qui trahebant rem ad Annibalem, pollensq; opibus populum ad res nouas solicitabat.

Marcelli comitas.

Eum vt interficeret Marcellus tam insignem virum, maximisq; defunctum cum Romanis periculis, non potuit in animum inducere: sed cùm præter singularem humanitatem ipse delinire homines sermone nosset, & conciliare sibi elatum animum: Vbi ad se Bantius aliquando salutandum venisset, quis nam esset, rogauit: non quin iam dudum sciret, sed ingressum & occasionem quærens colloquij. Vt L. Bantium se dixit esse, Marcellus quasi lætus & mirabundus: Tu'ne, inquit, ille es Bantius, quem Romani præ cæteris, qui ad Cannas dimicauerunt, in ore habent, prædicantq; solum non destituisse consulem Paulum Aemilium, sed plurima tela in illum directa suo excepisse corpore? Annuente Bantio & aperiente ei cicatrices suas: Quin tu, inquit, cum tanta feras vestigia beneuolentiæ erga nos tuæ, me statim adisti? An verò tibi maligni videmur referenda bene meritis gratia, quibus est honos vel apud hostes? Præter hanc comitatē verborum complexus iuuenem, equum eximium bigatosq; quingentos ei dono dat.

Bigati, numi sunt bigis signati.

Inde fidelissimus adiutor Marcello sociusq;, & index atque delator res nouas molientium acerrimus fuit. Erant hi multi & consilium inierant, cum fecissent Romani eruptionem in hostes, impedimenta eorum diripiendi.

Marcelli victoria de Annibale.

Itaq; in vrbe cum exercitum Marcellus instruxisset, impedimenta statuit prope portas, vetuitq; edicto Nolanis muros adire. Nusquā arma ex vrbe apparebant, eaq; re illexit Annibalem, vt ad vrbem, quasi essent illic omnia tumultus plena, minus composito agmine moueret. Ibi Marcellus proxima patefacta porta, uti præceperat, cum flore equitum in frontem irrupens, confligit cum hostibus. Mox pedites ex altera porta cum clamore accurrunt. Et dum opponit his partem copiarum Annibal, tertia reseratur porta, ex qua reliqui erumpunt, atque omni ex parte instant trepidantibus re inopinata: nec satis validè resistentibus his, quibuscum manus conseruerant, ob incursum posteriorum. Hîc primùm milites Annibalis ingenti pauore, multisq; vulneribus ad castra vsque impulsi, terga dederunt Romanis. Cecidisse dicuntur amplius quinque millia. Ex Romanis non plus quingentis desiderati.

Liu. lib. 23.

Liuius non tantam affirmat victoriam fuisse, neque stragem tantam editam hostium, gloriam certe eximiam Marcello, ac Romanis ingētem ex calamitatibus fiduciam eam pugnam attulisse: quòd in spem uenirent, non esse qui cum certabant, inexuperabilem, neque inuictum hostem, sed etiam cladibus opportunum. Itaque altero defuncto consule, populus absentem reuocauit Marcellum, ut eum in locum illius sufficeret: obtinuitq; inuitis magistratibus, vt comitia consularia in aduentum eius extraherentur, atque omnibus suffragijs crearetur consul. Cæterùm quia tonuerat, vitio creatū consulem pronunciantibus auguribus, nec obnunciare apertè populi metu sustinentibus, ipse abdicauit se magistratu.

gistratu. Non tamen imperium detrectauit, sed proconsul creatus, atq; in castra ad Nolam reuersus, agros eorum, qui sequebãtur parteis Pœni, ferro & igni vastauit. Qui cum propere suppetias contra eum venisset, dimicare acie Marcellus, cum ab Annibale lacesseretur, detrectauit. Verùm, cum misisset ille partem copiarum prædatum, nec iam prælium expectaret, infesto exercitu irrupit in eum. Distribuerat lanceas peditibus oblongas, qualibus in prælio nauali vti mos est, docueratq; eminus eas magna vi in hostes intorquere iaculandi imperitos, qui breuibus spiculis cominus vtebantur. Quæ causa videtur fuisse, cur ea in pugna terga dederint Pœni, quicunque concurrerunt, ac fœdè fugerint. Ceciderunt ex ijs quinque millia. Elephanti quatuor occisi, duo capti. Quod verò maximi fuit momenti, tertio pòst die plus trecenti equites, missi Hispani Numidæque, transfugerunt ad eum: id quod Annibali ad eam diem non acciderat, cum ex colluuione dissonarum discrepantiumq; coactum nationum ferum exercitum in summa consensione perdiu continuisset. Illorum equitum fideli opera, toto eo bello vsi sunt Marcellus eius'que successores. Marcellus creatus tertiùm consul traiecit in Siciliam. successus enim Annibalis excitauit Carthaginenses ad asserendam de integro eam insulam, potissimùm quia omnia Syracusis perturbata post necem Hieronymi tyranni fuerant. Qua de causa præmiserant eò Romani quoque legiones & prætorem Appium. Eum accipienti exercitum Marcello, ad genua se proijciunt magno numero Romani milites ex calamitate huiuscemodi. Qui ad Cannas cum Annibale pugnauerant, partim fugam consciuerant, partim viui in potestatem hostium venerant tanta multitudine, vt non superesse, ne qui muros quidem tuerentur, putarentur Romani. Fuit autem adeò elato & magno animo & constantia ciuitas, vt nec captiuos, cum redimere ab Annibale paruo liceret, vellet, imò senatusconsulto negarent: maluitq; vt vel interficerentur, vel extra Italiam venundarentur. Quicunq; fuga euaserant, hos iussit in Siciliam deportari, neque in Italiam, dum cum Annibale esset debellatum, reportari. Hi ergo Marcellum, postquam aduenit, frequentes adierunt, supplices atque ad genua eius procumbentes, honestum ordinem militandi postulauerunt, multo eiulatu lachrymisq; re ostensuros pollicentes se, aliquo infortunio potius quàm ignauia sua cladem illam acceptam fuisse. Eos miseratus Marcellus petijt per literas à senatu, vt liceret semper supplere ex ijs legiones suas. Verùm re multum agitata decreuit senatus: Militibus ignauis senatui videri nihil remp. committendam esse. Si M. Claudio fortasse aliter videretur, vteretur ijs: dum ne quis eorum corona vel dono militari virtutis ergò ab imperatore donaretur. Hoc senatusconsultum momordit Marcellum, ac cum reuersus Romam esset, bello perpetrato Siculo, exprobrauit senatui, quod optime sibi de rep. merito id negasset, vt releuare posset tantum numerum ciuium calamitate. Sub idem tempus primum lacessitus iniurijs Marcellus, à prætore Syracusano Hippocrate (qui, vt studium suum probaret Carthaginensibus, sibiq; tyrannidem pararet, in finibus Leontinorum multam cædem ediderat Romanorum) vrbem Leontinorũ obsessam expugnauit. neminem tamen violauit oppidanorum. Transfugæ tantum, quoscunq; cepit, virgis cæsi & securi percussi. Hippocrates autem nuncium Syracusas præmisit, Marcellum omneis puberes eo in oppido occidisse. Inde tumultuantibus superueniens vrbem occupauit. Igitur mouit cum omni exercitu Marcellus Syracusas, castrisq; prope murum positis, misit in vrbem legatos qui Syracusanos, quid actum in Leontinis esset, edocerent. Vbi nihil profectum, quòd non sui arbitrij Syracusani essent, quia potestas omnis erat penes Hippocratem, terra mariq; cœpta oppugnari vrbs. Peditatũ omnem Appius admouit. Marcellus cum LX quinquiremibus, omni genere armorum & missilium instructis, ingentiq; ponte in octo nauibus colligatis constrato, quò tormentum portabat, aggreditur muros, copia & magnificentia apparatus, suaq; nixus gloria. quæ facile ab Archimede atque eius machinamentis eludebantur. Horum ille tanquam operæprecium nihil instituerat, sed ea fere in Geometria veluti luserat. Pridem rex contenderat & induxerat Hiero Archimedẽ, vt speciem huius artis ab intellectu in opus educeret, & rationem aliqua ex parte, per sensum vsui aptatam in medium proferret. namq; celebratam hanc & decantantam machinalem scientiam principes cœperant mouere Eudoxus & Architas, hac elegantia illustrantes Geometriam, & propositiones à demonstratione, quæ ratione & euidentia explicetur, remotas cõfirmantes sensui subiectis organorum exemplis. Vt illam de duab. medijs lineis à demonstratione alienam propositionem, elementũ ad multa delineanda necessarium vterq; organorum molitionibus exprompsit, à curuis lineis & sectionib. in-

Marcelli expeditio in Siciliã.

Romanorum à clade Cannensi magnanimitas.

Marcellus obsidet Syracusas.

Archimedes mathematicus.

Eudoxus & Architas mathematici insignes.

Plato, cur Archimedem reprehenderit.

termedias quasdam deflectentes. Vt verò infensus acriter in hos inuectus est Plato, quòd corrumperet eos & perdere diceret bonum Geometriæ: quæ ijs, quæ corpore libera essent, & in notione posita animi, relictis ad sensui obnoxia conuerteret, corporaque rursus assumeret, vbi multum odiosi ocij sordidique requireretur: ita eiecta & semota à Geometria machinalis ars, diuque à philosophis despecta delituit inter artes militares.

Archimedes Hieronis nauem demersam, machina extraxit.

Archimedes aût ad regem Hieronem, cuius propinquus & amicus erat, tantula vi quantumlibet posse scripsit pondus moueri. Iactauit etiam vi nixus demonstrationis, si altera terra suppeditaret, digressum in illam, hanc se de sede sua emoturum. Id cum Hiero stuperet, atque vt in opus educeret eam quęstionem, oraret, molemque aliquā insignē à parua machina ostenderet impulsam: nauem onerariā ex regio emptā nauali, quæ trahi in terram nisi ingenti labore, & per multos homines nō poterat, impositis multis vectoribus, onereque solito, ipse procul sedens, non magno conatu, sed sensim caput artemonis manu mouēs, rectam nec vsquam hæsitantem, ac quasi per mare attraxit currentem. Obstupefactus rex perspecta artis facultate, perpulit Archimedē vt sibi machinas instrueret, ad quamlibet oppugnandi rationem, accōmodatas: quibus vel ad propulsandum periculum, vel ad oppugnandas vrbes vteretur. His tamen vsus ipse non est, quòd fere totam vitam in ocio & summa fortunæ indulgentia traduxerit. Tunc verò apparatus ille Syracusanis in tempore ad manum fuit, & ipse cum apparatu machinator. Vt igitur muros Romani ex duabus partibus adorti sunt, pauor Syracusanos stuporque ex metu defixit, nihil obsistere

Archimedes oppugnationem Marcelli eludit. Liu. lib. 4. dec. 3

contra eā vim & vires posse putantes. At vbi tormenta Archimedes laxauit, simul missilia omnis generis, & ingentis ponderis saxa in terrestres copias, horrendo fragore atque impetu delata misit. aduersus eam vim consistere poterat nemo, sed prosternebant confertim eos, in quos inciderent, ordinesque turbabant. Naues edita repente ex muris antennarum cornua, partim graui impulsas superne libramento deprimebant, partim ferrea manu vel rostro, ad gruini modū, cùm suspendissent ex prora, in puppim statuebant, deinde demergebant: aut per machinas intus attractæ & rotatæ contrarios præruptis saxis, quæ prominebant sub mœnibus, cùm magna clasiariorū pernicie illidebantur. Aliquoties in sublime nauis sublata, visu horrendū, huc atque illuc reuoluebatur, suspendebaturque: donec deiectis nauticis atque confixis muro, inanis impingeret vel decideret remissa.

Sambuca, machina muralis.

In machinam, quam ex ponte admouit Marcellus, sambuca à similitudine organi musici vocabatur, cum procul etiam adigeretur ad murum, saxum decem talentorū excussum est, alterum inde ac tertium. atque ea ingenti incussa vi & fragore, basim conuulserunt machinæ, laxaueruntque compaginem, atque à ponte diuulserunt. Ita anceps consilij retrò cum nauibus cessit Marcellus, terrestribusque copijs signū receptui dedit. Consilium inde ceperūt nocte muros, siqua fieri posset, subeundi: quia funibus vtendū Archimedi contentis erat, interiores milites ictibus tormentorū ratus fore: itaque tela, quod non ex satis magno interuallo torquerentur, planè irrita casura. Ille enimuerò multo antè instruxerat ad id accommodata omni interuallo tormenta, & tela breuiora: sed quæ mitterentur densiora, multa'que & crebra vulnera inferrent.

Scorpio, tormentum.

Iam scorpiones modicos parauerat, qui oculos fallebant hostium, quibus figerentur ex propinquo. Vt igitur mœnibus successerunt: cum maxime fallere putarent hostem, iterum grando in eos missilium ingesta. Cum'que saxa prouolūta, velut ad perpendiculum in capita oppugnantium, & sagittæ ex omni parte muri ingererentur, receperunt se. Quorum ex maiore interuallo iaculis emissis ingens edita strages abeuntium, nauium'que collisio, cum lædere ipsi nihil valerent hostes. Quippe machinamenra Archimedes sub muro instruxerat plæraque. Vnde Romani arbitrabantur se, quòd vnda malorum obrueret eos ex occulto, quasi cum dijs pugnare.

Marcelli stupor circa machinas Archimedis.

Marcellus tamen euasit saluus, suos'que irridens artifices & fabros: Quid nos, inquit, pergimus'ne cum hoc geometrico pugnare Briareo, qui oppugnationem naualem nostram ad mare desidens fœdè elusit? Næ ille quidem fabulosos Centimanos superat, qui tantam vim in nos vno tempore ingessit telorum. Et nimirum reliqui Syracusani corpus Archimedis apparatus omnes erant, quem moueret omnem & torqueret anima vna. nam reliquis remotis armis hostes solis illius & Romanos infestabant, & salutem suam protegabant. Denique cum tanta trepidatio cepisset Romanos, vt si vel funiculum vel exiguum lignum ex muro conspexissent,

Archimedis mira ingenij præstantia.

eo ipso machinam aliquam mouere in ipsos vociferantes Archimedem, terga verterent, fugerent'que: absistens Marcellus prorsus à conflictu & oppugnatione, ponit spem reliquam in longa obsidione. Atqui eos spiritus Arcbimedes,

eam

eam altitudinem ingenij, tantasq; præceptorum diuitias tenuit, vt cum per ea nomen atque opinionem ſibi parauiſſet non humanæ ſed diuinæ ſcientię, nullum de his relinquere commentarium ſuſtinuerit: verùm illa in parandis machinamentis induſtria, atque adeò omni, quæ ad vſum ſe applicaret & ad vtilitatem, arte pro humili & ſordida repudiata, in ijs tantum poſuerit ſtudium ſuum, quæ præclara & eximia per ſe, neque vlli aſtricta neceſsitati eſſent: non cõferenda quidem cum alijs, ſed quæ certamen excitent cum materia demonſtrationi: cum illa mole & ſpecie, exquiſita hæc certitudine & vi excellat incredibili. neq; enim implicatiores in Geometria & contortas magis quęſtiones, in ſimplicioribus liquidioribusq; conſcriptas elementis inuenias. Id dexteritati illius ingenij alij attribuunt. Alij ad laborem referendũ putant potius indefatigatum, quo quiduis eum efficere veriſimile ſit facile & citra ſudorem potuiſſe. Nam ſi quæras, per te non inuenias demonſtrationem illius quæſtionum: ubi didiceris, potuiſſe putes te eam vel tua ſponte inuenire. adeò ſtrata eſt via atq; expedita, quæ ad id, quod intendit demonſtrare, perducit. Quare non ſunt reijcienda illa quæ de eo feruntur, à ſua quadam & familiari Archimedem perpetuò demulcitum Sirene, & cibi obliuiſci & corporis curam relinquere ſolitum: cumq; raperetur ſubinde inuitus ad vngendum corpus & ad balneum, in foco figuras geometricas exarare: & dum vngeretur, ducere digito lineas. tanta illum dulcedine artis captum & reuera inflammatum fuiſſe.

Archimedis Siren.

Cùm autem multa & præclara inueniſſet, dicitur ab amicis & propinquis petiſſe, vt vita defuncti cylindrum ſphæram complectentem ſepulchro imponerenr, inſcriberentq; proportionem, quatenus ſolidum continens excedat contentum. Atque is Archimedes cùm eſſet, inuictum ſe vrbem'que, quantum in ipſo eſſet, præſtitit.

Archimedis inſignia.

Dum trahitur obſidio, Megaram Marcellus antiquiſsimam vrbem Siciliæ vi capit. Expugnat etiam apud Accillas caſtra Hippocratis, cæſis plus octo millibus, cùm munientibus ſuperueniſſet. Percurrit inſuper latè Siciliam. quo tempore reduxit oppida à Carthaginenſibus, fudit'que omnes qui conferre ſigna cum ipſo auſi ſunt. Per obſidionis moram Damaſippus quidam Lacedæmonius, nauigio ſoluens ex Syracuſis, captus à Marcello eſt. Hunc redimere cum Syrâcuſani cuperent, & ſæpius de eo congrederetur agerer'que, turrim quæ occultè capere milites poſſet, propterea quòd murus propter eam ſuperabilis eſſet, contemplatur neglectam. Quò cum crebrò commearet & colloquia haberet, æſtimata exactè altitudo eſt, ac ſcalæ comparatæ.

Marcelli victoriæ in Sicilia.

Feſtum Dianæ Syracuſani agebant. Eum articulum, cùm in vinum luſumq; effuſi eſſent, captauit Marcellus: ac priuſquam ciues animaduerterent, non turrim modò tenuit, ſed & murum antequam diluceſceret, corona militum compleuit, Hexapylum'que effregit. Mouentes ſe & trepidantes ad tumultum Syracuſanos tubarum cantus, ſimul atque ex omni parte auditus eſt, in fugam omneis concitauit, perculit'que vehementer omnia teneri ratos. At munitiſsima & pulcherrima pars ampliſsimaq; reſtabat, Acradina vocatur, quòd muro diuiſa ab exteriore vrbe eſſet: cuius vnam partem Neapolim, Tycham alteram appellant. Has cum teneret, ſub luce Marcellus Hexapylo ingreſſus vrbem eſt, gratulantibus omnibus eius pręfectis.

Marcellus capit Syracuſas. Liu. lib.5. dec.3.

Acradina.

Qui, vt ex ſuperioribus locis vrbem pulcherrimam maximamq; ſubiectam oculis vidit, illachrymaſſe multũ dicitur, miſeratus imminentem calamitatem: cùm ſubiret cogitatio, quàm fœda facies mox vrbis ex pręſenti, ac ſpecies direptæ à militibus futura eſſet. nam inter præfectos nemo erat qui militibus prędam concedi vrbis ſibi poſtulantibus denegare auderet, cùm etiam inſtarent multi, vt inflammaretur atq; ſolo æquatetur. Cæterùm id planè abnuit Marcellus. Conceſsit tamen, ſed id quidem etiã perinuitus, vt pecunia & ſeruitia prædæ eſſent. Edixit autem, ne quis liberũm corpus violaret, ne'ue quem interficeret ciuem, vel ſtupraret, vel in ſeruitutem raperet. Et quanquam eam adhibuiſſet moderationem: miſerandã tamen conditionem exiſtimabat illius vrbis, doloremq; animi ac mœſtitiam vel in tanta gratulatione pręferebat, cernens omnia diuturna felicitate cumulata bona momento horæ diſsipata.

Marcelli humanitas.

Syracuſæ diripiuntur.

Neq; enim minus hic prædæ captum, quàm Carthagine poſtea fertur. nam haud multo pòſt, captas proditione reliquas partes vrbis, præter pecuniam regiam quæ in ærarium relata eſt, vi diripuère. Præcipue cædem Marcellus Archimedis ægretulit. Erat ille tum forte mente intentus formis. Cùm autem in eam cogitationem non animũ modò, ſed & oculos defixiſſet, non ſenſerat diſcurſum Romanorũ, neq; captam vrbem. Cui cum ex improuiſo ſuperueniſſet miles, qui ſequi eum iuſsit ad Marcellum: noluit prius quàm abſoluiſſet propoſitionem, & adaptaſſet ad demonſtrationẽ. ita iratus miles ſtricto gladio Archimedem confodit. Alij authores ſunt intercurrentem Romanum

Syracuſana præda, quanta.

Archimedes occiditur.

ilicò ensem intentasse ei ad necem districtum: illum verò, vt respexit, orasse obnixè vt paulisper sustineret, ut ne quod inuestigabat, relinqueret minus absolutum & rude. sed militem nihil ea re motum eum trucidauisse. Tertij memorant, dum fert ad Marcellum instrumenta mathematica, horologia, sphæras, † angulos, quibus magnitudinis solis initur ad visum modus, intercurrentes milites, quia aurum eum ferre in vasculo opinabantur, illum interemisse. nam Marcello quidem casum eius acerbum fuisse, ac percussorem auersatum eum vt nefarium, & propinquis inquisitis constat habuisse honorem.

† Quadrantis mathematici ui detur esse descriptio.

Marcelli clementia.

Sane Romanos quidem exteræ nationes habebant insignes bello viros & formidabiles in conflictibus: sed cùm nullum specimen dedissent facilitatis, vel humanitatis, vel ciuilitatis, Marcellus tum ostendisse primus Græcis videtur esse magis insignes iustitia Romanos. Ea enim extitit illius in eos, quibus quid negocij erat cum ipso, moderatio, ea etiam in quamplurimas ciuitates & priuatos benignitas: vt siquid de Aennensibus aut Megarensibus aut Syracusanis consultum fuerit durius, id expensum ferendum ijs in quos recidit, quàm illis qui intulerunt, potius videatur. Vnum cõmemorabo ex multis.

Enguium oppidum. Plin. lib. 3. ca. 9.

Matres deæ.

Oppidulum Siciliæ est Enguium non sane amplum, sed peruetustum & Dearum præsentia, Matres vocant, nobile. Aedificatũ à Cretensibus templum aiunt, ostenduntq́ hastas aliquot ac galeas æreas cum inscriptione partim Merionis, partim Vlissis, qui eas deabus consecrauerunt. Huic ciuitati studiosissime partes Pœnorum fouenti princeps ciuium author erat Nicias, vt ad Romanos deficeret, liberrimè agens & propalã in concionibus, amentiæq́ aduersarios coarguens. Illi opes eius atq; authoritatem veriti, statuerunt eum vinctum tradere Pœnis. Quod agi iam & asseruari clam se cum esset odoratus, irreligiose locutus est in vulgus de Matribus, multaq́ designauit, quasi negaret & cõtemneret receptam opinionem de præsentia Dearum: gaudentibus inimicis ipsum sibi vltrò imminentem quærere perniciem. Cùm eum iam iam prehensuri essent, erat in concione populus. Hìc Nicias cum verba ad populum de re quapiam deliberanda faceret, in media oratione abiecit se in terram: pauloq́ post, eum, vt tali in re solet, immobilẽ teneret stupor concionem, caput attollens & circumferens, subtremulã vocem grauemq́ intendit, concitauitq́ paulatim. Vbi cõspexit horrore & silentio defixum theatrum, abiecto pallio tunicaq́ scissa exilijt seminudus, cursumq́ ad exitum theatri tulit, Matrum se furijs uociferans agi. Cum nemo inijcere manũ homini præ religione neq; obsistere auderet, sed cederent omnes: extulit se porta, nec vocem vllam vel motum, qualis lymphatorum esse & insanorum solet, prætermisit. Astus conscia sociaq́ coniunx, assumptis liberis, primùm pro æde Dearum supplex abiecit se. Inde palantem illum præ se ferens quærere, nemine impediente oppido excessit incolumis. atque ea ratione Syracusas ad Marcellum euasere. Post multa exinde facinora & contumelias Enguinorum, cum omnes Marcellus in vincula dedisset, statuissetq́ sumere de ijs supplicium, astitit plenus Lachrymarum Nicias. Postremò ad genua Marcelli aduolutus & deprecatus pro ciuibus suis, est exorsus ab inimicis. Ita fractus ille liberauit omnes: Niciam verò lato agro muneribusq́ amplis donauit. Hæc mandauit memoriæ Posidonius philosophus.

Marcellus spolijs Syracusarũ decorat vrbem.

Porrò Marcellus reuocatus à ciuitate Romana ad propinquũ & suburbanũ bellum, ad suũ illustrandum triumphũ, & ad decorandam vrbem, deportauit plurima atq; pulcherrima ornamenta Syracusarũ. Nihil enim habuerat aut viderat antè Roma illarum rerum politarum & exquisitarum, neq; quicquam erat ibi huiusce elegantiæ vel fabrefacti vel sciti. Barbaricis armis spolijsq́ cruore conspersis referta, atq; vndiq; triumphalibus redimita ornamentis & trophæis, non placidum vel amœnum, vel meticulosorũ hominũ spectaculum aut delicatorũ erat: sed vt Bœotiæ campos Martis orchestrã Epaminondas, Xenophon belli officinam Ephesum, ita mea quidem sententia Romam tum Saturnigenæ templum armisoni, vt Pindari verbis vtar, appelles.

Roma Martis templum.

Pind. Pythiorũ ode 2.

Liu. lib. 7. dec. 3.

Vnde gratior ad populũ Marcellus fuit, qui vrbẽ delicijs exornasset, quæ Græcũ haberent leporẽ, gratamq́ varietatẽ præberent spectãtibus: maioribus natu Fabius Maximus, nihil enim ille huius generis attigit, neq; trãstulit ex Tarento capto. Pecuniã & opes egessit, signa moueri interdixit. Addidit etiã id quod vulgo fertur: Relinquamus Tarentinis deos hosce iratos. Marcellum verò reprehendebãt, primùm quod inuidiam cõflaret vrbi, in qua etiam de dijs velut captiuis triumpharetur, nedum de hominibus: deinde quòd enutritam in bellis & agricultura plebẽ, quæ luxum vel socordiam non gustauerat, & ut de Hercule Euripides ait,

Rudem artium malarum & rectam in maximis,

in ocium coniecisset, & loquacitatem de artificijs artificibusque garriendi, plurimum

temporis

temporis ea in te terentem. Enimuero gloriabatur ille vel apud Græcos ob id, quod quæ elegantia apud ipsos atque visenda essent, rudes ad id temporis eorum Romanos docuisset colere ac suspicere. Cum verò impedirent inuidi, ne triumphans in vrbem Marcellus inueheretur: quod reliquiæ belli in Sicilia quædam essent, & in oculos hominum incurreret tertius triumphus: cessit ipse. Triumphauit in monte Albano, inde ouans vrbem iniit.

Marcellus ouãs vrbem ingreditur.

Liu. lib. 6. dec. 3

Triumphi & ouationis differẽtia.

Gell. lib. 5. ca. 6

Ouans autem non inuehitur curru, neq; laureatus, neq; concinitur tubis: sed pedibus ingreditur calciatus, modulantibus multis tibijs. Coronã gestat myrteam sicut pacatus, gratus aspectu magis quàm metuendus. vnde coniectura ducor, inter ouationem & triumphum non ex magnitudine rerum gestarum, sed ex modo fuisse olim discrimen. Qui enim signis collatis & cæsis hostibus victores redissent, Martialem illum & trucem meo iudicio ducebant triumphum, & vt moris erat in lustrando exercitu, multa lauro arma milites'q; excolebant: at qui citra vim beneuolentia, gratia, & verbis confecissent rem, ijs ducibus pacati huius & plausibilis celebritatem dabat mos. nam pacis insigne tibia est, & myrtus Veneris planta, quæ à vi & bello præter cæteros deos deas'que abhorret.

Ouatio, vnde dicta.

Ouatio non est dicta, vt plerique existimant, παρὰ τὸν εὐασμόν, quia agant eam clamore & cantu Bacchico: uerùm Græci ad patriam vocem detorserunt eam dictionem, putantes id decoris etiam ad Liberum patrem, quem εὔιον & θρίαμβον appellamus, ex parte referri. Res autem aliter se habet. Triumphantibus enim bouem immolare imperatoribus moris erat, ouantibus ouem. hinc ouatinem dixere. At verò operæprecium est Laconicum legislatorem, qui contrà ac Romanus instituit sacrificia, contemplari. Siquidem Lacedæmone dux deposito imperio, qui astu vel blandè agendo rem susceptam confecerat, immolabat bouem: gallum gallinaceum, qui acie. Qui quanquam essent bellicosissimi, excellentiorem tamen ac magis congruentem ducebant homini rem dicendi facultate & solertia perpetratam, quàm vi & virtute. Verùm vtrum horum rectius sit, relinquo in medio.

Val. Max. libr. 4. cap. 1

Marcellum accusant Syracusani.

Marcello quartùm consule subornauerunt Syracusanos inimici eius, vt Romam venirent accusatum eum, quæstum'q; apud senatum, contra fœdus indigna se & hostilia passos. Erat forte in Capitolio Marcellus, vbi sacra faciebat, cùm senatum nondum dimissum supplices rogauerunt Syracusani, vt dicẽdi sibi postetatem & postulandi faceret. Eos collega Marcelli emouit curia, indignè ferens ea absente moueri Marcello. Quod ille vbi intellexit, properè adfuit. Ac primum vt consul præsedit ad senatum de rebus alijs referens. vbi illæ explicatæ res fuêre, surgens de sella transijt vt priuatus eum in locum vbi dicere causam solent rei, facultatem'q; Syracusanis sui accusandi dedit. Illi verò vehementer consternati maiestate eius & confidentia fuere, visu'q; horrenda armati, longe in prætexta visa est terribilior ac seuerior. Tandem animati tamen ab æmulis Marcelli instituerunt accusationem, mistam'q; comploratione & querimonia habuerunt orationem, cuius hæc erat summa: Socios & amicos populi Romani ea se passos, quæ multis hostibus inferre cæteri imperatores noluerant.

Marcellus accusationi Syracusanorum respondet.

Ad ea respondit Marcellus: Cùm multa in populum Romanum hostiliter fecissent, nihil eos tamen passos esse, nisi quæ bello victi & vi capti hostes quin patiantur, nõ posset impediri. Sua autem ipsorum culpa captos, quia omnia tentantem audire se noluissent. neque eos tyrannorum vi in bellum tractos: imò, vt bellum gererent, illos tyrannidi impositos fuisse.

Marcelli grauitas.

Finitis orationibus ac Syracusanis de more curia eiectis, Marcellus reliquit ad rogandas sententias collegam, simul'q; cum illis templo excessit, & expectauit pro valuis curiæ, nec metu ex accusatione, nec in Syracusanos ira de gradu suo motus, sed exitum causę perquàm operiens ciuiliter & modestè. Perrogatis sententijs & senatusconsulto secũdum Marcellũ facto, proiecerunt se ad genua eius Syracusani cum lachrymis, obsecrantes vt veniam daret præsentibus sibi, moueretur'q; miseria reliquæ ciuitatis, gratam eam memorem'que benefactorum fore.

Marcelli in Syracusanos humanitas.

Ita lenitus Marcellus, & cum his redijt in gratiam, & cæteros Syracusanos in fidem & clientelam recepit. Libertatem quam ijs reddiderat, ipsorum'que leges ac res quæ reliquæ erant, comprobauit senatus. Quorum causa cùm alios honores decreuerunt Marcello Syracusani, tum legem tulerunt: Si quando in Siciliam venisset Marcellus posteri'ue eius, vt coronati sacra dijs Syracusani facerent.

Marcelli res gestæ contra Annibalem in quarto consulatu.

Inde contra Annibalem mouit. Cum verò cæteri consules & imperatores à clade Cannensi penè omnes vna arte, ne manus consererent cum Annibale, vterentur: neq; satis animi ad conferenda cum eo signa, aut ad congrediendum acie haberet quisquam, diuersam hic iniit rationem: existimans, quod consumpturum Annibalem videbatur, eo accisum ab illo pedetentim iri Italiam: & Fabium, qui nimium

cautus erat, dum expectat vt vnà cum tabescentibus viribus extingueretur bellum, timidorum & pauidorum more medicorum, qui medicinam adhibere verentur, morâtes dũ morbũ inclinatio viriũ tollat: parum rectè censens patriæ morbo mederi. Ac primũ magnæ in Samnitibus vrbes quæ defecerant, venerunt in potestatem eius. Ingẽtem numerum ibi frumenti & pecuniæ inuenit, & tria millia militum Annibalis, qui præsidij causa erant ijs in locis relicti, cepit. Pòst proconsule Cn. Fuluio in Apulia ab Annibale cum vndecim tribunis militum cæso, atque exercitu etiam magna ex parte contrucidato, per literas populum bono animo esse iussit: ire se iam in Annibalem, vt pellat eum

Liu. lib. 7. dec. 3

ea regione. His recitatis literis author Liuius est non solum non alleuatum luctum, sed cumulatum etiam fuisse timore. Quippe hoc Romani grauius expectabant imminens præterito discrimen, quo Fuluio præstantior esset Marcellus: qui ilicò vt scripserat, in Lucanos aduersus Annibalem transgressus, ad Numistronem eum adeptus est: locoq; plano, cùm ille editos colles teneret, posuit castra, ac postridie in aciẽ prior eduxit. Nec detrectauit Annibal. Pugnatum est acriter & diu, sed incerta victoria. Ab hora tertia cum concurrissent, nox ægrè diremit pugnantes. Postero die à sole orto eduxit iterum copias, atque inter cæsa cadauera instruxit: lacessens Annibalem, vt de victoria, vtri cederet, dimicarent. Vbi ille mouit castra, lectis hostium spolijs Marcellus, suisq; crematis, vestigijs eius institit. Cùm insidias subinde ille struxisset Marcello, haud potuit eum vnquam circumuenire. Tumultuarijs prælijs, quæ fuerunt secunda omnia Marcello, tantam de se famam excitauit, vt cum tempus comitiorum instaret, visum senatui sit, alterum consulem potius ex Sicilia reuocare, quàm instantem Annibali auocare Marcellum. Cui, vbi adfuit, iusserunt patres, vt dictatorem diceret Q. Fabium. Quippe non à populo dictator, neque ab senatu creatur: sed aut consul aut prætor pro concione, quem probauit dicit dictatorem. Vnde is à dicendo dictator appellatur.

Dictator vnde dictus.

Alij, quòd neque ex senatusconsulto neque ex plebiscito, verùm ex sua sententia, quæ sibi placent, imperet, dictatorem aiunt nominatum. nam quæ magistratus decernunt, vocant Romani edicta. At quia collega Marcelli, qui fuit ex Sicilia accitus, alium dicere dictatorem, nec mutare inuitus volebat sententiam, abnauigauit nocte in Siciliam. ita plebs sciuit, vt * Q. Fabius dictator diceretur, mandauitq; per literas Marcello senatus, eum vt diceret. Hic morem gerens dixit ex plebiscito dictatorem: ipsi verò in annum imperium proconsulare prorogatum. Cùm autem constituisset cum Fabio Maximo, dum ille oppugnaret Tarentum, ipse vt instando trahendoq; sursum atq; deorsum Annibalem, ne Tarentinis venire posset subsidio, detineret: ad Cannusium est eum assecutus. Cui sæpius castra mutanti ac detrectanti certamen, vbiq; institit. Postremo cum castra metatum vrgeret, leuibus certaminibus excitauit eum ad pugnam. sed nox in ipso ardore pugnantes distraxit. Postero die ostendit se iterum armatum Marcellus, copiasq; eduxit in aciem. Itaq; vehementi percitus dolore aduocat ad concionem Annibal Pœnos, oratq; vt ad obtinenda priora decora acriter prælium ineant. nam videtis, inquit, vt non liceat à tantis victorijs nobis respirare, nec quietis esse victoribus, nisi hunc hominem impellamus. Inde signis collatis dimicatum est, vbi euentus rei docuit intempestiuo strategemate falsum Marcellum. Dextro cornu laborante duodecimam legionem in primam aciem iubet induci. Ea mutatio, quia turbauit aciem, victoriam dedit hostibus, ceciderunt'que duo millia septingenti Romani. Marcellus postquam in castra recepit se, aduocata concione: Multa video, inquit, arma Romana & corpora, Romanum ne vnum quidem video. Quibus, cum peterent veniam, negauit victis dare se, daturum si vicissent. Postridie se iterum in aciem educturum, vt prius victoriæ quàm fugæ fama Romam perueniret. Concione dimissa, cohortibus quæ terga dederant, iussit pro tritico hordeum dari: quæ ita acerba fuere militibus, vt cùm magnus numerus grauiter saucij forent, neminem vnum ferant fuisse, cui non esset vulneribus tristior ducis oratio. Luce orta sagulum puniceum instantis signum pugnæ propositum est. Cohortes ignominia notatæ, vt ante signa collocarentur, postulant, id'que impetrant. Tum reliquas copias tribuni educunt, primam'que aciem subsidijs interfertis firmant. Quod vbi Annibali annunciatum est: Papæ, inquit, quid hoc homine facias, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest? Solus nec victor finit nos respirare, nec respirat ipse victus. Nempe perpetuo cum isto dimicabimus, qui ferociæ audaciæ'que, qua prosperis qua aduersis rebus, prætextum pudorem habet. Inde concurrunt acies. Cùm anceps pugna esset, Annibal Elephantos induci in primam

†Apud Liu. est, Q. Fuluius.

Marcellus prælio victus ab Annibale.

Marcelli seuera in milites suos victos, oratio.

Annibalis de Marcello dictũ.

primam aciem, atq; in antesignanos imperat agi. Qui vbi conculcatis multis ilicò grauiter turbauerunt signa, Flauius tribunus militũ signo arrepto occurrit beluis, ac primum elephantum hastili percussum in fugam vertit. Ille in proximũ versus & eum & sequentes auertit.

Flauij trib. milit. facinus egregium.

Id cernens Marcellus, equitatum magno impetu immittit turbatis, iuber'que addi consternatis pauorem, vt sese mutuò obtererent. Equites acri facta impresione ad castra, vsq; Pœnos cædendo insecuti sunt. Maximam stragem hostium cæsæ ruentesq; ediderunt beluæ. dicuntur amplius octo millia cæsa.

Marcellus fundit Annibalem.

Ex Romano exercitu ceciderunt tria millia, vulnerati fermè omnes fuère. Quæ res noctis silentio castra mouenti Annibali facultatem dedit longius à Marcello recedendi: cupientem enim insequi prohibuit multitudo sauciorum. Itaq; paruis itineribus in Campaniam mouit, atq; vt reficeret milites, Sinuessæ eos per æstatẽ sub tectis habuit. Quia verò Annibal, vt explicuit se à Marcello, velut solutus omni metu liber cum exercitu circunquaq; vagabatur, vrebatq; Italiam. Romæ Marcellus erat aduerso rumore. Cuius obtrectatores C. Publicium Bibulum tribunum plebis, ad suscipiendam eius accusationem induxerunt, eloquentem virum & ferocem. Is asiduis concionibus egit ad populum de imperio ei abrogando. Quando Marcellus, inquit, paulisper in bello exercitatus, quasi ex palæstra ad calida balnea, corporis curandi causa, se recepit. His Marcellus nunciatis præfecit castris legatos, Romamq; ad diluenda crimina contendit. Et offendit iam instructam sibi ex illis calumnijs accusationem.

Marcellus accusatus à C. Bibulo.

Stata die in circo Flaminio, quem in locum populus conuenerat, accusauit eum ex superiore loco Bibulus. Respondit Marcellus, succincta vsus & simplici oratione. Proceres verò & principes ciuitatis disseruerunt multa de magnitudine eius rerum gestarum liberius: monentes populum, ne peiores iudices se demonstrarent hoste, timiditatis damnantes Marcellum, quem solum ille fugeret ex ducibus, moliretur'q; perpetuò, cum hoc vt ne dimicet, & vt dimicet cum cæteris. Vbi finem dicendi fecère, tantum fefellit iudicij spes accusatorem, vt non solum absolueretur à criminibus Marcellus, verùm etiam quintùm consul crearetur. Inito consulatu ingentem Hetruriæ motum, quæ ad defectionem spectabat, compresit: ingressus'que oppida animos ciuium molliuit.

Marcelli quintus consulatus.

Hinc cum ædis ex præda Siciliensi locatæ, quam Honori & Virtuti vouerat, impediretur à pontificibus dedicatio: quòd negarent vnam cellam duobus dijs rectè dedicari: ita cœpit addere alteram, iniquo animo impeditam dedicationem ferens, eamque rem quodammodo in omen vertit.

Honoris & Virtutis templum.

Et sanè alia multa terrebant eum prodigia: vt, ædes sacræ aliquot de cœlo tactæ, & quòd mures in æde Iouis aurum arrosissent. Nunciatum fuit quoque bouem locutum, & cum elephanti capite puerum natum superstitem fuisse.

Marcello oblata prodigia infausta.

Val. Max. lib. 1. cap. 1

Quæ cum expiarentur, facile non est litatum, nec impetrata pax deûm. Quare aruspices eum Romæ gliscentem, ardentemq; detinebant. Quippe nullus tanto vllius desiderio rei inflammatus quisquam fuit, vt vir ille ad decernendum acie cum Annibale. Id nocte in somnis obuersari, id cum familiaribus & collegis vnum agitare, denique votum apud deos id esse vnum, vt deprehendere in prælio posset Annibalem. Mihi verò videtur ambobus exercitibus muro vel vallo cinctis cupidisimè congressurus cùm eo fuisse. Et ni cumulatus honoribus esset, multisq; modis præter quosuis imperatores maturitatem suam prudentiamq; probasset, diceres iuuenili agitatum ambitione, supra quàm id ætatis senem decuerat, fuisse. Nam sexagesimũ excesserat annum, cum quintum consulatum cepit.

Marcellus sexagenarius quintùm Cos.

Tandem sacris, & ijs quę ad pacem deûm pertinent, ex aruspicum præscripto perpetratis, ad bellum cum collega profectus est. Annibalem inter Bantiam vrbem Venusiamq; statiua habentẽ, multis modis lacessiuit. Cæterùm rem ille pręlio non duxit committendam. Cùm autem comperisset cohortes aliquot Locros Epizephyrios, id est occidentales mitti, sub tumulo Perelliæ insidijs positis duo millia quingentos milites occidit. Id Marcellũ stimulauit ad dimicandum. vnde propius Annibalem castra mouit. Tumulus erat inter vtraq; castra satis tutam stationẽ prębens, sed syluestris, speculasq; in vtrunq; latus conuexas habebat, & delabentium riuulorũ fontes erant subiecti oculis. Eum locũ mirabãtur Romani Annibalẽ, cùm prior eò venisset, tam idoneum non occupauisse, sed reliquisse hostibus. Illi verò cõmodus castris, multo tamẽ aptior videbatur insidijs. quo etiam vti maluit. Itaq; sagittariorum atq; hastatorũ in saltu & cauis magnam manum condidit: certus cõmoditatem loci allecturos Romanos. Nec falsus est expectatione. statim enim fremebant vulgo in castris Romanis occupandũ eũ locũ esse: disputabãtq;, nõ aliter ac si duces essent, inter se, quantas opportunitates prærepturi essent hostibus, maximè si castra eò trãstulissent, aut castello certè locũ firmassent:

moue-

Marcello prodigia infausta. Val. Max. lib. 1. cap. 6

mouerunt'q; Marcellum, vt iret cum paucis equitibus eum speculatum. Ille accersito aruspice, immolauit. Prima hostia cæsa iecur ei sine capite ostendit aruspex. In secunda caput supra modum auctum apparuit, reliquaq; vehementer læta comparuere. Ea cum liberare priorum religione viderentur, aruspices magis se terreri ijs commouerique ostenderunt: quòd secundum trunca & turpissima exta nimis lęta ancipitem commutationis nouitatem reddant. Sed enim

Fatum nec ignis nec murus tenet æneus,

vt ait Pindarus. Igitur collega assumpto Crispino, filioq; tribuno militum cum ducentis viginti ad summum equitibus, inter quos Romanus nemo, sed erant Hetrusci omnes, præter quadraginta Fregellanos, quorum virtutem Marcellus & fidem vbiq; perspexerat, proficiscitur. Nemorosus erat opacusq; tumulus, in cuius vertice speculator considebat, tectus ipse ab hostium conspectu, sed oculis castra Romana habebat subiecta. Signo ab eo accepto, illi qui in insidijs locati erant, non ante mouerunt se, quàm prope accessit Marcellus. Tum subitò exorti omnes ac simul vndiq; circumfusi iaculis petere, ferire, fugientium terga cædere, resistētibus instare. quadraginta fregellani ij erāt. Et quanquam Hetrusci initio fugam statim arripuerunt, hi tamen globo facto propugnabant pro consulibus: donec Crispinus duobus iaculis ictus, equum ad fugam capiēdam conuertit, & Marcelli latus lācea, lata cuspide, fuit tranfixum. Tum & Fregellani qui pauci supererant, prolapsum consulem relinquentes, Marcello adolescente & ipso saucio erepto in castra profugêre. Ceciderunt haud multo amplius quadraginta, lictores quinq; & duodeuiginti equites viui in potestatem hostium venerunt. Crispinus quoq; paucis post diebus ex vulneribus moritur. Clades hæc, vt vno in prælio ambo cōsules caderēt, antea inaudita accidit Romanis. Annibal cætera vilipendens, cæde nunciata Marcelli ipse confestim properat in tumulum. Corpus contemplanti, postquam diu & robur & speciem considerauit, nullum dictum excidit arrogātius, nec lætitiam vultu, vt alius fortassis acri & graui sublato hoste, præ se tulit: sed ad insperatam mortem obstupescens, anulo eius ablato corpus eximiè ornatum & cultum honorificè cremauit. Reliquias in argenteam conditas vrnam iniecta aurea corona remisit ad filium. Cùm autem inferentes vrnam Numidæ quidam delati molirentur eam auferre, repugnantibus illis vi eripuerunt, proiecerunt'q; ossa. Quo nunciato ad astantes Annibal: Quàm nihil, inquit, potest fieri inuito deo. Numidas inde supplicio affecit, neque vltra deferendorum ossium vel colligendorum fuit ei cura. quòd nimirum fato quodam ita inconsultè cecidisset, & inhumatus iaceret Marcellus. Ita Cornelius Nepos, & Valerius Maximus memoriæ prodidêre. Liuius & Cæsar Augustus delatam ad filium vrnam fuisse, & elatum magnifico funere, authores sunt. Monumentum extra ea quæ Romæ fuerunt, Marcelli gymnasium extitit Catanæ Siciliæ. Signa & tabulæ pictæ ex ijs, quæ detraxit Syracusis, in Samothracia in templo deorum, quos Cabiros nominabatur, posita, & in æde Mineruæ Lindi. quo loco statuæ eius, vt tradit Posidonius, hoc additum epigramma fuit:

Marcelli cædes. *Marcellum Annibal funere honorat.* *Marcelli monumenta.*

Ingens hic patriæ lumen Romæ fuit hospes,
Stemmate Marcellus Claudius ex nobili.
Terq; quaterq; fuit consul, dum bella geruntur,
Atq; hostes acie sustulit innumeros.

Marcelli posteritas.

Proconsulatum author epigrammatis, quem bis gessit, quinq; consulatibus annumerauit. Clara eius progenies vsq; ad Marcellum sororis Augusti Octauiæ filium, quem edidit ex C. Marcello pertinuit. Is in ædilitate sponsus decessit, cum Cæsaris filiam non ita pridem in matrimonium duxisset. In cuius honorem & memoriā mater Octauia bibliothecam dedicauit, Cæsar theatrum, quod nomine Marcelli inscripsit.

PELOPIDAE CVM MARCELLO
COMPARATIO.

Pelopidas & Marcellus quales in hostes.



HAEC sunt, quæ memoratu digna apud historicos de M. Marcello & Pelopida comperi. Quorum ingenij morumq; cum summa sit consensio: quia fortes ambo & impigri & animosi excelsiq; fuerunt: in eo duntaxat apparet diuersitas, quòd per multas vrbes, quas in potestatem redegit, cædem edidit Marcellus. Epaminondas & Pelopidas victoria potiti neminem vnquā intere-

interemerunt, neque ciuitatibus libertatem ademerunt. Thebanos etiam ferunt non ita in Orchomenios fuisse præsentibus illis consulturos. Res gestæ mirificæ & amplæ Marcelli aduersus Gallos, vbi paucissimis equitibus vallatus, ingentem equitum simul & peditum numerum fudit fugauitq́: quod ab alio duce haud temere apud rerum scriptores reperias factum: hostiumq́ ducem interemit. Ad quod decus cum contenderet Pelopidas, non est id assecutus: sed interemptus à tyranno, & ante effectum occupatus est. At his Leuctricam tamen, & illam ad Tegyras nobilissimas maximasq́ pugnas opponas. Furtim verò & ex insidijs non extat res vlla gesta Marcelli, cuiusmodi Pelopidæ, cùm rediret ab exilio & tyrannos Thebis interimeret: verùm hoc multum præ omnibus, quæ gesta in vmbra & astu fuerunt, videtur commendandum. Iam Annibal terribilis hostis & durus vrgebat Romanos, sicut vtiq́ Thebanos tum Lacedæmonij. Verùm hos ad Tegyras & in Leuctris fusos fugatosq́ fuisse in confesso est à Pelopida. Annibalem Marcellus, vt Polybius author est, ne semel quidem fudit, sed inuictum apparet ad Scipionẽ vsque permansisse. Nos Liuio, Cæsari, Cornelio Nepoti, & inter Græcos regi Iubæ credimus fusum, fugatumq́ aliquot pugnis à Marcello Annibalis exercitum, sed parũ profecerunt illæ victoriæ ad summam. Apparet autem falsum aliquo modo in illis certaminibus fuisse Pœnum. At mirificum sane meritò fuisse videatur, quòd tot fugatis exercitibus, tam multis ducibus cęsis, deniq́ post totius pene confusionem Romani imperij, pares Romanis animos ad congrediendum fecerit cum hoste. Qui enim ingẽtem illum & inueteratum timorem pauoremq́ exemit, atque animum de gloria & victoria cum hostibus concertantem militibus reuocauit, erexit, confirmauit, vt non facilè victoriam concederent, sed de ea decertarent pugnarent'que: vnus vir fuit Marcellus. Quos enim assiduæ clades assuefecerant, præclare vt putarent secum agi, si fuga elaberentur Annibali: hos docuit ignominiosum arbitrari, si victi incolumes essent, ne faterentur vel tantillum se retulisse pedem: & nisi palmam tulissent, vt angerentur. Et quando nullo vnquam prælio Pelopidas, cum ipse præesset exercitui, superatus fuit: Marcellus autem plurimas victorias inter æquales suos retulit: iure sane is, qui non facile vincebatur, fuit cum inuictissimo, ob plurimas victorias comparandus. At enim Syracusas cepit Marcellus, ille Spartæ potiundæ spe frustratus est. Atqui magis arduum meo iudicio fuit propius Spartam signa mouisse, & primum mortalium transisse Eurotam armatum, quàm domare Siciliam, nisi sane Epaminondæ citius id factum, quàm Pelopidæ, sicut prælium etiam Leuctricum, attribuendum censeas: Marcelli verò rerum gestarum illibatũ & integrum decus esse. namq́ Syracusas solus cepit, Gallos absq́ collega fudit fugauitq́. deniq́ cum Annibale nemine socio, deterrentibus eum omnibus certauit, mutatáq́ belli facie dux ad audendum princeps extitit. Exitum certè neutrius laudo horum, imò ingemisco & angor inopinato isto casu. Equidem admiror in tot conflictibus, quot deficiat dies recensentem, ne vulnus quidem accepisse Annibalem. Commendo etiam in Cyropædia Chrysantem, qui sublato ense percussurus hostem, vt signum receptui datum est, omisit hostem, placideq́ & modestè recepit se. Verùm Pelopidam excusat tamen, quæ in pugnæ articulo ardentem ad persequendam pœnam non ignauè excitauit, ira.

Primum est, vt incolumis fiet victoriam
Dux assequens, secundum honestè vt oppetat,

vt ait Euripides: tum enim non incommodum oblatum, sed actio dicitur decedentis mors. Iam præter flammam Pelopidæ etiam victoriæ finis, qui in cæde positus tyranni erat, oculis subiectus, non omnino rapuit illum inconsultè. quippe aliud, cum tam præclara & splendida coniunctum materia nõ ita obuium erat arripere decus. Marcellus verò, cùm neq́ magnopere ex re esset, neq́ feruor mentem eius, vt fere in præsenti solet discrimine, moueret de gradu, præcipitãs semetipse, inexploratò incidit in periculum: qui non ducis, sed ante cursoris cuiuspiã vel speculatoris more, quinq́ consulatus, tres triumphos, spolia, victoriarumq́ parta de regibus decora, mercenarijs Pœnorũ Hispanis Numidisq́ obiecit conculcanda: vt vel illi ipsi eum inuiderint sibi successum: quòd virum inter Romanos fortissimum, potentissimum, ac clarissimum obiter inter Fregellanos oppressissent exploratores. Hæc nemo nos animo accusatorio, sed vicem illorum ipsorum liberè castigandi gratia eos, eorumq́ virtutem retulisse existimet: cui, dum vitam spiritumq́ vilipendunt, reliquas dotes suas tulerunt expensas, tanquam sibi, non patriæ magis socijs'que atque amicis perirent. A' morte Pelopidæ socij, pro quibus ceciderat, funus fecerunt: hostes, à quibus fuerat interfectus, Marcello. Optandum

Marcellus reb. gestis Pelopidæ antefertur.

Rerum gestarũ modus Marcelli & Pelopidæ.

Marcellus animos Romanorũ erigit.

Præcipitãtia in duce vituperanda.


Plutarchi excusatio, quòd liberè de claris viris iudicet.

Pelopidæ & Marcelli funus diuersum.

dum illud & fortunatum. Sed excellit præstatq́ gratiam rependenti beneuolentiæ honorans infestantem virtutem inimicitia. siquidem virtus hic honorem sola vēdicat, illic commodum & fructus potius quàm virtus diligitur.

Annibal

DONATO ACCIAIOLO VEL INTERPRETE, vel authore.



I PRIMI Punici belli, quod Carthaginenses cum populo Romano gessere, memoria repetatur, multi imperatores nobis occurrēt, qui ex rebus gestis gloriam consequuti, celebrem famam suis posteris reliquerūt. Sed ex Pœnorum ducibus nemo est, quem omnes Græci Latiniq́ scriptores magis extollant, quàm Hamilcarem Annibalis patrem, cognomento Barcham, virum sine dubio præstantem, & rei militaris, vt in illa quisq́ ętate poterat, peritissimum. Is primum in Sicilia Romanorum impetum, qui multas inflixerant suæ reipub. clades, diutius quàm par erat, sustinuit. Deinde Aphrico bello, cùm mercenarij milites seditione facta rem Carthaginensium in extremum periculum coniecissent, sic strenuè incendium illud restinxit, vt sit omnium sententia iudicatum, ea tempestate vnius Hamilcaris opera patriā fuisse seruatam. In Hispaniam post hæc cum imperio missus, quo tempore Annibalem puerum secum duxisse traditur, cùm multa gesisset memoratu digna, tandem nono anno, quàm in eam prouinciam venerat, aduersus Vetheones fortiter pugnans interijt. Post Hamilcaris mortem, Hasdrubal eius gener, quem Carthaginenses fauente factione Barchina exercitui præfecerant, octo fermè annos imperium obtinuit. Is Annibalem non multo tempore post interitum patris, repugnantibus etiam alterius factionis principibus, in Hispaniam vocauit, vt sicut antea puer viuente Hamilcare cœperat bellicis artibus erudiri, sic etiam tunc robustiore ætate periculis, laboribus, ac omnibus officijs militaribus assuesceret. At verò etsi ab initio memoria patris nō parum sibi in exercitu profuisset ad fauorem conciliandum, paulò tamen postea sua opera atq́ ingenio factum est, vt veteres milites aliorum ducum desiderio deposito, hunc sibi animo proponerēt, quem præcipuè imperatorem deligendum putarent. Omnia enim quæ magno futuro duci expetenda esse videbantur, abundè Annibali aderant: quippe erat ei consilium ad egregia facinora promptum. Consilio autem neq́ industria, neq́ audacia deerat. Nulla pericula, nulla incommoda corporis, quæ cæteros remorari solent, & à rebus gerendis abducere, inuictum animi virum terrebant. Vigilare, festinare, cuncta obire quæ aut strenuo milite, aut egregio imperatore digna videbantur. His artibus Annibal sub Hasdrubale per triennium meruit. quo quidem tempore adeò totius exercitus fauorem sibi conciliauit, vt statim post Hasdrubalis mortem, ingenti militum consensu, imperator sit appellatus. Quam prerogatiuam militarem, fauente factione Barchina, populus Carthaginensis sine controuersia comprobauit. Sex & viginti annos cùm est imperator ab exercitu declaratus, Annibalem natum comperio. nouem enim annorū fuisse constat, cùm eum pater in Hispaniam duxit: atq́ ab eo tempore vsq́ ad interitum Hasdrubalis, autore Polybio, septem & decem numerantur anni. Verùm ex quo die Annibal exercitum ac totius reipub. administrationem suscepit, non longam moram interponendam putauit, quin populo Romano, quod multò antè animo agitauerat, bellum inferret. Nam erat ei indignatio primùm aduersus Romanos, ob Siciliam Sardiniamq́ amissam, cum omnibus Carthaginensibus penè communis. Accedebat deinde priuatum odium, & quasi hæreditarium ab Hamilcare patre acceptum: quo nemo alter ex Carthaginensium ducibus nomini Romano fuerat infestior. Traditum quoq́ memoriæ est, Hamilcarem sacrificantē eo tempore quo in Hispaniam profectionem parabat, Annibalem admodum puerum iureiurando obstrinxisse, cùm primum per ætatem liceret, populi Romani fore inimicū. Cuius quidem rei memoria & acerba sanè recordatio, veluti quædam paterni odij imago, ante oculos iuuenis versabatur, animumq́ vrgebat, vt ea semper moliretur, quæ ad euertendum Romanum imperium pertinerent. Præterea factio Barchina frequentibus stimulis eum incitare non desistebat, vt armis & imperio opes quàm maximas compararet. Hæc igitur tum publicæ tum priuatæ causæ cùm Annibalem hortarentur ad suscipien-

Annibalis genus.

Annibalis ingenium.

Annibalis in re militari tolerantia.

Annibalis odij in Rom. caussæ.

Barchina factio.

piendum cum Romanis bellum, ferox iuuenis occasionem nouandarum rerum ex tali materia cepit. Erant in Hispania per id tempus Saguntini, quasi medij inter Romanorum Carthaginensiumq́ fines, iure fœderis in libertate relicti: hi postea se totos Romanis addixerant, initaq́ societate Romani imperij fidissimi cultores habebantur. Quare Annibal constituit animo, nihil opportunius fieri posse ad eliciendum Romanorum iram ac incendium, quod sibi optatissimum erat, concitandum, quàm Saguntinos armis belloq́ lacessere. Sed priusquam socios populi Romani apertè adoriretur, statuit in Olcadas, aliosq́ trans Iberum populos exercitum ducere, ac ijs ad deditionem compulsis, aliquam Sagunto nocendi causam reperire: qua non tam meditato consilio à se illatum, quàm à Saguntinis cōtractum bellum videri posset. Primum igitur Olcadum gente ad deditionem compulsa, Vacceos deinde aggreditur, agros depopulatur, oppida permulta expugnat, Hermandicam & Arbocolam vrbes opulentissimas capit. Ac iam propè omnem regionem in potestatem redegerat, cùm plerique ab Hermandica profugi se inuicem confirmantes, aduersus Pœnum coniurant, multitudinem cogunt, exules Olcadum socios sibi adsciscunt, deinde persuadent Carpentanis, qui sibi finitimi erant, vt communi consilio Pœnum in reditu suo nihil tale expectantem inuadant. Facilè in hanc sententiam discedentes populi bellandi cupidi, recentibusq́ iniurijs lacessiti, arma capiunt, ac ingenti multitudine coacta (erant enim supra centum millia) Annibalem redeuntem ex Vacceis prope flumen Tagum adoriuntur. ad quorum conspectum subitò constitere Carthaginensium signa, totoq́ agmine pauor & trepidatio fuit. Nec ambigitur, quin Pœni eo die insignem cladem accepturi essent, si repentino hostium aduentu commoti, prædaq́ onusti, cum ferocissimis gentibus conseruissent manus. Sed prouidus imperator Annibal hæc animaduertens, prælio supersedere statuit, atque ibi castra posuit. Proxima deinde nocte quanto maximè silentio potuit, copijs amnem traductis, locum ea parte qua transitus hosti facillimus dabatur, ab omni præsidio vacuum reliquit, vt partim simulato metu, partim occasione oblata, barbaros ad transeundum flumen alliceret. Nec virum, qui astutia omnes duces ætatis suæ sine controuersia superauit, opinio in decipiendo hoste consiliumq́ fefellit. Barbari enim natura feroces, multitudine quoque sua plus nimio fidentes, dum Carthaginenses perterritos esse arbitrantur, magno impetu se in aquam proijciunt. Hos incompositos implicatosq́, prius quàm omnino flumen traijciant, equitibus primum, mox omnibus copijs aggrediuntur Pœni, magnoq́ eorum numero interfecto, reliquos in fugam vertunt. Post hanc victoriam cuncti trans Iberum populi deditionem faciunt, præter Saguntinos: qui etsi Annibalem suis ceruicibus imminentem conspiciunt, tamen populi Romani societate confisi, defensionem suscipiendam putant. Romam quàm celerrimè legatos mittunt, qui senatum doceant, quanto in periculo res eorum sint, & aduersus acerrimum hostem iam sibi vim haud dubiè inferentem auxilium petant. Vix Saguntinorum legati ex Hispania discesserant Romam profecturi, cùm Pœnus iam in apertum bellum prorumpens, omnibus copijs ad obsidendum oppugnandumq́ Saguntum accessit. Quod vbi Romã nunciatum est, agitatumq́ in senatu de sociorum iniuria, miti sententia decreuerunt patres, vt P. Valerius Flaccus, & Q. Fabius Pamphilus ad Annibalem mitterentur, vt à Sagunto recederet: qui si non pareret, Carthaginem ire iussi sunt, ad ducem ipsum pro violato fœdere deposcendum. Hos oratores auditos esse ab Annibale, uana que ab eo tulisse responsa Polybius refert: Liuius contrà, nec auditos, nec in castra admissos scribit. Ambo tamen in eo conueniunt, quàm primum in Hispaniam, deinde in Aphricã profectos, Carthaginem venisse, expositisq́ patrum mandatis, sic aduersam habuisse dicunt factionem Barchinam, vt neglecti despectiq́ re infecta Romam redirent. Erant omnino in senatu Carthaginensiũ factiones duæ, quarum altera iam inde ab Hamilcare cognomento Barcha initium trahens, Annibali filio quasi ex hæreditate obuenerat, aucta que deinceps in tantas creuerat opes, vt domi forisq́ in omni re decernẽda superior haberetur. Altera verò principem habebat Hannonem, virũ grauem summæq́ in ea repub. dignitatis, toga tamen magis quàm armis egregium. Is ea tempestate qua legati Romanorum Carthaginem venerunt questum de sociorum iniurijs, solus fuisse traditur, qui omni propè repugnãte senatu, fœdus cum populo Romano seruandum censuit: monuitq́ vt ab eo cauerent bello, quod extremam erat suæ patriæ perniciem allaturum. In quo si Carthaginenses non tam animum Hannonis quàm eius consilium respicere uoluissent, & pacis potius quàm belli autorem audiendum censuissent, sanctius sibi suæq́ reipub,

Coniuratio Hispanorũ in Annibalem.

Annibal in Saguntinos.

Carthaginensiũ factiones.

foret consultum. At illi vnius iuuenis seu furorem seu cupiditatem sequuti, tantorum malorum, quæ postea in sua capita redundarunt, ex eo tempore occasionem dedere. Quocirca sapientes viros, & optimos rerum publicarum gubernatores, finem magis in rebus humanis quàm initium spectare, & priusquàm ad arma bellaqȝ prorumpāt, experiri omnia consilio decet.

Sapiētis in rep. gubernanda, optimū consiliū.

Cæterum Saguntini per id tēpus quo ab Annibale obsessi sunt, cùm præter ius fasqȝ sibi bellum inferri viderent, plures menses obstinatis animis obsidionē tulerunt. Ad extremum multitudine hominum superante Pœno (ad centum enim & quinquaginta millia habuisse in armis creditur) cùm iam magna ex parte diruta mœnia essent, excidium vrbis expectare maluerunt, quàm in acerbissimi hostis potestatem venire. Octauo mense quàm cœptum oppugnari, captum Sagūtum quidam autores sunt: quibus nec Liuius assentiri videtur, nec aliud certū tempus obsidionis illius in medium afferre.

Saguntū captū.

At verò expugnatio huius opulentissimæ vrbis, cœptis Annibalis multis in rebus adiumento fuit. Nam ciuitates nonnullas, quæ Punici imperij pertæsæ metum defectionis præbebant, exemplo Saguntinæ cladis in fide retinuit, militum animos confirmauit, ditato exercitu ingenti præda. Preciosa munera ex spolijs Saguntinorum Carthaginem misit, quibus sibi primarios obligauit ciues, paratioresqȝ reddidit ad futurum bellum, quod cum populo Romano, non in Hispania, vt multi arbitrabantur, sed in Italia sibi erat in animo gerere. Inter hæc legati Romanorum cùm in vrbem à Carthagine redijssent, vana quæ ibi acceperant referentes responsa, & sub idem propè tempus excidiū Saguntinum nunciatum esset, sera tandem populum Romanum pœnitētia cepit, quòd labenti reipub. sociorum, opem'que in extremo periculo postulanti non subuenisset. Ita plebs patresqȝ incredibili misericordia moti, simul indignatione accensi, consules prouincias sortiri iubent. P. Cornelio Hispania, T. Sempronio Aphrica (hi enim tum consules erant) cum Sicilia euenit. Legatos deinde Carthaginem mittunt principes ciuitatis, qui coram senatu post longam disceptationem de fœderum iure, cùm sinu futuræ contentionis quasi in conspectum omnium effudissent, magnaqȝ ferocitate obtulissent bellum, Carthaginenses contrà non minore audacia oblatum suscepere: malo tamē consilio, vt postea res ipsa & belli exitus declarauit. Verum Annibal cognitis ijs quæ in senatu Carthaginensium acta erāt, cùm iam tempus esse arbitraretur, vt sicut ab initio instituerat, Italiam peteret, res necessarias ingenti studio parat, classem instruit, ex fidissimis ciuitatibus auxilia accersit, omnes copias Carthaginē nouam conuenire iubet.

Annibalis consiliū de Italia inuadenda.

Post hæc Gades profectus, ante omnia commodissimum esse statuit, opportunis custodijs Aphricam Hispaniamqȝ munire, ne dum ipse in Italiam contendit, vacuæ ab omni præsidio Romanis relinquantur. Itaqȝ in Aphricam primum mittit equites mille & ducentos, peditum ex Hispanis tredecim millia. Deinde ex diuersis ciuitatibus Aphricæ quatuor millia peditum euocat, quos Carthaginem tueri iubet, obsides simul habituros & milites. Hispaniæ autē præficit Hasdrubalem fratrem, eiqȝ relinquit L. nauium classem, & ad duo millia equitum, peditum verò ad duodecim millia. Atqȝ ijs præsidijs vtranque prouinciam firmat, nō quia ea sufficere arbitretur aduersus Romanas opes, si moles belli aut in Hispania, aut in Aphrica sustinenda foret: sed quòd hæc satis esse existimet, ad hostem suis finibus arcendum, dum ipse terrestri itinere exercitum ducens bellum in Italiam transferat. Sciebat præterea populum Carthaginensem pro magnitudine imperij facilè posse cùm vellet, nouas copias parare, nec solum reficere exercitum domi, si opus esset, sed etiam supplementum sibi in Italiam mittere. Ex quo enim graue ac periculosum bellum mercenariorum indignatione contractum à suis ceruicibus depulerant, Hamilcare primum, deinde Hasdrubale, postremò Annibale duce continenter victores, ita Punicum imperium auxerant, vt ea tempestate qua Annibal in Italiam venit, lōgè lateqȝ eorum paterent opes. Nam omnem Aphricæ oram, quæ nostro mari abluitur, tenebant, ab aris Philenorum haud multum distantibus à magna Syrte, vsqȝ ad Columnas Herculis. Continet ea longitudo duo millia passuum. Transgressiqȝ paruum fretum, quod Aphricam Europamqȝ interiacet, omni propè Hispania potiti erant, vsque ad Pyrenæum montem qui eam prouinciam à Gallijs diuidit.

Punici imperij amplitudo.

His rebus in Hispania atque Aphrica constitutis, Annibal Carthaginem nouam reuertitur, vbi iam copiæ instructæ, paratæqȝ in armis erant. Quapropter nihil vltra expectandum ratus, aduocata concione, militum animos verbis confirmat, spem magnarum rerum proponit, fertilitatem Italiæ prædicat, amicitiam Gallorum commemorat. Demum hortatur vt lætis animis profectionem suscipiant. Sequenti die à Carthagine mouēs, per maritimam oram ad Iberum ducit. Sunt

qui

qui proxima nocte quiescenti Annibali iuuenem admirabili specie visum in somnis tradun[illegible] rtantem primò vt se ducem in Italiam sequeretur, deinde cum magno strepitu serp[illegible]m apparuisse raræ magnitudinis: cupienti'que scire quid'nam id portenderer, vis[illegible] sibi audire vastitatem Italiæ esse. Nec mirandum fuisset, si intentæ Annibalis curæ cogitationes'que vehementes, quibus ille vigilans bellum Italicum agitabat, quasdam nocturnas peperissent species, nunc victoriæ, nunc cædis & incendij, aliarum'que belli calamitatum similitudinem præ se ferentes. Fit enim interdum, sicut Orator inquit, vt cogitationes sermones'que nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare & loqui. Annibal superatis Pyrenæis iugis, conciliatis'que sibi multis donis Gallorum animis, paucis diebus ad Rhodanum venit. Rhodanus amnis non longè ab Istri Rheni'que fontibus surgens, octingentis propè emensis stadijs in lacum Lemannum se condit: inde egressus in occidentem se vertens, Gallias aliquandiu dirimit, Araris'que & aliorum fluminum accessione nō mediocriter auctus, tandem inter Volcas & Cauares pluribus capitibus in mare influit. Volcarum gens ea tempestate circa vtranque ripam colebat Rhodani, hominum abundantissima erat, & inter Gallicas gentes opulentissima. Hi primo Annibalis aduentu amnem transgressi, constiterant in ripa fluminis, vt Pœnos transitu prohiberent. Nam cæteris pacatis Gallis, hos neque donis capere Annibal, neque metu compellere potuit, vt amicitiam experiri quàm vim Carthaginensium mallent. Igitur dolis cum tali hoste agendum ratus, Hannoni Bomilcaris filio præcipit, vt occultè Rhodanum transmittat, & cum parte copiarum Gallos, nil tale opinantes adoriatur. Is vt imperatum erat, longiore itinere progressus, vbi commodissimum visum est, flumen traijcit, & circūductis copijs prius ad hostium castra peruenit, quàm planè ab his videri, aut quid rei gereretur cognosci posset. Galli clamore à tergo audito, cùm neque consilij habendi neque arma capiendi spacium daretur, & iam à fronte instaret Annibal, pluribus nauigijs ad traijciendum paratis, subitò castris excessere, & quantum cursu ac viribus efficere potuerunt, se in præcipitem dederunt fugam. Sic igitur aduersa ripa hostibus pulsis, reliquæ Carthaginensium copiæ incolumes traducuntur. Interim crebri rumores de aduentu Annibalis ad P. Cornelium Scipionem, qui paulò antè Massiliam venerat, deferebantur. Quæ vt certius cognosceret consul, alam lectissimorū equitum ad exploranda consilia hostium mittit. Quibus vt mandatum erat celeriter proficiscentibus, quingenti Numidæ equites obuij fiunt, missi & ipsi à Pœno speculatum Romana castra. Nulla mora interiecta est, quin prælio contenderent. Pugnatum est acriter ab vtrisque. Tandem superiores Romani multis ex suis amissis, pluribus ex hostibus cæsis, reliquos in fugam coniecerunt. Post hæc Annibal certior factus quo in loco Romanorum copiæ essent, agitare secum cœpit, præstaret'ne cœptum iter in Italiā prosequi, an aduersus præsentem consulem exercitum ducere, & euentum totius rei experiri. Cùm multæ vtrinque rationes occurrerent, tandem fluctuantem animo Boiorum legati in eam partem traxerunt, vt omnibus rebus postpositis in Italiam cōtenderet. Nam Boij iam ante Pyrenæi montis transitum, legatis Romanorum per fraudem captis, Manlio prætore magna clade affecto, solicitatis Insubribus ad Pœnum defecerant: ea præcipue causa indignati, quòd Romani paulò antè Placentiam Cremonamq; colonias misserant. Itaque horum consilijs persuasus Annibal, castra mouit, & per ripam Rhodani aduerso flumine profectus, paucis diebus peruenit ad locum, quem Insulam Galli appellant, hanc Arar & Rhodanus amnis ex diuersis montibus confluentes efficiunt. Ibi nūc Lugdunum est celeberrima Galliæ vrbs, quam longis postea temporibus à Planco Munatio conditam fuisse accepimus. Hinc profectus Annibal, regionem Allobrogum ingreditur, discordijs'que duorum fratrum de regno inter se certantium sublatis, per Castinorum & Vocontiorum fines ad flumen Druentiam venit. Druentia oritur ex Alpibus, & citato descendens cursu in Rhodanum sese effundit, & quia vada frequenter mutat, ægrè pedibus transiri potest. Eo tamen transmisso amne, per aperta loca, quantum facultas dari potuit, exercitum ducens, Alpes petit. Verùm in superandis Alpibus tot tanta'que incommoda perpessum Annibalem tradunt, vt quidam autores æquales temporibus eius belli, ex ipso Pœno audisse dicant, se supra triginta hominū millia, maximumq; iumentorum numerum in transitu Alpium amisisse. Non solùm enim cum montanis incolis multoties sibi pugnandum, sed etiam aduersus angustias asperitates'que viarum sic ei laborandum fuit, vt quibusdam locis per ingentia saxa igni aceto'que putrefacta

Rhodani origo & cursus.

Boi cum Insubribus ad Annibalem deficiunt.

Lugdunum.

Druētia flumē.

Annibal alpes rumpit aceto. *Taurinus ager.*

sibi aperuerit iter. Quintodecimo die superatis Alpibus, in agrum Taurinū descendit. Quo mihi verisimilius videtur per montem Genuæ (sic enim vulgò appellant) qui ex altero latere flumen Druentiam, ex altero exitum in Taurinos habet, Pœnum transisse. Postquam in Italiam ventum est, quæ aut quantæ copiæ Annibali fuerint, quia diuersa autores retulere, difficile ad fidem est exacto affirmare numero. Alij centum millia peditum, viginti equitum: alij viginti peditum, sex equitum ex Aphris Hispanisq; : quidam verò Gallis Liguribusq; additis, L X X X. millia peditum, decem equitum fuisse scribūt. Sed credere libet, neq; ita magnum illi fuisse numerum copiarum, vt asserunt primi, post tot emensa terrarum spacia, tantaq; detrimenta accepta: neq; ita exiguum, vt secundi volunt, cùm maximæ res quas postea gesſit, menti occurrunt. Qui verò mediam sequuntur viam, probabiliora dicere videntur, cùm ex L X X X. millibus peditum, decem millibus equitum, quæ ex Hispania mouit, magnam partem in Italiam duxerit, satisq; constet confluxisse ad eum ingentem multitudinem Ligurum Gallorumq;, qui ea tempestate non minore odio in Romanos, quàm Pœni ardebant. Cùm ex Taurinis in agrum Insubrium venisset Annibal, aduersum habuit P. Cornelium Scipionem, qui à Massilia ingenti celeritate in Italiam reuersus, Pado Ticinoq; traiectis, haud procul ab hoste consedit: breuiq; interiecto spacio, ambo hi duces alter alterius castra speculatum profecti, equestre prælium commiserunt, in quo aliquandiu pari propè certamine dimicatum est. Ad extremum Romani, cùm vulneratus esset consul, & Numidæ equites paulatim circumeundo à tergo imminerent, pedē referre coacti sunt. Itaque sensim cedendo, & consulem protegendo, sese in castra receperunt. Sunt qui ab Aphricano filio iam tum pubescente seruatum patrem Cornelium scribunt. Quæ quidem laus, etsi maxima sit in tam recenti teneraq; ætate, non tamen à vero nec à præclaris rebus quas postea gesſit, aliena videtur. Hoc prælio expertus Scipio quantum equitatu præualeret hostis, statuit sibi ea loca petenda esse, in quibus pedestres copiæ, & cōsistere tutiùs & dimicare commodiùs possent. Itaque sequenti nocte quanto maximè silētio potuit, omni exercitu Padum traducto, in agrum Placentinum contendit. Eódem paulò pòst T. Sempronius Longus, literis senatus ex Sicilia accersitus, vt ambo consules communi imperio communiq; consilio rempub. administrarent. Annibal etiam post equestrem pugnam, cum omnibus copijs Scipionem sequutus, ad flumen Trebiam consederat, sperans propinquitate castrorum fore aliquam dimicandi facultatem, quam sibi datum iri vehementiſsimè cupiebat: non solùm quia longam moram sustinere nō poterat ob commeatus inopiam, sed etiam quia verebatur infirmitatem Gallorum, qui & spem nouarum rerum, & equestris victoriæ famam sequuti, vt facilè in suam fidem atque amicitiam concesserant. sic etiam leui momento fieri posse credebat, vt durante in suis sedibus bello, odium à Romanis in seuum autorem belli transferrent. Igitur omnibus modis materiam quærebat, vnde occasio committendi prælij oriretur. Accidit autem opportunè per eos dies, vt Sempronius consul nactus hostium agmen præda graue, palatum'que per agros, inuaderet, in fugam'que conijceret, atque ex ea re prosperè gesta de euentu totius rei coniecturam faciens, in maximam spem veniret victoriæ consequendæ, si iusta acie consererentur manus. Quare priusquàm Scipio conualesceret, & noui consules crearentur, alicuius præclari facinoris edendi cupidus, in certamen prodire decreuit: rem improbante collega, clamante'que nihil intempestiuius agi posse, quàm omnibus propè aduersantibus Gallis, summam reipublicæ in discrimen afferre. Horum dissensiones per occultos exploratores deferebantur ad Pœnum. Quibus cognitis, callidus imperator extemplò locum inter vtraque castra septum vndique & vestitum vepribus & dumetis inuenit, ibi'que Magonem fratrem cum delecta manu consistere iusſit. Deinde equitibus Numidis negocium dedit, vt adirent Romana castra, hostem'que lacessentes ad prælium excitarent. Ipse interim reliquum exercitum cibo potuq; refectum in aciem deducit, vt in omnem occasionem gerendæ rei intentus paratusq; in armis esset. Sempronius cōsul ad primum tumultum, Numidarum subitò equitatum, deinde sex millia peditū, postremò omnes copias ex castris deducit. Erat autē brumæ tempus, & summa vigebat asperitas hyemis, in ijs præsertim locis quæ Alpibus Apēninoq; clauduntur. Numidæ vt præceptū erat, citra flumen Trebiā Romanū sensim trahentes, vbi ad eum locū venerunt, vnde suorū signa conspici poterāt, subitò verterūt in effusum hostem equos. Est enim Numidarum consuetudo, vt sponte plærunq; cedant, mox vbi visum fuerit, sistant, rursusq; maiore impetu quàm prius hostem inuadant. Sempronius extem-

Annibalis in Italia copiæ.

Annibalis prima cum Romanis pugna & victoria.

Annibalis ad Trebiā pugna.

extemplò equitibus ad subsidia reuocatis, pro necessitate temporis aciem instruit, pugnam cum hoste qui omnia ad futurum certamen præparauerat, commissurus. Iam enim cum instructis copijs aderat Annibal, vt præsenti occasione certãdi vteretur. Pugna primum à leui armatura, deinde ab equitatu inita est, in qua Romani equites cùm impetum hostium sustinere non possent, facilè cesserunt loco. Prælium deinde legiones excepere, tanta contentione, tam'que paratis ad dimicandum animis, vt resistere posse viderentur, si eis fuisset cum solo pedite decernendum. Sed hinc equites elephanti'que terrebant, hinc pedites instabant, acriter pugnantes aduersus corpora fame frigore'que confecta. Itaque magis animis quàm viribus hanc molem circunstantium incommodorum sustinentes Romani, pugnam extraxere, quousque Mago ex insidijs exortus, cum clamore ac tumultu incautos inuasit, & media Pœnorum acies iussu Annibalis impetum in Cenomannos fecit. Tunc fuga ab auxiliaribus cœpta, Romanorum fregit animos. Nam ad decem millia peditum ex Romano exercitu fuisse dicuntur, qui per medios erumpentes hostes se Placentiam contulere. Ex reliquis copijs fugientes persequuti maiorem partem conciderunt Pœni. Euasit tamen Sempronius consul summo periculo manibus hostium euitatis. Nec Pœnis incruenta victoria fuit, multis ex suis militibus, ac omnibus propè elephantis amissis. Post hanc pugnam Annibal per omnem regionem vagatus, cuncta ferro igni'que vastauit, oppida quædam cepit, ac ingentem multitudinem incolarum nullo ordine militari in certamen euntem, parua manu fudit fugauit'que. Vere primo maturius quàm tempus postulabat ex hybernis mouens, cùm in Hetruriam contenderet, & prope Apennini iuga sæua tempestate repulsus, exercitum in agrum Placentinum reduxit, breui'que interiecto spacio, cùm multæ necessariæ vrgerent causæ, rursus eandem profectionem sicut instituerat, suscipiendam putauit. Nam Gallorum insidijs propè circumuentus, calliditate ingenij periculum capitis euitauerat. Aegrè enim ferentes Galli bellum in suis agris diutius consistere, vnum Annibalem caput belli petebant. Quo periculo compulsus Pœnus, maturandum sibi atque in aliam prouinciam omnem exercitum traducendum putabat. Accedebat præterea, quòd ad opinionem gentium, & suorum militum alacritatem magni interesse arbitrabatur, tantas videri Charthaginensium vires, tantum ducis animum, vt in propinquas Romanæ vrbi regiones arma transferre auderet. Quare postpositis omnibus rebus, castra mouit, superatis'que Apennini iugis, per Ligures ea via qua ad paludes ac planitiem fluminis Arni est iter, in Hetruriam descendit. Arnus vehementius excreuerat per eos dies, atque omnes circumadiacentes campos aquis inundauerat. Igitur Annibal tantum exercitum secum trahens, priusquàm è palustribus locis egrederetur, vitare non potuit, quin ingentem hominum ac iumentorum iacturam faceret. Ipse quoque dux, etsi elephanto qui vnus superfuerat ex multis, eminens veheretur, plures tamen dies ac noctes aeris intemperie vigilijs'que confectus, alterum amisit oculum. Inter hæc C. Flamminius consul exercitu à Sempronio accepto Arretium venerat, inconsulto senatu ægre'que ferente, quòd relicto Romæ Cn. Seruilio collega, sine insignibus, sine lictoribus, furtim in prouinciam contendisset. Hunc virum natura ferocem plebis fauor supra modum extulerat, atque ita audacem reddiderat, vt appareret omnia incautè inconsulte'que acturum. Quod vbi Annibal comperit, commodissimum esse statuit, ingenium consulis irritare, conari'que omnibus modis, vt antequàm collegæ iungeretur, ad pugnam alliceret. Itaque castra mouens, per agrum Fesulanum Arretinum'que magno impetu vagatur, omnem regionem terroribus implet, cuncta ferro igni'que peruastat, nec prius populationibus aut incendijs finem facit, quàm passim vastatis agris ad montes Crotonenses, atque inde ad Thrasimenum lacum peruenit. Ibi locum contemplatus cùm capere insidijs hostem quæreret, prope angustam viam quæ ad Thrasimenum ducit, sub quibusdam tumulis equitatum locat, post montes leuem armaturam considere iubet. Ipse cum reliquis copijs in planitiem descendit, suspicatus id quod accidit, Romanum consulem non quieturum. Homines enim furentes ingenio, facilè ad omnes machinas atque insidias hostium patent, sæpe'que salutaribus consilijs spretis, summam rerum in discrimen obijciunt. Flamminius vbi passim agros sociorum diripi, frumenta succidi, ædificia incendi sensit, subitò contrà omnium sententiam, qui collegam expectandum censebant, castra mouit, citatum'que agmen ad hostem duxit. Cùm occidente iam sole ad angustias Thrasimeni lacus peruenisset, eo in loco constitit continenti itinere indefessus miles. Sequenti die, sub primam lucem, nulla re antea ex-

Annibal altero priuatur oculo.

Sententia militaris.

Annibalis ad Thrasimenum pugna.

plorata, saltum transcẽdit. Annibal verò qui omnibus antea præparatis occasionem expectabat gerendæ rei, vbi in patentiorem campum Romanum deductum cernit, dat omnibus inuadendi signum. Tunc vndiq; surgentes Pœni, hostem lacu & montibus clausum adoriuntur, nec solùm à fronte, sed etiam à tergo & lateribus instant. Contrà Romani nullo ordine militari prælium ineuntes, constipati conglobatiq;, in nebula quæ omnium oculos occupauerat, veluti in vmbra pugnant: vt mirandum fuerit, cùm ab omni parte circunsepti tenerentur, quibus rebus freti tandiu pugnam distulerint. Nam supra tres horas ita acriter certatum constat, vt neq; maximus terræmotus eo tẽpore à pugnantibus auditus sit, nec prius Romana inclinata acies, quàm manu equitis, cui Ducario nomen erat, consulem tota acie volitantem interfectum fama vulgauit. Tunc Romani spoliati præsidio ducis, ac omni spe destituti, terga verterunt, alij montes, alij lacum petentes, quorum multi in fuga sunt comprehensi atque interfecti. Cecidere in pugna ex copijs Romanorum ad quindecim millia hominum, & ad decem millia varijs itineribus euasere. Fuisse etiam dicuntur sex millia peditum, qui ab initio pugnæ impetu facto saltum superarunt, & in eminenti quodam tumulo constiterunt: postea verò finito prælio

Annibalis calliditas in effingendis virtutibus. Liui. lib. 1. dec. 3 & Silius lib. 1.

accepta à Pœnis fide, proditi fraudatiq; in victoris potestatem venerunt. Annibal hac ingenti victoria parta, multos ex captiuis Italici generis liberaliter prosequutus, sine precio dimitti iussit, vt humanitatis & indulgentiæ fama per populos vulgaretur, à quibus tamen virtutibus ingenium eius longissimè aberat. Fuit enim Annibal ferus immanisq; naturâ, & adiunxit etiam à prima pueritia disciplinam, qua non iura, non leges, non ciuiles consuetudines, sed bella cædesq;, & hostiles proditiones tractare didicerat. Itaque crudelissimus euasit dux, & in fallendis hominibus callidissimus. Nam ad decipiendum hostem semper intentus, quos aperto Marte superare non poterat, dolis aggrediebatur, vt facilè ex præsenti pugna & prælio quod antea cum Sempronio ad Trebiam commisit, possumus iudicare. Sed hæc in alium locum differantur. Romam verò vbi Flamminium consulem victum cæsumq; cum magna parte copiarum nunciatum est, ingens repente luctus ciuitatem inuasit. Alij publicam, alij priuatam, quidam vtranque calamitatem deplorabant. Miserabile spectaculum erat multitudinis mulierum virorumq; confluentis ad portas, vt priuatim quisque de suis necessarijs certior redderetur. Proditum quoque memoriæ est, mulieres duas stantes solicitis ac pendentibus animis pro salute filiorum, cùm præter spem filij occurrissent, subita lætitia expirasse. Sub idem tempus quatuor millia equitum ad Flamminium consulem mittebantur à Seruilio collega, nondum sciente prælium ad Thrasimenum factum. Hi in itinere audita suorum clade, cùm in Vmbriam se reciperent, ab equitatu hostium excepti, ad Annibalem deducuntur. Cæterùm cùm tot tamq; multiplicibus acceptis cladibus in summo periculo res Romana esset, placuit extraordinariũ imperium quæri, Dictatoremq; creari, quod vnum remedium alienissimis temporibus reipublicæ adhiberi solitum erat. Sed cùm obsessis omnibus vijs Seruilius consul Romam venire non posset, nouo exemplo

Q. Fabius Dictator creatur.

populus Romanus Dictatorem dixit Q. Fabium, cui postea Maximo fuit cognomen, qui M. Minutium magistrum equitum dixit. Erat autem Fabius vir magni consilij atque prudentiæ, & summæ in republica dignitatis. Itaque eo tempore omnes ciues hunc vnum intuebantur, iam'que sibi persuaserant eo duce, aut nullo alio, defendi statum ciuitatis posse. Hæc ille non ignorans, ingenti fiducia rebus necessarijs comparatis ab vrbe proficiscitur, & exercitu à Seruilio consule accepto, duabus'que legionibus additis, ad hostem pergit. Iam Annibal à Thrasimeno lacu recto itinere Spoletum profectus, tentauerat primo impetu si id oppidum capi posset. Concursu oppidanorum ad tuenda mœnia facto, cùm egregiè defenderetur, vastatis omnibus eorum agris, vicis, ædificijsq; incensis, in Picentes, atque inde per Marsos & Pelignos in Apuliam cõtenderat. Dictator hostem sequutus, prope Arpos haud procul à Punicis castris consedit, eo consilio vt morando cunctando'que bellum traheret. Nimia enim superiorum ducum ferocia in eum locum rem Romanam deduxerat, vt à toties victore hoste non vinci eo tempore pro victoria haberetur.

Ferocia ducum interdum nocet plurimum.

Itaque omnia repentè mutauit imperator mutatus. Nam cùm Annibal primò in aciem deduceret, deinde quiescente hoste omnem regionem popularetur, vt vastando in oculis agros sociorum, Dictatorem exciret ad prælium capessendum, nihilo magis motus Fabius suos in castris continebat. Hanc cunctationem Romani ducis iniquo animo ferens Annibal, frequenter castra mutare constituit, vt pluribus adeundis locis aliqua vel fallendi hostem, vel committendi

prælij

prælij occasio oritur. Quapropter superato Apennino, ex agro Arpinati in Samnium venit: paulo'que pôst quibusdam Campanis, quos ad Thrasimenum captos liberaliter dimiserat, afferentibus spem Capuæ potiundæ, castra mouit, perito quodam regionis admonito, vt in agrum Casinatem exercitum duceret. Similitudine nominis Casilinum dux itineris pro Casino accipiēs, longè diuersa via per Calentinum & Calenum agrum in campum Stellatem Annibalem traxit. Vbi cùm septa vndique montibus & fluminibus regio teneretur, cognito errore, Pœnus hominem crudeliter excruciatum necari iussit. Fabius per id tempus incredibili patientia vsus, vagari Pœnum permisit, donec occupato Gallicano & Casilino monte, opportuna loca præsidijs firmauit. Quo factum est, vt Punicus exercitus propè circumuentus, vel opprimi commeatus inopia, vel turpi fuga sibi consulere cogeretur, nisi Annibal arguta fallacia frustrato hoste periculum euasisset. Nam hâc re animaduersa, cùm sibi opportunum visum est, imperat militibus suis, vt ex agresti præda, quam abundè in castris habebat, ad duo millia boum ad se deducant. Horum cornua facibus vinciri iubet, deinde quosdam idoneos deligit viros, qui sub primam vigiliam facibus incensis ad summos montes belluas concitent. Nihil ex his quæ imperata erant, prętermissum fuit. Agitati boues ardentibus facibus summa montium petunt. Copiæ paulatim sequuntur: Romani qui multò ante firmis præsidijs saltus occupauerant, re noua perterriti, & insidias esse rati, subitò ex opportunis locis discessere. Fabius quoque Punicam fraudem suspectam habens, cùm non satis constaret quid'nam rei esset, suos in castris continuit. Interim Pœnus haud procul ab aquis Suessanis, quem locum hac tempestate incolæ regionis Turrim balneorum appellant, saltum transgreditur, atque in agrum Albanum cum omnibus copijs incolumibus sese recipit, breui'que interiecto spacio castra mouet, quasi recta via Romam petiturus. Sed postea conuerso itinere in Apuliam redijt. Ibi potitus oppido Glereno, opulento sanè & abundanti omni copia rerum, hyberna in ijs locis habere constituit. Nec multò pôst Dictator subsequutus, haud procul à Punicis castris in agro Larinati consedit. Inde reipublicæ causa Romam accersitus, cùm celeriter sibi proficiscendum esset, magistro equitum denunciat, vt sese loco teneret, ne'ue absente se cum hoste manum consereret. Nam sicut ab initio proposuerat animo, ita etiam postea in eo perseuerandum putabat, vt neque hostem in prælio lacesseret, neque lacessitus in aciem descenderet. Sed accidit post discessum eius, vt M. Minutius præceptorum immemor, hostium manum adoriretur frumentatum ab Annibale missam, palantem'que per agros cum multa cæde in castra conijceret. Extemplò huius rei fama Romam perlata, aucta'que rumoribus, veluti adeptæ victoriæ nomen obtinuit, ac ita multitudinis impleuit aures, vt repentè fit magistro equitum, quod ante id tempus contigit nunquàm, cum Fabio Dictatore æquatum imperium. Hanc iniuriam sibi indigno illatam magno animo ferens Fabius, in castra reuertitur. Iam duo dictatores vno tempore erant, res ante eam diem inaudita, diuisis'que inter se copijs, sicuti consulibus mos fuit, pari imperio exercitibus præerant. At M. Minutius ex rebus tantam sibi arrogantiam sumpserat, vt quod vix Annibal toties victor auderet, ausus sit quadam die inconsulto collega certamen inire, ac in eum locum copias suas perducere: vbi Punicis insidijs circumuentæ ad arbitrium hostium cædebantur, nec vllam euadendi viam habebant, nisi Fabius publicæ salutis magis quàm acceptæ iniuriæ memor, in tempore subuenisset. Nam recentibus copijs certamini superueniens, hauddubiè terruit Pœnum, & facultatem legionibus Romanis dedit, vt sese in locum tutum reciperent. Maximam hinc virtutis & prudentiæ famam cùm apud suos, tum apud hostes est Fabius consequutus. Nam & Annibalem in castra redeuntem dixisse tradunt, eo prælio à se M. Minutium, se autem à Fabio esse superatum. Et ipse Minutius cognita prudentia viri, iuxta Hesiodi sententiam, meliori parendum ratus, cum omnibus copijs in castra Fabij venit, magistratu'que deposito, honorificentissimis verbis patrem Fabium salutauit, longe'que is fuit cunctis militibus lætissimus dies. Cæterùm vtrisque exercitibus in hyberna discedentibus, post longam contentionem creati sunt consules noui, L. Paulus Aemilius, & C. Terentius Varro, homo ex infima plebe, populari aura ad consulatum euectus. His concessum est, vt maioribus copijs quàm consueuerant priores duces, rem Romanam gererent. Auctæ legiones, & nouæ quoque veteribus additæ. Profecti ad exercitum consules diuersi ingenij, diuersam in administrando imperio rationem seruabant: L. Paulus vir prudens, & Fabianæ artis & consilij memor, bellum trahere, hostem morari,

Dux itineris ab Annibale crudeliter necatur.

Annibalis calliditas.

Turris balneorum.

Dictatores duo simul, antea inauditum.

L. Pauli & C. Ter. Varronis comparatio.

prælio abstinere: Varro contrà, furere, audere, certamen exposcere. At breui spacio interposito, patefactum est magna cum calamitate ac pernicie ciuitatis, quantum inter modestiam Aemilij & Varronis arrogantiam interesset. Nam Annibal inopia frumenti timens ne aliquis motus in castris oriretur, ex Glereno profectus, cùm calidiora petijsset Apuliæ loca, cum omnibus copijs ad Cannas consedit, quem insequuti Romani cōsules, bina propè posuerunt castra, ita inter se iuncta, vt tantum Aufido dirimerentur amne. Is solus fluuiorum, vt tradunt quidam, Apenninum diuidit, atque ex ea parte qua montes ad mare Inferum spectant, oriens in Adriaticum influit sinum. Verùm L. Paulus cùm videret Pœnum in aliena morantem terra, non posse tot tamq; diuersarum gentium copias diutius sustinere, in eadem sententia perseuerabat vt bellum duceret: hanc vnam tutam vincendi viam, hanc hosti perniciosam, suæ reipub. salutarem esse censebat. Quòd si hoc C. Terentio persuasum esset, satis apparebat à sedentibus Romanis frangi posse Annibalis opes. Sed vir inquieti animi non solùm non mouebatur autoritate Aemilij prudentissimè consulentis, sed ipsum etiam increpabat, fremebatq; per vulgus, quòd in aciem prodeunte hoste militem ociosum in castris contineret. Quamobrem cùm venisset dies in qua summa imperij sibi obtigerat (vicissim enim exercitibus præerant) prima luce, transmisso Aufido, signum dimicandi proponit inconsulto collega: inuitoq; magis, quia repugnare non poterat, quàm spontè eum sequente. Annibal lætus occasione pugnandi, quòd omnem dilationem sibi aduersam esse censebat, copias amnem traducit, paratissimas quidem atque omni armorum genere ornatissimas. Multa enim spolia ex hostibus parta materiam præbuerant ad ornatum. Erat autem Romanorum acies in meridiem versa. Horum oculos occupabat puluis meridiano excitatus vento, quem incolæ Vulturnum appellant: hostes contra septentrionem spectabant, atque ita in acie dispositi erant, vt vtrunque cornu tenerent Aphri, in medio consisterent Galli atque Hispani. Primum à leui armatura, deinde ab equitibus concursum est: & quia exiguum ad peruagandum spacium inter amnem peditatum'que relictum erat, atrox magis quàm longum fuit certamen. Pulso tamen equitatu Romano, pedestris acies prælium excepit, tanto ardore animorum, vt nullum aliud tempus ad dimicandum habitura videretur. Sed nimia vincendi cupiditas vt primo congressu initium lætum, sic etiam postea exitum tristem Romanis dedit. Nam Galli atque Hispani, quos in medio locatos suprà ostendimus, non sustinentes impetum Romanorum, sese ad Aphrorum subsidia recepere. Romani verò effuso cursu in hostem delati, dum vrgendo cedentes in medium coeunt, occasionem dederunt Pœnis vt ex vtraque parte cornua circunducerent. Quingenti quoque Numidæ equites, qui paulò antè simulata fuga à consulibus fuerant comiter accepti, ac in postremo agmine consistere iussi, vbi tempus visum est gerendæ rei, à tergo sese ostendunt, subito'que imprudentes atque inopinantes hostes aggrediuntur. Tum vndique perturbata Romana acies haud dubiam Pœno victoriam dedit. Ad quadraginta millia peditum, ad duo millia supra septingentos equites, autore Liuio, eo prælio cæsa dicuntur. Polybius longè maiorem numerum cæsorum affert. Sed his in medio relictis illud affirmare libet, hac Cannensi clade nullam maiorem vnquam, nec primo nec secundo Punico bello à Pœno hoste illatam esse Romanis. Nam in ea pugna cæsus est Paulus consul, vir memoria dignus, & vsque ad supremum diem omni officio in patriam functus. Seruilius quoque prioris anni consul, & alij consulares, tum prætores, prætorij'que viri, tribuni militum, ac ædilitij quidam, alij'que permulti honestissimi senatores, tum optimorum ciuium exercitus, qui ad satietatem crudelissimi hostis interempti ceciderunt. Terentius consul qui autor fuerat prælij committendi, vbi in omni parte Pœnum superiorem vidit, salutem sibi cōparauit fuga. Et Tuditanus tribunus militum cum magna manu per medios hostes erumpens, Canusium venit. Ibi ad decem millia hominum ex manibus hostium tanquam ex tempestate emersa conuenerunt, summa'que imperij omnium consensu ad Appium Pulchrum, & P. Cornelium Scipionem, qui postea hoc bellum confecit, delata est. Hunc tandem exitum Cannensis habuit pugna. Quæ celeriter Romam perlata, etsi omnem ciuitatem (vt par erat) mœstitia luctu'que repleuit, senatus tamen populus'que Romanus in tam aduersis rebus dignitate retenta, non modò de seruanda vrbe, sed etiam de reparando exercitu cogitauit, iuniores ad arma conciuit, nec Siciliam Hispaniam'que neglexit: vt hæc considerans mirari debeat, tantum ea tempestate vel animi vel consilij in illo ordine populo'que fuisse. Nam vt cæteras omittā clades, ad Tici-

Pugna ad Cannas.

Numidarũ equitum perfidia.

Cannensis clades insignis.

Romanorum in extremis constantia.

ad Ticinum, ad Trebiam, ad Thrasimenum acceptas, hoc postremum vulnus quo penè Romani imperij opes conciderunt, quæ alia gens sustinere potuisset? Tulit tamen populus Romanus, atque ita tulit, vt neque industria consilio, neque consilium magnitudini animorum defuisse videretur. Annibal quoque victor in reficiendo exercitu tempus terens, spacium victis dedit ad respirandum. Nam si extemplò finita pugna, victorem exercitum Romam duxisset, proculdubiò aut succumbendum omnino, aut extremum subeundum discrimen Romanis erat. Huius postea tarditatis sæpe pertæsum Annibalem tradunt, palam'que conquestum, quòd consulentibus quieti militum magis eo tempore credidisset, quàm Maharbali præfecto equitum, qui subitò Romam caput belli petendum censuit, cunctanti'que Pœno illud vulgatum protulisse dicitur: Vincere scis Annibal, sed victoria vti nescis.

Maharbalis de Annibale dictum.

Verùm non omnia (vt Nestor ille apud Homerum inquit) data sunt hominibus: simul alijs enim ars vincendi, alijs celeritas conficiendi, quibusdam etiam conseruandi studium defuit. Pyrrhum Epirotarum regem, qui bellum intulit populo Romano, præstantissimum belli ducem fuisse accepimus: hunc tamen memoriæ proditum est egregium in acquirendo imperio, in conseruando verò minimè aptum fuisse virum.

Nestoris apud Homerum sentẽtia verißima.

Sic etiam alia alijs adfuisse, quædam etiam defuisse bellicis laudibus digna, per veteres historias cognoscere licet. Cæterùm post hoc prælium ad Cannas commissum, Atellani, Calatini, Samnites, Brutij præterea atque Lucani, alij'que permulti Italiæ populi fama ingentis victoriæ moti, ad Annibalem defecerunt. Capua quoque, quod multò antè concupiuerat Annibal, veteribus relictis socijs, noua se ei societate coniunxit, id'que ad opinionem gentium magnum momentum rebus Carthaginensium attulit. Erat enim ea tempestate validissima vrbs multitudine ciuium incolarum'que, & post Romam florentissima omnium Italiæ ciuitatum.

Capua, vbi & vnde dicta.

Hanc Hetruscorum coloniam (vt multa quæ de ea referuntur, paucis uerbis complectar) Vulturnum primò, Capuam deinde à duce eorum Capio, vel quod propius vero est, à campestri agro appellatam constat. Circùm enim adiacent campi omni fertilitate terræ, pulchritudineq; agrorum insignes, quos κάμπος appellant Græci. Hanc quoque regionem ex omni parte illustres populi cingunt. Nam maritimam oram incolunt Suessani, Cumani, Neapolitani: mediterraneam à septentrione Calentini & Caleni: ab oriente & meridie Dauni & Nolani. Præterea locus ipse natura munitissimus est, hinc mari, illinc maximis perpetuis'que montibus cingitur. Ea verò tempestate florentes mira felicitate Campani, cùm viderent propè ad internecionem Romani imperij pugnatum esse ad Cannas, facilè, vt plerunque fit, ad victoriam inclinarunt, Annibalem'que victorem non solùm sibi societate iunxerunt, sed etiam incredibili honore acceperunt in vrbem, sperantibus ciuibus, confecto bello se inter Italos potentia atque opibus longè primos fore: adeò plerunque mortales in rebus humanis spes ac opinio fallit. Venienti Capuam Annibali ingens multitudo obuiàm effunditur, studio visendi celeberrimi nominis ducem, cuius tot victoriæ & secunda commissa prælia in ore atque oculis omnium versabantur. Ingressus vrbem deducitur ad domum Pacuuij familiaris, viri & potentia atque existimatione facilè principis Campanorum.

Pacuuius Campanus.

Cœna conquisitissimis epulis comparatur. Ex Campanis ciuibus nemo ad conuiuium adhibetur, præter Vibellium Tauream virum fortissimum, & filium Pacuuij hospitis, cui pater iratũ Annibalem eò quòd Decium Magium pro Romana societate pugnãtem sequutus erat, magno negocio placauit. Sed operæprecium est videre, quanta & quàm varia pericula præter opinionem hominum maximis interdum accidant uiris. Nam is iuuenis licet simulatione reconciliatus Annibali, nocendi tamen occasionem expectans, dum celebratur omnium sermone lætitiaq; conuiuium, patrem in interiorem partem ædium adducit, eumq; hortatur, vt simul secum gratiam populi Romani graui peccato amissam summo beneficio redimere velit.

Annibali insidiæ paratæ Capuæ.

Consilium deinde aperit quo animũ induxerat, Annibalem patriæ suæ, totiusq; Italiæ hostem de medio tollere. Homo qui id autoritatis & parens esset, filij dicto vehementer obstupuit, iuuenemq; cõplexus, magno labore, multis cum lachrymis vix tandẽ exorauit, vt abiecto gladio domi suæ hospitẽ tutò esse sineret. Ita Annibal qui ab Oceano Hispaniæq; vltimis oris per ingentia terrarũ spacia militẽ trahens, nunc hostiũ telis, nunc Gallorũ insidijs petitus euaserat, parum abfuit quin vnius iuuenis manu inter epulas mensasq; necaretur. Postero die frequens senatus Annibali datus est à Campanis, in quo ille gratissimis verbis audientium impleuit aures, multa promittens, multa suadens, quæ facilè credebant Campani, propterea'que sibi opinionis errore de Italiæ

princi-

principatu sperabant. Quare ita turpiter se submiserunt Pœno, vt quasi libertatis obliti, non socium in urbem, sed dominum accepisse viderentur. Quinetiam præter alia, petenti Annibali sibi tradi Decium Magium principem factionis aduersæ, non modò seruili decreto est senatus assensus, sed etiam passus est, ut spectante populo catenis vinctus in castra duceretur, vir antiquę societatis memor, reiq; publicæ magis, quàm barbaris gentibus affectus ciuis. Dum hæc Capuæ geruntur, interim Mago Annibalis frater Carthaginem profectus felicissimæ victoriæ nuncium suis ciuibus detulit, res'que ab Annibale gestas magnificentissimis verbis in senatu exposuit, & ad faciendam fidem orationi suæ effundi iussit in vestibulo curię aureos annulos Romanis equitibus ademptos, quorum cumulum alij modij vnius, alij trium modiorum dimidijq; mensuram excessisse tradunt.

Equitum Rom. annulorum cumulus Cathaginem allatus.

Petitum deinde supplementum, concessumq; à senatu est maiore studio, quàm postea missum. Nam præsentibus rebus commoti Carthaginenses, vt initium lætum, sic prosperum belli finem sibi animis proponentes, faucdum Annibali, delectum habendum, perseuerandumq; in armis censuerunt: vno tantum repugnante Hannone perpetuo hoste factionis Barchinæ, cuius salutare consilium pacem suadens cùm aliàs sæpe, tum eo tempore maximè posthabitum reiectum'que à Pœnis est. Annibal post societatem cum Campanis initam, ad vrbem Nolam exercitum admouit, oblata sibi spe per voluntariam deditionem illius oppidi potiundi. Nec eum fefellisset opinio, nisi prætor Marcellus concitatam multitudinem subito aduentu repressisset, succedentemq; mœnibus hostem tribus portis eruptione facta, cum magna cæde in castra adegisset.

Marcelli laus.

Hic est Marcellus vir bello insignis & militari gloria clarus, qui primus magnitudine quadã animi atque ingenij Annibalem docuit posse vinci. Posthæc Annibal rem Nolanã in aliud tempus differendam ratus, Acerras petit, nullo negocio vrbem capit, diripitq;. Maiore deinde conatu Casilinum aggressus, locum ad nocendum Capuæ peropportunum, cùm oppidanos Prænestinosq; qui ibi præsidio erant, neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permouere posset, exiguam partem copiarum ad obsidendum oppidum reliquit, ipse reliquum exercitum in hyberna deducit. Capuam autem locum statiuis deligit, vrbem amœnam & omni deliciarum genere abundantem. Ibi miles assuetus sub diuo vitam agere, frigus, famem, sitim patienti animo tolerare, cùm variæ species voluptatum sibi quotidie offerrentur, breui ex strenuo ignauus, ex forti timidus, ex solerti iners mollisq; euasit. Corrumpunt enim blandæ voluptates omne robur animi, indolemq; virtutis, ingenium labefactant, consilium eripiunt: quo quid perniciosius humano generi afferri potest? Meritò igitur Plato escam malorum appellat voluptatem.

Voluptas malorum esca.

Et in præsentibus rebus Campanæ deliciæ magis quàm Alpium iuga, quàm armati Romanorum exercitus, Pœnis obfuerunt. Nam vna hyems segniter molliterq; acta, tantũ valuit ad extinguẽdum vigorem animorum, vt milites principio ueris in campum progresi, omnis virtutis bellicæ obliti viderentur.

Casilinum obsidetur.

Annibal exacta hyeme ad Casilinum reuertitur, sperans oppidanos post tam longam obsidionem etiam inuitos in suam potestatem venturos. At hi etsi omnium rerum inopia laborarent, tamen constituerant animis extrema etiam experiri, priusquàm se crudelissimi hostis fidei arbitrioq; permitterent. Quamobrem farre primum, nucibus deinde per Vulturnum à Romanis acceptis, rem cousque extraxere, vt confectus tædio Annibal, pactione, quod antea recusauerat, oppidum reciperet. Cæterum hoc bellum in quo mira felicitate omnia propè læta sequundaq; euenerant Pœnis, nulla tot victorijs intercedente clade memoriæ digna, cœpit per id tempus varios euentus variamq; rerum conditionem sortiri. Nam societas inita cum Philippo Macedonum rege, & supplementũ à Carthagine missum, & Petilia, Consentia, aliæ'que in Brutijs expugnatæ vrbes, spes Carthaginensium confirmabant. Ex altera parte Romani, maximis prælijs in Hispania Sardiniaq; hostibus fusis, animos vehementer erexerant ad spem bene gerendæ rei.

Tres Romani duces insignes.

Præstantissimos eo tempore quæsiuerant duces, Fabium Maximum, Sempronium Gracchum, & M. Marcellum, virum omni bellica laude dignum, qui ita impigrè rem Romanam administrabant, vt sentiret Pœnus sibi cum acerrimo simul prudentissimo'que hoste bellum esse gerendum. Primum enim apud Cumas à Sempronio Graccho magna suorum cæde repulsus, coactus est obsidionem relinquere: paulo'que pòst apud Nolam iusta acie cum Marcello magnam plagam accepit. Nam ex Romanis citra mille, ex Pœnis sex millia partim prælio cæsa, partim in fuga capta dicuntur. Hæc autem pugna quanti momenti fuerit, facilè ex eo intelligi licet, quòd extemplò Annibal Nolæ oppugnatione omissa,

Apuliam

Apuliam petens, militem in hyberna deduxit. His factum est vt veluti ex graui morbo respirantes Romani, summis viribus aduersus hostem contenderent, iamq; non solùm tueri sua, sed etiam aliena aggredi auderent. Maximè verò conuersi erant ad Capuam oppugnandam, refricante animos frequēti Campanorum iniuria, quòd extemplò post Cannensem pugnam, alienißimo reipublicæ tempore defecerāt ad victorem Pœnum, multorum beneficiorum obliti, quæ olim Romani in eam ciuitatem contulerant. Campani contrà sui delicti conscij, nouoq; apparatu Romanorum perterriti, ad Annibalem in Apuliam mittunt oratum, vt maximè necessario tempore sociæ vrbi subueniat. Is nulla interposita mora, ex Apulia profectus, magnis itineribus in Campaniam uenit, castrisq; ad Tifata super Capuam positis, magis distulit in aliud tempus, quàm prohibuit imminentem pestem Campanis. Sed cùm crebris excursionibus per agrum Neapolitanum vagaretur, oblata est illi denuò spes Nolæ per proditionem occupandæ. Erat enim in ea vrbe, sicut in plerisque Italiæ ciuitatibus, plebs à senatu diuisa. Multitudo auida nouarum rerum Annibali, optimates meliores consilio, populo Romano fauebant. Pœno igitur ad occupandam Nolam proficiscenti, vt aliàs sæpe, sic etiam tunc, cum instructis copijs Marcellus occurrit, primo'que congressu prælium committere non dubitauit. In quo superior Romanus tanta alacritate hostem reiecit, vt satis appareret eo die calamitosam fuisse Carthaginensibus futuram pugnam, si equites diuerso itinere profecti, vt à Marcello institutum erat, in tempore adfuissent. Annibal non sine magno detrimento copijs in castra reductis, paulò pòst ex eo loco proficiscitur, atque in agrum Salentinum exercitum ducit. Nam quidam iuuenes Tarentini in aduersis prælijs Romanorum iam pridem capti, liberaliter'que dimißi, cùm in referenda gratia memores esse vellent, spem Tarenti recipiendi Annibali fecerant, si propius vrbem exercitum admouisset. Quorum pollicitationibus compulsus Pœnus, omnibus modis huic rei studendum censuit, vt quod multò antè animo concupiuerat, aliquo maritimo oppido potiretur. Erat autem ex maritimis vrbibus nulla alia Tarento commodior ad auxilia ex Græcia accersenda, & multa in exercitum transportanda, quæ indies ad necessarium vsum expetebantur. Verùm etsi aduersante Romanorum præsidio res in longum protracta sit, tamen non prius ab incepto destitit Annibal, quàm Nico & Philomenus autores defectionis prodiderunt vrbem. Arx solum à Romanis retenta, quæ tribus ferè partibus mari alluitur: reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra, quam murus & fossa muniebat. Ab hac parte Annibal frustra expugnationem expertus, cùm strenuè defenderetur, fauces Tarentini portus impedire instituit, ratus hanc vnam superesse viam, qua Romani commeatu exclusi ad deditionem compellantur. Sed difficile opus apparebat futurum, cùm claustra portus posiderent hostes, & naues quibus exitus obsidendi erant, exiguo spacio inclusæ tenerentur. Has ex portu cui arx supererat, subducere oportebat, & in proximum mare deferre. Nemo ex Tarentinis reperiebatur, qui rationem huius rei explicandæ in medium afferret. Annibal tantum, cùm optarent reliqui, vnus vidit naues machinis ex portu subduci, plaustris'que impositas per mediam vrbem ad mare deferri posse. Itaque adhibita solertia hominum, paucis pòst diebus subductæ naues, in altum delatæ contra fauces portus stetere. Annibal recuperata post centesimum propè annum, quàm in Romanorum potestatem uenerat, Tarentina vrbe, & arce terra mari'que obsessa, in Samnium redijt. Nam consules Romani frumentatoribus Campanis oppreßis direptis'que, ad Capuam duxerant legiones, ac omnia studia belli in expugnationem eius vrbis intenderant. Quamobrem Pœnus cogitationem Campanæ rei studio ingenti suscipiens, cum omnibus copijs aduersus hostem contendit, breuiq; interiecto spacio, non detrectantibus pugnam Romanis, utrique in certamen progrediuntur, præliumq; insigne apparebat futurum, nisi eodem tempore Sempronianus exercitus, qui Sempronio Graccho in Lucanis amisso à Cn. Cornelio in Campaniam ducebatur, certantes diremisset. His enim copijs procul visis, priusquam discerneretur quis esset, territi Romani pariter Pœniq;, copias in castra redu cunt. Post hæc consules vt Capua auerterent Pœnum, cùm diuersas regiones alter Lucaniam, alter Cumas petijssent, Annibal in Lucanos profectus, occasionē cepit cum M. Centenio confligendi, qui temeritate atq; audacia insignis, exercitū sibi à senatu parum prudenter creditum callidißimo hosti obiecit. Commisso prælio Centenius audacißimè pugnans occiditur, ex reliquis pauci euadunt. Accesit tunc ad hoc incommodum, vt Annibal paulò pòst in Apuliam proficiscens, alium exercitum Romanorum, cui præerat

Neapoli factiones duæ.

Tarentum ab Annibale capitur.

erat Fuluius prætor, insidijs circumuentum profligaret, deleretq;. Nam ex viginti millibus hominum, cùm ad libidinem crudelissimi ducis trucidarentur, vix duo millia superfuere. Consules inter hæc ex discessu Annibalis occasionem nacti, cum omnibus copijs ad Capuam redeuntes, vndiq; cinxerunt vrbem. Quod vbi Annibal cognouit, cum expedito exercitu in Campaniam profectus, primo aduentu castra Romanorum inuadit: monitis antè Campanis, vt eodem tempore eruptionem faciant. Imperatores Romani ad primum tumultum hostium, partitis inter se copijs obuiam progrediuntur. Campanis nullo negocio in urbem compulsis, durior aduersus Pœnum dimicatio fuit, qui cùm aliàs sæpe, tum eo die acerrimum imperatorem se præstitit in prælio conserendo. *Annibalis stratagema.* Tentauit etiam si qua fallacia capere hostem posset. nam cùm sui castra Romanorũ irrumpere conarentur, misit quendam Latinę peritum linguæ, qui iussu consulum alta voce denunciaret Romanis, vt castris iam propè amissis, in proximos montes confugerent. Vox inopinata facilè audientes mouisset, nisi Romani Punicis dolis assueti cognouissent fraudem. Itaq; celeriter se inuicem confirmantes, hostem pedem referre, seq; in castra recipere coegerunt. Annibal tentatis omnibus modis, cùm videret nullam sibi facultatem relinqui, qua duces Romanos à Capua remoueret, pro sociorum periculo anxius, confugit ad iam multò antè agitatum, & veluti ad extremum reseruatum cõsilium. Cunctis enim necessarijs comparatis, castra mouet, & quanto maximè silentio potest, transmisso Vulturno amne, per agrum Sidicinum, Alifanum, Casinatem, infestis signis Romã petit: ratus aut hac via aut nulla alia, solui tam pertinacem obsidionem posse. Quod ubi Romam certis autoribus nunciatum est, tantus repentè terror inuasit, vt rarò sit vnquam intra mœnia vehementius trepidatum. Cernebant enim acerrimum hostem, quem toties in magnis reipublicæ malis experti erant, infesta iam patriæ signa inferre, & quem absentem sustinere non poterant, præsentem senatui populoq; Romano seruitutem minari. Igitur in tam trepida re placuit, ut Fuluius Flaccus alter ex ducibus Romanis à Capua accersitus, & consules noui Sulpitius Galba, & Cornelius Centimalus extra vrbem haberent castra, & C. Calphurnius prætor valido præsidio Capitoliũ tueretur, & hi ciues qui summos magistratus gessissent, repentinos tumultus autoritate imperioq; sedarent. *Annibal Romã inuadit.* Annibal continuato itinere, non prius constitit, quàm ad Anienem, tria millia passuum ab vrbe posuit castra, pauloq; pòst cum duobus millibus equitum ex eo loco profectus, ita vrbi appropinquauit, vt à porta Collina vsque ad templum Herculis obequitans, situm mœnia que tam amplæ ciuitatis non solùm spectaret, sed etiam ociose contemplaretur. Quem conspicatus Fuluius Flaccus, ferre indignitatem non potuit. Itaque celeriter Romanos equites aduersus hostem immisit, qui vt imperatum erat, magno impetu prelium ineuntes, facilè ex eo loco summouerunt Pœnum. Sequenti die Annibal exercitum ex castris educit, aciem instruit, nullam dimicandi moram facturus, si allicere hostem ad certamen posset. Idem Romani faciendum, & prelium committendum putant. Quare progrediuntur in campum armatæ vtrinq; copiæ, tanta alacritate animorum, vt nullum periculum recusaturæ viderentur pro eius diei victoria cõsequenda. Etenim Carthaginenses de imperio orbis terræ, quod in eo ueluti supremo certamine collocatũ putabant, Romani de patria, de libertate, de bonis omnibus, vtrum sua vel in hostium potestate futura essent, paulò pòst dimicaturi erant. Sed accidit res memoratu digna. *Prodigium.* Nam dum parati in armis signum dimicandi expectant, repentè superuenit imber frequentibus procellis effusus: cuius tanta vis & asperitas fuit, vt cogeretur quisque militē in castra reducere. Proximo quoque die, in quem pugna dilata videbatur, rursus in aciem vtrisq; exeuntibus, similis tempestas exoritur, quæ non minus quàm superior Romanos pariter ac Pœnos afflixit, compulitq;, vt instantis dimicationis obliti, de salute tantũ & fuga cogitarent. Hæc animaduertens Annibal, conuersus ad suos exclamasse dicitur, modò sibi mentem potiundæ vrbis Romę, modò facultatem non dari. Id quoq; turbauit Pœnum, quòd se tantis equitum peditumq; copijs ex propinquo Romam vrgente, supplementum in Hispaniã missum, & agrum in quo ipse cõstiterat, longè maiore precio quàm par erat, emptũ fuisse cognouit. Quare indignatione accensus, argentarias officinas ciuium Romanorum per præconem uænire iussit. Verùm post hæc, siue animo reputans quantę molis esset expugnare Romanam vrbem, siue inopiam frumenti metuens (decem enim dierum secum cibaria tulerat) castra mouere constituit. Itaque ex eo loco decedens, ad lucum Feronię se recipit, ac templum quod ibi opulentissimum fuisse tradunt, diripit: paulò que pòst in Brutios Lucanosq; contendit. Quod vbi Capuani cognouere, desperantes de summa

rerum,

rerum, dederunt vrbem Romanis. Sic igitur Capua recepta & in Romanorum potestatem redacta, magnum momentum apud omnes Italiæ populos, magnumq́ nouarū rerum desiderium fecit. Mouit etiam animos gentium ipse Annibal hostis, qui multa oppida quæ tueri non poterat, malo consilio diripi vastariq́ iussit. Nam vt antea sæpe victor, plerisq́ captiuis sine precio dimissis, multorum voluntates liberali officio deuinxerat, sic etiam per id tempus inhumana quędam illius crudelitas causa fuit, vt multę vrbes Punici imperij pertæsæ in Romanorum fidem redirent: quarum in numero Salapiam fuisse tradunt, quæ autore Blacio principe factionis Romanæ, prodita consuli Marcello est, & lectissimorum equitum ala quæ vrbi præsidio erat, propè ad internecionem deleta. Hæc est vrbs in qua scriptores nonnulli Pœnum amore cuiusdam puellæ captū fuisse tradunt, & immodicam cupiditatem viri calumnijs prosequuntur. Alij sunt qui huius ducis modestiam efferentes, nec primum cùm bellum in Italia gessit, nec postea cùm in Aphricam rediit, aut cubantem cœnasse, aut plusquàm sextario vini indulsisse dicunt. Quidam etiam reperiuntur, qui Annibali crudelitatem, perfidiam, aliaq́ eiusdem generis vitia tribuentes, nullam de pudicitia aut impudicitia hominis mentionē faciūt. Vxorem tantùm ei fuisse scribunt Hispani generis ex Castulone non ignobili oppido, cui ob egregiam eorum hominū fidem, Carthaginenses indulgebant pręcipuè & confidebant maximè. Verùm, vt suprà ostendimus, Annibal amissa Salapia, paulò pòst occasionē habuit longè maiorem quàm acceperat, reddendi Romanis cladem. Nam per id tempus Fuluius proconsul apud Herdoneam sedebat, sperans se vrbe sine vllo certamine potiturum. Sed quia nullus in propinquo esset hostiū metus (concesserat enim in agrum Brutium Annibal), negligenter obibat munera vigiliarū, atq́ in omni administratione belli indignam Romano duci segnitiem præstabat. Hanc negligentiā cùm per occultos exploratores cognouisset Pœnus, nō putauit occasionem negocij bene gerendi, sibi omittendam esse. Itaque in Apuliam cum expeditis copijs profectus, tanta celeritate ad Herdoneam venit, vt parum abfuerit, quin Fuluium nil tale opinantem in ipsis castris opprimeret. Romani tamen ingenti animorum fiducia primum impetum excipientes, pugnā diutius quàm par erat extraxere. Demum sicut biennio præterito circa ea loca duce alio Fuluio, sic etiam auspicio huius Fuluij proconsulis victæ superatæq́ Romanæ legiones profligantur, & dux ipse cum magna parte copiarum occiditur. Erat per id tempus in Samnio Marcellus consul, quò cùm esset nunciata clades imprudentia ducis accepta, quanquàm serum auxilium perditis rebus allaturus videbatur, tamē cupiens quod proximum auxilio erat, detrimentum sarcire, in agrum Lucanum (eò enim post victoriam se receperat Annibal) exercitum ducit, castrisq́ in cōspectu hostium positis paulò pòst in aciem descendit: nec Pœni dimicationem sibi fugiendam putant. Prælium extemplò committitur tanta obstinatione animorum, vt æquis propè viribus vsq́ ad occasum solis certatum sit. Nox dubiæ pugnæ finem fecit. Postero die Romani iterū in aciem exeuntes, timoris cōfessionem expresserunt hosti. Annibal enim suos intra vallum tenuit, & sequenti nocte silenti profectus agmine, in Apuliam venit. Marcellus quoque per vestigia sequutus Pœnum, occasionem quærebat, ut aliqua memorabili pugna de summa belli decerneret. Iam enim sibi persuaserat, maximè ex Romanis ducibus se consilio, solertia, disciplina, ac omni munere militiæ conferendum Annibali esse. Sed tempus iam instantis hyemis impedimento fuit, ne iusta acie cum hoste contenderet. Nam leuibus quibusdam commissis prælijs, cùm non fatigandi milites frustra viderentur, in hyberna concessit. Principio veris partim literis Fabij, qui alter ex nouis consulibus eius anni erat, partim natura sua excitatus, celerius opinione omnium ex hybernis egreditur, & aduersus sedentem eo tempore ad Canusium Pœnum, exercitum ducit. Factum est autem propinquitate castrorum & certandi studio, ut paucis diebus ter collatis signis acie dimicarent. Primo die cùm pari propè spe vsque ad noctem perduceretur pugna, & ad neutram partem victoria inclinaret, vtrique veluti ex composito se in castra recipiunt. Secundo die superior Pœnus, duobus propè millibus & septingentis ex hostibus cæsis, reliquas copias in fugam vertit. Tertio die Romani diluendæ ignominiæ cupidi quam ex proximo detrimento acceperant, primi pugnam exposcunt, & à Marcello in aciem deducuntur. Cuius ferociam admiratus Annibal, dixisse traditur, Rem cum eo hoste sibi esse gerendam, qui nec victor, nec victus quiescere posset. Præliū deinde atrocius quàm vllum ex superioribus fuit, nitentibus Romanis recens incommodum resarcire, Pœnis verò indignātibus, quòd nuper victi, victores vltrò ad pugnam prouocarent. Tandem

Salapia vrbs in qua Annibalis amores.

Fuluij cædes.

Varia Romanorū cum Annibale certamina.

Romani à Marcello increpiti monitiq; vt darent operam, vt non antè cladis quàm victoriæ nuncius Romam veniret, gradum acriùs intulere, nec priùs dimicationi finem fecere, quàm triplicata propè illata clade, hoſtem in fugam conijcerent. Sub idem tempus ſimili propè ratione qua amiſſum fuerat, Fabius Maximus Tarentum recepit. Quod vbi Pœno nunciatum eſt, dixiſſe eum tradunt: Et Romani ſuum Annibalem habent. Sequenti anno Marcellus & Criſpinus creati conſules, omnibus viribus incumbentes ad bellum, duos conſulares exercitus aduerſus hoſtem ducunt: quos Annibal æquo campo ſuſtinere poſſe diffidens, cùm aliàs ſæpe, tum eo tempore omne ingenium adhibendum putauit, vt hoſtem quem aperto Marte ſuperare non poterat, dolis caperet. Hęc cogitanti longè maior quàm auſus eſſet optare, occaſio gerendæ rei obijcitur. Syluestris erat tumulus medius penè inter Punica & Romana caſtra, ſub quo turmæ quædam Numidarum latebant, iuſſu Annibalis opportunis locis conſtitutæ, vt aliquos ex hoſtibus vagos palanteſq; exciperent. Ex altera parte conſules communi omnium voce & ſententia moti, viſendum hunc tumulum, deinde ſi opus foret, occupandum cenſent, ne eo neglecto potiantur hoſtes, & ſuis deinde ceruicibus immineant. Sed priuſquàm exercitum moueant, vt ſpeculentur naturam loci, ambo ex caſtris exeunt, & eò cum paucis equitibus proficiſcentes, incautiùs quàm tantos viros decebat, in præparatas inſidias incidunt. Momento temporis circumuenti, cùm neq; perrumpere à fronte poſſent, & à tergo cæderentur, neceſsitate magis quàm conſilio prælium ineunt, in quo Marcellus egregiè pugnans occiditur, & Criſpinus vulneratus vix tantum ſpacij adeptus eſt, vt ſe ex manibus hoſtium eriperet. Annibal poſtquàm M. Marcellum, qui maximè ex Romanis ducibus repreſſerat curſum victoriarum ſuarum, interfectum audiuit, ſubitò in collem vbi pugnatum fuerat, tranſtulit caſtra: ibi inuentum Marcelli corpus honorificentiſsimè ſepeliri iuſsit: ex quo percipi licet, quantū valeat apud omnis generis homines animi magnitudo excellentiaq; virtutis, cùm interitum præſtantiſsimi ducis ne crudeliſsimus quidem hoſtis honore ſepulturæ paſſus ſit carere. Romani interim altero conſule amiſſo, altero ſaucio, extemplo ſe in proximos montes receperant, & in loco tuto poſuerant caſtra. Ipſe autem Criſpinus ad vicinas ciuitates montium miſerat, quia collega interijſſet, & annulo eius potitus eſſet hoſtis, à literis nomine Marcelli compoſitis vt cauerent. Salapiam iam Criſpini nuncius venerat, cùm literæ ab Annibale afferuntur, ſignificantes Marcelli nomine ſe eò proxima nocte venturū. Salapitani cognita fallacia viri, nuncioq; remiſſo, intentiſsima cura hoſtium aduentum expectant. Quarta vigilia Annibal ad vrbem venit. In primo agmine locati ex induſtria erant perfugæ Romanorum, vt latinè loquentes fidem facerent Marcellum adeſſe. Horum cùm ad ſexcentos oppidani introduxiſſent, clauſa porta reliquas copias telis repellunt, introductos ad internecionē cędunt. Ita Annibal irriti incœpti pertæſus, caſtra mouet, & in Brutios proficiſcitur, vt Locrenſibus terra mariq; à Romanis obſeſsis auxilium ferat. Poſthæc ingenti cura patrum plebiſq; noui conſules facti duo peritiſsimi belli duces, Marcus Liuius & Claudius Nero, qui partitis inter ſe copijs in prouincias proficiſcuntur: Claudius in Salentinos, Liuius in Galliam contendit aduerſus Aſdrubalem Barchinum, qui ſuperatis Alpibus, ingentibus peditum equitumq; copijs iungere ſe fratri properabat. Accidit autem per id tempus, vt Annibal magnis afficeretur incommodis à Claudio conſule, qui primùm in Lucanis, adhibitis etiam Punica arte inſidijs, hoſtem fudit. Deinde in Apulia prope Venuſiam Pœno congreſſus, tumultuariam pugnam tanto impetu conſeruit, vt magnum numerum hoſtium interficeret. Quo detrimento affectus Annibal, extemplò ad reparandum exercitum Metapontum ſe contulit: ibi paucos moratus dies, copias ab Hannone accipit & ſuis adiungit, ac rurſus Venuſiam repetit. Claudius non longè à Venuſia habebat caſtra, & interceptis hoſtium literis cùm Aſdrubalem appropinquare cognouiſſet, dies nocteſq; agitabat animo, quibus modis efficere poſſet, ne tantorum ducum copiæ ſimul iungerentur. Itaque omni ratione ſubducta, conſilium cepit periculoſum, ut apparebat, futurum, ſed forſitan eo tempore neceſſarium. Nam ſub legati cuſtodia caſtris relictis, ipſe cum parte exercitus magnis itineribus in Picenum profectus, ſexto die Senam peruenit. Ibi conſules ambo iunctis copijs propter Metaurū flumen Aſdrubalem adorti, ſecundiſsimo prælio conflixerunt. Ad quinquaginta ſex hoſtium millia eo die cæſa dicuntur, paremq; propè aiunt acceptæ ad Cannas, redditam hoſti cladem. At Claudius Nero poſt hanc memorabilem victoriam non minùs celeriter quàm profectus erat, Venuſiam repetens, caput Aſdrubalis prope ſtationes hoſtium poni, captiuoſq;

Annibal inſidias ſtruit Romanis.

Marcelli interitus.

Virtutis vis.

Salapitanorum aſtus.

Sena vrbs Apuliæ.

uos'que dimitti iuſsit, qui tantæ calamitatis nuncium ad Pœnum deferrent. Nam eum ignorare compertum eſt, quæ parata primùm occultis conſilijs, quæ deinde acta proximis diebus fuerant. In quo mirari libet, callidiſsimi ducis ſolertiam ſic deceptam fuiſſe à Claudio in tam modico caſtrorum interuallo, vt priùs cæſum cum omnibus copijs fratrem, quàm profectum reuerſumq́ꝫ in caſtra conſulem Romanum ſciret. Verùm Annibal hoc tam ingenti non ſolùm publico, ſed etiam priuato perculſus vulnere, viciſsitudinem Carthaginenſium rerum ſe agnoſcere inquit, pauloq́ꝫ pòſt ex ijs locis profectus, in agrum Brutium ſe recepit. Non enim latebat peritiſsimum ducem, quantū acceſsionis Romanæ rei ea plaga ad Metaurum accepta, quantumq́ꝫ momenti ad ſummam vniuerſi belli factura eſſet.

Carthaginenſiū rerum viciſsitudo.

Ipſe tamen omnibus viribus, quæ ſibi in Italia poſt tot conſerta prælia, tot expugnatas vrbes relinquebantur, ſimul collectis, inuicto animo per id tempus bellum ſuſtinuit. Et quod mirum cuique videri debet, exercitum ex Hiſpanis, Aphris, Gallis atque ex alijs gentibus miſtum, ſic concordem ſiue autoritate ſiue prudentia tenuit, vt ne minima quidem ſeditio diſſenſio'ue militaris ſit in caſtris audita. Nec iam Romani Sicilia, Sardinia, Hiſpanijsq́ꝫ receptis, hunc hoſtem aut in Italia delere, aut ex Italia deducere priùs potuerunt, quàm in Aphricam mitterent P. Cornelium Scipionem, qui ex propinquo inferens Pœnis arma, in tantū diſcrimen rem Carthaginenſem impulit, vt extemplò neceſsitate coacti Annibalem ex Italia reuocarent.

P. Cornel. Scipio Carthaginem inuadit.

Erat per id tempus, ſicut antè dictum eſt, in agro Brutio Pœnus, ac excurſionibus magis quàm iuſtis prælijs gerebat bellum, niſi quod aliquando cum Sempronio conſule tumultuariam pugnam conſeruit, nec multo interiecto ſpacio cum eodem iuſta acie dimicauit. Primo certamine Pœnus, ſecundo Romanus ſuperior fuit. Nec iam vltrà in Italia quicquam memoria dignum apud Græcos Latinosq́ꝫ autores ab Annibale geſtum comperio. Iuſſu enim Carthaginenſium in Aphricam accerſitus, poſt ſextum & decimum huius Punici belli annum Italiam reliquit, multùm priùs de ſenatu Carthaginenſi, multùm etiam de ſeipſo queſtus.

Annibal in Aphricā reuocatur.

De ſenatu quidem, quòd ſe tam diuturno tempore in hoſtili commorantem terra, parum ſupplemento, pecunia, & cæteris rebus quæ ad vſum belli expetebantur, adiuuiſſet: de ſe verò, quòd toties Romanis legionibus fuſis cæſis'que, moram ſemper poſt victoriam trahens, ſpacium dediſſet hoſti ad reſpirandum. Memoriæ quoque proditum eſt, eum priuſquàm claſſem conſcenderet, prope Iunonis Laciniæ templum arcum condidiſſe Punicis Græcis'que literis inſculptum, in quo res à ſe magnificè geſtæ ſummatim continebantur.

Annibalis arcus.

Decedens autem ex Italia Annibal, ſatis proſpera nauigatione vſus, paucis diebus Leptim tenuit, ac omnibus copijs in terram expoſitis, Adrumentum primò, atque inde Zamam profectus, cùm cognouiſſet quo in ſtatu res Carthaginenſium eſſent, commodiſsimum eſſe ſtatuit de finiendo bello conſilium inire. Itaque placuit ei vt ad Scipionem mitteret, qui ab eo poſtularēt, ut aliquem locum medium vtriuſque colloquio deligeret, velle ſeſe de ſummis rebus cum eo agere. Nec ſatis conſtat, vtrùm iuſſu ſenatus, an priuato conſilio id factum à Pœno ſit. Colloquij renuendi Scipioni cauſa non eſt viſa. Quamobrem conſtituto die conuenere in patenti campo cum ſingulis interpretibus duo celeberrimi duces, & potentiſsimarū gentium imperatores, diuerſis ſententijs de pace & bello ſermonem habituri.

Annibalis & Scipionis congreſſus.

Nam Annibal maximè ad pacem inclinauerat animum, quòd cernebat rem Carthaginenſium deteriorem indies fieri, Siciliam, Sardiniam, Hiſpanias iam eſſe amiſſas, bellum ex Italia in Aphricam translatum, Syphacem potentiſsimum regem à Romanis captum, omnem ſpem ſalutis in his copijs eſſe repoſitam, quas ipſe velut diuturni belli reliquias ex Italia traieciſſet, quibus ſi quid duriùs contingeret, vix tantum Carthaginenſibus vel externi vel ciuilis roboris ſupereſſe, vt ad tuenda Carthaginis mœnia ſufficere poſſet. Igitur longa oratione vſus, vehementiſsimè contendit Scipionem in eam ſententiam trahere, vt pacem quàm bellum mallet. Sed Scipio cùm in magna ſpe eſſet conficiendi belli, à pacis conſilijs abhorrere videbatur. Itaque poſt longum ſermonem vltrò citroq́ꝫ habitum, re infecta ex colloquio diſceſſerunt. Nec multo interiecto ſpacio, prælium illud memorabile apud Zamam conſeruerunt, quod ſecundiſsimum Romanis accidit.

Pugna ad Zamam.

Primo concurſu, elephanti Carthaginenſium in ſuos conuerſi, equitatum Annibalis perturbarunt, & Lælius ac Maſiniſſa ex vtroque cornu pauorem augentes, nullum equitibus ſpacium dederunt vt ſe ex fuga reciperent. Pugnatum eſt tamen à pedeſtri acie diu atque acriter, cùm Pœni ſuperioribus victorijs freti, in ſuis dextris totius Aphricæ ſalutem collocatam putarent, Romani autem animo pares, ſpe etiam ſuperio-

res essent. Sed Romanis non mediocre momentum ad victoriam fuit, quòd Lælius ac Masinissa profligatis equitibus, opportunè in prælium redeuntes maximum terrorem iniecerunt hosti. Eorum enim aduentu celeriter factum est, vt Pœni remittentes ardorem pugnæ, nullum saluti suæ, præterquàm in fuga remedium quærerent. Supra viginti millia hostium eo die à Romanis cæsa, totidem propè capta dicuntur. Ipse Annibal dux ad vltimum euentum pugnæ moratus, è media cæde cum paucis effugit. Accersitus deinde Carthaginem vt labenti reipub. subueniret, ostendit senatui nullam spem in armis vlteriùs esse ponendam, suasitque, vt postpositis cæteris rebus, mitteret ad imperatorem Romanum, qui quacunque ratione possent, de pace agerent. Missi decem legati, cùm pacis conditiones Carthaginem retulissent, ferunt Gisgonem quendam paci aduersantem, sententiam dixisse de renouando aduersus Romanos bello: quæ cùm à multis audiretur, indignatus Annibal eo tempore ab imperitis viris talia iactari, dicentem adhuc hominem ex superiore loco deturbauit. Et cùm hoc audax negocium ac libera ciuitate indignum visum multitudini esset, suggestum ascendens, Neminem, inquit, indignari oportere, si is qui à prima pueritia à Carthagine profectus, in bello & armis ætatem egisset, vrbanas consuetudines ignoraret. Post hæc de conditionibus pacis ita prudenter disseruit, vt extemplò Carthaginenses tanti viri autoritate commoti, accipiendas eas leges quas victor & necessitas daret, censerent. Fuerunt autem conditiones admodum duræ, quales victores victis in extremis rebus imponere consueuere. Sed præter cætera Carthaginenses annuum stipendium populo Romano vsque ad certum tempus soluere tenebantur. Cùm venisset dies in quo prima pensio conferenda Romanis erat, & ingemiscerent omnes ad vocem tributi, ferunt Annibalem commotum inutili lamentatione Pœnorum risum effudisse, & increpitum ab Asdrubale Heduo, quòd in communi totius ciuitatis mœstitia tam effusè lætaretur, respondisse, non lætantis hominis illum esse risum, sed eorum inanes lachrymas deridentis, quæ eo tempore in leuiore malo, quod cuiusque priuati ciuis pecuniam tangeret, potiùs manarent, quàm antea cùm Romani classes, arma, & amplissimarum victoriarum spolia Carthaginensibus detrahebant, victisque imponebant leges. Non me præterit autores esse, qui dicant Annibalem veritum ne petenti Scipioni dederetur, statim re malè gesta in Asiam profugisse. Sed vtrùm subitò hoc factum fuerit, an aliquantò post prælium illud ad Zamam commissum, parum referre arbitramur, cùm satis constet, eum desperatis rebus in Asiam profectum, exilioque mulctatum ad Antiochum peruenisse. Fama quoque haud dubia est tam hospitaliter tamque honorificè acceptum esse à rege, vt statim publicis pariter ac priuatis consilijs adhiberetur. Erat enim Annibalis nomē magna apud omnes gloria: communis insuper accedebat ira, communeque in Romanos odium: vehemens stimulus ad excitandum bellum. Quare opportunè accessisse videbatur, non solùm ad inflammandum animum regis, sed etiam ad aperiendam viam gerendi aduersus Romanos belli, quam vnicam tantùm esse dicebat, si arma in Italiam transferrentur, & Italici generis compararentur milites, quibus solis victrix aliarum gentium prouincia superari posset. Centum nauium classem, decem & sex millia peditum, mille equites petebat à rege. His copijs se Italiam intraturum pollicebatur, ac turbaturū Italicas gentes, quas sciret ob recentem memoriam Punici gesti belli vehementer horrere Annibalis nomen. Spem insuper afferebat de Punico renouando bello, si per regem sibi liceret Carthaginem mittere, qui factionem Barchinam concitarent, atque eorum animos permouerent, quibus imperium populi Romani erat inuisum. Assentiente rege, Aristonem quendam Tyrium delegit, hominem callidum & idoneum ad hoc negocium conficiendum. Huic magnis prēmijs pollicitationibusque persuasit, ut Carthaginem peteret, amicos conueniret, & mandata quædam verbis suis ad eos deferret. Ita Annibal patria exul per totum orbem terrarū aduersus Romanos concitabat bellum. Nec iam inanes eæ cogitationes videbantur futuræ, si Antiochus vt ab initio cœpit, sic etiā postea ei magis quàm adulatoribus & purpuratis suis fidem præstitisset. Sed inuidia, quam plerunque regiæ domus alunt, multos Annibali aduersarios peperit: qui cùm vererentur, ne callidus imperator his consilijs aucupando gratiam regis, in maximam autoritatis & potentiæ gradum ascenderet, eum suspectum reddere nitebantur. Accidit etiam per id tempus, vt P. Villius legatus Ephesum veniens, frequentem cum Pœno sermonem haberet: ex quo facilè data est obtrectatoribus criminandi facultas, & tanta suspicio de fide Annibalis Antiocho orta, vt omnino à consilio regio excluderetur. Sunt qui dicunt, eodem tempore P. Aphricanum vnum

Pacis Carthaginensium cum Romanis, conditiones.

Annibal in exilium, ad Antiochum.

vnum ex legatis ad Antiochum missum cum Pœno esse loquutum, & inter alia multa, ab Annibale petijsse, vt ex animi sententia diceret, quem maximum imperatorum fuisse censeret: Annibalem autem respondisse, primo loco Alexandrum Macedonū regem, secundo Pyrrhum Epirotam, tertio seipsum collocandum videri: ad hoc leniter arridentem Aphricanum dixisse, Quid censeres Annibal, si me vicisses? Me proculdubio, inquit, cunctis alijs imperatoribus anteferrem. Hoc responsum placuisse Scipioni ferunt, quòd se nec posthabitum, nec adhibitum in comparationem, sed veluti incomparabilem occulta quadam assentatione à Punico ingenio relictum videret. Post hæc Annibal occasionem nactus Antiochum alloquendi, iam inde à prima pueritia repetens, sic seipsum purgauit, sic de odio suo in Romanos disseruit, vt in pristinā gratiam regis, quam prope amiserat, amicitiamq; rediret. Itaq; rex constituerat animo hunc ducem cum regia classe in Italiam mittere, vt præstantissimi viri & perpetui hostis populi Romani, sicuti iam sibi persuaserat, animum ingeniumq; experiretur: sed vnus Thoas princeps Aetolorum huic sententiæ aduersatus, seu inuidia, seu quòd reuera ita agendum censeret, mutauit animum regis, & hanc deliberationem quæ magnum momentum ad bellum habitura videbatur, omnino euertit. Hortatus est enim Antiochum, vt in Græciā traijciens, ipsemet rem suam ageret, nec pateretur huius belli gloriam ad alium peruenire. Rex igitur persuasus paulò pòst in Græciam proficiscitur ad excitandum aduersus Romanos bellum. Vbi non longo interiecto spacio, cùm de concilianda Thessalorum gente communi consilio agitaret, Annibal nominatim sententiam rogatus, non tam de Thessalis quàm de summa rerum ita elato animo disseruit, vt approbationem omnium qui ibi aderant, assensumq; moueret. Non enim de Thessalis magnopere laborandum, sed curandum omnibus modis censuit, vt Philippus Macedonum rex aut in belli societatem veniret, aut neutri parti adhærens dimicationem ociosus spectaret. Adiecit præterea consilium de inferendo ex propinquo Romanis bello: suam quoq; operam ad id conficiendum amplissimis verbis pollicitus est & detulit. Auditus est Pœnus summa attentione, sententiaq; illius laudata magis, quàm postea re aut effectu comprobata. Ex quo plerique mirantur, hunc ducem qui tot annos cum populo Rom. omnium penè gentium victore certauerat, eo tempore posthabitum esse à rege, quo erat eius opera & consilium maximè expetendum. Quis enim in toto orbe terrarum callidior imperator reperiri poterat? quis ad gerendum cum Romanis bellum accommodatior? Hunc tamen posthabuit rex initio gerendarum rerum: nec multum tempus præterijt, cùm cæterorum consilia deridens, fassus est vnum Annibalem præuidisse ea quæ in rem essent. Nam cùm bellum in Græcia prosperè euenisset Romanis, cessit ex Europa Antiochus, & Ephesum se recepit, ibiq; solutus curis pacem animo destinabat, minimè credens timenda esse in Asia Romana arma. Nec deerat talia concupiscenti adulatorum assentatio, perpetuū malum regum, qui dum ea quæ volunt, libenter audiunt, se adulari sinunt, & falli æquo animo patiuntur. Sed Annibal cui nota erat potentia Romanorum, & dominandi cupiditas, regem monuit, vt de omnibus alijs præterquàm de pace cogitaret, Romanos crederet nunquam quieturos, nisi cùm experti essent, an sicut in Aphrica Europaq;, ita etiā in tertia parte orbis terrarum extendere fines imperij possint. Motus autoritate uiri Antiochus, extemplò Polyxenidam hominem sagacem & maritimis certaminibus assuetum, aduentanti Romanorum classi ire obuiam iussit, & Pœnum in Syriam misit, vt magnam vim nauium compararet. Huic deinde classi Annibalem ipsum & Apollonium quendam ex purpuratis suis præfecit: qui cùm audissent Polyxenidam cum Romanis congressum haud prosperè rem gessisse, prælium ipsi cum Rhodijs, qui socij erant populi Romani, committendum putarunt. Annibal in ea pugna Eudamum præfectum Rhodiorum à sinistro cornu inuadens, iam prætoriam nauim circumuenerat, & sine dubio superior erat, cùm ex alio cornu hostes fugato Apollonio aduolarunt, & victoriam propè iam certam ex eius manibus extorserunt. Post hanc naualem pugnam parum feliciter tentatam, nihil ferè memoria dignum ab Annibale gestum accepimus. Nam debellato Antiocho, Romani præter alias conditiones quas imposuerunt regi, Annibalem perpetuum suæ reipublicæ hostem sibi tradi postulabant. Hæc Annibal multò antè prospiciens, subitò post illam memorabilem pugnam ad Magnesiam commissam, qua regiæ opes conciderunt, ab Antiocho discessit, & longiùs erroribus euagatus, tandem ad Prusiam Bithyniæ regem confugit, non quòd in amicitia eius spem multam reponeret, sed quia per orbem terrarum longè terra mariq; dominantibus Romanis armis, lo-

Annibalis de imperatorū præstantia, iudiciū.

Antiochi de Annibale, iudicium.

cum magis neceſſarium quem poſſet, quàm tutum quem vellet, ſibi petendum cenſebat.

Annibalis ad euadendas inſidias, dolus.

Sunt qui victo Antiocho in Cretam profectum ad Gortynios Annibalem dicunt, ibiq́; extemplò vulgatum eſſe, cum magnam vim auri argentiq́; ſecum ferre, ex quo veritum ne Cretenſes ſibi manus inijcerent, tale remedium inueniſſe ad periculum euitandum. Amphoras plumbo aurato refertas in templo Dianæ collocari iuſsit, ſimulans ſe earum veluti theſauri ſui maximam curam ſolicitudinemq́; habere. Ex altera parte ſtatuas æneas quas pecunia impleuerat, domi abiecit. Dum illi templum cuſtodiunt, ne amphoræ ſe inſcijs auferantur, interim Annibal velis in altum datis in Bithyniam profugit. Eſt autem in Bithynia uicus iuxta littus maris, quem incolæ regionis Libyſſam appellant, de quo vulgatum carmen circunferri ſolitum aiunt: Corpus Annibalis Libyſſa tumulabit terra. Eo in loco diuerſabatur Pœnus, non inerti quidem ocio vitam agens, ſed in nautis, equis, ac militibus exercendis ſtudium adhibens. Dicunt autem ſcriptores quidam

Annibalis, commentum de ſerpentibus in naues coijciendis.

hoc tempore Pruſiam gerentem bellum cum Eumene Pergami rege, qui ſocius & amicus erat populi Romani, claſsi Annibalem præfeciſſe, hunc verò nouo commento Eumenem aggreſſum, ex nauali prælio victoriam reportaſſe. Nam priuſquàm pugnam inirent, Annibalem tradunt magnam ſerpentum copiam in vaſa fictilia conieciſſe, deinde inito prælio, dum omnium animos oculosq́; occuparet certamen, vaſa in hoſtium naues immiſiſſe, atque eo pacto implicatos hoſtes & re noua perterritos, in fugam vertiſſe. Eius autem ſic geſtæ rei non vetuſtiores annales, ſed Aemylius & Trogus meminerunt. Itaque fides penes autores ſit. Cæterum horum regum contentionibus Romam perlatis, ſenatus Q. Flaminium, cuius ob res in Græcia geſtas celebre nomen eſt, legatum in Aſiam miſit, vt (quantum coniectura aſſequi poſſum) cum vtroque rege de pace ageret. Is cùm ad Pruſiam veniſſet, iniquo animo ferens hominem inimiciſsimum nomini Romano ex tot domitis gentibus populisq́; cæſis ſupereſſe, magna contentione à rege impetrauit, vt ſibi Annibal dederetur. Iam inde ab initio Pœnus leuitatem Pruſiæ ſuſpectam habens, in diuerſorio plures cuniculos fecerat, ſeptemq́; exitus præparauerat ad capeſſendam fugam, ſi qua repentina neceſsitas compuliſſet. Auxerat etiam non mediocriter hanc ſuſpicionem ſuam Flaminij aduentus, quem ſibi tum publicè ob commune odium vrbis, tum priuatim ob memoriam Flaminij patris ad Thraſimenum lacum interempti, omnium Romanorum infeſtiſsimum eſſe credebat. Ita anxius curis remedia (vt ſuprà diximus) ad euadendum inuenerat, parum ſibi aduerſus tantas opes profutura. Cùm milites regij frequentes ad eum capiendum miſsi vndique cinxerunt domum, ad primum eorum aduentum tentauit Annibal per quam occultiſsimum exitum fugam capeſſere. Vbi cum locum cuſtodijs teneri ſenſit, omni ſpe euadendi abiecta, ſtatuit morte

Annibalis interitus.

voluntaria Romanorum manus effugere. Alij ſeruum ab eo iuſſum compreſſa gula ſpiritum intercluſiſſe tradunt. Quidam ſanguinem tauri, ſicut Clitarchus Stratocles que de Themiſtocle finxit, bibiſſe eum dicunt, atque eo potu mortuum cōcidiſſe. Liuius autem locupletiſsimus hiſtoriæ autor, Annibalem ſcribit venenum ad ſimiles caſus præparatū popoſciſſe, & penè mortiferam illam potionem tenentem manu dixiſſe, Soluamus ingenti cura populum Romanum, vbi mortis iam conſumpti ſenis tantum tamq́; præſens deſiderium tenet. Romani patres Pyrrhum Epirotarum regem infeſtis ſignis appropinquantem mœnibus Romanæ vrbis à veneno monuerunt vt caueret. Hi autores fuere, vt regiæ dignitatis iunctæq́; dextræ oblitus hoſpes, hoſpitem ſcelere proderet. His dictis regem Pruſiam multis execrationibus deteſtatum, veneno ſibi conſciuiſſe mortem

Annibalis ætas & ſepultura.

LXX. ætatis anno, quidam memoriæ prodiderunt. Defuncti corpus apud Libyſſam collocatum dicunt in lapideo ſepulchro, in quo ſcriptum fuit, Annibal hîc ſitus eſt. Sed eius mortis nuncium accipientes Romani, variè id prout cuiuſq́; ingeniū erat, interpretabantur. Pleriq́; Flaminium crudelitatis arguebant, quòd veluti præclari cuiuſdam facinoris gloriam adepturus, autor extitiſſet opprimēdi exacta ætate virum, à quo nullum vlterius periculum reipub. iam propè victrici omnium gentium timeri poterat. Quidam verò factum excuſantes, Flaminio etiam tribuebant laudi, quòd perpetuum hoſtem populi Rom. de medio ſuſtuliſſet: cui etſi vires corporis ac robuſta ætas, non tamen ingenium, conſilium, rei militaris peritia deeſſet, quibus Pruſiam ad arma concitare, Aſiamq́; nouis bellis commouere ac perturbare potuiſſet. Erant enim per id tempus ita amplæ Bithyniæ regni opes, vt non facilè contemnendæ viderentur. Nam poſteris temporibus Mithridates Bithyniæ rex, diu naualibus terreſtribusq́; copijs populum Rom. fatigauit, aduerſus que L. Lucullum ac Cn. Pompeium, præſtantiſsimos imperatores

peratores cum magnis exercitibus in acie stetit. Idem à rege Prusia, duce præsertim Annibale timeri poterat. Quare nonnulli ea præcipuè causa Q. Flaminiū opinantur ad Prusiam missum esse legatum, vt Annibalis necem secretis consilijs agitaret. Verùm credere libet hoc quæsitum esse à Quinto nō tam vt præsenti morte Annibalem de medio tolleret, quàm vt homo qui tot inflixerat suæ reipub. clades, Romam viuus perduceretur: idq; populo Rom. vtile, sibi verò honorificum esse censeret. Tali genere mortis interijt Annibal Pœnus, vir, vt alia omittam, bellicis sine dubio laudibus vehemēter excellens: cuius siue animus, siue ingenium, siue egregia rei militaris disciplina, quanti momenti fuerit in rebus, facilè ex eo intelligi licet, quòd Carthaginenses bello tanta contentione suscepto, non priùs se victos cōfessi sunt, quàm cùm fuit Annibal apud Zamam magno illo prælio superatus, vt bellicæ eorum vires stetisse simul cum Annibale duce, atq; vnà cum eo concidisse viderentur.

Annibalis laus.

Scipio Aphricanus

DONATO ACCIAIOLO VEL INTERPRETE, *vel authore.*



ORNELIO Scipioni, qui primus nomine victæ à se gentis Aphricanus est dictus, patrem fuisse cōstat P. Scipionem virum patritium, ex nobilissima Corneliorum gente, cum quo primùm Romano imperatore Annibal Pœnus signa in Italia contulit. Is cùm multas esset in Hispania victorias consequutus, resq; gessisset memoratu dignas, demum quodā prælio aduersus hostes inito, dum sese offert vbi plurimus labor, plurimùmq; periculi erat, subitò perculsus ictu occiditur. Simili penè casu Cn. Scipio eius frater paucis pôst diebus fortiter pugnans interijt. Amboq; hi imperatores, præter rerum gestarum nomen, magnum quoq; fidei, temperantiæ, virtutis desiderium non modò militibus suis qui superfuere, sed etiam Hispanis gentibus reliquerunt. At verò Cn. Scipionis P. Cornelius Nasica filius fuit, vir consularis, triumphalisq;, qui adolescens cùm esset, pro accipienda matre Idea in tota ciuitate est vir optimus iudicatus. Publij autē filij fuēre Scipiones duo, egregia sine dubio proles: quorum alterum ob Asiam deuictam Asiaticum, alterum verò domitorem Aphricæ, ob memorabilem victoriam de Annibale & de Pœnis, vt suprà diximus, Aphricanum appellant. De quo hæc scribenda suscepimus, non tam vt eius nomen à Græcis Latinisq; scriptoribus celebratum his literis fieret illustrius, quàm vt rerum gestarum series & domestica disciplina esset nostra opera in oculis hominum collocata, quam veluti imaginem præclaræ virtutis imperatores & duces cùm intuerentur, imitatione dignissimam iudicarent. P. Cornelius Scipio iam inde à pueritia, cùm eximiæ indolis & summæ virtutis specimen præ se ferret, sub auspicio patris cœpit disciplinis militaribus erudiri. Ductus est enim in castra initio secundi Punici belli, septimum & decimum agens annum, ac breui temporis spacio factum est, vt magnam laudem à summo viro & ab exercitu consequeretur, equitando, vigilando, omnia militari labore tolerando. Ea insuper documenta animi atque ingenij dedit, vt gratiam simul adipisceretur, & admirationem gentium commoueret. Nam equestri prælio, quod ad Ticinum amnem P. Cornelius consul cum Annibale commisit, interfuisse Scipionem constat: proditumq; memoriæ à quibusdam autoribus est, Cornelium patrem saucium ac propè ab hostibus circumuentum, à Scipione filio iam tum pubescente fuisse seruatum. Eo deinde tempore quo apud Cannas cum magna calamitate ac propè pernicie Romani imperij certatum est, cùm ad decem millia hominum Canusiū perfugissent, & omnes vno ore Appio Pulchro, qui proximè ædilis fuerat, & Cornelio admodum iuueni imperium detulissent, declarauit Scipio quanta sibi virtus, quantaq; animi magnitudo inesset. Nam quibusdam iuuenibus de relinquenda Italia agitantibus, in consultantiū cœtum prorupit, ac stricto gladio iurare omnes coëgit se rempub. non deserturos. Hæc aliaq; eiusdem generis, magnitudine quadam animi atq; ingenij ab eo iuuene edita, populum Romanum compulerunt, vt ei supra ætatem, supra etiam consuetudinem, magistratus, curamq; maximarum rerum deferret. Quippe ante legitimum tempus ædilitatem petens, etsi tribuni plebis aduersarentur, quia nondum satis annorum esset, peruicit tamē vt per tribus

Scipionis genus.

Scipionis nomē vnde.

Scipionis disciplina.

Scipioni honores oblati.

duceretur, atque extemplò frequentibus suffragijs Quiritum ædilis curulis est declaratus. Cùm vero pater patruusq; duo egregij imperatores, breui interuallo in Hispania cecidissent, curandumq; à populo Romano esset, vt aliquis dux singulari virtute in eorum locum succederet, nemo reperiebatur qui ad hoc graue & periculosum bellum, post tantorum imperatorum interitum proficisci auderet. Itaque habitis comitijs vt proconsul crearetur, cùm cęteri reipub. principes in tanta facultate silerent, vnus Scipio quatuor & viginti annos natus in medium prosiliens, ingenti fiducia professus est, se hoc munus libenti animo suscepturum. Hac fortissimi iuuenis audita voce, nulla mora interposita est, quin incredibili studio suffragiorum imperium in Hispaniam Scipioni decernerēt. Sed paulò pòst secum reputantes Quirites aduersus quos Pœnorum duces, & in quibus regionibus bellum gerendum esset, vix censebant fieri posse, vt imbecillitas ætatis tantam grauitatem rerum sustineret. Quare momento temporis, quasi iam decretæ rei centurias pœniteret, magna animorum commutatio facta est. Quod vbi animaduertit Scipio, statim aduocata concione, sic de ætate sua, ac de bello quod gerendum erat, disseruit, vt ad se vnum intuendum omnes audientes, & ad pristinam spem bene gerendę rei populum Romanũ conuerteret: animo quippe alijsq; virtutibus vehementer excellens, præstans etiam pulchritudine oris, & totius corporis forma conspicuus erat, læta atque hilari fronte, quæ plurimum valent ad gratiam hominum conciliandam. Habebat & in gestu & in motu summam dignitatem. Ad hæc animi bona muneraq; naturæ cùm militaris accederet gloria, dubium erat, gratior'ne gentibus domesticis virtutibus, an mirabilior bellicis artibus foret. Imbuerat etiam animos multitudinis superstitione quadam, quòd singulis diebus ex quo virilem togam sumpserat, in Capitolium ascendere, ac sine arbitris ædem ingredi consueuerat, vt crederent homines, sicut iam multò antè Numā Pompilium ab Aegeria Nympha, sic etiam ipsum arcana quædam in templo doceri, quæ cæteris non essent communia. Præterea vt olim de Alexandro Macedonũ rege, sic ea tempestate de Scipione quidam finxisse videntur, anguem in cubiculo matris frequenter visam.

Scipionis animi & corporis habitus.

Cæterùm ijs omissis P. Scipio ex Italia decedens cum decem millibus peditum, triginta nauium classe (omnes autem quinqueremes erant) in Hispaniam proficiscitur, ac paucis diebus ad Emporia delatus, copias exponit, terrestriq; itinere Tarraconem concedit. Ibi concilio indicto, legati ex socijs vrbibus frequentes conuenere, qui comiter benigneq; accepti, grata responsa domum retulerunt. Post hæc Scipio ingenti cura ad futurum bellum intentus, commodissimum esse statuit, reliquias veteris exercitus quæ virtute L. Martij seruatæ erant, suis copijs adiungere. Nam post duorum Scipionum interitum, cùm Hispaniæ propè amissæ, Romanæ legiones fusæ fugatæq; essent, vnus L. Martius Romanus eques, collectis duorum exercituum reliquijs, præter omniũ spem exultantes victoria hostes contriuit, bellumq; in Hispania aduersus tres Pœnorum duces incredibili virtute industriaq; sustinuit. Ad has igitur copias quæ in hybernis constitutæ erant, cùm venisset Scipio, excitati sunt omnium animi ad spem bene gerendæ rei, & veterum imperatorum memoria renouata, vt nemo miles esset qui iuuenem intuendo explere desiderium posset. Ipse verò collaudatis militibus quòd de repub. nō desperassent, ante omnes L. Martium in præcipuo honore habuit, vt ostenderet virum qui suis virtutibus confideret, alterius gloriæ non inuidere. Exacta hyeme cùm nouum veteremq; exercitum ex hybernis deduxisset, omnium primum Carthaginē nouam oppugnare constituit: nulla enim ex Hispanis ciuitatibus opulentior habebatur, nulla commodior erat ad bellum terra mariq; gerendum. Quinetiam Carthaginensium duces nomen, apparatum belli, & quicquid precio dignum habebant, in hanc vrbem congesserant: eam quoque ac eius arcem validis præsidijs munierant. Ipsi verò ne tribus vna regio premeretur, diuersa petierant loca, nihil minus eo tempore quàm Carthaginis oppugnationem timentes.

Scipio in Hispaniam.

Scipio iam omnibus necessarijs comparatis, ad eam obsidendam cum omni exercitu profectus, terra mariq; vrbem aggreditur. Negocium arduum & diuturnum apparebat futurũ, quòd vrbs munita erat, & defensores ita animati, vt non modò tueri Carthaginis mœnia, sed etiam erumpere in hostem, & castra Romanorum aggredi auderēt. Verùm multa interdũ quæ viribus superari non possunt, ingenio conficiuntur. Compertum habebat Scipio stagnum, quod haud procul abest à Carthaginis mœnibus, ęstu maritimo decrescere, & vado ea parte transire posse, vnde ad murum facilior esset accessus. Tali occasione qua nulla maior ad capiendam Carthaginem dari poterat, vtendum ratus, cùm tempus commodum visum est, expediri acies, & distributis copijs vrbem vehemen-

Scipio Carthaginem in Hispania obsidet.

hementiùs quàm vnquam antea oppugnari iubet. Ipse interim fortissimorum virorum manum deligit, quibus imperat, vt superato stagno, in murum ab ea parte quæ minimè suspecta erat, euadāt. At hi quibus negociū datū est, prosperè traiecto stagno cùm ex alia parte vrbis acerrimè pugnaretur, locum quem petebant, neglectum inueniunt, celeríterq; scandētes murum hostes à tergo adoriuntur. Oppidani & externi præsidij milites, quibus tantum repentini periculi præter opinionem acciderat, extemplò mœnia deserunt, ancipitiq; pauentes malo se in fugam conijciunt. Instant tergis Romani, subitoq; vrbem capiunt, diripiuntq;: vbi ingens præda, & omnium rerum quæ ad bellum vsui erāt, summa est facultas inuenta. Scipio ob bene nauatam operam collaudatis donatisq; militibus, cùm ei qui primus murum ascenderat, muralis corona danda esset, & cōtentio inter duos milites orta omnem propè exercitum in certamen traxisset, extemplò concione aduocata, compertum se habere dixit ambos pariter murū ascendisse, atq; ambos coronis muralib. donandos esse: quo factū est, vt omnis cōtentio quæ iam ad summū peruenerat, tolleretur. Post hæc obsides, quorū in ea vrbe ingens copia erat, ciuitatibus Hispaniæ restitui iussit, ex quo maximè humanitatis & clementiæ nomen sibi comparauit, multosq; populos hac indulgentia mouit, vt ad Romanum redirent à Punico imperio. Sed omnium primum eius famam & beneuolentiam auxit, id quod à cunctis scriptoribus vt summæ virtutis exemplum celebratur. Adducta est enim in conspectum imperatoris vna ex captiuis virgo longè ante alias specie ac pulchritudine insignis, hanc & Scipio custodiri diligētissimè, & seruari integerrimè iussit: pauloq; pòst cùm desponsatam comperisset Luceio principi Celtiberorum, sponso ad se accito (is adolescens erat) integram inuiolatamq; restituit. Res est profectò celebranda literis, & ipse Scipio dignus vt tantæ mansuetudinis & continentiæ ab omnibus scriptoribus ferat fructum. Huius beneficij memor Luceius, cùm liberalitatē, modestiam, & singularem in omni genere virtutis præstantiam Romani ducis per suos populos diuulgasset, paulò pòst cum magna equitum manu in Romanorum castra rediJt. Carthaginensium duces, Mago, Asdrubal Barchinus, & alter Asdrubal Gisgonis filius, Carthagine noua amissa, etsi nō ignorabāt quantum ad opinionem gentium & summam vniuersi belli esset detrimenti acceptum, tamen rem primò tegere, deinde vulgatam extenuare verbis quo ad poterāt, nitebantur.

Scipionis continentia mirabilis.

Scipio verò multis populis principibusq; Hispanis, inter quos duo reguli Mandonius & Indibilis fuere, sic adiunctis, constituit animo in ea loca iter facere, quibus in locis Asdrubalem Barchinum esse audiebat, vt priùs cum eo, quàm Mago & alter Asdrubal se ei coniungerent, decertaret. Asdrubal Barchinus prope flumen Besulā habebat castra, auidus & ipse certaminis, & suis copijs satis fidens. Verùm vbi appropinquare Scipionem cognouit, ex planicie in tumulum quendam satis naturâ munitum sese recepit: quē insequutæ Romanæ legiones nullam moram interponendam putarunt, quin cedenti instarent hosti, et primo aduentu castra adorirētur. Nō secus quàm si vna expugnaretur vrbs, circa castra pugnatū est. Carthaginenses natura loci & necessitate, quæ etiā ignauos excitare solet, fidentes, impetū hostiū sustinere nitebantur. Romani contrà spe & audacia pleni acriter dimicabant, atq; eò magis, quòd in conspectu Scipionis atq; omnis exercitus res gerebatur, vt nullum paulò fortius factū latere posset. Itaq; non priùs remissa oppugnatio est, quàm omni conatu annixi Romani vallum superarunt, pluribusq; locis castra irrumpentes in fugam compulerunt Pœnum. Asdrubal verò dux priusquàm castra in potestatem Romanorum venissent, cum paucis militibus fugit. Hoc prælio facto, Scipio consuetudine sua omnes captiuos Hispani generis ad se vocari, & sine precio dimitti iussit. Adolescentem ex his regij generis, Masinissæ nepotem, comiter benigneq; acceptum ad Masinissam remisit, magnificentissima quoque adiecit dona, vt ostenderet imperatorem exercitus non minùs liberalitate & domesticis virtutibus, quàm bellicis artibus ornatum esse oportere. Est enim belli finis victoria, cuius fructus maximè in liberalitate clementia'que consistit. Hinc ducum gloria, hinc imperatoriæ laudes emanant, vt in præsentibus accidit rebus. Nam Hispanorum multitudo quæ ibi frequens aderat, hanc indulgentiam Romani ducis admirata, contineri non poterat, quin eum honoris & virtutis gratia appellaret regem. Sed Scipio hanc vocem Romanis auribus insuetam subitò oppressit, nec eum titulum sibi tribui passus est, quem optimorum ciuium consuetudini, & Romanæ libertati aduersum esse sciebat. Hortatus est tantùm Hispanas gentes, vt si in referenda gratia memores esse vellent, fidem in populum Romanum beneuolentiam'que seruarent. Dum hæc à Scipione gereban-

Scipionis in hostem liberalitas.

gerebantur, interim alij duo Carthaginensium duces accepto nuncio malè gestæ ad Besulam rei, iungere copias properarũt: pauloq́; pòst Asdrubali Barchino se coniunxerũt, vt communi consilio de summa belli decernerent. Itaq; inter se colloquuti, post longam disceptationem in ea sententia conuenere, vt Asdrubal Barchinus in Italiam vbi Annibal frater & caput belli erat, transiret: Mago verò & alter Asdrubal in Hispania remanerent, supplementum à Carthagine peterent, nec priùs cum imperatore Romano signa conferrent, quàm vndiq; conuocatis auxilijs ingentes copias contraxissent. Post hæc petente Italiam Asdrubale, missus est ex Aphrica in eius locum imperator Hanno, quem primo aduentu Celtiberiam concitantem M. Syllanus iussu Scipionis aggreditur, prælioq́; commisso superat capitq́;. Erat vna vrbs, quam incolæ regionis Oringen appellãt, opulentissima sanè & accommodatissima ad renouandum bellum: ad hanc oppugnandam cum parte copiarum missus L. Scipio, locum munitiorẽ inuenit quàm vt primo impetu capi posset. Itaq; corona circũdedit vrbem, paucisq́; diebus expugnatã direptamq́; in potestatem redegit. Instabat iam propinqua hyems, & tempus admonere videbatur vt hyberna vtriq; peterent. Quare his rebus prosperè gestis, Scipio Taraconem, Mago & Asdrubal Gisgonis filius se ad Oceanum receperunt. Sequenti æstate magna contentione renouato in vlteriore Hispania bello, Romani Carthaginensesq́; prope Besulam congrediuntur, iustaq́; acie prælium committunt: in quo post longum certamẽ superior Scipio in fugam vertit hostes, magnoq́; numero eorum interfecto, neque sui colligendi, neq; consistendi facultatem dedit, neq; priùs victoriæ modum imposuit, quàm Asdrubal & Mago ex continenti pulsi, Gades se recipere coacti sunt, omnibus propè copijs amissis. Erat in exercitu Carthaginensium Masinissa, iuuenis magni animi, magniq́; consilij: qui opportunitate capta clàm cum Syllano congrediendi, primos aperuit ei amicitiæ aditus, siue Scipionis liberalitate allectus, siue tempus venisse ratus, in quo victoribus Romanis adhærendum censeret. Hic est Masinissa, qui postea beneficio Romanorum potentissimus euasit Numidię rex, ac multis in rebus populo Romano vsui & adiumento fuit. Cæterùm eo anno, qui erat decimusquartus secundi Punici belli, felici auspicio proconsulis Scipionis, Hispania prima ex continentis regionibus victa, postrema tamen in prouinciæ formam redacta ab Augusto Cæsare longo interuallo fuit. Scipio nõ contentus maximis rebus quas breui tempore in Hispania gesserat, cùm iam sibi Aphricam animo destinaret, commodissimum esse statuit Syphacem Massessulorum regẽ omni arte in Romanorũ amicitiam trahere. Itaq; explorata voluntate regis, cùm non alienam à societate populi Romani comperisset, extemplò omnibus rebus postpositis, duabus quinqueremibus in Aphricam cõtendit. Veniebat à Gadibus eodem tempore Asdrubal Gisgonis filius, ac veluti ex composito hi duo clarissimi imperatores regem adierunt, certatim quisq; pro sua repub. amicitiam petituri. Syphax hospitio ambos comiter benigneq́; accepit, operamq́; dedit, vt pariter eadem mensa, eodem cubiculo vterentur, ne alter alteri prælatus in honore videri posset. Tradunt Asdrubalem præsentis Scipionis animum ingeniumq́; admiratum, secum agitasse, quãtum periculi ex eo viro suæ ciuitati atq; omni Aphricæ immineret. Iuuenem enim acrem, & summis virtutibus præditum, tum multis prælijs victorem esse cernebat, nec in tam florenti ætate adduci posse credebat, vt pacem quàm bellum mallet. Suspicabatur etiam, ne Syphax eius autoritate & præsentia motus, ad Romanos animum inclinaret. Nec iam eum fefellit opinio. Nam Syphax etsi primo aduentu parem se vtrisque præbens, sermonem induxisset de finiendo inter Romanos Carthaginensesq́; bello, tamen postea negante Scipione, inconsulto senatu quicquam agi de pace posse, posthabendum Asdrubalem censuit, ac desiderio Scipionis obsequutus, cum populo Romano fœdus iniјt. Scipio in Hispaniam reuersus, Iliturgium & Castulonem & quasdam alias ciuitates quæ populi Romani detrectabant imperium, partim ipse vi expugnauit, partim auspicio L. Martij in ditionem redegit. Et ne tot tantisque rebus prosperè gestis aliquod deesset lætitiæ genus, Carthaginem nouam profectus, ludos gladiatorum magnifico apparatu fecit, quibus non solùm spectando, sed etiam pugnando multi clari viri interfuerunt. Sed ex Hispanis duo præter alios insignes nobilitate principes, Corbis & Orsua, de regno inter se dissidentes, eo die controuersiam finiere, altero eorum alterius manu interempto. Grauis spectantibus eorum dimicatio, grauior etiam (quia patrueles erant) mors interempti fuit. Post hæc Scipionem longè maiora quàm ea quæ gesserat meditantem, aduersa valetudo corripuit: cuius fama per Hispaniam vulgata, & vt plerunq; fit,

Asdrubal in Italiam mittitur.

Masinissa cum Romanis cõsentit.

Asdrubalis de Scipione testimonium.

Syphacis cum Romanis fœdus.

Duorum fratrũ certamen infaustum.

fit, sermonibus aucta, ad spem nouarum rerum non solùm Hispanas gentes, sed etiam Romanorum exercitum, quem ille ad Sucronem reliquerat, concitauit. Soluta primùm militum disciplina imperatoris absentia fuerat, mox rumores de ægritudine eius & de periculo vitæ in exercitum delati, tantam seditionem motum'q; fecerunt, vt quidam contempto tribunorum imperio, hisq; demum fugatis, duos gregarios milites sibi crearent imperatores, qui non solùm nomen imperij à vanis autoribus delatum, sed etiam fasces & secures præ se ferre ausi sunt: adeò furor plerunq; & mala ambitio mortalium mentes exagitat. Nec quieuere Hispanæ gentes, Mandonius præsertim atque Indibilis, qui affectantes Hispaniæ regnum, post expugnationem Carthaginis nouæ, ad victorē Scipionem defecerant. *Mandonius & Indibilis, Hispani.* Deinde Romanorum potentiam longè lateq; diffusam, iniquo animo tolerantes, aliquam nouandarum rerum occasionem quærebant. Acceptis autē rumoribus nō solùm de morbo, sed propè etiam de morte P. Scipionis, fideq; adhibita, extemplò exercitum compararunt, & Suesitanis qui socij & amici erant populi Romani, intulerunt bellum. Verùm cōualescente Scipione, vt ex fama eius mortis, falsò credita, multiplex tumultus fuerat exortus, sic comperta veritate rei, territi sunt omnium animi, nec quisquam ausus est in nouandis rebus vlteriùs progredi. Scipio magis externis bellis quàm domesticis seditionibus assuetus, etsi militibus qui deliquerāt grauiter succensendum putabat, tamen ne dum iræ indulgēt, excessisse in puniēdo modum existimari posset, de hac re ad cōsilium refert. Maior pars in eos à quibus initium tumultus ortum erat, animaduertendum, & reliquis ignoscendum censuit: sic enim fieri posse ostendit, vt pœna ad paucos, exemplum ad multos perueniret. Hanc sententiam sequutus Scipio, extemplò exercitum, seditionis autorem, ad accipiendum stipendium Carthaginem nouā acciri iubet. Edicto paruerūt milites, alij suam culpam, vt plerunq; sibi indulgent homines, leuiorem rati, alij Scipionis freti ingenio, quod mite in puniendo esse compererant. *Scipionis ingenium in puniendo, mite.* Dicere enim solitus fuit, malle se vnum ciuē conseruare, quàm mille hostes perdere. Vulgatum quoq; erat, alium Scipionis exercitum paratum esse in armis, & aduētum eorum operiri, vt omnes copiæ simul iunctæ aduersus regulos in Suesitanos ducantur. Quamobrem ex Sucrone discedentes, magna spe veniæ consequendæ Carthaginem veniunt. Sed postridie eius diei quo vrbem ingressi sunt, in forum vocati ac inermes consistere iussi, armatis legionibus circundantur. Tum imperator Romanus tribunal ascendens, vniuersæ multitudini sese ostendit ea valetudine, eo vigore, qualis in pubescente ætate vnquam fuerat. Concionem deinde habuit longè acerrimam, & grauissimis querimonijs plenam, vt nemo miles ex inermi exercitu esset, qui aut à terra oculos erigere, aut dicentis vultum sustinere per pudorem posset. Conscientia enim perpetratæ rei ac suppliciorum metus terrebat animos, & optimi ducis præsentia noxijs pariter atq; innoxijs ruborem incutiebat. Itaq; tristi silentio torpebant omnia. Postea quàm finem dicendi fecit, principes seditionis in conspectum multitudinis producuntur. Ibi virgis cæsi more maiorum, securiq; percussi, horribile spectaculum visentibus præbuere. *Scipio autores seditionis supplicio afficit.* His rebus ita compositis, Scipio reliquis militibus nouo sacramento adactis, expeditionem in Mandoniū atque Indibilem pronunciari iubet. Nam hi secum reputātes, à militibus Romanis, qui castrensis seditionis autores fuerant, pœnam esse repetitam, omnem spem abiecerant veniæ impetrandæ, atq; ex eo XX. millia peditum, duo millia equitum comparauerant, vt his copijs aduersus Romanos progrederentur. Quod vbi cognouit Scipio, priusquàm augerentur regulorum vires, & plures populi conspirarent, maturat à Carthagine proficisci, & quanta maximè celeritate potest, ad hostem pergit. Reguli loco satis munito habebant castra, sicq; suis copijs fidebant, vt necalios prouocare, nec prouocati pugnam detrectare parati essent. Factum est autem propinquitate castrorum, vt paucis post diebus à Romanis lacessiti in prælium descenderent, in quo quidē aliquandiu summa contentione dimicatum est. Tandem Hispani à tergo circumuēti, ac in orbem pugnare coacti, superantur. Vix tertia pars ex eorum numero aufugit. Mandonius atq; Indibilis nullum remedium perditis rebus esse cernentes, legatos ad Scipionem miserunt, qui suppliciter pacem peterent, & veniam deprecarentur. At Scipio etsi quantum in se atq; in populum Rom. facinus admisissent, intelligebat: tamen non minùs decorum putans hostē clementia & mansuetudine superare, quàm armis, Regulis ignouit, pecunia tantùm vt militi ad stipendium soluerent imperata. *Clementia hostē superare, pulchrum.* Per id tempus Masinissa à Gadibus profectus in continentem venit, vt amicitiæ fidem, quam per M. Syllanum absenti Scipioni obtulerat, præsenti cōfirmaret, simul vt ipsum Scipionem alloqueretur, quem ob res egregiè *Masinissa ad Scipionem.*

gestas

gestas præstantissimum esse virum constituerat animo. Verùm nec iam opinioni Numidæ virtus P. Scipionis, nec expectationi (vt plerunque accidere consueuit) præsentia defuit.

Formæ maiestas, in Scipiõe.

Nam præter ingentia animi bona, quibus Scipio cæteros alios anteibat, præ se etiã ferebat eximiam formam, & omni amplo dignam imperio. Erat præterea vir benignus in audiendo, facundus in respondendo, & in conciliandis hominibus egregius artifex: habitu corporis virili, cæsarie promissa vtebatur. Hunc igitur Masinissa salutatum veniens, vt primùm conspexit, sic virum admiratus esse dicitur, vt nec ab eo dimouere oculos, nec intuendo explere desiderium posset. Amplissimis verbis ei gratias egit pro nepote ad se remisso, & fidem se præstaturum initæ amicitiæ dixit, quam postea erga populum Rom. vsque ad exitum vitæ constantissimè coluit. Iam verò omnes Hispaniæ populi aut imperium aut societatem Romanorum acceperãt, cùm Gaditani idem sibi licere arbitrantes, sponte Romanis se dedidere: gens vetusta origine, & si famæ credere libet, vt Carthago in Aphrica, in Bœotia Thebæ, ita Gadis ad Oceanum colonia Tyriorum fuit. Scipio receptis Hispanijs, pulsis Carthaginensibus, cùm nihil relinqueretur quod sibi constituendum putaret, L. Lentulo & Manlio Accidio prouincia tradita, Romam redijt.

Scipionis res gestæ.

Venienti senatus extra vrbem datus est in æde Bellonæ, vbi cùm res à se per multos annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, ostendissetque quatuor hostiũ duces, quatuor exercitus multis prœlijs à se victos, Carthaginenses ex Hispanijs electos, nullas gentes in his terris relictas quæ non venissent in populi Rom. potestatem, res amplissimo triumpho dignas esse censebat senatus. Sed quia nemini adhuc contigerat, vt cùm proconsul & sine magistratu esset, pro rebus gestis triumphanti inuehi liceret in vrbem, nec patribus visum est, nec ipse Scipio magnopere contendit, vt nouo exemplo morem maiorum sui causa commutarent. Ingressus vrbẽ paulò pòst ingenti studio populi Rom. consul declaratur. Tradunt rarò vnquam frequentiorem multitudinem, nõ tam ad celebranda comitia, quàm ad conspiciendum P. Cornelium Scipionem Romam venisse. Itaque non solùm Quirites, sed externi etiam homines hunc vnum intuebantur, publicè priuatimque dicebant mittendum in Aphricam esse ad inferẽdum ex propinquo Carthaginensibus bellum. Idem cùm sentiret Scipio, de hac re ad populum se relaturum significabat, si tam salutari consilio aduersaretur senatus. Quidã enim ex patribus, atque inter eos præcipuæ autoritatis Fabius Maximus huic sententiæ acriter reclamabat. Scipio in contrarium nitebatur, rationibus multis ostendens hac vna via superari Pœnos, & Annibalem deduci ex Italia posse, cætera vana esse consilia. Post longam altercationem Scipioni Sicilia decreta, permissumque à senatu est, vt si arbitraretur vtile ex republ. esse, cum omni exercitu in Aphricam traijceret. Hoc senatusconsulto in populum ædito, sic erecti sunt omnium animi ad spem magnarum rerum, vt iam de Aphrica cogitarent, & bellum posse confici non diffiderent. Sed Scipioni in rebus necessarijs comparandis maxima difficultas proponebatur, cùm ob ærarij inopiam, tum ob iuuẽtutis penuriam, cuius florem præteritæ clades à Pœno illatæ absumpserant. Ipse tamẽ ne tantæ expectationi deesset, ingenti studio in apparatum belli intendit. Et adfuerunt ei multi Hetruriæ atque Vmbriæ populi, quorum alij materiam ad fabricandas naues, alij arma, quidam frumentum ac omnis generis commeatum ad iuuandum exercitum detulerunt.

Scipio classem quadraginta diebus cõparat.

Quadragesimoquinto die, quod vix cuiquam credibile videretur, fabricata instructaque classe ex Italia decedens Scipio in Siciliam contendit. At cùm exercitum in ordines redigeret, eos præcipuè seligendos putauit, qui sub M. Marcello multos annos meruerãt, summamque scientiam rei militaris habere existimabantur. Siculos autem partim autoritate, partim gratia impulit ad subministrandum auxilium futuro bello, quod in Aphricam transferre cùm primùm per anni tempus posset, omni studio parabat. Tradunt præter alia Scipionem ex varijs ciuitatibus CCC. iuuenes legisse totius prouinciæ nobilissimos, ac eis præcepisse, vt certa die cum armis equisque adessent. Hi vt imperatum erat cùm præstò fuissent ad constitutam diem, optionem detulit consul, qua vel ipsi secum in Aphrica militarẽt, vel totidem alijs substitutis equos armaque largirentur, vtrum vellent acciperent. Singulis remissionẽ militiæ petentibus, dati sunt vicarij CCC. Romani iuuenes, quos Scipio inermes ex Italia adduxerat, eo consilio vt Siculorum impensa, sicut euenit, armis equisque instruerentur. Horum opera multis postea certaminibus fideli atque vtili in Aphrica vsus est. Iam tempus hybernorum erat cùm Scipio non solùm in apparatibus belli, sed etiam in componendis Siciliæ rebus curam adhibendam ratus, Syracusas petit. Vbi cùm ex multorum querimonijs cognouisset, satis magnam copiam Italicorum militum in eadem vrbe versari,

fari, qui res bello partas, deinde Syracusanis per senatum restitutas retinerent, statim eos partim edictis, partim iudicijs compulit ad ea implenda quæ senatus censuisset. Qua ex re magnam gratiam & iusti consulis famam apud Siculas gẽtes est adeptus. Interim per C. Lælium multa cum præda ex Aphrica redeuntem certior fit, Masinissam regem cupidissimè aduentum suum operiri, monere atq; rogare, vt si reipub. commodo facere possit quam primum in Aphricã traijciat: idem cupere multos Aphricæ populos, qui odio habentes Carthaginensium imperium, aliquam nouandarum rerum occasionem expectent. Nec iam vlla Scipionis secordia eam profectionem distulerat, cùm rarò quisquã alter imperator aut efficacior aut solertior in rebus agendis fuerit. Verùm Siculæ res & occasio recipiendi Locros impedimento fuere, quo minùs negocium pro suo arbitratu conficeret. Accessit etiam causa quædã Pleminij legati, qui Locris à Scipione relictus, cùm omne genus improbitatis, libidinis, auaritiæ in oppidanos exercuisset, facilè multitudinem perpulit, vt omnia mallet, quàm impurissimi hominis imperium ferre. Missi igitur à Locrensibus Romam legati cùm in senatũ venissent, & grauissimas iniurias à Pleminio acceptas questi essent, sic patres mouerunt, vt nõ solùm in Pleminium, sed etiam in P. Scipionem atroces sententiæ dicerentur. Hinc obtrectatores Scipionis amplã materiam calumniæ nacti, asserere non dubitabant, eum cognouisse Locrensium iniurias, Pleminij scelera, suorum militum dissensiones, atq; omnia lentius tulisse quàm optimũ consulem deceret. Addebant præterea exercitum in Sicilia habere vecordem, & omni disciplina solutum militari, ipsum ducem oscitantem totum se ad voluptates & ociũ cõtulisse. Et præter cæteros Fabius Maximus in Scipionem inuectus sic modum excessit, vt extemplò reuocandum ex Sicilia, abrogandumq; ei imperium censeret. Hęc nimis aspera visa omnibus sententia est. Quamobrem Q. Metelli consilium secuti patres decreuerunt, vt decem legati in Siciliam transmittentes, cuncta quæ de Scipione ad senatum delata erant, diligenti studio perquirerent: si nocentem inuenissent, statim iussu senatus in Italiam reuocarent: sin verò falsa essent crimina, & vanæ inuidorum calumniæ, dimitterent ad exercitum, hortarenturq; vt fidenti animo bellum susciperet. Profecti in Siciliã legati, in discutiendis singulis rebus nullam Scipionis culpam inuenire potuerunt, nisi quòd iniurias à Pleminio Locrensibus illatas nimis leni animo pertulisset. Erat enim Scipio in remunerando largus, in puniendo mitis & clemẽs. Exercitum verò, classem, & omnem apparatum belli cùm intuerentur, sic admirati esse dicuntur copiam & ordinem singularum rerum, vt postea in vrbem redeuntes amplissimis laudibus P. Scipionem efferrent, & reiectis inuidorum calumnijs, ad certissimam victoriæ spem senatum populumq; Romanum reuocarent. Cæterùm domesticis impedimentis sublatis, aliæ foris superuenerunt curæ, quæ non mediocriter animum Scipionis mentemq; turbarunt. Nam oratores à Syphace missi denunciarunt ei, nouum sibi fœdus cum Carthaginensibus ictum, affinitatem cum Asdrubale cõtractam, filiam eius sibi matrimonio iunctam: propterea monere, vt si suæ reipub. consulere velit, Aphrica abstineat, eosdem enim quos Pœni haberent, se amicos inimicosq; habiturum. Hos legatos Scipio, ne mandata regis efferrentur, extemplò ad Syphacem remisit cum literis, quibus postulabat, vt initæ societatis iunctæq; dextræ memor, caueret ne quid nomine Romano & regia fide indignũ moliretur. Post hæc concione aduocata, legatos Syphacis venisse in Siciliam dixit, vt sicut antea Masinissa, sic etiam hi nimiam dilationem aduentus sui quererẽtur: itaq; maturandum in Aphricam esse, atq; ideo cunctis militibus edicere vt arma expediant, & ad profectionem necessaria comparent. Hoc edictum Romani ducis vbi per Siciliam vulgatum est, statim multitudo ingens Lilybęum confluxit: non hominum solùm qui in Aphricam traiecturi erant, sed eorũ etiam qui spectatũ uenerãt Romanã classem, qua rarò vnquam instructior aut omni armatorum genere ornatior visa fuerat. Ipse verò Scipio satis iam omnibus constitutis, è Lilybæo soluit tanta cupiditate transmittendi, vt nulli ei neq; remi neq; venti satisfacerent. Deuectus est tamen paucis diebus ad promontorium Pulchri, atq; ibi omnes copias in terram exposuit. Sed celeriter eius aduentus Carthaginem nunciatus sic ciuitatem turbauit, vt conclamatum esse ad arma, stationesq; in portis murisq; dispositas, quidã autores sint. Nam à M. Regulo vsq; ad eum diem quinquaginta propè annorum intercesserat spacium, ex quo nullus imperator Romanus cum valido exercitu terram Aphricam intrauerat. Meritò igitur pauoris ac tumultus omnia erant plena. Augebat etiam terrorem Scipionis nomen, cui Carthaginenses quem ducẽ aut opponerent, aut parẽ arbitrarentur non reperiebant. Asdrubal Gisgonis filius egre-

Scipionis obtrectatores.

Scipionis natura.

Syphax à Romanis deficit.

Scipionis prudentia.

gius ea tempestate imperator habebatur, quem victum à Scipione fugatumq́ ex Hispania meminerant. In eo tamen atq; in Syphace potentissimo rege magnā spem seruandæ patriæ reponentes Pœni, hunc rogate, illum monere non desistunt, vt quāta maxima celeritate possint, Aphricæ rebus subueniant. Sed dum hi copias iungunt, interim Hanno Amilcaris filius proximam regionē tueri iussus, obuiā Romanis progreditur. Scipio populatis agris, ditatoq́ exercitu ingenti præda, prope Vticā cum omnibus copijs consederat, vt celebrem vrbem & opportunam ad bellū terra mariq́ gerendum, si qua via fieri posset, in potestatem redigeret. Et sub idem tempus Masinissa in castra Romanorū venerat, ardens incredibili cupiditate belli gerendi aduersus Syphacem regē, à quo non multò antea paterno regno fuerat expulsus. Hunc Scipio quia iuuenem acrē & manu promptum in Hispania cognouerat, priusquam maiores copiæ à Carthaginensibus cogerentur, speculatum mittit hostium castra, atq; ei præcipit, vt omni ingenio adhibito Hannonem ad pugnam eliciat. Masinissa vt imperatum erat, hostem irritando, sensimq́ trahendo perducit ad ea loca, quibus in locis Scipio cum armatis legionibus constiterat, expectans occasionē gerendæ rei. Defessa iam erat hostiū acies, cùm Romani recentibus copijs obuiā facti, præliū ineunt. Primo congressu superatur Hanno, & ipse cum parte copiarū occiditur. Reliqui terga dantes, quà potest quisq; fugam per diuersa petunt. Post hanc victoriā, Scipionem ad oppugnandam Vticam redeuntem, absistere incepto coēgit subitus Asdrubalis & Syphacis aduentus, qui ingētes peditum equitumq́ copias secum ducentes, haud procul à Romanis posuerūt castra. Quod vbi animaduertit Scipio, statim soluta obsidione, castra in quodam promontorio cōmuniuit, vnde procedere obuiam hosti, & vexare Vticenses, & classem subductā tueri posset. Ceterùm cùm tempus postulare videretur vt hyberna vtrinq; peterent, placuit ei ad Syphacē mittere, qui tentatent animum regis, & quantū in eis esset à Carthaginensiū amicitia abducerent. Hunc enim sciebat Sophonisbæ nuptijs agitatū, & quasi muliebribus instructū furijs, eò insaniæ deuenisse, vt non modò Romanos non iuuandos, sed etiam cōtra ius fœderis oppugnandos censeret: quòd si qua vxoris satietas hominem cepisset, iam ad sanitatem eum reuerti posse arbitrabatur. Syphax auditis his quæ nomine Scipionis ad eum deferebantur, tempus iam esse respondit, vt non de relinquenda Pœnorū societate, sed de abijciendis belli consilijs agatur, se optimū pacis autorē fore pollicetur. Huic sermoni Scipio aures adhibēdas putat, solerti animo rem nouā meditatus. Nam ex omni exercitu strenuos milites deligit, quos seruiles vestes indutos comitari oratores iubet, & quid fieri velit ostendit. Hi vt præceptū erat, dum legati & Syphax de cōditionibus pacis inter se agunt, & longior consultò producitur sermo, speculatum proficiscuntur hostium castra, omnes aditus exitusq́ explorāt. Hoc sæpius facto, ad Scipionem reuertuntur. Certum erat induciarum constitutum tempus, quo elapso Scipio simulat se omni spe pacis abiecta, arma, classem, machinasq́ parare, vt quemadmodum antea orsus fuerat, Vticam oppugnatum redeat. Hoc quàm latè per regionem vulgari, hoc ab hostibus credi volebat. Ipse uerò tribunis militum conuocatis, consilium suum aperit. Docet bina esse hostium castra, paruo inter se diuisa spacio, quorum altera ex lignis hybernacula, altera ex arundinibus contexta habeant, vtraque deleri incendio posse. Quamobrem Masinissam & C. Læliū ad se vocat, atque eis præcipit vt intempesta nocte Syphacem aggrediantur, ignem castris iniJciant: se ex altera parte Carthaginenses inuasurum pollicetur. Hi mandata impigrè exequentes, constituta hora Numidarum castra adoriuntur, & ignem arundinibus applicant, quæ subitò incendium effuderunt, & penè in omnem locum castrorū distulerunt. Numidæ fortuitum primò incendium arbitrati, ad opem ferendam celeriter concurrerunt: mox vbi in legiones hostium incidentes trucidari cœpti sunt, ancipiti pauentes metu, sese fugæ mandarunt. Simili penè ratione ab altera parte exercitus cui Scipio præerat, incensa sunt Carthaginensium castra, & profligati hostes, tanta fugientium strage, vt ad X L millia hominum ex Pœnis Numidisq́ ea nocte absumpta quidam autores sint. Hæc clades Carthaginem delata, sic terruit ciuium animos, vt alij ex Italia Annibalem reuocandum, alij pacem petendam à Scipione censerēt. Sed factio Barchina potens pollens'que cùm abhorreret à consilijs pacis, peruicit vt noui delectus haberentur ad restituendum bellum. Igitur Syphax & Asdrubal magna multitudine peditatus equitatus'que coacta, celerius opinione omnium exercitum reparaverunt, atque rursus in conspectu Romanorum posuerunt castra. Qua re cognita, Scipio non cunctandum existimauit, dum milites sui alacres essent & fiduciæ pleni, quin pugna decertaret. Ac-

Masinissæ in Rom. animus promptus.

Hannonis interitus.

Sophonisba, Syphacis vxor.

Scipionis astut.

Carthaginensiū clades maxima.

ret. Accidit autem ab initio ex propinquitate castrorum, vt leuia quædam committerentur prælia: ad extremum verò omnibus copijs concursum est, tantusq; ardor Romanorum militum fuit, vt primo impetu Numidas Pœnosq; in fugã conuerterent, magnamq; partem fugientium interficerent. Asdrubal & Syphax citato cursu ex media cæde profugerunt. Ad quos consectandos Scipio Masinissam & C. Lælium cum expedito equitatu misit. Syphax in Numidiam, atq; inde in antiquum regnum profectus, ex omni genere hominum exercitum coegit, obuiamq; Masinissæ & Lælio factus prælium committere non dubitauit: malo tamen consilio, cùm esset hostibus longè inferior, non tam dimicantium numero, quàm quòd nec miles cum milite, nec duces cum ducibus erant conferendi. Itaq; à bellacissimis viris facilè superatur, & quod Masinissa vix ausus esset optare, in prælio capitur, & cum multis nobilibus viris ad Scipionem perducitur. Ceperat primùm lætitia omnium animos, cùm Syphacem in castra adduci nunciatum est: deinde vbi vinctus in conspectum multitudinis est perductus, tanta viri præsentia, & pristinæ maiestatis recordatio, misericordiam intuentibus mouit. Meminerant enim quàm celebre eius regis nomen, quàm florentes opes & amplissimi regni vires paulò antè extiterant. postea verò ex tanto fastigio prolapsum cernentes miserebantur. Ipse autem Imperator Romanus benignè eum affatus, quæsiuit quænam tanta causa animum eius mutasset, impulissetq; ad inferendum Romanis bellum. Tum rex veteris hospitalitatis iunctæq; dextræ memor, fidenti animo Scipioni respondit, se coniugis Sophonisbæ amore captum, tantum facinus quantum omnes scirent, in populum Rom. admisisse, atque extemplò eas dedisse pœnas, quas cæteri pro documento habere possent, vt in fide atq; officio permanerent. Sed in extremis malis hoc sibi solatij contigisse, quòd inimicissimum hominem Masinissam, eadem insania qua ipse laborasset, correptum videret. Nam post victum captumq; Syphacem, Masinissa Cyrtham caput regni petens, cùm vrbem in potestatem redegisset, Sophonisbam multis precibus sibi blandiẽtem ardere cœperat, mulieriq; fidem dederat, se eam à Romanorũ manibus vindicaturum: & vt id commodius præstare posset, nouis nuptijs sibi deuinctam vxorem duxerat. Hæc celeriter ad Scipionem delata, magnopere hominem perturbarunt. Constabat enim, auspicijs Romanorũ victum Syphacem esse, & quæcunq; suæ ditionis fuerant ad eorum iudicium pertinere: quòd si Masinissa inconsulto Scipione patrocinium Sophonisbæ suscipiendum putarat, simul & imperium ducis & maiestatem populi Romani visus fuerat contempsisse. Accedebat huic culpæ turpissima libidinis causa, quæ tantò grauior videri debuit, quantò erat Romani imperatoris continentia maior, quam Masinissa ante oculos habebat ad imitandum. Nam Scipio præter cætera virtutis documenta, in omnibus locis quibus hostem superauerat, à captiuis mulieribus victrices semper abstinuerat manus. Indignatus igitur aduersus Masinissam, etsi primum in castra redeuntem presente multitudine benignè accepit, postea tamen seiunctum à cæteris ita obiurgauit, vt sentiret Numida moderatissimo simul & seuerissimo imperatori sibi esse parendum. Itaque lachrymans & consilij inops in tentorium abijt, pauloq; pòst, cùm fidem Sophonisbæ datam præstare non posse cerneret, atque ex eo grauiter angeretur, venenum ei cum mandatis misit. quo mulier repentè hausto, voluntariam sibi consciuit mortem. Cæterùm Carthaginenses tot tamq; multiplicibus acceptis cladibus, cùm res in eum locum deductas viderent, vt iam non de propagando imperio, sed de seruanda patria esset cogitandum, Annibalem ex Italia reuocarunt. Qui celeriter in Aphricam reuersus, siue quòd præsentis iuuenis felicitatem horreret, siue quòd labenti & penè inclinatæ reipub. diffideret, omnium primum cum P. Scipione de pace agendum censuit. Quapropter petenti locus ad colloquium datus, in quo simul congressi, longum sermonem de tollendis cõtrouersijs habuere. Ad extremum Scipio eas conditiones detulit Pœno, quibus facilè apparuit, nõ tædere belli populum Romanum, & ipsum iuuenem spe victoriæ magis, quàm cõcordię desiderio trahi. Itaq; omni spe pacis adempta colloquium dirimunt, atq; in posterum diem certamẽ parant duarum nobilissimarum bello gentium, duo clarissimi duces, imperium orbis terræ breui spacio suis rebuspub. aut daturi, aut erepturi. Locus prope Zamam fuisse traditur, vbi supremas vires quasi in medium effundentes, pugnam memorabilem conseruere: in qua victores Romani, primùm hostium elephantos, deinde equites in fugam verterunt, demũ acrius inferentes pedem, totã aciẽ profligarunt. Cæsa aut capta ex Carthaginensium copijs supra X L millia hominum à Romanis ferunt. Annibal ex tanta cæde incolumis euasit, nullo strenui ducis eo die munere prætermisso. Nam si vnquam antea,

Syphax capitur.

Masinissa Sophonisbæ amore captus.

Scipionis continentia.

Annibal in Aphricam reuocatur.

Pugna ad Zamam.

tum ea pugna aciem peritiſsimè inſtruxerat, loco ſubſidijsq́ firmauerat, atq; in ipſo certamine dum manus conſerebantur, ſic militibus ſuis officium præſtiterat, vt ſummi imperatoris laudem etiam ab hoſtibus tulerit. Poſt hanc victoriam Scipio nactus Verminam Syphacis filium, opem Carthaginenſibus afferentem, fugauit, & vſque ad mœnia portumq́; Carthaginis exercitũ admouit: ratus id quod accidit, Pœnos ſupplices ad pacem petendam venturos. Nam vt ad bella ſuſcipienda alacer & promptus fuerat Carthaginenſium animus, ſic eo tempore mollis ac minimè reſiſtens mens eorum fuit: Annibale præſertim ſuperato, in quo antea omnem ſpem ſeruandæ patriæ collocatam habebãt. Itaque conſternati animo, legatos ad Scipionem mittunt, qui clemẽtiam victoris implorent, & multis precibus pacem expoſcant. Iam Romę de prouincia Aphrica contentiones erant, & alter ex nouis conſulibus in exercitum properabat pari imperio ad gerendum bellum: quamobrem veritus Scipio ne tanti belli confecti gloria ad alium perueniret, æquo animo à legatis Carthaginenſium ſe exorari paſſus eſt. Conditiones igitur pacis Carthaginenſibus datæ ex victoris arbitrio, & præter alia, omnis claſsis, qua maximè confidebant, adempta. Ea cùm cremaretur, tam miſerabile ſpectaculum intuẽtibus præbuit, vt non ſecus in vrbe, quàm ſi Carthago à ſtirpe interijſſet, comploratũ ſit. Ad quingentas enim naues omnis generis crematas quidam autores ſunt. Verùm hæc nos admonere debent fragilitatis humanæ, cuius nimia (vt ille inquit) in proſperis rebus obliuio eſt. Qui enim antea ampliſsimis victorijs conſequutis, omni propè Italia in ditionem redacta, vrbe Roma audaciſsimè obſeſſa, imperium orbis terræ animis deſtinabant, non multo interiecto ſpacio, in eum locum deducti ſunt, vt omni imperio amiſſo, nihil præter Carthaginis mœnia poſsiderent, eaq́; ſeruare poſſe diffiderẽt, niſi ſalua eſſe ſineret hoſtium exorata clementia. Poſt hæc Scipio ex ſententia ſenatus, Maſiniſſam regem nõ ſolùm in patrium regnum reſtituit, ſed adiecta opulentiſsima parte Syphacis regni, prępotentẽ inter Aphricæ reges fecit: ſingulis deinde pro meritis præmia tribuit. Demũ compoſitis Aphricæ rebus, exercitum in Italiam reportauit: ſub cuius aduentum multi mortales Romam confluxere, vt præſtantiſsimum belli ducem, poſt tantas res geſtas, intuerentur. Itaq; celeberrimo triumpho vrbem eſt inuectus: quem ſecutus eſt Terentius Culleo ſenator pileato capite, quia beneficio eius ex ſeruitute fuerat exemptus. Syphacem verò regem Polybius in triumpho ductũ, quidam priuſquàm Scipio triumpharet, mortuũ ſcribũt. Multi antea Punico, & poſtea Macedonico, atq; Aſiatico bello triumphantes, plura vaſa aurea argenteaq́; & maiorem copiam captiuorum præ ſe tulerũt. Sed victus Annibal victus, & tanti belli confecti gloria, triumphum P. Scipionis ſic celebrem reddidit, vt facilè cęterorum aurum pompamq́; ſuperaret. Aphrica enim ſubacta, nulla gens poſtea fuit, quæ vinci à populo Rom. erubeſceret. Quamobrẽ ex hac prouincia gradus imperij in Macedoniã, in Aſiam, atq; in reliquas partes orbis terræ eſt factus. Cæterùm Scipioni, quem poſt Aphricam deuictam iam Aphricanum appellare licet, Romam reuerſo, neq; ciuiles dignitates, neq; vrbani honores defuerunt. Nam cùm Cenſorum comitia haberentur, & multi competitores ex ſuperna nobilitate concurrerent, ipſe & Elius Petus prælati omnibus ſunt: creatiq́; cenſores magiſtratum poſtea ſumma integritate concordia'que geſſerunt. Sequentes deinde cenſores alij atque alij principem ſenatus Aphricanum legerunt: quod genus honoris ijs tantùm viris deferri conſueuit, qui autoritatem & gloriam maximis in rempub. meritis præſtantiſsimis'que rebus geſtis eſſent conſequuti. Nec multo interiecto ſpacio creatus eſt iterum conſul, collegaq́; ei datus Sempronius Longus, Sempronij illius filius, quem Annibal magna affectum clade ad flumen Trebiam ſuperauit. Hi primi fuiſſe dicuntur, qui in ſpectandis ludis patres à populo ſecreuerunt: quam ſelectionem plebs Romana moleſtiſsimè tulit, aduerſus conſules indignata, qui honorem ſenatorij ordinis extuliſſe, ſuum cõtempſiſſe viſi erant. Et ipſum etiam Aphricanum aliquando pœnituiſſe tradunt, ſe veteris moris tollendi, noui introducendi autorem fuiſſe. Erant per id tempus quædam contentiones de finibus imperij inter Maſiniſſam & Carthaginenſes exortæ, ad quas componendas Scipio duoq́; alij legati à ſenatu miſsi, cùm cauſam diſcordiæ cognouiſſent, rem totam integrã ſuſpenſamq́; reliquerunt. Atq; eo conſilio id factum dicunt, vt Pœni domeſticis cõtentionibus occupati tenerẽtur, ne'ue alijs negocijs vacare, vel ad ſpem nouarũ rerum erigere animos poſſent. Vigebat enim cum rege Antiocho bellum, & Annibal Pœnus cum eo erat, qui nunq́; ceſſabat in populum Rom. veteres hoſtes concitare, nouos acquirere, & omnibus modis Carthaginenſibus ſuadere, vt ſeruitutis iugum ſub titulo fœderis ſibi à Romanis

Quingentæ naues Carthaginẽſium crematæ.

Scipionis de Carthaginenſibus triumphus.

Scipio Cenſor creatur, et Senatus princeps.

Scipionis callidum conſilium.

nis impositum abijcerent, & tegum amicitiam experirentur. Verùm paulò pòst Romani rebus prosperè gestis, Antiocho è Græcia pulso, cùm iam Asiam animis destinarent, Aphricanum intuebantur, veluti hominem natum ad bella magni ponderis finienda. L. autem Scipio & C. Lælius consules erant, & vterque sibi Asiam prouinciam decerni cupiebat. Res arbitrio senatus permissa erexit studia patrum, senatoresque dubios reddidit de tantis viris iudicium facturos. Sed cùm apud patres maior Lælij gratia, maior etiam existimatio esset, & senatus ad eum inclinaret, negociumque deferret, surrexit P. Aphricanus frater maior L. Scipionis, & illam ignominiam familiæ deprecatus est: dixitque, & in fratre suo summam virtutem esse summumque consilium, neque se ei legatum defuturum. Extemplò hæc vox ingenti patrum lætitia excepta, omnem dubitationem ex eorum animis dempsit. Decretum est igitur frequēti senatu, vt L. Scipio in Græciam aduersus Aetolos, deinde in Asiam, si ei visum esset, transiret, ad inferendum Antiocho bellum, & P. Aphricanum secum duceret, quem Annibali victo & pro Antiocho in acie stanti victorem opponeret. At verò P. Scipionis pietatem quis non iure miretur? quam non solùm à prima adolescentia Cornelio patri, sed etiam L. fratri id ætatis ijsque rebus egregiā præstitit. Et quanquam erat Aphricanus, qui Annibalē vicerat, de Pœnis triumpharat, omnes belli gloria & virtute anteibat: imperio tamen minoris natu se spontè summisit, vt is in honore obtinendæ prouinciæ gratioso collegæ præferretur. Ex eo autem bello L. Scipio cōsul Aphricani consilio egregio quidem & fideli vsus, maximam gloriā in patriam reportauit. Nam primum in Græciam traijciens, inducias sex mensium Aetolis dedit: suadente Aphricano, posthabitis omnibus Asiam caput belli peteret. Prusiam deinde Bithyniæ regem animo fluctuantē, Aphricani opera ab Antiochi societate auertit. Magnum enim erat Aphricani nomen, & omnes qui consulem adibant rem aliquam impetraturi, eo patrono vtebantur. Cùm verò in Asiam peruenisset, & legatus Antiochi & Heraclides Byzantius præstò fuisset, vt de pace ageret, & publicè expositis mandatis æquas conditiones impetrare non potuisset, priuatim sicut preceptum erat, Aphricanum adijsse traditur, ac multis modis tentasse animum viri, vt in regis desideriū traheret. Nam & filium adolescentem, quem captum in potestate haberet, Antiochum remissurum dixit, & Aphricanum in totius regni societatem, titulo tantùm sibi reseruato, libentissimè suscepturum adiecit. P. autē Scipio sicut multis alijs virtutibus, ita fide & probitate præstans, cæteris posthabitis filium vt gratum munus se accepturum respondit, & pro priuato officio quantum in eo esset, priuatam gratiam relaturum: sed ante omnia regem hortari, vt abiectis belli consilijs, quascunque dederit senatus populusque Romanus conditiones accipiat. Paucis verò pòst diebus, Antiochus filium ad P. Scipionem vt pollicitus erat, remisit: quem alij iam inde ab initio belli à Chalcide Oricum petētem, alij paruo nauigio traijcientem, quidam proficiscentem exploratum consilia hostium, captum fuisse tradunt, atque eo tempore ad patrem Eleæ ægrotantem remissum dicunt. Ea indulgentia regis gratissima (vt par erat) Aphricano fuit, visusque ex longo interuallo adolescens animum eius sollicitū & corpus ægrum magnopere recreauit. Verùm P. Scipio vt aliquod grati animi indicium præ se ferret, per legatos qui ad eum venerant, amplissimas gratias Antiocho egit pro filio ad se remisso. Deinde eum monuit, ne priùs in aciem descenderet, quàm se ab Elea in castra reuersum sciret. Motus autoritate viri Antiochus, aliquandiu se castris continuit, & prælium in longum differendum putauit, sperans per Aphricanum se aliquem aditum ad consulem habiturum. Postea verò cùm consul ad Magnesiam consedisset, & lacessendo atque irritando hostem ad pugnam exciuisset, continere se non potuit rex, quin iusta acie decertaret. Ei prelio inter alios regios duces Annibal Carthaginēsis interfuisse traditur. Victus profligatusque Antiochus, cùm perditis rebus nullum remedium esse censeret, ad Aphricanum qui paulò pòst commissam pugnam leuatus morbo in castra venerat, confugit, ac per eum à consule impetrauit, vt de pace agi liceret. Venientibus ergo in castra legatis Antiochi, petentibusque vt regi suo ignoscerent, & quascunque vellent conditiones dicerent pacis, Aphricanum ex communi omniū sententia respondisse tradunt, non esse consuetudinem Romanorum vt vel aduersis rebus succumbere, vel sequundis efferri sciant: easdem conditiones, quas ante victoriam detulissent, se deferre, vt Europa abstineat rex, cis Taurum montem vsque ad Tanaim amnem possessionem Asiæ cedat, in viginti annos tributum pendat, viginti obsides ex arbitrio consulis dedat. Et ante omnes Annibalem Pœnum concitatorem belli poposcit. Sed is, vt in eius vita scripsimus, terra marique fractas videns Antiochi opes, se manibus Roma-

Aphricani modestia.

Scipionis in patriam fides & charitas.

Antiochus vincitur, & conditiones pacis admittit.

Imperia ampla & nimiæ opes, multas secū molestias habent.

norum surripuerat, & ad Prusiam Bithyniæ regem perfugerat. Antiochus acceptis conditionibus pacis, benignè sibi à populo Rom. factum dixit, quòd magna cura liberatus, modicis regni terminis vteretur. Ampla enim imperia & nimiæ quæ expetuntur opes, tot tamēq; varias & vndiq; circunfusas molestias habent, vt non minus verè quàm eleganter à Theocrito dictum sit:

Non mihi sint nec opes Pelopis, nec multa talenta,
Nec celeri cursu ventos superare fugaces:
At vacuo curis liceat cantare sub antro,
Et procul è specula mare prospectare profundum.

Humanarum rerum inconstantia.

Inuidia magnis viris infesta.

Consul debellato potentissimo rege Asiæ, celeriusq; opinione omnium bello maximo confecto Romam rediit, & specioso triumpho vrbem est inuectus. Cognomen quoque ex deuicta prouincia meruit, vt sicut antè Aphricanus ob Aphricam, sic etiam iste Asiaticus ob Asiam subactam diceretur. Nec P. Scipio, cuius consilio L. frater rempub. felicissimè gesserat, expers honorum fuit. Nam paulò pòst duo clari Censores T. Q. Flaminius & M. Claudius Marcellus cum principem senatus tertiò legerunt, sicq; iis duobus lustris ex quo est ab initio constitutus, in ea dignitate permansit. Verùm operę precium est contemplari quàm varia & quàm imbecillis sit rerum humanarum conditio. Erat ea tempestate cumulata omni genere honoris Scipionum, Corneliæq; gentis gloria, & Aphricani autoritas in eum gradum peruenerat, vt non esset priuato viro in libera ciuitate vlterius expetendum. Hanc magnitudinem sustinere non potuit inimicorum inuidia, sed erupit tandem ea quæ animis latebat, & in tātarum rerum autores sese effudit. Nam duo tribuni plebis, Porcii Catonis (vt quidam suspicantur) opera cōcitati, diē P. Aphricano dicunt, & pecuniæ ab Antiocho rege acceptæ, & non in publicum relatæ, eum insimulant. Is suæ probitatis conscius vocanti magistratui paret, ac ingenti fiducia animi in forum progressus, orationem amplam magnificamq; habet de rebus à se pro repub. gestis: quarum commemoratio non pro gloria, sed pro suo periculo habita, à multitudine quæ ibi frequens aderat, æquis animis recipitur. Instant tamen tribuni, multis calumniis hominem onerant, & quasi culpæ obnoxium, suspicionibus magis quàm argumentis accusant. Sequenti die citatus iterum Aphricanus ad constitutam horam prę̄stò adest, & cum magno comitatu amicorum per mediam concionem ad rostra progreditur. Ibi silentibus cunctis, Memini, inquit, Quirites me tali die de Annibale & Pœnis egregiam victoriam consequutum: quamobrem postpositis litibus hinc eundum in Capitoliū censeo, vt pro re publica felicissimè gesta diuino numini gratias agamus. Proficiscentem deinde P. Scipionem nō modò in Capitolium, sed etiam ad omnia templa vrbis, sequuta vniuersa concio est, magistratu cum solis ministris relicto. Hæc velut vltima prosperitatis dies, & frequentia hominum & beneuolentiæ significatione, quacunq; antecedenti felicior Aphricano illuxit. nam postea ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. Itaque Linternum se contulisse traditur, seu vehemēti indignatione commotus, quòd post tanta beneficia in ciuitatem collata, pro mercede ignominiā reportaret: seu quia satietate gloriæ captus, generosius duceret spontè inimicorum inuidiæ cedere, quàm vi & armis magnitudinem suam tueri. Accusantibus deinde tribunis contumaciam viri, ac L. fratre absentiæ suæ causam in ægritudinem referente, vnus è tribunis plebis Tiberius Gracchus, cui simultates cum Aphricano erant, contra opinionem omnium hanc excusationem accepit, & Scipionis causam: modò eum summis laudibus efferendo, modò aduersarios deterrendo, sic egregiè tutatus est, vt postea senatus frequens, qui hanc iniuriam iniquo ferebat animo, amplissimas ei gratias egerit. Sunt autem qui volunt P. Scipionem priusquàm Linternum concederet, librum pro reddenda ratione à L. fratre in senatum allatum suis manibus concerpsisse: atque id non fraude aut arrogantia fecisse, sed eadem fiducia animi, qua aliquando in quæstores est vsus, cùm claues ad aperiendum ærarium contra leges poposcit, vt necessitati reipublicæ subueniret. Quidam etiam dicunt, non Aphricanum, sed Asiaticum fuisse quem tribuni plebis in iudicium vocarunt: & P. Scipionem qui in Hetruria per id tempus erat legatus, hac re cognita celeriter in vrbem rediisse, & primo aduentu cùm offendisset L. fratrem damnatum, & paratos ministros qui eum vinctum in carcerem ducerent, sic animo exarsisse, vt viatorem tribunosq; plebis vi à corpore fratris repulerit. Adiiciunt præterea Tiberium Gracchum tribunum plebis questum primò, so-

Voluntarium P. Scipionis exiliū.

lutam

lutam esse à priuato tribunitiam potestatem: deinde postpositis simultatibus, quæ sibi cum Scipionibus intercedebāt, eorum patrocinium suscepisse, vt tribuni potius à tribuno, quàm à priuato victi viderentur. Eodem die senatum in Capitolio cœnantem autorem fuisse scribunt, vt Aphricanus minorem ex filiabus Tiberio Graccho desponderet. Hac sponsione facta rediens domum P. Scipio, cùm uxori nouam affinitatem nunciasset, indignata mulier dixisse fertur, non debuisse eum inconsulta matre filiam despondere, etiam si Tiberio Graccho locare potuisset. Id responsum Scipioni iucundissimū fuit, cùm vidit coniugem in eandem sententiam, in qua ipse constiterat, de locanda filia incidisse. Nec sanè me fugit, hæc quæ modò dixi, nonnullos de Tiberio filio, & Appio Claudio eius socero tradidisse. nam Polybius, & alij locupletissimi autores, Corneliam, quæ Caium & Tiberium peperit, post mortem Aphricani Graccho nupsisse scribunt. Fuit enim Aphricano Aemilia uxor L. Pauli filia, qui consul pro repub. ad Cannas occubuit. Ex ea genuit filias duas, quarum maiorem natu P. Cornelio Nasicæ, minorem seu in vita seu post mortem patris Tiberio certè Graccho nuptam constat. De filijs verò pauca reperiuntur quæ pro certis afferri possint. Diximus de adolescente ab Antiocho capto, & ad patrem liberaliter remisso, de quo nullam postea scriptores, quod compertum habeam, mentionem faciunt: nisi quòd eum præturam gessisse, & in magistratu cōsequendo à Cicereio patris scriba adiutum fuisse quidam autores sunt. Proditum quoque memoriæ est, Aphricam minorem à filio P. Scipionis adoptatum fuisse. M. Cicero in eo libro qui Cato maior inscribitur, Quàm fuit imbecillis, inquit, P. Aphricani filius, is qui te adoptauit? Et in sexto de Repub. lib. pater Aemilius Scipionem filium hortatur, vt sicut Aphricanus auus, colat iustitiam & pietatem. De exitu autem P. Scipionis varia scriptores tradidere. Alij Romę mortuum elatumque scribunt, & ad fidem huius rei, monumentum ad portam Capenam ei factum, & tres statuas superlocatas ferunt, quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia Q. Ennij poetæ. Huic sententiæ illud Ciceronis conuenire videtur: Charus, inquit, Aphricano superiori fuit noster Ennius. itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus. Alij autores sunt, & frequentior fama est, Linterni Aphricanum mortuum, ibique ex sua institutione sepultum esse, ne patria parum memor beneficiorum, suum funus celebraret: monumentumque ei factum, ac statuam superpositam, quam postea tempestate disiectam Liuius se vidisse testatur. Præterea apud Caietam in marmoreo sepulchro æneaque vrna hæc inscripta reperiuntur:

Deuicto Annibale, capta Carthagine, & aucto — Epitaphium Scipionis.
Imperio, hos cineres marmore tectus habes:
Cui non Europa, non obstitit Aphrica quondam,
(Respice res hominum) quàm breuis vrna premit.

Ego verò quæritans quo anno ætatis Aphricanus obierit, IIII & L. annos eum vixisse, pauloque pòst interisse, apud quosdam oratores Græcos inueni. Fuit autem vir nō solùm omni bellica laude dignus, sed etiā domesticis virtutibus præstans: quæ sic eius animum ingeniumque alebant, vt dicere solitus sit, nunquam se minus ociosum esse, quàm cùm ociosus, nec minus solum, quàm cùm solus esset. Interdum enim multitudinem consultò fugiens, tanquam in portum se in solitudinem recipiebat. Sed ea erat rerum gestarum gloria, vt quocunque proficisceretur, concursum omnis generis hominum commoueret. Tradit fama, cùm in Linternum secessisset, prædones quosdam eum salutatum venisse, vt tantum virum intuerentur, dextramque illius fide & victorijs præstantem cōtingerent. Magna est enim virtutis vis, & magna apud omnes gentes, cùm non solùm bonos, sed etiam improbos ad se amandum alliciat. — Virtutis vis, quanta.

Africani uxor & liberi.

ANNIBALIS PVBLII'QVE SCIPIONIS, COMPARATIO.



IN comparatione nunc illud res admonere videtur, vt Scipionis & Annibalis gesta, & ea præsertim quę ad domesticam pertinent disciplinam, paucis ac breuibus verbis conferamus. Primum si res bellicas considerare velimus, satis constat ambos fuisse summos præstantissimosque belli duces, acnon modò ætatis suæ, qua nulla bellacissimorum virorum feracior fuit, sed etiam superiorum temporum cuilibet regum imperatorum'ue pares. Id autem mi-

rari libet, cùm potentissimos aduersarios domi haberent, qui omnia sua consilia oppugnare nitebantur, tanta eos in externis bellis sustinere aut perficere potuisse. Nam vt cætera omittam, P. Scipio aduersante Fabio Maximo, alijsq; principibus ciuitatis, quanta contentione perfecit, vt in Aphricam mitteretur ad gerendum ex propinquo Carthaginensibus bellum? Annibal verò quem aut qualem aduersarium habuit Hannonem principem factionis aduersæ? Ambo igitur multis domi forisq; difficultatibus victis, non felici quadam temeritate, vt plerisque contigit, sed arte, ingenio, consilio, res omni memoria dignas gessere. Verum Annibalis ferociam pleriq; mirantur, qui expugnata Sagunto ausus sit ab vltimis terrarum finibus in Italiam venire, ingentes peditum equitum que copias secum ducere, validissimam rempub. quam maiores sui non mediocriter formidauerant, bello lacessere, multis exercitibus, cõsulibus, imperatoribus cæsis, sub mœnibus Romanæ vrbis castra ponere, externos reges, longinquas nationes commouere ad inferenda Romanis arma. Hæc qui fecerit, maximum ac fortissimum ducem habendum putant. Alij verò in Scipionem conuersi, summis eum efferunt laudibus: quatuor nobilissimos duces, quatuor exercitus in Hispania fusos fugatosq;, deuictum & captum ingentis nominis regem enarrant. Postremò illam memorabilem pugnam extollunt, qua Scipio collatis signis Annibalem profligauit. Nam si Fabio, inquiunt, laudi datum fuit, quia nõ est à Pœno superatus, quid de Aphricano dicendum erit, qui celeberrimum ducem magno prælio fudit, & grauissimum bellum confecit? Hunc insuper aperto Marte bella gerere, cum hoste æquo campo congredi consueſſe memorant: Annibalem cõtrà, insidijs, dolis, atq; omni genere fallaciæ vn solitum tradunt. itaq; omnes Græci Latiniq; scriptores calidissimum ducem appellant. Sunt præterea qui Annibalem laudandum censent, quòd tam diuturno tempore, quo bellum cum Romanis gessit, exercitum conflatum ex omni genere hominum sic quietem & concordem tenuit, vt nulla vnquam in castris audita seditio sit. Vituperandum econtrà arbitrantur, quòd post illam memorabilem cladem Romanis illatam, segniter sit uictoria vsus: quòd Campanię Apuliæ que delicijs sic milites suos corruperit, vt non ijdem postea viderentur, qui Romanos ad Trebiam, ad Thrasimenum, ad Cannas fudissent. Hæc cùm omnes autores in eo reprehendant, tum perfidiam & crudelitatem maximè detestantur. Nam vt cætera omittam, quæ immanitas illa fuit, cùm hominis Arpinatis vxorem & liberos in castris accitos viuos combussit? Quid de illis dicendum, quos ex Italia decedens in Iunonis Laciniæ delubro necari iussit? At Scipionem, si scriptoribus magis quàm inuidorum calumnijs credere libet, moderatissimum ducem, nec solùm in pugna strenuum, sed etiã post victoriam clementem fuisse dicemus. Itaque sæpissimè accidit, vt eiusdem virtutem hostes, misericordiam victi, fidem cæteræ gentes experirentur. Iam verò continentia & liberalitas viri quanta aut qualis fuit, qua in virginem captiuam, qua in Luceium principem Celtiberorum est in Hispania vsus? Quod autem ad vtrunq; attinet, ambo liberalibus artibus eruditi, ambo doctorum hominum amatores fuisse dicuntur. Tradunt enim vt Aphricanum Ennio, sic Annibalem Sosillo Lacedæmonio familiarissimè vsum. Sunt etiam qui Pœnum literarum græcarum non modò non ignarum fuisse scribunt, sed in hoc quoque genere laudis tantùm ei tribuunt, vt historiam de rebus gestis Manlij Vulsonis græco sermone

Lib. 2.

scripsisse velint. Ego verò M. Tullio libenter adhæreo, qui in libro de Oratore Annibalem dicit audiuisse Ephesi Peripateticum Phormionem, de imperatoris officio & de omni re militari copiosissimè disserentem, pauloq; pòst rogatum quidnam de illo philosopho iudicaret, respondisse, non optimè græcè, attamen græcè: Multos se deliros vidisse senes, sed qui magis quàm Phormio deliraret, uidisse neminem. Ambo præterea apti in dicendo, Annibal etiam acutus in respondendo fuisse traditur. Cùm aliquando Antiochus populo Rom. bellum illaturus, copias in aciem deduxisset, nõ tam armis quàm auro argentoq; ornatas, quæsiuit à Pœno, an satis hæ copiæ sibi viderentur. Tum ille, Satis, inquit, ô rex, quamuis hostes auarissimi sint. Illud autem verè dici potest, Annibalem res gessisse magnas, attamen suæ reipub. calamitosas. Causa enim perniciosissimi belli, causa pestis atque exitij fuit. Scipio contrà sic rempub. suam protexit, patriam conseruauit, imperium auxit, vt qui ea meminerunt, Romam ingratam appellare non dubitent, quæ Aphricanum seruatorem vrbis cedere ex vrbe maluit, quàm paucorum furorem audaciamq; reprimere. Ego verò nec eam ciuitatem gratam appellare possum, quæ præstantissimi viri simul & innocentissimi tam abiectè ignominiam tulit: nec tam vituperare scio, quàm vituperandam censerem, si ad eam iniuriam inferendam cõtulisset manus.

Annibalis respõsio accurata Antiocho regi facta, de eius exercitu, auro, argẽtoq; instructo.

Verùm

Verùm senatus, vt omnes autores asseuerant, Tiberio Graccho opem Scipionibus afferenti gratias egit: & plebs relictis tribunis qui reum citabant, per omnia templa vrbis Aphricanum sequuta, facilè declarauit quanta beneuolentia, quantoq́ue honore dignū censeret Scipionum nomen. Quòd si ex talibus indicijs ciuium animi metiendi sint, nō tam ingrata ciuitas in abijcienda beneficiorū memoria, quàm in toleranda iniuria lenis mollisq́ue censenda erit: pauci enim fuere, qui reliquis indignantibus, tale facinus audiendum putarunt. Cæterùm vir magni animi Scipio facilè contemnens inimicorum inuidiam, cedere ex vrbe maluit, quàm intestinis discordijs ciuitatem euertere. Neciam ipse, vt Coriolanus, Alcibiades, alijq́ue permulti ex antiquorum memoria, infesta patriæ signa inferenda putauit, nec exteras gentes, potentissimos reges cōmouendos censuit, vt eorum auxilijs fultus, ei ciuitati vim afferret, quam spolijs triumphisq́ue decorarat. Quantū enim Romanæ libertati consuluerit, facilè intelligi potuit: cùm regale nomen ab Hispanis delatum repudiauit: cùm populo Romano succensuit, quòd eum perpetuum consulem & dictatorem vellet facere: cùm in comitio, in rostris, in Capitolio sibi statuas fieri vetuit. Quæ omnia posteris temporibus ad Cæsarem, qui Pompeiū profligauit, à seruientibus ciuibus sunt delata. Eæ igitur aliæq́ue eiusdē generis sunt Aphricani propriæ virtutes, maximæ ac verissimæ laudes continentiæ. Verùm vt hæc omnia ad vnam summam referātur, hi duo celeberrimi duces non tam domesticis virtutibus, quibus Scipio magnoperè præstitit, quàm bellicis artibus & rerum gestarum gloria, comparabiles esse videntur. Exitus quoq́ue vitæ similitudinem quandam præ se ferūt, quòd ambo extra patrium solum obierunt: quanquam Scipio non à republica damnatus vt Annibal, sed voluntario sibi exilio indicto vitam extra vrbem finiendam putauit.

ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, D. VVILHELMO DVCI Iuliacensi, Cliuensi & Bergensi, Comiti Marchiæ & Rauenspurgi, Domino in Rauenstain, &c. Principi indulgentissimo suo, S. P. D.



VM aliquid hoc tempore ad excellentissimam tuam humanitatem, Illustrissime atq; optime Princeps, & multa posthac statuerē scribere, delegi ex vitis illustrium virorū Plutarchi duas, Periclis Atheniensis & Fabij Maximi Romani: qui omnibus virtutibus & artibus ciuilibus ornatissimi, optimè præfuerunt rebuspub. suis. Has à me in sermonem traductas Romanum ideo sacrare nomini clarissimo tuo volui, quòd eædem præcipuæ virtutes in te, quæ in illis eluceāt, humanitas & iniuriarum illatarum tolerantia. Ad has dotes etsi natura tua optima te ducat, multū eam tamen institutio in literis & assidua lectio optimorum historicorum iuuat. siquidem hæc, sicut frugiferum aruum, ingeniū tuum excoluit: vt, cum natio horrida nostra, incomptaq; & fera, atq; à comitate præ alijs gentibus sit alienior, ad toruitatem autem prona & ebrietatem, tu extirpatu his vitijs, quibus alij non minore indole præditi, sed inculti mancipauerunt se, fulgeas inter nostrates principes. Quare etiam atq; etiam in voluendas & terendas historias, est designato principi, atq; etiam iam regnanti incumbendum. Hæ enim, quia ob oculos ponunt splendorem virtutum atq; improbitatum maculas, instruunt atq; expoliunt lectorem, rectè vt præesse queat populo. Quò magis improbanda sententia est Lodoici XI. Francorū regis, hominis alioquin versutissimi, qui literis imbui filium suum & successorem Carolum noluit: Dicebat enim, quia eas ipse attigisset, in consilijs capiundis fuisse se pertinaciorem. Næ ille stipitem præficere regno voluit, apud quem regni proceres expertem iudicij, quomodo còram defuncti statua Alexandri in tentorio duces eius quasi deliberationibus & rebus agendis præfuturi, ineant consilia. Laudandus verò atq; perhibendus Macedonum rex Philippus, qui nato Alexandro ilico ad Aristotelem, summum sapientiæ doctorem, gaudere scripsit se, non tam quòd natus filius sibi esset, quàm quòd natus esset seculo illius à quo institui valeret ad virtutem. Memorabile etiam ipsius Alexandri dictum, plus se præceptori debere Aristoteli quàm Philippo patri ingenuè fassi. Ab hoc enim habere se quòd viueret, ab illo quòd honestè viuere & cum decore posset. Quare sunt plurimùm commendandi optimi & præstantissimi principes parentes tui: qui, vbi primùm literarum per ætatem cāpax fuisti, alendum te extra aulam, quæ fere peruertere animos solet adolescentium, & formandum in literis tradiderunt præceptori, & quod haud scio an vlli principi contigit Germaniæ, ad sobrietatem & continentiam educauēre. Ingens bonū non tibi soli, qui tuo

commodo

commodo præcipuè & hac laude frueris, verùm etiam omnibus tuis amplissimis ditionibus, quòd hydram istam vinolentiæ ex aula eieceris tua, & quod nobilitas tua, ante ad ebrietatem proiecta, nunc non componere se ad imaginem tuam sibi ducat turpe. quod factum eo est mirandum magis & prædicãdum, quo rarius & difficilius. Vnde sicut à Traiano bonitatis veteres, & à Sylla felicitatis, ita posteri à te sobrietatis petent exemplum. Quàm etiam præclara illa vox est tua, quam in consessu consiliariorum tuorum vsurpas frequenter, ne cui iniuriam tui causa inferant? Neq; verò solum nullum premi iniustè permittis: sed sæpe etiam, ne in vllam suspicionem incurras cuiusquam grauandi, non leuem vis pati iacturam. Iam quanto tuo labore, quantaq; impensa lites & controuersias popularium tuorum disceptas et discutis, vicinorumq; & amicorum componis & compescis dissidia & contentiones? Habent autem à te illi id gratis, imò tuo sumptu, quod apud alios non comparent pecunia, iustam, æquam, candidam, simplicem & humanam causarum tractationem. Hæ ergo mouerunt me insignes virtutes tuæ, vt cum perlegerem vitas Periclis & Fabij Maximi: qui multis, vti dixi, eximijs ornati virtutibus sunt, & paucissimos habent vitiorum næuos, et quorum optes citius quàm inuenias multos similes alios: eas præcellenti nomini tuo dicarem. Merentur enim ornamenta tua, vt has qui legat simul cogitet de mansuetudine & patientia, deq; alys decoribus tuis: habeatq; etiam de reliquis Plutarchi Vitis in Latinam linguam à me translatis tibi gratiam. Hinc enim cepi huius suscipiendi immensi auspiciũ operis, ad quod perficiendum multis distractus, tam publicis quàm priuatis occupationibus, sepositum tempus non habui: verùm cum feria mihi concessæ aulicæ fuerunt & respirare aliquantisper licuit à rei familiaris procuratione, id succisiuis horis peregi. Has meas vigilias, & primitias eorum quæ, postquam aulæ me mancipaui, in lucem edidi, nemini debui, optime Princeps, nisi tibi deferre: vel quòd in nexu & mancipio tuo sum, ac tua me tu insigni complexus gratia es: vel quòd horum virorum virtutes & mores, cum tua fide, humanitate, lenitate, & securitatis tuorum sint cautione consentientes. Præclara vox fuit Periclis, qui moribundus ad amicos, qui assidebant, recensentes & mirantes insignia eius facta, omnium se dixit, quæ perpetrasset, ducere excellentissimum, quòd ex ciuibus suis per ipsum pullam vestem nemo sumpsisset. Maiores item tui præter cæteras eximias & bellicas & ciuiles virtutes, fidei et lenitatis laude excelluerunt. quorum cum hæreditatem tu creueris supra pacis et quietis amorem, nihil est in te, cùm fide & comitate in omnes homines, tum facilitate & placabilitate vel in eos qui offenderunt & titubauerunt, admirabilius. Qua ego facilitate fretus, non dignitate vel splendore muneris, hunc meum fœtum nuncupare clarissimo nomini tuo ausus fui, quem satis magnam pro laboribus meis remunerationem accepero si probaueris. Vale Princeps excellentissime.

IN PERICLEM ET FAB. MAXIMVM, PRAEFATIO.

Cæsaris dictum in eos qui melioribus relictis, curãt deteriora.



AESAR, cùm peregrinos fortè quosdam vidisset Romæ diuites, qui canum catulos in gremio & simiarum circunferebant, atq; in delicijs habebant, An' ne fœminæ, quæsiuit, apud eos non parerēt pueros: sanequam digna principe admonitione vsus apud eos, natiuam qui nobisq; insitam charitatem & indulgentiam effundũt in bestias, hominibus debitam non bestijs. Igitur quando animo nostro auiditas inest naturalis quædam discendi & contemplandi, meritò compellimur, si qui eam, honestis præteritis & vtilibus, ad vana accommodent audienda & spectanda, eos culpare. nam sensus quidem eùm obiecta, ipsorum ictus occursu, patiendo apprehendat, cogimur fortasse, quicquid sese offert, siue commodum sit siue incommodum, contemplari: at mente pro nutu quisq; vti, vertereq; se ipse semper ac traducere facile quò libeat, valet. Debet itaq; optima quæq; persequi, quo non contempletur modò, sed alatur etiam contemplando. Vt enim oculo is demum gratus est color, qui floridus simul & amœnus recreat aliter visum: ita mens ad ea deducenda spectacula est, quæ oblectando ad propria eam alliciãt bona. Ea sunt in virtutis posita operibus, quæ æmulationem & alacritatem quandam excitant, et inflammant spectatores ad imitandum. siquidem alijs in rebus non continuo, qui admiratur factum aliquod, incitatur ad id efficiendum: imò sæpe contrà, quos opus delectauit, hi contemnunt opificem. Quod in vnguentis vsuuenit, & purpura, hæc nobis grata sunt: tinctores & vnguentarios, seruiles & sordidos ducimus. Præclarè itaq; Antisthenes, cùm insignem tibicinem esse audiuisset Ismeniam, At homo, inquit, prauus est: alioquin tibicen non tam sit insignis. Philippus filio, cùm suauiter aliquando & scitè cecinisset: Non te pudet, inquit, tam bene canere?

Optima menti semper proponenda.

Color gratissimus, qui.

Antisthenis de quodam tibicine dictum.

Regem an scitè canere deceat?

nere. Sat est enim, si vel audire vacet regi canentes, magnumq; Musis honorem habet, si certantes in huiuscemodi artibus spectet alios. Qui verò viles per se artes obit, hic suæ ad honesta studia socordiæ industriam in futilibus rebus profert contra semetipsum testem. Neq; sanè, qui Pisæ spectauit Iouem, Phidias esse iuuenis ingeniosus cupiuit vllus: neq; qui Iunonē Argis, Polycletus: neq; Anacreon, aut Philemon, aut Archilochus, horum qui ductus est poematibus. neque enim, si opus vt venustum oblectet, statim suspiciendus fuerit author. Quare ea, quia non excitant ad æmulandum studium, neq; stimulant rapiunt' que ad imitandum, fructum suis ferunt spectatoribus nullum. At virtus profectò ipsis actionibus ita homines extemplò incēdit, vt simul & opera eius in admiratione habeant, & imitari gestiat effectores. Quippe fortunæ bonorum possessiones & fruitiones, virtutis verò amplectimur actiones: atq; accipete illas ab alijs, has à nobis alios cupimus. Rapit enim nos ad se vi agendi honestum, impetumq; subitò infundit actuosum: informans non imitatione spectatorem, sed ipso aspectu operis voluntatem imprimens imitandi. Nobis igitur visum est describendis immorari vitis. Est decimum hoc volumen, quod commentati sumus, Periclis vitam & Fabij Maximi, qui bellum cum Annibale gessit, complectens: virorum cùm cæteris parium virtutibus, tum præcipue mansuetudine & iustitia, quiq; patientia aduersus ciuium & collegarum suorum insolentiam, optimè fuerunt de patrijs suis meriti. Id rectene atque ordine destinemus, existimes licet ex his quæ tradimus.

Virtutis vis.

Hic locus arguit alia volumina desiderari. nam singulis libris, par uitarum solitus est complecti Plutarchus.

Pericles.



ERICLES tribu fuit Acamantides, curia Cholargensis, familia & genere ab vtroque parente clarissimo. Xantippus enim, qui prælio Mycalensi regis duces fudit, vxorem duxit Agaristen, neptem Clisthenis, qui progeniem exegit Pisistrati, tyrannidemq; fortiter sustulit: leges quoque tulit, acrempub. optimè composu t, & temperauit ad cōcordiam & salutem. Hæc visa sibi in somnis est parere leonem. Et paucis diebus peperit Periclem forma reliqui corporis decenti, sed capite oblongo nec cōgruente. Vnde statuæ eius galeatæ sunt pene omnes: regentibus, vti coniicio, artificibus hoc vitium. At poetæ Attici Schinocephalum eum vocauērunt: Scillam enim nonnunquā schinon appellant. Inter Comicos, Cratinus in Chirosi,

Periclis genus.

Periclis matris somnium.

Pericles oblongo capite fuit.

Seditio, inquit, mixta cum senili tempore
Ex concubitu genuit tyrannum maximum,
Cephaligeretem quem dij beati nuncupant.

Rursus in Nemesi:

Hospity præses, & beate Iupiter
Progredere.

Teleclides nunc præ multitudine negociorum sedere consilij inopem ait eum in vrbe capite grauatum, nunc ex capite bendecaclino, quasi dicat, sesquipedali ingentem exoriri tumultum. Eupolis in Demis quærens de singulis concionatoribus, qui ab inferis ascenderant, vbi postremus nominatus Pericles est, rogat:

Producu ad quid Orci principem & caput?

Præceptorem habuisse in Musicis Damonem memorant pleriq;, cuius aiunt proferendum nomen prima breui syllaba. Aristoteles Musica excultum apud Pythoclidem tradit. Apparet Damonem, cùm insignis esset sophista, quo ad vulgus acrimoniā suam inumbraret, nomen prætexuisse Musicæ. Adfuit Pericli hic velut athletæ in repub. aliptes & magister. non fuit clàm tamen liræ Damonem velamento vti: verùm vt inquietus & tyrannidis fautor exilio punitus decennali fuit, præbuitq; scribendi poetis materiam. ac Plato induxit quendam, qui ita eum percunctaretur:

Periclis studia, et præceptores.

Age primulum rogo dicas omnium mihi,
Tun', vt ferunt, scelus euertisti Pericles?

Audiuit Pericles Zenonem quoq; Eleatem, de natura, Parmenidis more, philosophantem. qui impugnans quemlibet, vsum parauerat quendam refutandi, qui deduceret ad perplexitatem. quod Phliasius Timon quoq; affirmat, his verbis:

Zeno Eleates.

Omnia

Omnia perstringens Xeno disceptat, vtraq;
Ex parte inuictus, sed non fallax.

Plurimùm autem vsus est, qui maximum ei pondus & spiritus ad populum tractandum

Anaxagoras.

solidiores conciliauit, planeq; maiestatem morum excitauit & extulit, Anaxagora Clazomenio, quem illius temporis æquales Mentem appellauere: vel quòd perspicaciam eius singularem in natura perscrutanda, excellentemq; admirarentur: vel quòd vniuersitati, non fortunam neq; fatum ordinatæ descriptionis principiũ, sed mentem princeps puram ac synceram præfecerit, cum omnibus confusas alijs secernentem particulas simi

Periclis mores.

les. Hunc virum Pericles mirum quanti fecerit. Imbutus aũt rerum scientia sublimium & cœlestium, non solùm scilicet elato fuit animo, & sublimi vsus est dicendi genere, puro à plebeia et accersita garrulitate: verùm etiã vultus ad risum immotus, incessus comis, modestus vestitus, animus in dicendo imperterritus, modulatio sedata vocis, & reliqua

Periclis patientia.

eius generis omneis supra modũ adduxerunt in stuporem. Hic, cùm improbus & petulans homo quidam contumelia ipsum & maledictis totum diem insectaretur in foro etiam seria tractantem, tulit patienter. Vesperi comiter domum regressus est, assectante illo & omnibus contumelijs eum impetente. Ingressurus ædes, cum iam nox esset, iussit vni ex seruis, vt accenso lumine hominem comitaretur ac reduceret domum. Poeta

Ion poeta.

Ion fuisse arrogantem in sermonibus & inflatũ memorat Periclẽ, iactantiamq; eius cum aliorum coniunctã fastidio & contemptu: contrà celebrat ciuilitatem in quotidiana consuetudine Cimonis, lenitatemq; & venustatem. Cæterùm Ionem, vt qui omnino virtutem vult tanquam tragicam disciplinam redolere satyricũ quiddam, relinquamus. Zeno eos, qui grauitatem Periclis iactantiam & fastum nominant, vt æmulentur hortatus est eam iactantiam: quòd inducat sensim ipsa simulatio rerum honestarum occultum a-

Philosophiæ naturalis vtilitas.

morem earũ & assuetudinem. Nec verò hunc solum fructum tulit Pericli Anaxagoræ vsus, verùm omni etiam liberauit eum superstitione, quæ terrorem ex rebus æthereis imprimit ignorantibus earum causas, & ijs qui rerum diuinarum metu pauent, percellunturq; rudes earũ. quem eximens naturalis ratio, pro terrifica et æstuante superstitione, se-

Arietis caput cũ vno cornu in agro Periclis inuentũ, quid portenderet.

curam inserit cum bona spe religionẽ. Ferunt aliquãdo arietis caput, cum vnico cornu ad Periclem fuisse ex agro delatum, ac vatem Lamponem, vt cornu validum conspexit & firmum media enatum fronte, duarũ dixisse, quæ tunc in vrbe erant factionũ Thucydidis & Periclis potentiam ad vnum delatum iri, apud quem hoc prodigium euenisset: Anaxagorã verò, cum os capitis dissecuisset, monstrasse nõ complesse cerebrum sedem suam, sed oui modo acutum ex tota testa deuolutum eò loci unde originem radix cornu duçeret. Atq; in præsentia quidem habuerunt in admiratione, qui intererant, Anaxagoram: breui post Lamponẽ, cùm opibus fractis Thucydidis resp. vniuersa in Periclis manum recidisset. Poterat verò rectè vterq; coniecisse, tam Physicus quàm vates: alter qui causam, alter qui exitum probè est assecutus: illius erat enim munus, vnde prouenisset & quemadmodũ esset enatum, contemplari: huius ad quid genitum esset, & quid portenderet prænunciare. Qui autẽ causæ inuentionem abolitionem autumant ostenti esse, hi non considerant se vnà cum cœlestibus etiã artificialia irrita signa reddere: discorum crepitum, Pharorum lumen, gnomonis vmbram, quæ certa ex causa & opificio ad certã demonstrandã rem sunt singula parata. Cæterùm hæc alterius fortasse sint commentatio-

Periclis cũ Pisistrato similitudo.

nis. At Pericles metuit in iuuentute populum: videbatur enim facie Pysistratum tyrannũ referre. Cumq; vocis eius suauitatem grauiores ætate cõsiderarent, linguamq; in dicendo rotundam & volubilem, horrebant eam affinitatem. huc accesit opulentia, natalium claritas, & quorum maximę opes erant, amici. Quare timens, ne in exilium pelle-

Periclis initium Reip. gerendæ.

retur, abstinuit se à repub. In bello fortis fuit & imperterritus. Postquam verò defunctus Aristides est, & Themistocles eiectus, Cimon autem in expeditionibus plerunque extra Græciam distringebatur: tunc demũ accessit ad rempub. Pericles, prætulitq; cõtra suum ipsius ingenium minimè populare, diuitibus & paucis populi & inopum partes. Cæterùm, vt suspicor, cùm vitaret tyrannidis suspicionem, & Cimonem principum studiosum atq; optimatibus esse videret mirificè charũ: quo sibi securitatem & aduersus illum opes compararet, aggregauit se ad plebem. simul & institutum vitæ cõmutauit. Vna via videres in vrbe ad forum & ad curiam euntem. conuiuia, eamq; comitatem ac con-

Familiaritas nimia cõtemptum parit.

suetudinem omnem abrupit, tantoq; spacio quo in rep. est versatus, nemini amicorũ cœnam condixit: Euryptolemo excepto consobrino, cuius nuptijs, dum libatũ esset, interfuit, inde surrexit. Detrahunt enim familiaritates illæ facile fastum omnẽ, & maiestas

existi-

existimationis haud temerè in cōtubernijs retinetur. Enimuerò vera in virtute pulcherrima illa videntur, quæ apparent maximè: neq; est in bonis viris perinde alienis admirabile quicquam, atq; vita quotidiana familiaribus. Hic verò etiam assiduitatem refugiēs & fastidium populi, quasi ex interuallis progrediebatur, neq; omni de re dicebat, neque semper prodibat in cōcionem: verùm sicut Salaminiam triremen dicit Critolaus, ad negocia se teseruabat grauiora. cætera per amicos transigebat & oratores familiares suos: quorum vnum referunt Ephialtem fuisse, qui senatus Areopagi fregit potentiam, ciuibusq; affatim, vt ait Plato, meram propinauit libertatem: *Ephialtes orator.* qua equi luxuriantis more Comici dictitant postea desiisse populum audire principes, & mordere Euboeam cœpisse *Plato de Rep. lib. 8* & in insulas insultare. Iam vitæ instituto, & tantæ grauitati congruentem dicendi facultatem velut organum instruens, passim Anaxagoram explicabat, rationes Physicas velut tincturæ facultati dicendi suffundens. Cum enim altam illam mentem atque omnium efficientem, vt diuinus Plato ait, ex naturali disciplina ad præclaram indolem suam adiunxisset, *Plato in Phædro.* & quod esset ex vsu, ad artificium dicendi accommodasset, longè antecelluit omnes. Vnde cognomen eum memorant Olympij inuenisse. *Pericles cur Olympius dictus.* quamuis nonnulli à monumentis, quibus exornauit vrbem, alij à potentia, quam domi militiæ'que habuit, eo nomine arbitrantur insignitum. Nec verò quicquam prohibet, quin laus ea à multis, quibus resulgebat idem ille, conflata virtutibus fuerit. At comœdiæ, quòd qui ea tempestate docebant eas, & serias & ridiculas voces in eum multas eiacularentur, traxisse ex vi dicendi eum ostendunt hoc cognomen. Tonare enim & fulminare concionantem, & vehemens eum in lingua fulmen dicebant gerere. *Cic. in orat. ad Brutum.* Quoddam etiam dictum memoriæ traditum est Thucydidis Milesij iocosum de Periclis in dicendo neruis. Fuit autem ex optimatibus Thucydides, diuq; Periclis in repub. aduersarius. *Thucydides Milesius, Periclis aduersarius.* ex quo cum requireret Lacedæmoniorum rex Archidamus, ipse an Pericles melior lucta esset: Vbi ego, inquit, luctando eum prostraui, ille refellens persuadet se non cecidisse, atque in eam traducit spectatores opinionem. Verùm enimuerò ipse erat, cum dicturus esset, valde solicitus Pericles: *Periclis in dicendo religio.* vt cum ad concionandum accederet, semper precaretur deos, ne vllum verbum, quod ad rem præsentem non conueniret, inuito excideret sibi. Scripti præter Plebiscita reliquit nihil. *Periclis dicta.* Dicta cōmemorantur planè pauca: vt, cum tanquam lemam Aeginam iubet à Piræeo auelli, & bellum dicit iam exoriens se à Peloponneso prospicere. Cum aliquando Sophocles, qui cum eo nauigabat in prætura collega, formam pueri cuiusdam laudaret: Prætorem Sophocle, inquit, decet non solùm manus, *Cic. de off. lib. 1.* sed & oculos abstinentes habere. Stesimbrotus eum refert, cum pro concione celebraret illos, qui in Samo ceciderant, immortalitatem dixisse eos sicut deos adeptos. Neque enim illos ipsos, inquit, cōspicimus, at ex honoribus quib. coluntur, & ex bonis quibus fruuntur, ducimus eos immortales esse. Eadem contingunt ijs, qui vitam pro patria profuderint. Quia verò actiones in repub. Periclis principum describit Thucydides spectasse ditionem, *Thucyd. lib. 2* ac dictam quidem popularem, sed reuera vnius fuisse sub primario viro principatum: *Periclis resp.* plerique autem alij populum ferunt primum ab eo ad agrarias diuisiones, ad sportulas theatrales, & mercenarias largitiones accipiendas deductum, eo'que prauo more profusum luxuq; solutum istis actionibus redditum, frugi cùm fuisset antè & operis tolerauisset se suis. videamus causam ex rebus ipsis conuersionis. Initio, vt diximus, cum offerret gloriæ se Cimonis aduersarium, prensauit populum. Sed quòd superaret ipsum Cimon diuitijs & pecunia, quibus fouebat inopes, ad cœnam quotidie egenos ciues inuitans, senes vestiens, sepes amouens prædiorum, quo sumerent quibus liberet poma, hac popularitate inferior, Demonidis consilio lensis, vt tradit Aristoteles, conuertit se Pericles ad publica dilargienda: breui'que theatralibus & iudicialibus sportulis, atque alijs præmiationibus, largitionibus'que corrupta plebe, vsus est aduersus Areopagi curiam, *Periclis largitiones ad Areopagi diminutionem.* in qua ipse non erat: quòd nec archon, nec thesmothetes, nec rex sacrorum, nec Polemarchus sorte cooptatus fuisset. hi enim magistratus sortito antiquitus creabantur: quiq; in ijs specimen dedissent sui, aspirabant ad curiam Areopagi. Quare cum plus apud populum polleret Pericles, factione sua oppressit hoc consilium, eiq; opera Ephialtis pleraque ademit iudicia: *A Pericle Cimō pellitur in exilium.* ac Cimonem vt Lacedæmoniorum fautorem, infestumq; populo vrbe pepulit, opibus & nobilitate nulli secundum. qui victorias de barbaris pulcherrimas retulerat, opulentiaq; grandi ac manubijs expleuerat ciuitatem, vt in eius vita exposuimus. Tam validæ opes apud populum erant Periclis. Genere illo exilij, ostracismon vocabant, præfinitum exulibus erat spacium decennale, *Ostracismus.*

Interea Lacedæmonijs in agrum Tanagraicum incursionem magna manu facientibus, cum copias Athenienses contra eos eduxissent: reuersus ab exilio Cimon, quo factis dilueret studium in Lacedæmonios, discrimen cum ciuibus subeundo, cum in manipulo se tribulium suorum centuriauisset, necessarij Periclis eum vt exulem coitione facta abegerunt. ideóq; fortisime eo in cõflictu dimicasse Pericles videtur: eiusq;, qui plurimùm suo corpore exciperet periculi, enituisse supra cæteros virtus. Ceciderunt etiam Cimonis amici pariter omnes, quos æquè Pericles, tanquam cum Lacedęmonijs facientes insimulabat. Pœnituit autem maiorem in modum Athenienses, & desiderium tenuit eos Cimonis, quòd fusi fuissent in Atticæ finibus, maiorem'que molem in æstatem belli expectabant.

Pericles reuocat Cimonẽ ab exilio.

Quæ Pericles animaduertens, non detrectauit obsecundare plebi, ac plebiscitum, quo illum reuocauit, ipse scripsit. Reuersus Cimon pacem inter eas ciuitates iunxit. Erant enim studio Lacedæmonij in eum propenso: sicut oderant Periclem, & reliquos homines populares.

Periclis cum Elpinice Cimonis sorore familiaritas.

Sunt qui non antè referant latum à Pericle ad populum de Cimonis reditu, quàm occulta pactio inter eos, Cimonis sorore interprete Elpinice, intercesisset, vt classe Cimon ducentarum nauium accepta, foris præesset exercitui, & prouincias regis deuastaret, Pericles imperium domi haberet. Fama fuit etiam ante Elpinicen Cimoni, cùm causam capitis diceret, Periclem reddidisse placatiorem.

Periclis in Cimonem moderatio.

Fuerat enim inter accusatores Pericles vnus à populo delectus. Cùm adisset autem eum supplex Elpinice, ridens, At enim anus es, inquit, Elpinice: anus es nimium, quàm vt res tantas transigas. Attamen semel duntaxat surrexit ad dicendum, atque crimen defunctoriè attigit, abscesitq;, cùm moderatisimum se inter Cimonis accusatores præbuisset.

Ephialtis cædes.

Quî credas igitur insimulanti Periclem Idomeneo, oratorem ab eo Ephialtem amicum & consiliorum in rep. socium, æmulatione & inuidia gloriæ eius, per dolum interemptum? Hoc ille, haud scio vnde collectum velut fel offudit illi: non omni fortasse carenti reprehensione, sed animi viro celsi tamen & gloriæ cupidi, in quem facinus non competit adeò tetrum & atrox vllum. Ephialtem ergo, qui hostis acris erat eorum, qui paucorum potentiam fouebant, seuerusq; in detegendis & persequendis illis, qui circumueniebant populum, inimici implicatum insidijs Aristodici Tanagræi opera, vt prodit Aristoteles, clàm sustulere. At Cimon præfectus clasis in Cypro diem suum obijt. Optimates autem quanquam sentirent iam dudum validisimas in ciuitate euasisse opes Periclis, volebant cum eo aliquem tamen in ciuitate comparatum, qui potentiam eius, ne planè erumperet in tyrannidem, retunderet.

Thucydides Periclis in rep. aduersarius.

Itaque aduersarium ei obiecerunt affinem Cimonis, moderatum virum, Alopecensem Thucydidem. Qui cum minus bellicis laudibus esset quàm Cimon celebris, sed fori artiumq; peritus ciuilium: vrbem colens atque in concionibus cum Pericle decertans, breui rempub. ad æquilibrium reduxit. neque enim eos, qui optimates vocabantur, immisceri & confundi permisit, vt ante cum plebe, vbi multitudine offuscabatur dignitas eorum: sed secreuit eos, contractisq; in vnum omnium opibus, quæ hac ratione factæ sunt valentiores, fecit tanquam in lance momentum. Quippe prior illa tecta distractio, sicut in ferro, discrimen indicabat aliquod plebis & principum factionis. At horum virorum contentio & ambitio, ingenti diuisit ciuitatem fissura, effecitq; vt hæc pars populares, altera appellaretur pauci. Ibi itaque quam maximè laxatis plebi habenis, rempub. ad eius libidinem tractabat, erat'que in eo semper, vt celebre aliquod spectaculum aut epulum, aut pompam in vrbe instrueret: ciuitatem non illepidis deliniens voluptatibus. Iam sexaginta triremes quoque anno emittebat. magnus numerus in his ciuium nauigabat, octo menses æra merens, meditans'que simul & discens naualem disciplinam. Adhæc mille colonos Chersonnesum misit, Naxum quingentos, Andrum eius dimidium. In Thraciam mille ascripsit Bisaltis, in Italiam alios, cum instauraretur Sibaris, quos appellauere Thurios: eaq; agebat, quo ociosa & ex ocio importuna turba vrbem leuaret, & populi subueniret difficultatibus, timoremq; & præsidium, ne res nouas molirentur, adiungeret socijs.

Pericles Athenas ornauit operibus.

Maximam autem vrbi Athenarum venustatem ornatumq; conciliauit, cæteris verò mortalibus summum stuporem: ac sola Græciæ testimonio est, haud esse vanũ quod de illius ipsius prisca prædicatur potentia & opulentia, operum & ornamentorum vrbis molitio. Hanc actionem Periclis maximè mordebant inimici, traducebantq; in concionibus: fœdum vociferantes id populo esse & probrosum, quòd publicam Græciæ pecuniam ex Delo ad se transtulisset. Contra id autem quo vti speciosisimo, aduersus exprobrantes, obtentu poterat, metu se id inde sustulisse barbarorum, vt rem commu-

nem

nem tuto loco seruaret, hunc Periclem præcidisse, neque vulgari videri Græciam affici iniuria: imò plane opprimi tyrrannide, cùm cernat quæ necessario ipsa in bellum contribuit, his Athenienses vrbem deaurantes, & exornantes signis delubrisque sumptuosissimis: insolentis more mulieris, quæ gemmis sese preciosis excolat. Igitur demonstrauit Pericles populo, cùm ipse defendat socios & barbaros arceat, nō esse ipsum obstrictum, vt referat rationes illis, qui non equum, non nauem, non militem, sed pecuniam solum præbeant, quæ non dantium sit, sed accipientium: modo præstent id, cuius gratia recipiant. Debere verò, quia abundè ciuitas necessarijs instructa ad bellum sit, conuertere eam copias suas in hæc, quæ perpetrata sempiternam gloriam, dum in molimine sunt, quæstum pariant præsentem. quod varia opificia instituerentur, varia etiam ministeria: quæ quia omneis excitatura artes esset, & manus omnes motura, ciuitatem facerent pene vniuersam mercenariam, dum semetipsam decorat & alit. Nam quorum probata ætas & robur erat, hi stipendium militantes accipiebant ex publico. Multitudinem inconditam & ignobilem, quia nolebat à capturis secludere, neque tamen accipere inertem & ociosam, ingentibus molitionum cœptis & institutis operum, quæ varia requirebant artificia tractum habentia implicauit populum: vt non secus ac clasici, præsidiarij, ac militantes, vrbana quoque plebs haberet ansam, quo compendium facere ex ærario, eiusque fieri particeps valeret. Siquidem materia hîc erat lapis, æs, ebur, aurum, ebenus, cupressus: hæc elaborabant & expoliebant artifices fabri lignarij, plastæ, erarij, scalptores, infectores, bractearij, eboris in laminas secandi periti, pictores, pœcilitæ, toreutæ. Aduehebant ea & apportabant mercatores, nautæ, gubernatores mari: terra fabri carpentarij, qui equos alebant, aurigæ, restiones, lapicidæ, sutores, viarum munitores, metallici. Singulæ artes, sicut duces exercitum suum infimam multitudinem & plebeiam habebant sub se centuriatam. Organum ea erat & corpus in obsequia destinatum. In omnem autem pene dixerim ætatem & conditionem hominum distribuebant & dispertiebantur ministeria emolumentum. Cùm iam assurgerent opera insanis substructionibus, venustate & gratia incomparabili, certantibus superare molitionem arte opificibus, erat præ cæteris celeritas incredibilis. Quę enim arbitrabantur vix multis successionibus & æuis singula iri absoluta, in vnius ea florescente administratione principis confecta fuere cuncta. Et quidem tunc memorant, cùm gloriantem pictorem Agatarchem, quod citò & facile pingeret imagines, audiuisset Zeuxis, dixisse: Ego verò longo tēpore. Dexteritas enim in faciendo & acceleratio non addit pondus operi durabile, neque absolutum decorem: tempus verò ad producendum labori coniunctum, robur addit ad operis conseruationem. Quo magis opera admiranda sunt Periclis, quæ ad diuturnitatem modico perpetrata tempore fuêre. Elegantia enim singula iam tum erant antiqua: flore in hanc vsque diem recentia sunt & nouitia. ita tyrocinium quoddam elucet in eis, integram ab iniuria temporis speciem retinens: quasi habeant opera illa perpetuò virentem spiritum, & animam admixtam non emarcescentem. Quamuis autem haberent insignes architectos & artifices opera, omniū tamen dispensator & arbiter erat illi Phidias. siquidē Hecatompedon Parthenona excitauit cum Ictino Callicrates. Telesterion Eleusine cœpit Corœbus ædificare. Hic columnas in pauimento posuit & epistylijs iunxit. Quo defuncto Xypetius Metagenes septum & superiores columnas adiecit. Fastigio adyti fenestram addidit Cholargensis Xenocles. Longum murum, de quo ædificādo referet se Socrates audiuisse suadentem Periclem, Callicratides faciendum redemit. Mordet hoc opus Cratinus, quod segniter absolueretur:

Artifices varij Athenis.

Agatarchis & Zeuxis in pingendo mos.

Phidias.

Parthenon Hecatompedon. de hoc Plin. lib. 34. cap. 8.

Telesterion.

Longus murus.

Iam pridem enim, inquit, haud cessat murum iactare Pericles
Verbis, at re ipsa nil præstat.

Odeum, cuius habet interior descriptio multa sedilia, multasque columnas, tectum est autem subuexum & accliue in unum assurgens fastigium, imaginem ferunt esse & simulachrum tabernaculi regis. Instituit & hoc quoque Pericles. Vnde Cratinus iterū in Tressis ludit in eum:

Odeum.

Schinoscephalus iam præstò adest nunc Iupiter:
Odeon ast habet Pericles vertice,
Liber quia est ab exilij formidine.

Tunc primum ingenti studio Pericles tulit, vt certamen Musicorum Panathenæis celebraretur, digessitque id ipse creatus athlothetes, quemadmodum certantes tibia vel voce

Pericles musica certamina inducit.

vel cithara canerent. Spectarunt & eo tempore & deinceps in Odeo musica certamina.

Arcis propyles.

Arcis absoluta propylæa intra quinquennium fuerunt architecto Mnesicle. Mirifica verò fortuna, quæ in hac ædificatione accidit, significauit non inuita dea, sed propitia & secunda perpetratã. Promptissimus enim & maximè sedulus artifex, cum offendisset, delapsus ex alto est. itaque fuit afflictus, vt haberetur à medicis pro deplorato.

Periclem in somnis Minerua medicinam docet.

Inopi consilij Minerua in somnio se Pericli offerens præscripsit medicinam, qua vsus ille hominem cito & facile curauit. Quamobrem Salutaris Mineruæ signum æreum, in arce posuit iuxta aram, quam ante memorant ibi fuisse.

Phidiæ Minerua aurea.

Phidias signum Mineruæ aureum fecit, eiusque opifex est in basi inscriptus. Omnia fere hic ob Periclis necessitudinem curabat, artificibusque, vt diximus, præerat omnibus: id quod huic conuitia, illi conflauit inuidiam, quasi ingenuas matronas ad spectanda opera commeantes in gratiam Phidias Periclis reciperet.

Probra à comicis in Periclem iactata.

Eos rumores excipientes comici, insolentem lasciuiam ei impingere, ac Menippi vxorem amici atque in bello legati improperauere, Pyrilampisque auium viuaria: cui, cùm familiaris Pericles esset, infligebatur ipsum mulieribus, quibus consuesceret Pericles, subijcere pauones. Et quidem quis miretur, petulanti hominis lingua, si maledicta in principes inuidiæ multitudinis, tanquam malo dæmonio assiduè consecrauerint, cum Stesimbrotus quoque Thasius, atroci scelere & fabuloso Periclem asperserit in filij coniugẽ admisso? Tantæ molis est & difficultatis assequi ex historia veritatem. cum posteriores ante, quàm cognoscant res, præueniantur tempore: æqualis rerum gestarum & hominũ historia partim inuidia & odio, partim gratia & adulatione opprimat & peruertat veritatem. Porrò oratores, qui Thucydidis erant asseclæ, Periclem pecuniam dilapidare, & vectigalia euertere criminabantur. ibi pro concione, an multum impensum esset, requisiuit ex populo. Permultum verò, cum respondisset: Ne ergo vobis, inquit, sed mihi referatur expensum, meumque ipsius nomen his monumentis inscribam.

Periclis dictum magnificum.

Sub hoc Periclis dictum vel viri magnitudine animi obstupescentes, vel de operum cum eo certantes gloria, sublata voce, ex ærario impenderet, erogaretque nullo sumptus respectu, iussere.

Thucydides à Pericle expulsus in exilium.

Postremo de decennali exilio cum Thucydide contracto certamine depugnans, illum exterminauit, factionemque dissoluit aduersam. Ac tunc demum, postquam sublata iam omni contentione, ciuitateque ad concordiam & consensum reducta, planè sui iuris fecit Athenas, cunctaque ab Atheniensibus dependentia, vectigalia, exercitus, classes, insulas, mare, ingentes tam per Græcos quàm per barbaros expensas opes, imperiumque subditis nationibus, & amicitiam regum, & societatibus septum dynastarum, non fuit deinceps idem, neque perinde tractabilis populo, aut pronus ad concedendum & obsecundandum, sicut ventis, libidini plebis: sed ex laxa illa & conniuente quadam indulgentia,

Periclis potentia.

Pericles paulatim remp. mutat.

quasi florido & molli concentu, aristocraticum & regalem intendens reip. statum: præstans seipsum ad optima quæque rectum & inculpatum, suadendo atque docendo sponteneum fere duxit populum. interim vrgendo perquàm inuitum, cogendoque applicauit ad id quod ex vsu erat. In quo imitabatur haud dubie medicum, in morbo inconstanti & longinquo, suo tempore grata modicè, suo tempore acria & medicamenta adhibens ad salutem. Nam cùm varij nimirum morbi in turba existerent, tam ingentis domina imperij, solus scitè nouerat tractare singula: ac maximè spe metuque, tanquam clauis maturè eorum reprimens ferociam, languorem relaxans leniensque, ostendit artem dicendi, vt Plato ait, flexanimam esse, eiusque præcipuum esse munus, rationem tractandi motus & perturbationes: quasi tenores & sonos quosdam animi, qui scitè tangendi & pulsandi sint.

Eloquentiæ vis, Plato in Phedro & Gorgia.

Periclem vita et fides commẽdabant.

In causa fuit non vis nuda dicendi: verùm, vt tradit Thucydides, vitæ commendatio, fidesque eius vndequaque abstinentissimi, & pecuniæ contemptoris. Qui cum vrbem, quam magnam acceperat, maximam reddidisset atque opulentissimam, potentia verò multos reges & tyrannos superaret, quorum aliqui etiam liberis dominatus suos testamento reliquerũt: nec vno nummo fortunas suas, quas pater ei reliquerat, reddidit ampliores.

Thucyd. lib. 2.

Et quidẽ potentiã eius lucidè cõmemorat Thucydides, & comici eam inuidiose obiter ostendũt: qui nouos Pisistratidas eius necessarios vocãt, ipsumque iubent, vt cuius sint immodicæ opes & intolerabiles liberę ciuitati, tyrannidem se vsurpaturũ abiurare. Teleclides permisisse ei refert Athenienses vrbiũ tributa, ipsasque adeo vrbes has ligare, illas soluere, muros lapideos nũc extruere, nũc eosdẽ demoliri, fœdera, opes, vires, pacẽ, opulentiã, fortunasque omneis: neque id occasione adductos, nec vigore & gratia breui momento florescẽtis administrationis, sed ob nnuit quadraginta spacio annorum inter Ephialtes, Leocrates, Myronides, Cimones, Tolmides, Thucydides princi-

principatum, qui oppresso & expulso Thucydide, nō minus quindecim annos durauit. Hic autem cùm continuum in annuis magistratibus imperium & arbitrium obtinuisset, animum tamen præstitit à pecunia inuictum: non negligens alioquin rei familiaris, imò paternas & iustas facultates, vt nec inertia dilaberentur, nec multum interpellarent vel distinerent occupatum, certa ratione, quam censebat expeditissimam & exactissimam, dispensauit. Quippe annuos fructus simul omnes distrahebat: inde necessaria quæque mercabatur ex foro, atq; ita vitam victumq; quotidianum procurabat. Vnde parum iucundus filijs erat iam adultis, nec splendidè mulieres habebat: quæ ægrè ferebant, quòd ita viueret in diem, et sumptus ita ad vnguem circuncideret. Vbi, vt par erat, ampla in domo & opibus affluentibus nihil efflueret, verùm omnes impensæ, omnia emolumenta certo essent numero & modo constituta. Huius tam exquisitis rationibus vnus seruus moderabatur Euangelus, præclara supra cæteros indole præditus, aut à Pericle ad domesticam institutus disciplinā. Cæterùm hæc abhorrebant omnia ab Anaxagoræ sapientia. nempe hic numinis afflatu & animi ductus celsitudine, domū deseruit, & agrum reliquit incultum, vastatumq;. Atqui non eadem est meo iudicio philosophi rebus dediti perspiciendis, atq; in rep. versantis vita. Ille enim in rebus honestis mentem exercet, nullius indigam instrumenti vel rerum exterarum: hic, qui ad vsum hominum accommodat virtutem, nonnunquam etiam honestè, nedum necessario vtatur diuitijs. quod fecit Pericles, qui multis subuenit pauperibus. Et verò etiam ipsum perhibent Anaxagoram, ætate decrepita neglectum, occupato Pericle iacuisse, atq; obuoluto capite vitā finire inedia statuisse: Periclem ea re ad se delata perculsum, aduolasse confestim ad illum, & enixè orasse, lamentasseq; non illum, sed seipsum, qui talem in rep. gerenda consiliarium amitteret. Ibi Anaxagoram aperto capite ei dixisse: Etiam ij quibus lucerna Pericle opus est, infundunt oleum. Cum verò Lacedæmonij iam cœpissent vrbis Atheniensis incremento inuidere, ad maiorem gloriam excitans populum Pericles, & ad ingentia conāda, rogationem fert vt omnium vndiq; Græcorum, siue Europam siue Asiam colerent, indiceretur concilium, vtq; ciuitates tam magnæ quàm exiguæ, mitterent Athenas legatos ad conuentum: acturos de fanis Græcorum, quę barbari inflammauerant: & de sacris, quorum ex votis, quæ dijs fecerant, cum dimicarent cum barbaris, damnati essent: & de mari, quo tuto omnes nauigarent, & in ocio degerent. Cum his mandatis viginti legati missi, qui quinquagesimum annum excesserant. Ex his quinq; Ionas, Dores Asianos, & insulares, ad Lesbum & Rodum vsq; cōuocarunt. Quinq; ad colentes oram Hellesponti, & Thraciæ Bizantium vsq; progressi sunt. Ad hæc quinq; in Bœotiam, Phocidem, & Peloponnesum: hinc per Locros, ad continentem proximā, in Acarnaniam vsq; & Ambraciam missi. Reliqui per Eubœā ad Oethæos, & sinū Maliacum, Phthiotas, Achęos, & Thessalos profecti. Suaserunt hi, vt ad cōcilium coirent ad consultandum in medium de pace, & rebus Græciæ nouatis. Verùm id vanum fuit, neq; cōuenerunt ciuitates aduersantibus, vti fama est Lacedæmonijs, probatusq; conatus irritus primum in Peloponneso fuit. Hæc attexui quo spiritus & excelsum animum declararem Periclis. In expeditionibus suis ex securitate summam est laudem consecutus. Neq; enim prælio, cuius valde dubia alea & periculum esset, decreuit libenter: neq; eos, qui cœptis ex præcipitibus præclaros successus habuerāt, & celebrabantur, vt claros duces duxit sequendos aut imitandos: semperq; vox hæc eius audita ad ciues est, quatenus facere ipse posset, mansuros ipsos in perpetuum immortales. Cùm cerneret Tolmidem Tolmæi ob superiores victorias, & laudem ex rebus bello gestis insignem, suam incursionem alieno tempore moliri in Bœotiam, atque induxisse fortissimos quosq; ex iuuentute & animosissimos, vt voluntarij ad mille, præter reliquum delectum, nomina darent, retinere tantauit eum, & pro concione orauit, illud tritum dictum referens: si non crederet Pericli, at non erraturum tamen, si prudentissimum consiliarium operiretur, tempus. Atque in præsentia quidem laudem ex hoc dicto consecutus est mediocrē. Paucis post diebus, cum cecidisse nunciatum est Tolmidem ipsum apud Coroneam acie fusum, multosq; et fortes ciues occubuisse: tunc verò magnam prudentiæ & amoris in ciues ex ea re cum beneuolentia retulit laudem. Inter expeditiones eius, cōmendata imprimis illa in Chersonnesum fuit, quæ Græcis illius incolis loci fuit imprimis salutaris. Non solum enim mille robore colonorum Atheniensium, quos eò vexit, confirmauit ciuitates, verum etiam ceruicem amplexus propugnaculis & munitionibus ex vno mari in alterum, incursiones prohibuit circumfusorum Chersonneso Thracum, bellumq; perpetuum & graue exclusit, quo ca

Pericles liber ab auaritia.

Periclis domestica disciplina.

Politici viri & philosophi diuersa viuēdi ratio.

Pericles concilium Græcorum indicit Athenas.

Pericles securitatis amator in bellis gerendis.

Tempus, consiliarius optimus.

Tolmidis cædes.

Periclis expeditiones.

regio barbaris commixta accolis, & plena latrociniorum tam finitimorũ quàm intestinorum semper erat infesta. Et verò etiam ex ea expeditione, qua centum triremium classe, ex Pegis Megaricæ soluens Peloponnesum circumuectus est, laudem nomenq́ue retulit apud exteras nationes insigne. Neque enim maritima modò oppida, vt antè Tolmides, vastauit, sed & in continentem longe progressus naualibus copiis, cæteros intra mœnia redegit formidantes eius aduentum: apud Nemeam verò excipientes ipsum Sicyonios & prælio decertantes fudit, fugauitq́ue, ac trophæum ibi excitauit. Ex Achaia, quæ fœderata erat Atheniensibus, ascriptis in classem militibus, ad oppositam continentem delatus est. cumq́ue prætervegisset Acheloum, depopulatus est Acarnaniam, atque Oeneadas intra muros compulit: quorum vastatis fœdatisq́ue finibus, recepit se domũ, cùm terribilem hostibus se, cautum strenuumq́ue ostendisset ciuibus. Nulla enim offensio, ne fortuita quidem oblata est militibus. Magna etiã & egregiè instructa classe petiuit Pontum. vbi ciuitatibus Græcis, quæ postulassent, confecit, easq́ue benignè habuit. Vicinis barbaris nationibus, earumq́ue regibus & dynastis, magnitudinem ostentauit virium populi Atheniensis, securitatemq́ue & audaciam, quo vellet cunque, nauigantis, atque totius domini maris. Sinopensibus naues cum Lamacho tredecim reliquit & auxiliũ contra Timesilaum tyrannum. Quo cum amicis eiecto, tulit ad populum vt sexcenti ciues Athenienses voluntarii mitterentur ad frequentandam Sinopen, & ad accipienda tecta, agrumq́ue, quem tenuerat antè factio tyranni. In reliquis non obsecundauit cupiditati ciuium, neque illorum impetu ablatus est: cùm tantis viribus & secundis rebus elati Aegyptum gestirent de integro vendicare, & tentare oram maritimam regi parentem. Plerosque etiam Siciliæ infaustus & infelix tenebat æstus, quem postea oratores ex Alcibiadis factione inflammauerunt. Aliqui Hetruriam & Carthaginem somniabant. Nec vana nitebantur spe propter imperii, quod obtinebant, molem, & rerum cursum secundarum. Cæterùm compressit hanc excursionem Pericles, & effrenatam rerum gerendarum præcidit auiditatem. Opes autem pene omnes conuertit ad tuenda & cõfirmanda ea, quæ iam obtinebãt: præclarè agi ratus, si reprimere Lacedæmonios valerent. his enim omnino erat infestus: quod cùm aliis rebus multis, tum actis in bello sacro declarauit. Nam cùm Lacedæmonii cum exercitu profecti Delphos restituissent ciuibus delubrum, quod tenebant Phocenses, confestim ab illorum discessu Pericles admoto exercitu reduxit eò Phocenses. Cùm Lacedæmonii autem, quam eis Delphi dederant, in oraculis prærogatiuam insculpsissent in frontem ænei lupi, accepit ipse quoq́ue Atheniensibus prærogatiuam, eamq́ue in eiusdem lupi dextrum latus incidit. Rectè verò atque ordine Atheniensium eum copias in Græcia detinuisse, quæ consecuta sunt, demonstrarunt. Siquidem primùm Eubœi defecerunt, aduersus quos traiecit cum exercitu. Mox Megarenses ad arma nunciatum est iuisse, & exercitum hostium, duce Lacedæmoniorum rege Plistonacte, fines Atticos ingressum. Itaque recepit se confestim ex Eubœa ad bellum domesticum: manum verò dubitauit cum multis & fortissimis militibus conserere lacessentibus. Sed cum videret Plistonactem admodum adolescentem esse, & consilio præcipue vti Cleandridæ, quem custodem Ephori & consultorem ei propter ætatem adiunxerant, solicitauit eum clàm, breuiq́ue delinitum muneribus induxit, ex Attica terra vt abduceret Peloponnesios. Exercitu reducto & per oppida dilapso, offensi Lacedæmonii regi mulctam pecuniariam dixerunt. cuius summæ cum soluendæ non esset, exilio solum vertit. Cleandridam, qui profugerat, rei capitalis damnauerunt. Pater hic fuit Gylippi, qui Athenienses in Sicilia contudit. Videtur autem morbus ei ex natura gentilitius auaritia fuisse: cuius impulsu hic quoque, fœdorum compertus facinorum, eiectus Sparta est. Cæterum hæc in rebus gestis Lysandri persecuti. In rationes expeditionis huius sumptum decem talentorum retulit Pericles vtiliter expensum: quod populus non anxiè perscrutato vel excusso arcano comprobauit. Sunt qui scriptum reliquerunt, inter quos est Theophrastus philosophus, dena talenta quotannis missitata à Pericle Spartam, quibus omneis qui in magistratu erãt authorans, bellum amolitus est: haud redimens pacem, sed spacium, quo præparatis per ocium omnibus, bellum erat commodius gesturus. Mox conuertit se in eos, qui desciuerant. Transmisit in Eubœam quinquaginta nauibus, & quinque millibus militum. Ibi oppida redegit in potestatem. Inter Chalcidenses, eos qui Hippobotæ appellabantur, opibus & authoritate primos expulit, Estienses omnes exterminauit, eo'que coloniam deduxit Atheniensium: hac vsus in eos sæuitia, quòd illi naui quadam capta Attica, omneis qui in ea erant contrucidas-

Pericles populi cupiditatem inhibet.

Pericles infestus fuit Lacedæmoniis.

Cleandridas corruptus à Pericle.

Gylippus.

Periclis gesta in Eubœa.

trucidassent. Exin pactis inter Athenienses & Lacedæmonios inducijs in triginta annos, effecit vt populus expeditionem iuberet in Samios. Causam aduersus eos hanc prætendit, quòd bellum iussi cum Milesijs dirimere, non obtemperarent. At quia ea quæ in Samios gessit, in gratiam fecisse Aspasiæ creditur: non sit incongruum hoc maximè loco considerare, quæ ars, quæ'ue vis in ea tanta fuerit, vt principes habuerit ciuitatis in potestate, & philosophi præclaram celebremq́ mentionem eius fecerint. nam Mileto ortam fuisse Axiochi filiam in confesso est. Aiunt eam vestigijs instituisse Thargeliæ cuiusdam, ex veteribus mulieribus Ionicis, & arrepsisse ad amicitiam eorum, quorũ summæ erant opes. Quippe Thargelia, quæ venusta esset facie, cuiq́ lepos cum acumine inesset, habuit cum plurimis Græcis consuetudinem, omnesq́ quibus consueuisset, conciliauit regi: quorum opera virorum pollentissimorum & primorum sparsit furtim in vrbibus Medorum sectæ rudimenta. At Aspasiam aliqui, quòd prudens esset & tractandæ callens reip. cultam aiunt à Pericle. Et ipse etiam frequentauit eam cum familiaribus Socrates, fœminasq́ ad audiẽdam eam duxerunt familiares: licet officinam tractaret parũ decoram & honestam, quæ puellas ad quæstum corpore faciundum aleret. Aeschines Lysiclem quoque refert pecorum cauponem, qui consuetudinem post obitum Periclis cum Aspasia habuit, ex homine natura inerti & abiecto, principem euasisse Athenis. In Menexeno Platonis, quamuis principium scriptum iocose sit, tantùm inest historiæ tamen, famam tenuisse, ob dicendi artem multis vsam Atheniensibus mulierem. Atqui lasciuum fuisse amorem equidem citius dixerim in Aspasiam Periclis. siquidem vxorem habebat propinquam suam, quæ antè nupta Hipponico fuerat, & illi Calliam ediderat diuitem illum. genuit etiam in matrimonio Periclis, Xantippum & Paralum. Id cum esset matrimonium vtriq́ odiosum, collocauit eam alteri nõ inuitam. Inde Aspasiam vxorem duxit, quam mirè dilexit: nam siue exiret, siue rediret à foro, salutabat semper eam osculo. In comœdijs noua Omphale & Deianira, aliàs Iuno nominatur. Cratinus disertè pellicem appellauit, hisce versibus:

Pericles bellum facit Samijs.
Aspasia mulier prudentissima, de qua Suidas et Laertius.
Thargelia.
Callias diues.

Iunonem ea Aspasiam parit
Et impudicam & pellicem, inuerecundamq́.

Nothum etiam genuisse ex ea opinio est. de quo in Demis Eupolis eum inducit, sic rogantem:

Ecquid nothus superest mihi?

& Pyronidem respondentem:

Esset profectò vir dies vel ante plurimos,
Scorti nisi subtimuisset infortunium.

Adeò memorant autem celebrem Aspasiam & nobilẽ fuisse, vt qui cum rege Persarum de regno bellum gessit, Cyrus eam, quam in pellicibus adamabat præcipue, vocauerit Aspasiam, cui fuerat ante Milto nomen. Ex Phocide orta filia fuit Hermotimi: occiso in acie Cyro, deducta ad regem plurimum potuit. Hæc mihi inter scribẽdum occurrerunt, quæ reijcere & transire durum fortassis fuisset. Porrò bellum in Samios Milesiorum potissimum gratia, queruntur precibus adductum Aspasiæ Periclem suasisse. siquidem ciuitates hæ de Priene certabant armis. Victores autem Samij iubentibus arma deponere Atheniensibus, & apud se de controuersia disceptare, dicto non fuerunt audiẽtes. Eò igitur cum classe profectus, paucorum vim, qui dominabantur Sami, dissoluit, obsides accepit quinquaginta ex primoribus, totidemq́ pueros, quos misit Lemnum. Sunt autem qui tradant obsides omnes singula talenta in capita ei ad se redimendum obtulisse, multa insuper eos, qui à populari ditione abhorrebant. Ad hæc Pissuthnes Persa, Samiorum studiosus, ad veniam his impetrandam misit ei decem millia aureorum. ex quibus ille tamen nihil accepit: sed rebus apud Samios pro arbitrio suo cõpositis, translataq́ ad populum summa potestate, Athenas retrò classe abijt. Mox illi rebellauerunt, cùm opera Pissuthnis obsides clam profugissent, bellumq́ summa ope pararũt. In quos iterũ mouit Pericles. nec illi pacati fuerũt aut metu perculsi: sed maximo animo instituerunt mare asserere. Atrox præliũ nauale apud insulã, quam Tragiam dicunt, fuit cõmissum: quo reportauit nobilem victoriã Pericles, qui quatuor & quadraginta nauibus oppressit septuaginta, quarũ erant armatæ viginti. Insequẽs victos occupauit portũ, ac Samios obsedit: ne tum quidẽ fractos, sed eruptione pro muris præliũ miscere plane ausos.

Milto pellex Cyri Aspasia vocata.
Periclis in Samios bellum. Thucyd. lib. 1
Pissuthnes Persa.
Periclis de Samijs victoria.

Verùm altera superueniente ex Athenis maiore classe, cùm Samij vndiq; clausi essent, classe nauium sexaginta, in exterum pelagus nauigauit: hoc consilio, vt pleriq; authores sunt, quo nouo subsidio, quod ex Phœnicia veniebat Samijs, occurreret, & quàm remotissime dimicaret cum eo: seu, vt Stesimbrotus, quo Cyprum peteret. quod non videtur consentaneum. Vtracunq; fuerit eius deliberatio, videtur parum ei ex sententia cecidisse. postquã enim profectus cum classe est, Melissus Ithagenis philosophiæ deditus, qui id temporis prætor erat Samiorum, contempta paucitate nauium aut ducum imperitia, incitauit ciues vt Athenienses adorirentur. Ita Samij certamine commisso fuderunt Athenienses, quorum permultis captis, multis etiam depresis nauibus, libero potiti sunt mari, atq; necessaria ad bellum, quibus ante deficiebantur, importarũt. A Melisso ipsum etiam, ait Aristoteles, Periclem fuisse priùs nauali prælio superatum. Captiuorum Atheniensium Samij reddita contumelia, frontem inscripserunt noctua: vt ipsorum frontem antè Athenienses Samæna. Est Samæna nauis prora demissa: concaua autem magis & ventricosa, vt ad mare commodior & agilior sit. Nomen hoc obtinuit quòd in Samo primo visa sit à tyranno parata Polycrate. Ad hæc stigmata aiunt Aristophanẽ obscurè allusisse:

Melissus philosophus, Samiorum prætor.

Samæna, nauigij genus.

Aristophanis dictum acutum in Samios.

Samij periti literis quamplurimùm.

At Pericles, nunciata exercitus clade, tulit properè subsidium, ac Melisso acie fuso fugatoque, hostes confestim muro circũuallauit: sumptu & diuturnitate potiùs quàm vulneribus & periculis ciuium, vincere & subiugare studens oppidum. Verùm cum moræ Athenienses pertæsos & pugnandi cupidos, nõ facile esset reprimere, in octo parteis distributis copijs sortem duxit: cui obuenisset alba faba, huic epulari feriariq;, dum pugnarent reliqui, permittebat. Vnde albam diem, quo quis genio indulsit, aiunt ab alba faba nominari. Addit Ephorus & machinis vsum Periclem, cum captus esset nouæ rei admiratione, & habuisse secũ Artemona mechanicũ. quem, quòd claudus esset, & siquando necessitas eum vocaret ad opera, lectica deferretur, Periphoretum dictum. Id confutat Pontius Heraclides versibus Anacreontis, in quibus Artemonis Periphoreti multis, ante bellum Samium & has res gestas, ætatibus mentio fit. Hic Artemona refert fuisse mollem hominẽ, meticulosum & pauidum, domi ferè residem: supra cuius caput, ne quid decideret supernè, duo serui clypeum æneũ tenerent. Cùm necesse haberet exire, circumferri solitum in lectulo pensili humi penè. hinc nuncupatum Periphoretũ. Nono mense Samij fecerant deditionem: quorum muros Pericles diruit, naues ademit, atq; ingenti summa pecuniæ eos mulctauit. cuius partem repræsentauerunt Samij: reliquam pacti certa die soluere, obsides dederunt. Exaggerat hęc Duris Samius, magnamq; atrocitatem in Athenienses & Periclem confert: de qua nihil meminit nec Thucydides, nec Ephorus, nec Aristoteles. Sed mentiri illum reor trierarchos clasiariosq; Samios in forũ Milesiorum eum produxisse, & asseribus decem dies alligasse, demum semianimis iam iusisse fustibus concidi capita, atq; ita eos interfici: inde insepulta projici cadauera. Verùm enimuerò videtur Duris, qui vel vbi nullo priuato rapitur affectu, veritatis in historia solitus est limites transire, quo inuidiam Atheniensibus conflaret, atrocius patriæ intendisse calamitates. Subacta Samo vt regessus Athenas Pericles est, exequias fecit splendidè eorum qui in bello occubuerant, orationemq; funebrem de more habuit luculentam. De suggestu descendentem cæteræ fœminæ complexæ sunt, coronisq; & vittis, vt athletam, victorem ornarunt. Elpenice verò propius accedens, Præclara verò res, inquit, Pericle & digna coronis: qui dum bellum facis non Phœnicibus aut Medis, sicut meus fecit frater Cimon, sed sociam & cognatam vrbem excindis, multos nobis & fortes ciues amisisti. Sic fata Elpenice subrisit Pericles, & submissè hoc ei respondit Archilochi:

Dies alba, quæ.

Artemon Periphoretus, mechanicus.

Pericli dedunt se Samij.

Elpenice.

Periclis dictum mordax in vetulam.

Quando anus es, vngi minus tibi conuenit.

Deuictis Samijs, mirè scribit supraq; modum eum Ion animum sustulisse: quòd cum barbaram vrbem Agamemnon decem annis, mensibus nouem ipse principes Ionum & opulentissimos subiugasset. Neq; iniuria gloriatus est, imò tam anceps sors & discrimen tam ingens fuit huiusce belli, vt quod tradit Thucydides, si modo id verùm sit, Samiorũ ciuitas penè imperio maris exuerit Athenienses. Secundum hæc, cum æstuaret iam bellum Peloponnesiacum, Corcyræis quos persequebantur Corinthij bello, author populo fuit vt mitteret suppetias, & ciuitatem mari pollentem adiungeret sibi, quod Peloponnesij bellum in ipsos moturi propediem essent. Vt populus auxilium iusit ferri, Lace-

Belli Peloponnesiaci causæ.

Athenienses mittuntur Corcyræis auxilium.

Lacedæmonium misit eò Cimonis filium, cui in contumeliam tantum decem naues attribuit. Siquidem magna intercedebat Cimonis familiæ cum Lacædemonijs necessitudo & amicitia. quo igitur maiorem ex gratia Lacedæmoniorum traheret Lacedæmonius inuidiam, si nihil insigne aut memorabile gestum esset ductu suo, exiguũ numerum ei nauium dedit, extrusitq; inuitum, omnibusq; modis filiorũ Cimonis incremento offecit, quasi ne nominibus quidem indigenarum, sed peregrinorum & hospitum: quòd vni Lacedæmonio, alteri Thessalo, Elio tertio esset nomen, omnes autem vulgo ferrentur ex muliere progeniti Arcadica. Ergo cùm esset ob decem has naues infamis Pericles, quòd exiguum auxilium indigentibus, magnam autem ansam præbuisset lacerãdi sui inuidis, alias inde plures Corcyram misit, quæ post pugnam venere. Infensis Corinthijs & Athenienses Lacedæmone criminantibus associauère se Megarenses, incessentes præter ius gentium, & iusiurandum inter Græcos datum, omnibus emporijs, omnibus se portubus, quos obtinerent Athenienses, prohiberi & arceri: Aeginetę, quorum miserabilis conditio & afflicta videbatur, quia accusare propalam non audebant Atheniẽses, clàm apud Lacedæmonios quiritabantur. Dum hæc aguntur, Potidæa (quod oppidum formulæ erat Atheniensium, sed colonia Corinthiorum) quia desciuerat, circunsidebatur. quæ res bellum maturauit magis. Verumtamen cum mitterentur Athenas legati, & studeret rex Lacedæmoniorum plæraq; crimina Archidamus pacare, sociosq; mulceret: verisimile est non fuisse eos Atheniensibus illaturos cæteras ob causas arma, si adduci, vt plebiscitum Megaricum circumducerent, pacemq; componerent cum illis, potuissent. Cui quia præcipue intercessit Pericles, & populo inflammato præfractè oppugnauit Megarenses, solus author habitus est belli. De his ferunt legatos venisse à Lacedæmonijs Athenas: & cum legem Pericles certam obtenderet, quę tabulam interdiceret in quam plebiscitum esset relatum reuellere, dixisse vnum ex legatis Polyarcem: Tu verò ne reuulseris, sed conuerte tabulam intrò, cum non sit hoc quæ impediat lex vlla. Hoc dictum quamuis facetum videretur, nihilo fuit remissior tamen Pericles. Et sane persequebatur priuato quodam odio, vti reor, Pericles Megarenses: prætendens autem publicam & manifestã aduersus eos noxam, interuertisse eos agrum sacrum, scribit plebiscitũ: vt caduceator ad eos mittatur, atq; idem ad Lacedæmonios, qui Megarenses in crimen vocet. At ea rogatio Periclis æquam continet & lenem querelam: verùm quoniam caduceatori, qui missus fuerat, Anthemocrito quęsita mors dicebatur à Megarensibus, bellum ijs ex Charini rogatione internecinum & implacabile indicitur. Si quis attingeret Megarensis finem Atticum, mors ei denunciaretur: Prętores in solemni iureiurando adderent, vt bis quotannis agrum Megarensem popularentur: tumularetur Anthemocritus iuxta portam Thryasiam, quam nunc Dipylon nuncupãt. Megarenses verò cædem inficiantes Anthemocriti, causam omnem in Aspasiam detorquent & Periclem, allegantq; celebratos & vulgaros hosce versus Aristophanis, ex Acharnibus:

Cimonis filij.

Athenienses accusantur Lacedæmone.

Pericles belli Peloponesiaci causa.

Atheniẽsium in Megarenses odium.

Iuuenes profecti Megaram ebrij, auferunt
Simætham ex scortatione nobilem:
Megarensis hinc populus dolore percitus,
Furatur Aspasiæ duo scorta haud impiger.

Gellius libro 6. cap. 10

Ac origo quidem belli, vnde manarit, haud procliue est nosse. Plebisciti verò illius non antiquati, iuxta omnes causam conferunt in Periclem. Verùm hi ex animi celsitudine ferunt coniuncta cum prudentia eum restitisse, cùm arbitraretur eo præcepto tentari, an cessuri ipsis Athenienses essent, & debilitatis esse concessionem confessionem: alij peruicacia potius & concertatione, ad ostentandam potẽtiam suam despexisse Lacedæmonios. Deterrima causa omnium, cui tamen assentiuntur pleriq; omnes, hæc perhibetur esse· Phidias plastes signum, vt dictum est, Mineruæ conduxerat faciendum. Familiaritate hic Periclis vsus est, plurimumq; apud eũ potuit: quare inuidiã cõtraxit, ac nõnullos habuit eius causa infestos. Alij, quo periculũ in illo facerẽt q populus in Periclẽ futurus iudex esset, Menonẽ quendã, cuius opera vtebatẽ Phidias, cõstituunt in foro supplicẽ, petentẽ fidẽ publicã dari sibi, indicaturũ se & delaturũ certa de Phidia. Cùm populus illũ admisisset, & quæstio in foro haberetur, nulla prolata furta fuerũt. Aurũ enim sic à principio fuerat Periclis cõsilio simulachro illigatũ & circũiectũ, vt detrahi vniuersum & ꝓbari valeret ad staterã: q̃d vt facerent, ꝓuocauit tũc Pericles accusatores. Enimuerò premebat excellentia operũ Phidiã, præcipue q in pugna Amazonica, quã finxit in clypeo Mineruę, effigiẽ suã expressisset, calui senis saxũ ambab. manib. sublatũ tenẽtis: pręclarã

Phidias plastes.

Periclis periculum in iudicijs amicorum.

Amazonum pugna à Phidia ficta.

item

item inclusisset Periclis imaginem, manus cum Amazone conserentis. Figura manus qua attollit hastam, ita erat fabrefacta, vt prætensa oculis Periclis, quasi tegere conetur vtrinque elucentem similitudinem. Ac Phidias quidem in vincula ductus morbo interijt.

Phidiæ mors.

Alij veneno volunt ab inimicis, ad inuidiam Pericli mouendam sublatum. Indici Menoni ferente ad populum Glycone immunitas data. commendauit insuper prætoribus securitatem illius populus. Eadem tempestate Aspasia violatæ religionis est rea facta, accusatore Comœdiarum scriptore Hermippo: obiecit præterea eam liberas fœminas, quibus illudebat Pericles, recipere. Ad hæc rogationem tulit Diopithes, nomina vt deferrentur eorũ qui esse deos negarent, aut qui sermones de rebus æthereis sererent: ea suspicione perstringens Anaxagoræ causa Periclem. Cum præberet his aures populus, quæstionesq́ reciperet: tum demum plebiscitum fit rogante Dracontide, vt rationes expensæ pecuniæ Pericles apud Prytanas deponeret, iudicesq́ sententiam ex ara ferrẽt, atque in vrbe hanc cognitionem exercerent. Agnon hoc ex rogatione circumduxit. tulit autem, vt causa apud mille quingentos iudices ageretur: siue peculatus & repetũdarum, siue iniuriæ vellet quis crimen appellare.

Aspasia accusatur.

Pericles Aspasiã precibus & lachrymis iudicio eripit.

Ac Aspasiam quidem eripuit Pericles precibus, pro qua vim lachrymarum in causa dicenda, vt scribit Aeschines, profudit, obsecrauitq́ iudices: Anaxagoram trepidans ablegauit, atque ex vrbe deduxit. Cum verò Phidiæ causa offendisset populum, ideoq́ horreret iudicia, cunctanti & fumare incipienti subdidit faces bello: sperans fore, vt crimina discuteret, & leniret inuidiam, cùm arduis in negocijs & discriminibus esset ad ipsum vnum, propter authoritatem & opes ipsius se ciuitas collatura. Hæ esse causæ referuntur, quamobrem non permiserit Lacedæmonijs populum morem gerere: veritas in obscuro latet. At Lacedæmonij pro certò habentes, vndequaque remissiores se oppresso Pericle præbituros Athenienses, iusserunt eis piaculum eijcere, quo erat, vt tradit Thucydides, ex genere materno contactus Pericles. Verùm cœptum ijs, qui miserant, longe aliter cecidit. quippe pro suspicione & inuidia, fidem & existimationem Pericles ad populum multo accepit maiorem, hostem cùm cernerent eum præcipuè & odisse & metuere. Itaque ante, quàm Atticam incursaret cum Peloponnesijs Archidamus, denunciauit Atheniensibus, si deuastatis cæteris à suis prædijs Archidamus vim abstineret propter ius hospitij, quod cum illo intercedebat sibi, aut quo maleuolis suis ansam calumniandi præberet, agrum se & villas reipub. donare.

Lacedæmonij populantur Atticam.

Magnis igitur copijs Lacedæmonij cum socijs Atticam, rege duce Archidamo incunt, fœdandoq́ fines Acharnas vsque progressi sunt. Vbi castra communiuère, rati non passuros id Athenienses, sed pro solo & gloria secum decertaturos. At Pericles anceps duxit cum sexaginta millibus Peloponnesiorum & Bœotiorum peditum (hic enim numerus fuit copiarum, quæ primùm infuderunt se in Atticam) de ipsa dimicare vrbe. Eos, qui pugnam poscebant, & angebantur vastatione agrorum, demulsit: dicens arbores cæsas & deiectas mox renasci, virorum cæsorum iterum non promptam fore facultatem. Populi concionem nõ habuit, veritus ne inuitum de instituto depelleret suo. sed vt gubernator nauis coorta in mari tempestate, vbi prospexit omnibus, & armamenta composuit, vtitur arte, lachrymas & obtestationes negligens nauseantiũ & trepidantium vectorum: ita ille obseratis portis, omnia firmauit præsidijs ad securitatem, suaq́ sequens consilia, contempsit obstrepentes & stomachantes. quamuis multi eum amici obtunderent precibus, multi minitarentur aduersarij insectarenturq́, multi carmina canerent & dicteria probrosa, conuitijsq́ incesserent eius imperium vt molle & prodens hostibus rempub.

Cleon Periclis calumniator.

Et verò etiam Cleon incensam conspiciens in illum ciuitatem, mordebat eum auram popularem captans. id quod hisce versibus declarauit Hermippus:

Cur ferre Satyrûm rex recusas hastulam,
Mira interim loquens tamen de prælio?
At induisti animum Teletis territum,
Ensisq́ tu stricti atq; acuti aciem extimes:
Te punxerit licet Cleon stimulis acris.

Aegina ab Atheniensibus occupatur.

Verùm istorum mouit Periclem nihil: sed comiter & tacitè tulit ignominiam & inuidiã. Classem centum nauiũ misit in Peloponnesum. hanc tamen ille non duxit, sed continuit domi se, vt ciuitatem in potestate retineret, dum se recepissent Peloponnesij: quo plebem placaret tamen ob bellum frementem, largitionibus eam leniuit, & leges tulit de colonijs deducendis. Aeginetas enim omneis eiecit, quorum insulam diuisit sortito ciuibus A-

bus Atheniensibus. Aliqua etiam ex parte hostium calamitates leuabant dolorem eorum. Classe enim Peloponnesum circumuecti, latè vastarunt agrum, & vicos, & modica oppida. Ipse terrestri exercitu in fines Megaricos ducto, eos vndequaque conculcauit. Et profectò multis vltro citroq́; hinc illatis cladibus terra, illinc mari acceptis, in tam longum Peloponnesij non duxissent bellũ, sed mox elanguissent: sicut à primordio prædixerat Pericles, ni vis quædam consilijs humanis diuina obstitisset. Nunc pestilens lues primùm inuasit vrbem, & florem depasta est, & robur iuuentutis: inde corporum contractus affectus, animos omnino in Periclem efferauit. Vt autem morbo qui insaniunt in medicum vel patrem, ita violare hunc instituerũt ab inimicis inducti agrestem turbam, quæ in vrbem confluxerat, morbum vulgare: quòd tempore æstiuo multi vnà nullo discrimine, angustijs in tectis & tabernaculis coacti æstuosis, in vmbra & ocio marcescerent, cum antè in aere libero & laxo consuessent agere: cuius esse authorem, qui bello plebem intra muros rusticanam contraxisset, neq; vllam ad rem tam multos viros adhiberet, sed sineret inclusos veluti pecora mutua obrui contagione, nec loci commutationem vel refrigerium præberet vllum. His vt mederetur, simulq́; flagellaret ex parte hostes, naues instructas centum quinquaginta compleuit, multisq́; impositis & egregijs peditibus equitibúsque, soluturus in magnam spem erexit ciues, atque ostentando tantas copias, trepidationem iniecit non minorem hostibus. Ecce autem cum iam omnes conscendissent, & Pericles se in suam triremem contulisset, fortè defecit sol, cumq́; obducta nox cœlo esset, terror vt prodigio oblato magno incessit omnes. Gubernatorẽ verò Periclis trepidum & stupentem cernens, chlamydem obiecit oculis eius, intectumq́; interrogauit, numquid horrendi id esset, aut portẽderet grauius? Abnuente eo, Quid autem, inquit, inter hoc & illud interest: nisi quatenus illud, quod caliginem inuexit, chlamyde est grandius? Cæterùm hæc in Philosophorum scholis referuntur. Postquam vela fecit, cum in hac expeditione nihil sane eo apparatu Pericles dignum gessit, tum obsidentem sacram Epidaurum, quam capi sperabat posse, morbus distinuit. hic enim non ipsos solùm, sed quoscunque etiam huius participes expeditionis affecit, afflixitq́;. Commotum inde in se populum Atheniensem, cùm demitigare studeret & erigere, non potuit iram eius prius frangere tamen neque placere, quàm in suffragia aduersus ipsum missi, pro arbitrio suo imperium ei abrogarunt, mulctamq́; dixerunt. cuius summam, qui minimam, quindecim talenta: quinquaginta, qui maximam scribunt. Hoc iudicio accusatorem se professus est, vt tradit Idomeneus, Cleon: vt Theophrastus, Simmias: Ponticus Heraclides Laeratidam refert. Cæterùm publica quidem, quia iram in eum plebs vt aculeum vnà cum ictu deposuerat, breui erant quietura: res verò domestica eius exulcerata erat. Absumpserat enim non paucos eius familiares pestilẽtia, & domesticos turbauerat iam pridem alienatio ab eo. Siquidem maximus iustæ stirpis Xanthippus filius, cùm sua sponte erat prauus, tum vxorem iuuenem sumptuosamq́; duxerat, filiam Isandri filij Epilyci. Hunc patris offendit frugalitas, in suppeditanda minutatim pecunia restrictioris. Misit itaque ad amicum quendam, à quo patris nomine nummos accepit mutuo: quem post, cùm repeteret suum, etiam in iudicium Pericles vocauit. Adolescens eo facto offensus Xanthippus, insectatus est parentem. Primùm ad ludibrium extulit domestica eius oblectamẽta & sermones, quos habebat cum sophistis. nam cùm quinquertio equũ Epitimius Pharsalius ictu iaculi interemisset imprudẽs, totum diem cum Prothagora patrem triuisse quærendo: iaculum'ne, an qui misisset, an verò agonothetæ veriùs authores habẽdi eius casus essent. Infamiã etiã à sua ipsius vxore, Stesimbrotus per Xanthippum memoriç prodidit vulgatã, atq; omnino simultate adolescentẽ ad mortem vsq; atroci patrem persecutum fuisse. In pestilentia enim Xanthippũ sustulit morbus. Eadẽ tempestate Pericles sororem amisit: præterea propinquos & amicos plerosq́;, quorum in rep. opera fuerat potissimùm vsus. Non elanguit tamen, neq; submisit malis spiritus & animi magnitudinem, nec illachrymauit, neq; iusta fecit: imò ne accessit quidem ad cuiusquam funus necessariorum, dum eum qui vnus reliquus erat ex iustis filijs amisit Parolum. Tunc verò fractus: quamuis tenderet grauitatem tueri, & retinere animi celsitudinem, cùm coronam tamen ingereret mortuo, oppressus est cum aspicerẽt eũ dolore: vt, quod reliqua in vita nunquam fecerat, erumperet in eiulatum, & magnam vim profunderet lachrymarũ. Porrò ciuitatẽ, quæ per bellũ periclitata erat, cæteros duces & oratores, vbi nemi nem vllum perspexit pari grauitate & authoritate, quæ tanto esset imperio sustinendo, desiderium cepit Periclis, inuitauitq́; eum ad suggestum & imperium suscipiendum. At illum

Pestilentia Athenis.

Calumniæ in Periclem.

Solis defectus.

Periclis aduersa fortuna.

Pericli abrogatur imperium.

Periclis domestica calamitates.

Periclis filij scelus in patrem.

Periclis constantia.

illum domi abiecto animo ex luctu tabescentem, Alcibiades & reliqui amici ad progrediendum excitauerunt. Ibi populo suam aduersus eum ingratitudinem purgante, suscepit rursus rempub. ac lectus praetor. Et ne orbitate nomen familiae suae & progenies semel interiret, legem de nothis, quam ipse tulerat antè, suasit antiquandam Quod autem ad legem hanc pertinet, sic se habuit: Cùm in repub. pridem floreret Pericles succinctus vt diximus legitimis filijs, legem rogauit vt soli ex duobus nati Atheniensibus, ciues essent Athenienses. Cùm autem rex Aegypti dono misisset populo X L millia medimnûm tritici, & id diuidendum ciuibus esset, nothis cõtrouersiae ex eo plebiscito multae, quae hactenus fuerant tectę atq; neglectę, motae sunt: multi etiam calumnijs circumuenti. Conuicti fuere paulo minùs quinque millia, qui venditi sunt: eos, qui ciuitatem retinuerunt, ac censiti inter ciues Athenienses sunt, inuenerũt quatuordecim millia quadraginta numero. Cùm esset igitur res indigna, vt quae contra tam multos vim habuerat, ab eodem lex qui tulerat eam, rursus abrogaretur: praesens Periclis clades domestica (vt qui poenam luisse iam fastus & arrogantiae illius suae videretur) infregit populum Atheniensem, putauitq; eum, deorum oppressum inuidia, esse humanitate alleuandum. quare indulsit ei, vt in curia sua nothus censeretur nomine paterno. Hunc pòst, cum apud Arginusas Peloponnesios praelio nauali pretor fudisset, vnà cum collegis populus morte mulctauit. Per id tempus videtur corripuisse pestis Periclem: non perinde vt caeteros acris nec acuta, sed quae lento morbo diuturnoq; & saepius alternante corpus eius sensim cõficeret, & vim obtunderet mentis. Scriptum reliquit in Ethicis Theophrastus, vbi disputat, An mutentur cum fortuna mores, & corporis agitari affectibus desciscantq; virtute: aegrum Periclem amico cuipiam, qui ipsum inuisebat, amuletum ostẽdisse à mulieribus ex collo suo suspensum, quasi cum eas etiam toleraret ineptias, grauiter admodum aegrotaret. Instante iam morte, assidentes praestantissimi ciues & amici eius, qui supererant, commemorabant quantis enituisset virtutibus & opibus, res gestas etiã recensebant, & numerum victoriarum: nouem enim trophaea ciuitati praetor & victor excitauerat. Haec illi inter se, quasi illo non iam intelligente & omni orbato sensu disserebant. At ille omnia attentè audierat, & in medium locutus: Miror, inquit, haec vos celebrare & in ore habere facta mea, quorum partem fortuna vendicat, & quae multis iam obtigerunt ducibus: praeteritis autem excellentissimum & maximum, nemo enim, inquit, ex omnibus ciuibus mea opera pullam vestem sumpsit. Praeclarum virum non lenitate modo & mansuetudine, quam multis in negocijs & inimicitijs retinuit acerbis: sed grauitate etiam. qui in virtutibus suis praestantissimum existimauit, quòd in tanta potentia nihil inuidiae aut irae indulsisset, aut vlli implacabilis inimico fuisset. Mihi quidem videtur insolentis & fastuosi cognominis, quòd Olympius appellaretur: vnum hoc tollere inuidiam, & propriè id ei verè conciliare placidi mores, & vita in summa potestate innocens & incruenta. sicut dignam arbitramur deorum gẽtem, quae per se est propitia & nullius author mali, vt rebus praesit & moderetur: non vt poetae ineptis nos opinionibus percellentes, suis ipsi arguuntur fabulis, dum locum quem incolere deos aiunt, securas sedes vocant & tranquillas, non ventis non imbribus obnoxias, sed serenitate molli & pura, perpetuò aequè circunfulgentes luce: quod ea beatis & immortalibus maximè conueniat statio, ipsos verò deos dissensionum, offensionum, irae atque aliarum plenos perturbationum, abhorrentium etiam ab hominibus cordatis introducant. Verùm haec alterius fortasse commentationis sint. Porrò Periclis citò Atheniensibus sensum & desiderium negocia praebuẽre. Quippe qui viui offendebantur, quasi luminibus ipsorum officiente potentia, ilicò eo sublato, cùm alios libarent oratores & duces multitudinis, palam tulerunt moderatius in seueritate, vel grauius in mansuetudine nullum visum ingenium: atque inuidiosam illam potentiam, quae regnum antè & tyrannis fuit appellata, tunc salutarem reip. apparuit arcem fuisse. Tanta tabes & vorago extitit in rep. improbitatis, quam ille debilitatam & prostratam tegebat, opprimebatq;, ne licentia in insanabilem erumperet pestem.

Lex Atheniensium de nothis.

Periclis nothi cedes.

Periclis morbus.

Periclis mors.

Periclis morientis dictum praeclarum.

Pericles meritò Olympus dictus.

Deorũ gens nullius autor mali.

Periclem mortuum desiderãt Athenienses.

Fabius Maximus.



ERICLIS memoratu digna facta, quæ quidem ad nostram notíciam peruenere, ea sunt: nunc ad Fabij vitam describendam transeamus. Ex Nympha memorãt, alij ex muliere indigena, quæ cum Hercule iuxta Tyberim amnem cõcubuerat, Fabium natum virum, qui numerosam Romæ & claram propagauit gentem Fabiorum. Alij principes huius familiæ, quia fossis feras capiebant, Fodios tradunt olim vocatos: qui deinde duabus tempore commutatis literis, appellati Fabij sint. Multos hæc domus præstantes viros dedit. A Rutiliano autem, qui ex claritate Maximi cognomen inuenit, Fabius Maximus, de quo hic agimus, fuit quartus. Ei nota corporis cognomen Verrucoso dedit, quòd verruca parua ei ex summo extuberauisset labio. Ouicula puer etiamnũ dictus est, ex mãsuetis & grauibus moribus. Quippe sedatum ingenium eius & taciturnitas, magnaq; in fruendis puerilibus oblectamentis cautio, tarditas ac labor in percipiendis literis, facilitas & obsequium aduersus sodales, stultitiæ opinionem ei apud ignotos & ignauiæ præbuit. Stabilem verò altamq; eius indolem, & animi magnitudinem atque celsitudinem, pauci fuere qui perspicerent.

Fabij genus. — Fabius Rutilianus Maximus. — Liu. lib. 9 — Fabius Verrucosus & Ouicula dictus. — Fabij mores.

At breui inde cum ætate repub. gerenda excitatus, quam securitatem alij rebantur, immotum ostendit cuilibet animũm esse, cautionem prudentiam, tarditatem & cunctationem constantiam & firmitudinem animi. Qui cum videret, hinc reip. molem, hinc bellorum frequẽtiam: corpus ad bella vt arma subegit à natura data: orationem autem, pro instrumento ad ducendum populum, quàm præclarè ad vitæ composuit tenorem, alienam ab omni fuco & vana popularíq; iactatione, plenam autem solidæ prudentiæ cum singulari præstantiáq; lumine & grauitate sententiarum: quas cum Thucydidis sentẽtijs imprimis componunt. Extat oratio funebris eius, quam publicè in laudem filij habuit, qui obijt post consulatum. Ex quinque consulatibus quos gessit, in primo triumphauit de Liguribus. qui signis collatis ab eo fusi, intra Alpes sunt multis amissis coacti, repressiq; à populanda & vexanda proxima Italiæ ora.

Fabij dictio, qualis.

Vt verò cum exercitu Annibal in Italiam irrupit, victorq; primum ad Trebiam flumen per Hetruriam populabundus agmẽ duxit, stuporq; Romanos ingens & terror incessit: prodigia autem partim solita Romanis fulgura, partim noua fœdaq; admodum sunt nunciata (scuta enim sanguinem sua sponte ferebant sudasse, cruentas Antij spicas demessas, lapides ignitos ardentesq; cœlo cecidisse, cùm cœlũ supra Falerios fissum videretur decidisse, passimq; disiectas fuisse frequentes sortes, in vna scriptum ad verbum apparuisse, Mauors arma sua concutit) nihil his consul commotus C. Flaminius est vir, cui sua sponte feroci feruidóq; secundæ res (quas ante preter expectationem insignes gesserat: cùm inhibente senatu, & collega reluctante acie Gallos fudit, fugauitq;) animos fecerant. Fabium verò portenta, cùm plerosq; mouerent, quia credebat temeraria, minùs terrebant. Sed cum hostes intelligeret & paucos esse, & difficultate laborare stipendij, cunctandum censuit Romanis: nec pugnandum cum homine qui exercitum haberet multis ad id ipsum duratum prælijs: cæterum submittenda socijs auxilia, oppidáq; in potestate tenenda, dum vigor ille per se Annibalis, sicut flamma exigua & leui excitata vi, marcesceret. Non flexit Flaminiũ tamen. enimuerò ille non permissurum se dicebat, vrbi bellum vt admoueretur, neq; vt olim Camillus, vt intra mœnia de ea dimicaret. Itaq; legiones educere tribunis iubet. In equum verò insilientem equus nulla certa de causa repentè tremẽs perculsusq;, lapsum super caput effudit. neq; eum hæc res auertit tamen à proposito. Quare vt initio occurrere statuerat Annibali, ad lacum Hetruriæ, quem Trasimenum vocant, aciem instruxit. Interea dum manus conserunt milites, terræmotus multa oppida prostrauit, auertitq; cursu suo amnes, Dorsa montium ingenti lapsu proruit. hanc tamen nemo prælantium tantam vim sensit. Ipse animosissimè ac fortissimè dimicans cecidit Flaminius, & circa eum optimi quique. Reliquis in fugam conuersis, ingens edita strages: quindecim millia cæsa, alterum tantùm captum. Flaminij corpus, vt funeraret id, decoraretq; virtutis causa, magna cum cura inter cadauera Annibal inquisitum non inuenit, neque constitit quid eo esset factum. Aduersam pugnam ad Trebiam, nec dux apertè scripsit, nec retulit nuncius: sed ancipiti ambiguóq; diremptam mentitus est Marte. Ad huius primùm nuncium cladis prætor Pomponius, vocato ad concionem populo, apertè sine ambagibus

Annibal Hetruriam vastat. — Prodigia. — Flaminij præcipitantia. — Fabij consilium prudens. — Romanorũ clades ad Trasimenum lacum. — Flaminij cædes.

aut circuitione: Pugna, inquit, Quirites magna victi sumus, exercitus deletus est, consul cecidit Flaminius: vos de vestra salute & incolumitate deliberate. His sicut vento, in tantam multitudinem instar maris iactatis, ita perculit ciuitatem, vt præ terrore consiste re animi, & in gradu permanere nequirent. Conueniunt igitur in vnam sententiam, libero & soluto reipub. opus esse imperio, quod vocant Dictaturā: & viro, qui seuerè eam & intrepidè administret. Fabium eum esse, qui pares maiestati imperij eius animos grauitatemq́; habeat morum, & id sit ætatis, qua mentis consilijs adhuc viuidæ corporis vires respondeant, & attemperatus ad prudentiam feruor sit. Vbi ea sententia placuit, dicitur Fabius dictator. qui magistro equitum M. Minutio dicto, primùm à senatu postulat, vt sibi in bello vti equo liceat. quod fas non erat, sed lege quadam vetere interdixerant: vel quòd maximum robur ponerent in pedite, & ob id duci censerent in acie apud eum permanendum, neque deserendum hunc: vel quia nimia alioqui & ingens eius imperij potestas foret, quòd hac re certè vellent vt populi esse indigens videretur. At Fabius ipse, vt ilicò imperij sui populo vim speciemq́; ostentaret, quo magis obsequētibus vteretur, & dicto audientibus ciuibus, processit cum viginti quatuor fascibus. Cùm autem alter consul ad ipsum progrederetur, misso apparitore dimittere iussit ei lictores, & insignibus depositis imperij priuati more sibi occurrere. Mox ritè à dijs immortalibus orsus, cùm doceret populum, negligentia & contemptu cerimoniarum à consule peccatum esse, non ignauia militum, admonuit vt ne hostes timerent, at deos placarent, colerentq́;: non ille quidem quo superstitione animos implicaret, imò vt virtutem confirmaret pietate & spe diuinæ opis formidinem eximeret, & eleuaret hostilem. Eodem tempore multos arcanos & vtiles ipsis libros consuluit, quos Sibyllinos appellant. Perhibent sortes nonnullas ijs libris proditas, illius tempestatis fuisse casibus & gestis consonas. Quod cognitum fuerat ex illis libris, fari ad alios nefas erat. Itaque conuocato dictator populi concilio, vouit dijs immortalibus, quod eo anno ver attulisset ex caprino, suillo, ouillo, bouillo grege, intra fines Italiæ, campos, flumina, prata natum, id omne se immolaturum. Simul ludi magni voti * CCCXXXIII millibus nummûm, & CCCXXXIII denarijs triētē. Hæc summa quadrat cū LXXXIII millib. DLXXXIII drachmis, & duobus obolis. Rationē huius summæ ita præcise definitæ & distributæ haud facilè sit inire, nisi ternarij numeri celebrare vim velis: quòd per se perfectus, & imparium sit primus, principiumq́; multitudinis, primas intra se differentias, & cuiusuis numeri elementa simul confusa, copulataq́; complectatur. Postquam igitur animos vulgi Fabius religione impletos, ad meliorem spem in futurum erexit, omnem victoriæ spem in se reponens, quòd secundas res dij tribuere virtuti & prudentiæ soleant: ad Annibalem conuertit se, certus nō dimicare, sed temporis spacio vigorem eius, pecunia inopiā, paucitatem copia militum attriturus & accisurus. Itaque vt ab equitatu hostium tutus esset, semper locis mōtosis & altis castra munijt, vnde hosti immineret: quietus, si castris ille se contineret: sin moueret, summis montibus circumuolans vndique: & ex tanto adhærens interuallo, ne pugnare inuitus cogeretur, & tamen terrorem hostibus ita cunctando tanquam pugnaturus præberet. Ita tempore extrahendo omnibus contemptui esse, à militibus lacerari maledictis, imbellis supra modum & ignauus hostibus vnū præter Annibalem videri. Solus ille consilium Fabij & rationem, qua bellum gerere in animo haberet, animaduertit. Statuit igitur omni arte & vi ad pugnam eum elicere. alioquin de Pœnis actum ratus esse: qui, quibus præstent, non valeant armis vti: quibus verò impares sint, milites & pecuniam nequicquam consumant & impendant. Ergo in omnem speciem se vertit astus & luctæ militaris, nihil non mouens, vt eximius athleta, dum ansam quærit, qua prehendat Fabium: nunc instat, nunc terret, aliàs hac illac trahit, vt à tutis eum suis auertat consilijs. Huic tamen sua sententia vtilitate nixo, immota constitit & inconcussa. Sed infestum magistrum equitum habebat Minutium. qui dum rapidus fertur ad dimicandum, ferox concitat exercitum, furoreq́; eum ac spe implet inani. Milites Fabium irridere, ac ludibrio magistrum appellare Annibalis: Minutium ad cœlum tollere, & dignum Romanis ducem habere. Hinc spiritus Minutio & audacia crescunt: dictatoremque, quòd in cacuminibus montium castra perpetuò habeat, tanquam egregium spectaculum paratet vastitatem & incendium Italiæ visuris, insectatur. Amicos autem Fabij rogat, num in cœlum tanquam terra emplorata rapturus sit exercitum: an verò nubes & nebulas, quo recipiat se, hosti obiecturus. Quæ cùm ad Fabium referrent amici, suaderentq́; vt periculo subeundo liberaret se ignominia, Næ ego,

Fabius dictator.

Dictator nō vtebatur in acie equo.

Fabij dictatoris maiestas.

Fabij religio.

Libri Sibyllini.

Fabij votū. Liu. ver sacrum vocat, lib. 22, et 34

* Ita locus est emēdandus, alioquin nō constabit sibimet ipse Plutarchus. *Liuius aliā summam ponit.*

Ternarij numeri vis.

Fabij gesta contra Annibalem.

Fabij cōsilia oppugnat magister equitum Minutius.

ego, inquit, quàm nunc videor, timidior ſim, ſi probri & contumeliæ metu à rationibus abducar meis. Atqui pro patria haud turpe fuerit timere: at expaueſcere ad hominum opinionem, calumnias & opprobria, non tanto digni imperio viri, ſed ſeruientis eſt illis, quibus imperare ipſum & male conſultos deceat reprimere. Sub hæc incidit in errorem Annibal. nam à Fabio dum cupit longius exercitum abducere, & petere campos vbi frumentari & populari valeat, imperat ducibus vt extemplò à cœna in agrum Caſsinatem ducant. Illi nomen propter Punicam à Latina lingua abhorrentem non rectè aſſecuti, conijciunt copias eius in oppidum Caſsilinum ad extremam oram ſitum Campaniæ, quod intermeat Vulturnus fluuius. Regio eſt cæterà cincta montibus. vallis autem ad mare vſque porrigitur: vbi paludes effuſo flumine edit, habetq; altos arenæ cumulos, demum littore clauditur vndoſo importuoſoq;. Eò vbi Annibal ſe demiſit: viarũ Fabius gnarus, circumducto exercitu exitum quatuor millium armatorum ſtatione obſepit, reliquas copias alijs iugis in tuto collocat. Tum expeditiſsimis promptiſsimiſ'que quibuſq; immiſsis extremum hoſtium agmen carpens totum conturbat exercitum, occidit ad octingentos. Inde cùm educere Annibal copias pararet, & errorem loci periculumq; aduerteret, in crucem ſuſtulit duces. Sed quia reijcere hoſtes & impugnare eos, qui tenerent clauſtra montium, deſperabat, totumq; exercitum torpor & pauor occupauerat, putantium ex perplexitate vndique circumuentos ſe, neque vllum patere receptum, ſtruit dolum hoſtibus. Itaque ſic facit. Boum duo fermè millia de præda iubet comprehendi, ac ſingulis cornibus faces præligari, aut virgultorum ſarmentorum'ue aridorum faſces: inde vt ſub noctem, cum datum ſignum eſſet, accenſis ad montes agerent, quà ſtationes hoſtium ſaltus inſidebant. Dum hæc parant, quibus id negocij datum erat, caſtra ipſe primis tenebris ſilentio mouet. Boues, dum modicus fuit ignis & materiam adurebat, ſedato gradu ad dorſa montium acti ſuccedunt. Flammę ex ſummis micantes cornibus, quia exercitus vno ordine ad multas faces progredientis ſpeciem præbebant, ex cacuminibns montium deſpicientes paſtores & bubulcos obſtupefecêre. At vbi accenſis cornibus ad ima & ad viuum penetrauit ſenſus, & dolore agitati diſcurſu & capitum inquietatione ſe inuicem multa reſperſerunt flamma: tum nullo itineris ſeruato ordine conſternati, ſtimulante dolore in aduerſos montes feruntur, relucentes extremis caudis & frontibus, virgultaq; quà fugiebant frequentia accendentes. Tetrum ſpectaculum erat clauſtra montium ſeruantibus Romanis. præbebant enim hominum cum facibus diſcurrentium flammæ imaginem: oppido'que pauidi & perculſi, vndique inuadi ſe atque cingi ab hoſtibus arbitrabantur Itaque faucibus relictis concitant ſe in fugam, & maiora petunt caſtra. Ibi leuis armatura Annibalis incurrit ac clauſtra occupat: hinc reliquæ copiæ trahentes multam & grauem prædam ſine metu ſequuntur. Dolum hunc etiam nocte ſenſerat Fabius. boues enim aliquot palantes inciderunt in eum: ſed quia nocturnas inſidias timebat, tenuit in caſtris ſuos inſtructos. Luce prima in perſequendo extremum agmen carpebat, & leuia prælia in ſaltu fiebant, atque ingens ciebatur tumultus: donec à primo agmine cohortem Hiſpanorum Annibal aſſuetiorem montibus immiſit. Ea leuior & ad concurſandum habilior, in grauem armis Romanum ſtatariumq; incurrit, ac non paucis oppreſsis Fabium repulit. quę Fabium res tum ſuggillauit & contemptum reddidit grauiſsimè. Nam cùm dimicandi audacia concederet Annibali, quaſi conſilio & prouidentia eum debellaturus, tunc victum his artibus ipſum ac circumuentum vidêre. Annibal vt cumularet inuidiam apud ciues dictatoris, cùm ad agrum eius veniſſet, omnibus circà exuſtis ſoloq; æquatis ab vno eo vim omnem abſtineri iuſsit, atque appoſuit cuſtodes qui inuiolatum & integrum ſeruarent. Et cum hæc crimini ei Romam nunciata dabantur, tum tribuni plebis multifariàm eum ad populum accuſabant. cuius rei author & fax Metellus præcipua fuit: non ille quidem odio Fabij adductus, ſed amicitia magiſtri equitum Minutij. quicquid de Fabij laude detrahebatur, ad gloriam & nomen accedere ducebat illius. Offendit etiam ſenatum, qui pactiones de captiuis cum Annibale vehementer improbabat. Conuenerat inter eos de permutandis captiuis: & quæ pars plures recepiſſet, ea vt argenti pondo bina & ſelibras in militem præſtaret. Vt facta commutatione in capita reliqui apud Annibalem Romani CCXL fuerunt, argentum pro his debitum negauit ſenatus mittere. Inſuper caſtigauit Fabium, quòd non rectè nec ordine, neque è republica homines, qui ignauia ſua hoſti prædæ fuiſſent, liberaret. His Fabius auditis moderatè tulit iram ciuium: verùm cùm pecunia deficeretur, neque

Annibal in errorem præcipuatus.

Annibal à Fabio obſeſſus.

Annibalis ſtrategema.

Annibalis calliditas in Fabiũ.

Fabius commutat cum Annibale captiuos.

fallere Annibalem, nec ciues sustineret negligere, misit Romam filium, agrum vt vendeṙet, & argentum ad se in castra confestim ferret. Adolescens prædijs distractis propere redit. Tum precium ille Annibali mittit, & recipit captiuos: idq; postea restituere cùm multi vellent, à nemine accepit, sed condonauit omnibus. Inde à sacerdotibus sacrorum causa Romam reuocatus, præficit Minutium castris: non pro imperio tantùm, sed consilio etiam & precibus cum eo agens, vt pugna & dimicatione abstineret. Quibus ille planè contemptis ilicò institit hostibus. Et cùm Annibalem quadam die aduertisset magnam exercitus partem frumentatum misisse: adortus relictos, cædendo redegit eos in castra, multisq; interfectis conterruit omnes velut eos circunsessurus: ac dum copias Annibal in castra iterum cogit, nemine instante recepit se. Qua ex re ingentes spiritus il le tulit, & ferocia impleuit exercitum. Mox huius rei maiore etiam quàm factum esset fama Romam perlata, Fabius cùm resciuisset, Minutij ait se successum etiam atq; etiam formidare. populus verò arrectus & lætus in forum concurrit. Tribunus plebis Metellus pro concione Minutiū extollere, Fabium appellare non iam mollem aut timidum, sed proditorem. Addit nobilitatem & principes bellum initio in Italiam accersisse ad opprimendam plebem, & ciuitatem ilicò imperio effrenato subiecisse vnius, qui ducendo bello liberum ocium Annibali & spacium largiatur, dum aliæ ei ex Africa copiæ vt Italiæ domitori summittantur. Horum Fabius nihil purgauit: sed denunciauit insuper sacra, quantum fieri posset, maturanda, quo rediret ad castra, ad sumendum de Minutio, quòd contra edictum suum cum hoste pugnasset, supplicium. Ad ea ingenti concitatus tumultu populus est. Metuit Minutio, quia in vincula dare dictatori & punire indicta causa ius est: & lenissimum Fabij ingenium existimauit irritatum, efferatum esse neque placari facile posse. Itaque metu plerique attoniti silent. * Metilius pro iure tribunatus liberior (nam hæc dictatore dicto potestas: cùm cæteræ redigantur omnes in ordinem, authoritatem suam retinet vna integram) instigat quantum potest populum, obsecratq; ne dictatori prodant Minutium: vt quod in filium Manlius Torquatus exemplum ediderat, qui victorem & laurea insignem securi percussit, perpetretur in Minutium: detrahant Fabio tyrannidem, eiq; qui & possit & velit seruare credāt rempub. Hac oratione commota concio Fabio, quamuis aduerso rumore foret, non sustinuit abrogare dictaturam: sed æquato magistri equitum & dictatoris iure sciuit, vt paribus auspicijs gererent bellum. id quod sine vllo exemplo hîc Romæ vsurpatum est: paulo tamen post cladem Cannensem repetitum, quo tempore ad exercitum M. Iunius dictator fuit. Cùm autem supplendus in vrbe senatus esset multis in acie cæsis senatoribus, alterum dictatorem creauêre Fabium Buteonem. Cæterùm hic eodem, quo in publicum progressus senatum legit die, dimissis lictoribus, & prosequentium reiecta turba mediæ plebi se iniecit atque immiscuit, suasq; res agens & curans in foro priuati more versatus est. Minutij comparato cum dictatore imperio, rebantur illum animo plane fracto & abiecto redditum. Cæterùm non satis nouerant eum. neque enim calamitosam sibi insaniam eorum ducebat: verùm sicut Diogenes ille sapiens, cum ei quidam diceret, Isti derident te: Ego enimuero, inquit, non derideor. illos derideri solos existimans, quos obstupefacerent & terrerent ista. Ita moderatè Fabius illam iniuriā leniterq;, quantum ad se attineret, tulit: comprobauitq; Philosophorū placitum, qui virum bonū & sapientem negant contumelia affici vel probro. Sed angebat eum reip. tamen gratia vulgi temeritas, quod hominis efferatæ ad bellum ferociæ tantā fenestram aperuisset. Quare veritus ne insania hominem ex vana gloria & arrogantia nimium citò ad mali quid designandū auferret, clam omnibus profectus est. In castra vt venit, offendit Minutiū nihil iam modicè præ se ferētē, sed tumidū & inflatū, imperiumq; postulantē alternis diebus. Id haudquaquā placuit ei, sed diuisit cum illo copias: præstare enim, vt parti solus præesset, quàm vicissim vniuersis. Primā & quartā legionē sibi sumit, secundā & tertiam attribuit Minutio: sociûm itē auxilia pari numero partiti sunt. Enimuero gloriari Minutius & exultare, quòd summi imperij maximiq; maiestas in ordinē coacta propter ipsum atque suggillata esset. Ibi admonet eū Fabius, nō cum Fabio ipsi, sed certamē esse, si sapiat, cū Annibale. Quod si cū collega quoq; cōtendendū sibi putet, videndū etiā atq; etiā ei, vt deiecto & cōtempto apud ciues honoratus & victor nō videatur in seruādis tuēdisq; illis solutior. Ille hac cauillatione pro se uili cōtēpta, & copijs quæ ei sorte euenerāt acceptis, separatim castra cepit. nihil horū Annibalē, q in omnē imminebat occasionē, fefellit. Tumulus erat in medio, q & occupari facile poterat, & occupatus tutā castris stationem

Fabius captiuos de suo redimit.

Minutij temeritas.

*Apud Liu. Metellus.

Manlij Torquati in filium victorē feueritas.

Dictator et magister equitū æquantur.

Diogenis dictū.

Minutij arrogantia.

Annibal circūuenit Minutiū.

nē cōmodamq; erat ad omnia præbiturus. Ager circūiectus à longe contēplanti ęquabilis & nudus: habebat tamē interiectas fossas nō magnas, & cauernas quasdā alias. Hunc tumulū cùm tenere ex facili clàm posset Annibal, nolebat: sed causam in medio relinquebat certaminis. Vbi iam à Fabio seiunctum videt Minutium, nocte in hos specus & latebras certum numerum militum condit: & quo alliciat ad certamen de loco eo contrahendum Minutium, paucos prima luce ad tumulum apertè capiendum mittit. Itaq; euenit. Primùm dimittit ille leuem armaturam, deinde equites. Postremò cùm ad tumulum auxilia cernit Annibalem quoque submittentem, instructis omnibus copijs procedit, & acri pugna adoritur eos, qui castra in tumulo ponebant. Mars erat anceps, donec satis circumuentum conspiciens Annibal, & terga insidiantibus nuda patere, signum dat. Tum exorti vndique cum clamore incursant, postremosq; cædunt. Romanos planè perculit tumultus & clamor, ipsius concidit ferocia Minutij: & nunc ad hunc, nunc ad illum legatum circuntulit oculos. At nemo pugnæ memor in fugam pestiferam inclinabat: quippe Numidæ iam victores vndique campos obequitabant, interficiebantq; effusos. His obrutorum malis Romanorum non latuit discrimen Fabium: sed cùm imminentem cladem hauddubie animo prospexisset, tenebat legiones sub signis instructos, euentumq; cognoscere pugnæ studebat, non per nuncios, sed pro vallo speculabatur ipse ex edito. Vt ergo circumueniri turbariq; conspexit aciem, & clamor ad aures eius accidit, non iam pugnantium, sed trepidantium & fugientium, tum percusso femore atque ingenti edito suspirio ad circumstantes, O dij immortales, inquit, quanto celerius quàm timui, serius tamen quàm cupiuit, perdidit semetipse Minutius. Et cum efferri raptim signa & sequi iussisset legiones, exclamauit, Nunc milites, si quis memoriam habet M. Minutij, properet, egregius est enim vir & amans patriæ: quòd siquid, dum festinat eijcere hostem, offensauit, aliud erit succensendi tempus. Primus Fabij conspectus fugat ac dissipat in campo circumuagantes Numidas. Tum in eos, qui in acie stabāt & terga Romanorū cædebant, infert signa. Si qui se offerunt, hos interficit: reliqui priusquam à suis intercluderentur, ne quod intulerant Romanis mali id in se verteret, terga dantes capessunt fugam. Cernens pugnam inclinatam Annibal, Fabiumq; præter ætatem valida per infestos hostes impressione facta, aduerso tumulo contendere ad Minutium: remisit prælium, signoq; receptui dato Pœnos in castra reduxit. Receperunt se Romani quoque haud inuiti. Fertur cùm se reciperet, de Fabio Annibal ita ad amicos dixisse iocans: Non'ne sæpius vobis prædixi ego, hanc in iugis montium sedentem nubem cum turbine aliquando & procella imbrem effusuram? Secundum prælium Fabius lectis cæsorum spolijs in castra regressus est, nec vllum ei superbum aduersus collegam vel iratum excidit dictum. At Minutius conuocata suorum concione, In arduis rebus, inquit, commilitones, nihil offendere supra sortem humanam est: vt verò peccata pro exemplo proponas in futurum, id boni viri sit & prudentis. Fateor ego esse nonnihil quod incusem fortunam, sed maiores me tamen ei gratias agere. nam hactenus quæ me fefellêre, didici paucis horis: doctus sum enim non eum esse me imperare qui valeam alijs, sed opus habeam altero qui mihi imperet: nec esse contendendum vincere eos, quibus cedere præstet. Vester quidem ad cætera imperator est dictator, gratitudinis verò aduersus illum dux ego ero me primum obedientem ac dicto ei audientem præstando. Hæc fatus cùm signa tolli imperasset & omnes sequi, agmine ad dictatoris castra proficiscitur. In castris vbi ad prætorium rectà contendit, conuertit omneis in admirationem & stuporem. Ante progressum Fabium, constitutis signis parentem ipse eum alta voce, exercitus milites eius patronos appellauit. Silentio facto Minutius, Geminam victoriam, inquit, obtinuisti dictator hodierno die: virtute de hostibus, consilio & humanitate de collega: illa nos seruasti, hac erudiuisti: nosq; cùm turpiter essemus ab Annibale superati, honestè sumus abs te & salubriter victi. Quare quando nomen venerabilius non habeo, mitem te appello parentem: cùm tamen beneficium mihi abs te hoc quàm à parente maius extiterit. Illi enim vitam solus, tibi cùm meam vitam tum omnium horum debeo. Secundum hæc amplexus Fabium & osculatus est. Idem erat cernere per totum exercitum. nam complexu sese mutuò & osculo exceperunt: vnde in lætitiam tota castra effusa, vt præ gaudio omnibus lachrymæ manarēt. Secundum hęc dictaturam deposuit Fabius, & creati consules. Quorum primi Fabij artibus bellum administrauerunt, vt conferre cum Annibale vitarent signa, sed socijs suppetias ferrent, & prohiberent defectiones. Postquam verò Terentius Varro natalium humilitate &

Fabij in bello vigilantia.

Fabius magistrū equitum Minutium seruat.

Minutij pœnitentia.

Terētij Varronis temeritas.

popularibus artibus & ferocia nobili ad consulatum aspirauit, ilicò præ se tulit imperitia & præcipitantia de summa se rerum iacturum alcam. Vociferabatur enim in concionibus, donec Fabijs ciuitas ducibus vtatur, nunquam debellatum iri: se quo die hostem vidisset, bellum profligaturum. simulq; cum dictis tantum delectum habuit, tantasq; conscripsit copias, quantis nullo vnquā bello vsi antè Romani fuerant. Octoginta octo millia militū sub signis habuit. Quæ res in magnū terrorem Fabium cæterosq; prudentiores coniecit. neq; enim si quid in tanto iuuentutis flore sit titubatū, vllū videbāt receptū. Itaq; collegā Varronis Paulū Aemiliū virū rebus bellicis exercitatū, sed inuisum populo & pauentē plebis, eo quòd iudicio publico damnato lis æstimata fuerat, excitauit Fabius adhortatusq; est, vt reprimeret hominis insaniā, admonuitq; nō plus ei cōtra Annibalem q̄ cōtra collegā pro aris & focis certaminis propositū esse. quippe ad pugnā properaturū: hunc, quòd vires suas nō intelligat: illū, quòd intelligat suā imbecillitatē. Equidem de rebus Annibalis Paule Aemili, inquit, maiorē quàm Varroni habendā fidē meritò mihi censeā: confirmanti, nisi pugnæ hoc anno copiā ei facias, aut actū de eo fuerit si hæreat hic, aut fuga se subduxerit. quando nūc vel cùm vincere & superior videtur esse, nemo ad eum defecit hostis: & copiarum, quas in Italiā traduxit, ne tertia quidē pars superest. Ad ea fertur respondisse Paulus: Quod ad me, Q. Fabi, attinet, hostiū me telis potius, quàm suffragijs ciuiū iterū obijcere caput certum est. Quod si in eo est statu respub. enitar vt bonus dux tibi potius videar esse, quàm omnibus alijs in diuersum trahētibus. Ita animatus ad bellū est Paulus profectus. Varro, cùm extorsisset ei alternis vt imperarent, castra castris Annibalis coniungit ad Vicū Cannas, quà Aufidius fluit amnis: & simul atq; diluxit, proposuit signū pugnæ. Sagū est coccinū, quod supra prætoriū expanditur. Pœnos initio consulis audaciā & multitudinē contemplantes hostiū, cum dimidio essent ipsi pauciores, inuasit pauor. Annibal cum edixisset vt arma caperent milites, cum paucis ipse equo vectus hostes ex molli cliuo iam in ordines euntes speculatur. Ibi cùm ex comitibus quidā, qui pari erat dignitate, Gisconē appellabāt, admirari se diceret tantas hostiū copias: fronte Annibal cōtracta, Aliud Gisco, inquit, fugit te, eo magis mirandū. Quid'nam illud esset, requirēte Giscone, quod nimirū tanto in numero, inquit, ne vnus quidē sit, qui Gisco vocetur. Hoc dictū nec opinātibus oblatū omnibus risum mouit. itaq; de cliuo digredientes, vt quisq; occurrebat, illū narrarunt iocū: tantusq; per multos motus risus est, vt qui Annibalē comitarentur, cōtinere se nō valerent. Quod Pœnis cernentibus animū cōfirmauit, ex magno & insigni cōtemptu motū arbitrātibus cum risum, vt etiā ipse instante dux discrimine iocos cieret. Astuta cōsilia adhibuit ad pugnā. Primum ex loco, vt à tergo vētum haberet, molitus est. procelloso enim vrentiq; similis coortus, & asperum ex arenosis atque patentibus campis impellens puluerē supra Pœnorum aciē in ipsa voluit ora Romanorū, prospectumq; ademit faciē auertētibus, & conturbauit eos. Alterum ex instruenda acie. Quod roboris in exercitu esset ac fortissimos quosq; in cornibus locat: mediam aciē turba replet ignauissimorū. eo vsus est longe ante reliquā aciē prominente cuneo. Edictū præstantissimis erat, vbi hos impulissent Romani, ac pedē referentib. instantes vacuo medio & sinū dāte in mediā aciē irruissent, vt propetè reductis alis transuersos inuaderēt, & circunfusi clauderentà tergo. Id quod potissimum tantæ fuit stragis causa. vt enim media acies pedē retulit atq; incurrentes excepit Romanos, & figurā Annibalis acies ad modū lunæ cōmutauit, delectorumq; ductores alis circunductis adorti auersos sunt cunctos, qui antequā coirent hostiū cornua nō receperunt se, circumuentos cædūt, cōtrucidantq;. Adhęc error equitibus est mirus oblatus. Paulū equus vulneratus, vt cōijcio, excusserat. Tum ex cohorte eius alius post aliū omissis equis, vt consulē protegerent, ad pedes descenderunt. Id cum reliqui equites conspexissent, tanquā signo dato ex equis omnes deuolantes cōgrediūtur cum hostibus. Quo viso Annibal: Hoc, inquit, malim, quàm si vincti mihi traderentur. Verùm hęc, qui historias fusius prodiderunt, prosecuti sunt. Consul Varro cum paucis equitibus profugit Venusiam, Paulus illo in æstu & fluctu fugientiū magna telorū vi, toto corpore in vulneribus hærentium, confixus, doloreq; ex tanto oppressus luctu sedebat in saxo, aliquem operiens ex hostibus, qui interficeret se. Quia verò caput eius erat & facies cruore oppleta, omnib. fere incognitū, & necessarij & clientes prætereuehebant. Vnus ex pube patricia cōspecto & agnito Cornelius Lentulus ex equo delapsus admotū eū capere iubet, & se seruare ciuibus, qui tū vt cum maximè bono cōsule haberēt opus. Ille huic refragatus petitioni coegit adolescentē equū repetere lachrymās. Tū data ei dextera cùm se erexisset: Nuncia,

Fabij admonitio ad Paulum Aemilium.

Signum pugnæ.

Annibalis stratagemata in pugna Cannensi.

Cannensis pugnæ descriptio.

Cannēses clades.

Pauli Aemilij ad Cannas cædes.

Nuncia, inquit, Fabio Maximo & ipse esto testis, præceptorum eius Paulum Aemilium memorē vsq; ad mortem extitisse: neq; pacta cum eo vlla ex parte rupisse, sed victū esse primùm à Varrone, deinde ab Annibale. Cum his mandatis dimittit Lentulum. Mox cum in mediam stragem se inuexisset, oppressus est. Dicuntur in hac pugna quinquaginta millia cæsa, quatuor millia capta, & sub pugna in vtrisq; castris non minus decem millia. Annibalem à tanta victoria cùm amici, vt insisteret fortunæ vnoq; agmine cum fugientibus hostibus irrumperet in vrbem, incitarent: Die quinto enim victorem in Capitolio epulaturum: haud facile, quæ auerterit, ineas rationem. quin potius fortuna vel deus quispiam, qui illi obstaret, eam ei iniecisse cunctationem & dubitationē videatur. Quare Barcam Pœnum ferunt indignatum ei dixisse: Vincere scis Annibal, victoria vti nescis.

Annibalis à victoria Cannensi cunctatio.

†Liu. habet, Maharbalem.

Atqui tantam ea victoria conuersionem fecit Annibalis rerum: vt qui ante hoc prælium non vrbem, non forum, non portum haberet in Italia, sed difficulter & ægrè necessaria suppeditaret suis rapiendo, nullo firmo ad bellum gerēdum parato subsidio, sed palans castra in modum ingentis latronum cauernæ huc illuc circunferret, totam tunc pene Italiam ditionis fecerit suæ. Quippe ad eum cùm plurimæ & maximæ gentes vltrò defecerunt, tum cuius plurimum secundum Romam pollebant opes, Capuam suarū fecit partium. Nempe est non solum, cùm amicorum faciendum est periculum, ut ait Euripedes, non leue malum, sed etiam cùm prudentium imperatorum. Siquidem infamis ante hanc pugnam timiditas Fabij & segnities, mox post conflictum humana maior sapientia habita est, & diuini præstantisq; miraculum consilij tanto antè prospicientis insequentia: quæ animo concipere vix valebant ij quibus euenerant. Itaq; mox in illo ciuitas reliquam opem ponens, et ad eius mentem tanquam ad sacram confugiens anchoram, salutem suam & quod non vndequaq; dissiparetur, sicut vrbe à Gallis oppressa factum erat, vnius acceptum ferebat consilijs Fabij.

Italiæ defectio ad Annibalem.

Ille enim qui, cùm res apparerent securæ, timidus habebatur & pusillanimis: tunc omnibus immenso luctu inaniq; oppressis trepidatione solus per vrbem placido incedebat gradu, vultuq; intrepido & benigno alloquio planctus muliebres sedabat, cœtus arcebat eorum qui in comploratu familiarum in publicum protumpebant. Author etiam fuit senatui cōueniendi: Magistratus, quorum in vno eo positum erat robur et opes, quemq; respiciebāt omnes, cōfirmauit: ad portas posuit custodes, qui prohiberent profugientem multitudinē egredi vrbe: luctus locū & spacium definiuit, domi lugere triginta dies quemq; iubens, ijs terminari omnem luctum & defungi ciuitatem. Cùm sacrum Cereris in eos dies incideret, placuit omninò intermitti sacra pompamq;, ne cladis magnitudinē paucitas et mœror argueret celebrātium festū. Etenim fortuna vtentiū secunda gratiorē dijs cultū esse. Quæ ad deos placandos & ad procurāda prodigia iusserant aruspices, sedulò executi sunt. Et Fabius Pictor, Maximi propinquus Delphos legatus est ad oraculū: duæ Vestales stupri cōpertæ, altera sub terram viua de more defossa, altera sibimetipsa mortē consciuit.

Fabij constantia post cladē Cannensem.

Operæprecium est ante omnia admirari ciuitatis magnitudinē animi & lenitatē, quòd cōsuli Varroni ex fuga redeunti, vt qui fœdissimè & infelicissimè rebus gestis reuertatur, humili et abiecto obuiam itum ad portā honoris causa à senatu & vniuerso populo sit. Magistratus & principes senatus, in quib. erat Fabius, silentio facto laudauerūt eum, quòd de rep. à clade tanta nō desperauisset: sed adesset ad tractanda gubernacula eius, & ad vtendum legibus ciuibusq; vt nondū deploratis.

Romanorum à Cannensi clade magnanimitas.

Annibalem vt nunciatum est ad alias Italiæ partes à pugna diuertisse, resumptis animis duces cum legionibus dimittūt. Clarissimi horū Fabius maximus & Claudius Marcellus ex contrarijs propemodum institutis in pari erant laude. In hoc enim, vt in uita eius demonstrauimus, strenuitas eminebat & alacritas: cùm et manu fortis, & ingenio esset talis, quales Homerus φιλοπολέμους, & ἀγχεμάχους: id est, bellaces & feroces vocat. Itaq; intrepidè & ferociter, & aduersus hominem proiecta audacia Annibalem, parem ad bellum adferens audaciam prima certamina aggressus est.

Fabij Maximi & M. Marcelli comparatio.

Iliad. 16

Fabius pristinis suis insistēs cōsilijs spem cōceperat, si nemo illi instaret vel irritaret, fore vt semetipse attereret & elanguesceret bello: sicut athleticum corpus, vbi vires nimium confectæ sunt & fatiscunt, ocyssimè amissurus vigorem. Quamobrem refert Posidonius, scutum hunc à Romanis, Marcellum ensem vocatum: temperatamq; cum Marcelli moribus stabilitatem & maturitatem Fabij, fuisse populo Romano salutarem. Itaq; huic se Annibal sicut rapido amni sæpe obijciens propellebatur, atterebatq; copias suas: ab altero vel languidè & paulatim subterfluente & interlabente assiduè imprudens abluebatur, carpebaturq;. Hinc in eam adductus proplexitatem est, cum Marcello vt fatisceret colluctans,

Posidonij de Fabio et Marcello dictum.

Fabium verò horreret sedentem. Atque cum his ferè, vel prætoribus, vel consulibus, vel proconsulibus bellum gessit: fuit enim vterq; horum quinquies consul. Verùm Marcellum in quinto consulatu circumuentum insidijs occidit. Fabio lusit operā sæpius dolum & technas machinatus: semel duntaxat eum in leuem induxit errorem. Misit ad Fabiū cum literis fictis nobilium & principum Metapontinorum, si accessisset, vrbem proditu ros: eosq; qui hoc consilij cepissent, dum ille mouisset propius, expectaturos. His motus literis cum parte copiarum constituit Fabius nocte illuc proficisci: verùm auspicāti cùm aues non addixissent, mutauit sententiam. nec multo pòst intellexit scriptas ad se fraude Annibalis literas, locatasq; ab eo prope illā vrbem insidias. Verùm hæc deûm benignitati asscribas fortasse. Defectiones ciuitatum, nouasq; res socios molientes, blandè agendo censebat & comitate prohibendos atq; flectendos: non quauis excutienda suspicione, neque sæuitia aduersus suspectos exercenda. Dicitur Fabius, cùm militem quendam Marsum animaduertisset, acrem virum & nobilem inter primos sociorum, milites nonnullos ad transeundum solicitasse, non exacerbauisse eum, sed neglectum immeritò fassus, Nunc quidem dixisse duces incuso, qui magis pro suo studio honores habent, q̄ pro virtutis merito. Posthac si qua tibi re erit opus, nisi me appelles, te insimulabo. Sub his dictis equum eximium donat & alijs cum decorat præmijs. Hinc fidelissimum eum & promptissimum habuit. turpe enim ducebat, si cùm equitij & venandi studiosi cura, & assuetudine & educatione malint quàm flagellis & cathenis sæuitiam bestiarum ferociamq; & contumaciam domare: hominibus qui præsit, is non studeat beneuolentia & lenitate potissimum eos corrigere, sed asperius tractet & durius, quàm caprificos, piros syluestres, oleastros agricolæ: quos in ficus, piros, oleas cicurant, mansuefaciuntq;. Alium natione Lucanum manipulares detulerunt, extra castra pernoctare & signa sæpe relinquere. Fabius, qualis nam aliàs esset, rogauit. Cùm omnes confirmarent nemini militum secundum esse, simulq; eximia quædam eius decora atque facta commemorarent: causam vbi eius absentiæ perquisiuit, amore mulierculæ inuenit captum, & illius fruendę gratia longum quotidie iter & periculorum plenum à castris commeare. Mittit igitur certos clam milite, à quibus attractam puellam in tētorio suo occuluit. Lucano inde remotis arbitris accersito, Non me fefellit, inquit, contra disciplinam militarem te, & contra leges Romanas crebrò extra castra pernoctasse: nec verò etiam virtutes ignoraui tuas. Factis tuis strenuis, quam commisisti, condonabo fraudem: posthac alteri mandabo tui custodiam. Stupente milite producit mulierem atque ei tradit, additq;, Hæc spondet te in castris nobiscum mansurum: tu re ostendes, num quod aliud ob facinus castra deserueris, cuius causæ amorem & hanc prætexueris. Ad hunc modum proditū de his memoriæ est. Tarento hac ratione potitus est, quæ capta vrbs proditione fuit. In exercitu eius adolescens merebat Tarentinus: in quem sororis, quæ commorabatur Tarenti, summa fides & pietas extabat. Eius amore Brutius quidam, præsidij quod Tarento Annibal imposuerat, præfectus deperibat: vnde spem concepit Tarentinus rei cōficiendæ. Itaque re cum Fabio communicata, in vrbem ad sororem contulit se pro transfuga. Primùm Brutius, quod ignorare de se fratrem illa existimaret, continuit se à muliere. Pòst injicit apud eam iuuenis sermonem, Enimuerò ferebatur, inquit, vulgo consuetudine te frui potentis viri & magni: quis nam ille est? Si enim præstās virtute, vt fertur, & insignis vir est, nihil moratur, qui vniuersa miscuit, Mars cuias sit. Nihil in necessitudine pro brosum: imò felicitas est quædā, si quo tempore parū in iure præsidij est, ex vi trahere queas lenitatem. inde Brutium accersit mulier, eiq; fratrem conciliat. Mox adiutor hic in amore, cum magis quàm ante facilem illi & obnoxium videretur præstare sororem, ita eum deuinxit sibi, vt non difficulter satellitis mulierculam amantis animum magnorum spe præmiorum, quæ Fabium ostendit donaturum, perpelleret ad proditionem. Ita ferè tradunt hæc historici. Alij mulierem, à qua fuit ad proditionem tractus Brutius, non Tarento, sed ex Brutijs tradunt oriundam. Eam cùm Fabij concubina esset, vbi popularem esse & familiarem resciuit Brutiorum præfectum, re ad Fabium relata congressam sub mœnibus induxisse hominem & corrupisse. Dum hæc parantur, Annibalem distinere Fabius moliens mandat per literas militibus, qui Rhegij in pręsidio erant, vt Brutiorum agrum depopularentur, et Calauniam obsiderent, summaq; vi oppugnarent. Erant octo millia hominum, perfugæ magna ex parte, & eorum qui deportati ex Sicilia à Marcello fuerant ignominiosa militia notati, ignauissimi: quorū iactura minimè luctuosa vel damnosa reipub. foret. existimauit enim hanc obiectam sicut escam à Tarento Annibalem, id quod

Fabio struit Annibal insidias.

Fabij lenitas in corrigendis delictis. Val. Max. lib. 7. cap. 3

Similitudo aptissima disciplinæ.

Fabius quomodo Tarentū receperit. Liu. lib. 7. dec. 3

Mulieris opera Tarentū receptum.

quod euenit, abstracturam. Quippe statim captans eam Annibal mouit eò cum copijs. Sexto die quàm obsidere Tarentum Fabius cœpit, iuuenis qui ante cum Brutio rem adhibita sorore composuerat, venit ad eum noctu, diligenter considerato & explorato loco, vbi in statione Brutius positus locum daturus aggredientibus, ac recepturus eos erat. non in totum tamen fretus consul proditione hac est rem aggressus: sed ipse eò profectus silentio continuit suos. Reliquæ copiæ patiter terra mariq; adortæ mœnia sunt. simul clamor ingens cum tumultu sublatus, quoad plerisque Tarentinis ad subsidium ferendum eò concurrentibus, manusq; cum ijs qui vrbem oppugnabant, conferentibus, cum signum accepisset à Brutio aggrediendi, cepit scalis vrbem.

Fabius recipit Tarentum.

Cæterùm non videtur hic crimine vacasse ambitionis. nam ad famam extinguendam, ne proditione captum Tarentum videretur, ante omneis trucidari Brutios imperauit. Cæterùm eum cùm hæc frustrata est gloria, tum perfidiæ nota & crudelitatis insuper aspersus est. Multi præterea cæsi sunt Tarentini. sub hasta vendita triginta millia. Vrbem exercitus diripuit. In ærarium relata talenta tria millia. Cùm agerentur omnia ferrentur'que, tradiru interroganti scribæ, quid fieri de dijs vellet, tabulas & signa significanti, respondisse Fabius: Deos iratos Tarentinis relinquamus. Herculis tamen lìgnum ingentis magnitudinis Tarento auectum posuit in Capitolio, iuxta'que statuam equestrem suam ex ære. Atque in his quidem longè videtur duriore animo fuisse quàm Marcellus: imò verò effecit, vt præstare ille facilitate & humanitate visus sit, vt in eius vita ostendimus.

Fabij de Dijs Tarentinorum responsum.

Contrà de his Liuius.

Annibalem ferunt raptim agmine facto quinque millia tum à Tarento abfuisse, ac propalam dixisse, Et Romani suum Annibalem habent: eadem qua cepe ramus arte Tarentũ amisimus. Confiteri verò priuatim apud amicos tum primùm fusti nuit, iam pridem graue ipsis fore se animaduertisse, nunc verò impossibile, vt præsentib. subsidijs doment Italiam. Fabius iterũ triumphauit, sed maiore quàm ante gloria. quòd cum Annibale vt strenuus athleta decertaret, eiusq; facile eluderet conatus vt prehensiones & petitiones minus iam firmas: partim enim remissus vigor exercitus eius luxu et opulentia fuerat: partim assiduis prælijs quasi tetusus attritusq;. M. Liuius, quo præfecto Tarentum Annibali proditum fuerat, cum in arcem recepisset se, nõ fuit inde depulsus: sed dum Romani recepissent, tutatus est eam.

Fabij secundus triumphus.

Hic anxius honoribus Fabij in senatu aliquando præ inuidia & ambitione erupit, vt iactaret non Fabij sed sua opera Tarentũ receptum. Ridens hic Fabius, Rectè, inquit, ais: nam nisi tu amisisses, ego non recepissem.

Fabij dictum acutum.

Cic. de Orat. lib. 2. de ridiculis.

Fabio populus Romanus cùm alios habuit eximios honores, tum filium eius consulem designauit. Cum iniisset ille magistratum, & in negotio quopiam ad bellum pertinente esset intentus, pater vel præ senio & imbecillitate, vel tentandi gratia filij equo per appellantes et circumstantes consulem aduehebatur. Quod iuuenis vt vidit non tulit, sed misso lictore vt descenderet ex equo pater iussit: & siquid consulem vellet pedibus accederet. Mouit alios imperium, taciti q; oculos in Fabium tanquam præter dignitatem violata eius maiestate còiecerunt. At ille confestim desiliens citato gradu properauit ad filiũ, complexusq; eum & data salute, Macte consilio, inquit, & virtute fili es: sentis quibus imperas, & quàm ingentem suscepisti magistratũ: his artibus nos quoq; & maiores remp. auximus, dum parentibus liberisq; priorem reipub. dignitatem habemus.

Liu dec. 3. lib. 7

Fabij filius consul, suam cuique dignitatem tuendam docuit.

Et sane tradunt Fabij proauũ, qui sine controuersia maxima gloria Romæ atq; authoritate floruit, quinquies fuit consul, clarissimos triumphos ex grauissimis bellis duxit, cum filio eius consule in prouinciam profectum legatum. in cuius triumpho, cùm curru ille quadrijugo inuehetetur, equo ipse incedens cum reliquis secutus est: glorians, quòd qui in potestate filium haberet, atq; inter ciues maximus & esset & diceretur, subijceret legibus se & magistratui.

Fabij Rulli siue Rutiliani laus.

Cæterum illius laudes non intra hæc tantùm stetere. Fabius cùm hunc filium amisisset, dolorem vt vir prudens & pius pater tulit moderatissimè. Orationẽ, quam habent in clarorum virorum funere propinqui, ipse in foro egit, quam post edidit scriptis mandatam.

Fabius filij mortem tulit moderatè.

Postquam P. Cornelius Scipio proconsul in Hispaniam missus, Pœnos multis profligatis prælijs ex ea prouincia expulit, compluribus'que nationibus & vrbibus subactis ingentibus, ac repub. præclarè gesta gratissimus ciuibus & summo cum honore reuersus est: mox consul designatus, cùm populum intelligeret non vulgarem postulare à se & ipsis spondere consulatum, vt in Italia congrederetur cum Annibale, ieiunum id nimium & segne arbitratus esse, ipsam Carthaginem statuit & Africam statim implere armis legionibus'que, atque eam oppugnare & ex Italia omnem vim illuc conuertere belli. Ad hanc rem omnibus neruis annisus est vt populum impelleret.

Hic

Fabius aduersatur consilijs Scipionis Africani.

Hic varium metum Fabius ciuitati proposuit, præcipitem clamitans ab amente iuuene in extremum & summum periculum ferri. neq; oratione pepercit vel facto, quo deterrere se ab isto consilio ciues putabat posse. Et senatum quidem in suam traduxit sententiā. Populo inuidia videbatur adductus Scipionis felicitati obtrectare: vereri'q;, si quid præclari gessisset ille, & bellum aut finiuisset aut summouisset ex Italia, segnis ipse mollis'q;, bellum qui tam duxisset diu, videretur. Equidem à primo quidem Fabium putem ad impediendum Scipionem studio securitatis & prouidentia adductum, quòd discrimen tam grande horreret: ambitione verò quadam & æmulatione, vt crescentē Scipionem detraheret, incubuisse in id acrius. nam & collegæ Scipionis suasit Crasso, prouinciā ne permitteret ei cederet'ue, & Chartaginem ipse, si ei videretur, exercitum transportaret. Obstitit etiam, ne pecunia attribueretur in bellum Scipioni: quare pecuniam sibi ipse parare habuit necesse. Hanc Hetruriæ ciuitates eius priuatim studiosæ, atq; in eum propēsæ contulerunt.

Crassi natura.

Crassum cùm sua natura alienum à contentionibus & moderatum virum, tum sacrorum cura, quòd esset Pontifex maximus, in Italia retinuit. Quare Fabius Scipioni alia obsistens via, impediuit & intercesit ne delectum iuuentutis, quæ voluntaria nomina dare volebat, posset habere. In curia & ad populum fremebat illum non solum fugere Annibalem, verùm etiam, quod reliquum in Italia virium esset, id exportantem abscedere, spe lactare iuuentutem, & inducere vt parentes, coniuges, patriam, cuius in foribus potens & inuictus sedeat hostis, deserant. Hæc cum diceret, pauorem iniecit ciuibus. Solas itaq; decernunt ei ad bellum legiones quæ in Sicilia erant, & vt ducere secum ex ijs, quos reportauerat ex Hispania, trecētos posset: quorum vsus fideli opera est.

Scipionis Africani res in Africa gestæ.

Atque his quidem agendis sequi visus est ingenium suum. Vt verò traiecit in Africam Scipio, & eximia eius gesta victoriæ'q; incredibiles & clarissimæ annunciatæ Romam sunt, consentanea quoque famæ spolia multa consecuta, rex captus Numidarum, bina sub idem tempus incensa castra, strages ingens hominum, armorum & equorum vis magna in castris flamma hausta. Carthaginenses etiā per legatos Annibalem reuocarunt, orauerunt'q;, spem illam relinqueret inanem, & ferret opem patriæ. Omnibus ciuibus Scipionem laudibus tantas ob res gestas ad cœlum ferentibus, Fabius mittendum Scipioni censebat successorem: nullam causam proferens aliam, nisi quod illud iactaret triuiale, Anceps esse tantam rerum molem credere vnius fortunæ viri: non temerè eidem semper respondere fortunam. Quare offendit populum, habitus'q; est morosus & malignus, aut præ senio exanguis omnino & deploratæ spei, qui præter modum ab Annibale trepidaret: imò verò cùm Italia Annibal exercitu nauibus imposito excesisset, ob strepuit lætitiæ publicæ & bonæ spei, neque eam esse illibatam permisit. imò tum vel maxime cùm supplicationem populus decreuisset, in summo periculo versari & in lubrico dictitabat rempub. Quippe grauiorem in Africa Annibalem sub Carthaginis mœnibus incubiturum hostem, occursurum exercitum Scipioni multorum etiamnum calentem imperatorum sanguine, dictatorum'q; & consulum. His sermonibus trepidatio Romæ renouata: vt cum bellum translatum in Africam esset, hoc magis admotum vrbi periculum putarent. At Scipio tum Annibalem signis collatis vicit, tum detracto concul catoq; oppressæ Carthaginis fastu populum maiore impleuit, quàm caperet animis lætitia, imperium'q; plane multis iactatum fluctibus iterum erexit.

Fabij Maximi mors.

Val. Max. lib. 1. cap. 2.

Fabius Maximus non attigit viuus exitum belli, neq; Annibalem victum audiuit, neq; insignem illam & synceram oculis cepit patriæ prosperitatem: sed sub idem tempus, quo reliquit Italiam Annibal, ex morbo defunctus est.

Epaminondæ funus.

Epaminondam Thebani propter inopiam, in qua decessit, publico funere extulerunt: quòd præter veru minutum ferreum, vt fama est, nihil ab eius excessu fuerit domi inuentum.

Fabij Maximi funus.

Populus Romanus non fecit Fabio publicè funus, sed asibus viritim collatis: non vt tanquam inopi sufficerent impensas, verùm populo vt parentem sepeliente, mors viri, vt dignum vita erat, honorata fuit & celebrata.

PERICLIS CVM FABIO COMPARATIO.



HABES vitę historiam illorũ duorum. quorũ quia vterq; multa exempla & præclara reliquit ciuilis & bellicæ virtutis, age ex bellicis illud primo loco tractemus. Pericles cùm reipub.præesset, populus in ꝓspero vt cũ maxime successu rerũ & ꝑ se pollentissimus erat, opibusq; florentissimus: vt publica eum fortuna atq; potẽtia in securo & stabili gradu tenuisse videat. Acta Fabij, q̃ fœdiss. & asperrimis tẽporibus remp. suscepit, nõ rebus florentibus stantẽ cõseruauerunt, sed excitauerunt abiectam. Præterea Pericli Cimonis victorię, Myronidisq; & Leocratis laureę, multa etiã Tolmidis pręclara facta facultatẽ peperẽre domi remp. procuranti festos dies agendi, ludosq; celebrãdi potius q̃ bello rẽ augendi vel tuendi. Fabius verò, cùm ante oculos haberet multos fusos fugatosq; exercitus, multas strages & cędes imperatorũ atque ducũ, lacus, campos, saltus cæsorũ cadaueribus exercituũ coopertos, cruore & tabe manantia vsq; ad mare flumina, suis ꝓprijs institutis & firmis consilijs quasi subiectis humeris fulciẽs rempub. obstitit ne illorũ peccatis labascẽs ex toto pręcipitaretur. Et quidẽ tractare fractã calamitatibus ciuitatẽ, & necessitate obtemperare coactam prudenti nõ perinde videatur arduũ, atq; populi rebus elati secundis luxuriantisq; refrenare lasciuiã atq; ferociã. Qua maxime ratione videtur Pericles Athenienses cõtinuisse. Atqui malorum, quibus oppressus id temporis populus Romanus fuit, moles et cumulus, quę ea nõ perculerũt, nec de gradu deiecerũt, eum verò magnũ virum et inuictĩ animi ostenderũt fuisse. Cum Samo capta à Pericle, Tarentũ receptũ cõponamus licet: & verò etiã cum Eubœa, Campaniæ oppida. nam ipsam quidẽ Capuam Fuluius & Appius cõsules subiugauerunt. Signis collatis haud cõperio Fabium hostes fudisse: nisi vnde priorem duxit triumphũ. Pericles hostibus terra mariq; cæsis trophæa nouem statuit. Nullum factum tamẽ memoratur Periclis tale, quale fuit Fabij cùm Minutiũ eripuit Annibali, & iustum exercitum seruauit Romanum. Memorabile facinus, & quod virtutem, prudentiam, humanitatẽ simul cõplectitur. Vicissim nec error refertur is Periclis qui Fabij, cui per boues illusit Annibal. ceperat temere & fortuitò fauces ingressum hostem, amisit è manib. noctu fallentem & postero die vrgentem: præuenientem dum cũctatur, & dum manus conserit, superantem. Quod si boni imperatoris est non tantum consulere rebus instantibus, sed & diuinare de venientibus rectè: belli Athenienses exitum, qualem præuiderat & ante denunciauerat Pericles, sortiti sunt. Dum enim nimium multa ambiunt moliunturq;, amiserũt suas opes. Romani, q̃ cõtra Fabij sententiã Scipionẽ cum imperio in Africã miserunt, rerũ potiti sunt: nõ casu sed ducis q̃ hostes deuicit cõsilijs ac virtute. Illũ itaq; rectè sensisse, patriæ casus testantur: hunc resp. pręclarè gesta arguit longè lateq; errasse. Et sane cladẽ accipere nec opinantẽ, & rerũ prosperè gerendarũ corrumpere diffidentia occasionẽ, par ducis est delictũ: quippe vna temeritatẽ gignit & eripit audaciã imperitia. Hactenus de rebus bellicis. Domi magna suggillatio Periclis bellũ fuit: cuius ille, dum reluctatur nimiùm Lacedęmonijs, dicit author fuisse. Equidẽ nec Fabium Max. censeã fasces submissurũ Pœnis fuisse: imò fortiter se ꝓ imperio in discrimẽ demissurum. Fabij tamẽ erga Minutiũ moderatio & lenitas, factionẽ aduersus Cimonẽ & Thucydidem Periclis coarguit egregios viros & ab optimatibus stantes, quos in exiliũ egit. At certe opes & potẽtia maior Periclis: quare nemini vlli permisit imperatori malis cõsilijs rempub. labefactare. Solus illi elapsus Tolmides vi eũ reiecit. Cæterum hic in Bœotios incurrit: reliqui summæ eius potentiæ cessere, & ad arbitriũ se eius accõmodauerũt omnes. Fabius fuit ipse quidẽ ꝓuidus nec vsquã incurrit: sed cohibendorũ cæterorũ potestate apparet eũ fuisse imparẽ. neq; enim Romani, si tantũ Fabius apud ipsos, quantũ Athenis Pericles, polluisset, in tãtas incidissent miserias. Iam inuictũ à pecunia animũ, hic ab offerentibus nihil capiẽdo, ille multa largiẽdo egẽtibus, dũ redemit suis nũmis captiuos, demõstrauit. Non fuit hæc ingẽs summa, tamen ad sex talenta. Pericles, difficile dictu, quantũ quæstus & munerũ, cõsequi à socijs & regib. occasione potẽtiæ suæ cùm potuisset, præstitit se abstinentissimũ. Opificiorũ quidem certè mole, templorumq; atq; ædificiorũ substructionibus, quibus Athenas exornauit Pericles, cuncta quæcunq; ante Cæsares Roma habuit ornamenta, haudquaquam sunt conferenda: sed longè lateq; sine vlla comparatione, magnificentia & nobilitate præ his obtinent illa primas.

Rerum bello gestarum collatio.

Imperatoris boni munus.

Imperatoris erratores.

Periclis & Fabij ciuilum actionum, comparatio.

Periclis opera Romanorum operibus anteponuntur.

NOBI-

NOBILI AC GENEROSO DOMINO, D- VVILHELMO, COMITI DE MONTE, ET DOMI- no de Bilant, Boxmeer & Vuisz, &c. Hermannus Cruserius S. P. D.



V M deprehendiſſet Auguſtus Cæſar nobilem iuuenem Cinnam, Pompeij nepotē, cui antè incolumitatem largitus fuerat hoſti, ſtruere ſibi inſidias, comperiſſetq́ue qua ratione & quando ipſum ſtatuerat aggredi: dum dictatur ſententia proſcriptionis, varias edenti voces ingreſſa vxor Liuia, Fac, inquit, quod medici ſolent: qui, vbi vſitata remedia non proſunt, tentant contraria. Seueritate adhuc nihil profeciſti, ignoſce. Cinna deprehenſus vitæ tuæ nocere non poteſt, famæ prodeſſe poteſt. Itaq; protinus Cinnam iuſsit accerſi ad colloquium, venienti etiam alteram cathedram poni. Egit verbis cum eo humaniſsimis, liberauitq́ue noxa, addens: Vitam tibi Cinna iterū do prius hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia: cōtendamus deinceps, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas. obtulit inſuper ei conſulatum. Qua re id conſecutus Auguſtus eſt, vt non modo habuerit poſtea Cinnam fideliſsimum, ſed & hæres vnicus ſit ab eo nuncupatus. Hoc mihi, cùm vitam tractarem Philopœmonis & T. Quintij Flaminij, hic exponendum, nobilis & generoſe Comes, viſum eſt. Cùm enim rationes duæ ſint aſſciſcendorum hominum, vna violentia, comitas altera: illa durior eſt, & cùm moleſta inferenti, tum acerba ferenti, comitas vtrique iucunda & vtenti certe honorifica. ſiquidem laborioſius eſt trahere quàm ducere hominem. Eadem comitas efficit vt homines libenter pareant, libenter officio ſuo fungantur, et quæ faciunt, ea vt faciant enixè: cū malo qui coacti ſunt, non ſedulò ſed inuiti ad munera obeunda ſua accedant. Adhæc conuenientius naturæ & vero etiam homini eſt, inducere quem beneficentia, quàm vrgere vexationibus. Iam comitate qui conciliati & adiuncti ſunt, ab his rebellio aut inſidiæ ſunt nullæ expectandæ: vi compulſi, occaſionem captant quo neceſsitate & vinculis explicent ſe. Itaq; hæc temporaria, illa eſt perpetua: qua quidē vſus T. Quintius eſt ad iungendam Romanis Græcorum ſocietatem. Nam armis hic & metu ſi tranſigere omnia res gerens in Græcia inſtituiſſet, haud inueniſſet perinde omnia procliuia, neq; tam breui bellum Macedonicum perpetraſſet. Quia verò neminem violauit, ſed omnibus fuit blandus promptusq́ue ad bene de omnibus merendum: non modo coniunxit eorum, quos ipſe appellauit animos, verum etiam allexit alios vltrò vt ipſum peterent, atq; amicitiam ipſius expoſcerent. Vnde hoc liquet, bellum eum illud patraſſe citius blandè cum Græcis agendo, quàm conflictibus & oppugnationibus vrbium. Tam verò arctè conglutinauit reipub. ſuæ animos Græcorum, vt quàm diu ſteterit imperium Romanum, nunquam illi ab eo deſciuerint: at armis ſubacta Macedonia, bis defectionem inijt. Philopœmenes autem, quem comparat Plutarchus cum T. Quintio, maluit armis inſiſtere. Verùm ei citò Lacedæmon, citò Meſſene rebellauit: fuitq́ue ab rebellantibus oppreſſus. Quo magis hanc viam, cùm ſit pronior & ſecurior, ſequi debent magni viri: ab illa verò deflectere, quod aſpera ſit atq; intuta. Hæc non alienum duxi præludere in Philopœmenis & T. Quintij vita, tibi nobiliſsime Comes dicanda: quòd & argumento ſeruiant, humanoq́ue & comi ingenio tuo ſint conſentanea. quæ comitas et humanitas tua impulit me, vt hos duos excellentes duces tuo nomini inſcriberem. Hoc officiū meum valde deſidero vt tibi ſit gratum: Vale.

Philopœmenes.

Philopœmenis institutio.



ASSANDER Mantineæ ſumma nobilitate fuit & authoritate inter ciues pollens imprimis. Hic fortunæ fluctibus domo profugus Megalopolim ſe contulit: potiſsimùm Crauſis gratia patris Philopœmenis, viri cùm omni præfulgentis gloria, tum verò priuatim ei familiaritate coniuncti. Ab hoc eſt ſuperſtite cultus omni genere officiorum. Quo mortuo, vt vices rependeret illi hoſpitalitatis, filium eius orbum educauit: quo modo Phœnicis ait Homerus fuiſſe Achillem alumnum. vnde generoſis & regijs à teneris vſque vnguiculis conformatus fuit & adoleuit moribus. Vbi iam pubertatem Philopœmenes attigit, Ecdemus Demophanesq́ue Megalopolitani, qui familiares Archelai in Academia fuerant, atque philoſophiam præ æqualibus ſuis in forum & negociorum pul-

uerem produxerant, susceperunt curam eius. Hi summissis Aristodemo percussoribus, patriam suam liberarunt tyrannide, & ad Sicyonium tyrãnum expellendum Nicoclem præstò fuerunt Arato, petentibusq; Cyrenæis mare traiecerunt, ac rempub. eorum concussam seditionibus & affectam composuerunt, concinnaueruntq; decentissime. Porrò inter cæteras actiones, hi Philopœmenis quoq; institutionem curę habuerunt, ad cõmunem Græciæ salutem præceptis excolentes eum Philosophiæ. Namq; Græcia, cùm hunc post veterum virtutem ducum quasi cordum edidisset in senectute, mirum in modũ est exosculata, potentiamq; eius vnà cum gloria amplificauit. Romanus verò quispiam celebrans eum, vltimum Græcorum appellauit: quasi nullum Græcia exinde inclytum virum vel ipsa genuerit dignum. Fuit specie non, vt nonnulli arbitrantur, deformi: extat enim etiam nunc Delphis statua eius. nam hospitis Megarensis inscitiæ aiunt ipsius facilitatem & simplicitatem dedisse causam.

Philopœmenis forma.

Siquidem nunciato prætorem Achæorum ad se venire, dum parat cœnam, absente forte viro tumultuabatur: ac cum Philopœmenes interea ingrederetur obsoleta amictus chlamydula, existimans aliquem esse ex ministris & antecursorem, orauit eum ministerio vt manum admoueret. Ille abiecta confestim chlamyde cœpit ligna findere. Cùm autem superueniret hospes, atq; id spectaret, Quid hoc rei est, inquit, Philopœmene? Tum ille, Quid aliud, quàm quod fœdæ speciei pendo pœnas? Titus Quintius in cæteri corporis eius habitũ cauillans, Quàm pulchras, inquit, manus Philopœmene & crura habes, ventrem nõ habes? fuit enim mediocorpore gracilior. Cæterùm id dictum potius est in vires eius detortum. Quippe egregium peditatum & equitatum habebat, sed deficiebatur sæpenumero pecunia. Atq; hæc in circulis de Philopœmene referuntur. At insita ei ambitio haud erat vndequaq; defecata à peruicacia, nec ab iracundia libera: sed qui studeret imprimis esse Epaminondæ æmulus, strenuitatem eius & prudentiam atq; abstinentiam egregiè expresit: lenitatem, grauitatem, humanitatem in ciuilibus contentionibus non potuit retinere. Vnde propter iracundiam & animum præfractum ad militares videbatur quàm ad ciuiles artes accommodatior.

Philopœmenes iracundus fuit.

Etenim fuit iam inde à puero ad rem militarem pronus, atque eò quæ conducerent, affectabatur nauiter: in armis se exercens & equitans. Cum verò luctari etiam scitè videretur, suaderentq; ei aliqui amici & curatores, vt se ad exercitationẽ athleticam conferret: rogauit eos, ecquid ea exercitatio militari adferret detrimenti. Qui eum id quod erat, athleticum corpus cum militari omnibus partibus referrent pugnare, præcipue viuendi rationem & exercitationem aliam esse: quòd illi multo somno, perpetua saturitate, statis motionibus, & quiete augerent, tuerenturq; habitum qui ex quolibet momento & excessu consuetudinis esset ad cõuersionem lubricus: hi ad omnem debeant variationem callere & inæqualitatem, maxime verò assuefacti esse, vt facile inediam tolerent, facilè etiam vigilias.

Philopœmenes studiosus militiæ.

Quo intellecto nõ solùm ipse eam rem fastidiuit & derisit Philopœmenes, verùm etiam disciplinam omnem athleticam pòst prætor, quãtum in ipso erat, omni exegit genere contumeliarum & probrorum, quòd appositissima corpora necessarijs certaminibus redderet inhabilia. Postquam verò præceptores reliquit & pædagogos, cùm expeditionibus furtiuis ad prædandum incursarent ciues eius fines Laconicos, ita se instituit vt primus in expeditionem euntium esset, et omnium reciperet se postremus.

Philopœmenes improbauit exercitationem athleticam.

Philopœmenis exercitationes.

Per ocium aut venando corpus subigebat, qua ratione parabat agilitatem simul & robur: aut agrum colendo, quem lautum viginti ab vrbe stadijs posidebat. Eò se à prandio vel à cœna conferebat quotidie, corpusq; in torum vernaculum vt quilibet operariorũ ad quietem abijciebat. Prima luce ad opus surgebat cum vinitorib. aut aratoribus. inde remeabat ad vrbem & negocia publica cum amicis & magistratibus tractabat. Ac compendia bellica quidem absumebat in equos, in arma, in redimendos captiuos: rem verò familiarem ex aruo studebat iustissimo quæstu augere. neque id faciebat transitoriè: verùm curandam potissimùm rem domesticam censebat ei, qui temperare vellet ab alienis.

Philopœmenis quæstus.

Præcepta audiebat, & scriptis Philosophorum studebat non quibuslibet: sed ex quibus sperabat fructum se ad virtutem capturum. Ex carminibus Homericis solis attendebat his, quæ ad fortitudinem excitare & incendere existimabat animos. Reliquorum scriptorum eximiè Euangeli commentarijs de instruenda acie dabat assiduam operam. Terebat etiam Alexandri historias: doctrinam debere ducens ad facta tendere, nisi ocij causa & inutilis loquacitatis peragerettur. Siquidem præceptorum aciei digerendæ, delineationibus quæ essent in tabulis descriptæ repudiatis, experimenta agebat in re præsenti, & meditationem obibat: ac locorum cõuexa, camporumq;

Philopœmenis studia.

prærupta, & quoſcunque caſus & figuras aciei circa flumina vel foſſas vel anguſtias diuellendæ, aut contrà conglobandæ, ſecum in itinere faciendo, hinc ipſe expendebat, hinc proponebat comitibus ſuis. Et ſane videtur hic vir plus nimio ſtudij ad diſciplinã militarem contuliſſe, bellicas'q; artes ſicut ampliſsimum ſtadium amplexus virtutis, contempſiſſe ſicut ignauos eius rudes.

Philopœmenes ſeruat Megalopolitanos à Cleomene.

Cum iam annorum triginta eſſet, rex Lacedæmoniorum Cleomenes Megalopolim repentè adortus noctu eſt: oppreſsiſq; excubijs vrbem inuaſit, forum'q; tenuit. Hic Philopœmenes cum ſuccurreret, non valuit expellere hoſtes, quamuis fortiter & intrepidè depugnaret: cæterùm ciues ex vrbe quaſi ſurripuit occurrendo inſequentibus & Cleomenem in ſe retrahendo, vt ægrè tandem amiſſo equo ſaucius receperit ſe poſtremus. Hinc vt per legatos ijs Cleomenes, cùm recepiſſent ſe Meſſenen, ſignificauit vrbem ſe cum fortunis ipſorum agrum'q; redditurum: cernens ciues Philopœmenes libenter conditionem accipere, maturareq; vt domum redirent, reuocauit, retraxitq; eos: multis verbis ob oculos ponens, non reddere velle Cleomenem vrbem, ſed adiungere inſuper, quo firmius retineat vrbem, ciues. neq; enim poſſe illum facere, vt tecta & mœnia vacua deſidens ibi ſeruet: ſed hæc quoq; ei propter ſolitudinem elapſura. Quibus rationibus ciues quidem reuocauit: cæterùm locum aperuit Cleomeni ad diripiendam & diruendam maxima ex parte vrbem, magna'que cum præda recedendum.

Philopœmenis præclarum facinum in prælio contra Cleomenem.

Poſtquam verò ſubueniens rex Antigonus Achæis mouit cum ijs in Cleomenem, illo'que edita circa Sellaciam & fauces inſidente, inſtruxit aciem iuxtà, certus ſigna inferre & vi irrumpere: locatus erat cum ciuibus ſuis Philopœmenes inter equites, eiq; ſubſidiarij adiuncti erant Illyrij, quibus extrema acies multis & fortibus viris erat clauſa. His erat præceptum, vt quieti expectarent, dum ab altero cornu rex ſignum puniceâ tunica haſta ſublata dediſſet. Vbi iam duces vrgere Illyriorum cuneo annituntur Lacedæmonios, & Achæi, vt erat imperatum, in ordinibus ſuis obſeruant aggrediendi occaſionem: animaduertens Cleomenis frater Euclidas diuulſos hoſtium ordines, circummiſit properè ex leui armatura expeditiſsimos quoſque, Illyrios'q; iuſſit vt à tergo adorirentur & retraherent deſtitutos ab equitatu. Id dum fit, & milites leuis armaturæ retrahunt diſsipant'que Illyrios: aduertens non magni eſſe negocij Philopœmenes leuem armaturam opprimere, id'que ipſum tempus ſuggerere, demonſtrauit primùm rem ducibus regijs. Quos cùm non adduceret in ſententiam ſuam, ſed faſtidiretur pro inſano, quòd authoritatem ad tantum imperatoriæ artis conſilium haud dum magnam neque ſatis inſignem obtineret, cum globo ciuium ſuorum fecit impreſſionem. Ac cùm primo tumultus, hinc fuga & cædes ingens ederetur velitum: quo magis ac magis regios confirmaret & turbatis expedire inſtaret hoſtibus, ad pedes deſcendit.

Philopœmenes pugnans uulneratur.

Ibi dum cum locis aſperis, irriguis & voraginoſis in equeſtri lorica & armis ponderoſis, pedeſter grauiter & laborioſè luctatur, vtrumque femur eius ſimul vno tranſfigitur iaculo amentato. Ictus etſi non lethalis, grauis fuit tamen, vt ſpiculum ex altera parte extaret. Hic primùm velut vinculo impeditus æſtuabat planè. Quippe anſa iaculi qua erat ei aptata, difficilem reddebat teli in reuellendo per vulnera tranſitum. Cùm verò dubitarent, qui aderant, manum admouere, & medio ardore prælij, qui in breue erat duraturus, ex feruore & gloriæ cupiditate æger animi ille properaret ad certamen, inceſſu & alternatione crurum fracto per medium iaculo, iuſsit vtrunque fragmentum ſeorſim recipi. Ita expeditus ſtricto enſe ante ſigna contendit in hoſtes. Quare ingenti alacritate & ardore dimicantes compleuit. Vnde obtenta victoria Antigonus, tentandi gratia quæſiuit ex Macedonibus, quid equitatum nondum dato ab ſe ſigno immiſiſſent? Quibus inuitos ſe affirmantibus, quòd iuuenis Megalopolitanus occupaſſet inuadere hoſtes, commiſſos cum ijs fuiſſe.

Antigoni dictũ militare.

At ille iuuenis, inquit, magni imperatoris perpetrauit munus. Inde iure fuit Philopœmenes in honore. Cum verò inſtaret apud eum Antigonus, vt ſecum militaret, eiq; præfecturam & pecuniam offerret, abnuit: præcipue ingenium ſuum conſcius ægrè & grauatè ferre ſuperiorem. Sed quia obtorpeſcere & feriari pigebat eum, exercendæ & meditandæ gratia rei bellicæ, in Cretam militatum nauigauit. Vbi poſtquam longo ſpacio cum viris bellicoſis ſe, atque omni genere aſtutiæ arma tractantibus, vitam'q; etiam tum ducentibus moderatam & aſtrictam excoluiſſet: adeo redijt celebris, vt extemplò crearetur magiſter equitum.

Philopœmenes magiſter equitũ ab Achæis creatur.

Cùm equites autem accepiſſet, qui prauos & exiles equos ſubitarios'q; inſtante expeditione arriperent, atque ipſi ferè militiam defugerent, alios'q; delegarent vicarios, eſſet etiam ſingularis omnium cum ignauia inertia: eaq; diſsimulaſſent antè magiſtratus, quòd

inter

inter Achæos plurimùm equites pollerent, ac pręcipue arbitrium haberent honorum & pœnarum: non summisit animum necq; elanguit, sed cùm oppida lustrando, tum singulos iuuenes seorsim ad laudem excitando & castigando ignauos, exercitationibus'q; & transuectionibus atque mutuis inter ipsos concertationibus, vbi spectandi à plurimis essent, miros neruos breui alacritatemq; impressit cunctis, & quod in disciplina erat militari caput, agiles reddidit atque expeditos. Itaque turmatim in latus conuertere & in terga obuertere aciem, singulos item equos ita conuertere & flectere edocuit & consuefecit, vt totius circumagendi globi dexteritas vnum corpus repræsentaret, suo se contorquens nutu. In acri illo conflictu, quo Achæi cum Aetolis & Aelijs signa contulerunt ad amnem Larissum, Philopœmenem magister equitum Eliorum Damophantus ante signa euectus petiuit. Cuius ille impressionem excipiens, prœuertit eum lancea ferire, atque exanimem deturbauit equo. Ad cuius lapsum confestim effuderunt se in fugam hostes.

Philopœmenes occidit magistrum equitum Aeliorum.

Vnde ingens nomen quæsiuit Philopœmenes: vt qui nec manu vlli iuuenum, nec vlli senum concederet prudentia, sed iuxtà militis & imperatoris parteis optimè obiret.

Philopœmenis laus.

Ac reipub. quidem Achæorum cōciliauit princeps Philopœmenes dignationem & potentiam: qui abiectam & oppidatim diuulsam coegit, dignamq; Græcia reddidit atque elegantem. Ac sicut in aqua vbi pauca corpora & minuta cœperunt subsidere quæ exinde affluunt, impacta primis & aggesta compaginem mutuam efficiunt firmam & solidam: ita cum languida ea tempestate Gręcia opprimi oppidatim posset facile, primi conspirauerunt Achæi, circumiectasq; vrbes partim submittendis ad expellendos tyrannos auxilijs recipientes, partim concordia & bona disciplina sibi asciscentes, Peloponnesum in vnum corpus cogere, & in vnas instituebant vires. Verùm quamdiu fuit superstes Aratus, spectabant fere Macedonum arma, colebantq; Ptolemæum, mox Antigonum & Philippum, qui in medijs Græcorum negocijs iactabant se. Postquam verò ad principatum aspirauit Philopœmenes, qui à potentissimis iam per se erant pares, destiterunt ascititijs vti ducibus. namq; Aratus segnior habitus vtiq; ad dimicandum, comitate beneuolentiaq; & familiaritatibus regijs pleraque negocia, sicut in vita eius exposuimus, transegit: at bonus Philopœmenes bellator, atque in armis strenuus, felix præterea & victoriosus mox in primis certaminibus, vnà cum potentia animos Achæorum, quòd consuessent cum eo vincere & in quamplurimis deportare lauream prælijs, inflauit.

Philopœmenis & Arati collatio.

Primùm autem ordinum militarium apud Achæos atque armaturæ correxit vitia. Scuta enim habebant ex tenuitate expeditiora & restrictiora, quàm vt tegere possent corpora, lanceas longe sarissis breuiores. vnde ob leuitatem ad eminùs petendum strenui erant & bellaces, cominùs non perinde valebant. Modus & forma aciei in orbem non erat in vsu: sed quia quadratam aciem, qua vtebantur, nec fronte muniebant nec strue, vt moris erat Macedonum, ex facili impellebantur, disijciebanturq;.

Philopœmenes instituta militaria Achæorum mutat.

Acierū formæ.

Vbi hæc Philopœmenes digessit, induxit eos vt pro scuto & lancea clypeum & sarissam caperent: simul vt galeis, loricis, ocreisq; tecti loco cursoriæ & velitaris pugnæ statariam meditarentur & firmam. Vbi iam pubem ad ita se armandum impulit, primùm vt inuictos confirmauit, deinde delicias & luxum eorum optimè inuertit.

Philopœmenes victus splendorem in militiæ cultū transfert.

Neque enim eripere semel potuit vanum & inane, quòd perdiu infecerat animos eorum desiderium circa amœniorem vestium cultum, strata purpurea, sumptuosas cœnas, mensasq;: sed cum instituisset à non necessarijs cupidos elegantiæ ad necessaria deflectere & honesta, breui omnes mouit atque inflammauit, vt quotidianis repressis in corpus sumptibus, gestirent in militari & bellico ornatu ostentare se splendidos & comptos. Itaque videres plenas officinas calicum & paterarum contundendorum, inaurandarum loricarum, argento inducendorum scutorum frenorum'que, curricula domandorum equorum & adolescentium in armis sese exercentium: in manibus fœminarum galeas, ac cristas tinctuiis distinctas, sagulaq; equestria, & militares lacernas picturatas. Hæc species animos incendebat eorum, & alacritatem excitabat. vnde periculorum contemptores, & prompti ad subeunda discrimina euaserunt. Quippe profusio alijs in rebus voluptates producit, & animos eneruat vtentium, quasi per stimulos & titillationes animum sensu infringente: contra impensa in huiuscemodi res roborat eum, extollitq;. sicut Achillem induxit Homerus nouis armis prope sub oculis positis quasi exultantem & ardentem, vt ea in opus educeret.

Armorum ornatus ad res gerendas inuitat.

Iliad. 19

Ad eum modum cum exornasset iuuentutem, exercuit & subegit eam, continenter mouens. quæ enixè obtemperabat. siquidem ordo militaris mirificè placebat ijs, cuius perfringi globus non videbatur posse: reddebanturq; corporibus

arma tractabilia & læuia, quæ ob splendorem & decorem versabant ac ferebant quadam cum voluptate, vt in ijs dimicare, & quamprimùm cum hostibus auerent decernere. Bellum ea tempestate Achæis erat cum Machanida Lacedæmoniorum tyranno, qui multa & magna potentia succinctus, omnes Peloponnesum incolentes captabat. Quem vt Mantineorum fines nũciatum est inuasisse, Philopœmenes raptim egit in eum copias. Instruxerat in conspectu vrbis Mantineæ aciem. Habebat autem vterque sub signis magnum externorum militum numerum & vrbanas copias pene omnes. Vbi iam ad concurrendum ventum est & milite externo Machanidas iaculatores & Tarentinos, qui ante signa locati Achæorum fuerunt, pepulit: omisso incurrere ilicò in aciem eorum & diuellere globum, ablatus est dum consectatur effusos, præterlatusq; aciem est Achæorum, qui integris adhuc ordinibus consistebant. Philopœmenes, cùm in principio esset tam grauiter titubatum, atque actum esse omniaq; iam perdita viderentur, ea re dissimulata, quasi nihil incommodi accidisset, vt conspexit quantum in persequendo hostes offenderent diuulsi ab acie sua, ac locum aperientes vacuum, non occurrit neque obiecit se fugientes agentibus, sed permisit eos præteruehi. Vbi iam magnũ interuallum fecerunt, confestim signa intulit in pedites, quos nudos videbat relictos: cornibusq; exporrectis ex latere incurrit in destitutos duce nec pugnam expectantes. nam cùm tergis inhærentem fugientium aspicerent Machanidam, victoriam existimabant suam, atq; hostes omni ex parte profligatos. Hos vt multa cæde auertit (quippe supra quatuor millia occubuisse feruntur) contendit in reuertentem tum mercenarijs ab hostium insectatione Machanidam. Ingens fossa & alta interiecta dirimebat eos. ex cuius vtroque margine obequitabant inter se: hic quo transiret ad capessendam fugam, ille vt id impediret. Erat species non quasi ducum prælantium: sed sicut ferarum, quas ad prælium adigit necessitas acri instante venatore Philopœmene. Hic equus tyranni fortis & ferox, vtrinque calcaribus concitatus tentauit transilire fossam, impactoq; in fossam pectore, annitebatur prioribus pedibus traijcere. Interea Simmias & Polyenus, qui in prælijs soliti erant Philopœmeni assistere & eum stipare, simul ambo aduolant equis. Quos infestas inclinantes hastas præuenit Philopœmenes, atque obuium obiecit se Machanidæ. Cuius equum cum videret sublato capite corpus eius tegentem, deflexit paululum suum, atq; infesta hasta omni vi intorta illum effusum connixus resupinat. Ea figura Achæi statuam huic Delphis, admirati supra modum tum factum hoc tum eius illo in prælio consilium posuere. Fama est ludicro Nemeorum Philopœmenem iterum prætorem, non ita diu ab hac ad Mantineam pugna, cùm eius celebritatis causa in ocio esset, primum exhibuisse Græcis adornatam phalangem & motus edentem, vt in acie solet, compositos cum agilitate & robore: inde certantibus citharœdis in theatrum prodisse, quem iuuenes stipabant lacernis militaribus & puniceis amicti sagis, cùm corporibus florẽtes omnes, tum pares ætate: qui singularem aduersus ducem reuerentiam, & spiritus ex multis & egregijs certaminibus elatos præseferebant. his commodùm ingressis, forte Pyladem citharœdum cecinisse Timothei Persas, hoc modo exorsum:

Philopœmenes fundit exercitũ Machanidæ Lacedæmoniorum tyranni.

Similitudo ad pugnæ speciem demonstrandã.

Philopœmenis statua.

Pylades citharœdus.

Assertu decus hic quæsiuit nobile Graijs.

Grandiloquentia autem poetæ cum canora cõgruente voce oculos ex omni parte theatri coniectos in Philopœmenem fuisse, ac plausum editum lætissimũ à Græcis, qui veterem dignitatẽ spe concipiebant, & ad illos animos proximè accedebant fiducia. In prælijs & discriminibus, sicut equi nouelli consuetum sessorem quærunt, alium si vehant tumultuantur & ferociunt: ita exercitus Achæorum deijciebat alio duce animum, atque illum circumspectabat. quo viso tantùm, ilicò erat ex fidentia erectus, agilisq;. Nempe hostes intelligebant vnum hunc cõtueri non posse: sed & gloriam eius & nomen, vt reipsa declararunt, formidare. siquidem Macedonum rex Philippus, ratus sublato de medio Philopœmene Achæos iterũ ipsum respecturos, misit certos occultè Argos qui eum trucidarent. At detectis insidijs planè flagrauit inuidia, & traductus est apud Græcos. Bœotij Megaram obsidentes, cùm sperarent se iam oppidũ expugnaturos, vano repentè allato rumore Philopœmenem suppetias obsessis venientẽ adesse, scalis quæ muris iam erant admotæ relictis, fugæ consuluerunt. Quo tempore Nabis, qui Lacedæmoniorum tyrannus secundum Machanidam fuit, occupauit Messenen. Erat priuatus Philopœmenes, nec vllis copijs præerat. Qui cum prætorem Achæorum, vt opem ferret Messenijs, non potuit Lysippum inducere, quia plane actum dictitabat esse de oppido quod tenerent hostes, ipse statuit subuenire suis comitatus ciuibus: qui nullam morabantur

Philopœmenes formidabilis hostibus.

Philopœmenes Messenẽ à Nabide occupatam liberat.

bantur legem vel plebiscitum, sed quasi semper ex naturæ præscripto imperantem sunt secuti eum, qui esset præstantissimus. Vt hunc Nabidi nunciatum est in propinquo esse, non remansit illic, quamuis castra in oppido haberet, sed subduxit se per auersam portam, agmenq; raptim abegit: præclarè secum agi ratus, si elaberetur. Et quidem elapsus est: cæterum erepta fuit Messene. Hactenus commendatur Philopœmenes. At secunda in Cretam profectio eius accersentibus Gortynijs, ut armis lacessiti eo duce vterentur, culpata est: quòd flagrante bello patria sua à Nabide illato abscessisset ipse, vel belli metu, vel intempestiua ad alios ambitione. Licet id temporis bello tam acri premerentur Megalopolitani, vt muris inclusi deuastato agro consererent vias frugibus, & hostes castra propè in ipsis locassent portis. Hic autem ea tempestate belligerans cum Cretensibus & ducẽ agens in regione transmarina, ansam præbuit iniquis calumniandi se, quasi bellum domesticum subterfugeret. Nonnulli dicebant alijs designatis Achæorũ prætoribus, quia esset sine imperio Philopœmenes, orantibus Gortynijs ocium suum contulisse eum ad exercitum ducendum. Neque enim ferebat ocium, sed imperatoriam & bellicam virtutem volebat, sicut magnum negocium, perpetuò in manibus habere & versare. Cui consonat id quod aliquando de rege Ptolemæo dixit. siquidem cùm eum quidam ferrent laudibus, quod & exercitum quotidie probè exerceret, & ipse probè & sedulò in armis subigeret corpus suum: Atqui quis regem, inquit, hoc ætatis suspiciat non opus edentem, sed meditantem? Hac igitur de causa infensi Megalopolitani & se rati proditos, instituerunt ei exilium irrogare. cui rei obstiterunt tamen Achæi, ducem mittentes Megalopolitanis Aristænetum: qui, quamuis cum Philopœmene ei dissensiones essent de repub. ne damnaretur, intercessit. Inde à ciuibus Philopœmenes fastiditus, perpulit multa finitima castella ad defectionem: suggerens vt allegarent, non fuisse ab initio se censos nec illis contributos. Quibus hoc obtendentibus apertè est patrocinatus, eamq; ciuitatem in concilio Achæorum pressit. Verùm hæc sunt pòst insecuta. In Creta partes secutus Gortyniorum bellum non vt Pelopponnesius & Arcas simpliciter gessit & generose: sed mores induens Creticos, eorumq; in ipsos technis, dolis, furtis, & insidijs vtens breui pueros ostendit illos esse, qui fatuas & inanes aduersus veram belli peritiam fallacias contechnarentur. Ob hæc celebris & inclytus ex rebus ibi gestis reuersus in Peloponnesum Philippũ offendit à Tito Quintio deuictum, pressumq; Achæorum & Romanorum armis Nabidem. In quem dux ilicò designatus, cùm prælio nauali aleam iaceret, in idem ac Epaminõdas visus est impegisse, magnamq; ex eo, quod minus prosperè mari decertasset, virtutis & existimationis suæ fecisse iacturam. Cæterùm Epaminondam quidem referunt, ꝙ nollet ciuibus suis gustum præbere commoditatum maritimarum, ne pro statarijs militibus, vt apud Platonẽ est, imprudenti sibi nautæ euaderẽt & vitiosi, vltrò re infecta ex Asia & insulis domum repetisse. Philopœmenes verò scientiam terrestrem sibi ratus sufficere, vel in pelago ad rem bene gerendã, didicit quantum momenti ad virtutem et quantũ in omnia adferat ponderis exercitatio meditatis. non modò enim Marte nauali ob imperitiam succubuit: verùm etiam nauem vetetem illam quidem sed celebrem, post annos quadraginta deduxit & compleuit. Quæ cum onus non ferret, adducti ciues in periculum fuère. Ob hoc vbi animaduertit hostes ipsius contemptu, quasi in totũ ex mari refugisset, Gythion insolenter obsidere, confestim egit in nõ expectantes & victoria solutos classem: ac nocte excensione facta ignẽ admouit, eoq; tentorijs iniecto castra illorum incendit, multosq; peremit. Paucis pòst diebus, cùm ex itinere eum Nabis subitò in angustijs deprehendisset, trepidationemq; iniecisset Achæis, nulla ratione ex locis difficilibus & hosti opportunis explicare salutẽ seratis posse: paulisper resistẽs, vt loci naturam circumspexit, artem aciei instruendæ esse ostendit in re militari primam. Itaq; conuerso paululum agmine suo & ad rem præsentem versato, sedatè & nullo negocio exemit perplexitatẽ suis, atq; impressione facta hostes in effusam fugam auertit. Quos cùm non ad vrbem videret fugam intendentes, sed per agrum alium aliò delabentes (erat autem saltuosus, montosus, & equitatui ob riuos & lacunas incõmodus) cecinit receptui, castraq; luce adhuc metatus est. Quia verò cõiectura prospiciebat hostes ex fuga singulos vel binos per tenebras in vrbem se subducturos, in riuis & collibus vrbi vicinis frequentes Achæos cum gladijs condit: vbi cõtigit plurimos Nabidis milites cadere. Quippe nõ recipiebant se confertim, sed vt quosq; cõglobauerat fuga, auium more in manus hostiles elabentes circa vrbem capiebantur. Ob quæ cùm à Græcis per theatra eximijs celebraretur & ornaretur honoribus, nõnihil

Philopœmenis secunda in Cretam profectio reprehensa.

Imperatori ociũ perpetuò vitãdum.

Philopœmonis dictum.

Philopœmenes cretissat.

Philopœmenes prælio nauali fusus.

Plato lib. 4. de leg.

Philopœmenes fudit prælio Nabidem, tyrannũ Lacedæmoniorum.

Philopœmenes offendit T. Quintium.

T. Quintiũ obiter offendit gloriæ auidũ. volebat enim supra hominẽ Arcadẽ vt consul Romanus ab Achæis honorari: & qui totã Græciã, quæcũq; Philippo & Macedonibus seruierat, uno edicto restituerat in libertatẽ, non parũ superare se eum beneficijs arbitrabatur. Inde T. Quintius pacẽ cum Nabide facit. Nabis aũt insidijs ab Aetolis circũuentus occũbit.

Philopœmenes Spartã adiũgit Achæis.

Turbatis rebus Spartæ, Philopœmenes arrepta occasione superuenit cũ exercitu: ac quibusdã inuitis, alijs in sententiã suã adductis, ciuitatẽ impulit vt corpori se Achæorũ contribueret. Quo facto mirũ quantũ quæsiuit apud Achæos laudis, quod tantæ urbẽ amplitudinis & potẽtiæ ijs adiũxisset. neq; enim leue erat partẽ fieri Achaiæ Lacedæmonẽ. Cõciliauit etiã sibi optimates Lacedæmoniorũ, qui libertatis se illũ custodẽ habituros sperabant. Vnde Nabidis domũ & bona venũ dederunt: ex quibus coacta uiginti & centũ talenta dono ei suffragijs dare decreuerũt, atq; ad id offerendũ ei legatos misere.

Philopœmenes liber ab auaritia.

Enimuero hîc effulsit abstinentia eius, qui non videbatᷣ tantũ sed erat integerrimus. namq; primùm nemo eum virum sustinebat Spartiatarum de eo capiendo munere appellare: sed verentes detrectantesq; hospitem eius nominarunt Timolaum. Qui vt venit Megalopolim, ac conuiuio à Philopœmene exceptus grauitatem sermonis eius & vitæ frugalitatem integritatemq; animaduertit morum, ad quos haudquaquam aditus propior aut insidiæ à pecunia paterent: oppressit mentionem doni, ac prætextu aduentus sui allegato alio domum est regressus. Iterum missus nihilo plus egit. Tertia legatione vix tandem eius rei mentionem inferens propensum animum declarauit ei ciuitatis.

Largitiones in quos effundẽdæ.

At Philopœmenes grato animo auditis mandatis perrexit ipse Lacedæmonem, consuluitq; eis ne bonos amicos, quorum liceret virtute frui gratis, largitionibus instituerent labefactare: sed improbos & eos qui ciuitatem in concilio premant, redimerent & corrumperent, ut munere deliniti minùs ipsis obstreperent. quippe inimicis ait præstare liberam vocem, quàm amicis præcidere. Adeò fuit celso aduersus pecuniam animo.

Philopœmenis beneficia & iniuriæ in Lacedæmonios.

Postquam uerò Lacedæmonios de integro nouare res nunciato prætor Achæorum Diophanes vindicare in eos intendit, illi autẽ armis motis Peloponnesum solicitabãt, studebat mollire & sedare Philopœmenes Diophanis bilẽ: tẽpus demõstrãs postulare, rege Antiocho & Romanis in Grecia tãtis exercitibus herẽtibus, eò ut animum conuertat dux, neq; moueat domestica, sed conniueat in quibusdam peccatis, dissimuletq;. Cui cùm nõ auscultaret Diophanes, sed Laconiæ vnà cum Quintio arma inferret, ac statim ipsam peterent vrbem: frendens Philopœmenes facinus minimè ciuile, neque vndequaq; officio respondens, verùm insigne tamen & insigni designans animo, ingressus est Lacedæmonem, prætoriq; Achæorum & Romano consuli ipse portas priuatus clausit, motus vrbanos compressit, reduxitq; Lacedemonios, sicut initio fuerant, in corpus Achæorum. Insecutis temporibus incusans nescio quid Philopœmenes Lacedemonios, exules pretor in vrbem reduxit, octoginta Spartiatas occidit, ut author est Polybius (vt verò tradidit Aristocrates, quinquaginta supra trecentos) muros demolitus est, magna parte agri mulctauit eos, eamq; attribuit Megalopolitanis. quicunque asscripti à tyrannis in ciuitatem Spartanam fuerant, exterminauit & in Achaiam abduxit omnes: extra tria millia, quos dicto non audientes & excedere abnuentes Lacedæmone sub hasta vendidit. Hinc quasi ad illorum ludibrium ex ea pecunia edificauit Megalopoli porticum.

Philopœmenes dissoluit disciplinam Lycurgi.

Quo autẽ magis indulgeret suo in Lacedæmonios odio & indignè afflictis insultaret, immanissimũ factum & iniquissimũ circa instituta illius ciuitatis molitus est. Siquidẽ Lycurgi institutionẽ soluit & peruertit, compulitq; pueros & adultos, quasi ex Lycurgi legib. nunquã moderatos spiritus gesturi essent, patriã cũ Achaica cõmutare disciplinã. Qui cũ id tẽporis calamitatũ mole Philopœmeni quasi neruos ciuitatis prebuissent incidẽdos: subacti, cicurati, & fracti fuerũt. Ceterùm aliquãto pòst beneficio populi Romani relictis institutis Achaicis pristina, quoad eius fieri à tantis miserijs & cladib. poterat, reduxerũt atq; stabiliuerũt. Porrò quo tẽpore bellũ Romani in Græcia cũ Antiocho gerebant, erat Philopœmenes priuatus. qui Antiochũ ipsum cũ residẽ Chalcide videret nuptijs & puellarũ amorib. preter ætatẽ suã implicatũ, Syros aũt absq; vlla disciplina & imperio per vrbes palantes, in luxuriãq; effusos: afflictabat se, q in presens nõ foret prætor Achæorũ, ferebatq; inuidere se illã victoriã Romanis. Ego enim, inquit, si prætor essem, omnes hos in lustris cõcidissem.

Philopœmenis aduersus Romanos consilia.

Postquã verò Romani debellato Antiocho impẽsius in Græciã incubuerũt, viribusq; cõplectebanᷣ concionatoribus se ijs venditantibus Achæos, atq; ingẽs eorũ potentia secũdantib. vbiq; dijs inualescebat, & pro foribus erat terminus, in quem fortunã diu circũuolitantẽ tandẽ oportebat concedere:

ccedere:

cedere: boni gubernatoris modo aduersus fluctus Philopœmenes obnitens, quamuis partim permittere & indulgere temporibus cogebatur, in plurimis obluctans tamen retrahere eos, qui dicendo & opibus pollerent, elaborabat ad libertatem. Aristæneto verò Megalopolitano, qui prępotens erat in Achęis, sed Romanorum semper obseruans, negante in concilio faciendum esse, vt illis repugnarent aut offenderent, ferunt audientem id Philopœmenem magno cum animi dolore tacuisse: postremò victum cum stomacho appellasse Aristænetum hisce verbis: Quid properas miser fatum Græciæ aspicere? Cum M. Attilius consul Romanus, deuicto Antiocho postularet ab Achæis vt exulibus Lacedęmoniorum reditum in patriam permitterent, candémque rem de exulibus contenderet T. Quintius, restitit Philopœmenes: non odio exulum, sed quo id suum munus & Achęorum, non T. Quintij vel populi Romani beneficium faceret: ac postea prætor restituit in patriam exules. adeo inerat ei enixa quædam aduersus imperium præ animi celsitudine concertationis & contentionis libido. Iam annum gerens ætatis septuagesimum, Achæorum octauũ prætor, spem conceperat non modo illum se magistratum traducturum quietè, verùm etiam vt reliquam vitam in ocio exigeret, per negocia licitum fore. Vt enim morbi vnà cum corporis viribus emarcescunt, ita in ciuitatibus Gręciæ fatiscente potentia elanguescebat contentio. verùm enimuero tanquam athletam egregiè certantem inuida quædam fortuna ad vitæ metam prostrauit. Memorant enim in consessu quopiam laudantibus, qui aderant, quendam vt insignem ducem, dixisse Philopœmenem: Quomodo autem memorabilis ille sit vir, qui viuus in hostium venit potestatem? Paucis pòst diebus allatum est Messenium Dinocratem, hominem cùm priuatim Philopœmeni infensum, tũ alijs ob improbitatẽ & nequitiã inuisum, hinc † Messenen ab Achæis alienasse, hinc vicũ velle, Colonidẽ vocãt, occupare. Tenebatur forte ea tẽpestate Argis Philopœmenes febri. qui ad eum nunciũ Megalopolim vno die cõtendit, stadia amplius quadringẽta: inde properè suppetias venit cum equitib. Erãt hi ciuiũ nobilissimi, sed admodũ iuuenes: beneuolẽtia autẽ ducti Philopœmenis & laudis ardore volũtarij eũ sequebãtur. Cum prouecti ꝓpe Messenen essent circa Euãdri tumulũ, in occurrentẽ illati Dinocratẽ, auerterũt eum. Sed cũ quingẽti ꝗ in statione agri Messeniorũ erãt, subitò superuenirẽt, ad quorũ cõspectũ etiã qui antè terga verterant, recolligerent se per colles: Philopœmenes ne circumueniretur veritus, simul parcens equitibus per loca impedita recipiebat se, claudebatq; ipse extremũ agmẽ. Subinde infesto equo in hostes inuehebatur, idq; vnũ agebat eos vt in se retraheret. verùm trepidabant illi in eũ incurrere: clamoribus autẽ procul & circuncursitationib. incessebant. Qui dum sępius illorũ iuuenũ causa abscedit à suis, & singulos dimittit in tutũ, imprúdẽs solũ se inter frequẽtes cõspicit relictũ hostes. nec cõgredi cũ eo tamẽ est vllus ausus: sed cùm eminus tantũ peteretur, ad loca cõfragosa abruptaq; adactus ægrè valebat tractare, & lacerabat equum. Agilis quidẽ erat ei ab exercitatione senectus, neq; quicquã ad se eripiendũ officiebat: sed tunc corpore hinc ex morbo affecto, hinc ex itinere languescente grauem & torpescentem iam equus prolapsus in terram effudit. Capite ad durũ casum afflicto, iacuit diu sine voce: vnde hostes mortuum rati, vertere corpus & spoliare aggrediebãtur. Tandem cùm caput attolleret, atq; oculos aperiret, conferti superfusi manibus post tergum illigatis abduxerunt eum, nec vllo ludibrij vel contumeliæ genere abstinuerunt in virum, qui nunquam ne per somnium quidem eum casum expectasset à Dinocrate. Vrbana multitudo mirum in modum eo nuncio elata ad portas concurrit. Vt attractũ Philopœmenem contra gloriam factaq; & victorias pristinas conspexere, miserati plerique sunt: atq; eius vicem dolentes etiam illachrymabantur, humanamq; fortunam vt fallacẽ & inanem eleuabant. Itaque leuis sermo per plerosq; commeauit, priorũ meritorũ & libertatis, quam tyranno eiecto Nabide ipsis reddiderat, conseruandam memoriam. Pauci erant, qui in Dinocratis gratiam excruciatum censerent necãdum, vt grauem hostem & implacabilem, ipsiq; Dinocrati, à quo ludibrio habitus & captus esset, si euolasset, formidabiliorem. Tandem deposuerunt eum in cameram subterraneam, quem Thesaurum vocant, aeris lucisq; externæ expertem: nec habet ea fores, sed ingenti clauditur saxo machina superimposito. Illuc demisso eo saxum obuoluerunt, & locum statione armata circumquaque cinxerunt. Interea Achęorum equites, cùm ex fuga sese collegissent, vt nusquam comparuit Philopœmenes, sed mortuum apparuit esse: diu substiterunt inclamantes eum, serentesq; inter se mutuò sermonem, turpem esse & indignam suam incolumitatem, qui hostibus ducem suum vitam ipsorum causa proijcientem pro-

Plutarchus & hic & infrà habet Manium, quod fortè prænomen est. Suspicor autem legendum M. Acilius Glabrio, vt est apud Liuium li. 36. & Plutar. in T. Flaminio.

Philopœmenis dictum inuidũ.

† Coroneam dicit Liu.

Philopœmenis expeditio cõtra Dinocratem.

Philopœmenes capitur.

Philopœmenis carcer.

didissent. Hinc progredientes simul & anxiè perscrutantes, venisse eum in hostium potestatem intellexerunt: idq; per ciuitates Achaicas renunciauerunt. Achæi cladem eam non mediocrem æstimantes, reposcere eum per legatos à Messenijs statuerunt, simulq; parabant se ab bellum.

Philopœmenes veneno necatur à Dinocrate.

Dum in his illi sunt occupati, Dinocrates tempus potissimum vt Philopœmeni salutare veritus, & consilia statuens anteuertere Achæorum, primis tenebris, vbi digressa est plebs Messeniorum, aperto carcere intromisit ad eum carnificē, præcepitq; vt venenum illi porrigeret, neq; absçederet quousque id exhausisset. Ille tum fortè decumbebat in lacernula: nō somno stratus, sed mœrore & animi motu oppressus. Animaduerso lumine & homine qui cum virulento poculo iuxtà assistebat, ægrè ob infirmitatem se colligens erexit se ad sedendum, acceptoq; poculo rogauit hominem, ecquid de equitibus præcipue de Lycorta accepisset.

Iustinus lib. 13

Philopœmenis extrema vox.

Quo respondente maximam partem saluam esse: annuit capite, placideq; intuitus eum, Bene habet, inquit, quòd non vndequaque fuerimus infelices. Nullo alio verbo vel voce missa ebibit poculum, atque iterum reclinauit se. nec multum negocij præbuit veneno, sed confestim est ob imbecillitatem extinctus.

Philopœmenis necem vlciscuntur Achæi.

Vt igitur ad Achæos de interitu eius allatum est, hinc ciuitates illorum publicus luctus & mœror occupauit, hinc iuuentus cum primoribus senatus conueniēs Megalopolim, nulla vindictę admissa mora, atque electo Lycorta duce fines Messenios inuadunt, eosq; fœdant: donec illi consensione recipiunt Achæos. Dinocrates sibi ipse manus occupat afferre: cæteri quotquot necandum Philopœmenem censuerant, consciscunt sibimetipsi mortem: qui torquendum, hos iniuriarum nomine vincit Lycortas. Corpus eius combusserunt, & reliquijs in vrnam conditis domū repetierunt: nō incomposito aut inconditio agmine, sed pompam quandam cum exequijs triumphalem miscuêre.

Philopœmenis funus.

Videres enim coronis redimitos, videres eosdem quoque lachrymantes, videres cathenatos trahi hostes: ipsam vrnam præ vittarum & coronarum numero conspectui penè ademptam, quam prætoris Achæorum filius Polybius ferebat principibus Achæorum cinctus.

Polybius hic, ille est Africani iunioris præceptor & historicus.

Milites ipsi armati equis speciose instratis sequebantur, non vt tanto in luctu mœsti, nec victoria ouantes. Ex oppidis & castellis in via positis obuiam effundebantur quasi ab expeditione reducem amplectentes: vrnamq; contrectabant, atq; vnà prosequebantur Megalopolim. Vt verò senes fuerunt cū mulieribus & pueris commixti, ibi comploratio per totum exercitum incessit ciuitatem, quę illum desiderabat, & eum casum ferebat grauiter: vnà cum eo principatum rata se inter Achæos amisisse. Ita ille honorifico, vt par erat, funere est elatus, & iuxta monumentum Messeniorum captiui sunt lapidibus cooperti.

Philopœmenis statuæ.

Cuius cum multæ statuæ, magniq; extarent honores quos ciuitates ei decreuerunt, Romanus quispiam in naufragio illo Corinthiaco Græciæ tollere cunctos aggressus est, & ipsum persequi: accusans tanquam adhuc viuum Romanis hostem & infestum fuisse. Ibi orationibus habitis, cùm Polybius refellisset sycophātem, non sustinuit neq; Mommius neq; legati abolere clari viri honores, quamuis in non paucis fuisset T. Quintio & M. Attilio aduersatus: verùm à commodo virtutem illi viri, atq; honestum meo iudicio ab vtilitate recte atq; ordine discreuerunt: putaueruntq; commodantibus præmium & gratiam ab illis, ad quos beneficentia peruenit, bonis viris honorem à bonis semper deberi. Hactenus de Philopœmene.

Commodi et honesti discrimen.

T. Quintius Flaminius.



Quintij mores.

VIC Quem opponimus, T. Quintij Flaminij faciem, si quæras, videas licet ex statua ærea, quæ posita Romæ est iuxta magnum Apollinem Carthagine aduectum contra circum maximum, Gręcis inscripta literis. Animo fuisse eum feruido ferunt & ad iram & beneficentiam: verùm non æquè, sed in puniendo facilem nec pertinacem, contrà in benefaciendo cōstantē: atq; eorū, apud quos beneficia collocauerat, amicū & cupidū non aliter ac si bene de se meriti essent, vt res charissimas amplexū esse meritis suis obstrictos & fouisse. Cæterùm cùm esset imprimis ambitiosus, gloriæq; cupiditate summa duceretur, studebat præstātissima quæq; & maxima ipse obire: gratioresq; habebat eos, q operā suā quærerēt, q̃ qui præstarēt sibi: q hos velut ad gloriā aduersarios, illos virtutis segetē existimaret.

Quintij prima militia.

Disciplina militari institutus ea est tempestate cùm multa populus Romanus & grauia bella gereret, ac primis

mox

mox ſtipendijs adoleſcentes artes diſcerent imperatorias. Primùm ſub Marcello conſule tribunus militum fuit bello Punico ſecundo. Qui cùm circumuentus inſidijs cecidiſſet, regionis Tarentinæ atque etiam Tarenti, cùm eſſet receptũ, præfectus ita ſe ibi geſſit, vt non minorem iuſtitiæ, quàm ſcientæ rei militaris mereretur laudem. Quare in duo oppida colonis deducendis, Narniam & Coſſam eſt triumuir creatus. Id ei animum dedit vt tranſcenſis medijs honoribus, in quibus iuuenes documentum ſui dare conſueuerant, tribunatu plebis, prætura, ædilitate ad conſulatum ſtatim tenderet: deſcenditq́ in campum ſtudijs harum coloniarum ſuccinctus. Comitia tribuni plebis Fuluius & † Manlius impediebant: demonſtrantes mali rem exempli eſſe, quòd iuuenis nondum reipub. quaſi primis ſacris & myſterijs initiatus ad ſummum honorem contra leges perrumperet. Id ſenatus populi arbitrio permiſit. Populus conſulem nondum triginta annos natum addito collega Sexto Aelio creauit. Sortitur inde bellum aduerſus Philippum & Macedonas. Ac felicitate quadam populi Romani in eum illæ delatæ res atque illi fuerunt homines: qui non tam domandi bello & vi à duce quàm comitate & humanitate erant alliciendi. Philippo enim firmamentum quidem ad certamina abundè ſuppeditabat Macedonia: nerui verò tractum habituri belli, promptuarium, refugium, organum denique phalangis, opes erant Græcorũ: qui niſi à Philippo eſſent retracti, bellum Macedonicum non erat vno prælio decretum. Quia verò Græcis parum ad id temporis interceſſerat cum Romanis, ſed conſuetudo tum primùm eſt rebus gerendis contracta: niſi humano ingenio imperator eſſet, pluſq́ comitate quàm bello ageret: & in cõgreſsibus gratia ineſſet, vbi quem ille appellaret: vbi cõueniretur, benignus acerrimusq́ officiorum eſſet exactor, non ita facile aſſuetum externo imperio commutauiſſent. Cæterùm hæc magis ex rebus eius geſtis elucebunt. Porrò accipiens Quintius eos, qui ante ſe prouinciam Macedoniam obtinuerant, Sulpitium & P. Iulium, quia tardius erãt in Macedoniam profecti, & bellum adminiſtrauerant ſegnius, dum de vijs & frumentatione cum Philippo velitantur & digladiantur, tempus corrupiſſe: non putauit vt illi, poſtquam in vrbanis honoribus & actionibus annũ triuiſſent, ſerius profecti in prouinciam fuerant, item ſibi faciendum, vt honoribus & negocijs vrbanis conſul præter legitimum magiſtratus ſui vnum inſuper lucrifaceret annum, alterũ in magiſtratu, alterum in bello gerendo conſumens, ſed ſemel auderet in bello nauiter magiſtratũ explicare. Vrbanos honores easq́ prærogatiuas dimiſit, poſtulatoq́ à ſenatu vt Lucinum fratrẽ claſſis præfectum ducere ſecum liceret, legit ex illis, qui duce Scipione Aſdrubalem in Hiſpania, & ipſum in Africa ſuperauerant Annibalem, quorum corpora & animus adhuc vigerent, voluntarios tria millia, quaſi mucronem belli. quibuſcum in Epirum ſecundo curſu tranſmiſit. Iulium inde cum exercitu Philippo complures iam dies oſtiũ † Apſi amnis, illasq́ fauces inſidenti caſtra oppoſuiſſe ſine vllo effectu ob loci difficultatem offendit. Mox accepto exercitu ac Iulio dimiſſo iuit ſpeculatũ eam oram. Eſt ea montibus impedita non minùs quàm illa ad Tempe: verùm iſta arborum amœnitate, nemorumq́ viriditate, receſſuum & pratorum gratia caret. Apſus inter ingentes vtrinq́ & excelſos montes, qui vnam in conuallem coeunt maximam & depreſſam, euoluitur, ſpecie & rapiditate Peneum referens. Hic radices montium vndequaq; tegit: tantum arctus callis & præruptus in ripa exciſa eſt. Iter eſt autem alioquin aſperum exercitui: ſi præſidio occupatum ſit, planè inuium. Erant qui ducere Quintium per Daſſaretios & † Lycum faci li circuitu & expedito inſiſterent: ſed timens ille, ſi à mari longius in loca ſe cõieciſſet ſterilia & pene inculta, certamen rege detrectante, ne inopia premeretur annonæ, ac rè item infecta ad mare ſe recipere vt deceſſor ſuus cogeretur, ſtatuit vi per montium iuga viam aperire. Quia verò montes Philippus exercitu inſederat, & grando vndique in latera Romanorum ingerebatur iaculorum ſagittarum'que, acris dimicatio non ſine vulneribus vtrinque & cæde conſerebatur. Cæterùm cùm belli exitus nullus appareret, adierunt conſulem quidam, qui eo loco paſcebant. Hi circuitum quendam eſſe ab hoſtibus prædicarunt neglectum: quà copias oſtendunt ſe ducturos, atque in ſummos vertices vt longiſsimè tertio die educturos. Fidei teſtem & ſponſorem Charopum Machatam laudant, principem Epirotarum, Romanorum amicum, & in occulto metu Philippi eo in bello fautorem. Eius fide Quintius tribunum cum quatuor millibus peditum & equitibus trecentis mittit. Duces erant paſtores illi vincti. Interdiu dabant ſe quieti ſub cauis & ſylueſtribus locis: nocte iter (& pernox luna erat) faciebant. Dimiſsis hiſce copijs refecit per cæteros dies milites: tantùm leuibus prælijs laceſsi-

† M. Curiũ habet Liu.

Quintius conſul & dux primi belli Macedonici.

† Liu. Aoum amnem ponit.

Apſi fluminis deſcriptio.

† Lyngum habet Liu.

Anguſtiæ montium ad Apſum occupantur à Quintio.

lacessiuit hostem. At quo die supra caput hostium peruenturi erant illi, qui fuerant circummissi, tum verò omnes milites tam grauis quàm leuis armaturæ admouet hostibus: ac tripartito agmine, qua vallis arctissima erat, ipse super ripam cohortes educit. Macedones missilibus illum petere, ille inter rupes manus cum obuijs conserere. Hic cùm cæteri duo globi certarent inter se scandere montes, & asperis saxis promptè succederent, sol exortus est & fumus non certus, sed instar montanæ nebulæ procul assurgebat emicabat'que: cuius conspectus fallebat hostes, quòd occupato iam vertice esset illis à tergo. Romani ambigentes in prælio & labore spem applicabant ad id quod cupiebant. Vt verò increuit fumus, atque in aere caliginem dans ingens in sublime latus est, & ignem esse amicum apparuit: hi sublato clamore gradum acriter intulerunt, hostesq; redegerunt in locorum asperrima: illi à tergo ex summis cacuminibus clamorem reddiderunt. Tum in fugam præcipites effusi omnes sunt: interfecti non plus duo millia. Impedierunt Romanos salebræ, quò minus instarent fugientibus. Pecunia, tentorijs, seruitijs'que direptis fauces tenuerunt Romani: qui ea modestia & abstinentia Epirum peragrarunt, vt quanquam procul nauibus & mari recessissent, nec frumentum menstruum accepissent, nec facilis esset eius comparatio, intactum relinquerent tamen eum agrum, qui omnium rerum copia affluebat. Nam vbi intellexit Philippum Quintius fugæ simili transitu Thessaliam transcurrisse, vbi homines sedibus suis exciuerat in montes, oppida incenderat, res quas ferre secum homines præ copia vel pondere non poterant, militi concesserat in prædam: Romanis iam quodammodo regionis possessione cedens, Quintius enixè hortatus est milites, vt in transitu velut suæ iam ditionis ac concessæ haberent rationem. Huius moderationis suæ breui pòst fructū cepere. nam vt Thessaliam attigerunt, defecerunt ad eos vrbes. Alij intra Thermopylas incolentes Græci, optabant & animo gestienti desiderabant Quintium. Achæi renunciato Philippo fœdere societatem contra eum cum Romanis decreuerunt. Opuntij spretis Aetolis, quamuis summa ope id temporis iuuarent Romanos, illorumq; vrbem recipere & custodire cuperent, Quintium acciuerunt, atque in eius fidem & ditionem se tradiderunt. Pyrrhum aiunt, vt primùm è specula Romani exercitus est ordines contemplatus, non barbaram dixisse videri sibi eam barbarorum aciem. His semel aditus Quintius consimiles expressit voces. nam cum Macedones clamarent imperatorem cum infesto barbarorum exercitu venire armis omnia domantem & subigentem: ipsi inde, vt conspexerunt iuuenem vultu benigno, voce & sermone Græco, ac veri amatorem honoris, mirificè ab eo capti sunt: digressiq; ab eo ciuitates desiderio impleuerunt Quintij, tanquam ducem nactas libertatis. At vbi cum Philippo, qui inclinare videbatur ad pacem, congressus has conditiones dixit pacis & fœderis, vt Græcos libe ros dimitteret ac præsidia deduceret, nec ille reciperet eas: tum verò pro certissimo habuerunt vel addicti Philippo, vt bellum inferrent Macedonibus venisse Romanos, non Græcis sed pro Græcis. Ac reliqui quidem sua sponte adiunxerunt se consuli. Bœotiam pacatè ingredienti principes Thebani occurrerunt: rebus Philippi causa Brachyllelis studebant. Quintium tamen quasi vtriusque partis amici salutauerunt, ac prosecuti honoribus sunt. Ille benignè appellatos complexus paulatim processit, ac nunc rogando & quærendo, nunc quædam narrādo tempus de industria extraxit, dum copias suas refocillauit ex itinere. ita vnà ingressus vrbem cum Thebanis est, non quo illi probarēt: sed quòd satis magna militum manus eum comitaretur, non audebant prohibere. Consul inde, quasi vrbe non potiretur, affatus eos est: suadens vt in partes Romanorum discederent adiuuante Attalo & Thebanos incitante. Sed Attalus quidem, cùm præter ætatem, vt mihi quidem videtur, maiore contentione oratorem Quintio præstare vellet, & vertigine quadā vel pituita esset in media oratione correptus, collapsus est: nec multis diebus pòst in Asiā nauibus deuectus expirauit. Bœotij cōiunxerunt se Romanis. Legatis, quos Philippus Romā mittebat, adiunxit Quintius suos: qui agerēt apud senatum, si persequendum bellum esset, vt imperium sibi prorogaretur: sin minùs, pacem ipse vt daret Philippo. nam cùm supra modum ambitiosus esset, verebatur si sibi esset eo in bello successum, ne gloria eius perpetrati spoliaretur. Obtinuerūt eius amici vt nec Philippus, quæ postulabat, obtineret, & ei prorogaretur prouincia. Senatusconsulto accepto magna spe mouit contra regem in Thessaliam. Habebat sub signis supra XXVI millia militum: quorum Aetoli sex millia peditum, equites trecentos dederant. Nec minores erāt Philippo copiæ. Cùm vtrinque se mutuò peterent hostes, & peruentum ad Scotusam esset,

Quintij & Romanorum moderatio in Græcos.

Philippi Macedonis fuga.

Pyrrhi de Romanis copijs, dictum.

Quintius adiungit Thebanos Romanis.

Attali regis mors, de qua vide Liu. & Iustin. lib. 36

Quintij & Philippi copiæ.

eſſet, vbi decernere ſtatuerant acie: id quod fieri ſolet, non perculit duces hinc inde hoſtium aduentus, ſed magis incitati fuerunt alacritate & ardore Romani, ſi Macedonas, quorum erat Alexādri cauſa nobile apud ipſos virtutis & potentiæ nomen, ſuperaſſent: Macedones uerò, ſi fregiſſent Romanos, quos Perſis præſtantiores ducebant, clariorem ſperabant Alexandro ſe Philippum redditurors. Quintius milites hortatus eſt, vt ſe fortes & ſtrenuos præberent, in pulcherrimo theatro Græciæ cum præſtantiſsimis certaturos aduerſarijs. Philippus caſu an vrgente articulo, præcipitantia imprudens ſepulchrū quod forte extra caſtra excelſum erat, conſcendit: vnde alloqui milites, vt fieri ante pugnam ſolet, & adhortari inſtitit. Illis ex eo omine ictis perculſus rex abſtinuit eo die pugna. Poſtero die vbi diluxit, ex humida & pluuioſa nocte in nebulam nubibus verſentibus, omnis denſa caligine obtectus eſt campus, ſpiſſusq; ex ſummis montibus aër binis interiectam caſtris planiciem mox adueniente die occupauit, qui ademit conſpectū. Itaque emiſsi vtrinque certi ad ſpeculandum & inſidias locandas, cùm breui ſpacio occurriſſent inter ſe, ad Cynoſcephalas, quas appellant, manus conſeruerunt. Sunt frequentium illæ collium contiguorum turbinata faſtigia, ex figuræ ſimilitudine ita dictæ. Cùm eſſet nimirum in locis ſaltuoſis varia pugna, ac nunc hi nunc illi fugerent vel inſtarent, ſubmiſerunt vtrinque ex caſtris auxilia laborantibus & cedentibus: mox cœlo ſereno, cùm cuncta ſub oculis eſſent, omnibus viribus concurrerunt. Premebat dextero cornu Philippus Romanos, quòd ex locis decliuibus totam phalangē immitteret: nec * ferebant vel fortiſsimi grauem confertamq; & intentis horrentem haſtis frontē, nec acrem eius impreſsionem. In læuum cornu, cùm id ob tumulorum anfractus diuelleretur & diſtraheretur, omiſſo eo quod cedebat, ad alterum properè Quintius decurrens intulit acriter ſigna: quo loco coire Macedonas in ſtruem & denſare in profundum aciē, quod apud illos firmamentum eſt exercitus, loca inæqualia & confragoſa impediebant. Vbi verò cum viro vir congreſſurus erat, impulſu ſeſe mutuò premebāt graui & inhabili. Animali enim phalanx intolerabilium virium ſimilis eſt, dum vno corpore cohæret, atque vno ordine denſatas retinet haſtas: qua laxata etiam ſinguli milites cùm ob modum armatus, tum quòd vniuerſi potius mutuis ſimul partibus, quàm per ſe valeant, vim amittunt ſuam. His in fugam effuſis pars fugientes inſectantur: pars à latere incurrentes in Macedonas, qui adhuc pugnabant, cædunt eos. Ita & qui vincebant, ilicò fluctuauerūt & in fugam ſe abiectis armis effuderunt. Ceciderunt eo prælio non minus octo millia, capti ad quinque millia. Vt Philippus elaberetur, Aetoli fuerunt in cauſa: qui dum Romani hoſtes conſectantur fugientes, caſtra exhauſerunt & diripuerunt, nec quicquam illis reuerſis reliqui fecere. Hinc conuicia primum exorta & contentiones inuicem: inde Quintium magis ac magis offenderunt vendicando ſibi victoriam & fama occupando Græcos. vnde poetæ & populares, qui res haſce celebrarent, ſcribebant & canebāt priores Aetolos. Præ cæteris hoc celebre fuit epigramma:

Omē terret Philippum.

Cynoſcephalæ, locus.

Quintij cū Philippo rege Macedonū pugna.

* Legendū puto, ferebat ſiniſtrum Romanorum cornu grauem, &c.

Phalanx, quid.

Quintius Philippum acie vincit.

Alcæi poetæ in Philippum epigramma.

His indefleti campis ſine honore iacemus
Theſſaliæ, proh ter millia cæſa decem,
Aetolis domiti turmis ſimul atq; Latinis,
Quos Titus è lata duxerat Italia,
Ingens Aemathiæ clades. tumidusq; Philippi
Spiritus, vt cerui profugit ille leues.

Hæc carmina condidit in Philippi contumeliam numerum cæſorum affingens Alcæus: quę cùm paſsim iactarentur & à multis, T. Quintium quàm Philippum plus mordebāt. Hic enim Alcæum viciſsim rodens illis verſibus comparauit hoſce:

Quintij & Aetolorū ſimultas.

Quam tu in monte crucem nudatam fronde viator
Conſpicis, Alcæo figitur aeria.

Titum verò haud mediocriter exacerbauerunt decus apud Græcos quærentem. Quapropter quod reſtabat agendum, Aetolis omiſsis ſolus tranſigebat. quod illis faciebat ſtomachum. Ac cùm ſupplices legatos ad pacificandum à Macedone venientes admiſiſſet, illi paſsim per vrbes pacem clamabant vendi Philippo: cùm excindere radicitùs liceret bellum, & cōculcare regnum, à quo primo fuiſſet Græcia ſeruitutis iugo oppreſſa. Quę Aetoli cùm iacerēt, & ſolicitarent ſocios: ipſe ad pacē petendam veniens Philippus ſuſtulit eam ſuſpicionem, dum in fidē T. Quintij & populi Romani omnia ſua permittit,

Ergo

Quintius dat Philippo pacē.

Ergo finem Quintius bello imposuit, & regnum Macedoniæ ei reliquit: imperauit, vt Græcia abstineret, mille talentum solueret, naues omnes præter decem traderet. Alterū filium eius Quintius Demetrium accepit obsidem, eumq; Romam misit. Vsus optimè Quintius est tempore, occupauitq; insequentia.

Annibal apud Antiochum.

Quippe Annibal Pœnus vir populo Romano infestissimus, & exul iam tunc erat ad Antiochum regem profectus, stimulabatq; eum vt fortunam prosequeretur suam, cuius iam per se potentia secundo cursu vteretur: cùm vel sua sponte ille ob facta perpetrata magnifica, ex quibus Magni cognomen accepit, orbis terræ imperio adijceret oculos, & maximè in Romanos accingeret se. Quod ni prospiciens prudenter Quintius ad pacem inclinasset, sed Macedonicum arma Antiochi in Græcia occupassent bellum, atq; ex communibus ambo causis in Romanos maximi illius memoriæ & pollentissimi reges cōspirassent, certamina eam de integro & pericula circumstetissent quàm cum Annibale haud leuiora. Nunc Quintius interposita opportunè hisce bellis pace, & ante commissionem instantis dirempto præsenti, huius nouissimam, illius spem præcidit primam. Quia verò decem legatis, quos ad Quintium miserat senatus, placebat vt cæteris Græcis redderetur libertas, Corintho autem, Chalcidi, & Demetriadi causa belli Antiochici imponeretur præsidium: ibi criminibus splendidi Aetoli ciuitates splendido colore concitabant: à Quintio postulantes vt compedes dissolueret Græciæ (nam ita antedictas vrbes nominare Philippus solebat) & Græcos interrogabant: Ideo'ne, quia ponderosiorem haberent, sed politiorem superiore præsentem cathenam, exultarent, & Quintium vt beneficum susciperent, quòd pedibus exemptam Græciam ex collo vinxisset? Quæ iniquè Quintius & indignè ferens, euicit tandem precibus apud consilium, vt præsidia ex his quoq; ciuitatibus deducerentur, quo beneficium suum haberent Græci syncerum.

Compedes Græciæ.
Liu.lib.3.dec.4.

Quintius libertatem restituit Græcis.
Isthmia Liu. Nemæa vocat, lib. 3.dec.4.

Igitur Isthmiorum ludicro confederat frequentia mortalium in stadio ad gymnicum certamen spectandum: quòd exempta tandem bello Græcia ob libertatis spem, firmam certè pacem festum agitaret. Ibi silentio tuba conuentui indicto, progressus in mediū præco pronunciauit: Senatus Romanus & T. Quintius imperator procōsul, Philippo Macedonibusq; deuictis sine præsidijs, liberos, immunes, suis legibus esse iubēt Corinthios, Locros, Phocenses, Eubœā, Achæos, Phthiotas, Magnetas, Thessalos, Perrhœbos. Id primùm neque planè omnes neque clarè exaudierant: sed inæquali & turbido in theatro murmure mirabundi alter alterum interrogabant, ac repeti petebant præconem. Vt silentio iterum facto præco sublata voce altiùs ad consessum clamauit, ac pertinuit ad omnes præconium: immensus ex gaudio editus à populo clamor ad mare vsq; pertinuit, cōsurrexit consessus, nemo intentus ludicro fuit, omnes maturauerunt exilire, dexteram contingere, & appellare Græciæ seruatorem & propugnatorem.

Aues delapsæ ex vocis impetu de his Val.Max.libro 4.cap.8

Quod autem de exuperante & grandi voce commemorant, tunc fuit conspectum: corui enim fortè superuolitātes delapsi sunt in stadiū. In causa est diuisura aeris: cùm enim multa & elata vox mittitur, diuulsus ab ea non sustinet volucres, sed lapsum efficit, sicut euenit per loca vacua euntibus. nisi sanè ictu potius, velut telo traiectæ decidunt & emoriuntur. Potest etiam turbo esse in aere, quasi verticē in pelago rursusq; impetū fluctuatione ex violentia accipiente. At Quintius nisi quàm celerrimè ludis dimissis impetum multitudinis & incursum præuidens deflexisset, videbatur in periculum venturus. adeò frequentes simul & vndique ei se circumfuderūt. Vt plausibus circa Quintij tabernaculum defatigati sunt: nocte iam demum, si quos conspicerent vel amicos vel hospites, hos salutantes & complectentes conuerterunt se inter se ad conuiuia & pocula. Ibi magis etiam haud dubiè in gaudium effusis subijt reputare & conferre de Græcia, quàm multa bella libertatis causa gessisset, neq; firmiorem esset vnquam vel lætiorem assecuta, quàm ab alijs cum fuit defensa, & penè sine sanguine & luctu pulcherrimum tulit & optatissimum præmium.

Græcorum imperatores, quales.

Quippe rara erāt virtutis inter mortales & prudentiæ exempla: sed rarissima inter alios bonos, iusti. siquidem Agesilai, Lysandri, Niciæ, Alcibiadesq; bella egregiè tractare, victoriasq; bello consequi, cùm imperarent, nouerant: vti ad gloriosam hominum salutem, honestatemq; laureis non nouerant. At vbi à Marathonio Marte & pugna nauali Salaminia, à Platæis Thermopylisq; & rebus ad Thermodontem atque circa Cyprum Cimonis gestis discesseris, omnibus prælijs Græcia aduersus semetipsam decertauit ad seruitutem, omneq; eius trophæum ad suam excitatum calamitatem & probrum est, quæ penè fuit ducū improbitate & ambitione prostrata. Alienigenæ verò, qui paruas scintillas & exigua antiquæ propinquitatis cum ijs vincula habere videbantur, à quibus vel verbis vel consilio aliquid extitisse

in Græciam beneficij mirum esset: hi maximis periculis & laboribus Græciam grauibus soluerunt dominis & tyrannis, atq; in libertatem restituerunt. Hæc tum subibant Græcorum animos. Facta autem fuerunt præconijs consentanea. Pariter enim misit Quintius Lentulum in Asiam ad Bergyllas liberandas, * Titillium in Thraciam ad deducenda ex illis oppidis & insulis Philippi præsidia. P. Iulius ad Antiochum nauigauit acturus cum illo de Græcis qui ei parebant liberandis. Ipse profectus Chalcidem Quintius: inde mari vectus Magnesiam præsidia emisit, populisq; rempub. reddidit. Agonothetes Argis Nemeorum creatus, ludicrum optimè digessit, ac Græcis illic iterum voce præconis pronunciauit libertatem: vrbesq; peragrans egregia disciplina, magna iustitia, concordiaq; & amicitia eas inter se conglutinauit, componens seditiones, exules reducens: atq; ouans quòd Græcos inter se conciliaret beneuolentia, non minùs quàm quòd domasset Macedonas, vt minimum iam ducerent illi eius beneficiorum libertatis munus. Xenocratem Philosophum, cùm Lycurgus orator eum à publicanis, à quibus ducebatur ad carcerem causa pensionis quam pendebant inquilini, exemisset, atq; illos qui eum duxerant accersiuisset iniuriarum, fama est liberis occurrentem Lycurgi dixisse: Egregiã profectò pueri gratiam patri vestro refero, quòd omnes eum ob eius in me beneficium commendent. Quintio verò & Romanis ob eorum in Græcos merita nõ ad laudes modo relata gratia, sed ad fidem etiam apud omnes mortales & imperiũ est meritò progressa. Neque enim accipiebantur modò imperatores eorum, sed & accersentes & euocantes illos, fidei se committebant eorum: neq; populi solùm & ciuitates, sed & reges quoque ab alijs violati regibus, decurrebant ad illorum præsidium. vnde breui fortasse non sine diuina ope omnia ijs paruère. At Quintius plurimùm ipse ob liberatam Græciam gloriatus est. nam cùm Delphis clypeos argenteos & scutum suum dedicaret, inscripsit ijs:

* Liu. habet L. Thermum.

Quintij in Græciæ libertate cõfirmãda studiũ.

Dicite Io celeri, quibus est equitare voluptas
Voce Iouis soboles, dicite Tindaridæ
Io, Lacedæmonij reges: nam munera dextra
Vobis summa Titus præstitit Aeneades:
Nam libertatem reparauit Graiugenarum,
Triste tyrannorum quæ tulit antè iugum.

Donum etiam Apollini coronam auream tulit cum hac inscriptione:

Hanc tibi fulgentem dedit auro, Phœbe, coronam,
Diuinum cupiens condecorare caput,
Aeneadum ductor magnus: sed Apollo vicißim
Virtutis tribuas tu decus alme Tito.

Ita vrbi Corinthiorum delatum est, idem vt ibi beneficium bis Gręcis sit declaratum. Siquidem Quintius Corinthi tunc, & memoria nostra Nero iterum Corinthi Isthmia item celebrans Græcos liberos suis legibus iussit esse: ille, vt diximus, per præconem: ipse pro tribunali in foro concionem ad populum habens. Cæterùm hoc diu post. At Quintius pulcherrimum & iustissimum cum Nabide auspicatus bellũ teterrimo & immanissimo Lacedæmoniorum tyranno, in exitu Græciæ spem destituit. Cui in manu cùm esset illũ obterere, noluit: sed fœdus cum eo fecit, & Spartam indigna oppressam seruitute reliquit: vel veritus, ne si bellum duceretur, alius successor Roma missus gloriam sibi auferret: vel inuidia & æmulatione Philopœmenis honorum. Quem, quia cùm in omnibus alijs summum inter Græcos imperatorem, tum ob eius eximia virtutis & consilij illo edita bello opera pariter ac Quintium Achæi extollebant & decorabant in theatris, torquebant illum: qui indignam rem censebat, vt pari in honore ac consul Romanus pro Græcia propugnans, homo Arcas, minutorum & finitimorum dux bellorum, apud eos esset. Verùm ipse id Quintius excusauit, bellum deposuisse se, vbi tyrannum perspexit nõ nisi cum grandi aliorum Spartiatarum pernitie periturum. At Achæi quanquam honores ei cumulatè decreuerant, nulla re tamen assequi videbantur beneficia eius: nisi vno dono, quod omnibus ille prætulit. Id hoc fuit. Ciues Romani, quos belli Punici secũdi perculerat clades, passim venundati & distracti in seruitute erant. † Græcia mille & ducentos numero habebat: semper quidem ob fortunæ vices miserabiles, sed tunc haud immeritò magis, cùm alij liberis, fratribus alij, pars familiaribus, liberis serui, & victoribus oc

Græciam liberat Nero.

Quintius cur pacem fecerit cũ Nabide Lacedæmoniorum tyranno.

Philopœmenis gloria.

Achæi redimũt Romanos in Græcia seruientes.

† Liu. habet Achaia.

currerent captiui. Hos Quintius, quamuis illorum causa affligeretur, non extorsit domi nis: sed Achæi eos quingentenis denarijs in capita redemerunt, contractosq; vnum in locum omnes paranti iam conscendere Quintio obtulerunt. Itaque ille decessit gaudio delibutus ob præclara facta, egregias remunerationes, magnoq; viro & ciuium amante consecutus dignas. Quod profectò omnium ei videtur ornamentum extitisse in triumpho splendidissimum. quippe hi, vt moris est seruorum, cùm manumissi sunt, rasi capitibus & pileati triumphantem sunt Quintium secuti. Speciosius etiam spolia translata spectaculum præbuerunt: galeæ Græcæ, parmæ Macedonicæ & sarissæ. Iam pecuniæ non exiguus numerus fuit, vt memoriæ prodidit Itanus. In triumpho translata auri infecti pondo tria millia septingenta * tredecim, argenti † quadraginta tria millia pondo & ducenta L X X, Philippei aurei nummi quatuordecim millia quingenti quatuordecim. Adhæc mille talenta, quæ Philippus debebat. Cæterùm hoc populus Romanus pòst maximè Quintio authore & annitente condonauit Philippo, ac societatẽ cum eo iunxit, filiumq; obsidem ei remisit. Postquam verò in Græciam Antiochus magna classe & exercitu traiecit, ciuitatesq; solicitauit & concitauit Aetolorum ope. qui iam du dum alieno & hostili in populum Romanum animo erant, et obtentum ei belli velamen tumq; præbebat Græcos liberandi, quibus nihil erat eo opus: quippe liberi erant sed speciosioris inopia causæ pulcherrimo titulo eum erudiebant vti. Hic motum Græciæ maiorem in modum Romani & nomen formidantes illius potentiæ ducem belli consulem M. † Attilium miserunt, & legatum Græcorum gratia Quintium. Eos partim cõspectus eius ilicò confirmauit: partim incipientes ægrotare, vt si medicamentum ijs in tempore dilueret, illorum in ferefricans beneuolentiã inhibuit, & ne offenderent, retardauit. Pauci ei, qui iam dudum præoccupati & semel fuerunt ab Aetolis impulsi, elapsi sunt: quos, quamuis incensus & exasperatus, post prælium tamẽ tutatus est. Siquidem Antiochus ad Thermopylas fusus fugatusq; propere se recepit classe in Asiam. At consul Attilius Aetolos alios circumsedit, alios regi Philippo concessit subiugare. Cùm agerentur ferrenturq; à Macedone, hinc Dolopes & Magnetes, hinc Athamani & Aperanti, ipse autem Attilius Heracleam excidisse, Naupactum quam Aetoli tenebant obsideret: miseratus Quintius Græcos, transmisit ex Peloponneso ad consulem. Ac primum increpauit eum, quòd victor Philippum fineret belli præmia rapere, & iræ indulgens, dum non paucæ gentes & reges à Macedonibus in ditionem redigerentur, ad vnam desideret ciuitatem. Deinde obsessis, vt ex muro Quintium conspexerunt, implorantibus opem eius & manus tendentibus, precantibusq;: nullo in præsentia dato responso, conuertit se & lachrymabundus digressus est. Pòst egit cum Attilio, lenitaq; eius indignatione impetrauit Aetolis inducias & spacium, quo missis Romam legatis conditiones leuiores peterent. Verùm plurimum ei contentionis & sudoris preces præbuerunt pro Chalcidensibus, quibus infestus Attilius erat propter nuptias, quas apud eos bello iam commisso celebrauerat Antiochus: parum pro ætate vel in tempore, sed amore captus grandæuus puellæ. Filia ea erat † Cleoptolemi, forma, vt fama est, inter virgines venustissima. Id in causa erat, vt Chalcidenses studiosissimè cum rege facerent, vrbemq; ei darent belli sedem. Ille quàm ocyssimè à conflictu fugiens Chalcidem contendit, ablataq; puella & pecunia & amicis in Asiam discessit. Attilium verò statim in Chalcidenses infestũ pergentem comitans deliniuit & deprecatus Quintius est, tandemq; in sententiam suam adduxit & placauit: precibus apud illum, & eos qui erant senatorij ordinis, enisus. Chalcidenses hoc modo conseruati Quintio dedicauerunt pulcherrima & maxima vrbis suæ ornamenta, quorum hoc æuo quoque titulos cernas huiuscemodi. Populus Tito & Herculi gymnasium. Et alibi. Populus Tito & Apollini Delphinion. Creatur etiam hac memoria sacerdos Quintij suffragijs: atque hostia ei immolata, vbi libatum est, canunt carmen compositum, cuius relicta reliqua parte, quæ dicunt in fine cantilenæ referemus.

Illam fidem verò colimus Romulidum niueam
Iurati sanctam. Dicite cœlorum dominum Musæ, Romam, Titum quoq;
Romanam fidem simul. O Tite Io Pæan dominator.

Delati fuerunt ei etiam à Græcis omnibus meriti honores: & quę non fictos honores efficiebat, mirifica ex morum eius lenitate beneuolentia. Etenim si in quos negociorum causa vel ambitionis, vt in Philopœmenem & Diophanem inde Achæorum prætorem fuit concitatior, non fuit atrox neque in facta exarsit ira eius: sed cùm in disputationibus expostu-

Quintij triumphus.

**Liu. quatuordecim.*
† Liu. decem & octo.

Quintius Attilij legatus in Græcia.
† Acilium hũc etiam vocari à scriptoribus, monuimus.

Quintius deprecatur pro Aetolis.

Antiochi nuptiæ inequales.
† Liu. Neoptolemi.

Honores Quintio habiti ob seruatos Calcidenses & Græcos.

Quintij lenitas.

expostulasset cum ijs ciuiliter, expirauit. Itaque acerbus habitus est nemini, sed præceps in iram & leuis naturà multis: cæterà in consuetudine omnium blandissimus, & in dicendo cum acrimonia lepidus. Achæos enim Zacynthiorum insulã vendicantes deterrens, obnoxios fore ipsos ait periculo, si testudinum more extra Peloponnesum caput exererent. Philippus cùm de fœdere & inducijs primum congressum haberent, multis comitatum ait ipsum venire, se verò solum. Ibi occurrens Quintius, Nempe te ipse, inquit, solum reddidisti: qui amicos & propinquos necasti. Cùm Messenius Dinocrates in conuiuio Romæ temulentus in muliebri stola saltasset, & rogaret postero die Quintium vt molienti sibi Messenen eximere concilio Achæorum assisteret, Id mecum, inquit, pensabo: miror verò te, qui tantas machineris res, saltare inter pocula & cantare posse. Ad Achæos, cùm legati Antiochi copiarum regiarum numerum recenserent, iactarentq; diuersa earum vocabula: Quintius ait, cùm apud hospitem suum cœnaret & copiam reprehenderet ferculorum, stupereitq;, vnde tam variam venationem comparasset: respondisse hospitem, omnia ex mansueta sue facta, paratu tantùm & condituris discrepantia: Nolite ergo, infit, nec vos Achæi copias mirari Antiochi, cùm hastatos, spiculatores, & satellites auditis: nam omnes hi Syri sunt armatu differentes. Post hàs res in Græcia gestas & bellum Antiochi censor est creatus. est is summus magistratus & reipub. gerendæ quasi culmen. Collegam habuit Marcelli, qui consul quinquies fuit, filium. Senatu mouerunt quatuor non admodum illustres. Censuerunt omnes, qui ciues se profitebantur, si ex ingenuis parentibus essent. Coacti id fuere à tribuno plebis Terentio * Leone, qui obtrectans optimatibus populum ad id sciscendum induxit. Ex clarissimis suæ ætatis & summis in ciuitate viris, inter quos simultas erat, Scipione Africano & M. Catone, illum principem senatus legit vt optimum & primum virum: cum Catone suscepit inimicitias ex calamitate huiuscemodi. Frater T. Quintio erat L. Quintius Flaminius, neq; cætera illius ingenium repræsentans, & in libidinibus perquam fœdus & securissimus decori. Huic consuetudo erat cum puero quem adamabat, eumq; in expeditiones abducebat secum: ac dum administraret prouinciam, perpetuò in contubernio suo habebat. Is epulante Lucio aliquando, cùm per lasciuiam cauillaretur, adeò ait se ardenter amare eum, vt spectaculum gladiatorum reliquerit, cùm nunquam hominem spectasset iugulari, obsequium in illum suum suæ voluptati anteferens. Lætus Lucius, Nihil inquit incommodi est: nam facile ego cupiditati tuæ medebor. Mox vnum ex damnatis attrahi ex carcere iussit, accitoq; lictori inter epulas imperauit vt eum obtruncaret. Valerius Antiâs non puero adamato indulsisse id Lucium, sed mulieri author est. T. Liuius in ipsius Catonis oratione scriptum refert: Gallum transfugam cum liberis & coniuge ad fores stantem & introductum in conuiuium à Lucio in scorti gratiam propria manu occisum.. Cæterùm hoc à Catone verisimile est exaggerandi causa in accusatione dictum. At non fuisse transfugam, sed vinctum illum qui interfectus fuit, atque ex damnatis cùm alij multi, tum Cicero orator in libro de Senectute, vbi ipsum inducit Catonem loquẽtem, narrat. Ea de causa in censura sua Cato, cum Senatum recenseret, senatu mouit Lucium consularem virum. & per eum labes imponi fratri visa est. Quapropter in concionem progressi sordidati & lachrymantes æquum petere à populo existimati sunt: vt notam Cato & rationem expromeret, quamobrem illustri familiæ tantam inussisset maculam. Nec Cato quicquam dubitauit: sed processit, ac consistens cum collega pro rostris rogauit T. Quintium, ecquid conuiuium illud nosset. Abnuente illo cùm id exposuisset, sponsione Lucium prouocauit, ni vera narrasset. Obmutescente Lucio comprobauit populus notam Catonis, eumq; ex rostris magnificè domum deduxit. At Titus calamitate fratris cruciatus, conspirauit cum veteribus æmulis Catonis, omnesq; illius locationes vectigaliũ & operum publicorum redempturæq; in senatu obtinuit vt inducerentur & rescinderentur. Multas etiam & graues instruxit ei accusationes: verùm haud scio quàm rectè atque ordine aduersus iustum magistratum & ciuem optimum, pro homine cõiuncto quidem sed indigno & iure notato, inimicitiam susceperit capitalem. Post tamen cùm ludos populus in theatro spectaret, & consideret senatus de more loco honorato, conspectus Lucius abiectè & demissè inter infimos sedens, mouit commiserationem: neq; eam speciem plebs sustinuit, sed clamore iussit, vt transiret. quoad transijt ad recipiẽtes ipsum apud se consulares. Porrò natiua Quintij ambitio, dum satis materiæ habuit, in antè dictis bellis versantis commendata fuit. Nam tribunus militum iterum à consulatu nemine vrgente fuit. Decursis verò honoribus & ætate grauior culpatus magis est: quòd

Quintij dicta.

Quintius censor creatur.

* Fortasse Culeone: cui⁹ Liu. meminit, li. 30. & 38.

Quintij simultas cum M. Catone.

Quintij frater Lucius senatu à Catone motus.

Lucij Quintij crudele facinus.

Liu. li. 9. dec. 4

T. Quintij in Catonem indigna facta.

L. Quintius in suum locũ à populo restitutus.

Quintij ambitio.

per reliquum vitæ, quod vacare iam debebat negocijs, præ gestiente gloriæ cupiditate atque iuueniliter se iactante imperare non valeret sibi. Tali enim impulsus vento Annibalem est persecutus, multosq; videtur eam ob causam offendisse. Annibal enim patria profugus apud Antiochum agebat. qui cùm post prælium in Phrygia commissum cupidè pacem amplexus esset: post longam alteram fugam & errorem in Bithynia, tandem consedit apud Prusiam nullo inscio Romano, sed omnibus eum propter incisos neruos & senium sicut à fortuna abiectum despicientibus. Quintius verò legatus alijs de causis ad Prusiam à senatu missus, cùm Annibalem agētem illic vidisset, fremuit quòd viueret: neque Prusiæ ipsum multùm pro supplice & familiari oranti & obsecranti concesit. Oraculum autem, vt videtur, vetus de Annibalis exitu fuit. id sic habet:

Quintius Annibalis mortis causa.

Annibal oraculo deceptus.

Libyssa corpus Annibal teget tuum.

Hic verò Africam suspicabatur, & sepulturam Carthagine quasi vitam illic trāsacturus. Est autem locus Bithyniæ sabulosus iuxta mare, nec procul exiguus vicus, Libyssa dicitur: ibi fortè agebat Annibal. qui quòd Prusiæ semper suspectam mollitiem haberet, & horreret Romanos, septem exitibus subterraneis iam ante domum ex tabernaculo suo aperuerat, aliò alijs cuniculis, omnibus procul tamen occultè se efferentibus. Vt igitur præceptum Quintij accepit, tentauit per cuniculos fugam: verùm cum in custodias regni incidisset, statuit mortem sibi ipse consciscere. Nonnulli referunt pallio eum collum obuoluisse, iussisseq; seruo vt infixo clunibus genu valideq; impresso stringeret id, & cōtorqueret quoad eliso spiritu necasset se. Alij eum Themistoclis & Midæ exemplo sanguinem taurinum hausisse. Liuius venenum tradit eum, quod penes se habebat, miscuisse, sumptoq; calice dixisse: Liberemus tandem diuturna cura populum Romanū, quando mortem inuidiosi senis expectare longum & graue censuit. Non memorabilem tamen feret victoriam Quintius, neque maioribus dignam: qui Pyrrho armato hosti & victori secretò per legatos imminens veneficium indicauerunt. Hoc modo perisse Annibalem ferunt. Quod vbi est ad senatum allatum, flagrauit apud non paucos Quintius inuidia, habitusq; est nimiū importunus & crudelis: qui velut auem ex senio pennis & cauda truncam, cui vita cicuri permissa est, Annibalem nulla vrgente re, sed ob gloriam, vt ex morte eius traheret nomen, interfecisset. Ac Scipionis Africani commemorantes clementiam & animi celsitudinem, magis ac magis extollebant eum: qui inuictū & formidabilem, cùm in Africa debellasset Annibalem, neque exterminasset eum, neque exposcere voluisset à ciuibus: imò & ante pugnam in colloquium veniēs complexus eum est, & post pugnam in pace iungenda neque ludibrio habuit, neque insultauit in eius fortunam. Fama est fuisse iterum eos Ephesi congressos: ac primùm, cùm vnà deambularent, Annibale locum digniorem præripiente tulisse id Africanum, & sine vllo indignationis indicio cum eo inambulasse: deinde, illato de imperatoribus sermone, cùm summum Annibal imperatorem dixisset fuisse Alexādrum, inde Pyrrhum, seipsum tertium, oborto risu Africanum quæsisse, Quid verò, si te ego non vicissem? Ibi Annibalem respondisse: Tum me Scipio non tertium, sed inter imperatores numerarem primum. Hāc Scipionis ciuilitatem multi laudibus tollentes detestabantur Quintium, quòd cadaueri manus attulisset alieno. Fuerunt qui probarent factum eius, atq; Annibalem, quoad animam traheret, pro igni haberent: cui abesset nihil, nisi qui eum excitaret. Neq; enim florentis corpus populo Romano, vel manum formidolosam, sed scientiam rei militaris, sed vsum fuisse cum insita coniunctum acerbitate in populum Romanum eius & odio. quorum senectus nihil detrahat, sed persiet in moribus natura: fortuna verò non permaneat eadem, verùm varians stimulet spe ad aliquid conandum illos qui semper odio ad bellum alicui faciendū concitantur. Et profectò ea quæ insecuta sunt plus plusq; Quintio suffragantur. hinc Aristonicus citharœdo prognatus, qui propter Eumenis gloriam rebellionibus & bellis vniuersam inundauit Asiam: hinc Mithridates, qui post clades à Sylla & Fimbria acceptas tantamq; exercituum suorum & ducum stragem, de integro in Lucullū terra mariq; tam validus insurrexit. Nec verò C. Mario iacebat Annibal abiectior: huic enim rex suppetebat amicus, cultus, familiares, procurationem habebat nauium, equitatus, militum. Marij fortunis Romani illudentes palantis & mendicantis in Africa, breui pòst Romæ cùm interficerentur & virgis conciderentur, eas adorabant. Adeò nihil neque pusillum neque magnum in præsentia est ad venientia: sed vnus est conuersionis qui & vitæ finis. Vnde negant nonnulli sua sponte hæc Quintium egisse, sed fuisse legatum cum L. Scipione: neque aliud habuisse legationem argumenti, præter

Annibalis mors.

Liu. lib. 8. dec. 4.

Scipionis & Annibalis colloquium.

Annibalis in Romanos odium.

Aristonicus.

Mithridates.

Marius.

Magnū aut paruū nihil in præsentia, sed fine omnia existimāda.

præter Annibalis necem. Cæterùm quandoquidem nullum deinceps Quintij neque in toga neque in armis comperimus actionem, sed exitum quoq; sortitus est quietum: restat nunc, vt comparationem consideremus.

PHILOPOEMENIS CVM T. QVINTIO, COMPARATIO.



ENEFICIORVM quidem in Græcos amplitudine, neque Philopœmenem contendere cum Quintio, neque perquam multos Philopœmene præstantiores par est: illis enim fuit Græcis aduersus Græcos bellum, huic non Græco pro Græcis: & quo tempore impos ciuibus suis Philopœmenes succurrere oppugnatis in Cretã nauigauit, tunc debellato Quintius in vmbilico Græciæ Philippo, in libertatem asseruit & gentes & ciuitates vniuersas. Quòd si iam vtriusq; præ-lia discutias, plures Græcos Philopœmenes prætura apud Achæos fungens, quàm Græcis succurrens Quintius occidit Macedonas. Iam peccata huius in ambitione, illius in peruicacia fuerunt: & in iram propensus Quintius, alter penè implacabilis. Quintius enim regiam Philippo maiestatem retinuit, & Aetolis præbuit se lenem: Philopœmenes iræ indulgens suburbanos stipendiarios ademit patriæ. Adhæc superior in eos quos beneficio affecerat semper stabilis: alter ad merita ex bile delenda promptus. Quippe Lacedæmoniorum, in quos beneficus antè fuerat, pòst muros etiam solo æquauit, fines vastauit, ipsam denique conuertit & deleuit reipub. formam. Ac vitam videtur quoque per iram & peruicaciam profudisse: quòd non opportuno tempore, sed rapidiùs quàm conueniebat ruens aduersus Messenios, non vt Quintius omni consilio & cum securitate, exercitum duxisset. Atqui bellorum numero & trophæorum Philopœmenis solidior est experientia. ille enim bellum Macedonicum duobus decreuit prælijs: hic sexcentis conflictibus victor nullam fortunæ reliquit cum scientia rei militaris controuersiam. Præterea Quintius populi Romani florentibus vsus viribus, alter flaccescente iam Græcia adolescens gloriam tulit: vnde huius proprium, commune illius factum fuit victoria. Quintius enim imperauit bonis, hic alter bonos imperator effecit. Adde his quòd bella aduersus Græcos gesta non auspicatum quidem huic, certum tamen virtutis præbuerunt documentum. nam quibus paria sunt cætera, hi palmam virtute obtinent: siquidem qui cum summis bellatoribus bellum gessit Cretensibus & Lacedæmonijs, illos vaferrimos astutia, hos fortissimos superauit audacia. Insuper ex præparatis laureã Quintius deportauit, disciplina militari vtens & scientia aciei instruendæ quas accepit: Philopœmenes ipse etiam adferens & mutans harum ordines. itaque id quod maximi erat ad victoriam momenti, ab hoc cùm deesset est inuentum: illi adiumento fuit quod iam suppeditabat. Manus certè Philopœmenis multa opera extant & grandia, alterius nullum. imò etiam Aetolus quidam improperat Quintio Archedemus, dum ipse stricto gladio in pugnantes & conglobatos Macedonas currens se inferret, illum passis manibus ad cœlum tensis stetisse & vota dijs nuncupasse. Super hæc Titus in magistratibus & legationibus omnes res suas præclaras gessit: nihilo Philopœmenes deteriorem se vel ignauiorem priuatum præstitit Achæis quàm prætorem. siquidem in prætura Nabim exegit Messene, Messeniosq; in libertatem restituit: priuatus prætorem Diophanem & Quintium aduentãtes Sparta exclusit & Lacedæmonios seruauit. Qui cùm natura dux tam esset insignis, non ex præscripto legum, sed etiam legibus nouerat è bono publico imperare: neq; expectauit, dum à popularibus acciperet imperium, sed vsus est ijs, sicubi locus esset: hunc censens potius prætorem qui quod in rem illorum esset intelligeret rectiùs, quàm quem elegissent. Est memorabilis quidem Quintij in Græcos lenitas & humanitas: sed fortitudo & libertatis amor aduersus Romanos memorabilior Philopœmenis. Pronius est enim bene mereri de inopibus, quàm irritare potentiores reluctãtem.

Quintij in Græcos beneficia.

Philopœmenis iracundia.

Quintius Philopœmene prudẽtior.

Quintius bonis imperauit, bonos fecit Philopœmenes.

Quintio manu fortior Philopœmenes.

Quintij in Græcos humanitas.

Philopœmenis in Romanos amor.

Quando igitur ita examinatorum ægrè eruitur discrimen: vide, si Græco bellicæ scientiæ artisq; imperatoriæ, iustitiæ & humanitatis lauream demus Romano, num male disceptauerimus.

NOBILISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO, DOMINO IOANNI A' LIGNE, COMITI

ab Arenberge, Baroni à Barbanſon & Seuenberge,&c. Præfecto generali & Gubernatori Friſiæ, regionis Tranſiſulanæ, Groningæ ac Lingiæ, Domino ſuo benigniſsimo, Hermannus Cruſerius

S. P. D.



*M*ERETVR *Tua, Clariſſime domine, in omnes mortales humanitas, in prouinciales tuos ſolicitudo & cura, in me profuſius fauor atq; beneficentia tua, vt ego qui ex prouincialibus tuis ſum & quem ſingulari complexus es gratia, ſcriptis meis orbi terræ, & placiditatem iſtam tuam, & benignitatem commendem. Hoc enim maius non habeo, nec gratius quod tibi munus offeram: vel potius, quo tibi gratiam referam. Itaq; ex Plutarchi illuſtrium virorum vitis, quas denuo reddidi verbis Latinis, dicandos exiſtimaui tuæ comitati, & humanitati, & felicitati quoq; duos humaniſſimos & feliciſſimos principes, Timoleontem Corinthium, & Paulum Aemilium Romanum: quorum fuit vterq; moribus leniſſimus, bello fortiſſimus & fortunatiſſimus, in pacatos clementiſſimus atque beneficentiſſimus: vnde populares & ciues proſecuti & poſt fata eos ſunt ſumma beneuolentia, quæ virtutibus illis aſſciſcitur potiſſimùm. Conciliatur enim ea potiſſimùm beneficijs: ſecundo loco comitate & benefica voluntate, etiam ſi meritum fortaſſis nullum conferas. Vehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa fama & opinione liberalitatis, beneficientiæ, iuſtitiæ, fidei, omniumq; earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum ac facilitatem: quia enim honeſtum per ſe nobis placet, animosq; omnium natura & ſpecie ſua commouet, maximeq; quaſi perlucet ex ijs quas commemoraui virtutibus. Idcirco illos, in quibus illas virtutes eſſe remur, à natura ipſa diligere cogimur, atque ſunt hæ cauſæ diligendi grauiſſimæ. Omnium autem rerum nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas & tenendas quàm diligi: nec alienius quàm timeri. quippe quem metuunt homines, eum oderunt: quem quiſq; odit, periſſe expetit. Multorum autem odijs nullæ poſſunt obſiſtere opes. Hoc docuit ducis Gelriæ Caroli principis quondam mei exitus. qui quàm diu charus ſuis fuit, nullus valuit eum vel pollentiſſimus hoſtis ditione ſua exuere: vt verò odio venit populo ſuo, vno propè die præſidijs ſuis denudatus eſt omnibus. Quid, nónne nobilitata & recentia exempla quo. ndam principum, quos poſterorum eorum cauſa superſedeo nominare, hoc ob oculos ponunt? Quid, nónne Richardus rex Angliæ Eduardi quarti frater, nónne etiam ante eum Eduardus ſecundus odio ſuorum euerſi ſunt? Externa enim libentius in tali re quàm domeſtica recordor. Quamuis enim demerſæ ſint leges principis vel præſidis prouinciæ violentia, quamuis tremefacta libertas, emergunt tamen hæc ſæpe tacitis indicijs, ſæpe etiam erumpunt in illorũ caput: acriores enim morſus ſunt preſſæ libertatis, quàm retentæ. Malus autem eſt cuſtos diuturnitatis metus: contraq; beneuolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Quod igitur latiſſimè patet, neque ad incolumitatem ſolùm, ſed etiam ad opes & potentiam valet plurimùm, id amplectendum maximè nobilibus viris & principibus: ita facillimè quæ volunt & priuatis in rebus & in repub. conſequentur. Hanc viam quia ab ineunte ætate comitate, poſtquam verò gubernaculis es prouinciæ admotus, ſedulitate pro tuis & beneficẽtia iniſti: ita enim exiſtimant omnes, qui gubernationi tuæ parent, vt laborare & vigilare pro ipſorum incolumitate & ocio & commodis te quàm ſemetipſos arbitrentur acrius: idcircò non abſurdè tibi duxi Timoleontem & Paulum Aemilium deſtinandos. qui vt fuerunt præter antè dictas virtutes rebus omnibus, quãtum imbecillitas fert humana, beatiſſimi: item tu, qui claro loco natus es & ſplendidis innutritus opibus, generoſiſſimam duxiſti vxorẽ. quæ præter ampliſſimam dotem quam tibi attulit, & egregiam formam, virtutibus fulget ſummis & heroicis: moribus prædita eſt ſuauiſſimis, incredibili humanitate, mirifica eloquentia, atq; in re adminiſtranda familiari raræ prudentiæ & ſedulitatis. Eadem lepidiſſimis te & ſummæ ſpei liberis auxit. Iam in rebus bello gerendis te ſecunda fortuna: in prouincijs regendis omnium proſequitur, qui non omnibus contigit, fauor & amor. Quorum etiam hæc ſunt comitantia, diu vt te ſuperſtitem optemus, omnia vota pro te tuaq; adminiſtratione auſpicatiſſima faciamus: te hinc decedente mœreamus, redeunte exultemus: vt verò ſemper quamdiutiſſimè certe apud nos hæreas, deſideremus. Vt enim exoriens omnia animantia exhilarat ſol, ita iuſtitiæ & lenitatis tuæ conſpectus recreat prouinciales tuos cunctos. Quod ego tibi teſtimonium certè, etſi eo virtus non egeat tua, officio meo impulſus, non potui temperare mihi, quin publicè & in luce omnium gentium præberem. Hoc meum officium, vt tibi, cui ſolent mea eſſe grata omnia ſit acceptum, vtq; id genuina humanitate tua excipias, vehementer te nobiliſſime Domine rogo: Vale. Campis.*

PROOEMI-

PROOEMIVM IN TIMOLEONTEM ET PAVLVM AEMILIVM.



VT describendas vitas susciperem, feci aliorum gratia. Inhæreo autem nunc & immoror mei ipsius causa: enitens tanquam in speculo in historia ad illorum virorum virtutes vtcunque vitam meam componere & conformare. Est enim hęc res prorsus contubernio & conuictui assimilis: cùm vnumquemque eorum, tanquam ad nos diuertat, vicissim lectione excipientes inuitantesque, reputamus animo qualis quisque, & quantus fuerit: ac quę præcipua sunt cognituque pulcherrima, ex rebus eorum gestis excerpimus. Quod gaudium, per deos immortales, eo maius cupias & ad mores limandos efficacius? Democritus enim optandum ait vt auspicatas imagines adipiscamur & cõsentientes, atque vt bonæ in nos ex aere quàm malæ & sinistræ incidant potiùs: doctrinam falsam & ad infinitas euehentem superstitiones conijciens pro fundamento in Philosophiam. Nos verò commentatione historiæ & lectionis consuetudine comparamus nos ipsi, dum præstantissimorum & clarissimorum virorum memoriam assiduè animis nostris excipimus ad elidendum & propellendum, siquid labis vel vitij vel inertiæ ex contagione nobiscum necessariò versantium contraxerimus: conuertentes ad elegantissima exempla sedatam & placidam mentem. Ex quibus hîc in manibus sumpsimus Timoleontis Corinthij & Pauli Aemilij vitam: qui nõ modò institutis, sed prospera etiam fortuna pariter vsi ad res gerendas fuere, & ambiguum reliquerunt, felicitatene an prudentia potius, res maximas gesserint.

Illustriorum virorum vitæ, ut quem usum scribendæ ac legendæ.

Democriti dictum.

Historiæ utilitas.

Timoleon.



APVD Syracusanos ante Timoleõtis in Siciliam expeditionem hoc modo se res habebant. Postquam Dion qui Dionysium tyrannum exegerat breui pòst dolo sublatus, & dissentio orta est inter eos qui Dionis in liberandis Syracusanis socij fuerant, atque ex assidua aliorũ ex alijs tyrannorum vicissitudine tantis demersa miserijs vrbs, parum vt abfuerit quin deserta, reliqua verò Sicilia in totum vasta iam incultaque per bella esset, pleraque autem oppida à barbaris mixtis tenerentur & militibus vagis, qui proni erant ad conuersiones dominatus: Dionysius anno decimo conscripsit externum militem, ac Nysæo qui id temporis Syracusarum potiebatur eiecto, recuperauit imperium, & tyrannus denuo factus est, ac qui mirabili modo maxima omnium quæ vnquam fuerunt tyrannide à parua manu exutus fuerat, mirabiliore exul & abiectus euasit iterum illorum, qui ipsum expulerant, dominus. Igitur qui in vrbe Syracusana hęserant, tyranno seruiebant nec aliàs moderato, & tum à cladibus animi semel efferati. Optimates & nobilissimi quique Icetem Leontinorum dynastem respexerunt, eique se permittentes ducem belli cepere, nihilo quidem manifestis tyrannis meliorem: verùm quia refugium non erat aliud ad manum, eius fidem quòd esset Syracusis oriundus, & validas copias ad resistendum haberet tyranno, sunt secuti. Cùm interea Carthaginenses magna classe Siciliam appulissent, atque insulæ imminerẽt: perculsi Siculi decreuerunt legatos in Græciam ad opem à Corinthijs petendam mittere. Quibus non tantùm ob necessitudinem, & quia multa iam beneficia in se eorum extabant, fidem habebant: sed & quòd planè libertatis amantem, & infestam semper tyrannis viderent eam ciuitatem esse, plurima que & maxima bella non pro imperio & dominatu, sed pro Græcorum suscepisse libertate. Icetes verò qui ducatus sui argumentum tyrannidem præstituerat non Syracusanorum libertatem, occulta iam colloquia habuerat cum Carthaginensibus: Syracusanos tamen palàm laudauit, adiunxitque in Peloponnesum legatos: non quia auxilia inde desideraret accire, sed si Corinthij, quod erat verisimile, ob tumultus Græciæ & occupationes abnuerent suppetias, quò facilius res ad Pœnos inclinaturum speraret se, socijsque his atque auxiliarijs aduersus Syracusanos vel tyrannum vsurum. Id quod paulo pòst compertum fuit. nam postquam aduenerunt legati, Corinthij coloniarũ suarum perpetuò curam præcipuè Syracusanorũ soliti agere,

Syracusanorum ante aduentum Timoleontis status.

Icetes Leõtinorum tyrannus.

nec vllo negocio ipsi tunc Græciæ forte implicati, sed in pace & ocio agentes, prompte decreuerunt auxilium. Cùm dux quæreretur, suggererentq; & subijcerent magistratus eos ciues qui inclarescere studebant, vnus de vulgo exurgens Timoleontem nominauit Timodemi filium: qui rempub. nondum attigerat, neq; in eam venerat spem vel institutum, sed nimirum dei alicuius instinctu.

Timoleon, cuius voce primùm innotuerit.

Tantus ibi statim in designando eo effulsit fortunæ fauor, & alia eius gesta ad decorandam virtutem eius tam secunda prosecuta est aura.

Timoleontis genus & mores.

Parentes habuit Timodemum & Demaristen illustres ciues. Fuit patriæ amans & mirifice placidus: nisi quod tyrannis esset & improbis admodum infestus. In armis tam bene & modicè temperato erat ingenio, vt insignis in iuuene prudentia, & virtus in senectute non minor in rebus gestis eluceret.

Timoleontis frater Timophanes, qualis fuerit.

Fratrem Timophanem habebat ætate maiorem, longe sibi disparem, stolidumq; atque dominandi libidine à prauis amicis & militibus extraneis quibus semper cinctus erat corruptum, feruidum vt videbatur in expeditionibus, & periculorum contemptorem. qua re ciuium gratiam emeritus, quasi bellator & strenuus ad imperia aspirauit. Atque hisce in rebus erat ei Timoleon adiutor, qui peccata eius aut prorsus obtegebat aut offuscabat: dotes verò à natura collatas cohonestabat, amplificabatq;. Cùm dimicarent cum Argiuis & Cleonæis Corinthij, stabat Timoleon inter pedites. Ibi Timophanes præfectus equitibus in anceps discrimen incidit. Equus vulnere afflictus excussit eum inter hostes. Sodales eius partim mętu dissipati: qui substitere, pauci cum multis dimicantes ægre restabant.

Timoleō seruat fratrem Timophanem.

Vbi Timoleon eam fortunam animaduertit, properauit opem ferre: atq; tegens iacentem Timophanem clypeo suo, multis iaculis multisq; cominus ictibus corpore & armis exceptis magno labore repulit hostes, & fratrem eripuit. Porrò veriti Corinthij ne in idem relaberentur mali quò antè, cùm per socios amisissent vrbem, decreuerunt quadringentos milites conductitios alere. atque his imposuere Timophanem. Qui omni posthabito honesto & bono, rationem inire protinus cœpit quemadmodum vrbem sui arbitrij faceret: ac magno numero principum ciuitatis indicta causa necato, declarauit semetipse tyrannum. Id grauiter ferens Timoleon, atq; illius improbitatem in suam ratus perniciem vergere, annisus est agere cum eo & monere vt omissa ista vesana & importuna libidine aliquam rationem quæreret eluendorum apud ciues commissorum suorum. Quo repellente & repudiante monitionem suam, asciscit tandem sibi ex necessarijs fratrem vxoris Timophanis Aeschylum, atque ex amicis vatem, quem Satyrum Theopompus, Ephorus & Timæus Orthagoram vocant, atque intermissis paucis diebus ascendit iterum ad fratrem: circumsistentesq; hi tres eum, tunc saltem resipisceret inuerteret'que se, obsecrauerunt.

Timoleontis frater occiditur.

Sed cùm eos Timophanes primùm rideret, deinde in iram irrumperet & indignarentur, recessit Timoleon paululum à fratre, obuolutoq; capite constitit lachrymabundus: illi strictis gladijs hominem confestim obtruncarunt.

Varia hominū de aliorum factis iudicia.

Re diuulgata Corinthiorum primores improbitatis odium in Timoleonte & magnitudinem animi extulerunt, quòd quamuis mitis & in suos esset pius, patriam tamen propinquitati, honestumq; & rectum potius duxisset vtili: qui præclarè pro patria certantem seruasset fratrem, eundem, postquam insidijs eam circumuenit & oppresit, intereмisset. Qui verò viuere in æquabili libertate non poterant, & erant dominos soliti respicere, tyranni quidem cæde simulabant lætari se: sed Timoleontem vt impium & nefandum facinus ausum insectando animum eius infregere. Vt verò matrem quoque iniquo animo ferre intellexit id factum, ac deuouere caput suum dirasque imprecari sibi, atque profectum ad ipsam leniendam illa ne in conspectum quidem admisit, sed præclusit fores: tum oppressus dolore atque animo perculsus instituit conficere se inedia. Verùm amicis curam eius gerentibus, variasq; preces & omnem adhibentibus vim, statuit priuatus in solitudine degere: atq; à repub. prorsus remouit se, diu etiam vrbe abstinuit, mœrensq; & vagans in prædijs maximè solis agebat.

Omnia cum iudicio agenda.

Vsq; adeò iudicia, nisi stabilitatem & neruos ex ratione & philosophia factis suis accommodauerint, vacillant & quibusuis laudibus vel probris transuersum auferuntur, suaq; ipsis cōsilia facilè extorquentur. Debet enim nō actio modò honesta & iusta esse, sed & firma atq; immota: à qua efficiatur opinio, vt cum iudicio agamus. non sicut voraces, qui cibariorum saginam acerrima persequuntur auiditate, sed citissimè nauseāt saturi: ita rebus nos perpetratis abijciamus animum per imbecillitatem elanguescente honesti specie. Reddit enim pœnitentia vel id, quod rectè factum est turpe: at profecta ex certa ratione deliberatio, ne si impingat quidem, variat actiones.

Phocionis dictum.

Quapropter Athenienſis Phocion cœptis reluctatus

ctatus Leosthenis, vbi magnificas res gerere ille visus est, victimasq; populum Atheniensem cædentem ac gestientem victoria vidit, Lętarer quidem, inquit, si hæc gessissem: sed non pœnitet me consiliorum. Acrius Aristides Locrensis Platonis sodalium vnus, *Aristidis dictū graue.* cùm ab eo Dionysius maior vnius filiarum eius nuptias petisset: Mortuam, inquit, malim puellam aspicere, quàm matrimonio iunctam cum tyranno. Vt paulo pòst liberos eius interemit Dionysius, & per ludibriū quæsiuit num de filiarum nuptijs in eadem maneret sententia: factis respondit angi se ipsius, nō pœnitere dictorum suorum. Cæterùm maioris hæc fortasis sunt & consummatioris virtutis. At Timoleontis mentem perturbatio animi ex ijs quæ acta erant, siue defuncti miseratio, siue pudor matris erat, ita fregit & oppressit, vt viginti prope interiectos annos actionem insignem vel publicam attigerit nullam. Ergo renunciato eo, ac populo libente id suffragijs approbante, exurgens *Timoleon declaratus dux in Siciliam.* Teleclides opibus tunc & claritate princeps ciuitatis, hortatus Timoleontem est vt illa in prouincia bonum & egregium virum se præberet. Si enim decertaueris, inquit, præclarè, tyrannum occidisse te arbitrabimur: sin ignauiter, fratrem. Interea dum classem instruit Timoleon & delectum habet, redditę sunt Corinthijs ab Icete literę, quibus mutationem & proditionē suam declarauit. nam simul atq; legatos misit, Carthaginensibus sociatus apertè agebat cum illis, vt exacto Dionysio ipse tyrānidem sibi quæreret. Veritus aūt ne præuenientibus Corintho copijs & duce cœpta frustrarent se, misit Corinthijs epistolā. Qua significauit, ne fatigarent se, non impensas subirent in expeditionem Siciliensem, nec pericula eo nomine susciperent: maximè cùm id vetent Carthaginenses, & magno numero nauium classem ipsorum captent, quos ipse illorum subactus cunctatione parasset aduersus tyrannum socios. His recitatis literis, siquis antè Corinthiorū lentus ad eam expeditionem fuerat, tunc cuncti ira flagrarunt in Icetem: ut promptè Timoleonti necessaria præberent, & ad apparandam iuuarent classem. Qua iam *Prodigia Timoleonti facta.* instructa, subministratisq; omnibus quibus opes erat exercitui, sacerdotes Proserpinæ Cererem & Proserpinam visæ sunt videre ad peregrè proficiscendū se ornantes, & cum Timoleonte dicentes nauigaturas se in Siciliam. Quare triremem sacram Corinthij parauerunt deabus nuncuparam. Timoleon Delphos ipse profectus sacra Apollini fecit: cui in manteon descendenti hoc fit prodigiū. Ex suspensis donis vitta delapsa, quę coronis & victorijs erat distincta, caput Timoleontis est amplexa, vt coronatus à Deo ad res gerendas mitti videretur. Naues habebat Corinthias septem, duas Corcyrenses, deci- *Timoleōti prodigium oblatū.* mam Leucadij præbuere. cum his soluit. Nocte cùm in alto esset, & secundo vento veheretur, visum ei repentè cœlum est fissum & super nauem copiosam effudisse & luculētam flammā. Inde fax elata mysticis germana, comitansq; eos & tenēs eundem cursum, quam potissimùm Italiæ partem gubernatores petebant, in eam est delata. Vates hanc speciem consonare cum sacerdotum somnijs asseuerarunt, & huic expeditioni esse præstò deas, atq; hoc iubare cœlitùs prælucere. Esse enim Proserpinæ Siciliam sacram: nam raptam quoq; ibi fabulantur, atq; hanc insulā ei nuptiali dono datam. Ac diuinitus quidem ad hunc modum confirmata classis fuit. qui pelagus cursim emensi Italiā legebant. Quæ verò ex Sicilia annunciabātur, ingentem Timoleonti perplexitatem, & angorem *Icetes Dionisiū obsidet.* obijciebant militibus. siquidem Dionysium Icetes acie fusum ac Syracusarū plerisq; partibus occupatis, arci & illi parti, quæ Nassa dicitur, circumsidebat, & circumuallabat *Nassa locus Syracusis.* inclusum: Carthaginensibus curæ esse iusserat, ne Timoleon attingeret Siciliam, sed ipsi repulsis illis liberè inter se insulam partirētur, Miserunt hi viginti triremes Rhegium, in quibus illius ad Timoleontem legati vehebantur, quibus mandata factis dederat congruentia. Speciosæ enim captiones erant & uerba ad flagitiosa tegenda consilia: postulauerunt enim vt ipse, si ei videretur, proficisceretur Timoleon ad Icetē, illiq; in consilio adesset, & omniū esset successuum consors: naues copiasq;, quòd bellum penè patratum esset, remitteret Corinthū: arcere Carthaginenses classem ipsius traiectu, & armis repellere, si vi agant, paratos esse. Vt igitur Rhegium Corinthij decurrēre, & cum his oratoribus venerunt in colloquiū, nec procul in anchoris cōsistentes conspexerunt naues Punicas: delusos se dolebant, exarseruntq; omnes in Icetem, & timuerunt Siculis. quos apertè videbant præmiū relictos & mercedem Iceti proditionis, Pœnis tyrannidis: neq; cernebant vlla ratione superare se posse & pręsentem barbarorū duplo tanto maiorē q; ipsi essent imminentē classem, & illas quæ cum Icete erant, quarū ad ducatū venerāt, copias. Cæterùm cum legatis & præfectis Pœnorū Timoleō cōgressus, placidè ait se iussis eorū *Timoleō Pœnis callidior.* pariturū: quid enim profecturū nō parendo? Velle aūt, simul atq; hæc vltro citroq; corā

Græca

Græca ciuitate vtrisq; amica edidissent Rhegio, se recipere: id & suæ securitatis interesse, & illos fidelius promissis suis de Syracusanis staturos, si apud populum testem pacta edidissent. Hæc proposuit dolum ijs ad transmittendum struens: qua in re administros omnes habebat Rheginorum prętores, qui Corinthios cupiebant in Sicilia rerum potiri, & vicinitatem metuebant barbarorum. Itaq; aduocauerunt concionem, & ne ciues diuerterent aliò portas clausère. Inde progressi in medium duxerũt in longum orationes, tradiderúntq; alter alteri idem argumentum: nihil aliud quærentes, nisi vt tempus, dum soluissent naues Corinthiorum, extraherent, detinerentq; in concione nihil suspicantes Pœnos: vtpote Timoleonte præsente, quem expectabant iamiam exurrecturum ad dicendum & concionandum.

Timoleon traijcit in Siciliam.

Vt nunciatum ei à quodam clàm est cæteras naues in altum prouectas solam ipsius relictã operiri, elapsus per turbam simul Rheginis, qui suggestum circumsistebant, eum tegentibus, cùm ad mare descendisset properè soluit. Tauromenium Siciliæ appulere, excipiente eos, à quo erant iampridẽ accersiti, propense illius oppidi principe & dynaste Andromacho.

Andromachus pater Timæi historici.

Pater hic Timæi historici fuit, longè omnium qui tunc dominabantur in Sicilia optimus. Is ciues suos legitimo & iusto imperio habebat, neq; dissimulabat omnib. tyrannis infestũ se esse & alienũ. Quare Timoleonti hoc oppidũ belli sedem aperuit, suosq; induxit populares, vt arma coniungerent cum Corinthijs, sociosq; se ad liberandã Siciliam præberent. At Pœni qui Rhegij erant, dimissa à Timoleontis profectione concione, indignè ferentes impositum sibi esse iocum, præbuerunt Rheginis quòd Pœnis displicerent fallaciæ. Hinc legatũ cum triremi Tauromeniũ mittunt: qui post multa odiosa verba apud Andromachũ, facta & fulmina barbarica, nisi actutum eijcerent Corinthios, postremò manum supinã ostendit, inde inuertit, additis minis ciuitatẽ eius se, quę talis esset, talem redditurũ.

Manu loquitur Andromachus.

Ei ridens Andromachus nihil aliud responsi dedit: sed manum vt ille nunc supinam protendens nunc pronã iussit cum naue abire, nisi eam pro tali effici vellet talem. Icetes aũt de transmissione Timoleontis certior factus metuq; perculsus, multas exciuit Carthaginensiũ naues. Tunc verò omnẽ spem Syracusani salutis deposuerunt, cùm Pœnos cernerent portũ suum tenere, potiri vrbe Icetem, arcem habere Dionysium in potestate, Timoleontẽ verò ex Tauromenitarũ oppidulo quasi ex minuta fimbria adhærentẽ Siciliæ, eumq; tenui spe & angustijs copijs succinctũ. Neq; enim plus mille militibus & cõmeatu his necessario habebat: neq; credebant ei ciuitates Siciliæ, ꝙ oppressæ malis essent & in omnes exasperatæ exercituũ duces, pręcipuè ob Callippi et Pharacis perfidiam, quorũ hic Lacedęmonius, Atheniensis ille: cùm libertatis eorum causa et obterendorũ dominorum ferret vterq; se venisse, auream rem esse Siciliæ tyrannidem ostenderant: effecerantq;, beatiores vt viderentur illi qui sub tyrrannide expirauerant, ꝙ̃ qui gustauerant libertatẽ.

Siculorum res deploratas restituit Timoleon.

Itaq; nihilo illis Corinthium potiorẽ expectantes fore, sed referri denuò sibi eadem cum magnifica spe & benignis pollicitationibus cõmenta & blandimenta: quò ad cõuersionem noui domini lactarentur, suspectas habebãt repudiabantq; Corinthiorũ exhortationes: præterquã Adranitæ qui angustũ quidem oppidum, sed deo sacrũ Adrano, quem tota Sicilia venerantur religiosissimè colentes, mutuis inter se agitabantur seditionibus.

Adranus deus.

horum vna pars Icetem & Pœnos accersebat, altera asciscebat Timoleontem. Accidit aũt sorte fortuna, dum pro se maturat vterq;, vt sub idẽ tempus adessent ambo. Verùm ducebat Icetes secum quinq; millia militũ: Timoleon milites habebat nõ amplius mille ducentos. Cum his à Tauromenio mouit, quod distat ab Adrano quadraginta duo millia quingentos passus: nec multum itineris primo die emensus, castra metatus est. Postero die ducto raptim agmine ac superatis asperis locis, præcipiti iam in vesperũ die accepit ad oppidum accessisse Icetem, iuxtaq; castra ponere. Hîc manipulorũ & ordinũ ductores consistere principes iubent, vt refecti cibo & quiete dimicarent alacrius. Cæterum aduolans Timoleõ orauit, omitterẽt hoc, & citatũ agmen raperent: quo incõditos hostes, vt verisimile erat, recentes ab itinere atq; ad tentoria & cœnã parandã occupatos adorirent. Simul cum dicto arrepto clypeo ante ordines ꝓcedit velut ad certã victoriã. Secuti cæteri sunt animo erecto. Aberãt ab hostib. minus quatuor millia passuũ.

Timoleon fundit, fugatq; Icetem.

Quibus cõfectis incidũt in tumultuantes, & fugã capessentes vt primùm adesse eos sensere. quod in causa fuit vt trecenti nec multo plus ceciderint: bis totidem viui in eorũ potestatem venerint. Castra quoq; capta.

Adranitæ iungunt se Timoleonti.

Adranitæ patefactis portis in Timoleõtis partes cõcessere: cũ horrore & stupore nunciãtes fuisse sacra vestibula tẽpli in ipso articulo pręlij sua spõte patefacta, visam dei hastã summa cuspide vibrare, faciemq; eius largo sudore manare. Hæc profectò

Ostentum.

non

non eam tantum victoriam ſpoſponderunt, verùm etiam res conſequentes, quibus aperuit illud certamen fores. Etenim ciuitates miſſis exemplò legatis coniunxerunt ſe Timoleonti. Iam Mamercus Catanæ tyrannus vir bello fortis & pecunioſus ſocietatem eius quæſiuit, & quod erat præcipuum Dionyſius ſpem iam deſpondens, cùm tantum non obſidione expugnatus eſſet, Icetem fœdè fuſum deſpexit: ad Timoleontem autem quem habebat in admiratione, legatis miſſis in fidem eius & Corinthiorum ſe arcemq; permiſit.

Dionyſius tyrãnus dedit ſe Timoleonti.

Hanc proſperam tam inexpectatam fortunam Timoleon amplexus, Euclidem & Telemachum ciues Corinthios in arcem mittit cum militibus quadringentis: non ſimul omnibus neq; propalàm (quippe id fieri portum inſidentibus hoſtibus non poterat) ſed furtim & cateruatim irrepſere. Hi milites arcem & tyranni cum omni inſtrumento ſedem atque cum rebus ad bellum neceſſarijs accéperunt. Equorum ibi inuentus haud exiguus numerus, omniſq; generis machinæ & telorum vis ingens. Armorum recondita erant LXX millia, quæ fuerant ex longo tempore parata. Habebat inſuper duo millia militum Dionyſius, quos Timoleonti ille præter cætera tradidit. Ipſe cum pecunia & paucis amicis in Timoleontis eſt caſtra clam Icete deuectus. Ac tum primùm priuatus & demiſſus eſt uiſus, vnoq; nauigio cum modico pecunię Corinthum deportatus: qui in tyrannide natus fuiſſet & enutritus omnium clariſſima & maxima, quam decem annos tenuerat, alios fuerat duodecim à bello per Dionem geſto certaminibus & bellis iactatus. Hic ſcelera ſua ſuperauit calamitatibus: filiorũ enim adultorum funera, filias virgines conſpexit conſtupratas, ſororis eiuſdemq; coniugis obſcœniſſimis libidinibus ab hoſtibus violatum corpus, eam inde vi cum liberis peremptam & in altum demerſam: quæ in Dionis hiſtoria ſumus perſecuti.

Dionyſij tyrãni calamitates.

Dionyſium, poſtquam delatus Corinthum eſt, nemo fuit inter Græcos quin aſpicere & appellare deſideraret. Alij cladibus eius ex odio læti libenter eò concurrerunt, ut à fortuna velut præcipitatum conculcarent: alij inclinationem reſpicientes atq; vicem eius dolentes contemplabantur in rebus infirmis mortalium & manifeſtis exemplis obſcurarum & diuinarum virtutẽ cauſarum.

Dionyſius Corinthum deportatus.

Nullum enim tantũ vel naturæ ea tempeſtas vel artis, quantũ illud fortunæ opus edidit, quæ illum oſtendit paulo antè Siciliæ tyrannum, agentem cum muliere, quę exercebat popinam, uel in myropolio ſedentem, bibentem ex cauponis dilutum, & altercantem in publico cũ mulierculis, quæ formã quæſtui habebãt, pſaltrias in cantibus docentem, & circa cantilenas theatricas cum ijs enixè de modorũ digladiantẽ concentu.

Fortunæ inconſtantia.

Hæc facere ideo Dionyſium aliqui, quòd aliàs torpidus & ignauus ſua ſponte eſſet atq; proteruus, exiſtimabant: alij, quò contemneretur, nec formidabilis Corinthijs foret vel ſuſpectus, quaſi grauiter ferret viciſsitudinem vitæ & dominandi cupiditate flagraret, magnamq; affectaſſe et ſimulaſſe pręter ingenium ſuum, atq; ad ocium fallendum prę ſe tuliſſe ſtoliditatem. Et quidem commemorantur nonnulla eius dicta, quæ declararunt non tuliſſe eum præſentem fortunam abiectè. quod partim hinc intelligas.

Dionyſij dicta præclara.

Leucadem delatus, quæ colonia erat ſicut Syracuſæ Corinthiorum, idem ſibi ait quod adoleſcentibus qui peccaſſent vſuuenire: ut enim illi hilariter verſantur cum fratribus, ſed ex verecundia patrum conſpectum fugiunt: ita rubore ſe vrbis, quæ author originis ſuæ ſit, libentẽ apud illos ibi manſurũ. Partim inde, quòd cùm hoſpes quidã Corinthi de eius cũ philoſophis conſuetudine, qua capiebatur in dominatu, aſperiùs ei inſultaret, rogaretq; ad poſtremũ, quem nam ex Platonis cepiſſet ſapientia fructũ: Nihil ne, inquit, tibi profectus videmur à Platone aſſecuti qui ita vices feramus fortunæ? Ad muſicũ Ariſtoxenum & certos alios qui quęrebant, vnde & quæ nam aduerſus Platonem ei offenſio extitiſſet: Tyrannis, inquit, cùm multis eſt referta malis, tum longè maximo, quòd nemo ex ijs qui dicuntur amici, liberè loquatur. ſiquidem illorum ſe opera Platonis fuiſſe beneuolentia ſpoliatum.

Philoſophiæ utilitas.

Tyrannidis maximum malum.

Cùm quidam ex illis qui faceti volebant eſſe ad ludibrium veſtem ingreſſus ad eum ſicut ad tyrannũ excuteret: ridiculo in illum retorto id facere eum iuſsit cùm exiret à ſe, ne quid rerum ſuarum auferret. Philippo Macedone ſermonẽ inter pocula cauilloſè inferenti de cantilenis & tragœdijs quas Dionyſius maior reliquerat, atq; ambigere fingenti ſe, quo nam iſta tẽpore illi vacaſſet facere: nõ inſcitè occurrẽs Dionyſius, quo tẽpore, inquit, tu & ego atq; oẽs qui videmur beati cõpotationibus indulgebamus. At Plato, qui iam deceſſerat, nõ vidit Corinthi Dionyſiũ. Diogenes verò Sinopenſis occurrẽs ei, quàm indignè, inquit, agis Dionyſi? Inſiſtente illo ac dicente: Rectè Diogenes facis, quòd calamitatem noſtrã grauiter feras. Ibi Diogenes, Enimuero, inquit, tu me uicem cenſes dolere tuam, non ſtomachari, tale mancipiũ cùm ſis & dignus qui ſicut

Principum o[…] cum quale eſſe debeat.

parens

parens in dominatu consenescens spiritum deponas, quòd nobiscum hic in ludis degas & delicijs? Vnde componenti mihi cum his Philisti voces, quas de Leptinis filiabus mittit plangens ex magnis eas tyrannidis fortunis ad vitam recidisse sordidam, lamentationes videantur mulieris, alabastros, purpuram & aurum desiderãtis. Atq; hæc quidem non abhorrentia à vitarum descriptione, neque auditoribus inutilia non properantibus necoccupatis habenda existimaui. Quanquam verò asperitas Dionysij rerum est noua visa, non minus tamen fuit Timoleontis stupenda prosperitas. quippe quinquaginta diebus quàm applicuit in Siciliam, arcem Syracusanam in potestatem accepit, Dionysiumq; in Peloponnesum misit. Vnde erecti Corinthij duo millia peditum miserunt ei cum equitibus ducentis. qui Thurium vsq; prouecti, cùm transmissionē illinc obsidentibus mare magna classe Pœnis obstructam cernerent, necesse habuerunt, dum tempus expectant, ibi consistere. Hoc ocio sunt ad pulcherrimum opus abusi. Cùm Thurini arma inferrent Brutijs, vrbem sibi creditam magna integritate & fide custodierunt. At Icetes obsidebat arcem Syracusanam, & frumentatione Corinthios prohibebat. Adhęc duos milites externos ad interficiendum per insidias Timoleontē subornatos clàm misit Adranum. Ille nec aliàs cingebat se statione armata, & tūc planè dei fiducia securè & citra vllam suspicionem feriabatur cum Adranitis. Qui missi fuerant, cùm fortè sacrificaturum intellexissent, gladijs sub pallio succincti in templum concesserunt, immistiq; circumsistentibus aram sensim mouerunt propius. Tantum non his mutuò ad inuadendum eum cohortãtibus, quidam alterum eorum gladio secundum caput vulnerat. Quo prolabente, nec percussor restitit, nec socius saucij: sed ille gladium tenens ad rupem quandam profugit editam. Alter ara apprehensa indicium totius rei professus fidem dari sibi petijt. Qua data indicauit se & illum, qui fuerat occisus, ad ipsum interficiendum missos. Interea illum à rupe alij retraxerunt vociferantem nihil commeritum se, iure occiso illo homine patri parentasse defuncto, quem prius in Leontinis interemerat ille: testesq; ex corona nonnullos citauit stupentes artificium fortunæ, quæ aliorum ministerio alia moueat, atq; omnia quamuis remota connectat & complicet his quæ plurimùm videntur dissidere, nec communione inter se sociata vlla: atq; assiduè illis ita mutuò vtatur, vt vicissim alterius finis primordium sit alterius. Corinthij huic homini præmium decem minas donauerūt, quòd deo Timoleontis tutelari iustam iram suam commodasset, nec antè inueteratam illam simultatem effudisset: verùm cum priuata causa sua forte fortuna reseruasset ad illius salutem. Præsens felicitas spem quoque in futurum erexit spectatorum, vt velut sanctum virum & ad vindicandam Siciliam à Deo missum venerarentur ac custodia sepirent. Vbi hic conatus fefellit Icetem, multos autem ille ad Timoleontem videt deficere: reprehendit semetipse quòd tanta manus cùm præstò esset Pœnorum vteretur ea quasi verecūdia carptim, qui clàm & furtim auxilia introduceret. Itaq; ducem eorum Magonem cum tota classe acciuit. Ille magno cum terrore inuectus portum est, atq; centum quinquaginta nauibus eum occupauit, peditum sexaginta millia exposuit in terram, castra in vrbe Syracusana locauit: vt omnes decantatam olim & denunciatam, quæ occupatura Siciliam esset, existimarent iam adesse barbariem. nunquam enim Carthaginensibus antè copia fuerat sexcentis in Sicilia gestis bellis Syracusarum potiundi. Tunc verò recipiente eos Icete & tradente vrbem, illam videres castra esse barbarorū. Corinthij autem qui arcem insidebant, in ancipiti periculo & graui malo versabantur. quippe copia non erat ijs necessariorum: sed laborabant iam quòd septi portus stationibus esset, commeatus difficultate, cogebanturq; in continuis certaminibus & pugnis ad tuendos muros, qui omni genere machinamentorum atq; artis oppugnabantur, partiri se. Verùm subsidium ferebat Timoleon, frumentū Catana submittens paruis piscatorijs nauibus minutisq; acatijs, quæ tempestatib. potissimùm per medias barbarorum naues euadebant in arcem, cùm illas vnda & fluctus dispelleret, occultè permeantia. Quibus animaduersis Mago & Icetes Catanam, vnde supportabantur obsessis necessaria, deliberauerunt capere: & cum forsissimis copijs soluerūt Syracusis. At Corinthius Neon obsessorum præfectus, hostes qui relicti erant ex arce contemplatus solutè & securè stationes seruare, repentè dissipatos adortus est: quorum partim cęsis, partim fugatis potitus est, & occupauit Acradinam appellatam. Ea urbis Syracusanæ, quæ quodammodo ex pluribus composita & constructa est vrbibus, munitissima pars & inuiolatissima habebatur. Magnam ibi vim frumenti & pecuniæ nactus locum hunc non deseruit, neq; retrò se in arcem recepit: sed obseptis Acradinæ mœnibus

Timoleontis prosperitas.

Insidiæ Timoleonti paratæ deteguntur.

Fortunæ artificium.

Icetes Magonē cū exercitu introducit Syracusas.

Corinthij occupant Acradinā.

Acradinæ descriptio.

& commissa munitione cum arce tutatus eam est. Mago autem & Icetes iam prope Catanam venerant, cùm eos assecutus ex Syracusis eques captam annunciat Acradinam. Qui confusi citato cursu rapuerunt retrò agmen, cùm neq; cepissent eam ad quam profecti erant, neq; quam tenebant, seruassent. Cæterùm prouidentiæ hæc & virtuti disceptationem nonnullam cum fortuna præbent. Quod verò insecutum est, videtur potissimum benignitati referendum acceptum fortunæ. nam milites Corinthij, qui Thurij agebant, cùm hinc formidarent Carthaginensium classem quæ cum Hannone asseruabat ipsos, hinc multos iam dies mare ventis sæuiret, perrexerunt pedibus per Brutios proficisci. Rhegiumq; qua barbarorum voluntate, qua vi graui adhuc pelagi procella peruenere. At classis Punicæ præfectus, cùm nec expectaret Corinthios, & nequicquam ratus est eos desidere: persuadens sibi acutum commentum se & perquàm callidum excogitauisse, coronas imperat nautis sumere, naues clypeis Græcis & palmis ornat, atque ita versus Syracusas contendit, præuectusq; arcem cum strepitu, plausu, & risu, quo perculsos redderet obsessos, Corinthios clamauit se modò traijcientes fudisse mari & cepisse. Dum ille has nugas & præstigias agit, Corinthij qui ex Brutijs peruenerant Rhegiũ, vbi nulla mari custodia fuit, & venti qui prodigiosè ceciderant, tranquillum aspectu & lenem præbuerunt transitum, propere cõscenderunt pontones & naues piscatorias, quę ad manum erant: atque in Siciliã tam tutò, tantaq; transmiserunt tranquillitate vt equos iuxta nauigia nantes traherent habenis. Qui vt omnes iam traiecerunt, atque ad Timoleontem peruenerunt, extemplò is potitus est Messana, ac signa Syracusas mouit, fortuna sua rebusq; gestis plus quàm copijs fretus: neq; enim plus quatuor millibus militũ habebat secum. Aduentu eius nunciato perculsus terrore Mago in suspicionem maiorem ex huiuscemodi occasione est delapsus. In vadis limosis iuxta vrbem, quę copiosam ex fontibus aquam dulcem, copiosam etiam ex paludibus & fluminibus ex mare delabentibus accipiunt, magna vis anguillarum pascitur, largaq; semper captura cuiuis suppeditat. Has vtriusque partis mercenarij milites per ocium & inducias vnà venabantur. Qui Græci cùm essent, nec causam inuicem haberent priuatarum simultatum, dimicabant in certaminibus fortiter, per inducias congrediebantur, colloquebanturq;. Ac tum in piscando occupati sermones inter se ferebant, mirantes maris illius indolem & loca circà egregiè comparata. Hic vnus ex ijs, qui in præsidijs Corinthiorum erant, Atqui tam amplam, inquit, & tam multis decoratam dotibus vrbem in extremam barbatiem redigere vos qui Græci estis laboratis, teterrimosq; & immanissimos reddere magis nobis affines Carthaginenses, contra quos optandum sit, multæ vt essent pro Gręcia obiectæ Siciliæ. An vos existimatis exercitu hos vsque à columnis Herculis excitato & à mari Atlantico huc pergere, vt pro Icetis depugnent dominatu? qui si cogitationem suscepisset vllam ducis, non expulisset authores originis suæ, neque in patriam suam inuexisset hostes: verùm si Corinthijs se & Timoleonti probasset, etiam honores & opes esset meritas consecutus. Peruaserunt hæ voces castra, quærentiq; iam diu obtentum Magoni, suspicionem præbuerunt prodi se: ita obsecrante vt maneret Icete, docenteq; hostibus quanto præstent: virtute magis & fortuna Timoleonti ratus se concedere, quàm superare eum copiarum numero, confestim in Africam vela facit, Sicilia nullo humano consilio fœdè de manibus proiecta. Postero die aderat cum instructa acie Timoleon. Vt fugam didicerunt, & solitudinem viderunt portus, non potuerunt non ridere Magonis ignauiam: ac præmia per vrbem pronunciauerunt ei qui indicaret, quò ipsis se classis Punica subduxisset. At verò cùm nondum fractus Icetes esset, neque amitteret de manibus vrbem, sed inhæreret partibus, quas tenebat, firmis nec promptis oppugnatu: distributis copijs Timoleon asperrimam partem, quà præterfluit Anapus, adoritur: alios iubet Acradinam aggredi, quos Corinthius Isias ducebat: tertios ad Epipolas tentandas ducunt Dinarchus & Demaretus, qui nouissima subsidia adduxerant Corintho. Cùm esset vndique impressio facta, prostratus Icetis miles & in fugam est auersus. Hic quòd vi expugnata vrbs fuerit, & citò profugientibus hostibus in potestatem venerit, id iure cùm militum virtuti, tum consilio attribuas ducis: at quòd nemo ceciderit, nemo vulnus acceperit Corinthiorum, hoc proprium esse suum opus fortuna Timoleontis quasi cum virtute eius contendens ostendit, vt qui hoc audiant, celebrent felicitatem eius quàm virtutem impensius. Neque enim confestim per totam solùm Siciliam & Italiam hic perlatus rumor est: sed & paucis diebus victoria hac tota personauit Græcia. Itaq; ciuitas Corinthiorum, quæ nondum crediderat delatam in Siciliam classem, simul

Fortunæ et virtutis certamen.

Timoleon petit Syracusas.

Mago relinquit Siciliam.

Timoleon capit Syracusas.

Timoleõ diruit arcem Syracusanam.

& incolumes esse & victores accepit. Vsque adeò fuit cursus rerum secundus tantamq; rerum gestarum splendori attexuit celeritatem fortuna. Cùm in manu sua Timoleon arcem teneret, non fecit idem ac Dion, neque ob pulchritudinem & operis magnificentiam pepercit loco: sed declinans eam illum quę lacerauerat et perdiderat suspicionem, pronunciauit per præconem vt Syracusani, quibus videretur, cum ferro adessent, adiuuarentq; ad demolienda præsidia tyrannica. Vbi omnes ascendere, rudimenta libertatis certissima illud edictum & illum rati diem, non arcem modò, sed recta quoque & monumenta exciderunt atque diruerunt tyrannorum. Mox quo gratificaretur ciuibus, validiorem'q; tyrannide efficeret libertatem popularem, aream complanauit, eiq; forum iudiciale imposuit.

Siciliæ calamitas mira.

Capta iam vrbe cùm deficeretur ciuibus, quòd partim per bella & seditiones occubuissent, partim refugissent tyrannos: vnde forum Syracusis desertum adeò extulerat copiosam & densam materiam, vt equi ibi pascerentur quiescentibus in herba equisonibus: cætera oppida præter admodum pauca ceruorum & aprorum erant lustra. in suburbijs & circa mœnia per ocium venabantur crebrò: nemo in arcibus & præsidijs habitantium sustinebat adire vrbem, sed horror omnes & odium tenebat fori, reipub. suggesti, ex quibus plerique extitissent tyranni. Timoleonti & Syracusanis visum est scribere ad Corinthios, vt colonos Syracusas ex Græcia mitterent, alioquin agrum cultoribus relinquendum vacuum esse, & graue se ex Africa bellum expectare:

Magonis mors, & ignominia.

quòd allatum esset Carthaginenses Magonis, qui sibi ipse mortem consciuerat, in crucem corpus egisse ob præturam offensos male gestam, & magnum delectum habere vt æstate proxima in Siciliam trajiciant. His à Timoleonte allatis literis, simulq; præsentibus Syracusanorum legatis, qui orabant, susciperent ciuitatis curam, fierentq; de integro eius conditores, non respexerunt Corinthij res priuatas, neque sibi eam vrbem vendicauerunt: sed primùm ad sacra ludicra per Græciam & ad celeberrima concilia missis legatis pronunciari per præcones iusserunt, Corinthios prostrata Syracusis tyrannide & eiecto tyranno vocare Syracusanos, Siculosq; alios omnes vt liberi et immunes suis legibus vrbem colant, & agrum æquis conditionibus partiantur. Hinc dimissis per Asiam & insulas nuncijs, vbi maximam partem acceperant exulum dilapsam consedisse, inuitauerunt omnes Corinthum vt venirent, præsidium, & naues, & duces, qui securè eos Syracusas vsque deducant, Corinthios suis impensis præbituros. His pronunciatis meritissimam & pulcherrimam retulit illa ciuitas laudem & gloriam: quòd à tyrannis liberaret, à barbaris tueretur, ciuibus restitueret prouinciam. Qui Corinthum conuenere, quia minor erat eorum numerus, instituerunt vt ex Corintho & reliqua Græcia asscriberentur sibi coloni.

Corinthij frequentant colonis Syracusas.

Cùm ad decem millia effecissent, nauigauerunt Syracusas. Iam ex Italia quoque & ex Sicilia concurrerant ad Timoleontem frequentes. Vt sexaginta millium expleuit numerum, vt est Athanes author, diuisit ijs agrum, ædificia mille talentis distraxit: simul relinquens veteribus Syracusanis ius sua redimendi & facultatem populo comparans pecuniæ, ita inopi cùm ad alia tum ad bellum vt statuas etiam venundarent. Ferebatur de vnaquaque suffragium, instituebaturq; accusatio: sicut hominum, à quibus ratio reposcitur rerum gestarum. Referunt autem nonnulli Gelonis prisci tyranni statuam Syracusanos damnatis alijs conseruasse: victoriæ causa, qua apud Himeram fuderat Pœnos, illum celebrantes atque honorantes. Dum ita recreatur ciuitas, & confluentibus in eam vndiq; ciuibus frequentatur: cupiens Timoleon cæteras quoque vrbes in libertatem restituere & excindere semel ex Sicilia dominatus,

Icetes deponit tyrannidem.

Leptines tyrannus mittitur Corinthum.

ducto in fines earum exercitu, Icetem desciscere compulit à Carthaginensibus, ac fœdus secum pacisci, vt arces disturbaret, & in Leontinis ageret priuatus. Leptini Apolloniæ & oppidulorum nonnullorum aliorum tyranno, cùm in discrimine esset, ne vi veniret in potestatem dedenti se pepercit, misitq; eum Corinthum: visendum ratus conspici à Græcis in authore originis vrbe exules Siciliæ tyrannos & abiectam vitam degentes. Inde Syracusas regressus est constituendæ reipub. operam daturus, & vnà cum legislatoribus, qui Corintho veniebant, Cephalo & Dionysio, præcipua & præstannissima capita digesturus. Interim quia mercede conductum militem locupletari ex hostico, nec marcescere volebat ocio, Dinarchum & Demaretum in prouinciam Carthaginensium dimisit: qui oppida complura receperunt à barbaris. vnde non ipsis modò omnia suppetebant abundè, sed & pecuniam ad bellum ex præda conficiebant.

Carthaginensiũ apparatus contra Timoleontẽ.

Pœni interea cum exercitu LXX millium militum, ducentis triremibus, mille nauibus, quibus tormenta bellica, currus, magnam vim commeatus, & alium apparatum

tum

tum portabant, Lelybæum applicuere: non vt minutatim iam bellum gererent, verùm vt tota Sicilia ſummouerent Græcos. Adeò erant enim vires eorum validæ, vt vel non languentes valerent neque attritos inuicem conuellere Siculos. Qui accepto prouinciã ſuam euaſtari, confeſtim ducibus Annibale & Amilcate infeſti contenderunt in Corinthios. Eo nuncio properè Syracuſas perlato, vſq; eò Syracuſani magnitudine illius exercitus trepidauerunt, vt ex tot millibus vix tria millia capere arma & Timoleòntem auſi fuerint ſequi. Qui mercenaria ſtipendia facerent, quatuor millia numero erant: horum item ad mille in itinere per ignauiam receſſere. Videbatur ijs nõ ſapere Timoleon, ſed præter ætatem inſanire: qui aduerſus LXX hoſtium millia, quinque millibus peditum & mille equitum moueret, exercitumq; à Syracuſis octo dierum via diuelleret. vnde nec receptus fugientibus, nec copia ſepulturæ ſupereſſet cæſis. Cæterùm deputauit in lucro Timoleon, quòd hi ſemetipſos prodidiſſent ante certamen: reliquos à ſe confirmatos raptim duxit ad Crimeſum amnem, vbi acceperat inuenturum ſe hoſtes. Subeunti collem, quo ſuperato exercitum & copias hoſtium erant ſubiectos oculis habituri, occurrunt muli apium ferentes.

Apij omen malum.

Id viſum militibus fœdum omen eſt: quia defunctorum ſepulchris ferè coronas ex apio imponere ſolemus. Vnde natum prouerbium, cùm quis ancipite morbo decumbit, vt apio dicatur opus habere. Hos Timoleon vt religione ſolueret & liberaret conſternatione, agmen ſuſtinuit, diſſeruitq; cùm alia tempori conuenientia, tum coronam demonſtrauit ante victoriam ipſis delatam vltrò in manus venire: Corinthij enim, qui ſacram arbitrãtur & patriam apij coronam, ea victores Iſthmiorum ludicro coronant.

Corona ex apio.

Nam Iſthmiorum ea etiam tum ætate vt nunc Nemeorum apium corona erat: non ita dudum ſucceſſit pinus. Ita vt diximus affatus Timoleon milites, ſumpſit apium ac princeps ipſe coronam ex eo accepit: inde duces qui circa eum erant & vulgus. At vates vt aquilas duas aduerterunt aduolantes, quarum vna confixum ferebat vnguibus draconem, altera cum magno & alacri clangore volabat: monſtrauerunt eas militibus, qui ad opem implorãdam deorum conuerſi cuncti ſunt. Tempeſtas tunc ineuntis æſtatis erat, & præcipite menſe Thargelione vergebat iam annus ad ſolſtitium. Cùm nebulam ingentem amnis edidit, ea primùm texit caligine campos, & omnem conſpectum amouit hoſtium: tantum ſonus ſurſum in collem perferebatur incertus & confuſus, qui procul excitabatur à tanto exercitu. Vt euaſerunt in collem & conſtiterunt Corinthij, poſitisq; clypeis reſpirabant: circulante ſole & vapores attollenre turbidus aer ad edita glomeratus & conglobatus offuſcauit cacumen montium: apertis autem campis ſubiectis & Crimeſus apparuit: & qui eum tranſmeabant, ſubiecti oculis hoſtes fuerunt.

Timoleontis magnus conflictus cum Carthaginenſibus.

Primæ erant quadrigæ horribili ſpecie ad pugnam paratæ: has ſequebantur decem millia peditum armatorum clypeis candidis, quos armorum ſplendore tarditateq; atq; ordine agminis cõiecerunt Carthaginenſes eſſe. Pone eos reliquis nationibus affluentibus, inconditeq; ac promiſcuè tranſeuntibus, cernens fluuium Timoleon ipſis diſpenſare vt de hoſtium numero ſumeret, quãta cum manu dimicare liberet, vbi militibus iuſsit aciem eorum contemplari flumine diſiectam, & partim tranſgreſſos iam, partim nondum: imperauit Demarato equitatum vt in Pœnos immitteret, conturbaretq; eos ne confuſos digerere poſſent in aciem. Simul in planitiem deſcendit, aliosq; Siculos in cornibus admiſtis vtrobiq;, non multis peregrinis militibus locauit. Mediam aciem cum Syracuſanis & mercenariorum delectiſsimis obtinens, pauliſper dum contẽplatur equeſtrem pugnam, ſuſtinuit. Vt vidit equites per currus ante ſigna diſcurrentes conſerere cum Pœnis manus non poſſe, ſed ne diſsiparentur aſsiduè voluere turmas, & crebras conuerſis ſignis impreſsiones dare: arrepto clypeo inclamauit peditibus, ſequerentur & forti eſſent animo. Hic voce vti quàm humana & ſolita maiore eſt viſus: ſiue inſtantis ardore diſcriminis & mentis motu eam intendit: ſiue deus aliquis, vt tunc viſum multis eſt, vnà intonuit. Mox clamorem reddentibus vt duceret nec cunctaretur orantibus militibus, ſignum equitibus dedit vt à latere pręteruecti aciem curruum in trãſuerſos hoſtes admitterent equos: ipſe ſignis canere iuſsis cum anteſignanorum teſtudine in Pœnos incurrit. Illi primum inſultum exceperunt ſtrenuè, & quòd tecti loricis ferreis eſſent æreisq; galeis, atq; grandibus muniti clypeis, impetum lancearum depellebant.

Tempeſtas Carthaginenſiũ pugnæ aduerſa.

Enimuerò vt gladijs geri res cœpta eſt, vbi haud ſecus ars quàm vires valebãt, ecce ſubitò horrenda tonitrua proruperunt ex montibus, ſimul cum flamma fulgura emicuerunt. Inde caligo illa ex collibus & montiũ cacuminibus in prælium delapſa, imbreq; cum vento & grandine miſta retrò Græcis & à tergo circumfundebatur, barbarorum ſe

ris bat ora, ac cum procella nimbosa & continua coruscatione è nubibus excussa perstringebat oculos: ex quibus multa fatigabant maximè tyrones. Præcipuè infesta erant tonitrua, & crepitus armorum procellosa pluuia & grandine pulsatorum, quæ exaudire ducum imperia prohibebant. Insuper Pœnos quibus non expedita arma sed grauia, vt est antedictum, erāt, & limus impediebat, sinusq́ sagorum aqua impletorum onerosi & inhabilesq́ ad pugnam erant: contrà ad eos prosternendos Græcis idonei, nec cùm lapsi essent valebāt sese ex luto attollere. namq́ Crimesus cùm imbribus iam auctus, tum transeuntium causa exundauit: circumiectusq́ campus multis subiectus vallibus & lacunis complebatur fluentis nō riuo suo decurrentibus. quibus Pœni impediti affligebantur. Tandem tempestate premente, & prima acie eorum, quæ erat quadringentorum militum, à Græcis concisa, reliqua multitudo in fugam constemitur. Magna vis in campo occupati interficiuntur: multos amnis, qui in transeuntes adhuc incurrebant, impellens & transuersos rapiens haurit: plurimos, qui colles petebant, insecuti leuis armaturæ milites obtruncant. Perhibentur ex decem millibus qui ciciderunt, tria millia fuisse Carthaginensium magno illius ciuitatis luctu. neq; enim vllis erant nobilitate vel diuitijs vel claritate secundi, neque tot vno vnquam prælio antea cecidisse ex ipsis memorant Carthaginensibus: verùm Afris ferè Hispanisq́ & Numidis quia ad certamina vtebantur, alieno vincebantur detrimento. Cæsorum deprehenderunt Græci ex manubijs dignitatem. nihil enim æs vel ferrum, qui spoliabant cadauera morabantur, tanta affluentia argenti, tanta auri erat. Etenim superato flumine castra cum impedimentis ceperunt. Captiuorum ingens numerus fuit à militibus interuersus, quinq; millia producta, capti etiam ducenti currus. Pulcherrimum & magnificentissimum præbuit spectaculum Timoleontis tentorium, omni genere vndiq; accumulatum spoliorum: in quibus mille thoraces eximio opere & splendore, decem millia clypeorum exposita fuere. Cùm multos pauci spoliarēt, magnamq́ prædam caperent, tandem tertio secundum prælium die excitauerunt trophæum. Corinthum cum victoriæ nuncio Timoleō splendidissima quæq; ex armis captis misit, quò patriam suam redderet apud omnes mortales conspicuā: contemplantes in vna illa Græciæ vrbe amplissima templa non Græcorum decorata spolijs, neque ex propinquorum sanguine & detractorum popularibus donorum ingrata monumenta repræsentantia, sed manubijs barbaricis, quæ præclarissima inscriptione significabant victorum cum virtute iustitiam, Corinthios & Timoleontem imperatorem ea Græcis, qui Siciliam incolunt, à Pœnorum iugo liberatis, gratitudinis ergò dijs sacrasse. Inde relicto ad vastandam Carthaginensium prouinciam mercenario milite, Timoleon Syracusas profectus, mille illos mercede militantes, qui ipsum ante pugnam deseruerant, Sicilia expulit, atque ante solis occasum excedere coegit Syracusis. Qui cùm in Italiam transmisissent, perfidè à Brutijs violati occubuerunt. atque has pœnas ab ijs exegit Deus proditionis. At Mamercus Catanæ tyrannus & Icetes, vel Timoleontis inuidia rerum gestarum, vel vt infidum & implacabilem tyrannis timentes, societatem iunxerūt cum Pœnis: quibus mandauerūt, nisi semel extrudi Sicilia vellent, copias mitterent & ducem. Nauigauit eò LXX nauibus Gisco, conduxitq́ nonnullos Græcos. Ante eam diem non fuerant Græcis vsi Pœni: tunc autem magni fecerunt eos vt inuictos & omnium mortalium fortissimos. Vbi in agro Mamertino coierunt omnes, quadringentos milites mercenarios, quos Timoleon auxilio miserat, occiderunt: & in Carthaginensium prouincia iuxta Hieras, quas vocant, mercede militantes, quibus præerat Leucadius Euthymus, oppresserunt. Vnde præcipuè illustrata Timoleontis felicitas fuit. Siquidem hi fuerant inter illos, qui cum Philodemo Phocensi & Onomarcho Delphos occupauerant sacrilegij consortes. quos cùm odissent & deuotos refugerent omnes, palantes per Peloponnesum à Timoleonte fuerant aliorum militū penuria conscripti. Vt applicuerunt in Siciliam, in omnibus conflictibus, quibus interfuerat ille, palmam tulerant. Cùm verò essent plurima iam & maxima certamina explicata, alijs ab eo suppetias missi perierunt & absumpti sunt: non semel omnes, sed carptim. Atq; ipsa causetur vltio felicitate se Timoleontis inflictam illis fuisse, nequa ex vindicta sceleratorum attingeret noxa bonos. Itaq; fauorem erga Timoleontem cœlestium liceat non secus ex aduersis rebus quàm secundis admirari. Porrò populus Syracusanus procacitate tyrannorum vrebatur, Mamercus enim in poematibus scribendis & tragœdijs sibi placens, iactabat se in eo quòd milites mercenarios fudisset, clypeisq́ quos dijs dicauit probrosum elegium inscripsit:

Timoleon magno prælio fundit Carthaginēses.

Timoleon desertores Sicilia expulit.

Timoleontis felicitas.

Sacrilegi diuinitus pereunt.

Auro, ebore, electro pictos, ostroq́ nitentes
Vilibus hos clypeis cepimus en clypeos.

His actis dum in Calauria Timoleō castra mouit, Icetes fines Syracusanos incursans ingenti præda potitus est. Cumq́ multa fœdasset & afflixisset contemptu Timoleontis qui exiguas copias secum habebat, regressus est pręter ipsam Calauriam. Ille Icetem anteuertere permittens, cum equitatu & leui armatura consectatus est eum. De eo factus certior Icetes, transmisso Damyria substitit in ripa Timoleontem prohibiturus transitu. Quippe animum ei cùm vadi difficultas tum abrupta vtrinq; ripa dabat. Ibi decuriones Timoleontis mirificum incessit certamen & contentio quæ moram pugnæ fecit. nemo enim post alterum transire in hostem sustinebat, sed postulabat quisque priores pugnæ partes: eratq́ confusionis plenus transitus impellentium se mutuò & præcurrentiū. Ergo Timoleon iussis sortiri præfectis accepit annulum à singulis. quos cum in lacernam suam coniecisset & confudisset, primum fortè eduxit qui sigillo trophæum habebat insculptum. Quod vbi iuuenes viderunt, læto clamore sublato, non vltrà vllam expectauerunt sortitionem: verùm pro se quisq; ocyssimè superato fluuio conseruerunt cum hoste manus. At illi non substiterunt horum impetum, sed in fugam effusi, omnes pariter armis exuti, mille interfecti, desideratiq;. Post aliquanto induxit in fines Leontinos Timoleon exercitum. ibi Icetem viuum & filium eius Eupolemum, equitumq; præfectum Euthymum à militibus vinctos & ad ipsum attractos capit. Icetes cum adolescente vt proditores puniti, necatiq;. Eutymus etsi vir strenuus in prælijs & virtute esset præcellens, ob quoddam tamen in Corinthios conuitium quod ei obiecerunt, non est veniam consecutus. Ferunt eum, cùm Corinthij in eos mouerent, dixisse concionantem Leontinis, nihil terribile vel graue accidisse, .

Calauria, Siciliæ locus.

Timoleon fundit Icetem & capit.

Corinthiæ exijssent domo si fœminæ.

Ita multos lingua solet magis quàm tetra facta pungere: grauius enim contumeliam ferunt homines quàm detrimentum. Quippe offensio per manum hostibus vt necessaria concessa est: virulentia verò linguæ ex effuso odio videtur vel improbitate prodire. Regresso Timoleonte Syracusani vxores & filias Icetis eiusq; filij in cōcione damnatas necauerunt: quod omnium apparet fuisse Timoleontis factorum ingratissimum. Neq; enim ille si intercessisset ita eas fœminas fuisse existimant perituras: verùm nullam arbitror eum illarum rationem habuisse, sed condonasse eas ciuiū iræ Dioni, qui Dionysium exegit, parentantium. Icetes est enim ille qui vxorem Dionis Areten, Aristomachen sororem, & filium puerū admodum, viuos in pelagus mersit, vt in Dionis vita retulimus. Secundum hæc arma in Mamercum Catanam ferēs iuxta riuulum Abolum eum aciem ausum fudit, fugauitq́, ac supra duo millia oppressit: quorum erant magna pars auxiliares Pœni à Giscone missi. Inde Pœni pacem ab eo precibus impetrauerūt hisce legibus: vt tractum, qui intra Lycum est, tenerent: & liberum cuilibet esset cum pecunia & familia commigrare inde Syracusas: vtq; tyrannorum societati renunciarent. At Mamercus diffidens rebus suis nauigauit in Italiam ad concitandos in Timoleontem & Syracusanos Lucanos: sed cùm comites eius, qui reducebant naues, reuecti in Siciliam Timoleonti tradidissent Catanam, coactus ipse quoq; fuit Messanam ad Hipponem eius oppidi tyrannū confugere. Hos Timoleonte persequente & terra mariq; obsidente, Hippo fugam naue moliens captus est. Eum Mamertini sibi traditum, liberis ex ludo in theatrum ad tyranni supplicium velut pulcherrimum spectaculum ductis, flagro cæsum necauerunt. Mamercus vltrò se in fidē Timoleontis permisit hac lege, vt Timoleonte non accusante causam diceret Syracusis. Ductus Syracusas & in concionem progressus, orationem quam iam pridem commentatus fuerat exorsus est dicere. Verùm obstrepente sibi populo concionem cernēs implacabilem, abiecto pallio medio se proripit theatro: atq; impetu in vnum ex cuneis ad necem sibi consciscendam illisit caput. atqui non obtigit ei hic exitus: sed spirans adhuc abstractus & more latronum est plexus. Ad eum modum excidit Timoleon tyrannides, & bella sustulit. Totam autem insulam, quam calamitatibus deformatam & inuisam incolis accepit, ita pacatam et omnibus reddidit exoptatam, vt ad incolendum alij aduolarent eò, vnde profugerāt antè ciues. namq; Agrigentum et Gelam ingentes vrbes sub bellum Atticum à Pœnis excisas frequentauerunt tunc cultoribus: hanc Gorgus ex Cea, illam Megellus & Pheristus ex Elea profecti coactis veteribus ciuibus. Quibus cùm non modò præstitisset à tanto bello ad sedes ponendas securitatem & tranquillitatem, sed cætera quoq; præparasset atq; enixè iuuisset, cole

Linguæ petulātia odiosa.

Icetis & filij eius, vxores & filiæ necantur.

Timoleon Mamercum fundit.

Timoleon pacē cum Carthaginensibus facit.

Hippo tyrānus necatur.

Mamercus tyrānus occiditur.

Timoleon pacat Siciliam.

vt quotiescunque gesturi bellum essent cum nationibus exteris, duce vterentur Corinthio. Magnificam etiam mos concionum habendarum ad laudem eius præbebat speciem. nam disceptabant ipsi per se cætera: ad maiores verò deliberationes illum adhibebant. qui medio foro vehebatur curru ad theatrum, vehiculo in quo sedebat illato, populus vna voce appellabat salutabatq; illum. Ille reddita salute, cùm aliquid festis vocibus & laudationibus dedisset spacij, audiebat qua de re deliberarēt: inde sententiam suā dicebat. Qua comprobara reducebant currum per theatrum ministri eius: ciues autem voce, acclamatione, plausu cum prosecuti, cætera dispensabant per se. Cùm tanto honore & beneuolentia esset senectus eius sicut parentis ciuitatis culta, ex leui inualetudine cum senio coniuncta decessit. Spacio certo, quo Syracusani ea quæ ad funus pertinerent, parabant, & vicini peregriniq; conueniebant: cætera instructa fuerunt magnificè. Lectum delecti à populo iuuenes exornatum per Dionysiorum tunc dirutam regiā portauerunt: prosecuta est virorum & mulierum infinita caterua. quorum species omnium coronatorum & candidis vestibus amictorum festum diem repræsentauit. Iam voces & lachrymæ cum mortui confusæ laudibus, non honoris defunctionem nec munus publicè iniunctum, sed verum desiderium prætulerunt, & synceri gratiam amoris. Lecto deniq; in rogum illato, Demetrius præconum illius memoriæ omnium vocalissimus, scriptum decretum recitauit huiuscemodi: Populus Syracusanus sciuit Timoleontem hunc Timodemi filium Corinthium, quòd tyrannis obtritis, barbaris superatis, & amplissimis vrbibus quæ euersæ fuerant, incolarum multitudine frequentatis, leges suas Siculis reddiderit, ducentarum minarum impensa funerandum, honorandum insuper in perpetuum ludis musicis, equestribus, & gymnicis. Adhæc corpori monumentum in foro fecerunt, quod porticibus postea cinxerunt: ibiq; palæstris inædificatis parauerunt iuuentuti gymnasium, quod Timoleonteum appellauere. Atq; illi institutis vtētes & legibus, quas hic tulerat, perdiu in magna egerunt felicitate.


Timoleontis mors.

Timoleontis funus.

Syracusanorum in Timoleōtem decretum bonorificentissimum.

Timoleonteum gymnasium.

L. Paulus Aemilius.



EMILIORVM Gentem Romæ patritiam fuisse & vetustam plerique consentiunt scriptores: at eorum authorem, qui nomen reliquit familiæ, Mamercum fuisse Pythagoræ sapientis illius filium, qui ex dicendi lepore & venustate nomen inuenit Aemilij, prædicauerunt nonnulli qui Pythagoræ regis Numæ institutionem attribuunt. Maxima pars eorum, qui clarum nomen ex hac domo adepti sunt virtutis causa, quam persecutisunt, lætos successus habuêre. L. Pauli verò clades Cannensis iuxtà prudentiam atque virtutem declarauit. Vt enim adducere collegam in sententiam suam, pugna vt abstineret, nequiuit, prælij dedit se inuitus socium: consors fugæ non fuit, sed cùm author prælij deseruisset exercitum, mansit ibi, & pugnans cum hostibus cecidit. Huius Aemilia filia nupsit Africano maiori. filius Paulus Aemilius, de quo hic agimus, ea adoleuit & emicuit ætate, quæ gloria & virtute florebat clarissimorum & summorum virorum, & non eadem atque illius seculi nobiles iuuenes secutus studia, neq; eandem à primo ingressus viam. Neq; enim causas dicere in foro meditabatur, salutare, complecti, prensare: quibus rebus insinuantes se multi aurā popularem captabāt sedulò populum obseruādo, prorsus nihil curauit, neutrobi inhabilis: sed vtroq; excellētiorem fortitudinis, iustitiæ, fidei quæsiuit gloriā, quibus ilicò æquales suos anteiuit. Primùm ex maiorib. magistratibus ædilitius cādidatus duodecim competitoribus, quos postea omnes memorant consules fuisse, prælatus est. Augur creatus (Augures Romani auspiciorū & prodigiorū enunciandorum habent inspectores & custodes) ita veteribus institutis fuit intētus & perdidicit maiorum religionem, vt quod sacerdotium honor esse aliquis videbatur & peti nominis tantùm causa, vnam ostenderet id esse ex summis artibus: suffragareturq; philosophis, qui religionē definierunt colendi Dei scientiam esse. Omnia enim peritè faciebat & sedulò: ac cùm in hoc esset, feriabatur ab alijs: neque præter mittebat vel nouabat quicquam, verùm cum collegis semper disceptabat de minutis quoq;: docebatq; eos, vt facilem deum & conniuentem delictis existimes, at esse reipub. hanc condonationem & veniam grauem. nemo enim magno scelere ab initio rempub. turbat statim: sed maiorū curā conculcāt, qui soluti sunt in

Procemiū huic vitæ ab alijs præpositum Timoleonti præposuimus, vt fecerat Plutarchus.

Aemiliorum genus à Pythagora.

Pauli virtutes.

Pauli magistratus primi.

Pauli in repub. diligentia, etiā in minimis.

Disciplina militaris.

paruis. Parem se disciplinæ militaris maiorumq; exactorem & custodem præbuit. non blandiebatur in imperio, neq; quod eo tempore faciebant plerique, secundos magistratus ambiebat primis concedendo, & venditando se ijs quibus præerat: verùm tanquam sacrosanctarum aliarum antistes ceremoniarum, ita in disciplina militari singula præscribendo, contumaces & peccantes plectendo rempub. constituebat, institutionis ciuium hostes vincere propè accessorium ducens. Bello, quod populus Romanus cum Antiocho Magno gerebat, cùm præstantißimi duces essent contra eum misi, aliud exortum ab occidente est bellum, in Hispania motibus concitatis. Missus ad id est prætor L.

Paulus pro prætore in Hispaniā missus.

Paulus, non cum sex fascibus, quot prætores habent, sed additis sex alijs. Ita huius prætura dignationem accepit consularem. Bis barbaros acie fudit triginta millibus cæsis. Videtur ea victoria planè prudentiæ attribuenda ducis, qui loci opportunitate & amnis cuiusdam transitu procliuem militibus dedit victoriam. Ducenta quinquaginta oppida vltrò venientibus in fidem incolis in potestatem redegit. Prouincia pace & fide composita decedens, Romam est reuersus, ne teruncio quidem ex bello opulentior.

Pauli abstinentia.

Pauli vxores & liberi.

† Alij Mnasonis legũt & hic & apul. Liu. lib. 26

Fuit etiam aliàs minùs ad rem attentus: splendidus tamen & liberalis ex præsenti copia, quæ ampla non erat, sed vix doti quæ debebatur vxori post obitum eius soluendæ. Papiriam duxerat † Massonis viri consularis filiam: quam cùm lõgo spacio in matrimonio habuisset, licet egregiam sobolem sustulisset ex ea, repudiauit. Hæc fuit, quæ inclytum illum Scipionem & Fabium Maximum genuit: cur eam dimiserit, non peruenit ad notitiam nostram causa, sed apparet verè dictum quod fertur de diuortio, Romanus quispiam nunciũ vxori remiserat. Hic corripientibus eum amicis, quærẽtibusq;: non'ne casta, non'ne formosa, non'ne fœcunda est? prolato calceo: Non'ne ornatus est hic, inquit, non'ne nouitius? At nemo videt vestrûm, vbi pedẽ meũ vrgeat. Profectò magna peccata aperta diuortium excitauerunt inter alios cõiuges. Illæ ex asperitate quadã & dissidentia morum leues & crebræ offensiones prætereunt quidẽ alios: verùm alienationes efficiunt in consuetudine domestica implacabiles. Ita relicta Papiria alteram Paulus sibi matrimonio adiunxit, ex qua duos filios editos retinuit in familia. Priores summis & nobilißimis domibus per adoptionem inseruit: maiorem Fabij Maximi, qui consul quinquies fuit, minorem Scipionis Africani filius consobrinum suum adoptauit, Scipionemq; nominauit.

Tuberonis virtus, & Tuberonum paupertas & concordia.

Filiam vnam Pauli Catonis filius secum matrimonio iunxit: alteram Aelius Tubero vir optimus, & qui magnificentißimè tulit paupertatem. nam sexdecim propinqui omnes erant Aelij. Aedes his erant perangustæ, prędio omnes vno se tolerabant, qui vno in domicilio babitabant cum numerosa sobole & multis vxoribus: inter quas fuit Pauli, qui bis consul fuerat, bis triumphauerat, filia, verecundiam paupertatis viri non habens, sed perquàm erat pauper admirans virtutem. At huius temporis fratres & cognati, nisi regionibus, fluminibus, murorum diuortijs distinxerint communia, & multum inter se spacij interiecerint, non cessant à mutuis contentionibus. Hæc consideranda & reputanda consilium admittentibus suggerit historia.

Pauli consulis expeditio in Ligures.

Porrò Paulus consul factus in Ligures subalpinos cum exercitu profectus est bellicosam gentem & ferocem, qui peritiam bellicam à Romanis discebant ex vicinitate. nam extremam oram Italiæ & Alpibus subiectam, eamq; Alpium quæ mari Tusco alluitur Africæ ex aduerso posita, colunt Gallis & marinis commixti Hispanis. Tractabant id temporis etiam rem maritimam, nauigijsq; piraticis vsq; ad columnas Herculis prouecti spoliabant & depredabantur mercatores. Hi inferentem arma XL millia numero exceperunt Paulum: ille nõ plus octo millibus

Paulus subegit Ligures.

secum ducens cum quintuplo pluribus hostibus signa contulit. Vt fusos fugatosq; muris inclusit, veniæ & pacis ostendit ijs spem: neque enim placebat populo Romano gentem Lygusticam prorsus excindere quasi præsidium & propugnaculum Gallicis motibus semper in Italiam ingruentibus obiectum. itaq; in fidem Pauli naues & oppida sua tradidêre. Hic vrbes nulla re, nisi quòd muros diruit, violatas reddidit ijs, naues omnes ademit, nauigiumq; reliquit trium scalmorum nullum maius, multos externos, multosq; ciues Romanos ab illis terra mariq; captos recepit. Fuit ille consulatus bis rebus gestis clarus. Pòst cùm sæpius declarasset se secundum consulatum cupere, & verò aliquando fuisset etiam candidatum se professus: vbi tulit repulsam & præteritus est, quieuit deinceps,

Paulus repulsam passus, quẽadmodum instituit liberos.

& sacris curam intendit, filiosq; in disciplina Romana & veteri, quomodo ipse antè fuerat, exercuit. Verùm in Græca ambitiosius. non solùm enim Grammatici & Sophistæ & rhetores, sed plastes quoque, pictores, equorum & catulorum rectores, magistri venandi cum adolescentibus versabantur. Pater in liberos Romanorum indulgentißimus,

Populi Romani ignauia.

tissimus, nisi negocijs publicis districtus, spectabat meditantes & exercentes se. Ea tem pestate, quod ad rempub. pertinet, cum Perseo rege Macedonum bellum gerens populus Romanus criminabatur duces: quòd imperitia & ignauia rempub. turpiter & fœdè administrarent, & plus acciperent detrimenti quàm inferrent. Qui enim modo Antiochum cognomento Magnum reliqua cedentem Asia vltra Taurum summouerant, atque in Syriam redegerant (cùm præclarè tamen secum agi putaret, quòd quindecim millibus talentorum redemisset pacem) pauloque ante in Thessalia Philippum oppresserant, atque liberauerant à Macedonum iugo Græcos, & cui rex nullus audacia vel viribus erat conferendus, deuicerant Annibalem: indignum existimabant, cum Perseo se tanquã populi Romani iusto aduersario diu iam æquo decertare Marte, qui à paternæ cladis reliquijs secum belligerabat: nescij Macedonum vires longe à victo Philippo valentiores redditas & pugnaciores: quod strictim percurram rem ex alto repetens. Antigoni, qui in Alexandri successoribus & ducibus potentissimus fuit, parata sibi posterisque appellatione, regis filium Demetrium habuit: cuius fuit Antigonus filius Gonatas dictus, huius Demetrius. Qui cùm non diu regnasset, filio ætate impubere relicto Philippo decessit. Principes verò Macedonum veriti confusionem, quòd orbi rege forent, Antigonum defuncti patruelem asciuerunt, eique collocata Philippi matre primùm tutorem atque ducem, deinde moderatum & regno experti vtilem, regem consalutauerunt. Hic Doson cognomento vocatus fuit, quasi promissor non effector pollicitorum. Huic succedens Philippus inter præstantissimos reges adolescens emicuit, præbuitque de se expectationem tanquam Macedoniam in antiquam asserturus maiestatem, & solus incubãtem iam omnibus potentiam Romanam retenturus. Cæterùm magno prælio apud Scotusam à T. Quintio superatus, tunc quidem metu trepidans omnia sua populo Romano permisit: ac moderata mulcta defunctus acquieuit. Pòst anxius, & regnum obtinere beneficio populi Romani ratus captiui potius esse, qui viuere contentus sit in luxu, quàm viri celso & alto animo præditi, cœpit bellum animo voluere, seque clàm & astutè parare. nam vrbes viæ propinquas & marinas debilitari permittens & aliquatenus desolari, quo despectui esset, magnas vires in medio regno coegit: Mediterraneas, præsidia, & vrbes magna vi armorum, pecuniæ & iuuenum complens, instruebat bellũ comprimebatque velut in tenebris abditum. armorum enim, quantum triginta millibus militum sufficeret, congesserat in armaria. frumẽti intra muros clausi decies octingenta millia medimnorum. Stipendium in decem annos decem millium mercenariorum militum ad tutelam regni præparatum. Cæterùm ille antè, quam hæc moueret & in opus educeret, tristitia & mœrore animi est extinctus: quòd alterum filium Demetriũ resciuisset ex calumnijs se deterioris immerentem interfecisse. Superstes filius eius Perseus hæreditarium cum regno in Romanos suscepit odium, tantæ moli ob ignauiam & improbos mores impar: in quo, cùm vitia multa multique morbi inessent, dominabatur auaritia. Fama est eum nec legitimè fuisse natum: vxorem autem Philippi eum post partum sustulisse à matre sartrice quadam Argolica, † Gnathænia nomine, & clàm sibi subiecisse. Hinc potissimùm videtur metu Demetrium peremisse, ne legitimum habens filium domus suam aperiret ignobilitatem. Attamen quamuis socors & sordidus viribus regni elatus diu bellum sustinuit reluctatusque est Romanis: duces Romanos consulares, exercitus & classes ingentes repulit, nonnullos etiam pepulit. nam P. Licinium inuadentem primum in Macedoniam equestri prælio fudit, fugauitque: duo mille quingentos strenuos milites occidit, cepit alios sexcentos. Classem, quæ ad Oreum stationem habebat, repentè adortus viginti cum ipso onere naues onerarias cepit: reliquas frumento onustas depressit. Adhæc quatuor quinqueremibus potitus est, & alteram est pugnam ausus, in qua virum consularem retudit Hostilium. quem per Elimiam in Macedoniam vi conantem perrumpere, inde occultè iter molientem per Thessaliam lacessens ad pugnam conterruit. Pro accessione autem belli, quasi contemptis Romanis ocio abundaret, expeditionem fecit in Dardanos. Ibi decem millia barbarorum concidit, & ingentem prædam auertit. Solicitauit etiam clàm illos, qui Danubium accolunt, Gallos, Bastarnæ dicuntur, gentem equitatu valentem & bellacem. Illexit præterea per Genthiũ regem ad societatem belli Illyrios. Fama tenuit barbaros ab eo mercede inductos, vt per inferiorem Galliam secundum mare Adriaticum superfunderent se Italiæ. Quæ nunciata mouerunt populum Romanum, vt omissa in ducibus deligendis gratia atque ambitione, virum prudentem & rerum magnarum gerendarum peritum

Antigoni regis Macedoniæ successio.

Philippi apparatus ad bellum Macedonicum secundum.

Philippi Regis mors.

Persei vitia.

† In Arato ad fin. est, Gnathænio

Persei res gestæ.

Pauli ætas & robur, cùm contra Perseum eligeretur.

peritum præficerent exercitui. Is Paulus Aemilius erat prouecta iam ætate & annos natus circiter sexaginta: sed corpore viuido, succinctus propinquis & filijs iuuenibus, item præpotentium amicorum frequentia & necessariorum. qui omnes suaserunt ei, vt consulatum deferenti morem gereret populo. At ille fastidiosius primùm rejciebat plebem, & quasi auersus à magistratu gerendo repudiabat munus eius & studium. Verùm cùm quotidie asidui essent ad ianuam eius, atque in forum eum euocarent increparentque, paruit. Qui simul vt in cœtu candidatorum consularium apparuit, non consulatum visus est accepturus, sed victoriam & belli lætum successum adferre. Cùm hoc populo dedisset, vt in campum descenderet, omnes eum ingenti cum spe & alacritate acceperunt, creaueruntque iterum consulem: nec sortiri vt assolet in alijs prouincijs permiserunt, sed extemplò prouinciam ei Macedoniam decreuerunt. Dicitur cùm dux designatus aduersus Persen esset, à toto populo deductus domum honorificè, filiolam Tertiam admodùm puellã offendisse plorantẽ, eam appellasse, & quid tristis esset, quæsisse. Illã eum complexã & deosculatã dixisse, Nescis pater Persen nostrũ perisse: catellũ domesticũ eius nominis significans. Paulus autem respõdisse: Bene habet, accipio filia omen. Hoc Cicero orator in libris de Diuinatione prodidit. Moris erat, vt qui cõsalutatus cõsul esset, quasi aliquam gratiã referret populo, eumque pro rostris benignè appellaret. At Paulus aduocata concione, priorem ait se consulatum, quòd honores quæreret, petisse: alterum, quòd illi quærerent imperatorem. Quare nullam se ipsis habere gratiam, sed si per alium existiment rectiùs ipsos bellum executuros, cedere se prouincia: sin autem id sibi credant, ne muneri imperatorio ingerant se, rumores ne serant, & debitum munus præstent in bello obedienter. nam si imperatori animũ inducant imperare, multo quàm nunc magis ridiculos in expeditionibus fore. Hac oratione magnam sui reuerentiam ciuibus, magnam futuri expectationem impresit: gratulantibus cunctis, quòd præteritis blandis ducem elegissent libertate dicendi & grauitate præditum. Ita quò rerum potiretur & omnium euaderet maximus, virtuti & honesto populus Romanus seruiebat. Porrò quòd Paulus Aemilius, postquam ad bellum est profectus, secunda nauigatione & facili vsus itinere expeditè & securè peruenerit in castra, felicitati eius asigno: at cùm bellum & imperium eius partim acri audacia videam, partim bono consilio, partim amicorum enixa opera, partim præsenti in periculis animo & certis rationibus administratum, non habeo celebratæ eius felicitati præclarum & insigne opus vt cæterorum ducum tribuere. nisi sanè rebus gestis Pauli dicas secundam fuisse fortunam Persei sordes: quæ splendidas & magnificas Macedonum vires spe ad bellum arrectas euerterunt, & prostrauerunt pecuniæ amore torpescentes. Siquidem suppetias ei Bastarnæ veniebãt decẽ millia equitum, par numerus peditum, qui iungebant cursum equis, & inuicẽ prolapsorum equitum vacuos capiebant equos, omnes mercede militiam sequentes: qui nec agriculturam nec nauicularíam nossent, nec pecore pascendo vitam tolerare, verùm vnum opus, vnam meditarentur artem, perpetuò præliari & vincere acie hostes. Hi postquam in Medica vnis castris fuerunt cum Macedonibus commisti, proceris corporibus viri, mirabili exercitatione, grandiloqui, & mirificè aduersus hostes minaces, confirmauerunt Macedonas, opinionemque præbuerunt ijs, fore vt exhorrescerent nec tolerarẽt Romani conspectum eorum, vel horrendam & trucem iactationem. Ad eum modum cum Perseus suorum pectora acuisset, & tanta inflasset spe, simul vt postulati ab eo sunt milleni in duces aurei, ad tantam auri summam vertigine hebescens, & dementia præ sordibus captus, renuntiauit repudiauitque hanc societatem: tanquam dispensator non hostis esset populi Romani, & exactam impensæ esset rationem relaturus his, cum quibus bellum gerebat, cùm præceptores, quid faciundum ipsi esset, haberet eos quibus præter alium apparatum centum millia militum erant parata & prestò cùm vsus postularet. Hic verò qui cum tantis viribus & cum tanto colluctabatur bello, cuius tam essent ingentes accessorij in milites sumptus, metiebatur & obsignabat aurũ, veritus sicut alienum attingere. Atque hæc faciebat is, qui non Lydis prognatus nec Phœnicibus esset: sed Alexandri & Philippi vendicaret ex propinquitate virtutem. qui, quòd imperium pecunia, non pecuniã imperio venalẽ ducerẽt, rerũ sunt potiti: dicebant enim vrbes expugnare Græciæ nõ Philippũ, sed Philippi aurũ. Alexãder, cùm expeditionẽ in Indos suscepisset, graues aũt & impeditos videret præda Persica Macedonas, primus flãmã subdidit regijs plaustris: inde cæteros induxit, vt se imitati ad bellũ agiles & expediti pergerẽt. Perseus verò aurũ sibi, liberis & regno suffundens, noluit pauco seruari: sed cũ multis abductus

Paulus iterum consul prouinciam accipit Macedoniam.

Omẽ Paulo oblatum.

Res à Paulo gestæ fortunæ an virtuti attribuendæ.

Persei auxilia Bastarnæ.

Persei sordes.

Persei cum Philippo & Alexandro collatio.

ctus pecuniosus captiuus ob oculos ponere voluit populo Romano ꝙ multis in vsum eorũ cõparsisset, sepostuisſetq;. Neq; Gallos modò remisit delusos, verùm etiã Illyriorum regem Genthium ad belli societatem spe trecẽtorum talentorũ pellexit, pecuniamq; legatis eius annumerauit & signare permisit ijs. Vbi credidit tenere se quæ poposcerat Genthius, nefandum peregit & atrox facinus. legatos Romanos, qui missi ad se erant, apprehensos coniecit in custodiam. Ibi nihil iam pecunia ratus ad concitandum in Romanos Genthium opus esse, sed contraxisse eum maximas necessitates ad hostilitatem, & in bellum se per iniuriam tantam demisisse, miserum trecentis illis talentis defraudauit: nec curæ ei fuit quòd paucis diebus à L. Anicio, qui cum exercitu in eum fuit missus, cum liberis & coniuge veluti ex nido sustolleretur regno. Aduersus hunc Paulus aduersarium veniens, illum flocci pependit, apparatum non contempsit. Equitum erant ei quatuor millia, pedites Phalangitæ non multo minùs quadraginta millia. Ille ad mare sedens sub Olympo locis impenetrabilibus, quæ vndique præsidijs ab ipso & propugnaculis ligneis erant septa, securus agebat: attriturum se tempore & sumptibus consulem ratus. Enimuero hic animo in omne consilium intentus, & omnem mouens lapidem, cùm milites ex priore licentia moræ cerneret impatientes, verbisq; multa quid factum oportuisset, quasi duces forent, inaniter iactantes, increpuit eos, edixitq; ne se torquerent, nec quicquam curarent, nisi vt corpus & arma sua quisque præstaret expedita, gladioq; more Romano vteretur, vbi signum datum ab imperatore esset: nocturnas stationes sine lancea agerent, quò magis essent intenti, & resisterent somno, quòd ingruentibus hostibus non valerent resistere. Quia verò infestabatur potus penuria exercitus potissimùm, exiguus enim & prauus scaturiebat & stillabat iuxta mare haustus: videns Paulus excelsum & nemorosum montem imminentem Olympum, ac conijciens syluæ virore habere eum laticum scaturigines, quæ in imo clàm fluerent, lacus ijs & puteos frequentes aperuit in latere montis. qui mox riuis puris affluentibus impleti sunt: tractu & impetu eius, quod astrictum antè fuerat, ad vacuum delato. Quamuis sint qui negent aquæ paratæ fontes in locis vnde emanant reconditos esse, neque in emanando detegi & erumpere: verùm generari & procreari tunc liquescente materia. Liquescere autem densitate & frigore humidum vaporem, cùm in alto astrictus redditur fluidus. Vt fœminarum vbera non vtrium modo plena sunt affluentis præsentis lactis, sed conuertendo intra se humore efficiunt lac, percolantq;: ita algentia, & fontibus scatentia terræ loca thesauros, vt aiunt, non continent aquæ, neque sinus qui riuos & vim tantorum fluminũ ex prompto & expedito effundant capite, sed auram & aëra premendo, spissandoq; exprimentes vertunt in aquam. vnde quæ aperiuntur loca ex ea tinillatione scaturiunt potius & resudant, sicut mulierum mammæ ex suctu, in humorẽ vertentia & fundentia vaporem. Quæ verò iacet illaborata tellus & obstipata, ea cæca gignendis aquis est, quòd authore humoris deficiatur motione. Atqui hæc qui iactitant, occasionem dederunt astruendi Scepticis, ne sanguinem quidem inesse in animantibus, sed ex vulnere gigni spiritu vel carne per mutationem fluescente & colliquescente. Cæterùm reuincunt hos illi qui occurrunt in imis cuniculis & metallis fluuij: haud paulatim collecti, quòd oportuerat si natales, accipiant ex terra in præsenti agitata, imò prorumpentes confertim. Sæpe etiam montibus vel saxo, cùm cæderetur, rupto riuus aquæ exilijt largus: inde substitit. Verùm de his satis. Paulus per aliquot dies quieuit, negantq; tantam vnquam exercituum tam ingentium in propinquum collatis castris auditam quietem. Cùm omnia moueret & tentaret, neque præter vnum, qui non esset præsidijs infessus, superesse audiret transitum per Perrhæbiam secundum * Pythium atque eam rupem: quia incustoditus hic erat locus, magis sperans, quàm propter quas stationem non habebat timẽs salebras & asperitatem, posuit rem in consilio deliberandam. Eorum qui in consilio erãt primus Scipio, cognomento Nasica, Scipionis Africani gener, cuius fuit postea authoritas in senatu maxima, professus est ducem se fore ambitus: secundus Fabius Maximus Pauli Aemilij filiorum maximus, admodum adolescens alacris exurrexit. Igitur lætus Paulus attribuit ijs: non quot Polybius tradidit, sed quot ipse se accepisse Nasica ait, qui epistolium de his gestis ad regem quendam scripsit. Ex cohortibus Italicensibus extraordinarij milites erant tria millia numero: sinistrum cornu ad quinq; millia. Præter hos acceptis Nasica centum viginti equitibus, & quos Harpalus miserat mixtos Thracas & Cretenses ducentos, versus mare intendit iter, & iuxta Heracleam castra metatus est: velut circumnauigaturus classe, & castra hostium circumuenturus. Verùm cœnatis militibus,

Gẽthius Illyriorum rex iũgit se Perseo. Hic est ille Gẽthius à quo Gẽthiana & inuenta & nominata fuit: vt Dioscor. li. 3, et Plin. 25. cap. 7 testantur.

Gẽthius rex à L. Anicio deuictus.

Pauli monitio ad milites.

Fontium origo.

Comparatio fontium cum vberibus.

Scepticorum de sanguine opinio.

* Liu. habet Pythoum: Ptol. libro 4. Pytheũ.

bus, cùm iam tenebræ essent, exposuit ducibus quid pararet: ac diuersam à mari viam ingressus consedit sub Pythoo militibus'que, vt quietem caperent, edixit. Eo loco Olympus supra decem stadia assurgit: quod ille, qui ita dimensus est, hoc epigrammate ostendit.

Olympi altitudo.

A fano Pythij vertex sublimis Olympi
Mensuram stadij decies sustollit in altum, &
Sextantis, perpendiculo vt dimensio facta est:
At pedibus quatuor est tamen illa minor.
Filius Eumeli mensuram prodidit istam
Zennagoras: at tu rex bone faustus ades.

Tametsi nec montis altitudinem ferant geometræ, nec profunditatem maris decem stadia excedere: at Zenagoram non obiter, sed via & ratione atque instrumentis inisse apparet mensuram. Ibi Nasica pernoctauit. At Perseo consulem cernenti non se moue-re, nec reputanti quod in manibus erat, transfuga Cretensis in itinere elapsus, circuitionem indicauit Romanorum. Ille pauefactus castra non mouit, sed mercenariorum militum decem millia, Macedonum duo duce Milone misit: imperans vt maturaret & occuparet saltum. Hos, vt ait Polybius, adhuc sopitos adorti sunt Romani: Nasica ancipitem in vertice dimicationem & periculum extitisse, se etiam Thracem conductitiũ congressum secum traiecto hasta pectore interemisse, deiectisq; hostibus & Milone turpiter in tunica abiectis armis fugiente tutò secutum se, simulq; deduxisse agmen. Eo casu trepidans Perseus & languescens, spe propere retrò mouit exercitum. Verumtamen aut subsistere necesse habebat pro Pydna & aleam experiri Martis, aut dissipato exercitu circunlatum per vrbes excipere bellum: quod semel domi receptum nisi magna cæde & multo sanguine haud poterat emitti. Cæterùm quia suggerebant amici copiarum numero ibidem eum esse superiorem, ac fortissime Macedonas pro coniugibus & liberis sub oculis regis in discrimen offerentis se dimicaturos: ita animatus castris positis parauit se ad prælium, regionem speculatus est, præfecturasq; distribuit, quasi ex itinere Romanos inuasurus. Locus campum habebat phalangi planiciem æquabilem requirenti opportunum, & continentes complures colles leui armaturæ & ferentarijs ad receptum & circumcursandum commodos. Per medium amnes Aeson & Leucus labentes, quamuis tenui alueo ea tempestate, quòd esset præceps iam æstas, aliquid videbantur negocij tamen præbituri Romanis. At Paulus, vbi se coniunxit Nasicæ, incessit quadrato agmine in hostes. Vt illorum aciem & numerum contemplatus est, stupefactus substitit, cœpitq; aliquid secũ agitare animo. Nobilissimi iuuenes qui pugnare gestiebant, adeuntes consulem orauerunt eum ne extraheret rem. ac præ cæteris Nasica Olympico clatus successu. Cui Paulus arridens, Sane quidem, inquit, si tua sim ætate: sed multæ me victoriæ, quæ victorum me docuerunt offensa, ex itinere vetant cum instructa iam phalange & composita manus conserere. Inde frontem exercitus sui per cohortes speciem iubet efficere aciei, & postremos conuertere se ad vallum ibidem iaciendum & castra munienda. Ita silentio subductis, qui proximi extremos stabant, & orbem voluentibus, aciem imprudentibus hostibus explicauit, & in castra sine tumultu omneis duxit. Cùm iam nocte à cœna corpora somno & quieti dare vellent, ecce luna pleno orbe & sublimis obscurata est, fugienteq; lumine in varios vertit colores, dum condita est. Hic cùm Romani de more æris crepitu lumen eius reuocarent, frequentesq; flammas tedis facibusq; ad cœlum porrigerent, longè diuersa egerunt Macedones: quorum castra horror stuporq; tenuit, rumorq; sensim est per castra vulgatus, portendere hoc regni occasum. Paulus verò qui tyro non erat neque rudis inæqualitatum eclipticarum, quæ statis circulis vmbra terræ condant & inopacent lunæ orbem, dum offuscantem prætervecta regionem iterum à sole illustretur, oppido religiosus tamen deditusq; dijs placandis & auguriorum peritus, vt primum renitescere conspexit lunam, immolauit ci vndecim iuuencas. Luce prima cùm sacrificaret Herculi, hostijs viginti nõ litauit. Tandem prima & vigesima læta exta fuerunt, victoriamq; defendentibus se non lacessentibus hostem spopondere. Igitur centum bobus & ludis deo votis, imperat legatis vt instruant aciem. Ipse tantisper moratus, dum sol vergeret in occasum circumactus, ne lumen solis quod erat suis ex aduerso, matutino tempore oculos eorum perstringeret: sedensq; in tabernaculo suo, quod campos & hostium castra spectabat, terebat tempus.

Nasica occupat angustias Macedoniæ.

Pauli cautio ne pugnam incat.

Lunæ defectus.

Lunæ defectus caussæ.

Incli-

Pauli pugna cū Perseo.

Indinato in vesperum die ab ipso Paulo quidam authores sunt, quo hostes pugnam primi lacesserent, struente equum fuisse detracto freno expulsum, & nonnullos Romanos ad eum retrahendum emissos, atq; hinc, dum hi persequuntur equum, contractum certamen. Alij Thracas, quibus præerat Alexander, in apportantia pabulum Romanorū iumenta impetum dedisse: aduersus hos septingentos Ligures acriter excurrisse: atq; cùm plures vtrisque subsidio venirent, ita commissum prælium. Consul ex præsenti fluctu & motu exercituum, vt gubernator molem prospiciens instantis conflictus, prodijt ex tentorio, legionesq; adijt & adhortatus est: Nasica autē qui prouectus erat ad excursiones, totum hostium exercitum cernit pugnam capessentem.

Macedonum acies.

Primam aciem tenebant Thraces, quorum dicit maximè terribilem aspectum fuisse, viri corporibus eminentibus. His erant candicantia & resplendentia scuta, ocreisq; tecti & saga induti nigra, directas frameas ferro graues à dextris humeris intentabant. Iuxta Thracas intercalati erant mercenarij milites: quorum erat varia armatura, erantq; his mixti Pæones. Hos tertia acies sequebatur, delecti Macedones virtute & flore iuuentutis præcipuo, auratis armis & nouis amiculis micantes puniceis. Pone quos instructos Phalanges chalcaspidum emicantes ex castris splendore ferri & æris fulgore campum clamore, strepituq; cohortantium montes compleuere. Tanta autem ferocitate & pernicitate sese intulerunt, vt qui occubuerunt primi, duobus stadijs ceciderint ab Romanis castris. Cùm infestæ incurrissent legiones Macedonum, aderat consul, eosq; offendit extremas hastas in scuta Romanorum adigentes, quos contingere Romani cominùs non poterant gladijs. Vbi iam reliquos quoque Macedonas detractis ex humero parmis, atque hastis vno signo inclinatis legionarios excipientes, roburq; vidit consertæ aciei & asperitatem frontis hastis horrentis, stupore & terrore correptus est: quòd spectaculum nunquam esset cōtemplatus horribilius. ac postmodum illius metus sui & speciei meminit subinde. At in præsentia aciem celso & læto ore obequitauit sine galea & lorica.

Perseus discedit ex acie.

At rex Macedonum, vt Polybius tradit, commisso prælio in oppidum Pydnam, se magna ignauia subduxit per causam sacrificij Herculi faciendi, trepida à trepidis non recipienti sacra, nec vota admittenti nefanda. neque enim fas est, vt qui non iaculatur, destinarum feriat: neque qui locum nō tenuit, is ferat palmam: neq; vt habeat socors successum, neq; vt sit malus beatus.

Labore non desidia paratur uictoria.

Sed Pauli precibus volens propitiusq; annuit deus: quippe petebat victoriam belli & palmā hastam tenens, pugnansq; opem implorabat Dei.

Posidonius historicus.

Verùm Posidonius quidam, qui æqualem temporum illorū esse se & illis gestis refert interfuisse, in libris Historiarū quos de Perseo scripsit complures, timiditate negat vel sacrificiū causatum discessisse: sed pridie quàm pugnaretur, crus eius ab equo fuisse calce percussum. In prælio quamuis haberet incommodè & vetarent amici, equum viatorium imperasse admoueri sibi, atq; ita vectum phalangi se immiscuisse inermem. Cùm autem magna vis hinc inde volitaret missilium, paltum ferreū in eum decidisse: nec cuspide attigisse tamē, sed obliquùm prætерlapsum dextero latere esse, ac libramento tunicam eius discidisse, carnemq; perstrinxisse cæca vibice, cuius diu vestigium manserit. Hanc pro Perseo adsert Posidonius defensionem. Porrò Romani cùm hastis occurrentes non valerent Phalangem impellere, Salius qui Pelignos ducebat signū cohortis suæ raptum torsit in hostes: quò cùm Peligni (Nefas est enim & piaculum Italis signum suum deserere) inserrēt se, atrox vltro citroq; ex eo conflictu illata & accepta clades est. Siquidem hastas hi gladijs elidere & repellere scutis enitebantur, atq; ipsis manibus prensantes eas traijcere. Illi infestas hastas ambabus tenentes manibus, & in quos incidebant, hos cum ipsis armis transuerberātes: quia nec scutum nec lorica resistere violentiæ valebat hastæ, in caput corpora statuebat Pelignorum & Marrucinorum, qui temerè & furore beluino in vulnera & apertum ruebant discrimen. Ita contrucidatis antesignanis, impulsi sunt qui proximè stabant, subsidiani. Nondum quidem fugam capiebant, referebant pedem tamen ad montem, quem Olocrum vocant. Quod cernens consul, vt est author Posidonius, concidit paludamentum suum: quòd partim proni in fugam essent: partim cæteri Romani nusquam patētem declinarent phalangem, sed quòd hastarum strue instar valli ingrueret vndequaq;, intolerabilem.

Pauli Aemilij strategema.

Quia verò loco inæquali non seruabat ob longitudinem suam acies consertam testudinem, aduertitq; Paulus multis locis interruptam Macedonū phalangē esse, ac multa aperuisse interualla: vt fieri in magnis exercitibus solet, varijs pugnantium impressionibus hinc impulsam hinc instantem, properè aduolās dissolutis ordinibus imperat, quà data interualla essent & hiabat hostium acies, vt insinuarent se & pugnarent: non vno lo

co cũ cunctis, verùm cateruatim multa prælia & confusa sererent. Ea vbi Paulus duces, duces docuerũt milites, vt primùm subierunt & penetrauerunt ordines illorum, hinc in nuda latera Macedonũ incurrentes, illinc à tergo eos circumuenientes, vis & opus commune diuulsa phalange est dissolutum. Cùm verò pede collato vir cum viro, & manipulatim pugnarent, minutis ensibus Macedones firma fodientes & prælonga scuta: leuibus autem parmis non satis illorum gladios, qui pondere atq; ictus impetu per omnia tegumẽta penetrabant ad corpora, sustinentes auertũtur. Hoc loco acriter dimicatum est.

Catonis filij fortitudo.

Vbi Marcus Catonis filius consulis gener, dum fortissimè pugnat amittit gladium: qui vt adolescens plurimis imbutus præceptis, & ingenti patri ingentis virtutis specimina debens, vitam sibi acerbam putauit si spolia sua viuentis permitteret hostibus. Itaque inserit se in ordines pugnantium: ac sicubi amicum aut familiarem cernit, exponit casum suum, opemq; petit. Qui multi fortesq; cursu vnoq; ardore via per alios facta incurrunt illo duce in hostes, atque his magno certamine multaq; cæde & vulneribus impulsis, locũ desertum & nudum occupant, & ad vestigandum sese conferunt gladium. Quem vt tandem in magno armorum & cadauerum aceruo repererunt abditum, exultabundi ouantesq; longè validius ordinibus hostium, vbi adhuc integri sint, incumbunt.

Pauli de Perseo victoria.

Postremò tria millia delectorum, qui in acie perstabant & dimicabant, occidione sunt trucidati: cæterorum in fugam effusorum ingens data strages. Campus & colles cadaueribus oppleti: Leuci fluuij, quem transierunt postridie quàm pugnatum esset Romani, vndæ sanguine etiamnũ infectæ fuerunt. nam super viginti quinque millia dicuntur cecidisse. Ex Romanis desiderati, vt tradit Posidonius, cẽtum: vt Nasica, octoginta. Hæc vsque adeò cruenta pugna breuissimè decreuit: nona hora cùm affectassent prælium, ante decimam profligauerunt hostẽ. Quod supererat diei in consectandis hostibus consumpto, cùm ad quindecim millia passuum insecuti eos essent, iam nocte receperũt se. Ac cæteros serui occurrentes ad faces cum gaudio & plausu in tentoria luminibus fulgentia, hæderaq; exornata & lauro reduxerunt.

Scipionis minoris virtus.

At ipsum imperatorem ingens solicitabat luctus. nam ex duobus eius filijs qui militabant sub ipso, nusquam apparebat minor quem præcipuè habebat charum, & inter fratres animaduertebat indole ad virtutem esse præcellentissima, animosum autem & gloriæ auidum quamuis admodum adolescentem omnino putabat perisse rudem ad ista, permixtum in pugna cum hostibus. Exanimationem & mœrorem eius totus sensit exercitus, atq; inter cœnandum exilierunt ac cum facibus discurrerunt: multi ad prætorium, multi pro vallo, vt inter eos qui primi ceciderant, inuestigarent adolescentem. Mœstitia castra, vociferatio campos tenebat Scipionem inclamantium: mox enim à prima ætate omnibus virtutibus ad imperandum & rempub. gerendam instructus fuit à natura vt nullus alius æqualium & temperatus. Seriùs tandem iam propè deploratus ab insequendo cum duobus aut tribus sodalibus rediјt recenti hostium cruore oppletus: sicut generosus catulus præ voluptate nimium victoria ablatus. Hic ille est Scipio, qui postmodum Carthaginem & Numantiam excidit, ac qui suæ memoriæ Romanorum longè virtute primus plurimum habuit authoritatis. Cæterùm huius decoris consuli fortuna, in aliud tempus reijciens inuidiam, tunc solidum gaudium dedit victoriæ.

Persei fuga.

At Perseus à Pydna Pellã profugit. Equitatus eius penè integer euasit ex pugna. Pedites verò cùm assecuti equites essent, eosq; tãquam imbelles & proditores insectantes ex equis deturbarent, ac vulnera ijs infligerẽt: metu Perseus tumultus equum via deflexit, & ne nosceretur, detractam chlamydem prę se posuit, tenuitq; manibus diadema. Iam quo cum amicis in itinere colloqueretur, ad pedes digressus traxit equum manu. Illorum alius calceum simulans solutum astringere, alius adaquare equũ, alius sitire, à tergo relicti & paulatim dilapsi sunt: quòd non tam hostes, quàm illius formidarent sæuitiam.

Persei crudelitas & auaritia.

quippe miserijs perculsus, in omnes quærebat à se causam auertere cladis. Postquã Pellam nocte ingressus Euctum & Eudæum ærario præfectos, qui ei præstò fuerũt, partim eum de superioribus peccatis increpãtes, & intempestiua libertate admonẽtes, consiliaq; suggerentes, infensus ambos pugione confodit. nemo hæsit apud eum extra Cretensem Euandrum, Archidamum Aetolum, & Neonem Bœotium.

Cretensium auaritia.

Ex militibus secuti eum sunt Cretenses: non quo diligerent eum, sed quòd thesauro eius velut fauo affixi essent. Magnum enim thesaurum trahebat secum, deprompsitq; ex eo scyphos & crateras, aliaq; aurea & argentea vasa Cretensibus diripienda ad quinquaginta talentorum precium.

† Liu. habet Calipsum.

Cùm verò Amphipolim primum peruenisset, inde † Alepsum, remisso paulatim timore in natiuum & vetustissimum relapsus morbũ, sordes: lamentatus apud ami-

eos est ex Magni Alexandri aureis vasis quædam se Cretensibus imprudentem obiecisse,precatusq; supplex & lachrymabundus illos qui hæc haberent ea vt sibi permutarent pecunia. Ac qui hominem probè nossent,hos non fefellit cretizare cum Cretēsibus:qui verò fidem ei habuerunt atq; reddiderunt,elusi sunt. Neque enim soluit his argentum, sed quæstu triginta talentorum ab amicis facto,quę breui pòst capturi hostes erant,cum his nauigauit Samothracam,atque ad templum Castoris & Pollucis supplex confugit. At Macedones,qui semper regum suorum habiti fuerant amantes,tunc sicut cum fulcimento rupto omnibus vnà corruentibus permittentes sese Paulo duobus diebus totius Macedoniæ compotem eum fecere. quod astipulari videtur illis,qui secūdæ fortunæ assignant eas res gestas Pauli. Insuper faustum fuit quod accidit sacrificio Amphipoli. Sacrificante consule & sacra auspicato, fulmen in aram delapsum combussit vnàq; perpetrauit sacrificium. Omnem verò excedit fauorem deorum & fortunā famæ miraculum. Quarto die,quàm superatus ad Pydnam est Perseus,cùm Romæ ludos circenses populus spectaret,murmur repentè primam partem theatri peruasit, Paulum ingenti prælio Persea superasse,totamq; Macedoniam in ditionem redigere: mox cùm apud vulgus increbuisset hic rumor,mixta cum plausu clamoreq; lætitia,quæ totum illum diem occupa ret vrbem,exorta est.Inde vt nullum certum habuit fama authorem & apud omnes iuxtà vaga fuit,euanuit in præsens & dissipata est.Qua paucis diebus pòst certò allata,miraculi loco fuit præcurrens nuncius, qui in falso complexus verum fuerat. Ferunt etiam prælij ad Sagram amnem ab Italis commissi eodem die famam in Peloponnesum delatam,& Platæas illius apud Mycalen contra Medos. Victoriam de Tarquinijs,qui socijs Latinis arma mouerant,duo viri eximia & eminenti specie visi sunt,qui breui pòst recentes à castris nunciarunt.hos Tyndaridas fratres coniecerunt fuisse. Qui primus eos appellauit pro fonte in foro reficientes equos, qui multo sudore manabant, mirabatur victoriæ nuncium.Mox ferunt eos arridentes attrectasse manibus illius barbā,quam confestim in rufam ex nigra versam, fidem nuncio ac viro Aenobarbæ dedisse cognomen. Hisce omnibus,quod ætate nostra factum est,astruit fidem. Cùm ab Dominano Antonius desciuisset, atque ingens bellum in expectatione esset à Germania: vrbe consternata repentè & sine authore populus ex sese famam distulit victoriæ, ac sermo Romam peruagatus est interfectum esse Antonium,exercitusq; eius strati nullam partem superesse. Fuit autem tam certa fides & flagrans,vt magna pars magistratuū sacrificaret. Cùm verò author rumoris quæreretur,nec extaret vllus, sed ab alio ad alium reiectus refugeret sermo, & demersum denique in multitudinem immensam velut in vastum pelagus ex nulla certa processisse origine apparuit:hæc quidem fama properè effluxit vrbe. Cæterùm educenti legiones ad bellum Domitiano,nuncius & literæ iam in itinere victoriā significantes occurrere. Huius trophæi & famæ vnus fuit dies,locis plus duo millia quingenta milliaria distantibus. Id neminem nostro æuo fugit. Porrò Cn. Octauius, qui vnà cum Paulo bellum administrabat, classe Samothracā appulsa Persen religione deorum reliquit inuiolatum: mari tamen & effugio præclusit. At Perseus clàm Oroandem quendam Cretensem qui lembum habebat induxit, vt se cum pecunia sustolleret. Ille arte Cretica vsus recepit pecuniam: illum cùm nocte venire ad portum Demetrium cum liberis & seruitijs necessarijs iussisset, statim primis tenebris soluit. Miserabilis Perseus erat,qui ex angusta fenestra per murum se puerosq; & coniugem demisit laborum & erroris rudes. Altissimum etiam suspirium misit,vbi quidam,qui in alto vela facientē conspicatus fuerat Oroandem,id in littore vaganti renunciauit. nam lux appetebat.Ita omni spe destitutus confugit ad murū,non iam tectus: verùm præuenit tamen cum vxore Romanos. Liberos ipse tradidit in manus Ioni, qui pridē fuerat ei in delicijs: tum verò proditor eius in causa potissimùm fuit,cur iste homo cōpelleretur vt fera captis natis in manus venire & permittere corpus his,qui illos tenebant. Maximam fidem habebat Nasicæ,quem accersebat: cùm is non adesset,quæstus suam fortunam respiciensq; necessitatem,dedidit se Octauio. Tum enimuero prodidit potissimùm vitio se laborare fœdiore quàm auaritia,vitæ cupiditate: qua id quod fortuna vnum afflictis non adimit,spoliauit seipse miseratione. Siquidem cùm duci petisset ad consulem,consurgens consul vt magno viro deorū ira & asperitate fortunæ prolapso, cum amicis ad lachrymas effusus, processit obuiam. At ille turpissimum spectaculum prębuit, ac se ad pedes Pauli summittens & genua eius appetens,voces degeneres & preces emisit,quas non tulit neque auribus admisit Paulus: sed intuitus eum vultu tristi & offenso, Quid miser, inquit, maximo

Macedones dedunt se Paulo.

Miracula.

Nuncij uictoriæ Pauli celeritas.

Aenobarba vnde dictus.

Perseus Samothracæ obsidetur ab Octauio.

Perseus dedit se Octauio.

Persei abiectus animus.

Pauli oratio ad Persea captiuū.

crimine liberas fortunam, qui hæc admittis: qua re non immeritò oppressus videate calamitate, neque hac sed pristina indignus fortuna fuisse? Quid verò non præbendo te generosum nec dignum populo Romano aduersarium, victoriam maculas meam & palmam eleuas? Virtus magnam conciliat vel apud hostes reuerentiam afflictis: ignauia apud Romanos est etiam faustis rebus prorsus contempta. Sustulit tamen eum, dextramq; porrexit, & curam eius mandauit Tuberoni. Hinc filios, generos, & ex primoribus præcipuè iuuenes in prętorium introduxit. Diu ibi tacitus cum omnium admiratione consedit.

Pauli oratio ad iuuenes Perseo capto.

Hinc de fortuna exorsus & de rebus humanis differere, Decet 'ne, inquit, secundo fortunæ cursu, homo cùm sis, exultare & attollere animos, vbi gentem vel vrbem vel regnum debellaueris? an potius hanc fortis vicissitudinem animo subijcere, quæ exemplum bellum gerenti communis imbecillitatis ob oculos ponens nihil vt stabile & constans docet esse reputandum. Quod est enim mortalibus fiduciæ tempus, cùm quo tempore superaueris alios, tum maximè expauescere fortunam compellaris: & lætitia elato tantam acerbitatem circulantis & propositi alias alijs fati incutiat consideratio? An verò cùm Alexandri, qui ad summam potentiam euectus fuit, maximumq; obtinuit imperium, vnius momento horæ concidentem successionem ante oculos ponatis, simulq; cùm tot modò legionibus peditum & tot millibus equitum succinctos reges videatis quotidiana cibaria & potum ex hostilibus manibus accipere, censetis res humanas vlla fultas firmitate in futurum durante fortunæ? Non abiecta vos iuuenes inani ista ferocitate atque iactantia victoriæ summissi reprimetis vos, ad consequentia semper respicientes, in quem cuique exitum sors præsentis inuidiam prosperitatis vertet? Multa in hãc sententiam ferunt cõcionatum Paulum iuuenes dimisisse, probè tanquam freno oratione illa iactationem & procacitatem incidente, eruditos.

Paulus Græciã perlustrat.

Inde cùm exercitum in hyberna deduxisset, conuertit se ad visendam Græciam, atque ad oblectationem honorificam simul atq; humanã. Adijt enim populos, eosq; refocillauit, instituta dedit, ac dona contulit: alijs frumentum ex horreis regijs, oleum alijs. Tantam enim eorũ quæ recondita fuerant vim memorant inuentam, vt prius qui acciperent & desiderarẽt deessent, quàm numerus exhauriretur eorum quæ fuerunt reperta. Delphis columnam ingentem cùm videret quadratam albo concinnatam marmore, quæ destinata Persei statuæ aureæ erat, ei imperauit imponi suam: victos enim victoribus decedere loco par esse. Olympię vulgatum illud fertur dixisse: Phidiã Homeri Iouẽ effinxisse.

Paulus ordinat Macedoniam.

Postquã decẽ legati Roma aduenerunt, Macedonas liberos esse iussit colentes vrbes suas agrosq;, vtentes legibus suis, centum talenta tributi populo Romano ferrent, cùm plus altero tanto pependissent regibus. Spectacula inde variorũ ludorũ & victimas dijs exhibuit, epulas conuiuiaq; præbuit: in quę sumptum quidẽ largè suppeditabat cõmeatus regius. Ordinẽ verò, digestiones, loca, exceptiones, & quantũ cuiusq; dignitati deferre honoris & comitatis deberet, ita exactè atq; accuratè ostendit se callere, vt stuperent Græci: quod ne quæ per ludum quidem agebat, tractaret solutè, sed vir rebus tantis districtus hisce quoq; minutijs decorem adhiberet. Atqui oblectabãt hæc quoq; eum quòd in tãto apparatu & splẽdore suauissimũ esset ipse oblectamentũ & spectaculũ cõuiuis. Ac defixis industriæ suæ admiratione, eiusdẽ mentis dixit esse aciẽ ordinare rectè & cõuiuiũ: hoc, vt quàm gratissimũ inuitatis, illã vt quàm horrendissima hostibus esset.

Pauli abstinentia.

Nec minus quàm reliquas virtutes liberalitatẽ eius & animi magnitudinẽ prædicabant homines, quòd vim ingentẽ auri, ingentem argenti ex regijs coactã thesauris ne aspicere quidẽ sustinuerit, sed quęstoribus, vt in ærarium deferrent, permiserit. Libros regios tantũ studiosis literarũ concessit filijs. In donis dandis ob egregiam operam in pugna nauatam Aelio Tuberoni genero phialam donauit quinque pondo. Tubero hic est, quem sextumdecimum demonstrauimus cum propinquis habitauisse: cùm ex paruo rusculo se tuerentur omnes. Illud autem argentum in domum Aeliorum aiunt primùm immigrasse à virtute & honore illatum: antea neq; ipsos neq; vxores eorum aurũ vel argentum affectasse. Vbi iam ritè cuncta dispensauit salutatis Græcis, & admonitis Macedonib. vt datæ ab Romanis libertatis memores eã disciplina legũ atq; cõcordia tuerẽtur, mouit in Epirũ.

Pauli acerbum factum in diripienda Epiro.

Senatusconsulto mandatum ẽi erat vt milites, quorum opera in pugna vsus fuerat aduersus Persea, prædam illius regionis oppidorum concederet. Ergo vt omnibus simul præter expectationem ingrueret, euocauit ex singulis oppidis denos principes: quibus denunciauit, vt quod auri & argenti in priuato & sacris ædib. esset, stata die proferrẽt in publicũ. Adiunxit singulis prætextu quærendi & accipiendi auri velut ad hoc ipsum præsidiũ militũ & centurionẽ.

Instan-

Instante die vno simul atq; eodem momẽto discurrerunt ad diripiendos hostes. Ita vna hora centum quinquaginta millia capitum humanorum in seruitutem abrepta, L X X oppida direpta fuêre. Ex tanta clade atq; exitio singulis militibus non plus vndeni denarij dati. Omnes autem mortales exhorruerunt belli exitum, in adeo exiguum singulorũ emolumentum & compendium tota vnà discerpta gente.

Pauli in Italiam reditus.

Hoc Paulus edito maximè præter ingenium benignum suum & placidum, extemplò Oricum descendit: inde legiones deportauit in Italiam, atque regia naue quam sexdecim versus remorũ agebant, Macedonicis ornata spolijs, puniceisq; & purpureis textilibus, † aduerso Tyberi amne est subuectus: completis ripis obuiam lento nauis cursui effusa ciuium frequentia, vt quodammodo triumphalem pompam prælibaret populus Romanus.

†Locus hic mutilus in Græco est.

Disceptatio de Pauli triũpho.

At milites, qui regijs opibus oculos cupiditatis adiecerant, vbi spei non responderunt pręmia, clàm exarserũt inde & infensi fuerunt Paulo: propalàm autem conquerentes durũ eum fuisse sibi & imperiosum ducem, erant negligenter adfuturi ad procurandum ei triumphũ. Quod odoratus Sergius Galba Pauli inimicus, qui tribunus militum sub eo fuerat, non dubitauit suadere non esse ei decernendum triumphum. Hic cùm militari turbæ multa suggessisset in imperatorem probra, & iam conceptam eorum iram magis etiam stimulauisset, postulauit à tribunis plebis: vt, quoniam hora esset iam octaua diei, neque id satis temporis foret accusationi, in posterum diem differret. Cùm tribuni dicere eum siquid vellet iuberent, prolixam exorsus & variarum calumniarum plenam orationẽ diem dicendo exemit, ac tribuni iam tenebris dimiserunt concionem. milites verò concurrerunt ad Galbam ferociores redditi, ac coitione inter se facta Capitolium diluculo insederũt. Eò enim concionem indixerant tribuni. Postquam diluxit, misso in suffragia populo, prærogatiua tribus triumphum antiquauit. Qua re ad alios delata, atque à senatu intellecta plebs ob Pauli ignominiam ingenti percita dolore irritos edebat clamores, principesq; senatus, indignum facinus esse vociferantes, concitabant sese mutuò vt reprimerẽt licentiam & audaciam militarem: quæ, nisi iretur obuiam, ne Paulum Aemilium triumphali laurea dispoliarent, in omnem eruptura improbitatem & vim essent. ac summota turba in Capitolium frequentes scanderunt. Ibi postulauerunt à tribunis ne perferri permitterent suffragia, dum ad populum, quæ visa essent, dixissent.

M. Seruilij pro triumpho Pauli oratio.

Omnibus suffragia sustinentibus, factoq; silentio conscendens suggestum vir consularis, qui tres & viginti hostes ex prouocatione interemerat, M. Seruilius: Quantus imperaror, inquit, Paulus Aemilius fuerit nunc maximè cognosco, cùm videam, qui adeò seditiosos & improbos milites in castris haberet, quàm præclaras & magnas res gesserit. Vos miror Quirites, si triumphis de Illyrijs & Afris gloriantes vobis inuidetis, regem Macedonum viuum Alexandriq; & Philippi gloriam contemplari armis Romanis ductam captiuam. An'ne absurdũ est vos qui, cùm leuis de victoria fama infusa ciuitati fuisset, victimas cecidistis votaq; nuncupastis, vt breui liceret huiusce rumoris capere oculis spectaculum: nunc postquam imperator veram adduxit palmam, fraudare deos immortales suo honore, & vos ipsos lætitia: quasi verè animi magnitudinem rerum præclarè gestarũ haurire oculis, aut regi parcatis. Et quidem satius esset illius miseratione quàm inuidia imperatoris abrogari triumphum. Atqui eò perrupit per vos liuor licentiæ, vt de imperio & triumpho verba facere homo integro, molli, nitenteq; corpore, atque in vmbra educato audeat apud vos, qui tam multis vulneribus de virtute & nequitia imperatorũ iudicium facere didicistis. Simul se nudauit, ostenditq; infinitas cicatrices aduerso corpore exceptas. Inde conuersus adaperuit quędam, quæ ad populum velanda erant: atque ad Galbam respiciens, Tu quidem hæc, inquit, derides: ego verò apud ciues glorior ijs, quæ pro his in equo dies noctesq; persedendo accepi. Sed age voca hos ad suffragium: ego omnes assectabor, notaboq; improbos & ingratos, eosq; qui sibi in bello obsecutum magis quàm imperatum volunt. Adeò perhibent hac oratione repressam & immutatam militarem turbã, vt omnes tribus sciscerent Paulo triumphum.

Pauli triumphi pulcherrima descriptio.

Triumphatum ad hunc modum aiunt. Populus in circis & foro tabulata fixerat, alijsq; vrbis partibus vbi conspici poterat pompa. Spectauerũt cãdidis amicti lacernis. Omnes ædes sacræ apertæ erant, coronarumq; & suffituum plenæ. Multi apparitores & viatores incomposite confluentes & discurrentes summouebant de medio, vias patentes & vacuas præstabant. Triduum triumphauit. Primo die signa capta, tabulæ pictæ, & colossi ducentis quinquaginta vehiculis translata, vixq; hic dies ei spectaculo satis fuit. Secundo die fabrefacta & pulcherrima spolia Macedonica multis plaustris transuecta, ære ferroq; modò exterso fulgentia. Quę

cùm perquàm artificioso cõcinnoq; essent ordine cõstructa, temerè & fortuitò videbantur cõgesta, galeæ impositæ clypeis, loricæ ocreis, parmæ Creticæ, Thraciæ tragulæ, & pharetræ equestribus cõfusæ frenis, strictiq; gladij ex medio horũ eminentes, atq; interiectæ sarissæ. Habebant hæc arma cõueniens laxamentũ, vt mutuo crepitu in transferendo stridorẽ ederẽt asperũ & terribilẽ, ac ne spolia deuictorũ quidẽ aspici citra horrorem valerent. Plaustra, quibus arma portabantur, viri termille secuti. Hi nummos argenteos septingentis quinquaginta vasis pondo centenûm octogenûm tulerũt, singula quaterni portarunt. Alij crateras argenteos, cornua, phialas, poculaq;, vnumquodque eleganter ad spectaculum compositum, rara magnitudine & crasitudine cælaturæ. Tertio die summo mane pręcesserunt tubicines. Modos canebant, non quales solent in supplicationibus & pompis, sed quibus classicum canunt, cùm militem acuunt ad prælium Romani. Secundum hæc victimas boues domesticos auratis cornibus centum viginti vittis sertisq; redimitos, adolescentes duxerunt splendidis cinctis compti: quos pueri comitabantur aureas & argenteas pateras ferentes. Post eos aurum signatum portauerunt in vasa centenûm octogenûm pondo distributum similiter vt argentum. Vasa fuerunt L X X X tribus minus. Hos secuti qui sacram phialam gestabant, quam Paulus sexcentorum pondo auri distinxerat gemmis. Hinc, qui Antigonidas, Seleucidas, Thericleos, vasaq; aurea, quibus vti in conuiuijs Perseus solebat, ostentauerunt: quibus currus Persei successit, cui imposita erant arma eius, & armis diadema.

Persei liberi.

Mox paruo interuallo ducti liberi regis captiui: quos nutritiorum, præceptorum & pædagogorum grex lachrymabundorum comitatus. Hi manus ad spectatores tendebant, puerisq; suggerebant vt orarent & supplicarent populo. Duo filij erant, filia vna, magnitudinem calamitatis suæ per ætatem non capientes: quò miserabilior ex vicissitudine fortunæ simplicitas eorum erat, vt penè Perseus spectantium oculos præterierit. Ita miseratio in infantes Romanorum defixerat aciem, ac multæ effusæ lachrymæ sunt: omnibusq; mixtum acerbitate & oblectamento fuit spectaculum, quousque prætergressi sunt pueri. Eos eorumq; famulitium proximè excepit Perseus pullatus, patrijs indutus crepidis, præ miseriarũ mole ad omnia stupentis & attoniti mente similis. Pone hos amicorum & necessariorum regis caterua, quorum erat luctu oppressus vultus. Quia verò perpetuò defixam in Persea aciem habebant, lachrymabanturq;, opinionem imprimebant spectãtibus illius se lamentari fortunam, de sua sorte minimè laborare.

Paulus Persei mollicië notat.

& quidem miserat ad Paulum deprecatum, ne in triumpho duceretur. Qui mollitiem hominis & ignauiam haud dubiè irridens, In tua id quidem, inquit, & pridem fuit, & nunc manu atque voluntate est positum: significans præueniendum illud dedecus fuisse morte. quam declinans miser, & spe nescio qua emollitus suorum pars manubiorum est factus. Sub his coronæ aureæ quadringentæ numero translatæ dona ciuitatum Paulo cum legationibus victoriæ causa missæ. Inde ipse curru magnificè exornato vrbem inuectus est, vir vel sine tanta imperij pompa spectatu dignus, toga picta amictus, & lauri ramum dextra protendens. Laureatus etiã vniuersus exercitus cẽturiatim & manipulatim ducis currũ prosecutus est: partim carmina, vt in triumphis solet, iocis mixta, partim cãtilenas victoriales rerumq; gestarũ laudes canebãt in Paulũ: quem suspiciebant omnes, & beatũ ducebant, nulli inuitum bono.

Pauli calamitates.

nisi sanè quis deus hoc habet muneris, vt de insigni & immodica detrahat felicitate, sortemq; misceat humanã, ne à malis liquida sit & sincera: sed præclarissimè, vt est apud Homerum, agi videatur cum ijs, quorum habent fortunæ in vtramq; partẽ conuersionem. Quatuor Paulo filij erant: duo in alias familias per adoptionẽ, vt supra est dictũ, dati Scipio & Fabius: duo etiamnũ pueri quos in familia sua retinuerat ex altera suscepti vxore. Horum alter quatuordecim annos natus, dieb. quinq; ante triumphũ eius, alter duodecim annorũ triduo decessit post triumphũ. Neq; erat quisquã vllus ex populo Romano, ad quẽ nõ peruenerit huius sensus doloris. Omnes sæuitiã horruerunt fortunæ, quæ tantũ luctũ nõ sit verita in domũ felicitate, gaudio, festo refertam inuehere, lamentationibusq; & fletibus cãtilenas cõfundere victoriales ac triũphos.

Pauli in calamitatibus fortitudo.

At verò Paulus rectè reputãs fortitudine & animo hominibus, nõ cõtra arma & hastas tantũ, verùm cõtra omnes ęque fluctus fortunæ opus esse, ita cõcinnè moderatus est: tẽperauitq; res præsentes, vt bonis mala, & domestica publicis obruta, magnitudinẽ ne deprimerẽt neq; maiestatẽ cõmacularẽt victoriæ suæ. namq; simul atq; extulit priorẽ filiũ, vti diximus, triumphauit, ac cùm alterius funus triumphũ excepisset, cõcilio populi aduocato orationẽ habuit cõuenientẽ viro: non qui consolatione egeret, sed qui cõsolaretur ciues infortuniũ dolẽtes suũ. Cùm ab hominibus,

Pauli oratio de fortunæ inconstantia.

nibus, inquit, nihil vnquam timuerim, ex rebus diuinis metuere vt infidissimam & instabilissimam semper fortunam nunquã destiti, præcipuè quòd hoc bello illa fuisset rebus gerendis sicut secunda aura præstò, inclinationem aliquam & procellam expectans. Vno die à Brundusio mari Ionio transmisso tenui Corcyram: inde die quinto sacrificaui Delphis. Alteris quinq; exercitum in Macedonia accepi. Mox lustrato de more exercitu res gerere aggressus diebus alijs quindecim, pulcherrimum rebus imposui finem. Ob hunc secundum rerum cursum fortunam habens suspectam, quia eram securus iam & solutus periculo hostili, per pelagus sortis in transportando ex felicitate tanta victore exercitu, præda, & regibus captiuis timui vices. Postquàm verò perueni ad vos saluus, & ciuitatem vidi gaudio, gratulatione, festis agitandis confertam, quandoquidem nihil fortuna magnis in rebus largitur syncerũ mortalibus & illibatum, suspectabam etiamnum eam.. Nec antè hunc timorem parturiens animus & futurum solicitudine vrbis circumspectãs deposuit, quàm in tantum familiare incurri naufragium, optimorumq; filiorum quos mihi reliqueram solos hæredes, continua funera festis diebus duxi. Nunc igitur defunctus summis periculis sum, confidoq; & arbitror innoxiam vobis fortunam atque stabilem permansuram. abunde enim ad satisfaciendum suæ ob res lætas inuidiæ, me meisq; est abusa calamitatibus: neq; habet obscurius humanæ imbecillitatis exemplum triumphãtem, quàm eum de quo triumphatũ est. nisi quòd Perseus liberos haberet etiam victus: qui eum vicit Paulus, suos amisit. Adeò generosam & magnificam orationem Paulus ex animo nõ composito, sed vero dicitur ad populum habuisse.

Persei mors.

Persei verò miseratus conditionẽ, cùm maximè studeret opitulari ei, nihil habuit: nisi vt pro carcere in libera & humana custodia teneretur. in qua dum asseruatur, sibi ipse, vt pleriq; tradiderunt, inedia consciuit mortem. Aliqui rarũ fati eius produnt & inauditũ modum, indignantes aliquam ob causam, & infensos qui eum asseruabant milites, cùm fatigare & lędere eum re nulla alia valerent, somno eum prohibuisse: quos enixè soporẽ interpellantes omni ope eũ in perpetuis vigilijs continuisse, dum ita fatiscens expirauerit.

Persei filiorum conditio.

Defuncti etiam duo filij eius sunt, tertium Alexandrũ egregium artificem in tornando & cęlando arguto opere referũt fuisse: inde Romanis literis & sermone perceptis scribæ operã prębuisse magistratibus, quo in munere habilem & scitum repertum.

A Pauli victoria desijt populus Ro. tributũ pendere.

Rebus gestis Pauli Macedonicis beneficiũ populo longe gratissimũ attexunt: tantum pecunię eum in ærarium intulisse, vt deinceps censum pendere desierint vsq; ad Hircij & Pansæ cõsulatum, qui cõsules primo Antonij & Cæsaris bello fuère. Iam hoc habuit præcipuũ atq; eximiũ Paulus: vt cùm à populo diligeretur & coleretur mirificè, in secta cõsisteret tamen nobilitatis: neq; vllo vel dicto vel facto blandiretur populo, verùm in repub. gerenda aggregaret se ad principes & optimates. quod insecutis tẽporibus Scipioni Africano improperauit Appius. Erant hi ea tempestate primi in ciuitate, & censurã petebant. Stipabant hunc senatus & optimates: id erat enim institutũ Appijs auitũ, factionem nobilitatis vt tuerentur. Ille cùm per se magnus existebat, tum magno populi fruebatur fauore & studio. Quẽ, cùm in forũ progrederetur, cernens Appius hominib. septũ sordidis et libertinis, forensibus aũt & factiosis, ambituq; & clamore per omnia perrumpendi artificibus, elata voce, Ingemisce, inquit, Paule Aemili, si sentis apud inferos, q filiũ tuum Aemilius præco & Licinius Philonicusq; deducãt censoriũ candiatũ. Cæterùm Scipio ex beneficijs cõtinuis in populũ suis, est beneuolentia eius vsus: Paulus verò quanquã in principum factione foret, plebi nihilo tamen minus erat charus, q̃ qui maximè popularis et assentator multitudinis habebatur.

Pauli censura.

Id declarauerũt cùm inter alios honores cõtulerunt in eũ censurę dignitatẽ. qui magistratus omniũ sanctissimus, magnæq; est cùm in alijs tum in regendis moribus authoritatis.

Censuræ authoritas.

Ius censoribus est turpiter viuentẽ senatu mouendi & allegendi probatissimũ, luxuriosum iuuenẽ equo adempto notãdi. hi censum quoq; populi agunt, & lustrũ condũt. Censa per eum sunt ciuium capita trecenta triginta septem millia CCCCLII. Principẽ senatus M. Aemiliũ Lepidũ, qui quartùm iam eam dignitatem erat adeptus, dixit: ex minus insignibus tres senatu mouit, pariq; moderatione tum hic tum collega eius Martius Philippus in recognoscendis equitibus vsi sunt.

Pauli morbus.

Vbi in hoc magistratu plurima & quæ maximi momenti erant, composuit, incidit in morbum initio ancipitem, sed tractu temporis innocuum, difficilem tamen & pertinacem. Postquam de consilio medicorũ nauigauit Eleam oppidũ Italię, atq; illic in prędijs maritimis multumq; trãquillis longo spacio egit, requisiuit eũ populus Romanus, vocesq; in theatris crebras emisit velut gestiens & auens eius conspectum. Cùm aũt instaret sacrificiũ

quod erat ei neceſſario obeundum, et iam corpus ſuum arbitraretur ſatis firmum eſſe, regreſſus eſt Romam: atq; illa ſacra cum alijs ſacerdotibus circumfuſo & clariſsimè gratulante populo peregit. Poſtridie iterũ dijs pro incolumitate ſua ſacrificauit. Rei diuinæ, vt modò dictum eſt, operatus domumq; reuerſus decubuit, & priuſquã ſentiret aut perciperet valetudinis imbecillitatem, mente & ratione motus tertio die obijt: cùm nullius rei, quæ ad vitam beatam exiſtimatur pertinere, exors aut expers fuiſſet.

Pauli mors.

Pauli funus.

Etenim pompa funebris eximia fuit & ſuſpicienda, decorauitq; virtutem eius præſtantiſsimis & feliciſsimis exequijs. Erant hæ non aurum, non ebur, non reliquus ſplendor & nitor apparatus: ſed beneuolentia, ſed honor, ſed ſtudium non ciuium modò, verùm & hoſtium. ſiquidem quotquot aderãt fortè Hiſpani, Ligures, Macedones, qui validi corpore eſſent & iuuenes, funebrem lectum ſubierunt ac deportauerunt: maiores natu proſecuti ſunt, ſeruatorem & patrię parentem Paulum appellantes. Neq; enim ſolùm quo tempore victor fuit, omnibus ſe præbuit clementem benignumq;: ſed & per vitam totam reliquam non deſtitit de ijs benemereri, & præſtare eis, vt ſi familiares eſſent & propinqui, patrocinium.

Pauli patrimonium.

Facultates eius vix tricenorum ſeptuaginta millium denariorum ferunt fuiſſe, quarum ambos filios reliquit hæredes. Cæterùm hæreditatem minor Scipio, qui in domum locupletiorem adoptatus fuerat Africani, fratri conceſsit ſolidam. Hi mores atque vita dicuntur Pauli Aemilij fuiſſe.

TIMOLEONTIS CVM PAVLO AEMILIO, COMPARATIO.

Timoleontis & Pauli in bellicis rebus comparatio.



EA cùm de his mandata memoriæ comperiamus, liquet non multa diſcrimina nec diſparitates in comparandis ijs eſſe: ſiquidem bella vterque aduerſus claros aduerſarios habuere, hic Macedonas, ille Carthaginenſes, fueruntq; eorum inclytæ victoriæ. Hic Macedoniam ſubegit & Antigoni ſucceſsionem ſuſtulit in ſeptimo rege: ille omnes tyrannos Sicilia exterminauit, inſulamq; aſſeruit in libertatem. Niſi ſanè contendere hoc velis, quòd Paulus Aemilius cum valido Perſeo, poſtquam Romanos fudit, cum Dionyſio Timoleon contulerit arma prorſus afflicto et perdito.

Timoleontis & Pauli moderatio.

Contrà pro Timoleonte quòd multos tyrannos, ingentes etiam Pœnorum vires tumultuaria manu oppreſsit: non vt Paulus cum viris bello duratis & diſciplina militari exercitatis, ſed cum mercenario & incondito milite animi cauſa ſtipendia facere aſſueto. quippe pares ex non pari apparatu duci palmæ referuntur acceptæ. Iam innocentes ambo atque integri in rebus gerendis fuerunt. Cæterùm Paulus à prima ætate à legibus & patria videtur ad res gerendas acceſsiſſe ita inſtitutus: Timoleon verò talem ſemetipſe comparauit. Id hinc liquet: quòd omnes ex æquo Romani ea tempeſtate modeſti, inſtitutis obtemperantes, legumq; & ciuium erant reuerentes. At in Græcis dux vel imperator fuit nullus: Dionem excipio, quem non aſpectus Siciliæ labefecit. licet Dionem autument multi dominatum affectaſſe & regnum quoddam ſomniaſſe Laconicum. Timæus Gylippum quoque turpiter refert & ignominioſè dimiſſum à Syracuſanis fuiſſe: quòd pecuniæ cupiditatem atq; inexplebilem eius in rebus gerendis eſſent auaritiam exoſi. Quæ verò Pharax Spartiates & Athenienſis Callippus Siciliæ obtinendæ ſpe deſignauerunt ſceleratè & perfidè, multi literis prodiderunt. At qui tandem & quibus freti opibus fuerunt hi, tanta qui ſperauerunt? Nempe ſuperior exactum Syracuſis ſecutus eſt Dionyſium: Callippus vnus apud Dionem ex ducibus fuit mercede conductorum militum. At Timoleon & petentes & rogantes imperator miſſus Syracuſanos, nec potentiam quærens, ſed obtinere valens, quam illis acceperat volentibus & dantibus, terminum imperij & poteſtatis ſuę in violentorum poſuit excidio dominorum.

Pauli continentia inſignis.

Hoc in Paulo ſit tamen memorabile, quòd tanto regno in ditionem redacto ne vno quidem teruncio rem reliquerit auctiorem, neque aſpexerit vel attigerit pecuniam: cùm tamen multa dona & præmia cõtulerit in alios. Non dico culpandum, quòd ſplendidam domum & prædium acceperit, Timoleontem. neque enim ex huiuſcemodi occaſione accipere turpe, ſed non accipere eſt honeſtius: & cumulus virtutis, vbi licet, oſtendentis non indigere.

Paulus conſtantia Timoleõtem ſuperauit.

Quia verò vt corpore rigorem vel æſtum facile tolerante, illud quod iuxtà ad vices rectè comparatum vtraſq; eſt, habetur robuſtius: ita animi integra ſanitas & vires ſunt, quas neq; res ſecundæ procacitate emolliunt vel liquefaciunt, neq;

deijciunt calamitates. Videtur consummatior Paulus, qui in duro casu & graui ex filijs luctu nihilo humilior aut infractior, quàm in rebus lætis est visus: Timoleon verò cùm præclarum actum in fratrem suum perpetrasset, non repressit animi motum ratione, verùm pœnitentia & mœrore depressus concionem & forum viginti annos non sustinuit aspicere. Est verò defugienda turpido & timenda: at omnes infamiæ pudor est boni quidem ingenij & simplicis, non tamen excelsi.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. IOANNI ARCHIEPISCOPO TREuerensi, Sacri Romani Imperij per Galliam & regnum Arelatense Archicancellario, & principi Electori, Domino suo clementissimo, Hermannus Cruserius S. P. D.



ECTISSIME Dictum, reuerendissime Princeps Elector, Domine clementissime, à viris prudentibus est, haud esse minus arduum quærere & parare magnas opes atque eas tueri. multis enim ingentes facultates, nonnullis delata etiam regna casu temerario sunt, vel vi alijsque malis artibus comparata: retinere verò ea & conseruare sine virtute potuit nemo. Quippe omnium rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas & tenendas quàm diligi, nec alienius quàm timeri. Quem enim metuunt homines, eum oderunt: quem quisque odit, perisse expetit. Multorum autem odijs nullas opes posse obsistere, multorum potentissimorũ cædes tyrannorum docent: qui si etiã gladios suorum aliquando euaserunt, graui vixerunt tamen in tremore semper. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium? quo cruciatu timoris angi solitum? qui cultros metuens tonsorios, candente carbone adurebat sibi capillum. Quid Alexandrum Pheræum? quo animo vixisse arbitramur? qui cùm vxorem Theben impensè diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum districto gladio iubebat anteire: præmittebatque de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimentis telum occultaretur, exquirerent. Nec eum fefellit opinio: ab ea enim est propter pellicatus suspicionem interfectus. Nec verò vlla vis imperij tanta est quæ premente metu possit esse diuturna. Testis est Phalaris, cuius præter cæteros nobilitata est crudelitas. Quid? Macedones non'ne Demetrium reliquerunt, vniuersique se ad Pyrrhum contulerunt? Quid, Lacedæmonios iniustè imperantes, non'ne repentè omnes ferè socij deseruerunt? Malus est enim custos diuturnitatis metus: contraque beneuolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Hanc maximè assequuntur homines, si fides eis habeatur: fides autem habetur, si existimabuntur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam. nam & ijs fidem habemus, quos plus intelligere quàm nos arbitramur: quósque & futura prospicere credimus, & cùm res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem, & consilium ex tempore capere posse. Iustis autem & fidis hominibus ita fides habetur, vt nulla in his fraudis sit iniuriæque suspicio. At harum duarum ad fidem faciendam iustitia plus pollet: quippe cùm ea sine prudentia satis habeat authoritatis, prudentia sine iustitia nihil valet ad faciendam fidem. quo enim quis versutior & callidior est, hoc inuisior est & suspectior detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ iustitia coniuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium: iustitia sine prudentia multum poterit, sine iustitia nihil valebit prudentia. Hæc tanta est virtus, vt destituta ea consistere nulla queat conditio hominis, non principum, non contrahentium, non vllorum hominum priuatorum: imò tanta est eius vis vt ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere. Nam qui eorum cuipiam, qui vnà latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum: ille autem qui archipirata dicitur, nisi æqualiter prædam dispertiat, aut occiditur à socijs, aut relinquitur. Atque hæc vna est virtus, ex qua boni viri dicuntur, quæ omni ratione colenda & retinenda est: tum ipsa propter se, nam aliter iustitia non esset: tum propter amplificationem honoris & gloriæ. Huius enim splendore tanti fecit Fabricium Pyrrhus, rex ciuem Romanum: vt quo eum sibi conciliaret & authoraret, secundum à se locum deferret ei in regno: eademque, totam adegit Græciam, vt vnum postularet Aristidem, qui ipsam censeret, atque omnes fortunas suas crederet eius innocentiæ, permitteretque ei quasi liberum dominatum. Huius tanti viri & Catonis maioris qui cum eo est à Plutarcho comparatus, vitas à me in sermonem Latinum modò ex integro translatas amplitudini tuæ amplissime princeps Elector dicare volui: vt recognoscas in hisce duobus luminibus splendorem virtutis, qua vulgatum est te excellere, & illos viros repræsentare. Vt autem id facerem, præcipuè incendit me illustrissimi principis mei Ducis Iuliacensis

censis & Cliuensis de virtutibus tuis frequens cum admiratione sermo, & summa in amplitudinem tuam beneuolentia: Vale reuerendissime Princeps Elector.

Aristides.



Aristidis facultates.

RISTIDES Lysimachi filius ex tribu fuit Antiochide, curia Alopecensis. De cuius facultatibus variant. Hi enim in magna inopia vitã eum traduxisse, defunctumq́ duas reliquisse filias diu ob paupertatem illocabiles. Cui sermoni, qui cõplures habet authores, obijciẽs se in libro qui dicit Socrates Demetrius Phalereus, prędium ait se in Phalera, vbi humatus sit, cognoscere. Signa aũt lauti patrimonij eius, vnum arbitratur † summum magistratũ, à quo annus nomen trahit. quẽ gessit faba sortitus inter eas familias, qui magno in censu erãt, quos Pentacosiomedimnos vocabãt, ꝙ quingentos modios haberent in censu. Alterum exiliũ decennale, quod inopi exilium nemini solitũ erat, sed illis, qui ex illustri familia atq; ex fastu essent inuidiosi, irrogari. Tertium & postremũ, quòd in Liberi Patris templo victoriæ monimenta tripodas chorargicas reliquit. quæ & hoc nostro æuo ostenduntur, retinentq́ inscriptionem hanc: Tribus Antiochis vicit, Aristides choragus fuit, Archestratus docuit. Cæterùm hoc quod videtur plurimi momenti, minimũ habet tamen ponderis. siquidem quẽ omnes nouerunt mortales in egestate enutritum fuisse & vixisse graui, Epaminondas & Plato philosophus, non vulgaria munera exhibuerunt, hic puerorum chorum quem cyclium vocant, ille viros tibicines: prębente Platoni Syracusio Dione, superiori Pelopida. Neq; enim bellum boni viri cum amicorũ donis internecinũ & inexpiabile susceperũt: verùm ea, quæ ideo recipiuntur vt auaritiæ causa reponanť, sordida censent & abiecta, quæ verò cõiunctam habent ambitionẽ non quæstuosam & splendorẽ, nõ reijciũt. Cæterùm de tripode Demetriũ existimat Panætius nominis similitudine falsum. nam à bellis Persicis ad exitũ Peloponesiaci, duos modò choragos victores reperiri in actis Aristides, quorũ esse neutrũ eundẽ hunc Lysimachi filiũ: sed vni patrẽ fuisse Zenophilũ, alterum longo tempore minorẽ, vt scriptura arguit orthographiæ, quæ viguit post Euclidẽ: & qui ascriptus est Archestratus, quẽ Medicis bellis nemo, frequentes Peloponnesiacis choros docuisse perscribunt. Cæterùm Panætij dictum, quemadmodũ constet, perpendendũ est accuratius. Decẽnali verò exilio quilibet, qui gloria vel nobilitate vel eloquentia excedere censereť vulgus, expositus erat: vt etiã Periclis pręceptor Damon, ꝙ haberetur singularis prudentiæ, mulctatus tali exilio fuerit. Iam Aristidem Idomeneus nõ sorte, sed suffragijs ait creatũ ab Atheniensibus archontẽ: qui, si secundũ Platæensem aciẽ archon fuit, vt ipse literis ꝓdidit Demetrius, omnino cõsentaneum sit à tanto decore & rebus gestis tantis eò illũ per virtutem prouectum, quò ob diuitias aspirabant alij. At enim nõ Aristidem tantùm Demetrius, verùm etiam Socratem apertè contendit à paupertate, sicut à magno vindicare malo. quippe nõ modo domũ ei dicit fuisse, sed & minas septuaginta apud Critonẽ fœnori datas. Porrò Aristides Clisthenis necessarius fuit eius, q post tyrannos rempub. cõstituit. Hic æmulans ptæ cæteris viris q rempub. tractauerũt, atq; longe præferens Lycurgũ Lacedæmoniũ, statũ reipub. amplexus est, in quo pollerent optimates. Vbi aduersariũ habuit Themistoclẽ Neoclis, qui populi partes tuebatur. Hos quidã referũt à prima ætate, cùm vnà educarenť, omni in re & sermone vel serio vel ludicro dissensisse inter se, atq; ingenia eorũ statim ex illa cõtentione detecta: promptũ hoc et proiectũ, vafrumq́ quod citò & facilè quòuis ferretur: alterũ stabili fixũ indole esse & iustitiæ inhęrens, mendaciũ verò vel leuitatẽ vel fraudem ne in ludo quidem vlla ratione admittens. Aristus Chius ex amatorio initio natam eò refert exarsisse horum simultatem. Stesilaum enim, qui Cea oriundus figura & specie corporis longè omnibus pueris præstabat, cùm ambo amarent, non mediocri percitos affectu fuisse: neq; vnà cum deflorescente forma pueri abiecisse æmulationem, sed quasi in illa expertos lacertos suos ilicò ad rempub. prorupisse flagrantes & dissidentes. Ac Themistocles in sodalitium se conijciens, propugnaculo et opibus non cõtemnendis muniuit se. vnde ad illum qui dixit ei, præclarè moderaturum ipsum Atheniensibus, si æquus omnibus & communis esset: Nequaquam, inquit, ea consi-

† Hunc magistratum Eponymon vocat Plutarchus.

Aristidis genus.

Boni viri dona non spernunt.

Socrates nõ fuit pauper.

Aristides et Themistocles aduersarij in repub.

considеam sellà, in qua nullam prærogatiuam præ alienis habituri amici sint. Aristides verò seorsum peculiarem viam tenebat in repub. Primùm ad sodalium libitum nolebat peccare, neq; acerbus haberi si nõ obsecundaret studijs eorum. Deinde cùm amicorum præsidio non paucos cerneret inuitari ad iniuriam, id euitauit: volebat autem ex benefaciendo tantùm, exq; iusta agendo & dicendo exultare bonũ ciuem. Veruntamen multa mouente Themistocle periculosè, & aduersus omnes actiones suas cooriente atq; interpellante ipsum, compulsus scilicet ipse quoq; est partim vlciscendi gratia, partim Themistoclis reprimendæ potentiæ studio gliscentis populari factis eius reluctari: satius esse censens commoda populi aliqua negligere, quàm illum vbiq; inualescere victorem. Deniq; cùm Themistocles aliquando quiddam rectè atq; ordine ageret, aduersatus ei est. quo deiecto non continuit se, sed iactauit digrediens ex cõcione: nisi & Themistoclem & se † male perderent, non posse rempub. Atheniensem consistere. Alio tempore cùm rogationem ad populum tulisset, atq; ea impugnaretur, erat eam post cõcertationem obtenturus: iamq; missuro in suffragia populum archonte, ex ipsis habitis orationibus animaduerso vitio abiecit rogationem. Identidem etiam ferebat per alios rogationes, ne studio secum contendendi obsisteret Themistocles bono publico. Mirifica verò apparuit eius in actionum vicissitudinibus constantia. neq; enim honoribus inflabatur, & reflantem ventum sedatè ferebat & leniter: atq; æquè censebat præstare se patriæ debere vt non sine pecuniæ solum, sed & sine gloriæ præmio vel mercede eam administraret. Vnde sanè, cùm facti in Amphiaraum ab Aeschylo Iambi in theatro recitarentur,

Aristidis in tractanda repub. mores.

† In barathrum habet Plutarchus. Videtur carceris nomen esse. Vide Suidam, & Diod. Siculum. lib. 11

Aristidis constantia.

Boni viri descriptio.

Nec enim videri iustus hic, sed esse vult:
Alta recessum mente possidens, scatent
Ex quo salubria consilia per Græciam:

omnes conuerterunt in Aristidem, tanquam ad eum præcipue hæc virtus pertineret, oculos. Non solùm autem amori & gratiæ, sed iræ quoq; & odio repugnabat pro iustitia fortissimè. Ac ferunt, cùm inimicum iudicio persequeretur, abnuentibus post accusationem iudicibus reum audire, sed confestim in eum ferre parantibus sententiam, exilisse eum atq; vnà cum illo supplicasse, vt audiretur & legitimè cum eo ageretur. Aliàs cùm iudex sederet inter duos priuatos, & alter aduersarium diceret multas iniurias Aristidi obtulisse, Quin tu bone vir, dixisse, profers potius, si quid admisit in te: tibi enim non mihi sum iudex. Quæstor creatus demonstrauit non solùm sui temporis quæstores, sed & superiores magnam pecuniam auertisse, Themistoclem præ cæteris: Sapiens enim fuit vir, verùm manus non habuit continentes. Quare magna coitione in Aristidem facta negocium ei, cùm referret rationes, fecit & peculatus eum, vt Idomeneus ait, damnauit. Quod cùm ferrent principes ciuitatis & optimi quique indignè: non modò litis æstimatione liberatus, sed & quæstor est iterum designatus. Hic cum præ se ferret priorum consiliorum pœnitere se, & molliorem præberet, erat acceptus ijs, qui expilabant ærarium, quòd non deregeret ipsos nec exactè excuteret: vnde satiati pecunia publica in cœlũ ferebant Aristidẽ, ac populũ pro eo prensabãt, laborabantq; vt denuò quæstor crearetur. At populũ, cùm ipsum designaturus esset, castigauit. Cum enim, inquit, versatus in magistratu essem innocẽter & rectè, labe aspersus sum: vbi multa de publico depeculatoribus cõdono, præclarus videor ciuis. Me quidẽ magis huius pudet laudis ꝗ damnationis prioris: vestri verò miseret me, apud quos obsequi honorabilius est improbis, ꝗ conseruare cõmoda publica. Ita fatus vbi furta patefecit, applaudentes sibi & cõmendantes elingues reddidit: verùm aũt & iustũ tulit ab optimo quoq; præconium. Postquã ab Dario missus Datis, verbo ad persequendã à populo Atheniense pœnã, ꝙ Sardeis inflãmassent, reuera ad subigendã Græciã, appulit cum tota classe ad Marathonẽ et agros vastauit. atq; inter prætores, quos bello gerẽdo præfecerat populus Atheniẽsis, summæ authoritatis erat Miltiades: dignitate verò & potentia Aristides secũdus. In sententiã tunc de prælio cõmittendo Miltiadis descendendo nõ parũ momenti fecit. Cumq; ad singulos pretores vicissim singulis diebus summa potestas circumferretur, vbi ad ipsum vices rediere, tradidit imperiũ Miltiadi: collegas docens nõ esse audire et sequi prudentes turpe, sed amplũ & salutare. Ita cõpressa contentione hortatus eos vt vno in cõsilio acquiescerent optimo, eoq; vterentur, cõfirmauit Miltiadẽ, qui perpetuo imperio pollens fuit. quippe destiterũt tum singuli singulis diebus imperare, atq; illi dicto fuerunt audientes. In pugna cùm media Atheniensiũ acies laboraret, atq; ibi diutissimè Leontidẽ & Antiochidem tribus sustinerent barbari, fortiter dimicauerunt cõparati inter se Themistocles

Aristidis iustitia.

Aristidis quæstura.

Themistocles peculatui obnoxius.

Miltiadis de Persis victoria

& Aristides: quòd hic ex Antiochide, ille esset ex Leontide. Vt fusos fugatosque barbaros ad naues redegerunt, & cursum tenere eos non ad insulas conspexerunt, sed venti & maris vi intrò conijci ad Atticam: veriti, ne nudam defensoribus caperent vrbem, nouē tribubus ad vrbem aduolauerunt, eodemque die iter confecēre. In Marathone Aristides cum tribu sua relictus captiuorum & prædæ custos, non fefellit hominum de se opinionem: sed cùm in tentorijs & nauibus captis auri & argenti esset affluentia, magna copia omnis generis vestis & aliæ infinitæ prædæ, nec ipse cōcupiuit eam attingere, nec alium permisit: præterquam si qui eo inscio quid surriperent. in quibus Callias tedifer fuit: ad cuius pedes barbarus quidam ex coma & fascia regem ratus abiecit se. Cùm adorasset eum & dexteram apprehendisset, magnum pondus auri ostendit in puteo quodam defossum. Ibi Callias omnium hominum crudelissimus & teterrimus aurū abstulit: & hominem, ne proderet rem alijs, interfecit. Hinc dictos aiunt à Comicis posteros eius Laccoplutos, quasi ex puteo diuites: in locum, vbi aurum inuenit, cauillantes.

Calliæ tediferi scelus.

Mox Aristides magistratum, vnde annus denominatur, cepit. Quamuis archontem eum fuisse Phalereus Demetrius author est, paulò ante obitum suum sub Platæensem † Martem. Atqui in actis post Xantippidē, cuius magistratu superatus ad Platæas Mardonius est, ne cognominem quidem in permultis reperias Aristidem: at secundum Phanippum, cuius in magistratu pugnæ Marathoniæ palmam retulerunt, statim Aristides perscriptus archon est.

Aristides eponymus creatus.

† Martem, id est pugnam.

Aristides Iustus dictus.

Inter virtutes omnes eius maximè sensit multitudo iustitiam: quòd huius vsus ei solidissimus sit & communissimus. Ex qua vir ille pauper et popularis rege dignissimam & diuinissimam appellationem traxit Iusti: quam nemo regum vel tyrannorum ambiuit, sed Expugnatores, Fulminatores, Victores: nonnulli Aquilę dici et Accipitres voluēre, à violentia & potentia scilicet quàm à virtute laudem potius aucupantes. Et quidem Deus, quem referre & adæquare auent, tribus præcellere videtur, immortalitate, potentia & virtute: inter quas summæ maiestatis est & diuinitatis virtus. nam vacuum quoque & elementa æterna sunt: vim verò terræmotus, fulgura, ventorum procellæ, aquarum impressiones ingentem obtinent. At iuris rectique ne Deus quidem, nisi sapiendo & ratiocinando venit in consortium. Quare cùm tria quoque sint, quibus affectum erga Deum vulgus est, quòd eum beatum putet, timeat & honoret: beatum ducere videtur, quia immortalis est, nec interit: exhorrescere & metuere ob vim & potentiam: diligere & honorare & venerari iustitię causa. Atque cùm ita sese res habeat, immortalitatem, cuius natura nostra non est capax, & potentiam, cuius maxima in fortuna posita vis est, affectant: virtutem, verò quòd ex diuinis vnum bonum in nobis habemus, flocci faciūt malè consulti. siquidem vitam potentia, prosperitate, principatu præditorum iustitia diuinam efficit, iniquitas beluinam.

Iustitiæ laus.

Tria in Deo præcipua.

At Aristidi euenit, vt qui ob cognomen hoc primò diligeretur, pòst raperetur in inuidiam: potissimùm quòd sermonem Themistocles in vulgus ferret, Aristidē sublatis iudicijs, quòd omnia iudicaret & disceptaret, dominatum in ciues voluntariū clàm sibi parasse. Et populum iam, cui fecerat victoria animos, arrogantem offendebant illi, qui nomine & gloria eminerent: ac concione ex tota Attica in vrbem aduocata, exilium decennale, exostracismon vocant, irrogant Aristidi, inuidiæ gloriæ eius metum prætexentes tyrannidis. nullius enim facinoris erat illud exilium pœna: sed speciosum nomē habebat, vt authoritatis & potentiæ grauioris diceretur depressio & coertio. Erat verò inuidiæ mite lenimentum, quo stomachus ex offensa motus in vindictam nullam atrociorem, sed in exilium decennale effundebatur.

Aristidi irrogatur exilium.

Verùm postquam huic rei quidam inuoluere homines sordidos & improbos cœpere, postremò omnium in hoc exilium Hyperbolo expulso, eam reliquerunt. Dicitur ille exterminatus huiuscemodi de causa. Alcibiades & Nicias, quorum in ciuitate summæ opes erant, discesserant in partes. Vbi populum iam in suffragia iturum & alterum eorum constaret exterminaturum: collocuti inter se vtramque coniunxerunt factionem, struxeruntque vt Hyperbolus in exilium decennale exigeretur. Inde populus hanc rem conspurcatam & ludibrio habitam ægrè ferens, semel abrogauit eam & antiquauit.

Hyperboli exilium.

Ostracismi præscriptio.

Ea, vt breuiter perstringam, ad hunc agebatur modum. Testulam, quam ὄστρακον vocant, capiebat quisque, hanc, cùm ei inscripsisset quem ciuem vellet exigere, in vnum locum ferebat fori cancellis vndique septum. Archontes inde primò numerum inibant vniuersarum accumulatarum testarum: si intra sex millia essent, qui scripserant, inanis erat exostracismus. Pòst singula nomina ponebant seorsum: & qui esset à plurimis scriptus, huic permissis facultatibus suis constituebat exilium decennale. Dum igitur testulis nomina inscribunt, dici-

tur

tur illiteratus quidam & planè rudis Aristidi vt vni de plebe testulā tradidisse, petisseq́; vt inscriberet Aristidem. Admirante eo ac rogante, numquid in eum Aristides admisisset, Nihil inquit, neque est mihi ille notus: verùm stomachor quòd passim Iustum dici audiam. Quo audito nihil Aristidem ferunt respondisse, sed inscripsisse testulæ nomen suum, atque ei illam reddidisse. Vrbe excedens supinas manus tetendit ad cœlum, & diuersa sane fecit atque Achilles vota: ne vllum tempus populo Atheniensi incideret, quo reminisci adigeretur Aristidis ciuitas. Anno tertio, cùm Xerxes per Thessaliam & Bœotiam in Atticam terram irrumperet, rescissa lege sciuerunt exulibus reditum: metu Aristidis potissimùm, ne hostibus coniunctus complures ciues labefactaret, & ad desciscendum compelleret ad barbarum.

Aristides reuocatur ab exilio.

Cæterùm non perspexerunt eum satis. nempe ille etiam ante hoc decretum non cessabat adhortari et stimulare ad libertatem tuendam Græcos, & post decretum Themistocli cum summa potestate duci, omni in re consilio & opera aderat, atque hominem inimicissimum ob salutem publicam effecit quàm clarissimum. Postquam enim deserere deliberauit Eurybiades Salamina, & prouecta in altum nocte classis barbarica cinctum vndique fretum & insulas obsedit: cùm circumuentos Græcos animaduertisset nemo, Aristides ab Aegina præceps per mediam euectus hostilem classem contendit noctu ad tabernaculum Themistoclis, solúmq; euocato,

Aristidis facta & consilia contra Xerxem.

Nos iam, inquit, vana ista Themistocle, si sapimus, & iuuenili deposita dissentione salutare auspicemur & bonum certamen, Græciam contendentes conseruare: tu imperator & dux, opera ego & consilio, quando nunc vnum te optima ratione, classe vt quamprimùm decertemus in angustijs, intelligam consulere. Cùm autem tibi reluctentur socij, hostes videntur opitulari. Pelagus vndique & à tergo stratum hostili est classe, vt strenuos esse atque dimicare necessitas cogat vel inuitos, quòd via fugæ nulla pateat. Ad quę Themistocles, Puderet me, inquit, Aristide, si hac in re esses me potior: enitar autem cum præclaro principio luctando superare illud factis. Simul commentum ei quod struxerat barbaro aperit, hortaturq́; Eurybiadi persuadeat & doceat, non posse nisi prælio nauali ipsos incolumes esse. nam fidem maiorem adhibebat ei. Vnde cùm in concilio ducum diceret Themistocli Corinthius Cleocritus, nec Aristidi placere cōsilium ipsius quòd præsens sileret: occurrit Aristides, Nisi optimam sententiam Themistocles dixisset, non fuisse se taciturum: tacere autem nunc non hominis studio, sed quia comprobaret consilium.

Aristidis de Themistocle dictum.

Atq; in his Græcorum nauarchi erant. At Aristides Psytaliam aduertēs, quæ Salamini in faucibus prætenditur exigua insula, à magna manu hostium infessam, impigerrimum quemq; ac fortissimum ciuem imponit in naues actuarias, atq; in eam insulam irrumpit.

Psytalica pugna.

Ibi inita cum barbaris pugna concidit omnes: præterquam siqui viui illustres in potestatem venerunt, in quibus sororis regis, Sandauces nomine, tres filij fuēre. hos misit confestim ad Themistoclem. Ferunt hos ex oraculo quodā vate præcipiente Euphrantide, Omisti Baccho immolatos. Eam insulam sepsit circumquaq; Aristides armatis, ad excipiendos illos qui eò raperentur: quo nemo ex amicis periret, aut elaberetur ex hostibus. nam impressionem maximam nauium maximamq́; pugnæ vim apparet circa eum locum constitisse: quare & in Psytalia trophæum excitauerunt. Sub prælium, quo periclitarentur Aristidis sententiam Themistocles, præclarum factum ab ipsis ait perpetratum: verùm superesse præclarius, vt prouecti quàm ocyssimè in Hellespontum, ponte intercisso Asiam caperent in Europa. At cùm succlamaret mittendum Aristides hunc sermonem: imò rationem ineundam, & quærendū vt quam celerrimè Medum Græcia eijcerent, ne inclusus fuga intercepta ad vim cum tanto exercitu conuerteret se ex necessitate. Ita Themistocles iterum misit occultè ex captiuis Arnacem eunuchum, qui clàm regi demonstraret, quòd cupiat eum seruatum: Græcos se, qui ad pontem contendebant, auertisse.

Aristidis consilium salutare de Xerxe fugādo.

Hinc prætrepidus Xerxes properauit ad pontem: Mardonius verò cum delectissimis copijs ad trecenta millia est relictus. Formidabilis hic erat elatus firmissima legionum spe, & ad Græcos minaces literas scripsit: Marinis lignis viros superastis mediterraneos remigandi rudes: sed nunc spaciosa est Thessaliæ regio, apti Bœotiæ campi egregio equitatui & peditatui ad decertandum. Ad Athenienses priuatim literas regis mandato misit pollicentis, si se recepissent, vrbem ipsis instauraturum se, magnam pecuniam daturum, & imperium traditurum Græciæ. Quæ vbi Lacedæmonij acceperunt, formidantes miserunt Athenas legatos, contenderunt'que à populo Atheniense vt coniuges & liberos suos Spartam mitterent, senibus se suppeditaturos victum: siquidem premebat grauis egestas exutum agro & vrbe populum. Verùm

Atheniensium magnanimitas.

auditis legatis responsum reddidit ex Aristidis rogatione magnificum: Ignoscere hostibus se quod diuitijs & pecunia, quibus nihil nossent præstantius, omnia ducerent venalia: Lacedæmonijs verò succensere, qui præsentem populi Atheniensis paupertatem & inopiam viderent, virtutis & magnanimitatis nō meminissent, excitantes eum ad dimicandum pro Græcia cibi mercede. Ex hac rogatione in concionem deductis legatis Lacedæmonijs, iussit eos domum renunciare, Quicquid foret vel super vel sub terra auri, id tanti non esse populo Atheniensi, vt libertatem Græciæ sit proditurus. Mardonij legatis sole monstrato dixit: Quoad hic eum cursum tenebit, populus Atheniensis de vastatis finibus, de prophanatis & incensis templis Persas bello persequetur. Adhęc rogationem tulit, vt in capita illorū, qui legationem ad Medos misissent, aut societatem deseruissent Græcorū, deuotiones conciperent sacerdotes. Incursante secundò in terram Atticam Mardonio, transmeauerunt iteratò Salamina: Aristides aūt Lacedæmonem missus incusauit cunctationem & oscitantiam illorum, qui conculcandas denuò barbaris Athenas obiecissent. postulauit autem vt ad tuenda ea, quæ adhuc starent in Græcia, occurrerent. His auditis ephori ludere interdiu simulabant, ac solutos esse se festum diem agentes. nam inciderat in id temporis Hyacinthia. Nocte verò delectorū Spartiatarū quinque millia, quorū singuli septenis Ilotis sepserant se, inscijs Atheniensibus dimiserunt. Cùm iterū iam adisset illos Aristides, castigaretque: hi verò cum risu delirare diceret eum & dormire, iam enim ad Oresteū agmen esse & in peregrinos contendere (sic enim vocabant Persas) Parū tempestiuè, inquit luditis vos Aristides, qui pro hostib. imponitis amicis. Hæc Idomeneus tradit. At in rogatione Aristidis non ipse legatus, sed Cimon, Xantippus, & Myronides produnt.

Aristides dux Atheniensiū cōtra Mardoniū.

Lectus ad præliū dux cum libera potestate venit Platæas octo millibus militū. illic Pausanias vniuersi Græcorū exercitus dux cum Spartiatis coniunxit se ei. Eodē cæterorū Græcorū copiæ cōfluebant. Barbarorū omniū castra secundum Asopum amnē porrecta, nullis finibus cōtinebantur ob magnitudinē. Impedimēta & preciosissimas quasque res circumsepserāt muro quadrato: cuius singula latera lōgitudinem implebāt denûm stadiorū.

Oracula de victoria Platæēsi.

Pausaniæ aūt cæterisque Græcis in cōmuni vaticiniū ediderat Tisamenus Elius, præcinuitque victoriam si se defenderent, non si inuaderent priores. Aristidi, qui Delphos miserat, respōdit Apollo: laturos ex hostibus victoriā Athenienses, si vota Ioui, Iunoni Citheroniæ, Pani & nymphis Sphragitidibus nuncupassent: ac sacra Heroibus fecissent Androcrati, Leuconi, Pisandro, Damocrati, Hypsioni, Actæoni, Polyido: & in proprijs finibus decreuissent in Cereris Eleusiniæ & Proserpinæ campo. Hoc oraculum relatū iniecit Aristidi scrupulū. quippe Heroes, quibus præcipiebat sacrificare, duces fuerant Platæensium, & antrum nympharum Sphragitidum in vno vertice est Citheronis occasui solis æstiuo obuersum: quo loco fuerat olim, vt fama est, oraculū, multique incolæ fanatici erant, quos Nympholeptos vocabant. Eleusiniæ verò Cereris campi, & prælium in proprijs finibus si cōmitterent, promissa Atheniensibus victoria è diuerso accicbat & transferebat in Atticam bellū.

Nymphæ Sphragitides.

Insomnium Arimnesti.

Hic prætor Platæensium Arimnestus visus est per quietē, interrogatus ab Ioue Seruatore quid statuissent Græci, respondisse: Cras Eleusina Domine mouebimus hinc castra, atque ibi ex sortibus Apollinis cum barbaris dimicabimus. ac deus subiecisse, toto cœlo eos errare: ibidem enim in finibus Plataicis significare oraculū, & si inuestigarent, ipsos inuenturos. Hæc Arimnesto cùm oblata dilucidè essent, expergefactus accersiuit ꝓpterè ciuiū peritissimos & maximos natu: quibuscum re cōmunicata atque discussa, reperit iuxta Nysia sub Citherone, perquàm uetustū fanum esse Cereri Eleusiniæ & Proserpinæ nuncupatum. Mox Aristidem duxit secū ad locum illum. Erat cūprimis is idoneus ad pedestrē aciem illis, qui inferiores equitatu essent: quòd radix Citheronis impedita equitibus reddat extrema campi, qua cōtingit sacellum. Ibi etiam prope Androcratis fanum erat frequentiū & opacarum arborum luco septū.

Platæensiū magnanimitas.

Et quo nihil in oraculo ad spem victoriæ desideraretur, decreuerunt Platæenses Arimnesto promulgante, vt termini ad Atticam finium Plataicorum amouerentur, agrumque donarent populo Atheniensi: quo pro Græcia ex oraculo decernerent in suo.

Alexander Magnus honorat Platæensiū magnanimitatem.

Quæ Platæensium magnificentia vsque adeo fuit decantata, vt multis annis pòst Alexander iam Asia potitus, cùm erigeret mœnia Platæarum, per præconē Olympijs pronunciaret: Hanc se gratiam virtutis & magnanimitatis ergò referre Platęensibus, quòd Græcis bello Medico essent agrum suum largiti, promptissimamque operam nauassent. Tegeatæ autem de loco in acie ambigentes cum Atheniensibus, postulauerunt, quia vetere more dextrum cornu Lacedæmonij tenebant, vt item attribueretur ipsis læ-

Athenienſium magnanimitas.

ſis læuum. atq; hic multum maiores ſuos extulerunt. Indignantibus Athenienſibus procedens Ariſtides, Tegeatis, inquit, vt de claritate & virtute reclamemus, præſens non permittit tempus: apud vos verò Spartiatæ & reliquos Græcos dicimus, loco neque adimi neque conferri virtutem. Quem vos ordinem nobis aſsignabitis, eum dabimus operam vt ornemus atque tueamur, nec decora deformemus priora: neque enim vt tumultuemur contra ſocios adſumus, verùm vt cum hoſtibus dimicemus: neque vt patres noſtros laudibus feramus, ſed quo noſmetipſos præſtemus Græciæ viros fortes. ſiquidem præſens Mars declarabit, quanti quæq; ciuitas, & dux & priuatus ſit apud Græcos æſtimandus. Hæc vbi dicta dedit, cõſilium & duces collaudaris Athenienſibus alterum cornu attribuêre.

Athenienſium quorundam diuitum coniuratio.

Suſpenſa Græcia & præcipuè rebus Athenienſium ancipitibus, certi homines ex illuſtribus familijs & pecunioſi, qui per bellum ad paupertatem reciderãt, & qui omnem ſimul cum opibus potentiam domi & authoritatem perire cernebant ſibi, honoribus & imperijs ad alios delatis, in certas ædes Platæis conuenerunt occultè, coniurauerunt́q; de euertenda populi authoritate: quod ſi minus procederet, de labefactanda ſumma rerum & barbaris prodenda.

Ariſtidis prudens conſilium.

Dum hæc in caſtris miſcẽtur, & multi iam fuerunt deprauati, odoratus rem Ariſtides & articulum veritus, ſtatuit neque negligere rem, neq; totam excutere, incertus ad quam multos ea quęſtio pertinere poſſet: maluitq; iuſtitiæ quàm vtilitati publicę imponere modum. Igitur ex multis corripit octo tantum. Quorum duo, quibus iudicium fuit primis dictatum, quiq; maximè ſontes erant, Aeſchines Lamprenſis & Ageſilas Acharnenſis ex caſtris profugêre. Cæteros dimiſit, animum recipiendi & pœnitentiæ locum dans ijs, qui de ſe nondum compertum arbitrabantur: admonensq; magnum ipſis propoſitum forum eſſe bellum, quo ſi rectè atq; iuſtè conſulerent patriæ, diluere crimina valerent. Inde Mardonius, vt Græcos periclitaretur, quo præſtare plurimùm eis videbatur, equitatum cõfertum immiſit in eos ſub radice Citheronis locis ſedentes munitis & aſperis: pręter Megarenſes, qui ad trium millium numerum regione planiore caſtra habebant. vnde ab inuolante in patentes vndiq; equitatu affligebantur. Itaq; mittunt properè nuncium ad Pauſaniam ſubſidium petitum, non poſſe ſolos ſe vndam ſubſiſtere barbarorum. Quibus nunciatis Pauſanias iam caſtra Megarenſium deſpiciens nube cooperta iaculorum & ſagittarum, illosq; in arctum contractos ſuppetias venire ipſe cum graui armatura Lacedæmoniorum nulla valuit ratione, ſed alijs ducibus & manipularibus Græcorum, qui præſtò erant, virtutis & glorię laudem propoſuit, ſiqui vltrò ſuſciperent proludere et opem ferre Megarenſibus. Torpentibus cæteris omnibus ſuſcepit Athenienſium nomine Ariſtides negocium, & manipularium mittit impigerrimum Olympiodorum, cum ipſius manipulo delectis viris trecentis & admiſtis ſagittarijs. quibus actutùm inſtructis atq; in barbaros incurrentibus, equitum barbarorum Maſiſtius præfectus, vir ingenti robore corporis proceritateq; & ſpecie rara, vbi id conſiderauit, cõuertit equum atq; in eos infeſtum admiſit. Quibus illum excipientibus & confligentibus acris dimicatio extitit, quaſi periculum in hac ſummæ facientibus.

Athenienſes occidunt Maſiſtium Perſam.

Ibi equus eius ſagitta ictus Maſiſtium effudit. Lapſus præ armorum pondere & ipſe attollere ſeſe ægrè valuit, nec facilè eum inſtantes Athenienſes & ferientes potuerunt vulnerare: quia non ſolùm pectus & caput, ſed & reliqua membra auro & ære & ferro habebat munita. Tandem quidam, qua oculum aperiebat galea, haſtili iaculi fodiens interemit eum: reliqui Perſæ relicto cadauere fugam cepêre. Senſerũt huius palmæ magnitudinem Græci nõ ex cæſorum numero (quippe pauci ceciderant) ſed ex luctu barbarorum. etenim ob Maſiſtij necem ſemetipſos, equos, mulosq; totõderunt, eiulatuq; & planctu campum compleuerunt: quòd virum amiſiſſent ſecundum ipſum Mardonium virtute & authoritate longe primum. Poſt equeſtre præliũ abſtinuit diu vtraque pars pugna. propugnantibus enim vates iuxtà Perſis ac Græcis victoriam denunciabant ex extis: perniciem, ſi inuaderent hoſtem. Inde Mardonius, quòd ei in paucos dies ſupereſſet commeatus, Græcorum verò quotidie affluentibus aliquibus numerus creſceret: moræ impatiens ſtatuit non vltrà cunctari, ſed prima luce Aſopũ tranſire, atq; Græcos adoriri ex improuiſo. Id ducibus veſperi edixit.

Macedonũ rex detegit Ariſtidi Perſarum conſilia.

Noctis conticinio vir equo vehens, ſilentio admouit ſe caſtris Græcorum. Allocutus ſtationẽ petiuit, vt euocaretur Ariſtides Athenienſis. qui cùm properè adeſſet, Alexander ſum, inquit, Macedonum rex: huc cõtendi ſummo periculo me veſtri ſtudio obijciens, ne res improuiſa vos percellat, quo dimicetis deterius. nam cras decernet vobiſcum Mardonius acie: non ille quidẽ vlla ſpe bona fultus vel animo, verùm anguſtijs preſſus neceſſariorũ. quippe vates

quoq; tristibus extis & oraculorũ responsis deterrent eum à cõflictu, occupatq; languor ingens exercitũ & stupor. Cæterùm animum acuat necesse est & fortunã experiatur, aut sedens extremã sustineat famem. Ita fatus Alexander rogauit Aristidem id vt mente teneret & meminisset, alteri ne reuelaret. Hic verò conuenire negauit vt Pausaniam ea, penes quem esset imperiũ, celaret. Apud alios ostendit hoc ante pugnam se nõ vulgaturũ: at si vicissent Græci, neminẽ Alexandri studium & propensum animũ ignoraturũ. His dictis rex Macedonum retrò se recepit. Aristides verò ad tentorium Pausaniæ profectus, exposuit ei quæ nunciasset ille: accitisq; reliquis ducibus edixerũt, vt instructas copias haberent, quòd instaret prælium. Hîc, vt author est Herodotus, sermonẽ apud Aristidem intulit Pausanias, postulans vt Athenienses in dexterum cornu traduceret, eosq; Persis opponeret. melius enim dimicaturos pugnare cum illis doctos & pristinis subnixos victorijs. sibi sinistrum cornu traderet, in quod, qui stabant à Medis, Græci pugnaturi erant. At cæteri quidem Atheniensiũ præfecti insolentiã, & importunitatem reprehendebant Pausaniæ: q; cùm immotam aciem reliquã relinqueret, solos se sursum ac deorsum, tanquã Ilotas transferret, robori hostilis exercitus obijciẽs. Verùm Aristides rursus longè errare docuit eos, qui nuper de læuo cornu obtinendo decertauerant cum Tegeatis, prælatiq; exultauerãt: nunc Lacedæmonijs vltrò sibi dextro cedentibus, atq; imperium quodammodo tradentibus, neq; hoc decus amplecterentur: neq; quòd nõ cum popularibus suis & propinquis cõserturi manus, sed cum barbaris & naturalibus hostibus essent, in lucro ponerent. Hinc locum Athenienses cum Spartiatis cõmutauerunt alacriter, ac frequens sermo persuasit eos sese mutuò cohortantes, nõ cum præstantioribus hostes armis neq; animis maioribus quàm illos in Marathone accessisse: verùm eum ijsdem atq; illos arcubus, cum ijsdem picturatis vestibus et auro, in corporibus mollibus & effœminatis animis: sibi paria & arma & corpora, animos victorijs maior. Certamen est, non vt illis pro agro & vrbe tantùm, sed & pro trophæis Marathonicis & Salaminiacis: vt illa ne Miltiadi & fortunæ, sed asscribantur Atheniensibus. Hi ergo maturantes in permutandis ordinibus erant. Eam rem edocti à perfugis Thebani indicant Mardonio. qui mox, siue timens Athenienses, siue cõcurrere cum Lacedæmonijs affectãs, Persas in dextrum cornu traduxit cõtra Lacedæmonios: Græcos, quos in exercitu suo habebat, comparauit Atheniensibus. Visa ea ordinis conuersione Pausanias transgreditur iterum in dextrum: & Mardonius, vt initio cõstiterat, repetit aduersum Lacedæmonijs sinistrum. ita dies sine effectu transacta. Porrò Græcis re deliberata visum est longius mouere castra, ac locum capere aquationi cõmodiorem: quòd propinquos riuulos barbari, qui præualebant equitatu, cõspurcauissent & fœdauissent. Superueniente nocte cùm mouerent duces ad locum mutãdis castris designatum, haud promptè sequebatur neq; cohærebat multitudo: sed vt extra prima munimẽta venêre, vulgus militum petijt oppidum Platæensiũ, atq; illic diuulsi nulloq; ordine tendentes tumultuabantur. Lacedæmonij forte ab alijs relicti soli fuerunt, & quidem inuiti. namq; Amompharetus, vir ferox & præceps, iamdudum gestiens pugnare, procrastinationes & moras grauabatur: tunc verò planè castrorum translationem fugam vocans & cõsternationem, negauit locum se deserturum, sed insisturũ ibi cum manipulo suo, Mardoniumq; sustenturũ. Quem cum adisset Pausanias, ostenderetq; id facere se ex Græcorũ calculo & sententia: Amompharetus sublato ingenti saxo abiectoq; ante pedes Pausaniæ, Hoc, inquit, ego calculo de prælio suffragium fero: reliquorum timida cõsilia & decreta contemno. Ea re Pausanias æstuans, misit ad Athenienses iam abeuntes vt præstolarentur se oratum, atq; vnà pergerent. simul reliquum agmen Platæas duxit, vt excitaret Amompharetũ. Interea diluxit, & Mardonius (neq; enim fallebat eum castra Græcos deseruisse) instructã duces aciem magno barbarorum clamore & vlulatu impressionem dedit in Lacedæmonios, quasi non præliaturos, sed in fugam effusos oppressuri Græcos essent. Quod pene factũ est vt eueniret, nam cernens, quid ageretur, Pausanias constitit, edixitq; vt instrueret se quisq; in aciem ad dimicandum. Fefellit autem eum vel ira in Amompharetũ, vel celeritate hostium cõturbatum Græcis signum dare. vnde nec confestim nec conferti, sed turmatim & tumultuariè, cùm iam ad manus ventum esset, accurrebant. Quia verò sacrificans Pausanias nõ litabat, imperauit Lacedæmonijs, vt positis ante pedes clypeis considerent quieti, sibiq; attenderent, neque vlli hostium repugnarent. Tum alias hostias cædit, eùm irruerent equites. iam telum quoque accidit, & quispiam fuit ex Lacedæmonijs vulneratus. Interim Callicrates quoque, quem in Græcis forma venustissima & proceritate

Thebanorum proditio.

Amomphareti pertinacia.

Prælium Græcorũ cum Persis ad Platæas.

ceritate corporis supra cæteros memorant fuisse, sagitta ictus & moribundus, Non lamentor, inquit, letum: quippe eò huc domo veni, pro Græcia vt occumberem, sed quia nulla re perpetrata emorior. Atque erat malum illud quidem graue, & Spartiatarum insignis tolerantia. neque enim impetum hostium propulsabant, sed tempus à Deo atque duce operientes, sustinebant in ordinibus suis vulnerari & concidere. Nonnulli sunt authores, Pausaniæ paululum extra aciem operanti sacris, & pacem deûm exposcenti, Lydos aliquos inferentes sese repentè eripuisse atque dißipauisse sacra: Pausaniam verò eiusq; comites, quibus arma ad manum non erant, virgis & flagellis illos cecidisse. quare etiam hac memoria illius incursus celebrari Spartæ simulachra plagis circa aram adolescentium & Lydorum inde pompa. His rebus Pausanias anxius, alias ex alijs hostias vate cædente, atque lachrymis oppletus conuertit se ad fanum Iunonis, manusq; ad cœlum tendens precatur Citheroniam Iunonem, cæterosq; deos qui Plataicam terram incolunt: si in fatis non foret, vt potirentur Græci victoria, saltem vt re alia patrata memorabili caderent: & vbi hostibus re ostendissent, viris fortibus eos & bellicosis arma intulisse. Ita Pausania deos obtestante, vnà cum precibus apparuerunt læta exta, & victoriam aruspices nunciauerunt: datoq; signo, vt omnes cum hostibus manus consererent, phalanx subitò speciem præ se tulit vnius ferocis animalis, ad vim se vertentis & inhorrentis. Tunc animaduerterūt barbari certamen sibi esse cum viris, qui vsq; ad extremum spiritum essent dimicaturi. Itaque multis obiectis cetris Lacedæmonios incessebant sagittis. Hi densa phalange adoriebantur eos, dataq; impresione tegumenta illa impellebant, & lanceis ora pectoráque Persarum scrutantes multos sternebant. Nec cadebant illi tamen ignauè. hastas enim nudis prensabant manibus: quarum plurimas confregerunt, securesq;, quas copidas vocant, & acinaces strinxerunt. neque id incassum, verùm diu se his defenderunt. Athenienses quidem tunc quiescebant, quòd expectarent Lacedæmonios: vt verò frequens pugnantium clamor auribus eorum accidit, & nuncius adfuit à Pausania, qui quid ageretur declarabat, maturauerunt opem ferre, In progredientes per campum, quà clamorem audiebant, inuehebant Græci, qui stabant pro Medorum partibus. quod vt conspexit Aristides, primùm longè ante agmen prouectus, alta voce præsides Græciæ deos testatur vt prælio temperent, nec obstent vel interpellent opem ipsos ferentes ijs qui pro Græcia dimicent. Vbi cernit nihil moueri eos & ad prælium expedire se, ita auersus ab ope Lacedæmonijs ferenda, cum his, qui ad quinque millia erant, contulit signa. At maxima pars gradum retulit extemplò & se recepit: quòd etiam barbari tum terga vertissent. Pugna fuisse acerrima dicitur cum Thebanis: quòd cum Medis principes eorum & factiosissimi quique facerent enixissimè. qui plebem inuitam quidem, sed paucorum potentium iuri obnoxiam ducebant. Ita cùm duo essent diuersa certamina contracta, primò Persas Lacedæmonij propulêre. Mardonium Spartiates quidam nomine Arimnestus, capite eius lapide icto peremit, vt prænunciauerat ei in fano Amphiarai oraculum. nam eò Lydum quendam miserat Mardonius, alium Charem ad Triphonij. Huic vates lingua Carica responsum reddidit: Lydo in Amphiarai adyto sopito visus est minister aliquis dei assistere, iubereque vt abiret: quo abnuente caput eius ingenti saxo percussisse, vt existimaret se ex ictu exanimatum. Hæc ad eum modum aiunt gesta. Effusos in muros ligneos redegerunt. Mox Athenienses auerterunt Thebanos: interfectis in acie clarissimis eorum & primis trecentis. Postquam hi terga dederunt, barbaros intellexerunt in castra compulsos obsideri. quare permisso Græcis receptu accurrerunt ad munitionem barbarorum. Segnibus Lacedæmonijs & imperitis mœnia oppugnandi, superuenientes castra magna hostium strage expugnauerunt. Ferunt ex CCC millibus cum Artabazo XL millia fugam cepisse. Ex his, qui pro Græcia dimicauerunt, non plus MCCCLX desiderati. in quibus fuerunt Athenienses duo & quinquaginta, omnes ex tribu Aiantide: quæ, vt Clidemus ait, pugnauit fortissimè. quamobrem nymphis Sphragitidibus Aiantidæ victoriæ causa, sacra ex Apollinis oraculo præscripta sumptu publico faciebant. Lacedæmonij vnus supra nonaginta, Tegeatæ sexdecim. vnde mirum est, cur solos hos Herodotus prælium inisse cum hostibus, nullum præterea Græcorum dicat: cùm numerus cæsorum & monumenta victoriam testentur communiter obtentam. neque aræ hunc titulum inscripsissent, solæ si certassent desidentibus alijs tres ciuitates:

Vindicis hanc quondam, Persæ cùm terga dedissent,
Aram communem Graia erexere Pelasgi

Callicratis morientis dictum egregium.

Precum efficacia.

Græcorum de Persis victoria ad Plateas.

Mardonij cædes.

Athenienses expugnant Persarum castra.

Herodotum reprehendit.

* In græco etiã pentameter desideratur.

Victores patriæ clara trophæa Iouis.

Pugnatum fuit, vt Athenienses supputant, quarto die mensis Bœdromionis: vt Bœotij, vigesimo septimo Panemi. quo die adhuc conuentus Græcorum agitur Platæis, sacrificant'que ob adeptam victoriam Ioui Liberatori Platæenses. Dierum dissonantiam non est quod mireris: quando vel nunc rebus magis limatis Astronomicis, aliud alij mensis principium & exitum faciunt. Hinc cùm Spartiatis non tribuerent Athenienses palmam, neu eis permitterent, vt erigerent trophæum: secessione inter Græcos armatos facta, tantum non concidissent omnia, nisi multùm mulcens, mouensque Aristides collegas, imprimis Leocratem & Myronidem, compescuisset eos, induxissetque vt rem Græcorũ permitterent iudicio. Dum ea de re deliberant Greci, Theogiton Megarensis in aliam ciuitatem censuit, nisi bellum ciuile vellent excitare, hoc decus conferendum. Sub eo exurgens Corinthius Cleocritus hanc laudem videbatur Corinthijs petiturus. erat enim secundum Spartam & Athenas summa dignitas vrbis Corinthi. Verùm omnibus acceptam dixit & mirificam pro Platæensibus sententiam, consuluitque vt omisso certamine illis concederent victoriæ præmium, quorum honori inuisuri neutri essent. Postquam finem dicendi fecit, princeps Aristides Atheniensium nomine, inde nomine Lacedæmoniorum concessit id Pausanias. Ita conciliati præcipua octoginta talenta Platæensibus dederunt, ex quibus templum Iunonis extruerent: signúmque eius in templo posuerunt, & id exornarunt picturis, quæ etiamnum florem suum retinent. Trophæum excitauerunt seorsum Lacedæmonij, seorsum etiam Athenienses. De sacrificio consulentibus respondit Apollo, Ioui Liberatori erigerent aram: at sacra antè ne facerent, quàm extincto per totam regionem igne, quòd esset per barbaros pollutus, purum Delphis ex communi foco accendissent. Itaque magistratus Græcorum ilicò circumuecti, subegerunt eos, qui igne vterentur, omnem extinguere. Ex Platæensibus pollicitus Euchidas, quàm ocyssimè fieri posset, allaturum se à deo ignem, Delphos profectus est, lustratoque corpore & lympha asperso, laurea coronatus ignem sumpsit ex ara, currensque retrò Platæas contendit, & ante solis occasum reuersus est: eodem die mille stadiorum emensus. Salutatis ciuibus vbi ignem tradidit, concidit confestim, & paulò pòst expirauit. Sustulerunt eum Platæenses, atque in Eucliæ Dianæ fano funerauerunt, inscripseruntque hoc tetrametrum:

Athenienfium & Lacedæmoniorum de tropheo erigendo dissensio.

Platæensibus honos victoriæ ad Platæas à Græcis conceditur.

Euchidæ celeritas mira.

Euchidas Delphos cucurrit, & die reuersus vno est.

Eucliam vulgo vocant vt arbitrantur Dianam: nonnulli ferunt Herculis & Myrthûs Menœtij filiæ & sororis Patrocli filiam esse. Hanc in virginitate defunctam coli apud Bœotios & Locros. Est eius per omnia fora ara & simulachrum, eique ante nuptias sponsi sponsæque sacrificant. inde aduocata concione communi Græcorum rogationem tulit Aristides, vt Probuli & Theori Græciæ quotannis Platæis concilium agerent, vt quinquennales ludi fierent Liberalium: vtque descriptio fieret inter Græcos ad bellum cum Persis gerendum decem millium clypeatorum, mille equitum, nauium centum: Platæenses sacrosancti essent, immunesque ad sacra deo pro Græcia facienda relinquerentur. Eo approbato scito, Platæenses recepẽrũt Græcis, qui ceciderant illic & humati fuerãt, quotannis parentare, quod in hanc diem adhunc faciunt modum. Memacterionis mensis, qui apud Bœotios est Alalcomenius, sextodecimo die pompam agunt: quam antecedit prima luce tubicen classicum canens. sequuntur plaustra myrthi & coronamentorum plena, taurus niger, libamina in amphoris vini & lactis, crossosque olei & vnguenti adolescentes ingenui ferunt. nulli enim licet homini conditionis seruilis illud attingere ministerium: quòd illi viri pro libertate occubuissent. Nouissimus Platæensium archon, cui aliàs neque ferrum attrectare, neque aliam quàm candidam induere vestem fas est, tunc sago puniceo amictus sumit ex tabulario hydriam, gladiumque tenens medio oppido ad monumenta pergit. mox aquam ex fonte capit, abluit pilas & inungit, immolatoque super piram tauro, Iouem ac Mercurium inferum precatus, viros illos fortes, quique tum pro Græcia oppetierunt, ad cœnas & inferias inuitat. tum pateram vino miscet, quam vbi profudit, ita fatur: Propino illis viris, qui pro libertate Græciæ occiderunt. Hæc solennia seruant in hodiernam diem Platæenses. Postquam regressos in vrbem Athenienses quærere animaduertit Aristides remp. popularem, existimans tum dignũ virtutis causa populum, vt eius ratio haberetur: tum non esse prœliue pollenti armis atque ob victorias animos sustollenti vim adferre, rogationẽ tulit, vt respub. omnibus proposita esset, & archontes ex vniuerso populo crearentur. Cùm aiit pro concione The-

Euclia, id est Diana.

Quomodo Platæenses parentent Græcis, qui ibi in acie ceciderant.

Aristides popularis.

Aristides Themistocli præfertur.

mistocles consiliū demonstrasset se habere & sententiam arcanā, vtilē verò reip. & salutarem: soli iusserūt eum id Aristidi aperire & cum eo discutere. vbi declarauit Aristidi deliberasse se Græcorum nauale incendere, ita fore vt omniū potentissimus populus Atheniensis & dominus esset, progressus in concionem Aristides dixit: re, quam machinatur Themistocles, neq; compendiosiorem aliam esse neq; iniquiorem. Quod vt populus Atheniensis audiuit, desistere iussit Themistoclem. ita populus ille iustitiā colebat, ita magna viro huic apud populum fides erat & authoritas.

Populi Atheniēsis iustitia.

Dux ad bellum collega Cimone missus, cùm Pausaniam videret, cęterosq; duces Spartiatarū socijs duros & asperos esse, placidè & benignè eos appellando, & Cimonem præbendo in expeditionibus comem eis & cōmunem, imprudentibus Lacedæmonijs imperiū detraxit non armis, non classe, vel equitatu, sed beneuolentia & ciuilitate.

Aristides transfert imperium Græciæ à Spartanis ad Athenienses.

Gratos enim Græcis ex Aristidis iustitia, & Cimonis moderatione Athenienses efficiebat Pausaniæ iniquitas, & austeritas multo exoptatiores. siquidem sociorū duces nunquā non cum stomacho & asperè appellabat, milites q; mulctabat plagis, aut iniecta anchora ferrea totum diem cogebat perstare. tori parandi vel pabulandi copiā, aquandi'ue nisi post Spartiatas nemini faciebat: sed flagellis, siqui accederēt, abigebāt accensi.

Pausaniæ austeritas.

Ea de re cùm illū aliquando increpare & admonere Aristides cuperet, adducta fronte negauit vacare Pausanias, nec eū audiuit. Inde Græcorum nauarchi & prætores, pręcipue Chij, Samij, & Lesbij adierūt Aristidē, consuluerunt q; vt imperiū capesseret, sociosq;, qui iampridē relinquere Spartiatas & transire auerent ad Athenienses, assisceret. Respondente Aristide, videre se orationē ipsorū plenā esse necessitatis & æquitatis: cæterùm ad fidei pignus opus esse facto, quod perpetratū sententiā mutare nō esset permissurū multitudini. Ita Vliades Samius & Chius Autagoras cōspirantes, circa Byzantiū in nauē Pausaniæ incurrūt primā euectā, cùm eam in medio cepissent. vbi ille id cōspiciens exurrexit, atq; in flāmatus ira denunciauit breui se ostensurū, nō in nauem suā eos, sed in ipsorū patriā incurrisse: facessere iusserūt eum, ac magnas gratias agere secundæ ad Platæas fortunæ. nam illius adhuc verecundia non expetere Græcos meritas ab eo pœnas. Postremo defecerūt ab eo, transitionem q; fecerunt ad Athenienses. Insignis grauitas hic extitit ciuitatis Spartanæ. vt enim deprauari ex amplitudine potestatis senserūt duces suos: deposuerunt vltrò principatū, ac destiterunt ad bellū mittere duces, maluerunt q; modestos habere & disciplinæ patrię inhærētes ciues, quàm vniuersæ Græciæ imperiū obtinere.

Lacedæmoniorū moderatio.

Porrò Græci etiam imperio Lacedæmoniorum nonnihil stipendij cōtulerant: verùm quia oppidatim volebāt id imponi singulis æqualiter, Aristidē ab Atheniensibus postulauerunt, eiq; negociū dederunt, vt inspecto agro & vectigalibus præscriberet, pro cuiusq; facultatibus & opibus quantū penderet.

Aristides censet ciuitates Græciæ.

Qui cum tantæ rei haberet arbitrium, & cùm Græci quodammodo summā rerum ad vnum eum detulissent: pauper profectus est, & reuersus pauperior: tributiq; descriptionē non solùm innocenter & æqualiter, sed etiam gratè omnibus atq; conuenienter fecit. vt enim Saturni regno prisci, ita Atheniensium socij descriptū ab Aristide tributū, felicitatem Græciæ appellantes, ferebāt illud in cœlū: maximè quia non multo pòst duplicatū, mox triplicatū fuit. quod enim indixit Aristides, sexaginta & quadringenta talenta efficiebat. huic adiecit Pericles pene trientem: siquidem sexcenta talēta Thucydides ait initio belli Peloponnesiaci populo Atheniensi socios tulisse. Defuncto Pericle, qui populum tenebant, tributū intendentes paulatim ad mille trecentorū talētum summā redegerunt: non ita quo propter longinquitatē & clades flagitaret tantos sumptus bellum, vt quòd ad largitiones, spectaculorū sportulas, signorū & templorū extructiones populū impulissent. Cùm igitur magno nomine Aristides & illustri esset ex tributi digestione, dicitur Themistocles eū derisisse: quasi nō ea viri laus sed loculorū esset, quib. aurū asseruatur. dissimili modo Aristidis dictū vltus.

Aristidis ac Themistoclis inter se dicta.

Ille enim cùm Themistocles aliquādo dixisset, maximā se virtutē ducere imperatoris, hostiū cōsilia nosse & præsentiscere: Hoc quidem, inquit, necessariū est Themistocle, at præclarū & imperatore dignū manus habere abstinētes. Porrò Aristides adegit Græcos iureiurādo, & Atheniēsium nomine iurauit ipse, ac post imprecationes proiecit in mare cādentes massas ferreas. Pòst cùm res cogeret, sicut mihi videtur, vt vim imperij intēderēt, cohortatus Atheniēses est, vt periuriū in ipsum verterēt, atq; imperium vsurparēt, prout postularet vsus. Breui hūc virū ait Theophrastus in rebus priuatis & erga ciues summè iustū, in repub. tamē multa ad tēpora patrię, quasi multa iniqua illa flagitaret, perpetrasse. Etenim cùm deliberaretur, an pecuniā ex Delo cōtra fœdus Athenas deportarēt, idq; essent Samij authores, illū dixisse: nō hoc

Aristides de paupertate gloriatus est.

iustũ quidẽ, sed esse vtile tamen. Deniq; cùm ad tã multorũ hominũ prouexisset ciuitatẽ suã imperiũ, perstitit ipse in paupertate, gloriamq; ex eo, q; esset inops, nõ secus atq; ex victorijs perpetuò cupiuit. id hinc liquet. Callias tedifer erat propinquus eius, hunc inimici rei capitalis postulauerũt. Qui cùm crimina obiecta tractassent defunctoriè, hęc extra causam ad iudices cõmemorauerunt: Aristidẽ, inquiũt, nostis Lysimachi filiũ, cuius magna apud Gręcos existimatio est, huius rem familiarem quem ad modũ arbitramini esse comparatã, cùm in pallio eum tam obsoleto cõspiciatis in publicũ prodeuntem? Quid, hũc qui in publico riget, non' ne domi consentaneũ est esurire & necessariorũ ad vitã inopem esse aliorum? Eum Callias tamen consobrinum suum, Atheniensium pecuniosissimus, negligit eum liberis & coniuge premi penuria: quo multum vsus est, & ex cuius apud vos authoritate frequenter cepit fructum. Hac oratione Callias videns vehementissimè incensos iudices in se exarsisse, excitauit Aristidem, rogauitq; vt testimonium apud iudices perhiberet: cùm sæpenumero multa obtulisset ei, atq; vt acciperet, orasset, recusasse ipsum ac respondisse: plus gloriandum sibi egestatis causa, quàm pecuniæ Calliæ. quippe multos ostendi posse, qui copijs bene & male vtantur: paupertatem qui egregiè ferret, eius rarum esse exemplum. Erubescere autem paupertatem illos, qui inuiti egeant.

Paupertatẽ ferre æquo animo, difficile.

Hoc testimonium cum Calliæ dedisset Aristides, nemo fuit auditorum quin ita discederet: cum Aristide vt præoptaret pauper esse, quàm diues cum Callia. Hoc Aeschines Socraticus literis prodidit.

Aristides laudatus à Platone.

Plato autem inter complures, qui Athenis magni habiti & celebres fuere, vnum censet hunc virum memorabilem. Themistoclem enim & Cimonem & Periclem porticibus, pecunia, multisq; quisquilijs referciisse ciuitatem: Aristidem verò actiones suas ad virtutem direxisse.

Aristidis in Themistoclem moderatio.

Magna etiam extant moderationis eius aduersus Themistoclem vestigia: quem omnibus in actionibus suis cùm aduersarium habuisset, atq; eius opera fuisset in exilium exactus. Vbi occasio de illo se vindicandi ad populum accusato oblata est, non reuocauit ea ad memoriam: sed cùm eum Alcmæon Cimonq; & alij multi fatigarent ac periculũ crearent, solus Aristides nec facto lęsit eum nec dicto: neq; squallori insultauit inimici, sicut nec antè inuiderat ei rebus lætis.

Aristidis mors. Aemil. Probum vide.

Decessisse Aristidem alij in Ponto memorant, quò nauigauerat reipub. causa: alij Athenis ex senio à ciuibus honoratũ atq; celebratũ. At Craterus Macedo hæc de obitu eius tradit. Sub Themistoclis exiliũ refert lasciuiẽte populo gregẽ extitisse quadruplatorũ. qui proceres & principes appeterent, ac flammæ populi secundis rebus & potentia luxuriantis subijcerẽt. In his Aristidẽ quoq; accusatore Diophante Amphitropensi repetundarum damnatũ: quòd cùm vectigalia exigeret, pecuniã cepisset ab Ionibus. qui cùm litis æstimationẽ (quinquaginta minæ erant) soluere nõ posset, nauigio auectũ & in Ionia extinctum. Huius rei Craterus scriptũ monumentũ profert nullũ, neq; formulã accusationis, neq; plebiscitũ: solitus alioqui talia asscribere & citare authores. Reliqui propè dixerim omnes, quotquot huius populi prosecuti sunt in duces suos offensa, Themistoclis exiliũ, Miltiadis vincula, Periclis mulctã, fatũ in foro Pachetis (qui semetipse cùm damnaretur peremit in suggestu) multaq; eiuscemodi congerunt & exagitãt. Aristidis verò attexunt exiliũ, damnationis huius nusquã meminerunt.

Aristidis funus.

Atqui tumulus eius extat in portu Phaleræ: quem ei, cùm ne sumptum quidem funeris reliquisset, publicè ferũt factum.

Atheniẽsium in liberos Aristidis gratitudo.

Filias eius ex prytaneo scribũt sponsis elocatas, populum sponsalia publicè fecisse, ac tria millia drachmarũ dotis vtriq; sciuisse. Filio minas argẽti centũ, totidemq; iugera agri arboribus consiti dedit populus, alias insuper quaternas in diẽ drachmas attribuit ex rogatione Alcibiadis. Præterea cùm Lysimachus reliquisset filiã Polycritã, vt refert Calisthenes, huic quoq; annonam, quantam Olympionicis sciuit populus.

Myrtho Aristidis neptis, à Socrate ducta.

At Demetrius Phalereus, Hieronymus Rhodius, Aristoxenus musicus, & Aristoteles, si modò liber de nobilitate inter germanos est Aristotelis libros recensendus, Myrtho tradũt Aristidis ex filia neptẽ à Socrate illo sapiente domũ acceptã: habuisse illũ quidẽ aliã vxorẽ, verùm eũ hãc viduã & per inopiã omnium rerum egenã recepisse. Cæterùm refellit abundè hos Panætius in libris, quos de Socrate cõscripsit. Phalereus in Socrate, cognosse refert se inter Aristidis nepotes ex filia oppidò pauperem Lysimachum, qui iuxta locũ, quod Iaccheum appellatur, sedens vitam interpretãdis ex tabula quadã somnijs toleraret: cuius matri & materteræ se rogationẽ ferentẽ obtinuisse apud populũ, vt triobolũ in dies singulos dono daret. Ipse Demetrius tamẽ corrigens leges Athenis decreuit vtriq; mulieri drachmã. Neq; mirum est tantã curam egisse populum eorum qui in vrbe agerent, cùm Aristogitonis ex filia neptem, quàm viuere acceperat in Lemno sordidè, illocabilem ob inopiam

redu-

reduxerint Athenas, atq; nobili viro nuptum dederint: in dotem largiti prædium in Potamo. cuius humanitatis & benignitatis, quia multa hac etiam ætate edit illa ciuitas documenta, meritò commendatur & celebratur.

Athenienses à liberalitate laudantur.

M. Cato Maior.



. CATONEM Ferunt Tusculo oriundum habitasse & vitam egisse, prius quàm stipendia faceret & rempub. capesseret, in prædijs paternis in Sabinis. cuius maiores cùm in totum ignobiles haberentur, ipse Marcum patrem Cato vt egregium virum & strenuum militem celebrat: Catonem etiam proauum dona militaria sæpius refert obtinuisse: ac cùm bellatores equos quinq; amisisset in conflictibus, precium ei ex ærario virtutis causa redditum. Quia verò solent Romani obscuro genere ortos, qui incipiant actibus inclarescere suis, nouos homines appellare vt etiam appellabant Catonem: nouum ille se ad magistratus & claritatem, sed factis maiorumq; virtutibusq; ferebat per esse vetustum. Dictus fuit antè tertio nomine non Cato, sed Priscus: pòst Catonis nomen traxit à solertia. Romani enim experientē Catum vocitant. Facie fuit subrufus & cæsius, vt declarat cum felleille, qui hoc minutum epigramma fecit:

Catonis Maioris genus.

Noui homines.

Catus.

Catonis facies.

Ruffum, mordacem, glaucum, ne quidem exanimatum
Porcium in infernum Persephone recipit.

Corporis cōstitutionem laboribus suis, sobrio victu & expeditionibus, in quibus à prima ætate adoleuit, perquam parauerat habilem, ad roburq; & sanitatem iuxtà comparatam. Orationem verò sicut alterum corpus & * organum non honestum modò verùm etiam necessarium viro, qui non in obscuro sit neq; in ocio victurus, continuo patrocinio eorum, qui operam suam requirebant, in finitimis vicis & oppidulis instruebat & aptabat. Ac primùm acris habitus est causarum actor, deinde orator insignis. hinc fuit vtentibus eo morum grauitas, & pondus magis cōnspicuum, quòd latum campū & rempub. requireret rerum dominam. non modò enim à quæstu iudiciario forensiq; præbuit se integrum, sed nec gloriam videbatur ab illa palæstra vt summum præmiū sectari. Cæterùm quia inclarescere ex pugnis potius cum hoste ineundis atq; armis adolescens etiānum gestiebat, corpus habebat aduersis cicatricibus oppletum. nam ait ipse annos natū septemdecim prima se stipendia fecisse: quo tempore Annibal florens vrebat Italiam. In acie exhibebat se manu strenuum, loco non cedentem, vultu ferocem. Verborum minis & asperitate vocis aduersus hostes vtebatur: rectè sentiens & docens plus sæpenumero ijs rebus, quàm gladio percelli hostes. Ferebat per expeditiones ipse in agmine arma. seruus eum sequebatur vnus, qui cibaria eius portabat: cui dicitur prandium vel cœnam apponenti nusquam succensuisse aut obiurgasse, imò expletis muneribus militaribus, eum ipse adiuuisse ferè atq; vnà manum admouisse. Potabat in expeditionibus aquam: extraquam si immenso æstu sitiret, tum potabat acetum, aut fatiscentibus viribus postremo loco parum vini sumebat. Erat agris eius casa M. Curij, qui ter triumphauit, vicina. Quò cùm commearet assiduè, prædijq; angustias & penatium spectaret humilitatē: substituebat animo, illum virum qui, cùm inter Romanos esset maximus, & gētes subegisset bellicosas, atq; Pyrrhum Italia summouisset, hoc rusculum ipse foderet, & hanc habitaret casam: post tres triumphos ibi ad focum sedentem, atq; ipsum rapas elixantem cùm reperissent legati Samnitium, magnum auri pondus ei obtulerint. Quos reiecerit, negans esse ei auro opus, cui talis sufficeret cœna: malle aūt vincere se aurum habentes, quàm ipsum habere. Hæc secum voluens abibat Cato, & domum suam ex altera parte contemplans, & prædia, & seruitia, & victum, intendit laborem, sumptus'que immodicos circumcidit. Cùm Fabius Maximus Tarentum reciperet, sub eo fortè admodum adolescens militabat Cato. Hospitio vsus Nearchi cuiusdam Pythagorici, desiderauit eam disciplinam intelligere. De ijsdem cùm differentem illum audiuisset, (quibus vsus Plato est qui voluptatem maximam mali escam vocat: calamitatem animæ primam, corpus: liberationem & purgationem illas cogitationes, quibus maximè à corporis affectibus auocat & abducit se ipsam) amplexus est multò acrius frugalitatem & continentiam. Alioquin literas Græcas serò traditur attigisse, atq;

Catonis mores & vita.

* Vide an'ne legendum: organum virtutum vnicū & necessarium.

Cato fortis miles.

Cato maior M. Curij frugalitatem admirabatur.

Nearchus Pythagoricus Catonis præceptor.

Cato serò Græcas literas attigit.

atque admodum profectus ętate libros Græcos in manus sumpsisse: fuisseq́ aliquantulum ei à Thucidide, plus à Demosthene collatum ad dicendum. Scripta eius certè Græcorum præceptis & exemplis satis sunt aspersa, multaq́ ad verbũ reddita facetijs & sententijs inclusit suis. Erat Romæ ex nobilitate vnus ex principibus, magnęq́ authoritatis, qui & nascentem virtutem aduertere mirè poterat, & candidus in alenda & efferẽda erat ad gloriam, Valerius flaccus. Hic habebat prædia vicina Catoni, cuius cùm labores & rationes viuendi accepisset à seruis, mirareturq́ cùm narrarent illi manè eum forum adire & prçstò esse petentibus: regressum ad villam, tempore brumali vestitum exomide, æstate operari cum illis nudum, eadem mensa eodem vesci pane atq́ idem vinum bibere: simulq́ magnam eius aliam humanitatem & moderationem, adhæc facetè dicta sententiasq́ referrent, iussit eum vocari ad cœnã. Hinc ex consuetudine animaduertens ingenium eius placidũ & ciuile, plantæ modo culturam & locum illustrem requirere, inuitauit eum & perpulit, vt Romę se ad rempub. accommodaret. Quò vbi cõmigrauit, multos ilicò, qui eum obseruarent & diligerent, patrocinijs cõparauit. Promouente eum enixè ad honores Valerio, tribunatum & primo loco adeptus est. inde functus quæstura. Hinc inclytus iam spectatusq́, maximos honores cùm ipso Valerio gessit, cõsul cum eo fuit: inde censor. Ex maioribus natu ciuibus, ad Fabiũ Maximũ accommodauit se: cuius quamuis clarissimi viri & summæ authoritatis impensius mores & vitam vt præclarissima exempla ob oculos posuit. Vnde Africanũ maiorẽ, qui quamuis id tẽporis iuuenis esset, aduersus potentiã tamẽ insurgebat Fabij, qui æmulari videbatur cum eo, non dubitauit oppugnare. Sed & quæstor cum eo ad bellũ in Africam missus, vbi vsurpare cernit eum solitã profusionẽ, & pecuniam effundere in milites, admonuit eum liberè: nec tanti sumptus demonstrauit se facere, sed quòd militib. ad voluptates & luxũ affluentia vltra res necessarias traductis, patriã frugalitatẽ labefactaret. Cui cùm respondisset Scipio nõ indigere se quæstore nimiũ attento, qui ad bellum plenis veheretur velis (factorũ enim debere se, non pecuniæ populo rationẽ reddere) discesit Cato ex Sicilia, & cum Fabio infinitæ pecuniæ dissipationẽ Scipionis, eiusq́ luxuriosas in palæstris & theatris cõmorationes apud patres insectans, quasi non exercitũ ductaret, sed dies festos agitaret, effecit vt mitterentur ad eum tribuni plebis, qui si ita rem habere cõperissent, retraherent eũ Romã. At Scipio, cùm in belli apparatu ostendisset victoriã, notassentq́ illi eum viuere per ociũ cum amicis hilariter, ac minimè esse ob liberalitatẽ in ferijs & grauibus rebus socordem, profectus est ad bellum. At Cato magnam potentiam collegit facundia, multiq́ eum Demosthenẽ togatũ appellabãt. Vita eius tamẽ nobilitabatur, celebrabaturq́ magis. quippe dicendi facultas communis iam palæstra iuuenibus, quò enitebantur omnes, proposita erat. Qui verò labores prisco more subiret, frugalem cęnam, crudum prandium, vestis simplicitatem, & plebeios penates amaret: quiq́ magis duceret gloriosum non indigere magnificis rebus, quàm illas possidere, rarus erat: quòd iam tum suam respub. integritatem non retineret ob magnitudinem, sed prouinciarum & gentium imperio multarum cum multis misceretur moribus, variorumq́ viuendi institutorum susciperet exempla. Erat igitur meritò in admiratione Cato, cùm alios laboribus fatiscentes & flaccescentes cernerent delicijs: illũ verò ab vtrisq́ inuictũ, non tantũ in flore ętatis, & dum honores peteret, sed senem etiam & canum post consulatum & triumphum: sicut victorem athletam institutum exercitationis tuentem, & ad exitũ vsq́ vitæ æqualiter in eo persistentem. Siquidem vestem nunquam induisse ait se, quæ pluris esset centum denarijs: vinum in pretura & consulatu idem quod & operas bibisse, epulas ad cœnam ex foro triginta comparasse assibus, idq́ facere reipub. causa, quo corpus suum esset ad perferendam militiam robustum: stragulam vestem cùm ex pictis babylonicam hæreditate accepisset, statim distraxisse: nullam villam suam tectorio inductam: mancipium nunquam plus mille quingentis denarijs emisse: quòd nec molles nec formosos, verum operosos & valentes, vt equisones & bubulcos quæreret. quos, vbi cõsenuissent, venundandos putabat, neq́ alendos inutiles. Breuiter nihil vilis esse precij, quod superfluum foret: sed quo non indigeas, etiamsi vel asse venijt, se carum ducere. comparare arua & pascua potius, quàm irriguos & nitidos hortos. Hæc sordibus eius ascribunt aliqui: alij, quasi ad emendandos & reprimendos cæteros astringeret semetipse arctius, cõprobãt. nisi hoc, quòd sicut iumentis seruis abusus, expelleret & venderet eos in senio, moribus ego attribuo nimiũm austeris, nec vllum existimãtibus extra quæstum homini esse cum homine consortium. Atqui benignitati videmus quàm iustitiæ latiorem patere campũ.

Valerij Flacci ingenium.

De exomide vestit, vide Gell. li. 7. cap. 12

Cato Romã migrat Valerij Flacci suasu.

Cato Africanũ reprehendit.

Cato apud patres Scipionẽ luxus accusat.

Catonis eloquẽtia, vitæ continentia, & laborum tolerantia.

Catonis frugalitas mira.

Catonis asperitas.

Lege

Humanitate etiã in bestias vtendum.

Lege enim & iustitia vti erga solos homines valemus: beneficentiam & merita porrigimus nonnunquam & ad bruta animantia, quippe emanant, velut ex largo fonte mansuetudine. Pertinent namque equorum labore confectorum alimenta & canum, non in cunabula modò, sed & senectutis cura ad mitem hominem. Populus Atheniensis, cum ædificaret Hecatompedon, quascunque notauit mulas laborum tolerãtes, dimisit liberas pascere.

Mulæ apud Athenienses industria.

Atque vnam ferunt liberatarum vltro ad opera descendisse, vnaque cum iumẽtis, quæ in arcem trahebant plaustra, cucurrisse & præisse, tanquam adhortantem ea & excitantem. cui publicè sciuit vsque ad mortem alimẽta. Cimonis equarum, quibus Olympijs ter palmã tulit, etiã extant sepulturæ iuxta illius monumenta. Canes domesticos & familiares cùm multi alij, tum Xantippus priscus suũ, qui natans nauẽ suã Salamina vsque fuerat comitatus, cùm relinqueret vrbẽ populus, in promontorio funerauit, quod Canis sepulchrũ etiã hodie vocant. neque enim animantibus est vt calceis & vtensilibus vtendũ, quo fessa & ministerijs proijciamus attrita: sed si nihil aliud, meditãdæ certæ humanitatis causa debemus in his nos antè ad mansuetudinẽ & benignitatẽ assuefacere. Equidem ne bouem quidẽ ego operariũ ob seniũ, nedũ affectũ ætate hominẽ ex loco vsitato & vita consueta, velut ex patria migrantẽ peculiola aliqua venundẽ, inutilẽ iuxtà emẽtibus ac vendentibus futurũ. Cato verò gloriabundus ex his etiã equũ ait se, quo in expeditionibus consul vsus fuerat, ne reipub. imputaret naulũ, reliquisse in Hispania. Hæc animi magnitudini sordibus ne assignanda sint, prout opinio tua fert, statuas licet.

Catonis frugalitas.

Ob reliquã temperantiam, certè vir imprimis memorabilis fuit: quòd dux exercitus nõ amplius sibi & suis tritici ternis medimnis Atticis mensè acciperet, ordei iumentis sesquimedimno minus. Prouinciam sortitus Sardiniam, cùm superiores prætores accipere publicè tentoria, lectos, togas soliti essent, magnoque famulitio, caterua amicorũ, sumptuque & paratu cœnarum onerarent prouinciales: ille disparitatem incredibilem fecit frugalitatis. nulla enim in re impensa publica indiguit. Oppida ipse sine vehiculo pedibus obibat. vnus sequebatur accensus, qui ei vestem & cymbium ad libandum portabat. In his cùm ita facilem & communem prẽberet se subditis: è diuerso seueritatem & grauitatem repræsentabat, adeò inflexibilis in iure dicẽdo, atque in edictis publicis imperiosus atque rigidus: vt imperiũ Romanum nunquam illis vel formidabilius fuerit vel iucundius.

Catonis oratio, qualis. *Socratis laus.* *Cicero in Bruto.*

Parẽ repræsentat oratio eius figuram. Lepida enim simul & grauis erat, iucunda & fulminans, faceta & austera, sentẽtiosa & acris. qualem Plato Socratem dicit, foris rudem, dicacem & mordacem visum conuenientibus: intus serij plenum fuisse & rerum, quæ lachrymas excitẽt, & cor versarent auditorum. quare nescio quid mouerit nonnullos, vt Catonis dictionem Lysiæ orationi comparẽt potissimùm. Verum hæc illi, ad quos potius pertinet orationum Latinarũ assequi genera, disceptent: nos, qui multo magis oratione quàm vultu, vt quorundam fert opinio, mores hominũ contendimus perspici, pauca dicta eius colligemus.

Catonis dicta.

Cùm aliquando plebem Romanam, importunè annonam & largitiones flagitãtem, reuocaturus esset, sumpsit huiuscemodi exordium: Difficile est Quirites ad ventrem auribus carentem verba facere. Reprehendens mores ciuitatis: Arduum est, inquit, eam saluam esse ciuitatem, vbi pluris piscis quàm bos veneat. Similem esse ait populum Romanum ouibus. vt enim illæ seorsum singulæ non parent, sed vniuersæ gregatim sequuntur ductores: ita vos quoque, inquit, quorum consilio nemo vestrûm vtatur priuatim, ab his in cœtum coacti ducimini. De mulierum potentia disserens: Omnes, infit, mortales mulieribus imperant, nos omnibus mortalibus, nobis mulieres.

Themistoclis dictum.

Cæterùm hoc ex Themistoclis facetijs traductum est. ille namque, cùm magnopere dominaretur in se per matrem filius: Populus Atheniensis mulier, inquit, Grẽcis imperat, ego populo Atheniensi, tu mihi, tibi filius: quare temperet à potestate, qua insipiens ille plus Græcis pollet. Populum Romanum ait Cato non purpuræ modò, sed studijs etiam facere authoritatem. vt enim infectores, inquit, hanc maximè tingunt, quam vident esse gratam: ita iuuentus hæc præ cæteris discit & sectatur, quibus honos habetur à vobis.

Honos alit artes.

Hortabatur ciues, si virtute & continentia magni euasissent, ne ad deterius deflecterent: sin intemperantia & vitijs, vt traducerent se ad meliora. satis enim creuisse eos per illa. Eos, qui consulatum ambirent sæpius, dicebat more illorũ, qui viã ignorẽt, semper cupere ne errẽt, incedere cum lictoribus. Increpabat ciues, quòd crebrò eosdem cõsules designarent: Videbimini, inquit, aut non magni consulatum, aut non multos consulatu ducere dignos. De quodam inimico suo, qui turpiter & fœdè viuebat: Huius, inquit, mater pro execratione, non voto putat ipsum superstitem relinquere. Quendam, qui agros paternos marinos venum dederat,

derat, monſtrans, demirari ſimulabat tanquam pelago validiorem: Quę enim illud ægrè lambit, hic facile, inquit, deuorauit. Cùm regem Eumenem, qui Romam venerat, maximo honore excepiſſet ſenatus, principesq́ eum certatim amplecterentur, non diſsimu

Catonis dictum in reges.

lauit Cato ſe ſuſpectum eum habere atque auerſari: cui cùm diceret quidam, Atqui bonus eſt & populi Romani cupidus. ſit ſanè, inquit: At hoc animal rex natura eſt carniuorum. Nemo verò vel ex laudatiſsimis regibus cùm Epaminonda ſit vel Pericle vel Themiſtocle vel M. Curio vel Amilcare, Barchino cognomine, conſerendus. Sibi dicebat inuidere æmulos quòd quotidie de nocte, & poſthabitis rationibus ſuis priuatis, vacaret reipub. Malle ait benefactis ſuis non haberi honorem, quàm peccantem ſe non puniri. Veniam dare ait ſe omnium noxis, præter quā ſuis. Cùm tres legatos populus Romanus in Bithyniam deſtinaſſet: quorum vnus pedibus æger erat, alter capite ex terebratione & inſectione cauato, tertius videbatur amens: irridens Cato legationē ait mitti à populo Romano, quæ nec pedes nec caput nec cor haberet. De exulibus Achaiæ Polybij cauſa à Scipione interpellatus, vt magna diſceptatio fuit in curia, his reditum ijs in patriam concedentibus, illis denegantibus: exurgens Cato, Quaſi non ſit, quid agamus, deſidemus hic totum diem de ſenibus Græculis quærentes, hîc an in Achaia à ſandapilarijs efferantur. Decreto his Græcis reditu, paucis diebus interpoſitis quærebat Polybius iterum ſenatum ſibi dari, vt priſtinos honores reciperent, quos habuerāt in Achaia, ac ſententiam Catonis pertentabat. Qui arridens Polybium ait ſicut Vlyſſem iterum velle Cyclopis ſpeluncam, quòd pileum illic & cinctum per obliuionē reliquiſſet, ſubire. Sapientes ferebat maiorem fructum ab inſipientibus, quàm inſipientes capere

In iuuene rubor quàm pallor magis probatur.

à ſapientibus: hos enim offenſa illorum deuitare, illos horum non imitari recta facta. Iuuenes dicebat magis placere ſibi, qui erubeſcerent, quàm qui palleſcerent. Nolle militem ſe, qui inter eundum manus, in pugnando moueret pedes: qui ſterteret altius, quàm in prælio fremeret. Præpinguem quēdam obterens: Vbi tale corpus, inquit, vtile ſit reipub. in quo, quod inter gulam & inguina intereſt ſpacij, omne occupat venter? Cùm voluptarius quidam contrahere cum eo cuperet conſuetudinem: abnuens negabat viuere ſe poſſe cum homine, qui palatum quàm cor haberet acriore ſenſu præditum.

Amantem in alieno uiuere corpore.

Amantis dicebat animum in alieno viuere corpore. Trium ſe per totam vitam pœnituiſſe: Vnum, quòd mulieri arcanum credidiſſet: alterum, quòd nauigaſſet, quò ire poterat pedibus: tertium, quòd vnum diem manſiſſet inteſtatus. Ad ſenem improbè agentem: Tu, inquit, bone vir ſenectuti multis obnoxiæ turpibus noli turpitudinem adiungere vitij. Ad tribunum plebis, qui veneficij infamia opertus pernicioſam legē magna vi promulgabat: Haud ſcio, inquit, adoleſcens, vtrum peius ſit, quod miſces, potare: an ſancire, quod promulgas. Proſciſſus conuitio ab homine obſcœnæ & improbę vitæ: Iniqua, inquit, tecum mihi pugna eſt. nam & male audis facilè, & dicis promptè: mihi tum dicere moleſtum eſt, tum audiendi ſum inſolens. Ac mos eius in dicterijs eiuſcemodi erat:

Catonis conſulatus.

Catonis res geſtæ in Hiſpania.

Conſul cum Valerio Flacco amico ſuo & familiari factus, prouinciā eſt ſortitus, quam Hiſpaniam citeriorem Romani vocant. Vbi cùm gentes partim armis in ditionem redigeret, partim beneuolentia cōciliaret, ingruerunt magna manu barbari, eratq́ ne opprimeretur periculum. quare à Celtiberis, qui propinqui erant, aſſciuit auxilia. Quibus auxilij ferendi ducenta talenta mercedem poſtulantibus, cùm alij omnes fœdum dicerēt eſſe, cum barbaris Romanos de opis ferendæ paciſci mercede, negauit quicquā incommodi eſſe Cato. quippe ſi viciſſent, ſoluturos ab hoſtibus non ab ſe: ſin eſſent victi, non fore nec à quibus exigeretur, nec qui exigerēt. Ea pugna fudit, fugauitq́ hoſtes: reliqua quoq́ magnificum ſucceſſum habuere. Oppidorū cis Betim fluuium Polybius author eſt vno die mœnia Catonis imperio diruta fuiſſe. multa illa erant & viris bellicoſis abundantia. Ipſe plures vrbes ait Cato ſe cepiſſe, quàm egiſſet in Hiſpania dies: neq́ eſt hæc iactantia, ſiquidem quadringentas fuiſſe verum eſt. Militibus, præter compendium ex bello magnum, libram argenti in ſingulos diuiſit: addens ſatius eſſe multos Romanos

Catonis continentia.

cum argento quàm cum auro paucos domum regredi. Ad ſe verò, præter eſculenta & poculenta, negauit ex præda quicquam rediſſe. Neq́ reprehendo, inquit, eos, qui hinc emolumentum captant: verùm malo de virtute cum optimis, quàm cum diuitibus de pecunia, & cum auariſsimis certare de quæſtu. neque ſe ſolum, ſed & comites ſuos præſtabat ab omni captura integros. Habebat eo in bello ſeruos quinque: horum vnus nomine Pacus tres pueros emit de manubijs. Quod vbi reſciuit Cato, prius quàm in conſpectum eius veniret, ſtrangulauit ſe: pueros Cato ſub haſta vendidit, preciumq́ retulit

ad

Catonis cum Scipione dissensio.

ad quæstorem. Dum adhuc agit in Hispania, Scipio Africanus superior, qui simultatē cum eo gerebat, cupiens tantas res gerenti obsistere, & res Hispanicas suscipere, perfecit vt successor in illa prouincia Catonis crearetur. Igitur maximis itineribus profectus accepit prouinciam à Catone. Qui acceptis peditum quinque cohortibus & quingentis equitibus, qui deducerent se, subegit gentem Lacetanorum: à quibus receptos perfugas sexcentos securi percussit.

Cato subigit Lacetanos.

Ob quæ indignantem Scipionem irridens, Ita demum ait magnam Romam fore, si clari & summi viri virtutis primas non concederēt obscurioribus: plebeiq; qualis ipse esset, cum illis, qui nobilitate & claritate emineant, contenderent de virtute. Cæterum cùm senatus censuisset, ne acta Catonis rescinderentur vel mouerentur: Scipionis prouincia de ipsius magis quàm de Catonis decerpēs gloria, nulla re perpetrata in ocio nequicquam præterijt.

Catonis res gestæ post consulatum & triumphum.

Post triumphum Cato, non vt plerique qui non virtutem spectant, sed gloriam, vbi ad culmen euaserint honorū, consulatū atque triumphos sint assecuti, iam deinceps relicta repub. in voluptates demergunt se & ocium: ita ipse quoque virtutem remisit vel laxauit. sed nō secus atque qui primùm attingunt rempub. honoremq; & gloriam sitiunt: quasi ab altero carcere incumbens, operam suam omni in re amicis ciuibusq; obtulit, nec patrocinia vel militiam detrectauit. Ac Tiberium Sempronium proconsulem in Thracia & ad Danubium res gerentem, legatus cum eo profectus, iuuit. M. Attilium tribunus militum comitatus est, ducem in Græciam aduersus Antiochum Magnum, supra omnes secundum Annibalem populo Romano terribilem.

Antiochi Magni potentia.

siquidem Asiam, quibus finibus tenuit eam Seleucus Nicanor, à principio omnem receperat. Inde multis nationibus & bellicosis barbarorum subactis animos sustulerat, bellum vt populo Romano inferret, quasi soli iam pari sibi aduersario: sumpto belli specioso titulo asserendæ in libertatem Græciæ, quæ id nō requirebat. Quippe liberati nuper beneficio populi Romani à Philippo & Macedonibus, suis legibus viuebant, traiecit cum exercitu. Ac Græcia cōfestim fluctibus iactata & erecta fuit, cùm eam corrupissent spe regia concionatores. igitur M. Attilius legatos misit ad ciuitates, & pleraque consilia res nouas molientium T. Quintius, vt in vita eius exposuimus, sine motu tenuit sedauitq;. Cato Corinthios, Patrenses, & Aegienses repressit. Diu hæsit Athenis. Dicitur autem oratio quædam eius extare, quam Græcè ad populū habuerit, in admiratione veterum virtutem Atheniensiū habere se, vrbemq; pulchritudinis & amplitudinis causa libenter visisse. hoc tamen verum non est, sed per interpretem est populum Atheniēsem allocutus: non quin facultatē haberet, sed quòd retinere vellet morem patrium, & derideret illos, Græca qui stuperent.

Cato Posthumiū Albinum Romanum græcè historias scribentem irrisit.

Posthumiū Albinū quidē, qui historias scripserat Græcè, veniā petentē irrisit: dandā dicēs, si illud opus Amphyctionū decreto subactus assumpsisset. Demiratos Athenienses aiunt eius celeritatē & cursum dictionis: quæ enim hic exprimebat strictim, longo tractu interpretē & multis verbis explicasse. Breui reliquisse eis opinionē, verba Græcis ex labijs, ex corde Romanis procedere.

Catonis res gestæ contra Antiochum.

Postquā saltū Thermopylarū opsepsit Antiochus copijs suis, locumq; naturà munitum vallo, muroq; firmauit, atq; ibi consedit, bellū exclusisse ratus, à fronte perrumpere prorsus desperabant Roni. Cato verò reuocata in mentē circuitione & ambitu Persarū nocte cum parte copiarū profectus est ex castris. Dum in verticē tendunt, captiuus itineris dux deflexit de via, in locisq; errans inuijs & abruptis, perculit ingenti consternatione & metu milites. Hoc periculū Cato cernēs, cōsidere cæteris omnib. & operiri iussis, comitē trahens Luciū quendam Manliū, hominē ad montes scandēdos expeditū, nocte intempesta & obscura, magno labore & discrimine perrexit per oleastros & saxa vasta prospectū impedietia, & omnia incerta reddentia, quousq; in callem inciderunt, qui deduceret, vt videbatur, ad hostium castra. Ibi signa in apicib. quibusdā posuerunt conspicuis, qui super Callidromon eminebant. Tum regressi sunt, agmenq; ad signa illa agentes callē tenuerūt, eoq; deduxerunt agmen. Vbi paululū processerunt, excipiens specus præcidit callē. Hic iterū incerti quid agerent, trepidabant: nescij neq; aduertētes prope hostes se peruenisse. Iam lux appetebat, & vnus visus sibi est strepitū exaudire, mox videre sub rupe castra & stationem Græcorum. Eo loco sustinuit Cato agmē, semotisq; reliquis, Firmanos quorū semper fideli & prompta opera fuerat vsus, accersiuit. Quibus concurrentib. & frequētibus eum circumsistentibus ait, Vnū desidero ex hostibus viuū capere, vt quærā quę hęc statio sit, & quàm multi, quæ omniū descriptio vel ordo vel apparatus, quò nos expectāt. Ad hoc celeri raptu & audacia mihi opus est, sicut inermes leones animosi timida petunt animalia.

Catonis militum facinus audax.

Vix ea dixerat Cato, cùm Firmani sicut conuenerant, confestim ruentes decurrerunt

montibus ad stationes: in quas ex improuiso irrumpẽtes, omnes turbauerũt, dissipaueruntq́; vnũ cum armis raptũ Catoni obtulerunt. Ex eo didicit reliquas copias cum rege saltũ insidere: qui cacumina montiũ ibi seruarẽt, delectos Aetolos sexcentos esse.

Cato saltũ Thermopylarum occupat.

Contempta Cato paucitate eorũ, simul & securitate princeps gladiũ stringẽs, cum strepitu tubarũ & clamore mouit extẽplò in eos. qui vt ex rupibus inuehẽtes cõtemplati sunt, fuga effusa castra petẽres omnia compleruit tumultu. Interea consule ex inferiore loco munimenta oppugnante, atq; angustijs superatis, vniuersis premente copijs, Antiochus lapide in os ictus est, excussisq; dentibus retrò equũ ingẽti oppressus dolore cõuertit. Nulla pars exercitus eius sustinuit Romanos: verùm quãuis inuia & abscissa omnia viã & fugã præcluderẽt profundis paludibus, præruptisq; saxis cadẽtes & lapsos excipientibus: in ea per fauces effusi ac sese mutuò impellentes, dum vulnera & ferrũ hostile timent, semet ipsi affligebãt.

Cato rerum suarũ buccinator.

Cato cùm semper minimè parcus laudũ suarũ, vt mihi quidẽ videtur, buccinator apertã iactantiã vt egregiorũ factorũ comitẽ non refugit, tum has res gestas sum mè extulit: aitq; illos, qui tum cõsectantẽ & cædenrẽ se viderũt hostes, cõfessos fuisse, nõ tantũ populo Romano debere Catonẽ, quantũ Catoni populũ: ipsum quoq; consulem Attiliũ adhuc à victoria calentẽ in complexu calentẽ Catonẽ diu tenuisse, & prę gaudio exclamasse: neq; ipsum, neq; populũ cunctũ esse Catonis meritis gratię referendæ parẽ. Ilicò à pugna missus est, vt nunciaret ipse Romã præliũ. Brundusiũ secundo vento traiecit. Inde vna die Tarentũ, quatuor alijs pergens Romã, quinto die venit, primusq; victoriam nunciauit. Ac ciuitatẽ quidẽ lętitia & festis compleuit: populo verò tantũ fecit animi, vt existimaret terræ marisq; imperio se posse poriri. Hæ sunt ex rebus Catonis bello gestis ferè clarissimæ.

Cato accusator fuit.

At actionũ ciuiliũ viderur tunc accusationes & improborũ delationes partẽ nõ cõremnendã existimasse. nam tum multos ipse in iudicium adduxit, tum persequentibus alijs subscripsit: ac planè semper summittebat accusatorẽ aliquẽ, vt Africano Petiliũ. At hũc nobilirate & animi celsitudine calũnias suas obterentẽ, cùm opprimere non posset, missum fecit: Luciũ verò fratrẽ eius, coitione cum accusatoribus facta, litẽ ei magna pecunia æstimauit: quã cùm soluere non posset, ac prope eò esset deuentũ, in carcerem vt conijceretur, ægrè appellatis tribunis missus est. Dicitur Cato cùm in adolescentem, qui defuncti patris inimicũ inuoluerat infamia, in foro post iudiciũ ambulantem incidisset, dextera data dixisse, ita parentibus esse parentandum: non agnis, non hœdis, sed inimicorũ lachrymis, damnationibusq;. Arqui nec ipse illæsus in repub. euasit: sed sicubi ansam iniquis præberet, nõ desistebant eum in iudicium rapere, & periculum creare.

Cato quinquagies accusatus. Vide Plin. lib. 7. cap. 27

Fertur paulo minùs quinquagesies causam dixisse, vnã eamq; postremam annos natus sex & octoginta: in qua etiã vulgatũ illud cõmemorasse, Graue esse eum, qui cum alijs vixisset hominibus, apud alios crimina depellere. Neq; hic finem fecit cõtentionũ, quippe quadriennio pòst Sergiũ Galbam annos natus nonaginta accusauit. Siquidem propè ad tertiã ætatem, sicut Nestor, vita & actionibus peruenit. namq; cum Africano maiore, vt est suprà dictũ, magnis contentionibus in repub. habitis, pertinuit ad Africanum minorẽ, qui fuit illius adoprione nepos, filius Pauli, qui Persen & Macedonas debellauit.

Censuræ dignitas.

Decẽ annis post cõsulatũ petiuit Cato cẽsurã. Fastigiũ quoddã est hic magistratus honorũ omniũ & quodã modo omnium in repub. actionum consummatio: præfulgetq; cùm ingenti alia authoritate, tum morũ & vitæ iudicio. neq; enim vel matrimoniũ vel sobolis procreationem, vel quotidianum victum, vel cõuiuium solutum & liberum indagine, quæ cuiusq; libido & institutum sit, arbitrabantur prætermittẽdum. Quòd autem longè ex his acutiùs, quàm ex publicis & ciuilibus actionibus mores hominũ perspici putarent, custodẽ & moderatorẽ, correctoremq; nequis ad voluptates deflecteret, aut excederet patria & vetera instituta, designabant vnũ ex nobilitate, alterũ ex plebe. Censores hos appellabant. Potestas erat ijs equũ adimendi, senatu mouendi eum qui vitam agebat turpem & libidinosam. Hi etiam censum agebant, atq; ex eo ordines & munera distinguebanr, aliarumq; rerũ habetis magistratus arbitriũ.

Catoni censuræ candidato obstitit nobilitas.

quare Catonis petitionẽ ferè nobilissimi quiq; & principes senatus premebant. Aestuabant enim inuidia patricij, quòd suggillari putarent nobilitatẽ hominib. nouis, ad summũ honorẽ & potestatẽ aspirantibus: improbi verò suarum libidinum sibi ipsi conscij & moris veteris violati, austeritatem eius inexorabilẽ in summa potestate & tristẽ verebantur futuram. Itaq; coitione facta septẽ ab se subornatos Catoni competitores in cãpum deduxẽre. hi prensantes plebem, bonam spem tanquam placidã quærenti & remissam ostendebant censuram. Contrà Cato nihilo lenius agebat, imò apertè pro rostris minitãs malis, vociferansq; magna lustra-

lustratione ciuitati opus esse consulere multitudini, ne lenissimum, si sapiant, sed acerrimum deligant medicum. Eum se esse & ex Patritijs vnum, Valerium Flaccum: illo enim se solo collega sperare, luxu & mollitia velut hydra execta atq; adusta, operæprecium facturum: reliquos videre quosq; moliētes, male censurā gerere, quòd eos qui gesturi eam sint rectè, expauescant. Atqui tam celsus erat, & celsis dignus ducibus populus Romanus, vt nō horreret terrores eius & superciliū, sed mites illos & magnā lenitatē ostentantes repudiaret: designaret autē cum Catone Flaccū, quasi nō candidatū illū censuræ, sed censorē iam & præcipientē audiens. Allegit in senatū collegam & amicum L. Valerium Flaccum. Senatu mouit inter alios cōplures L. Quintiū, qui septē annis antè consul fuerat: & quod maioris momenti ei erat ad gloriā, T. Quintij, qui Philippū debellauerat fratrem. Causam, cur senatorio loco eū mouerit, hanc habuit. Puerū Lucius formosum scortum perpetuò habebat in cōtubernio suo, atq; in expeditionibus suis tantū tribuebat ei honoris, tātumq; ille apud eum poterat, quantū nemo summorū amicorū vel familiariū, qui circa eum erant. Cùm iam prouinciā obtineret proconsul, in conuiuio quodā puer iuxta eum, vt solebat, accubans, inter cæteras blanditias quibus per vinū facile ducebat eum, tantoperè iactauit se amare eum, vt spectaculū inquit, gladiatorū, quod nunquam spectaui antè prætermiserim, ac currens perrexerim ad te, quamuis videre hominē auebam interfici. Lucius vicissim se venditās ei: Nihil, inquit, te torqueat hoc, ego facilè medebor. Inde vnū ex damnatis rei capitalis attrahi in conuiuiū, & lictorē cum securi præcepit accersiri. Tum iterū ex scorto quæsiuit, an videre istum vellet feriri securi: cùm annuisset, imperauit præcidi homini caput. Ita pleriq; omnes tradunt. Cicero quoq; in dialogo de Senectute, sic narrantē inducit Catonē: Liuius Gallū transfugam, dicit illū fuisse qui fuit interfectus: ac Luciū non per lictorem, sed sua ipsius manu hominē occidisse, eaq; esse in Catonis oratione scripta. Eiectū senatu à Catone Luciū, Titus frater iniquo animo ferens prouocauit ad populum, postulauitq; vt causam proferret Cato notæ. quo eam referente & exponente conuiuiū illud, parabat inficias ire Lucius: verùm cùm Cato sponsione eum prouocaret, detrectauit. Itaq; meritò iudicauit populus notatum. Postea cùm ludi fierent in theatro, præterito consulariū cuneo, remote inde cōsedit. At motus hinc misericordia populus, coegit eum magno clamore transire: atq; ita maculā eius, quatenus fieri poterat, correxit, leniuitq;. Alium senatu mouit Manliū, quem omnium opinio consulem designabat: quòd vxorem interdiu fuisset inspectante osculatus filia. Vxorem suam ait, nisi magno tonitru, nunquam complexum sibi tulisse, atq; per iocum dicere solitum se: Ioue tonante se beatum esse. Iam quòd Lucio Africani fratri equum ademerit triumphali viro, conflauit sibi Cato inuidiam: quòd ea re videretur Scipioni Africano insultare. Plurimos potissimum offendit præciso luxu: quem apertè extorquere laboranti & infectæ multitudini non poterat. At per ambages id agens præcepit, vt vestes, vehicula, ornamenta muliebria, vtensilia, quorū singula pluris quàm quindecim millium æris essent, æstimarentur: voluitq; vt à maiori censu maius tributum penderent: ternosq; in millia æris asses assignauit, vt inferrent: quò ijs adiectionibus pressi, cùm viderent astrictos & frugales à paribus facultatibus minus tributi ferre, luxum deponerent. Igitur infensos habuit, qui id tributi tolerabant ob luxuriam: infensos alia ex parte, qui luxuriam ob tributum deponebant. Pro diuitiarum enim ereptione habet vulgus earum prohibitionem ostentationis: ostentari autē superfluis, non necessarijs. quod quidem philosophum Aristonem aiunt præcipuè mirari: quòd eos, superuacua qui possident, potiùs ducant beatos, quàm illos qui abundant necessarijs & vtilibus. Scopas Thessalus, cùm ab eo peteret amicus quispiam rem eam, quæ non admodum illi esset vsui, diceretq; nihil se necessarium vel vtile petere: Atqui his ego, inquit, beatus & diues sum inutilibus & superuacaneis. ita diuitiarum admiratio nulli affectui consentanea naturali, ex vulgari & translatitia opinione oritur. Verùm enimuero offensiones floccifaciens Cato, multò erat asperior. A quam publicam canalibus in priuata ædificia aut hortos ductam ademit. euertit & demolitus est ea, quę in publicum proiecta ædificia erant. mercedem redempturarum contraxit. vectigalia summis pretijs locauit. Vnde odium accersiuit sibi grande. Titi Quintij factio, coitione contra eum facta in senatu, sartorum tectorum non è republica factas locationes induxit: concitauit'que tribunorum ferocissimos, vt Catonem ad populum accusarent, mulctamq; ei centum viginti millium æris dicerent. multum etiam obstrepuit ei cùm basilicam faceret, quam pecunia publica sub curia foro adiunxit, & basilicam Porciam appellauit. At apparet censuram e-

Catonis cēsura.

Cato L. Quintium senatu mouet.

Quintij Flaminij nequitia & crudelitas.

Lib. 39

Catonis in Quintium censura.

Manlius senatu motus quòd vidente filia osculatus esset vxorem.

Cato Lucio Scipioni equum ademit. Val. Ma. ducens. nota.

Catonis in coercendo luxu Romanorum consilium.

Superuacua habentur pro diuitijs.

Basilica Porcia à Catone extructa.

lus populum mirificè comprobasse. siquidem cùm poneret ei statuam in æde Salutis: nō imperia inscripsit, nec triumphum Catonis, sed quòd rempub. Romanā ad prauos mores declinantem ac vergentem, bona disciplina sanisq́ institutis & præceptis censor correxisset. Et quidem antè deriserat eos, quos ea res delectabat, dicebatq́ non intelligere eos, quòd ob statuariorum & pictorum opera sibi placerent, cùm imagines pulcherrimas suas in animis suis circumferrent ciues. Ad eos, qui mirabantur, cùm statuas multi homines obscuri haberent, ipsum non habere: Malo, inquit, quæri, quare nulla mea statua extet, quàm quare extet. Atque omnino volebat, vt ne laudari quidem permitteret se bonus ciuis, nisi hoc è republ. fieret. Plurimus fuit tamen in seipso prædicando. quippe eos, qui in vita quid titubauerant, mox reprehendebantur, dicere ait solitos, Immeritò se culpari, qui Catones non essent: illos autem, qui facta quædam sua imitari studerēt ineptè, sinistros Catones appellari. Curiam periculosissimis temporibus ad se, sicut in naufragio ad gubernatorē respicere, crebroq́ absente se res grauissimas protrahere. quæ quidem ei aliorum testimonio comprobantur: etenim ingens fuit eius in ciuitate vitæ & eloquentiæ gratia authoritas. Fuit item bonus pater, suauis maritus, nec vulgaris in re augenda familiari. neque id negocium tractabat vt minutum & vile defunctoriè: itaque etiam quæcunque ex ijs huic loco conueniunt, recensenda putaui. Vxorem nobiliorem quàm opulentiorem duxit: existimans æquè vtrasque esse elatas & superciliosas, verùm turpitudinis rubore obsequētiores viris ad honesta generosas. Eum, qui liberos vel coniugem cæderet, sanctissimis rebus dicebat adferre manus: maiorem laudē esse boni mariti, quàm magni senatoris. Neque verò Socratem veterem esse sibi ob quicquam aliud admirationi, quàm quòd cum muliere morosa, stupidisq́ liberis perpetuò vixisset placidè & comiter. Cùm vxor peperisset, nullo tam vrgenti, nisi publico, negocio impediebatur, quin ei infantem abluenti & fascijs inuoluenti assisteret. Illa etiam proprio lacte nutricabatur infantem. Frequenter etiam seruorum pueros admouebat mammæ, quò beneuolos eos ex educationis consortio erga filium redderet. Vbi capax esse cœpit, instituit eum ipse in literis: licet scitum seruum literatorem haberet, Chilonem nomine, qui multos pueros erudiebat. Nolebat autem filium, vt ipse ait, à seruo malè audire vel aure vellicari, si tardiùs disceret, nec verò esse tantulæ disciplinæ causa obstrictum seruo: verùm erat ipse eius ludimagister, ipse legum doctor, ipse lanista. Neque iaculari modò & armis depugnare atq; equitare docuit filium: sed pugilatum etiam, æstum & algorem tolerare, vortices & fluctus fluminis nando superare. Historias sua manu se grandibus literis dicit conscripsisse, vt filius disciplinam maiorum & veterum instituta domo petere valeret. Turpiter loqui non minus filio præsente quàm virginibus Vestalibus cauisse. nunquam cum eo in balneis fuisse: quem morem videntur Romani habuisse communē. Etenim soceri vnà lauare defugiebant cum generis, denudare se & retegere erubescentes: pòst tamen cùm à Græcis adaperire se didicissent, traduxerunt vicissim in Græciam, vt id illi & cum fœminis facerent. Tam præclarum fingenti opus ad virtutem Catoni, & conformanti filium, cùm responderet studium illius, etiam ob indolem obtemperaret mens, sed esset corpus ad tolerandos labores mollius, remisit rationem victus intentiorem & austeriorem. ille tamen cum tali corpore insignis bello vir fuit, prælioq́ aduersus regem Persea decertauit sub duce Paulo Aemilio preclarè. Cùm verò gladius ei ictu excussus & madore esset manus elapsus, adijt certos familiares suos: quibus adiunctis fecit de integro impressionem in hostes. Ac cùm longo certamine magnaq́ vi locum vacuū fecisset, randem inuenit eum in immensis aceruis armorum, & in cadauerum tam sociorum quàm hostium cumulis aggeratorum. quamobrem commendauit adolescentem Paulus imperator. Et ipsius Catonis extat ad filium epistola, qua supra modum extollit contentionem eius de gladio & curam. Post Pauli filiam Tertiam, Scipionis sororem duxit vxorem: nec minus iam sua quàm parentis gratia adeò nobiles nuptias sibi adiunxit. Ita Catonis quidem erga filium sedulitas bonum effectum sortita est. Seruos multos comparabat de manubijs. Pueros potissimùm emebat, & eos qui adhuc sicut catuli & pulli educari cum disciplina & institui valerent. horum in alios penates ingrediebatur nemo, nisi ipse mitteret eos Cato vel vxor. Rogatus, quid ageret Cato, nihil nisi nescire se respondebat. Seruum aut facere aliquid domi necessarium compellebat aut dormire. Multum gaudebat Cato cubantibus: mansuetiores ducens vigilantibus, & ad quoduis ministerium aptiores somno refectos. Existimans autem maximos labores à seruis promptè obiri veneris causa, certum nummum in ancillarum

Cato sui laudator.

Cato qualis domi fuit.

Cato qualis erga vxores & liberos.

Catonis filiorū educatio.

Chilo grammaticus.

Valer. Max. de Inst. ant.

Catonis filij virtus.

Catonis disciplina erga seruos.

rum concubitum præfiniuit: alij fœminæ ne se iungeret quisquam. Ac primùm tenuis adhuc, & dum stipendia faceret, nulla in re, quæ ad victum pertinebat, morosus erat: sed fœdissimum asserebat cum seruis ventris causa rixari. Pòst rebus lautioribus, siquando epulas amicis & collegis præberet, ilicò sub cœnam loro castigabat eos, qui quid ministrassent aut parassent negligentiùs. Dissidium perpetuò inter seruos, & distractionem struebat: concordiam eorum suspectam habens & timens. Qui capitalem fraudem admisisse videbantur, de ijs, si in iudicio seruorum capitis damnati fuissent, supplicium sumebat. Intentior ad quæstum, agriculturam in oblectamento potiùs numerabat quàm in fructu. Emolumenta autem in rebus securis & certis collocans, lacus parauit, aquas calidas, loca fullonibus idonea, prædia quæ pascua haberent, & syluas natiuas. vnde magnum compendium faciebat, quibus nec Iupiter posset, vt ipse ait, nocere. Fœnore vsus est maximè improbato nautico, ad hunc modum: Volebat vt illi, quibus fœnerabatur pecuniam, multos asciscerent socios. Cùm quinquaginta essent & totidem nauigia, vnam partem habebat Quintione institore liberto. qui vnà cum illis, qui mutuò acceperant pecuniam, negociabatur & nauigabat. itaque non de toto periculum subibat, sed de exigua portione grandi lucro. Dabat mutuò etiam seruis. hi pueros mercabantur: quos cùm exercuissent & docuissent Catonis impensa, anno pòst distrahebant. Multos etiam retinebat Cato, quanto maximo precio licitatus alius fuerat, acceptum referens. Huc filium adhortans, negat viri, sed mulieris esse viduæ, aliquid de suis fortunis diminuere. Illud verò feruidius est Catonis, quòd insignem virum & diuinum ad gloriam ausus est appellare eum, qui in rationibus plus relinquat quod adiecerit, quàm quod acceperit. Eo iam sene legati Atheniensium Romam aduentarunt, Carneades Academicus, & Diogenes Stoicus philosophus, petitum vt iudicio subleuaretur populus Atheniensis, quo indicta causa condemnato, postulantibus Oropijs & Sicyonijs iudicibus, lis æstimata quingentis talentis fuerat. Hos ilicò studiosissimi quique adolescentes adibant, frequentesque audiebant & celebrabant. Carneadis lepos præcipuè, cuius magna vis, & ea vi non inferius erat nomen, cùm insignes & benignos auditores nactus esset, instar venti vrbem sonitu compleuit: vulgatumque fuit, virum Græcum ad miraculum vsque eximium, omnia delinientem & allicientem, mirum infudisse iuuentuti ardorem, per quem reliquarum voluptatum & oblectamentorum obliti, quasi fanatici raperentur ad Philosophiam. Cùm ea res cæteris placeret Romanis, atque adolescentiam libenter viderent literis Græcis imbui & excellentibus viris vti, Cato à primo, vbi influxit in vrbem Græcarum disciplinarum admiratio, stomachabatur: veritus, ne iuuentus eò conuerteret studium, atque eloquentiæ gloriam rebus gerendis & disciplinæ militari anteferret. Vt verò in vrbe nomen increuit horum philosophorum, ac primas orationes eorum, clarus vir † C. Aquilius, cùm id officij vti præstaret enixè postulasset ipse, in senatu esset interpretatus, censuit omnes philosophos ab vrbe honesta specie ablegandos: atque cùm venisset in senatum, incusauit magistratus, quòd legati, qui persuadere facilè quiduis valerent, diu illic sine responso sederent. Quare primo quoque tempore aliquid esse censuit de legatione statuendum & decernendum, quò hi ad ludos literarios regreßi, apud Græcorum filios dissererent: Romana autem pubes conferret se vt antè ad obtemperandum legibus & magistratibus. Hoc ille, non quo offensus esset Carneadi, vt nonnulli arbitrantur, egit: sed quòd philosophiam in totum, humanitatemque omnem Græcam & literaturam, ex ambitione haberet ludibrio. quippe qui Socratem quoque loquacem dicat & sediosum fuisse, atque enisum quouis modo tyrannidem occupare, institutis euersis maiorum rapiendo ciues & impellendo ad contrarias legibus opiniones. Isocratis scholam deridens, senescere apud eum ait auditores, tanquam apud inferos artibus vsuros & causas dicturos. Filium à literis Græcis reuocans, voce vsus est quàm pro tanta ætate ferociore: velut vaticinans & præsagiens, infectos disciplinis Græcis amissuros imperium Romanos. Cæterùm hoc illius vanum apparuit malum omen ipso tempore, quo ad rerum culmen vrbs euasit, cùm omni se Græcæ eruditioni & institutioni dedisset. Nec philosophis Græcis modò erat infestus: sed illos quoque, qui Medicinam Romæ exercebant, habebat suspectos: atque audito scilicet Hippocratis responso, cùm rex eum mercede ostensa multorum talentorum acciret, nunquam daturum se operam hostibus Græcorum barbaris, commune hoc dicebat medicorum iusiurandum omnium, monebatque filium vt declinaret omnes. Sibi scriptum commenta-

Cato qualis in re familiari augenda.

Carneades & Diogenes philosophi legati Romam missi.

† Fortè C. Acilius, de quo apud Gellium libro 7. cap. 14. Macrob. libr. 1. Sat. cap. 5

Cato disciplinas Græcas contempsit.

Cato Medicis Græcis infestus.

rium esse, cuius præceptis se familiam ægrotantem curare, & victus rationem præscribere: neminem vnquam cibo abstinere, alere oleribus & carne anatis vel palumbi vel leporis: leuem enim hanc esse & ægris conuenientem, nisi quòd illis, qui ea manducauerunt, multa creet insomnia: hac se medicina & victu valetudinem suam tueri, suosq; conseruare firmos. Cæterùm in eo quidem haud videtur iram deorum deuitasse: nam vxorem & filium amisit. Ipse corporis salubri constitutione ac robusta firmiter compactus in longum durauit. Itaq; fœminis grādæuus percrebrò iungebatur, duxitq; iuuenem vxorem præter ætatem suam, ex causa huiuscemodi: Defuncta vxore filio despondit Pauli filiam sororem Scipionis, ac cœlebs cum puella, quæ commeabat ad eum occultè, consuetudinem habebat. Verùm ea res angustis in penatibus, vbi nurus erat, non manebat tecta. Ac cùm mulierculam illam contemptim & audaciùs, præter thalamum filij, in cubiculū Catonis appareret irrumpere: adolescens verbum quidem nullum fecit, sed rubore perfusus torue eam aspexit. quæ res non fuit clam sene. Vt ergo eos animaduertit offendi, nihil incusans aut questus, sed progrediens pro more suo cum amicis ad forum, Salonium quendam, qui scriba eius fuerat, præsentem & ipsum prosequentem alta voce appellat, rogatq; ecquid filiam elocasset. Quo negante id se nisi illo cōsulto facturum, Atqui ego, inquit, commodum generum tibi inueni: nisi hercle displiceat ætas. nam cætera non est contemnendus, verùm grauis annis. Quem cùm eam curam vt susciperet, rogaret Salonius, & quem delegisset ei daret filiam suam nuptui, quæ ipsius cliens esset, eiusq; indigeret solicitudine: nulla Cato interposita mora sibi ipsi aperit puellam petere. Hic primùm haud immeritò attonitus fuit eo sermone homo, remotum à nuptijs Catonem, remotum autem à domo se consulari & triumphali existimans affinitate: verùm vbi seriò agentem vidit, accepit conditionem libens. Ita descenderunt in forum, atque sponsalia extemplò fecere. Dum hæ nuptiæ in manibus sunt, Catonis filius adhibitis necessarijs requisiuit de patre, quo suo peccato vel offenso nouercam sibi superduceret. Cui Cato exclamans, Bona verba, inquit, fili: Omnia facta tua grata mihi sunt, neque quod querar, quicquam habeo: sed plures cupio mihi filios & ciues patriæ relinquere tui similes. Hanc sententiam ferunt priùs Pisistratum vsurpasse Atheniensium tyrannum, cùm adultis filijs secundam vxorem duxisset Argolicā Timonassam: ex qua Iophontem & Thessalum fama est genitos fuisse. Ex his nuptijs natus Catoni est filius, cui à matre agnomen Salonium reddidit. Maior filius in prætura decessit: cuius crebram Cato in libris suis, vt egregij viri, facit mentionem. Moderatè autem & sapienter dicitur eam calamitatem tulisse, nec ideo redditum in republica segniorem. neque enim vt Lucullus postmodum & Metellus Pius elanguit senio ad rempublicam gerendam, munus suum ducens reipublicæ administrationem: neque vt antè Scipio Africanus, ob incurrentem in gloriam suam inuidiam, auersus à populo immutauit se, atque vitæ reliquæ finem in ocio posuit: sed sicut Dionysio quidem suasit, vt pro pulcherrima sepultura haberet dominatum, pulcherrimam senectutis traductionem rempublicam ducens, remissionibus & oblectationibus per ocium vtebatur libros componendo & rus colendo. Ac varia quidem monumenta historiasque commentatus est. Agriculturæ intendit, in iuuentute etiam, propter emolumentum. nam duobus generibus duntaxat quæstus ait se vsum, agricultura & parsimonia. tunc opera rustica præbebant ei oblectationem & contemplationem. Scripsit quoque de re rustica librum, in quo etiam de placentis apparandis, & de condendis pomis scripsit: omni in re vt excelleret & singularis esset, elaborans. Cœna quoque erat ruri liberalior: inuitabat enim assiduè villis suis vicinos & finitimos, quibuscum ei familiaritas intercederet. Cùm his viuebat hilariter, eratq; iucunda consuetudo eius & accepta, non æqualibus modò, sed iuuenibus etiam. nempe multarum rerum peritus erat, multisq; rebus & sermonibus memorabilibus interfuerat. Mensam imprimis putabat esse amicitiæ conciliandæ aptam, ac frequens illic laudatio egregiorum virorum introducebatur, frequens etiam malorum & improborum obliuio: nec vituperationi eorum vel commendationi permittebat in conuiuium suum Catoaccessum. Ex actionibus eius arbitrantur nouissimam Carthaginis excidium fuisse, cui finem facto imposuit Africanus minor, consilio & sententia præcipuè Cato. Bellum fuit ex huiuscemodi conflatum causa: Cato Carthaginem & ad Masanissam Numidiæ regem, qui bellum inter se gerebant, ad inspiciendas armorum causas fuit missus. Fuerat hic à primo amicus populi Romani: Illi ab Scipione bello victi, pacem à populo Romano acceperant, imperijq; ademptione & graui vectigali fuerant refrenati.

Cato grādæuus secundam vxorem ducit.

Catonis responsum filio, de secundis nuptijs.

Cato Salonius.

Catonis senectus quomodo transacta.

Catonis scripta & monumenta.

Mensa cōciliandæ amicitiæ apta.

Cato author euertendæ Carthaginis.

ti. Qui cùm eam ciuitatem, non pro populi Romani opinione, offendisset afflictam vel infractam, verùm magna iuuentutis sobole florentem, magna affluentem opulentia, omni genere armorum & apparatu bellico refertam, quæ res Pœnis non mediocres spiritus darent: tempus existimabat esse, non vt res Numidiæ & Masanissæ componerent & disceptatent Romani, sed nisi ciuitatem oppressissent antiquitùs inimicam & exacerbatam, quæ supra quàm credi posset, inualuerat, paria pericula ipsos incursuros. Igitur propere reuersus docuit senatum, non tantum superiores clades & vulnera Carthaginensibus virium, quantũ imprudentiæ detraxisse: ac prope esse, vt non infirmiores eos, sed expertiores ad bellum faciendum reddiderint. Nunc verò etiam præludia belli Romani agitare bellum Numidicum: pacem & fœdus prætexere belli moræ, dum opportunitatem expectant. Ad hæc fertur Cato ficos Africanos, togam excutiendo in curia consultò effudisse, quorum cùm admirarentur magnitudinem & speciem, dixisse eum, quę hos ferat tellus, tridui nauigatione ab Roma distare. Illud verò iam violentius, quòd quacunque de re diceret sententiam, semper hoc addiderit: Hoc censeo, & Carthaginem delendam. Contrà P. Scipio Nasica dictus, perpetuò pro sententia dicebat: Censeo Carthaginem relinquendam. Multa enim meo iudicio cùm populum procacitate videret admittentem, & ob secundum rerum cursum atque ferociam senatui minus dicto audientem, totamq́ rempub. ob nimiam potentiam, quo nutu vergeret, secum trahentem, volebat hunc certè timorem, pro freno moderatorẽ contumaciæ iniectum multitudinis: minus censens pollere Carthaginenses, quàm vt superarẽt Romanos, & plus quàm vt contemnerentur. Id ipsum Catoni anceps visum, lasciuienti populo, et crebrò ex licentia offendenti vrbem antiquitùs quidem magnam, tum verò etiam, quòd fracta esset ærumnis, sobriam imminere: quin potius metus externos imperij esse semel excindendos, & emersiones ei ex intestinis erratibus relinquendas. Ita suscitasse Cato dicitur tertium & supremum bellum Punicum. Affecto bello excessit vita vaticinatus de viro, qui finem impositurus bello esset. Hic tum quidem iuuenis erat, sed tribunus militũ, specimen in conflictibus prudentiæ & animi præbebat. Id Romam nunciatũ, cùm peruenisset ad aures Catonis, dixisse eum perhibent:

Catonis de ficubus cõmentum.

Scipio Nasica de non euertenda Carthagine cõtra Catonem.

Catonis mors.

Catonis de Scip. Aemil. iudiciũ.

Huic modò cor soli est, reliqui velut vmbra feruntur.

Homerus Odys. 10.

hanc prædictionem breui Scipio re cõfirmauit. Progeniem Cato reliquit vnum filium ex secunda vxore, cui cognomen factum Salonio diximus: vnum etiam ex defuncto filio nepotem. Salonius in prætura decessit: cuius filius Marcus consul fuit, auus Catonis philosophi, viri virtute & laude sua ætate clarissimi.

Catonis posteritas.

ARISTIDIS CVM CATONE COMPARATIO.



XPOSITIS horum rebus memorabilibus, tota huius vita totæ opposita alterius non lucidum habet discrimen: sed multis & magnis id offuscatur similitudinibus. Quòd si membratim collatione tractandus vterque est, vt versus vel tabula picta: hoc quidem est cõmune ambobus, quòd nullo subsidio aspirauerunt ad rempub. & honorem virtute & fortitudine. Videtur autem Aristides nondũ pollente populo Atheniense, & cùm opibus essent concionatores & duces adhuc moderatis & paribus, exortus eluxisse. nam maximus id temporis erat census quingentûm medimnûm, secundus equestris tricenûm, vltimus & tertius Zeugitæ ducenûm. Cato verò ex oppidulo exiguo, & vita quæ rusticana videbatur, in rempub. Romanam sese, sicut in vastum pelagus præcipitauit: remotam iam à Curijs, Fabricijs, & Hostilijs rectoribus, neq; ab aratro & bipalio pauperes & operarios ad rostra admittentem magistratus & concionatores: sed claritatem familiarũ, & diuitias & largitiones & prensationes assuefactas respicere, ob magnitudinemq́ & potentiam suam honores petentib. insultantem. Neq; verò par erat aduersariũ habere Themistoclem, neq; natalibus clarũ & modicis fortunis, (Nam quinq; aut triũ talentorũ facultates ferunt ei fuisse) ac cum Scipionibus Africanis, Sergijs Galbis, Quintijs Flaminijs luctari de primatu, nullo adiumẽto præterquã lingua pro iure libera succinctum. Præterea ad Marathonẽ Aristides, & iterũ ad Platæas decimus dux

Aristidis & Catonis ad Remp. accessus.

Aristidi Cato in bellis gerendis anteponitur.

fuit: Cato secundus cõsul, multis est cõpetitoribus renunciatus, secundus itẽ censor candidatis prælatus septẽ nobilissimis viris & primarijs. Iam in nulla victoria fuit princeps Aristides: sed fert Marathoniæ Milriades primas, Themistocles Salaminiæ, Platæensem Herodotus est author pulcherrimam victoriam retulisse Pausaniam. Cum Aristide etiam de secunda palma, Sophanes & Aminiæ & Callimachi & Cynægiri ambigũt, qui fortissimè se illis in prælijs gessere: Cato non tantùm in consulatu suo, principatum manu & consilio obtinuit bello Hispaniensi, sed & tribunus militum ad Thermopylas auspicijs alienis gloriam tulit victoriæ: quòd magnam fenestram in Antiochum Romanis aperuisset, & à fronte solùm prospicienti intorsisset regi à tergo bellum. Nempe illa victoria, quæ planè Catonis fuit opus, exegit Græcia Asiam, eamq; stratã inde præbuit L. Scipioni. Atque bello quidem inuictus vterque fuit: domi verò impegit Aristides in exilium eiectus, & factione Themistoclis oppressus: Cato cùm omnes penè ciuitatis Romanæ potentissimos & primos haberet aduersarios, & ad senectutem vsque instar athletæ decertaret, cõseruauit se incolumem. Plurimis verò publicis iudicijs, hinc reus hinc accusator, multos damnauit, & omnibus liberatus fuit: propugnaculo vitæ & valenti instructus organo eloquentia, cui verius quàm casui vel fortunæ eius, quòd illæsa permanserit dignitate acceptum referas. nam insignem hanc Aristoteli quoq; philosopho tribuit Antipater laudem: scribens de eo iam defuncto, inter cæteras virtutes etiam facultate præditum eum fuisse flectendi quò vellet animos. Porrò politica virtute habere hominem nullam excellentiorem est indubitatum: cuius certè partem plerīq; œconomicam censent non minimam. Ciuitas enim, quæ domiciliorum est contractio & collectio, priuatis compositorum ciuium moribus ad rempub. inualescit. Quando etiam Lycurgus, qui exterminato ex Sparta auro, exterminato argẽto, ex corrupto igni nummos ferro ciuibus sanxit, non soluit eos œconomia: verùm præciso luxu, putrida sanie & tumore diuitiarum, vt rerum copia necessariarum & vtilium omnibus suppeditaret, supra omnes alios legislatores prouidit: inopem, nudum, pauperem ciuem in reipub. communione, præ diuite & circumfluente opibus formidans. Cato autem non deterior videtur domus rector quàm ciuitatis fuisse. etenim & amplificauit facultates suas, & præceptor extitit alijs œconomiæ & agriculturæ, multa'que de his & frugifera in scriptis suis collegit: Aristides verò paupertate sua etiam suggillauit, velut domus pestem & calamitatem, iustitiam: omnibusq; potiùs quàm illis, qui ea sunt præditi fructuosam. Atqui multa Hesiodus ad iustitiam simul & rem familiarem curãdam, quò nos excitaret, adduxit, ignauiamq; vt iniustitiæ est fontem insectatus. Perclarè quoque Homerus cecinit:

Aristidis & Catonis in republ. offensiones.

Innocentiæ & eloquentiæ vis.

Paupertas an vituperanda.

Odyß. lib. 14

Nec erat mihi cura laboris,
Tollendis natis, non solicitudo peculi.
At mihi dulce citas pelago deducere naues,
Bellaq; grata mihi, iaculum leue, dura sagitta:

quasi sint ijdem, qui in re familiari sunt dissoluti, & qui tolerant vitam ex iniuria. Neque enim vt oleum medici autumant esse corpori foris saluberrimum, intus inimicissimum: ita iustus alijs consulit, sui & suorum est incuriosus. Verùm hac parte dicas artes ciuiles claudicasse Aristidis. siquidem, vt plerique dictitant, non prouidit, vt vel dotem filiabus, vel sibi ipsi relinqueret funeris impensam. Vnde exhibuit Romæ Catonis familia, vsque in quartam stirpem, prætores & cõsules. nam eius nepotes horumq; filij summos honores gessere. Aristidis, qui princeps fuit Græciæ, grauis & extrema paupertas, partim eorum ad præstigiatrices tabulas redegit, partim ad stipem publicè accipiendam adegit ob inopiam manus porrigere: nemini verò facultatem rei vllius præclaræ aut ex ipsius dignitate gerendæ permisit. An verò hoc primum implicationem habet? nam turpis paupertas est, non quidem sua sponte, sed vbi socordiæ, intemperantiæ, luxus, incuriæ est indicium: at in viro temperante, industrio, iusto, forti, rempub. gerente, omnibus consociata virtutibus, animi est insigne magni & excelsi. neque enim res magnas suscipias, si cura te tangat minutarum: neu multis egentibus opituleris, si multorum sis ipse indigus. Est verò compendium ad rempub. tractandam magnum, non opulentia, sed rebus contentum esse suis: quæ virtus, quòd nullam rem superfluam priuatim requirat, haud abducit mentem à repub. Quippe liber est prorsus ab omni egestate Deus: ex humana virtute, quæ minimè eget, ea demum absolutissima est & diuinis-

Olei natura.

Iustus non modò alijs, sed etiã sibi cõsulit: iuxta illud, Nec quicquam sapit qui sibi non sapit.

An paupertas sit res turpis.

diuinissima. vt enim corpus ad bonum habitum temperatum, nullum desiderat vel vestitum vel victum exquisitum: ita homo & domus sana copijs tolerat se tenuibus. Debet autem vsui respondere diuitiarum comparatio. nam multa qui congerit, cùm vtatur paucis, non est contentus: sed siue non requirit, paratu eorum, quæ non appetit, vanus: siue appetit, & fruitionem comprimit præ sordibus, miser est. Ipsum certè Catonem libenter rogem, si diuitias ideo quærimus, quò his fruamur: quid se iactet, quòd magnis comparatis copijs sit modicis contentus? Sin verò res est luculenta, vt est, cibario pane vesci, ac bibere vinum, quod bibunt operæ & seruitia, nec concupiscere purpuram vel ædes tectorio inductas: haudquaquam fuit vel Aristides, vel Epaminondas, vel M. Curius, vel C. Fabricius rebus necessarijs destitutus, qui in parandis non elaborauerunt ijs, quorum non probabant vsum. Neque enim operæ erat homini, qui pro delicatissimo cibo rapas haberet, qui que eas ipse coqueret, dum pinseret panem vxor, toties de vno iactare asse, & scribere quo quæstu quàm citissimè euadas diues. est namque ingens bonum exiguo contentum esse: quia cupiditatem simul & curam eximit rerum superfluarum. Itaque hoc Aristidem in Calliæ iudicio aiunt dixisse: Illis erubescendam paupertatem, qui inuiti pauperes sint: his, qui vt ipse libenter, ex ea gloriandum. Quippe ridiculum sit ignauiæ putare vertendam Aristidis inopiam, cui licebat citra vllam turpitudinis notam, vnum spolianti barbarum vel vnum tabernaculum occupanti, euadere pecunioso. Sed de his iam satis. Porrò Catonis ductus nihil vt magnis rebus magni momēti adiecere: in Aristidis expeditionibus pulcherrimæ, splendidissimæque & primæ à Græcis res gestæ sunt, Marathon, Salamis, Platææ. Neque profectò conferendus cum Xerxe Antiochus sit, neque diruti oppidorum Hispanicorum muri legionibus tam innumeris qua terra qua mari prostratis: vbi factis Aristides nulli cessit, gloriam verò & laureas sicut etiam opes & pecuniam concessit illis, qui ea sitiebāt impensius, quòd ijs omnibus præstaret. Equidem non reprehendo Catonem, quòd perpetuò se iactaret, & primum numeraret omnium: (quamuis in quadam oratione dicat: Laudare semetipsum & vituperare iuxtà ineptum esse) at consummatior mihi ad virtutem videtur eo, qui creber est in seipso extollendo, ille, qui ne aliorum quidem in hoc desiderat operam. Est enim ad ciuilem mansuetudinem liber ambitione animus nō mediocre momentū: ambitio contrà aspera res, inuidiæque fomes maxima, qua hic prorsus caruit, ille maiorem in modum fuit implicatus. namque Themistoclis maximis in rebus Aristides adiutor, atque imperij illius quodammodo satelles erexit Athenas. Cato Scipionem oppugnando eius in Carthaginenses expeditionem, quæ inuictum prostrauit Annibalem, penè euertit & labefactauit: denique struendis semper aliquibus suspicionibus & calumnijs, hunc vrbe emouit, fratremque eius fœdissimè damnauit peculatus. Postremò quam perpetuò maximis ornauit pulcherrimisque laudibus temperantiam Cato, hanc conseruauit Aristides illibatam reuerà atque synceram. Ipsum Catonem enim conciliatæ præter dignitatem & ætatem nuptiæ, non mediocri neque leui macula asperserunt incontinentiæ. nam ætate illum tam graui, filio adulto & nurui suæ alteram inducere puellam, vxorem apparitoris & mercenariam, operam publicè præbentis filiam, minimè fuerit honestum: Verùm siue libidine stimulatus hoc egit, siue ira scorti causa vlturus filiam, & factum & prætextus cum probro est coniunctus. Nam qua vsus est ratione, cauillans apud filium, falsa erat. si enim æquè egregios gignere cupiebat, debebat re à principio deliberata generosam vxorem ducere: non quamdiu occulta fuit sua cum muliere non iusta & vulgari consuetudo, temperare: vbi verò res detecta est, socerum facere eum, qui facillimè assensurus, non affinitate ornamento ei erat futurus.

Diuitiarum comparatio, quorsum.

Catonis in diuitijs comparandis, reprehēsio.

Aristidis an Catonis res gestæ fuis magis profuerint.

Ambitio in reipub. mala, propriaque laus.

Cato ob secundas nuptias taxatur.

ILLV.

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO *PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO VVILHELMO,*

Principi Orangiæ, Comiti à Naſſovv, Catzenelenboegen, Viennæ, domino in Breda, &c. Hermannus Cruſerius S. P. D.



VM tractarem illuſtriſsime Princeps, hiſtoriam Agidis & Cleomenis, regum Lacedæmoniorum, Caiíq; & Tiberij Gracchorum, perpendi mecum agitauíq; animo, num ita anceps & periculoſa adoleſcentia reipub. adminiſtrandæ ſit, vt pingunt eam quidam qui maximas reſpub. per adoleſcentulos labefactatas, à ſenibus autumant ſuſtentatas & reſtitutas, adferuntq; hoc ex Næuij poetæ ludo:

Prouenicbant oratores noui, ſtulti, adoleſcentuli:

Tribuunt autem temeritatem florenti ætati, prudentiam verò ſenectuti, atque accumulant hîc aceruum exemplorum, Phalaridem, Dionyſium iuniorem tyrannum Syracuſanum, Caium imperatorem Caligulam, & Neronem. cum altera ex parte agmen adducere non rarius liceat eorum, qui rebuſpub. ſuis graues calamitates inuexerunt, ſenum. Atq; vt ex multis paucos delibem, num tyro acceſſit ad rempub. euertendam C. Marius? At qui vir, quàm exercitatus, & quibus rebus geſtis? Num nouitius C. Iulius Cæſar libertatem Romanam atque rempub. proſtrauit? Quid, nonne Tiberius Cæſar & Claudius ætate prouecti, magna vulnera reipub. ſuæ inflixêre? atqui P. Scipio Africanus annos natus viginti quatuor afflictas recreauit & conſtituit res Romanas, qui Italiam armis Punicis liberauit. Nec pœnituit Romam iuuentutis T. Quintij Flaminij, qui debellauit regem Macedonum Philippum, comitateq; ſua & humanitate adiunxit populo Romano Græcorum animos. Adde Titum Veſpaſianum, & Alexandrum imperatorem: quamuis iuuenes, ſalutares tamen reipub. principes. Magnus verò Alexander quàm præclaras res, quàm ſtupendas geſsit adoleſcens? Itaque ſi qui calamitoſi fuerint ſuis, non id ætati expenſum ferendum: Verùm ſic arbitror ſtatuendum, qui bonæ indolis ſint, atque ad virtutem inſtituti, in his non referre ætatem, niſi fortaſſe ad maiorem aliquam maturitatem. Siquidem vt immaturæ decerptæ oleæ condiuntur, vt aliorum ſint condimenta ciborum, & maturæ oleum reddunt, gratæ autem vtrobique & ſalubres: ita iuuenes hi, ſi admoti reipub. ſint, & ætate progreſsi, fructum ſuum ferunt. Eſt verò inſtar culturæ agri inſtitutio. Si neglectus iaceat ager, neque ſit ſubactus diligenter, ſpinas edet & tribulos, vt feliciſsimi ſit ſoli: qui ſi etiam medius ſit, ſedulò autem cultus, frugem feret lætiſsimam. Haud aliter, ſi optima ſit indoles, ſed nullum vel prauum acceſſerit tyrocinium, euadet haud dubie in peſtem: ſin coniuncta cum ingenio proba educatio ſit, exiſtet haud dubiè ille, cuicunque ea contigerint, magnum lumen & ornamentum ſuorum. Non defecit quidem ingenium Dionyſium, non inſtitutio Neronem: verùm hic omnia vitia maiorum ſuorum ſolus repræſentauit, & ortus fuit inſolentiſsima matre: ille ſub patre creuit tyranno, à quo nullis virtutibus fuit imbutus. Hæc mihi præfari ſuccurrit in Agim & Cleomenem, C. & Tiberium Gracchos. qui indole præditi fuerunt omnes excellenti, verùm C. & Tiberius inſuper præclaram ſortiti inſtitutionem. Itaque effulſerunt ilicò in ciuitatibus ſuis, fueruntq; ciuibus chariſsimi & res magnas deſignauêre. Horum vitas à me modò ex Græco Plutarcho in ſermonem Latinum verſas, tibi Illuſtriſsime Princeps exiſtimaui duabus de cauſis dicandas. Primùm ob ſimilem quandam in te elucentem his viris imaginem. Patrem enim nactus optimum atq; laudatiſsimum, ex quo ingenitam habes rectam indolem, atque ab eodem mox à teneris vnguiculis ad virtutem es informatus. vnde vt primùm admotus es rerum gubernaculis, illuſtre edidiſti inſignis principis ſpecimen. Deinde, quia tanta propinquitas intercedit tibi cum illuſtriſsimo Principe meo, & coniunctio tam arcta animorum: non debui prætermittere, quin clarum nomen tuum ſcriptis celebrarem, & poſteritati mandarem meis. Adhæc quia Bruxellæ me, cùm anno ſuperiore adirem te, & ſalutarem nomine Principis mei, excepiſti humaniſsimè: decuit aliquas vt tibi gratias agerem, & hoc muneris ad te mitterem. quod vt benigno animo accipias, valde te rogo:

Vale Illuſtriſsime Princeps.

PROOE-

PROOEMIVM IN AGIM ET CLEOMENEM, TIBER. ET CAIVM GRACCHOS.



ON absurdè, neque malè compositam quidam aduersus ambitiosos existimant Ixionis fabulam: quòd scilicet pro Iunone nubem complexus sit, atque ita geniti Centauri. quippe cum gloria hi tanquam virtutis simulachro habentes consuetudinem, nihil syncerè agunt vel constanter: verùm aliàs alijs rapti studijs, & motus sequentes alios res gerunt adulterinas & minutas multas, sicut Sophoclis pastores de gregibus suis dicunt: *Ixionis fabula mythologia, in gloriosos.*

Seruimus his, qui iure nobis subiacent,
Ac mos gerendus his sit & tacentibus.

Quòd reuerà illis vsuuenit, pro multitudinis libidine & appetitu qui rempub. gerunt, ancillantes & pedissequi, vt dominatores in concionibus & magistratus appellentur. Vt enim proretæ, quamuis ea quæ ante cursum sunt, prospectent meliùs quàm gubernatores, respiciunt tamen illos, atque ab ijs exequuntur imperata: perinde qui rempub. tractant & gloriam spectant, ministri sunt plebis, licet appellatione fruantur magistratuum. nam consummatus quidem & plenè bonus nihil omnino requirat gloriam, nisi quatenus aditum per authoritatem ad res gerendas tribuat. At iuueni etiamnum & gloriæ cupido, ex honestis factis nonnihil concedendum sit gloriari atque sese venditare: siquidem nascentes in ea ætate & suppullulantes virtutes, vt Theophrastus author est, rectè factorum fulciunt laudibus, adolescuntq; in reliquum animo excitatæ. Immodicum verò cùm vbique lubricum, tum in ciuilibus ambitionibus est perniciosum. Aufert enim in insaniam & furorem manifestum eos, qui potestatem sunt magnam adepti: cùm non, honestum quod est, volunt esse gloriosum: sed quod est gloriosum, idem bonum ducũt. Sicut igitur Antipatrum Phocion postulantem ab se rem parum honestam, Non vales, inquit, Phocionem amicum simul & adulatorem habere. hoc vel simile quid ad multitudinem dicendum sit: Non potestis eundem habere & ducem & assectam. Quandoquidem tum eueniat idem, quod draconi: cuius refert fabula dissidentem à capite caudam vicissim postulauisse ducere, neque perpetuò illud sequi: accepto ducatu, cùm ipsam vexatam fuisse, quòd stultè instituerent iter, tum caput lacerasse, quòd membra surda & cæca sequi cogeretur contra naturam. Idem cernimus multis, qui rempub. vbiq; gesserunt populariter, accidisse: Cùm enim multitudini temerè se iactanti addixissent se, neque reuocare pòst, neque sistere potuerunt cõfusionem. Hæc nobis in mentem venêre in collectam à plebe laudem referre, considerantibus quid valeat ex casibus Tiberij & Caij Gracchorum: quos optima præditos indole, optimè eductos, optimo etiam ad rempub. gerendam ingressos instituto, conuulsit non ita enormis gloriæ auiditas, vt metus infamiæ ex non improba natus occasione. Prouocati enim magno fauore à ciuibus, erubuerunt velut ære alieno obstricti, eos frustrari. Dum verò certant assiduè egregijs actionibus, delatos sibi honores vincere, & ob eas coluntur magis, itaque pari certamine & sese erga populum, & erga se inflammant populum: in eas delati res imprudentes sunt, vbi iam non erat illud, dici quod solet: *Phocionis dictũ.* *Draconis capitis & caudæ fabula.* *Gracchos excusat Plutarchus.*

Rectum licet non sit, turpe est desistere.

Hæc statues ipse ex narratione. Cum his contendamus Laconicum popularium hominum par Agim & Cleomenem reges: etenim quia populum hi sicut illi instituerunt amplificare, egregiaq; reipub. instituta & iusta reducere diu exoleta, æquè offenderunt potentes, qui assuetam inæqualitatem ciuilem detrectabant relinquere. Germani quidem inter se hi Lacones non fuerunt, at congeneres & germanas in repub. actiones susceperunt huiuscemodi capto exordio.

AGIS

Agis & Cleomenes.



Agidis genus.

POSTQVAM in ciuitatem Spartanam semel irrepsit auri & argenti admiratio, comitataq; est diuitiarum possessionem auaritia & sordes, vsum earum & fruitionem luxus, mollitia, & profusio: bonis est Sparta plurimis nudata, & diu indignè abiecta iacuit vsque in illam diem, qua Agis & Leonidas regnauerunt. Fuit Agis Eurytionides & Eudamidæ filius, ab Agesilao, qui expeditionem in Asiam fecit et plurimum polluit ex Græcis, sextus. Agesilai Archidamus filius fuit eius qui in Italia apud Mandonium fuit à Messapijs interfectus. Archidami maior filius Agis, Eudamidas minor, qui Agide apud Megalopolim ab Antipatro occiso nullis relictis liberis, regnum obtinuit. Huius fuit Archidamus filius, Archidami alter Eudamidas, Eudamidæ Agis, de quo hic agimus.

Leonidæ genus.

Leonidas Cleonymi alterius fuit familiæ Agiades, octauus à Pausania, qui apud Platæas Mardonium acie vicit. Nam filium Pausanias Plistonactem habuit, Plistonax Pausaniam: quo ex Lacedæmone solum exilij causa Tegeam vertente, maior stirpis filius regnauit Agesipolis. Hoc sine sobole extincto, Cleombrotus minor. Cleombrotus rursus alium Agesipolim & Cleomenem edidit, ex quibus Agesipolis nec diu regnauit, nec stirpem habuit. Cleomenes, qui obtinuit post Agesipolim regnum, filium natu maiorem etiam superstes Acrotatum amisit: Cleonymum reliquit minorem, qui regnum nõ tenuit, sed nepos Cleomenis Areus Acrotati filius. Cæso ad Corinthum Arco, regnum ad Acrotatum eius filium descendit. qui etiam in Marte apud Megalopolim ab Aristodemo tyranno fusus cecidit, vxore relicta prægnante. Virilis sexus stirpe edita, Cleonymi filius tutor Leonidas fuit. Illo ante pubertatem defuncto regnum ad hunc recidit, non admodum ciuibus acceptum.

Leonidas Luxum inducit Spartam.

Quamuis enim omnibus iam ob reipub. corruptelam iuxtà deflectentibus, erat tamen veterum institutorum in Leonida conspicua enormitas. nempe diu in aulis satrapicis volutatus fuerat, & secutus Seleucum: mox fastum inde in Græcorum rempub. & legitimum regnum parum scitè transtulit.

Agidis continentia.

Agis verò ita longè excessit indole & magnitudine animi, non hunc modò, sed & qui ab Agesilao magno regnauerunt prope omnes: vt cùm nondum vigesimum ætatis annum excessisset, & enutritus esset in opibus & delicijs muliebribus matris Agesistratæ & Archidamiæ auiæ, quæ in Lacedæmonijs erant pecuniosissimæ, statim voluptatibus bellum indixerit: ac ne indulgeret eximiæ formæ venustati, detracto qui adesse videbatur corpori fuco, cultuq; exuto & reiecto omni magnifico, in palliolo sese ostentaret: cœnas, balnea, victum Laconicum quæreret: iactaretq; nihil desiderare regnum se, nisi leges id per se & maiorum institutionem reciperet.

Lacedæmoniorum corruptelæ initium.

Incunabula quidem corruptionis & morbi respub. habuit Lacedæmoniorum, ab eo ferme tempore, quo euerso Atheniensium imperio refercerunt se auro & argento. Verùm cùm retinerentur tamẽ sortes hæreditatum, quarum Lycurgus seruari in successionibus numerum sanxit, & pater filio sortem suam relinqueret: idem ordo & æqualitas vtcunque permanens, ciuitatem ex alijs alleuauit peccatis. Vt verò ephorus fuit vir factiosus quidem, sed præfractis & acerbis moribus Epitadeus nomine: hic simultate ei cum filio exorta, rctram promulgauit, ius vt cuiq; esset hereditatem suam & sortem, cuicunq; vellet, & inter viuos donandi, & relinquendi testamento. Atq; hic quidem, quò iræ suæ priuatæ indulgeret, eam tulit legem: quam auaritia consultrice comprobantes & sciscentes alij, optimum ordinem conuulsere. nam citra delectum iam possesiones quærebant præualentes, propinquos pellentes successionibus, breuiq; opulentia ad paucos confluente, occupauit ciuitatem inopia, quæ expulsis bonis artibus, occupationem illiberalem traxit secum in sordidis cum inuidia & odio locupletium. Superauerunt ergo non plus septingenti Spartiatæ, atque horum fuerunt fortasse centum, qui agrum & sortem tenerent: reliqua turba inops & abiecta residebat cum illis in vrbe. hæc & bella foris illata ignauiter, segniterq; propellebat, & semper opportunitatem aliquam captabat mutationis ac rerum nouarum.

Agis aggreditur restituere instituta Lacedæmoniorum.

Quapropter operæprecium, vt erat, existimans Agis exæquate & frequentare ciuitatem, animos periclitatus est ciuiũ. Ac iuuentus, mox præter spem præbens ei aures, accinxit se ad virtutem, vestis modo vitã libertatis causa mutans. Maioribus verò natu, vt qui prouecti ad corruptionem erant, accidit plerisq;, velut ad dominum ex fuga retracti, vt timerent & expauescerent Lycurgum. itaque insectabantur deplorantem

plorantem reipub. statum Agim, ac veterem dignitatem Spartæ desiderantem. At Lysander Libyis filius, & Mandroclidas Ecphanis, insuper Agesilaus probauerunt, extimulaueruntq́ studium eius. Erat Lysandri summa apud ciues authoritas: Mandroclidas ad consilia adornãda Græcorum solertissimus, prudentiamq́ hanc & astutiam temperatam audacia habebat: Agesilaum regis auunculum & eloquentem virum, de cætero mollem & auarum, vt apparebat quidem, filius Hippomedon excitauit, erexitq́ multis bellis, vir clarus atq; ob iuuentutis in ipsum studium præpollens. Cæterùm vera causa, quæ ad huius negocij societatem impulit Agesilaum, æris alieni magnitudo fuit: quo conuersione reipub. sperabat se subleuatum iri. Vt primùm igitur hunc adiunxit sibi Agis, ilicò matrem inducere, adhibito Agesilao, aggreditur eius sororem. Hæc clientiũ, amicorum, & nominum numero, magnas in ciuitate opes habebat, multaq́ transigebat in repub. Qua re audita obstupescere primùm, ac comprimere adolescentem tanquam impossibilia & damnosa affectantem. Vt verò docuit Agesilaus facilè hæc confici & magno cum fructu posse: ipse autem obsecrauit rex genitricem, vt opes suas sibi ad gloriam & decus comparandum condonaret. nam pecunia quidem non posse se cum alijs conferri regibus: quippe satraparum famulos & seruos Ptolemæi & Seleuci procuratorum plus quàm cunctos Spartanos reges possidere. Quòd si temperantia & frugalitate & magnitudine animi illorum præualens luxui, exæquationem & cõmunicationem constituisset bonorum ciuibus, nomen se regis verè magni paraturum. Ita flexæ hæ mulieres, sententia sunt ab adolescentis erectæ ambitione, tantoq́ occupatæ quasi afflatu ad virtutem, vt vltrò extimularent Agim, eiq́ calcar adderent: adhæc amicos accitos adhortarentur, aliasq́ appellarent mulieres. nempe sciebant vxoribus semper Lacedęmonios dicto audientes esse, plusq́ de negocijs publicis cum illis, quàm secum illas communicare de priuatis. Erant autem id temporis ferè penes mulieres opes Laconicæ: id quod cœpta difficiliora & laboriosiora reddidit. Siquidem intercesserunt mulieres, non modò quia delicias amittebant, ob ineptias, in quibus summum bonum virtutis ignoratione collocabant: verùm etiam quòd honorem & potentiam, quam ex diuitijs obtinebant, viderent detrahi sibi. Ita ad Leonidam confugiunt, adhortanturq́ eum vt qui natu sit maior, reprimat Agim: & quæ in manibus ille habeat, impediat. Cupiebat quidem adesse Leonidas locupletibus, sed cupidum rerum nouarum populum formidans nihil propalàm aduersabatur: verùm clàm moliebatur cœpta labefactare & conuellere appellando magistratus, & Agim criminando tyrannidis mercede pauperibus diuitum fortunas obijcere, agriq́ communicationem, & tabulas nouas: quò multos authoraret sibi satellites, non Spartæ ciues. Verùm enimuero cùm effecisset Agis, vt ephorus Lysander crearetur, extemplò retulit retram suam ad senatum. Huius capita erant, vt obæratis æs alienum remitteretur, atque ager diuideretur: cuius quod intra Pellenes vallem, Taygetum, Maleam, & Selasiã est, in quatuor millia quingentas sortes secaretur: quod vltra eos limites, in quindecim millia: atq; hæ finitimis, qui arma ferre possent, diuiderentur: quæ intra illos terminos sint, ipsis Spartiatis: hi vt supplerentur ex finitimis peregrinis, qui liberaliter & ingenuè instituti forent, præterea ætate atq; robore florerent. vt autem ij in quindecim contribuerentur conuiuia: partim quadrageni, partim duceni in singula: item victum more maiorum haberent. Hac promulgata retra, cùm senatus sententijs dissideret, aduocauit Lysander populi concilium: vbi & ipse disseruit, & Mandroclidas Agesilausq́ orauerunt populum, ne permitterent, vt per paucos, qui ipsum ob delicias suas deludant, ciuitatis Spartanæ conculcaretur maiestas: sed in superiorum oraculorum reuocarentur memoriam monentium, auaritiam vt tanquam pestem Spartę declinarent: illorum quoq; recentium Pasiphaes. Templum & oraculum † Thalamijs celebre erat. Phasiphaes quam Atlantidum vnam Ioue prognatarum tradunt quidam fuisse, atq; edidisse Ammonem: nonnulli Priami Cassandram ibi defunctam, quam quòd omnibus oracula declararet, παρὰ τὸ πᾶσι φαίνειν τὰ μαντεῖα Pasiphaen fuisse dictam. Phylarchus Amyclæ filiam Daphnen nomine, cùm fugeret Apollinem, qui stuprum parabat ei offerre, in arborem versam: à quo deo fuisse honoratam, vaticinandiq́ donatam dote. cuius etiam canebant sortes: edicerent Spartiatis, vt omnia inter eos æquarentur ea lege quam sanxerat quondam Lycurgus. Nouissimus omnium progressus in medium rex Agis, breui oratione reip. ait se, quam institueret, maxima subsidia cõferre: primùm patrimonium suum in medio ponere aruis & pascuis lautum, in quo insuper pecuniæ signatæ sexcenta talenta sint. Idem facere parentes suas, amicos, necessariosq́, qui

Aere alieno impulsi homines nouas res moliuntur.

Lacedęmonij vxoribus parebant.

Agidis leges.

† Thalamis quoque legitur. Vrbs est Pausaniæ & Stephano.

Pasiphae, Atlantidum vna.

Agis opes suas in cõmune confert.

B

Spartiatarum sint opulentissimi. Hanc iuuenis celsitudinem animi obstupuit populus, exultauitq; : dicens solum dignum Sparta regem annis ferè trecentis extitisse.

Agidi resistit Leonidas.

At Leonidas tunc vel maximè reluctatus est. reputans enim coacturos sequi se illos, nec parem gratiam apud ciues relaturum : sed, cùm omnes ex æquo facultates suas conferrent, vni attributuros rem auspicato honorem, rogauit Agim, ecquid virum iustum Lycurgum et bonum sentiat fuisse? annuente illo : En vnquam igitur, inquit, Lycurgus, vel nouas tabulas concessit, vel ciuitate donauit peregrinos? qui prorsus non putauit sanam ciuitatem, peregrinos quæ nõ abigeret. Huic occurrit Agis : Haud mirari Leonidam se, si, qui peregrè eductus liberos ex nuptijs satrapicis quæsisset, ignoret Lycurgum debita & credita vnà cum nummis ciuitate exterminauisse: iã institutis & vita hospites potius quàm versantes in ciuitatibus peregrinos fuisse auersatum. Etenim illos, inquit, abigebat, non corpora insectans: sed vitam eorum & mores veritus, ne confusi ciuibus luxus, & mollitiæ, & compendij imprimerent ijs amorem priuati. Quando Terpander, Thales, Pherecydes aduenæ, quia eadẽ ac Lycurgus assiduè canebant ac tractabant, honores habuerunt Spartæ eximios? Tu † Ecprepẽ celebras, qui ephorus Phrynidis musici ascia duas ex nouem fides incîdit: illosq;, qui in Timotheo id sunt pòst imitati. nos laceras, qui delicias, luxum, insolentiam Sparta summouemus : quasi verò non illi quoq; ostentationem in musica & luxuriam cauerint, ne ad eam progrederetur corruptionem vitę & morum, vt inæqualitas & imparitas ciuium dissonam secum ciuitatem & discrepantem efficeret.

† In apophthegmatis Laconicis, Emerepem ponit.

Hinc Agidi adhæsit plebs. Locupletes Leonidam rogauerũt, ne destitueret ipsos: tantumq́; effecerunt oblecrando & impellendo senatum, cuius potissima vis erat in præiudicio deliberationis, vt vno suffragio, qui abrogauerunt retram, superarent. At Lysander adhuc in magistratu positus, institit Leonidam accessere lege quadam vetusta, quæ Heraclidem liberos vetat ex muliere alienigena tollere : & in eum, qui aliò ex Sparta demigrauerit, pœnam sancit capitalem. Hæc cùm obijcere alios docuisset Leonidæ, ipse cum collegis signum obseruauit. Id huiuscemodi est: Nono quoq; anno, captata ephori serena nocte & intermestri luna, consident silentio in cœlum intenti. quòd si aliqua ex parte stella in aliam traiecerit, reges iudicant deos offendisse : ijsq́; regnum eò vsq; abrogant, dum fuerit Delphis vel Olympia oraculum allatum, quod damnatos subleuet reges.

Leonidæ accusatio.

Hoc signum oblatum sibi Lysander iactãs, iudicium dictauit Leonidæ, ac testes edidit, ex muliere eum Asiatica, quam quidam Seleuci pręfectus ei collocauerat, duos filios tulisse, ingratum & inuisum vxori domum inuitum reuertisse, & successore orbum rapuisse regnum. Simul dum eum accusat, impellit Cleombronim ad regnum asserendũ generum Leonidæ & stirpis regiæ. trepidus igitur Leonidas supplex ad Chalciœcum refugit. Fuit vnà cum parente in sordibus filia, diuertitq; à Cleombroto.

Leonidæ regnũ abrogatur.

Citato ad iudicium, eùm non stitisset, regnum abrogantes contulerunt id Cleombroto. interea exacto tempore Lysander abijt magistratu. Tum qui successerunt ephori supplicẽ excitauerunt Leonidam: Lysandrum autem & Mandroclidam in iudicium adduxerunt, quòd contra leges nouas tabulas & legem agrariam promulgassent. Igitur in periculum illi adducti persuadent regibus, vt conspirantes ephororum consulta repudient. nam eius magistratus in regum dissensione arbitrium esse, cùm alter contendat pro bono publico, vt in sententiam transeant rectiùs sentientis: amborum consentientium indissolubilem esse potestatem, & iniquè dissentire illos à regibus, quibus dissidentibus arbitrari eis & disceptare ius esse, non ingerere se concinentibus. His inducti ambo, profecti sunt cum amicis in forum, summoueruntq; ephoros sellis, atq; alios eis surrogauerunt, quorum fuit Agesilaus vnus. Iam cùm armassent frequentem iuuentutem, & soluissent custodias, trepidauerunt aduersarij eorum, quasi imminente multorum cæde. Cæterùm nihil sanguinis factum est. imò verò profugientem Tegeam Leonidam cùm pararet interficere Agesilaus, summitteretq; in viam percussores : re comperta misit Agis alios fidos, qui Leonidam stipantes deduxerunt eum Tegeam securè.

Leonidas rex it in exilium.

Agis decipitur ab Agesilao.

Ita consilio his procedente, neq; intercedente aut impediente vllo, vnus vir omnia Agesilaus euertit & cõuulsit: qui pulcherrimam legem atq; Sparta dignissimã fœdissimo morbo labefactauit auaritia. cùm enim possideret latissimum & vberrimũ agrum, ære autem alieno multo demersus esset : quia nõ erat soluendo, neq; dimittere inducebat in animum agrum, persuasit Agidi, si vtrumque pariter tentaretur, magnum in ciuitate exoriturũ motum : quòd si nouis tabulis antè deliniti locupletes forent, facilè eos & placidè accepturos legẽ agrariam. Idem Lysandro, qui item seductus ab Agesilao fuit, visum. Ita congestas in forum debitorũ syngraphas

Nouæ tabulæ Lacedæmone sancitæ.

phas, quas claria appellant, omnes coaceruatas cōcremauerūt. sublata flamma pecuniosi & fœneratores, qui ibi deambulabant, digressi sunt. At Agesilaus, quasi illudens illis, negauit clarius se lumen vel ignem lucidiorem vidisse. Postulante plebe, vt ager quoque confestim diuideretur, imperantibusq; hoc regibus, semper Agesilaus obstacula aliqua interponendo & causando, tempus protrahebat: quoad proficiscendum Agidi ad bellū fuit, cùm acciuissent socij Achæi Lacedæmone auxilia. expectabant enim per fines Megaricos Aetolos in Peloponnesum incursaturos. Ad quod prohibendum prætor Achæorum Aratus delectum habuit, & ephoris vt mitterent auxilia, scripsit. Miserunt illi confestim Agim alacritate & promptitudine erectum commilitonum. iuuenes enim erant plerique, & egeni: iamq; fœnore liberati & soluti, atq; agri expectantes, si à bello reuertissent, partitionē, impigros præbebant se Agidi, ciuitatibusq; erant miraculo: quòd citra noxam placideq;, & tantum nō sine strepitu Peloponnesum transmitterent: vt obstupescerent, reputarentq; animis Græci, quæ modestia exercitus Laconici fuisset Agesilao, vel Lysandro illo, vel prisco duce Leonida, vbi tanta aduersus adolescentē, omnib. fere ætate inferiorem, militum esset reuerentia & metus. Et verò ipse ille iuuenis, qui frugalitate & laboris tolerantia, & quod nihilo splendidius amictus vel vestitus priuato esset, ostentaret se, visendus erat & charus multitudini. Verùm opulentis ingrata nouatio eius erat, metuentibus ne commoueret & ad exemplū passim concitaret populos. Coniunctus apud Corinthum Aràto Agis, deliberanti etiam tum de pugna & signis cum hostibus conferendis, præ se tulit insignem alacritatem & audaciam, non vecordem vel stolidam. declarauit enim videri sibi prælio decernendū, neq; intra Peloponnesi portas admittendum bellum: facturum tamen se quod visum esset Arato. Quippe grandiorem eum & prætorem esse Achæorum: quibus non imperator, non dux, sed auxilio venisset vt belli socius. Baton Sinopensis detrectasse Agim refert prælium, cùm id vellet Aratus. Verùm non legit hic scripta Arati, qui se de hoc consilio excusat: quòd satius duceret, quia fruges propemodum omnes agricolæ conuexerant, vt hostes accederent, quàm Marte de summa iaceret aleam. Postquam igitur defugit Aratus aciem, & laudatos dimisit socios: in magna habitus admiratione Agis, retrò signa domum mouit, rebus Spartæ ingenti tumultu & mutatione concitatis. Siquidem ephorus tunc Agesilaus exoneratus eo, quo depressus antè fuerat, onere à nullo scelere, quod adferret quæstum, abhorruit: sed mensem tertiumdecimum, quod ambitus anni nō requirebat in præsentia, præter vsu receptum temporum ordinem, censui intercalauit, exegitq; eius mensis nomine censum indebitum. Quòd verò extimesceret læsos, & omnes offendisset, aluit satellites. quibus stipatus descendebat in curiam. Regum alterū semel despicere, Agim videri volebat propinquitatis potius quàm regni causa suspicere: insuper diuulgauit iterum se ephorum fore. Quocirca maturantes periculum adire inimici eius, coitione facta reduxerunt palàm Leonidam ex Tegea ad regnum recipiendum. quem plebs quoque vidit libenter: exarserat enim, quòd esset non diuiso agro delusa. Atq; Agesilaum filius Hippomedon, qui ob strenuitatem omnibus erat charus, exoratis ciuibus clàm eduxit vrbe ac seruauit. Reges, Agis ad Chalciœcum confugit, Cleombrotus in æde Neptuni sedebat supplex. nam in eum apparebat grauius incensum Leonidam esse, missoq; facto Agide in hunc contendit armis septus, accusauitq; eum infensè: quòd gener struxisset sibi insidias, regnoq; spoliatum patria expulisset: Cleombrotus, quid diceret, nihil habebat, sed sedebat perplexus, mutusq;. At Chelonis Leonidæ filia, quæ antè paternæ calamitatis fuerat consors, atq; à Cleombroto, vbi accepit regnum, digressa, patris miseriam for uerat, fueratq; eum præsente supplex, cum exulante in luctu, & simultate perstiterat aduersus Cleombrotum: tum verò conuersa fortuna palàm sociam se viri in squalore præbuit, consedit q; manibus illum complexa, filiosq; hinc inde apud se renens. Mirantibus omnibus humanitatē & pietatem mulieris, sordes, squalotemq; suum monstrans, Hunc mihi pater, inquit, habitum & speciem non Cleombroti imposuit miseratio: sed à tuis ærumnis & exilio inueteratus mihi & familiaris mansit luctus. Vtrùm igitur te Spartæ superatis aduersarijs regnante consenescendum mihi in hisce est calamitatibus, an vestis sumenda splendida & regia virum aspicienti, cui nupsi virgo, à te trucidari? qui nisi liberorum & coniugis te lachrymis exoret & placet, grauiora quàm tu petis piacula præbebit consiliorum suorum prauorum: me enim intuebitur sibi charissimam ante oculos suos vitam profundentem. Qua enim fronte cæteras mulieres intuebor, cuius neq; vir precantis, neque pater capit misericordiam: sed & vxor & filia ad id sum nata, cum meis

Agidis expeditio.

Agis honorem defert Arato.

Leonidas Spartam redit ab exilio.

Leonidæ filiæ Chelonidis in patrem & virum pietas.

Leonidæ filiæ oratio.

vt sim in calamitate & abiectione. Atque huius quidem, si qua honesta causa fuisset, hanc ego quæ tum tibi fui aggregata, facta eius meo premens testimonio detraxi. Verùm tu facinus illius reddis ei egregiè excusabile: qui rem ostendis regnum esse ita grandem & expetendam, vt eius gratia & generos trucidare & liberos iustum sit postmittere. Hæc Chelonis quiritans, faciem capiti Cleombroti imposuit, oculosque tabescentes & emarcidos ad coronam circumtulit.

Cleombroti regis exilium.

Leonidas cum amicis collocutus, Cleombrotum iussit exulem esse: natam orauit, vt remaneret, neque se, qui adeò diligeret ipsam, & viri salutem esset ei largitus, desereret. Non paruit illa tamen: sed exurgenti viro alterum filium tradidit, alterum tenens ipsa, adorata dei ara, concessit cum illo in exilium. Itaque nisi planè labefactatus Cleombrotus ab inani gloria fuisset, felicitatem duxisset exilium sibi quàm regnum vxoris causa maiorem. Cleombroto exacto, & primis ephoris magistratu amotis, atque suffectis alijs, extemplò insidias tetendit Leonidas Agidi. Primùm hortatus eum est, vt surgeret, atque administraret secum regnum, quasi ciues ei ignouissent. nam deceptum ab Agesilao fuisse iuuenem & gloriæ cupidum. Verùm suspectanti ipsum Agidi neque loco cedenti omisit verba dare & deludere. Amphares autem & Demochares, Arcesilausque adire Agim & colloqui solebant cum eo. Interim etiam ducebant eum secum ex templo ad balneum, lotumque reducebant in templum. Erant hi omnes familiares eius. Amphares autem vestes quoque & pocula preciosa nuper ab Agesistrata acceperat commodato. quæ vt non redderet, prodere deliberauit regem & foeminas eius parentes. Et verò hic præcipuè seruisse Leonidæ & ephoros, inter quos ipse erat, dicitur inflammasse. Cùm Agis autem per reliquum temporis permaneret in templo, & sueuisset ad balneum per occasionem descendere: ibi eum, vbi templo excessit, statuerunt arripere: captatoque articulo, eùm lauisset, occurrerunt & salutauerunt eum, comitatique sunt colloquentes & iocantes sicut tum familiari & iuuene.

Agis rex in carcerem conijcitur.

Diuortium obliquum via ad carcerem habebat: ad quod cùm peruenissent, Amphares iure magistratus manibus Agidi iniectis: Duco te, inquit, Agi ad ephoros, vt rationem reip. gestæ reddas. Demochares autem homo valens & eminens statura, obuoluens collum pallio traxit illum. Alijs ex composito impellentibus à tergo, & opitulāte Agidi in solitudine nemine conijciunt eum in carcerem. Mox adfuit Leonidas cum magna mercenariorū militum manu, quibus carcerem foris circumfudit. Ephori ad Agim ingressi senibus, qui eiusdem erant consilij, accitis tanquam cum eo acturi iudicio iusserunt eum actionū suarum causam dicere. Ridente illo dissimulantiam istorum, Amphares haud impune ait laturum, pœnasque daturum temeritatis. Hic alius ephorus tanquam lenior in Agim & culpæ effugium ostendens, requisiuit: Patrasset'ne ea Lysandri & Agesilai coactu? Vbi respondit Agis coactū à nemine, sed æmulatione & exemplo Lycurgi eadem persecutum se instituta: iterum idem rogauit: Ecquid eum pœniteret factorum? Negante iuuene, quamuis extrema pericula ante oculos cerneret, pœnitere optimorum consiliorum: damnauerūt eum rei capitalis, imperaueruntque lictoribus, vt in † Decadem quam appellant, eum auferrent.

Decas.

† Fortasse legēdum, Caiadā: quē lexica græca carcerem regiū tradunt esse, & ita etiā legitur apud Thucyd.

Is locus in carcere est, in quo iudicatos strangulant. Cernens autem ministros Demochares dubitantes attingere Agim: itemque mercenarios, qui assistebant, auertentes se & refugientes facinus, vt nefarium & insolens, vt corpori regis quis admoueret manus: comminatus ijs & conuitiatus, rapuit Agim ipse in illam cameram. Iam enim senserant multi comprehensum, tumultusque ad fores erat & crebra lumina. Aderant etiam Agidis mater & auia vociferantes obsecrantesque, vt rex Spartiatarum audiretur, causamque diceret ad populum. vnde potissimùm necem maturauerunt, veriti ne si superuenissent plures, nocte eriperetur. Igitur progrediens ad locum supplicij Agis, vt conspexit quendam ex ministris flentem & ingemiscentem: Mitte tu me, inquit, deflere. Etenim ego, qui ita nefariè & violenter pereo, præstantior sum interfectoribus. Ita fatus collum vltrò obtulit laqueo.

Agis rex cum matre & auia strangulatur.

Amphares ad ianuam progressus, & Agesistratam ad genua sua ex familiaritate & amicitia prouolutam excitans: Nihil, inquit, grauius in Agim, vel atrocius consuletur. Iussit etiam illam, si videretur, ad filium ingredi. Illa matrem quoque admitti secum precante: Nihil, inquit, vetat, Amphares. Ambas cùm admisisset, & iterum claudi præcepisset ostium carceris, priorem Archidamiam iam admodum anum, quæ in summa inter ciues dignitate consenuerat, ad mortem tradidit. Ea interfecta, Agesistratam iussit introire. Quæ ingressa vt filium spectauit humi iacentem, & exanimem ex resti pendentem matrem: ipsa ministros adiuuit in ea detrahenda, collocatum'que iuxta Agim corpus eius cooperuit & velauit. In

filium

filium ruens & faciem eius osculata: Nimia tua, tua te, inquit, fili modestia, lenitas, & humanitas nobiscum perdidit. Ibi Amphares, qui ex ianua speculabatur, quid ageretur, & voces excipiebat, irrupit, frendens'que Agesistratæ dixit: Ergo si filij facta probasti, eadem quoque ratione in te consuletur. Agesistrata autem ad laqueum exurgens: Tantùm sint hæc, inquit, ex vsu reip. Spartanæ. Eo facinore inter ciues enunciato, tribus'que elatis cadaueribus non fuit metus tantus, quin præ se ferrent ciues grauiter i-stis angi, Leonidamq; & Ampharem detestari, nihil atrocius vel scelestius, ex quo Peloponnesum incoluissent Dorij, admissum Spartæ existimantes. quippe regem Lacedæmoniorum ne hostes quidem temere, cùm occurreret eis in acie, attingebant: sed deflectebant, verentes venerantesq; eius maiestatem. Itaque multis in conflictibus, quos conseruerunt cum Græcis Lacedæmonij, vnus ante Philippi æuum lancea ictus cecidit in Leuctris Cleombrotus. Messenijs autem Theopompum quoque ab Aristomene asserentibus cæsum inficiantur Lacedæmonij, tantummodò aiunt vulneratum. Cæterùm hæc aliquatenus controuersa sunt. Lacedæmone verò primus ab ephoris rex est necatus Agis: qui egregium factum & Sparta dignum susceperat, & erat ætate, qua hominibus etiam, qui deliquerint, ignoscitur: culpatus ab amicis rectius quàm ab aduersarijs, quòd Leonidam seruasset & alijs fidisset placidissimus & mansuetissimus iuuenis.

Lacedæmoniorum regem hostes non temerè occidebant.

¶ Eo extincto, parum nauus Leonidas fuit, vt fratrem eius Archidamum comprehenderet: verùm consuluit ille actutùm fugæ. Vxorem autem Agidis Agiatidem nomine, quæ nuper pepererat filium, quòd collocari eam nollet alteri, (erat enim opulenti hæres patrimonij Agiatis Gylippi patris, ætatisq; & formæ flore inter fœminas Græcas longè præcellente & probatis moribus) domo extractam, vi filio Cleomeni despondit haud satis ad nuptias maturo. Quapropter multa mouit illa, vti ferunt, orans ne com pelleretur inuita. Vt verò connubio iuncta Cleomeni fuit: Leonidam oderat, erga ipsum adolescentem bona vxor & amans fuit viri: qui mox à nuptijs dilexit eam, atque aliquatenus amore in Agim vxoris, quæ reminisceretur eius, motus fuit: ac subinde ea de re percunctabatur, & attentè exponentem audiebat Agidis consilium & institutum. Erat quidem gloriæ Cleomenes cupidus magnanimusq;, ad temperantiamq; & frugalitatem non secus ac Agis, egregiè natura comparatus, sed modestia illius mirè verecunda atq; lenitate carebat. Inerat autem ingenio eius aculeus quidam animorum, & cum ardore impetus semper ad id, quod videbatur ei honestum. Videbatur ei honestissimum volentibus imperare, honestum etiam expugnare reluctantes, & ad id quod rectum esset, adigere. Non placebant porrò ei mores ciuitatis, in qua ocio & voluptatibus diffluerent ciues, rex reipub. curam abijceret, si nemo obtunderet eum feriari in luxu & delicijs gestientem: negligeretur respub. & singuli priuatim emolumentum ad se raperent: exercitationis verò, frugalitatis iuuentutis, tolerantiæ, æquabilitatis etiam lubricum erat Agide ea de causa perempto facere mentionem. Perhibent insuper non expertem disciplinæ sapientiæ adolescentem etiamnum Cleomenem fuisse, cùm Sphærus Borysthenites Lacedæmonem appulisset, atque cum pube & adolescentia vsu habito studiosè eam doceret. Fuit inter primarios auditores, Sphærus Zenonis Citiæi, ac Cleomenem videtur, fortitudinem ingenij eius amplexus, inflammasse ad gloriam. Nam Leonidam priscum ferunt rogatum, qui ei Tyrtæus poëta fuisse videretur, respondisse: bonus ad demulcendos iuuentutis animos. siquidem quasi afflati carminibus eius ruebant in prælia. Stoica verò disciplina nonnihil est apud magna & acria ingenia lubrica & anceps. quæ si cum graui & mansueto temperata animo fit, assurgit imprimis & reddit fructum suum peculiarem. Postquàm defuncto Leonida regnum accepit Cleomenes, & ciues ea tempestate penitùs animaduertit dissolutos, postponẽtibus ob priuatum luxum & compendium remp. diuitibus, plebe autem propter rei familiaris angustias ad bellum pigra & ad disciplinam pueritiæ socordi reddita: nomine verò ipse tantùm regis fruebatur, rerum erat penes ephoros omnium arbitrium: adiecit protinus ad res nouandas & mouendas animum. Qui amicum cùm haberet Xenarem, qui amator eius fuerat, (Lacedæmonij dicunt * ἐμπνεῖσθαι) huius animum cœpit periclitari percunctando, qui rex Agis fuisset, & qua ratione, & quibuscum in ea esset delatus consilia. Xenares primùm meminit non inuitus illarum rerum, ut quæque gestæ erant, enarrans atq; exponens. Vt verò Cleomenem sensit intẽtum ardentiùs, & mirificè duci Agidis innouatione, eademq; crebriùs audire auentem: castigauit eum acriter Xenares quasi insanientem, ac postremò præscidit cum eo colloquia & vsum. nemini causam ta-

Cleomenis hic incipit vita.

Agidis vxor Agiatis, Cleomeni coacta nubit.

Cleomenis mores & studia.

Sphærus Borysthenites, philosophus.

Stoica disciplina, qualis.

** Quasi affiari dicas.*

men detexit alienationis, sed illum ipsum ait eam nosse. Ita reluctato Xenare existimans Cleomenes eiusdem animi cæteros esse, ipse rei aggrediendæ struxit secum consilium.

Cleomenes committit Lacedæmonios cum Achæis.

Quia verò in bello magis quàm ocio moturum se arbitrabatur statum reipub. commisit ciuitatem cum Achæis: qui ipsis querelarum ansas dederant. Aratus namque, cuius erat authoritas apud Achæos summa, moliebatur à primo, vt in vnum corpus Peloponnesios redigeret: eo'que multæ eius domi bellíq; actiones spectabant: quòd vna ea ratione liberos censeret à bellis externis fore. Cùm verò reliquis ei sociatis ferè omnibus, superessent Lacedæmonij, Elij, & qui Arcadum Lacedæmonijs adhærebant: simul vt decessit Leonidas, infestauit Arcadas vastauit'que præcipuè eos, qui Achæis erant finitimi, Lacedæmonios tentās ac Cleomenem vt iuuenem & tyronem despiciens. Hinc Cleomenem primùm ephori mittunt ad Athenæum (templum est Mineruæ) prope Belbinam occupandum. Aditus ea arx Laconiæ est, erat'que Lacedæmonijs ea tempestate cum Megalopolitanis controuersa. Hanc cùm occupasset & muniuisset Cleomenes, Aratus sine vlla expostulatione infesto exercitu Tegeatas & Orchomenios est nocte adortus. At proditorum ignauia Aratus re infecta retrò cessit, neminem id arbitratus sensisse. At Cleomenes dissimulanter per literas ab eo sicut amico requisiuit, quò mouisset nocte. Qui vt rescripsit, nunciato Belbinam ipsum sepire parare, profectum se ad id impediendum: Cleomenes iterum per nuncios ita rem habere significauit credere se: verùm hoc faces, inquit, & scalæ, nisi quid tua interest, scribe mihi quò te sequebantur? Ridente ad scomma Arato rogante'q;, qui iuuenis esset, Democrates Lacedæmonius exul: Siquid in animo habes, inquit, contra Lacedæmonios, properandum tibi est prius quàm huic pullo crescant aculei. Inde Cleomeni cum paucis equitibus & peditibus trecentis in Arcadia statiua habenti edixerunt ei metuentes belli ephori, vt se reciperet.

Cleomenis in agrum Argolicū expeditio.

Vt secundum decessum eius cepit Aratus Caphyas, miserunt denuò Cleomenem cum copijs. qui vt Mithydrion cepit & fines Argolicos est populatus: infesti Achæi XX. millibus peditum & mille equitibus signa prætore Aristomacho extulere. Occurrente ad Palantion Cleomene & dimicare gestiente trepidans audaciam eius Aratus, dissuasit prætori rem in discrimen adducere, abscessit'que. vnde probris proscissus ab Achæis est: à Lacedæmonijs verò, qui quinque millium numerum non explebant, derisus & despectus. Itaque inflatus animo Cleomenes glorians que apud ciues, commouit veteris cuiuspiam regis, qui dixerat, nunquam de hostibus quærere Lacedæmonios, quot essent, sed vbi essent.

Cleomenis de Arato victoria.

Postquàm verò Elijs, quibus arma inferebant Achæi, opem tulit, & ad Lycæum in recipientes iam se Achæos inuectus, totum perculit & pepulit exercitum, multos occidit cepitq;, vt fama manaret per Græciam Aratū cecidisse: optimè vsus Aratus tempore raptim ex illa fuga Mantineam petijt, atque ex improuiso potitus oppido imposuit præsidium. Lacedæmonijs verò semel animo fractis & Cleomeni bellum agitanti refragantibus, instituit Agidis fratrem Archidamum à Messene reuocare: ad quem regnum ex altera familia spectabat, potestatem obtusiorem existimans ephororum fore: si æquilibre illi regnum & integrum esset. Verùm vbi senserunt id, qui Agim antè interfecerant, formidantes, ne reuerso ab exilio Archidamo luerent pœnas: acceperunt illum quidem in ciuitatē clàm ingressum,

Agidis frater Archidamus interficitur.

& reditum eius adiuuerunt: sed ilicò interemerunt eum, siue inuito Cleomene, vt opinio est Phylarchi: siue expugnato & condonante illis Archidamum. nam crimen maxima ex parte in illos recidit, quòd vim adhibuisse crederentur Cleomeni. Nouare nihilo minùs ex continenti rempubl. certus induxit pecunia ephoros, quò bellum permitterent sibi. Conciliauit & alios multos matre interprete Cratesiclea, quę nummos ei suppeditabat largè, eius'q; seruiebat gloriæ. quippe etiam dicitur filij gratia nupsisse, cùm id non affectaret, principi authoritate & opibus ciuitatis. Eductis copijs occupat † Leuctra agri Megalopolitani oppidum.

† Polybius habet, Laodicia.

Cùm properè Achæi eò succurrissent prætore Arato, sub oppidi mœnibus signa conferens aliqua parte exercitus inclinauit. Quia verò locum quendam cauum non permisit Achæos Aratus transmittere, sed receptui cecinit: † Lysiadas autem Megalopolitanus frendens concitauit equites, qui circa eum erant, dum'que inhæret tergis hostium, in locum vineis, fossis, & macerijs impeditum præcipitatus, diuulso in his equitatu, ægrè expediebat se: Cleomenes re animaduersa immisit in eum Tarentinos & Cretenses, à quibus Lydiadas fortiter pugnans interfectus est.

† Lysiades, habet Polybius: Plutarchus, Lydiadas.

Lysiadas interficitur.

Inde erecti Lacedæmonij clamore sublato impressionem dederunt in Achæos, quorum vniuersum profligauerunt exercitum, cæso ingenti numero, reliquos

Cleomenis de Achæis victoria.

quos Cleomenes datis inducijs reddidit. Lydiadis corpus ad se præcepit adferri: quod purpura exornatum, iniecta corona, ad portas Megalopolitanorum remisit. Hic fuit Lydiadas, qui posita tyrannide & libertate popularibus reddita, ciuitatem suam associauit Achæis. Hinc Cleomenes sublatus sibiq; persuadens, si ex arbitrio suo agere posset bellum cum Achæis gerens, procliui se potiturum victoria: vitrico Megistono demonstrat missos faciendos ephoros, possessionesq; esse inter ciues communicandas, Spartamq; ad æqualitatem redigendam, atq; ita erigendam atq; ad imperium prouehendam Græciæ. quo assentiente, duos aut tres amicos alios adiunxit. Per eosdem forte dies vni ex ephoris in fano Pasiphaes dormienti mirum somnium fuit oblatum. Videbatur ei, quo loco considere ephoris solenne est ad ius dicendum, vna sella posita, et quatuor sublatæ: cùm obstupesceret, vox ex fano reddita, quæ id diceret Spartæ conducibilius esse.

Somnium ephori, ephoris funestum.

Hanc visionem narrante Cleomeni ephoro, primùm perculsus fuit, pertentari se ex aliqua suspicione ratus. Vt fides facta ei est nō fingere narrantem, confirmatus est, ductisq; secum ciuibus, quos maximè suspicabatur cœpta sua oppugnaturos, Heræam & † Alæam contributa Achæis oppida cepit, cōmeatusq; importauit Orchomenijs, & sub muris Mantineæ castra locauit. breui longis itineribus sursum atq; deorsum fatigatos Lacedæmonios reliquit maiore ex parte, cùm id peterēt, in Arcadia. Mercenarium autem militem secum trahens, Spartam contendit, atq; in itinere illis, quos maximè fidos sibi credebat, aperuit consilium suum. Lento agmine progrediebatur, vt cœnantes occuparet ephoros. Vt prope vrbem venit, Euryclidam præmisit ad conuiuium ephororum, quasi certa mādata ab ipso haberet ad eos de bello. Hunc subsecuti sunt Thericion, Phœbisq;, & duo, qui cum Cleomene fuerant educati, quos Samothracas vocabant, cum modica militum manu. Hi, colloquente adhuc cum ephoris Euryclida, districtis irrumpentes gladijs conciderunt eos. Primus Agylæus saucius, vt côncidit simulauitq; se exanimem, colligens sensim se & euoluens ex triclinio irrepsit clàm in ædiculam, quæ Timoris fanū erat, aliasq; perpetuò clausum tum forte patebat. Eò postquàm se intrò coniecit, ianuam occlusit. Reliqui quatuor occisi sunt, & qui subueniebant his, plus decem. Nam si qui quiescerent, hos non interfecerunt, neque retinuerunt excedentes vrbe. Pepercerunt etiam Agylæo postero die ex cella prodeunti. Sunt apud Lacedæmonios non Timoris modò, verùm Mortis etiam, Risusq;, atq; aliorum eiusce modi affectuum templa. Timorem autem venerantur, non quòd, sicut quos detestantur lares, arbitrentur noxiū: sed quòd contineri rempubl. imprimis arbitrentur timore. Quapropter proclamari iubebant ephori in concione, cùm magistratum inirēt, vt author est Aristoteles, mentum vt raderent, & legibus aduerterent animum, ne sæuirent in ipsos. Quod ad mentum attinet, proponunt meo iudicio, vt etiam in minimis assuescat iuuentus parere. Ac fortitudinem mihi videntur prisci non intrepidum animum, sed probri trepidationem atque infamiæ metum existimasse. siquidem timidissimi legum, sunt aduersus hostes animosissimi: & pati quiduis minimè timent, qui maximè trepidant malè audire. Quapropter dixit quidam rectè:

† Aleam fortasse ex Plin. li. 4. cap. 6.

Cleomenes interficit ephoros.

Lacedæmone Timoris & aliorũ affectuum ædes sunt.

Si metus est, simul est verecundia. Et Homerus:

Tu mihi chare socer reuerendus, ac metuendus. Et

Ductores sine voce timentes.

Iliad. lib. 3.

Nam erubescere potissimùm illos solet vulgus, quos metuit. Quare iuxta ephororum triclinium posuerūt Lacedęmone ædē Timoris, q ferè in formā liberi dominatus euexissent curiā. Igitur Cleomenes vbi diluxit, proscripsit octoginta ciues, quos solū vertere imperauit, & ephororū sellas sustulit dempta vna, qua sedēs ius dicturus erat. Hinc aduocata concione excusauit acta. Docuit enim regibus senes ab Lycurgo adiunctos fuisse, diuq; ea ratione procuratam temp. magistratu non quæsito alio. Pòst quia bellum cum Messenijs gerebatur diutinum districtos expeditionibus reges delegisse ad iudicia reddenda certos amicos, eosq; reliquisse ciuibus vicarios, qui dicti ephori fuerunt: longo æuo hos primùm regum administros fuisse, deinde sensim summam sibi vsurpasse potestatē, atq; ita clàm peculiarem suum magistratum reddidisse. Indicio esse morem, qui in hanc diem obseruetur, vt accersentibus regem ephoris semel atq; iterum contradicat, tertiò vocantibus surgat & pergat ad eos. Qui hunc magistratum princeps illustrauerit & ampliauerit, Asteropum multis pòst ætatibus ephorum fuisse. Quos si modicè agerent, inquit, præstaret ferre: verùm potestate accersita vt vetus pessundent imperium, atque reges

Cleomenis oratio de ephororum origine.

partim exigant, partim indicta causa occidat, alijs aspicere iteru Spartæ pulcherrimu & diuinissimum statum auentibus minitentur: id verò non est ferendum. Quocirca si fieri potuisset, sine cæde vt excuterentur ascititiæ ciuitatis pestes: deliciæ, & luxus, & æs alienum, & fœnora, antiquioraq; his mala, paupertas & diuitiæ, regum omnium existimaturus me sim felicissimum, si vt medicus patriam valuissem citra dolorem sanare. Nunc eius, quod facere sum adactus, habeo Lycurgum exemplum. qui cùm neque rex esset, neque in magistratu positus: sed regnum agere priuatus aggrederetur, irrupit armatus in forum. Vnde exanimis rex Charilaus confugit ad aram. Verùm placidus ille & patriæ amans mox consortem se Lycurgo præbuit consiliorum, ac reipubl. mutationem comprobauit. Porrò testatus facto est Lycurgus conuertere sine vi & metu rempubl. arduum esse: quibus se demonstrauit moderatissime vsum, ijs qui aduersabantur Lacedæmonis saluti summotis. Cæteris omnibus agrum totum ostendit se in medio ponere, atque ære alieno obæratos exoluere: de peregrinis iudicium se facturum & habiturum eorum delectum, quo fortissimi in ciuitatem ascripti tueantur vrbem armis: quò desinamus, inquit, Laconiam contemplari Aetolorum & Illyriorum esse defensorum inopia prædam. Hinc ipse patrimonium suum primus in medio posuit, inde Megistonus vitricus eius, & cæterorum amicorum quisq;, tum reliqui ciues cuncti. Diuisus ager est. Sortes etiam cuique eorum, quos exegerat in exilium, attribuit: reuocaturumq; omnes se rebus pacatis ostendit. Suppleta ex optimis finitimis ciuitate, effecit peditum quatuor millia. quos vbi docuit pro lancea sarissam ambabus manibus tractare, & clypeum ferre amento non appensum: ad iuuentutem formandam conuertit animum & ad disciplinam Laconicam: qua fere omni in re constituenda præsens Sphærus fuit adiutor. Citò ordinem exercitationes & conuiuia conuenientem receperunt: redactiq; sunt in generosam illam & Laconicam vitam pauci necessitate, plerique sponte. Ne nomen tamen quenquam offenderet dominatus, regem sibi cooptauit fratrem Euclidam: ac tunc solùm habuerunt Spartiatæ vna ex domo duos reges. Porrò Achæos & Aratum aduertens tanquam rebus suis ex innouatione ancipitibus arbitrari non exiturum se Lacedæmone, neque tanto in motu suspensam relicturum ciuitatem: magnificum & operæprecium putauit esse, vt exercitus sui promptitudinem & alacritatem ostenderet hostibus. Igitur populabundus fines Megalopolitanos ingressus, tum ingentem prædã congessit, tum magnam vastitatem edidit agri. Denique captis artificibus, qui ludicram artem faciebant, & veniebant ex Messene, excitauit in hostico theatrum: exhibitisq; quadraginta minarum sumptu in vnum diem ludis sedit illic ad eos spectandos: non quò duceretur eo spectaculo, sed vt hostibus quasi insultaret: & quàm longè illis esset superior, cumulatè illorũ demõstraret despicientia. quando alioquin inter Græcorũ & regũ exercitus vnus ille non mimos trahebat secum, non præstigiatores, non saltatrices vel psaltrias: sed omni lasciuia, vernilitate, insolentia vacabat. quòd fere exerceret se iuuentus, maiores natu docerent eam: ludosq;, cùm ocium esset, in solitis facetijs & festiuis Laconicisq; inter se dictis ponerent. Quid autem id ludi genus adferret emolumenti, in vita Lycurgi retulimus. Omnium ipse rex erat doctor. Frugalem, simplicem, nulla re licentiorem aut splendidiorem cæterorum cultum suum tanquàm temperantiæ exemplum proponebat. Quod ad negocia Græciæ ei præbuit nonnihil momenti. siquidem cùm alios reges Græci adirent: non ita opes & luxum eorum stupebant, vt execrabantur superbiam & fastum tumidè & asperè cum appellantibus ipsos agentium. Cleomenẽ cùm adirent, qui rex & verè erat & dicebatur: neque purpuras circa eum, necq; lænas, necq; lectulorum conspicerent vel lecticarum instrumentum: neque per nunciorum & ianitorum gregem, vel per libellos grauatim & cum difficultate respondentem: verùm illum ipsum pallio amictum plebeio ad salutationes occurrentem, colloquentemq; & vacantẽ exporrecto vultu humanoq; adeuntibus: his artibus capiebantur & ducebãtur, solumq; ab Hercule illum prædicabant ortum. Cœna eius quotidiana in triclinio erat perquàm restricta & Laconica. Quòd si legatos vel hospites exciperet, lecti duo alij adijciebantur, & mensam instruebant ministri paulò splendidiorem, non condimentis vel bellarijs, sed fercula vt pleniora essent & gratius vinum. Etenim castigauit aliquãdo amicum quẽdam, cùm intellexisset hospitibus inuitatis nigrum ius eum & offam pro Laconicorũ more conuiuiorũ apposuisse. Negauit enim in his vel apud hospites nimiũ Laconicè agendũ. Sublata mensa altera inferebatur mensa tribus pedib. in qua crater æneus ponebatur vini plenus, & phialę argẽteæ binas heminas capientes, poculaq; argentea admodum

Cleomenes statum reip. Lacedæmone mutat.

Cleomenis expeditio in fines Megalopolitanos.

Cleomenes Rex idemq; doctor & temperantiæ exemplum.

Cleomenis cœnæ moderatæ.

dum

dum pauca: ex quibus, cui liberet, bibebat: inuitum inuitabat ad bibendum nemo. Acroama neque adhibebatur, neque requirebatur. quippe compotationem ipse condiebat sermone, nunc quærendo, nunc narrando: neque inerat seueritas orationi eius tristis, sed lepidus & honestus iocus. Quas enim reliqui reges fabricabant hominibus captiones, qui inescabant & corrumpebant eos pecunia: has rusticas & iniquas ducebat. At comi consuetudine & lepida oratione alienaq; à fuco congredientes conciliare & adiungere, hoc pulcherrimum ei & rege videbatur dignissimum. Nam nihil inter amicum interesse & mercenarium rebatur, nisi quòd pecunia hic, ciuilitate ille & festiuis verbis capiatur.

Cleomenis comitas & humanitas.

Ergo inuitauerunt eum primùm Mantinei: qui clàm nocte in vrbem suam eo duce irrumpentes, præsidium Achæorum eiecerunt, atque in fidem eius se dedidere. Hic verò legibus & repub. illis restituta, eodem die digressus Tegeam est. Mox circumuectus per Arcadiam, petijt Pheras Achaicas, quò aut signa cum Achæis conferret, aut suggillaret Aratum, quòd vitabundus agrum sibi conculcandum condonaret. Prætor tunc Hyperbatas erat, sed omnis penes Aratum erat authoritas. Cùm Achæi omni nomine suo excitato castra haberent in Dymæis ad Hecatombæum, mouit in eos Cleomenes, ac parum prudenter existimatus est inter Dymæorum vrbem hostilem & castra Achæorum consedisse.

Cleomenes in Aratum & Achæos ducit copias.

Verùm Achæos audacter lacessens, coegit eos ad signa conferenda. quibus acie fusis fugatisq;, multos in prælio concîdit, multis etiam captiuis potitus est. Langonem adortus, præsidio deiecto Achæorum, reddidit Elijs oppidum.

Cleomenis de Achæis victoria.

Ita contusis Achæis Aratus, qui altero quoque anno prætura erat fungi solitus, abdicauit & detrectauit magistratum inuitantibus eum & orantibus Achæis, parum honestè, sicut in sæuiore rerum tempestate, alteri clauum permittens & tradens rerum arbitrium. At Cleomenes primùm dura visus est legatis Achæorum imperasse. Inde alios misit ad eos postulatum, sibi vt permitterent imperium, dc cætero facilè sibi cum ipsis conuenturum: imò se captiuos quoq; statim & quæ occupasset, restituturum. Cùm Achæi ad pacem his conditionibus accipiendam parati essent, & Cleomenem accirent Lernam, quo concilium gentis indixerant: fortè Cleomenes agmine raptim acto & aqua intempestiuè hausta vim sanguinis reiecit, & vox est ei interclusa. Itaque nobilissimos quosque captiuorum remisit Achæis, ac die prorogata conuentus Lacedæmonem secesit. Id res Græciæ labefecit: quæ alioquin nonnihil ex præsentibus malis attollere oculos, Macedonumq; impotentiam & dominatum potuisset declinare. Aratus enim siue diffidentia & timore Cleomenis, siue insperatæ prosperitati eius inuidens: ac probrosum putans, vt sibi qui tres & triginta annos principatum obtinuerat, nomen simul & opes iuuenis subitò detraheret, atque extorqueret rerum ab se auctarum & tam diu rectarum imperium: primùm deterrere Achæos & prohibere annisus est à fœdere. Vbi non paruerunt ei Cleomenis audacia attoniti, imò etiam æqua arbitrati sunt Lacedæmoniorum postulata, qui Peloponnesum in veterem statum instituebant reducere: ad factum conuertit se cùm nulli honestum Græco, tum turpissimum illi eiusq; rebus gestis & actionibus indignissimum, in Græciam vt Antigonum acciret, Macedonibusq; impleret Peloponnesum: quos ipse inde adolescens pepulerat liberato Acrocorintho, omnibusq; regibus suspectum se & inimicum reddiderat, atque in hunc ipsum Antigonũ in editis ab se commentarijs infinita effuderat probra.

Arati in patriã perfidia.

qui cùm multa sustinuisse & subisse pericula se Atheniensium causa iactet, quò vrbs illa præsidio & Macedonibus leuaretur: hos in patriam suosq; ipsius penates armatos vsq; ad gynæcium introduxit: regem verò Spartiatarum Herculis progeniem, qui veterem reipub. statum velut concentum discrepantem ad temperatam nitebatur reducere illam Lycurgi disciplinam & vitam Doricam, habuit indignum, qui Sicyoniorum & Triccæorum appellaretur dux. Refugiens autem offam & lænam & durissimum, quod Cleomeni impinxit, excidium opulentiæ, & paupertatis correctionem: diademati, purpuræ, Macedonicisq; & satrapicis semetipse cum Achaia edictis subiecit: ne Cleomenis facere videretur imperata, Antigonia celebrãs, atq; pæanas ipse coronatus in hominis laudẽ tabe confecti canens. Neq; verò hæc Arati causa traducẽdi scribimus. Multis enim in rebus vir hic Græcia dignus & celsus fuit: sed quòd misereat nos naturæ humanæ imbecillitatis: quæ ne in moribus quidẽ adeò insignibus & præcellẽtibus decus efferre ad virtutẽ valeat labe vacuum. Cùm Achæi iterum Argos conuenissent, atq; ex Tegea eódẽ descendisset Cleomenes: erãt magna in spe pacis homines. Ibi Aratus, cùm de maximis capitibus ei iam cum Antigono conuenisset, metuens ne omnia transigeret Cleomenes inducta multitudine aut

etiam

etiam vi coacta, proposuit: vt acceptis trecentis obsidibus solus ille ad ipsos veniret, aut extra oppidum in gymnasio, quod Cyllarabion dicitur, exercitu admoto ageret cum ipsis. Quibus nunciatis Cleomenes iniuria dixit se affici. debuisse enim initio statim id illos prędicere sibi: non nunc, cum venisset ad ipsorum fores, diffidere & abigere se. Itaque

Cleomenis & Arati dissidiũ.

scripta de his ad Achæos epistola, quæ plena erat de Arato querelarum, multisque inuicem ab Arato probris in conuentu laceratus reduxit propere exercitum, caduceatorem'que ad bellum Achæis indicendum misit non Argos, sed Aegion, vt ait Aratus: quò imparatos opprimeret. Erant iam in motu Achæi, & ciuitates ad defectionem spectabant plebe legem agrariam & nouas tabulas sperante, principibus verò passim Aratum grauatis, nonnullis & infensis, quòd traheret in Peloponnesum Macedonas. Quibus Cleomenes excitatus intulit Achaiæ arma. Primùm subito aduentu cepit Pellenen, expulitque cum Achæis præsidium. Hinc Pheneo & Penteleo potitus est. Quia vero proditionem veriti Achæi Corinthi & Sicyone parari, equites & mercenarios

Cleomenes capit Argos.

milites illuc in præsidium miserant, & ipsi Argos profecti agitabant Nemea: Cleomenes, id quod erat, sperans si vrbem in tempestiua conuiuia & spectaculum effusam subito esset adortus, impensius se perculsurum eam, nocte admouit muris exercitum. Occupata regione ad Aspidem supra theatrum, qui locus difficilis est & penè inaccessus, ita exanimauit populum: vt nemo arma caperet, sed præsidium acciperent, atque ex ciuibus darent viginti obsides, inirentque cum Lacedæmonijs societatem sub illius ductu. Peperit id ei non exiguum nomen & authoritatem. Neque enim prisci Lacedæmoniorum reges, cum multa mouissent, adiungere firmiter valuerunt Argos, neque dux acerrimus Pyrrhus potuit vi facta irruptione vrbem in potestatem redigere: sed occubuit ibi, atque exercitus eius fuit magna ex parte deletus. Vnde stupuerunt solertiam & consilia Cleomenis: & qui antè deriserant eum, cum Solonis se & Lycurgi insistere vestigijs in nouis tabulis permittendis & bonorum exæquatione ferret: tunc planè crediderunt Spartiatarum mutationis eum esse authorem. Vsque adeò enim fuerant antè degeneres, & ad semetipsos enerues tuendos: vt quinquaginta millia mancipiorum incursantes in Laconiam abduxerint Aetoli. Quo tempore senem Spartiatem dixisse memorant, profuisse ipsis hostes, quod exonerassent Laconiam. At tempore interposi-

Lycurgi legum vis.

to exiguo gustantes tantùm veteres leges, & in vestigium reducti disciplinæ Lycurgi tanquam præsenti illi & vnà tractanti rempub. egregium virtutis documentum & obedientiam erga magistratus præbuerunt recuperando Lacedæmoni imperio Græciæ, recipiendaque Peloponneso. Argis captis permiserunt se eodem cursu Cleonæ & Phlius Cleomeni. Interea habebat fortè quæstionem Aratus Corinthi de sentientibus cum Lacedæmonijs. qui hoc obiecto nuncio ictus atque ciuitatem in Cleomenem procliuem sentiens properantibus etiam domum Achæis, aduocauit ciues in curiam, atque interim subduxit se ad portam. Ibi equo, qui admotus ei fuit, conscenso profugit Sicyonem. Corinthijs certatim ad Cleomenem Argos contendentibus equos omnes refert Aratus diruptos: verùm expostulasse cum Corinthijs Cleomenem, quod ipsum non corripuissent, sed permisissent elabi: attamen Megistonum ad se ab ipso missum Cleomene penitum ingenti pecuniæ summa ostensa: vt Acrocorinthum, in quo præsidium Achæorum erat, traderetur sibi: Dedisse se responsum, non esse res in sua potestate, sed potiùs

Cleomenes adiungit sibi Corinthum.

in rerum se. Hæc Aratus scriptis mandauit. At Cleomenes Argis profectus acceptis in fidem Trœzenijs, Epidaurijs, Hermionensibusque venit Corinthum. Arcem, cum excedere renuerent Achæi, circumuallauit. Arati verò amicos & procuratores accersiuit, præcepitque eis, vt domum & rem familiarem illius seruarent & procurarent. Tritymallum Messenium iterum misit ad eum postulatum, vt ab Achæis simul & Lacedæmonijs Acrocorinthus custodiretur, obtulit'que seorsum Arato duplex annuum, quàm quantum acciperet à Ptolemæo. Postquam repudiauit Aratus conditionem, filium'que cum obsidibus alijs misit ad Antigonum, & Achæis author fuit, vt decernerent tradendum Antigono Acrocorinthum: ita fines Sicyonios Cleomenes infesto exercitu vastauit,

Cleomenes oppugnatur ab Antigono.

& pecuniam Arati accepit, quam Corinthij ei decreto donauerunt. Antigono autem magnis copijs Geraniam transcendente non putauit faciendum sibi, vt Isthmum, sed montes, Onia dicunt, vallo'muro'que munita tueretur, atque obsidione attereret potiùs Macedonas, quàm signa cum legionibus exercitatis conferret. Hoc sequens consilium redegit ad summam perplexitatem Antigonum. Neque enim satis commeatus præparauerat, neque vi perrumpere insidente Cleomene pronum erat per

transi-

transitum. Aggressus per Lechæum nocte irrepere repulsus est, vbi aliquot milites desiderauit. Vnde planè erectus animo Cleomenes & sublati victoria milites eius verterunt se ad cœnam. Antigonus verò animo fractus est in non expedita necessitate detrusus consilia. Delibcrauit enim in promontorium se Heræum recipere, inde Sicyonem nauigijs transportare exercitum: quod & longum temporis spacium, & apparatum requirebat non vulgarem. Hic sub vesperum aduenerunt Argis per mare nonnulli Arati amici, qui accersiuerunt eum, nunciantes deficere à Cleomene Argiuos. Rebellionis fuit Aristoteles architectus, qui non ægrè impulit multitudinem frendētem, quòd tabulas nouas, quas expectauerat, non præstitisset Cleomenes. Igitur Aratus sumptis ab Antigono mille quingentis militibus Epidaurum transmisit. Non præstolatus est autem illum Aristoteles, sed oppugnauit cum ciuibus arcis pręsidium, & succurrit ei ex Sicyone cum Achæis Timoxenus. His circa secundam noctis vigiliam nunciatis accersit Cleomenes Megistonum, fremensq; iubet ei, vt suppetias properè Argos ferat. Hic enim erat, qui præcipuè spoponderat pro Argiuis, obstiteratq; ne suspecti eijcerentur. Dimisso cum duobus millibus militum Megistono, ipse in Antigonum intendit, Corinthiosq; confirmauit, nihil grauius accidisse Argis, sed tumultum docens à paucis hominibus concitatum. Vt irrupit Megistonus in vrbem Argos, ibiq; pugnans interfectus est, & ægrè restitit præsidium, atq; crebros nuncios ad Cleomenem misit: veritus, ne potiti Argis hostes intercluso transitu popularentur impunè Laconiam, Spartamq; vacuam obsiderent, reduxit exercitū à Corintho. Confestim ea vrbe spoliatus est ingresso Antigono, qui præsidium ibi collocauit. Adortus Argos coacto ex itinere exercitu suo institit per murum inuadere vrbem. Excisis autem sub Aspide fornicibus ascendit, coniunxit'que præsidio, quod resistebat adhuc Achæis: ac loca quędam vrbis scalis cepit, hostesq; expulit vijs tela Cretensibus imperans ingerere. Vt verò Antigonum ex montium cacuminibus conspexit in campum cum legionibus descendentem, equitesq; cateruatim irrumpentes in vrbem, desperauit tenere se vrbem posse, omnibusq; ad se contractis incolumis descendit atq; præter murum recepit se. Ita qui breuissimo spacio maximas perpetrauit res, & parum absuit, quin vniuersa vno ambitu potitus sit Peloponneso, puncto temporis rursus ab omnibus excidit. quippe alij, qui in præsidijs eius erant, desciuerunt statim ab eo, alij paulo pòst oppida Antigono tradiderunt. Ea fortuna foris icto & copias retrò reducenti vesperi iam prope Tegeam superuenerunt certi Lacedæmone, qui non minorem præsente calamitatem ei nunciarent, expirasse vxorem eius: cuius amore nec in medio rerum cursu secundissimarum poterat temperare sibi, quin recurreret assiduè Spartam: quod Agiatidem amaret & faceret eam plurimi. Itaque non immeritò obtorpuit & dolore fuit confectus, vt iuuenis formosissima & castissima orbatus vxore. Haud succubuit tamē mœrori, neq; ægritudini magnitudinem animi submisit: sed vocem, habitum, & vultum in eodem conseruans tenore & imperia ducibus dedit, & Tegeatarum salutē curæ habuit. Summo mane est Lacedæmonem ingressus, eluxitq; cum matre & liberis domi, mox ad curas publicas conuertit animum. Quia verò rex Aegypti Ptolemæus auxilium Cleomeni ostendens, liberos eius & matrem obsides postulabat, diu indicare id veritus est matri, ac subinde ad eam ingressus & sermonem exorsurus obmutuit: vt illa quoq; suspicaretur, & ex amicis eius exquireret: ecqua res sit, de qua cupiens agere secum dubitaret? Postremò auso Cleomene rē effari, cachinnauit: Et hoccine erat, inquit, quod sæpe dicere aggressum destituit animus? Non impositos nos nauigio priùs mittis, vbicunq; hoc corpus Spartæ censes maximè vsui fore, quàm senio hîc reses extinguatur? Igitur omnibus paratis pedestri itinere Tænarum profecti sunt, atque exercitus eos in armis prosecutus est. Nauem Cratesiclea conscensura seduxit Cleomenem remotis arbitris in fanum Neptuni. Ibi complexa deosculataq; mœrentem & commotum: Age, inquit, rex Lacedæmoniorum caue, vbi foras egressi erimus, quisquam nos lachrymantes conspiciat, aut quid Sparta indignum admittentes. Hoc enim in arbitrio nostro est vnum: casuum verò, prout permiserit Deus, erit exitus. Sic fata, vultu composito perrexit ad nauem puerum tenens, iussitq; gubernatori, vt properè solueret. Vt in Aegyptum appulit, & Ptolemæū accepit mandata Antigoni legatosq; admittere: intellexit item Cleomenem inuitatum ad pacem faciendam ab Achæis vereri ipsius causa bellum non assentiente Ptolemæo componere, scripsit ei: ageret, quod ex dignitate Spartæ atq; è repub. esset, neq; vnius gratia anus & parui pueri semper trepidaret Ptolemæū. Atq; hæc eam se perhibetur aspetis in rebus præstitisse. Porrò occupata ab Antigono Tegea, Orchomeno

Argiui deficiūt à Cleomene.

Cleomenes amittit Corinthum.

Cleomenes amittit Argos.

Cleomenis uxor moritur.

Cleomenes matrem cum liberis Ptolemæo obsidem mittit.

Cleomenis matris magnanimitas.

meno & Mantinea direptis redactus in fines Laconicos Cleomenes Ilotas, qui quinq; minas Atticas præstassent, manumisit. Ea ratione talenta quingenta coegit: ac duobus millibus insuper ex illis more Macedonico aduersus Antigoni Leucaspidas armatis rē

Cleomenes capit Megalopolim.

animo agitat grandem & omnibus inexpectatam. Erat Megalopolis ea tempestate per se nihilo Lacedæmone minor neq; infirmior. Iam erant ibi Achæorum quoq; & Antigoni auxilia ad latus sedentis: qui ab Achæis imploratus putabatur imprimis Megalopolitanis instantibus. Hanc diripere Cleomenes certus, (Neq; enim quicquam magis celeritas improuisa illius facti refert) quinq; dierum cibaria secum ferre iussas copias versus Selasiam duxit sicut fines Argolicos incursurus. Inde descendit in agrum Megalopolitanum, cœnatusq; apud Rhætion confestim perrexit per Helicona ad illam vrbem. A qua cùm non longè abesset, præmisit Pantea cum duabus Lacedæmoniorum cohortibus ad occupandum murum inter duas turres, quam partem esse Megalopolitanis intelligebat desertissimam. cum cæteris copijs lento agmine secutus est. Vt Panteus non illum modò locum, sed & magnam illius muri partem offendit neglectam, cuius partim statim dissipauit, partim diruit: & vigiles, in quos incidit, omnes interfecit: maturauit Cleomenes irrumpere: ac priùs, quàm sentirent Megalopolitani, fuit cum exercitu intra muros. Vbi tandem animaduerterunt ciues cladem, alij protinus in fugam effusi, quod præ manibus essent rerum suarum rapuerunt: alij corripuerunt arma, globoq; facto hostibus resistentes & manum conserentes illos quidem nequiuerunt summouere, sed fugientibus ciuibus securitatem præbuerunt abeundi. Vnde non plus mille ibi relicti fuere. Cæteri omnes præuerterunt vnà cum coniugibus & liberis Messenen perfugere. Magna etiam pars illorum, qui arma ceperant & prælium conseruerant, euaserunt incolumes. Pauci omnino in potestatem hostium venerunt, in quibus Lysandridas & Thearidas illustres viri & principes Megalopolitanorum. Quare captos hos extemplò attraxerunt milites ad Cleomenem. Lysandridas, vt procul Cleomenem aspexit, alta voce: Licet tibi nunc, inquit, rex Lacedæmoniorum opus edere quàm perpetratum malus & rege dignius, quod efficiat te clarissimum. Suspicatus, quid postularet, Cleomenes: Quid adfers inquit, Lysandrida? Num vrbem mihi suades vt vobis restituam? Id ipsum dico & consulo, inquit ei Lysandridas, ne vrbem tantam euertas: verùm vt reddita Megalopolitanis patria tanti conseruator populi amicis eam socijsq; repleas fidis & firmis. Cleome-

Cleomenis dictū generosum.

nes, cum paulisper subticuisset: Difficile id, infit, creditu est. At vincat apud nos potiùs, quod gloriosum sit, quàm vtilitas. Ita fatus misit eos Messenen adiuncto suo nomine caduceatore, vrbem Megalopolitanis offerens reddere, si relictis Achæis societatem & amicitiam secum iunxissent. Eam Cleomene benignitatem & humanitatē offerente non permisit Megalopolitanos Philopœmenes desciscere ab Achæis: Cleomenem autē vociferans non quærere, vt vrbem reddat, sed acquirat insuper ciues, Thearidam & Lysandridam Messene exegit. Hic est ille Philopœmenes, qui principatum pòst in Achæis tenuit, maximamq; quæsiuit apud Græcos gloriam, vt peculiariter de illo scripsimus. His

Cleomenes euertit Megalopolim.

renunciatis Cleomenes, qui vrbem intactam conseruauerat & illæsam, vt ne minimam quidem rem quisquam clàm surripuerit, tunc semel efferatus & ira frendens fortunas ciuium in prædam concessit, signa & tabulas pictas Spartam misit, vrbis plurimas & maximas partes solo æquauit ac proruit: inde domum se Antigoni & Achæorum metu recepit. Cæterùm nihil illi mouerunt. Aegij enim consilium habebant. Vt verò Aratus conscenso suggestu faciem chlamyde integens diu fleuit: mirante autem concione, atq; vt diceret conclamante: Megalopolis, inquit, à Cleomene euersa est: conuentus e uestigio dissipatus est Achæis celeritate & mole attonitis calamitatis. At Antigonus succurrere molitus, cùm copiæ eius segnius ex hybernis mouerent, imperauit mox ijs, vt remanerent ibi, ipse Argos frequentibus comitatus militibus ingressus est. Vnde secundus

Cleomenis strategema.

Cleomenis conatus habitus quidem est temere & furiose susceptus: verùm magno consilio, vt Polybius est author, gesta res fuit. Cùm enim resciuisset in hyberna dispersos per vrbes, vt ait, Macedonas, Antigonum autem mercenarijs militibus stipatum paucis Argis cum amicis hyemem traducere: incursionem fecit in agrum Argolicum, reputās vel stimulatum rubore superatum iri ab se Antigonum, aut infamem apud Argiuos fore pugnam detrectantem. quod & euenit. Nam desolato per eum agro cùm omnia ferren-

Imperatoris prudentis non esse se periculis committere.

turagerenturq;, grauiter ferentes Argiui obuersabantur vestibulo regis, & maledictis incessebant eum clamantes vt dimicaret, aut imperio cederet præstantioribus. Antigonus verò, vt prudentem imperatorem decebat, temere periculum adire & missam facere

securi-

securitatem turpe, non malè apud exteros audire ducens, nō est progressus ad prælium, sed perstitit in cōsilijs suis. At Cleomenes postquàm signa admouit muris, omnibus impunè fœdatis & conculcatis retrò recepit se. Paulo pòst nuncio iterum allato petere Antigonum Tegeam, Laconiam vt inde incursaret: properè rapto agmine Antigonum alia via prætergressus lucis principio ad portas Argiuorum populari campos conspectus est. Non totondit, vt alij, falcibus & gladijs: sed perticis in rhomphææ figuram effectis cecidit frumentum. ita velut per ludum in ducendo agmine segetem omnem nullo labore obtriuit corrupitq́. Postquàm tamen ventum ad Syllarabin est, & subdere faces aggressi sunt gymnasio, obstitit: ostendens illa se Megalopoli iratè potiùs quàm honestè designasse. Cùm verò Antigonus primùm Argos extemplò retrò tetendisset, deinde montes & transitus stationibus omnes insedisset: nihil simulans laborare & floccipendere caduceatores misit claues fani Iunonis petitum, vt sacris Deæ factis facesseret. Vbi illum ad eum modum derisit atque per dissimulantiam delusit: re diuina Iunoni sub templo clauso facta reduxit exercitum Phliunta. Inde præsidio Ologunti deiecto præter Orchomenon recepit se. Hinc non ciuibus modò spiritus & animos fecit, verùm hostibus quoque insignis bello dux dignusq́, qui res magnas tractaret, est habitus. quippe simul Macedonum vires & cunctos Peloponnesios, regiumq́ ærarium sustinere vnius subsidio vrbis: ac non tantùm intactam cōseruare Laconiam, sed vltrò illorum fines deformare, tātasq́ capere vrbes, haud vulgaris virtutis esse vel magnanimitatis videbatur.

Cleomenis moderatio, in hostes.

Verùm qui pecuniam princeps rerum neruos appellauit, rei bellicæ potissimùm respectu hoc videtur dixisse. Ac Demades iubentibus aliquando deduci & compleri naues Atheniensibus, cùm inopia pecuniæ laborarent: † Panis confectio, inquit, prior est prorata. Memoratur etiam Archidamus ille priscus sub belli Peloponnesiaci exordium postulantibus socijs, vt tributum certum indiceret, bellum respondisse certum modum nō habet pabuli. Vt enim exercitati athletæ diuturnitate deprimunt & expugnāt illos, qui agiles sunt & artifices: ita Antigonus ingentibus viribus ad bellum insurgens conficiebat & degrauabat sufficiētem angustè & difficulter stipendium mercenarijs, & ciuibus commeatum Cleomenem. Nam erat alioqui pro Cleomene tempus reuocantibus Antigonum negocijs domesticis. Barbari enim eo absente incursabant & vastabant Macedoniam. Tunc verò etiam superioribus regionibus ingens Illyriorum exercitus eruperat: à quibus vastati acciuerunt Macedones Antigonū. Quòd si aliquantisper ante prælium hæ literæ allatæ ad eum essent, extemplò abscessérat, ac diu Achæis salutem dixerat.

Pecunia rei bellicæ neruus.

† Locus hic in exemplari Græco est mendosus. Videtur hoc prouerbio innuere, pecuniam priùs & commeatū cōparandū, quàm naues conscendant.

Sed quæ res maximas puncto decernit fortuna, tantum edidit temporis momentum atque vim: vt cùm depugnatum ad Selasiam esset, Cleomenes verò exercitu & vrbe exutus: superuenerint statim, qui retraherent Antigonum. quod quidem imprimis fortunā effecit Cleomenis miserabiliorem. nam biduū modò si protraxisset, & vitabundus prælium prolatasset: nihil esset ei pugna opus, sed quibus voluisset legibus, pacem Macedone digresso esset cum Achæis pactus. Nunc, sicut retulimus, dum ob rei pecuniariæ angustias omnia in armis ponit, coactus est X X. millibus, vt Polybius tradit, signa cum X X X. millibus conferre. Qui cùm mirificum se præbuisset in discrimine ducem, & ciuibus vsus impigris esset, & verò haud ignauiter certassent mercenarij: armaturæ modo & pondere grauis phalangis impulsus est. Proditionem quoq; ait Phylarchus adhibitam, quæ Cleomeni potissimùm intulit cladem. siquidem cùm Illyrios & Acarnanas clàm Antigonus circuire & circumfundere alterū cornu, quod frater Cleomenis ducebat Euclidas, præcepisset: mox cæteras copias ad prælium instrueret: contemplans ex specula Cleomenes vt nusquàm conspexit Illyriorum & Acarnanum signa, metuit ne qua illis Antigonus ad talem machinam vteretur: accitum Damotelem, qui insidijs curandis præfectus erat, animaduertere imperauit & speculari, quid à tergo & in ambitu aciei ageretur. Cùm Damoteles (quippe fama est eum pecunia antè ab Antigono redemptum fuisse) dixisset, vt nihil laboraret de illis, rectè ea habere: sed intentus esset in eos, quos in fronte obiectos haberet, atq; hos profligaret: habita ei fide, mouit in Antigonum, atq; impressione Spartiatarum, quos circa se habebat, impulit Macedonum phalangem, referentibusq́ pedē fermè ad quinque stadia victor institit vi eos premens. Inde Euclida ab altero cornu circumuento, resistens & conspicatus periculum eius: Actum de te charissime frater, inquit, actum est vir strenue, Spartiatarumq́ filijs præclarū exemplum, & mulieribus celebris. Ita interfecto Euclida, atque hostibus inde, qui illum fuderant, inferentibus se in suum cornu perculsos milites cernens & fugam respe-

Fortunæ vis.

Cleomenis cum Antigono prælium.

Cleomenes ab Antigono fusus.

ctantes, seruauit seipsum. Multos cecidisse mercenarios milites ferunt, & demptis ducentis cunctos Lacedæmonios, qui sex millia fuerant. Postquàm ad vrbem venit, monuit occurrentes ciues, vt reciperent Antigonum. Ego, inquit, siue vita mea siue mors profutura reipub. est, eam ad id accommodabo. Mulieres autem videns concurrẽtes ad eos, qui fugam suam fuerant comitati, armaq́; eis dementes & potum offerentes: ipse domum suam ingressus est. Cùm puella, quã Megalopoli ingenuam abduxerat, & post vxoris obitũ habebat, eum more suo exciperet, velletq́; regressum à bello curare: neq; bibere siti afflictus, neq; sedere defatigatus sustinuit: sed vt erat armatus, columnæ vni manu obliqua admota ac capite in cubitum inclinato cùm paulisper corpus quieti dedisset, atq; omnia consilia animo volutasset: Gythium cum amicis contendit. ibi conscenderũt ad id ipsum præparata nauigia, solueruntq́; inde.

Antigonus potitur Sparta.

Vrbem Antigonus, simulatq́; signa admouit, accepit in potestatem. In Lacedæmonios verò consuluit clementer, neq; Spartæ dignitatem habuit ludibrio, neque ei insultauit: verùm legibus & republ. illis reddita & sacro dijs facto recesit tertio die, cùm graue bellum accepisset Macedoniæ illatum, & vastari à barbaris fines suos.

Antigoni Demetrij filij mors.

Iam morbus quoq; tentabat eum in grauem tabem & destillationem erumpens violentam. Non succubuit tamen huic malo: cæterùm hactenus restitit ad tuenda domestica: vt in maxima victoria atque ingenti barbarorum strage expiraret gloriosè. Vt verisimile est & perhibet Phylarchus, vociferationibus in prælio pulmonem dirupit. In ludis narrabant clamantem præ lætitia post victoriam: O faustum diem: vim sanguinis effudisse, atque acri febre correptum expirasse. Hactenus de Antigono.

Cleomenes fugit ex Peloponneso in Aegyptum. Therycionis oratio de cõtemnenda morte ad Cleomenem.

At Cleomenes ex Cythæra velis factis aliam tenuit insulam Aegialiam. Inde Cyrenas transmissurum vnus ex amicis Therycion nomine, vir qui in factis semper animo fuerat ingenti, verbisq́; celsus ac gloriosus, remotis arbitris, affatus est: Pulcherrimã inquit, mortem rex in acie amisimus. quamuis omnes audiuerant nos iactantes non fore, vt regem Spartiatarum Antigonus nisi mortuum transcenderet. Nunc secunda nobis gloria & virtute offertur. Quo temere nauigamus? Quid propinquam refugimus, & quærimus longinquam? Nam si fœdum non est Philippi & Alexandri successoribus posteros Herculis seruire: longam nauigationem lucrifaciamus, atque in fidem nos tradamus Antigoni, quem oportet tanto excellere Ptolemæo, quanto Aegyptijs Macedonas. Quòd si parẽre his, à quibus victi armis sumus, indignum putamus; quid eum, qui non vicit, constituimus nobis dominum: vt pro vno duobus videamur deteriores, qui fugimus Antigonum, & Ptolemæo assentamur? An proficisci te in Aegyptum dicemus matris gratia? Enimuerò egregium ei & præclarum sis spectaculum ostendenti Ptolemæi vxoribus captiuum ex rege & exulem filium. Non quamdiu gladiorum nostrorum adhuc arbitrium & Laconiam habemus in conspectu, hic nosmetipsi hac fortuna expediemus: atque ad illos, qui apud Selasiam pro Sparta occubuere, nos purgabimus: potius quàm in Aegypto desideamus interrogantes, quem Antigonus Lacedæmone satrapam reliquerit?

Cleomenis de morte oratio.

Sic fato Therycioni respondit Cleomenes: Quod in rebus mortalium est facilimum scelestè & omnibus promptisimum captando vitam finire, existimas esse te fortem: cùm fugam consciscas priore fœdiorem. Nam hostibus cesserunt iam & nobis præstantiores vel fortuna titubantes vel oppresi numero. Qui verò laboribus & ærumnis, vel præconijs & probris hominum fatiscit: is à sua ipsius superatur prauitate. Debet enim consulta mors non fuga esse actionum, sed actio. siquidem deforme est sibisoli viuere & mori: quò tu nunc nos vocas, qui præsenti fortuna properas expedire te, nec quicquam egregiè aut vtiliter efficis aliud. Ego verò & te & me existimo non debere spem deserere patriæ seruiendi. vbi nos illa deseret, facilimè emori, vbi voluerimus, licebit. Nihil ad hæc respondit Therycion: verùm vt primùm opportunitatem habuit à Cleomene digrediendi, deflexit per littus, ibiq́; semet ipse confodit.

Cleomenes confugit in Aegyptum ad Ptolemæum.

Cleomenes postquàm soluit ex Aegialia, Africam appulit, deductusq́; à ministris regijs peruenit Alexandriam. Initio aduentus sui Ptolemæum sic satis humanum & benignum erga se expertus est. Vt verò consilij dato documento vir prudens habitus est, & quotidianæ eius consuetudinis Laconica simplicitas vrbanitate ingenua fuit condita: neque nobilitatem vsquàm fœdans, neque fortuna inflexus, blandientibus & adulantibus fuit Ptolemæo gratior: magna cepit eum verecundia pœnitentiaq́;, quòd talem virum neglexisset, & euerti permisisset ab Antigono, vnde pariter tantam gloriam & opes comparasset. Itaque honoribus & beneuolentia complectens Cleomenem, spem fecit cum nauibus & pecunia remissurum eum se in

Græ-

Græciam, atque in regnum repositurum. Attribuit etiam ei annua viginti quatuor talenta: quibus ille se & amicos frugaliter ac modicè tolerabat, & reliqua in beneficentiam & munificentiam impendebat erga illos, qui Græcia extorres in Aegyptum se contulerant. At senior Ptolemæus prius quàm præstitisset ei, quæ ad restitutionem pertinebant, decessit. Mox regno in multam lasciuiã, vinolẽtiam, & fœminarum arbitrium delapso, postmissum est & Cleomenis negocium. quippe vsque eò rex ipse effœminatus lustris & vino erat: vt vbi sobrius magis & sedulus erat solito, ludos celebraret, sacrificaret, cum tympano circũcursitaret: dum interim præcipua regni negocia amica eius Agathoclia eiusq; mater & leno Oenanthes procurarent. Attamen apparet primò aliquem vsum Cleomenis fuisse. Nam fratrem Ptolemæus Magan, qui per matrem apud milites pollebat, formidans, Cleomenem asciuit atque arcanis adhibuit consilijs deliberans fratrem de medio tollere. Cæterùm Cleomenes licet assentientibus omnibus deterruit eum, plures ferens, si fieri posset, gignendos regi fratres esse ad regni securitatem & perpetuitatem. Cùm verò Sosibius, cuius maxima inter amicos regis erat authoritas, fidem diceret mercenariorum militum, quàm diu viueret Magas, non fore ipsis firmam: respondit Cleomenes, quod ad id attineret, vt securi essent: Plus enim tria millia ex mercenarijs Peloponnesios esse sui studiosos: qui, si annuisset modò, promptè aduolaturi essent cum armis. Hæc oratio non modicam in præsentia Cleomeni & fidem in regem beneuolentiæ & opinionem authoritatis peperit. Pòst imbecillitate Ptolemæi timiditatem intendente: & cùm omnia formidare, omnibusq; diffidere, vt solet, vbi nulla est mens, tutissimum esse videretur: Cleomenem reddidit aulicis, quòd valeret apud illos, formidolosum: multosq; audires, qui dicerent versari hunc inter oues leonem. Nam reuerà eos mores præ se ferebat, in regia tacitè limis intuens, & quæ agerentur, speculans. Ergo spem petendi naues & milites deposuit. Accipiens autem defunctum Antigonum esse, implicatos bello Aetolico Achæos, ac res præsentiam suam flagitare Peloponneso tumultu & dissidio agitata petijt, solus vt cum amicis dimitteretur. Verùm neminem flexit, rege non vacante ei, sed lustris tripudijsq; & commessationibus immerso. Ille verò qui omnia regebat, omnibus moderabatur Sosibius, si retineretur contra animi sententiam, grauem Cleomenem ducebat esse & formidabilem: sin dimissus esset, audacem virum & inquietum & regni spectatorem ægrotantis. Neq; enim demulcebant eum munera: sed sicut Apim, quanquàm lautè & opiparè victitet, naturalis vitæ tamen, liberorum cursuum & subsultuum desiderium tenet, ac clarè ostendit molestè ferre se in sacerdotis manibus moram: ita ille nullis capiebatur delicijs:

Ptolemæi Philopatoris flagitia.

Cleomenis virtus.

> *At charo pectore tabem, sicut Achilles,*
> *Traxit ibi residens, aciem bellumq; sitiuit.*

Homeri Iliad. lib. 1.

Cùm in hoc esset statu, appulit Alexandriam Messenius Nicagoras. hic oderat Cleomenem, in specie tamen pro amico gerebat se. Prædium ei aliquando amœnum vendiderat: cuius precium ille vel ob inopiam pecuniæ, vel per occupationes atque bellis impeditus non dissoluerat. Hunc igitur è naui oneraria tunc egredientem Cleomenes videns, (nam fortè deambulabat in crepidine littoris) diligenter salutauit eum, & qua de re in Aegyptum venisset, percunctatus est. Cùm Nicagoras comiter salute reddita equos bellatores regi se insignes diceret adducere: Mallem, inquit, sambucistrias & cinædos. Nam hæc rex nunc moratur imprimis. Nicagoras in præsentia quidem arrisit. Paucis verò pòst diebus mentione illata apud Cleomenem fundi tunc certè orauit eum, vt numeraret precium, non facturus, vt illum obtunderet, nisi in distrahendis mercibus satis magnam iacturam fecisset. Vbi Cleomenes ostendit nihil sibi ex donis regis superesse, offensus Nicagoras denudat Cleomenis dicterium Sosibio. Hanc ille ansam accepit lubens. Cæterùm regem maiori de causa quærens irritare induxit Nicagoram, vt epistolam aduersus Cleomenem regi scriptam relinqueret, statuisse illum, si naues & milites ab ipso accepisset, Cyrenas occupare. Ac Nicagoras quidem his scriptis literis vela fecit. Cùm Sosibius triduo pòst obtulisset Ptolemæo quasi modò sibi redditam epistolam, atque adolescentem inflammasset: visum est in amplis ædibus Cleomenem recludere, præbitoq; reliquo consimili cultu arcere exitu. Erant hæc acerba Cleomeni, sed infestiorem in futurum spem concepit ex huiuscemodi causa: Ptolemæus Chyserm̃i filius regis amicus appellauerat semper Cleomenem benignè, vsusq; inter eos & libera mutuò colloquia intercedebant. Hic tunc petentem adijt Cleomenem, leniq; oratione suspicionem eleuauit & regem excusauit. Digre-

Cleomenes Alexandriæ in custodiam datur.

diens rursus ex ædibus cùm prosequentem à tergo vsque ad ostium Cleomenem non animaduertisset: castigauit acriter custodes, quòd fæuam feram captuꝗ; difficilem seruarent segniter & socorditer. Hoc Cleomenes ipse excepit, & prius quàm sentiret Ptolemæus, recepit se & narrauit amicis. Mox omnes, quam ante habuerant, spe in iram versa deliberauerunt Ptolemæi iniuriam & contumeliam vlciscentes, vt dignum Spartiatis esset, mortem occumbere: neque operiri, donec sicut victimæ saginatæ mactarentur. Indignum enim esse Cleomenem, qui fœdus pacisci cum Antigono fastidierat bellicoso viro & strenuo, desidere Matri Idææ initiati regis ocium manentem: vt vbi primùm tympanum deposuerit atque à tripudio quieuerit, ipsum obtruncaret. Postquàm in eam sententiam itum est, Ptolemæo fortè Canopum profecto, primò vulgauerunt rumorem liberari eum à rege custodia. Deinde quòd in more regi esset, vt quos erat carcere soluturus, cœnam his & munera mitteret: amici multa talia apparata miserunt foris in vrbem Cleomeni, quò circumuenirent custodes, qui ista missa putabant à rege. quippe sacrificauit & participauit eis hæc liberaliter, impositaꝗ; corona accumbens cum amicis epulatus est. Fama est autem maturiùs eum, quàm instituerat, ad rem exequendam erupisse: quòd percepisset seruum vnum ex facti conscijs foris cum muliere, quam amabat, cubuisse: ac metuens indicium, cùm meridies esset, & custodes sensisset ex temulentia sopitos, induit tunicam, ac futura ex dextero humero aperta strictoꝗ; gladio eiecit se domo cum amicis pariter instructis. Tredecim hi erant. Hippotas, qui erat claudus, primo impetu erupit cum eis alacriter. quos vt lentiùs sui causa pergere vidit, petijt vt interficerent se, neque hominem inutilem expectando cœpta corrumperent. Fortè Alexandrinorum quispiam equum præter ianuam ducebat. Hunc abstulerunt, impositoꝗ; Hippota cursu lati sunt per plateas, plebemꝗ; vocauerunt ad libertatem. Illi tantum sanè habuerunt roboris, quòd probarent admirarenturꝗ; audaciam Cleomenis: sequi eum & opem ferre ausus fuit nemo. Ptolemæum Chrysermi aula digredientem tres statim adorti occiderunt. Alterum Ptolemæum vrbis præfectum, qui curru ad eos pergebat, infesti inuadentes ministros & satellites eius disiecerunt. Illum curru detractum interfecerunt. Hinc ad arcem contenderunt eo consilio, vt carcerem effringerent, vterenturꝗ; custodiarum manu. Verùm maturauerant custodes diligenter fores obthurare. Ita vbi hoc lapsus conatu Cleomenes est, palatus est vagabundus per vrbem, neque ei quisquam adiunxit se, sed fugerunt trepidaueruntꝗ; omnes. Igitur à cœpto desistens atque ad amicos fatus: Nihil sanè miri est imperare fœminas viris libertatem refugientibus: hortatusꝗ; cunctos est, vt vitam deponerent, sicut se rebusꝗ; gestis esset dignum. Primus Hippotas precibus à quodam ex iunioribus obtinuit, vt occideret se. Mox aliorum quisque æquo animo & intrepidè se ipsum interemit præter Panrea, qui Megalopolim primus ingressus erat. Huic, quem rex specie formosissimum, & iuuentutis disciplina præter æquales optimè institutum amauerat, præcepit: cùm ipsum atque alios vidisset iam occubuisse, tum sibi consciscere mortem. Omnibus iam humi stratis accedens Panteus, & pugione singulos fodiens tentauit, num quis adhuc fortè spiraret. Cùm Cleomenem quoque in planta pedis punxisset, atque aduertisset faciem eum contrahere: osculum illi tulit, inde assedit ei, hinc exanimem iam complexus semetipsum super eum confodit. Ac Cleomenes quidem, postquàm regnum sexdecim annos obtinuit, talemꝗ; se præstitit, ad hunc occubuit modum. Vt verò rumor est per totam vrbem dilatus, Cratesiclea quamuis generosa mulier demisit ex magnitudine calamitatis animos, liberosꝗ; complexa Cleomenis proiecit se in lamentationes. Ex filijs stirpis maior ex fastigio domus præter omnium expectationem desiliens in caput se præcipitem dedit: atque afflictus quidem fuit, non expirauit tamen: sed sublatus est clamans & fremens, quòd interpellaretur mori. Ptolemæus vbi hæc accepit, corpus imperauit Cleomenis excoriatum in crucem agi, necari insuper liberos eius matrem & fœminas eius comites. In his Pantei quoque vxor erat eximia & ingenua imprimis forma. Breui post nuptias in ipso amorum feruore in has inciderunt ærumnas. Eam comitari Pantei fugam per mare cupientẽ prohibuerant parentes, ac vi inclusam asseruabant. At illa paulo pòst paratò equo ac pauculo ære arripuit nocte fugam, Tænarumꝗ; citato profecta cursu nauem, quę inde soluebat in Aegyptum, conscendit & ad virum peruenit, fortiꝗ; animo & hilari peregrinationis se prębuit viro sociam. Hæc tunc Cratesicleam, dum à militibus ad supplicium rapitur, manu duxit, peplum eius subleuans ac confirmans ne illam quidem mortem trepidantem, ve-

tùm

Cleomenes conatur interficere Ptolemæum.

Cleomenis & amicorum exitus.

Pãtei fortitudo.

Cleomenis corpus in crucẽ tollitur.

Cleomenis mater & liberi à Ptolemæo interficiuntur.

Vxoris Pantei fortitudo.

rũm vnum modò petentem, vt ante pueros sustolleretur. Postquàm ad supplicij locum peruentum est: pueros primùm sub oculis Cratesicleæ, deinde illam interfecerunt. Illa vnam hanc vocem tantis in malis misit: Quò pueri estis profecti? At Pantei vxor stola succincta valens mulier & eminenti statura vnamquamque morientium silentio & sedatè curauit atque ex præsenti copia velauit. Tandem omnium nouissima semetipsam composuit: deductoq́; amictu neminem accedere permittens, neque contueri se extra vnum, qui ad iugulandum ipsam præpositus erat, vitam deposuit fortissimè: neque eguit quoquam, qui se adornaret & obnuberet ab excessu. Adeo in morte animi decus vsquè retinuit, cõseruauitq́; quam viua corpori custodiendo adhibuerat, curã. Ita Lacedæmon, quæ muliebri actu ex æquo cum virili extremis temporibus certauit, virtutem ostendit non posse à fortuna suggillari. Paucis pòst diebus, qui Cleomenis corpus cruci suffixum custodiebant, draconem ingentem conspexerunt: qui caput illius circumplicabat faciemq́; contegebat, ne auis carniuora eam vlla attingeret. Hinc superstitio incessit regi trepidatioq́; aliarum expiationum mulieribus aditum præbens, quasi virum interfecisset diuinum & humana sorte maiorem. Alexandrini quoq; excurrebant ad ipsum locum, ac heroem Cleomenem deorumq́; filium appellabant: vsq; dum reflexerunt eos doctiores: qui docuerunt apes ex bobus, ex equis vespas putrescentibus germinare, scarabeos ex asinis pullulare eodem deductis, humana verò corpora tabe medullæ inter se compacta & concreta edere angues. Qua re veteres animaduersa inter omnes animantes heroibus draconem consecrauere.

Cleomenis cruci suffixi faciē draco circumplicauit.

Draco cur heroibus consecratus sit.

Tiberius & Caius Gracchi.



RIMA Explicata historia haud minores habemus in Roma no pari contemplari calamitates, dum cum illis Tiberij & Caij vitam comparamus. Patre hi fuerunt Tiberio Graccho: qui censor Romæ cùm fuisset & bis consul, duosq́; reportasset triumphos: dignitatem tamen quæsiuit ex virtute maiorem. Quapropter habitus dignus est, vt Scipionis, qui Annibalem debellauit, nulla coniunctus necessitudine, imò alienus ab eo filiam Corneliã in matrimonium acciperet post illius obitum. Hunc fama est duos angues in cubili comprehendisse, atq; aruspices perpenso prodigio ambos vetasse interfici vel dimitti: de altero asseuerasse, si necatus mas foret, funestum Tiberio esse: Corneliæ, si fœmina: Tiberium verò, qui vxorem diligebat, ac sibi maturiorem mortem ætate priori, quam iuueni illi ducebat, draconem marem sustulisse emissa fœmina: inde nõ multo pòst fato functum duodecim liberos ex Cornelia susceptos reliquisse. Suscipiẽs liberos & rei familiaris curam, vitam exegit Cornelia in tanta castitate, tanta pietate, tanta deniq; animi magnitudine: vt non malè visus sit consuluisse Tiberius, qui pro tali muliere animum induxit emori. nempe quæ etiam regi Ptolemæo nuptias eius ambienti & ad consortium eam vocanti regni abnuit. Atque in viduitate manens reliquam amisit prolem, excepta vnica filia, quæ Scipioni Africano minori nupsit, & filijs duobus, de quibus hìc tractamus superstitibus, Tiberio & Caio. Hos tanta eduxit cura: vt cùm in pube Romana essent citra controuersiã summa indole, præclariùs tamen instituti quàm geniti viderentur ad virtutem. Quando verò vt insignis & picturis habet Castoris & Pollucis similitudo quoddam pugilis cum cursore figuræ discrimen: ita ex illorum adolescentium in magna ad fortitudinem & moderationem, insuper ad liberalitatẽ, eloquentiam, animi celsitudinem affinitate, grandes quasi effloruerunt & eluxerunt in actibus eorum & reipubl. procuratione disparitates: non ab re visum mihi est ante eas expedire. Primùm vultu & obtutu & motu blãdus erat & compositus Tiberius, acer Caius & vehemens. Itaq; in concionando ille modestè non se mouebat loco: hic primus Romæ in rostris deambulauit inter dicẽdum, & togam ex humero diuulsit, vt de Atheniense memoriæ proditum est Cleone, diloricasse eum in dicendo pallium ac femur percussisse inter oratores principem. Deinde oratio fulminans Caij exaggerataq; affectibus: dulcior Tiberij magisq; commiserationem mouens. Dictione pura hæc atq; exquisitè elaborata: Caij artificiosa & splendida. Pari modo in victu & mẽsa frugalis ac simplex Tiberius:

Tib. Gracchi patris virtutes.

Tib. Gracchus pater Corneliã duxit.

Tib. Gracchi in vxorem Corneliam pietas.

Corneliæ Gracchorum matris laus.

Tib. & C. Gracchorum descriptio egregia.

Caius, si cum alijs eum contendas, continens & restrictus: verùm commissione cum fratre grandis & exquisitus. quod obiecit ei Drusus, Delphinos comparasse eum argento repensos in libras quinis millibus nummûm. Moribus respondebant orationi: superior lenis & placidus, confragosus alter & feruens. Vnde in dicendo frequenter auferebatur inuitus ab ira: vt vocem concitaret, in maledicta erumperet, & conturbaret orationem. Quare remedium adhibuit huius excessus Licinium seruum nõ insulsum: qui tenens instrumentum phonascicum, quo excitant sonos, & à tergo Caij concionantis consistens: vbi voce sensit concitatum & ira tonantem, remittebat molliter tenorem: quo fulmen orationis cõfestim ille vnà cum affectu & voce molliens, referuescebat reuocabaturq; facilè. Dissonantiæ erant eorum hæ. Audacia verò aduersus hostes, iustitia aduersus populares, officiorũ in muneribus eorũ sedulitas, & aduersus voluptates cõtinentia par in vtroq;. Maior erat annis nouẽ Tiberius: quod actiones vtriusq; distraxit temporibus, & maximè cœpta euertit. quòd non simul floruerint, neq; opes suas conferre potuerint in vnum: quæ ingentes ex ambobus conflatæ atq; inexuperabiles fuissent. Quare seorsum de vtroq;, atq; primùm de natu maiore dicendum.

Tib. Gracchus augur.

Ille simul atq; ex pueris excessit, adeo fuit celebris, vt in collegiũ augurum virtutis magis quàm nobilitatis nomine fuerit cooptatus. Ostendit id Appius Claudius vir consularis & censorius & princeps senatus, multoq; æquales suos prudentia antecellens. Nam in cœna augurali Tiberiũ comiter appellans nuptias ipse ei obtulit filiæ. Quam conditionem cùm ille accepisset lætè, ac mox factis sponsalijs domũ Appius ad se ingressus vocauit mox à limine vxorem, altaq; voce clamans: Claudiã nostram, inquit, Antistia vito despondi. Illa obstupescens: Quid festinato aut properato, inquit, opus erat: an Tiberiũ Gracchũ ei sponsum inuenisti? Nõ me fugit esse, qui ad patrẽ hoc Gracchorũ Tiberiũ & Scipionẽ referãt Africanũ. Verùm pleriq; scriptores nobis astipulãtur: & Polybius post Scipionis Africani fata necessarios eius ait omnib. prælato Tiberio collocasse Corneliã, vt à parẽte nulli elocatã vel pactã. Igitur minor Tiberius in Africa merẽs sub Africano sequẽte, qui sororẽ ipsius habebat in matrimonio, & in cõtubernio imperatoris agẽs breui notauit eius ingeniũ: quod multa & eximia ad virtutis excitandũ amorẽ & factorum suorũ æmulationẽ edebat exẽpla. Breui etiã omnem iuuentutẽ parẽdo & strenuè agendo superauit: ac verò murũ hostium primus ascendit, vt author est Fannius, qui prędicat vnà cum Tiberio se in murũ euasisse cõsortemq; fuisse illius decoris. Iam studiũ ingẽs sui in exercitu præsens concitauit, & desideriũ reliquit discedẽs. Ab illa expeditione quæstor est designatus. Obuenit ei sors, vt consulẽ C. Mancinũ ad bellũ Numantinũ sequeretur hominem non malum, sed ducem Romanum omnium infelicissimũ. At tamen in fortunis aduersis & duris casibus eluxit Tiberij non prudentia modò & virtus: verùm etiam, quod miraculum erat, obseruantia magna & reuerentia imperatoris: qui ob ærumnarũ molem ne ipse quidem meminerat se esse ducem. quippe cùm ingentibus fusus prælijs esset, adortus est nocte relictis castris se recipere. Cæterùm odorati id Numantini ceperunt extemplò castra eius, exercitum insecuti fugientem sunt, extremum agmẽ conciderunt, omnes circumuenerunt copias coniecerunt q; in loca aspera, vnde nullum patebat effugium. Hîc diffidens vi expedire se salutem posse Mancinus, legatos misit ad illos inducias & pacem flagitatum. Illi verò fidem negauerunt adiungere se præterquàm vni Tiberio vlli, atq; vt hic mitteretur ad se, poposcerunt. Expetiuerunt id tum ipsius virtute adolescentis, quòd nomen eius in castris foret ingens: tum patris memoria Tiberij, qui bello cum Hispanis gesto, multisq; domitis fœdus cum Numantinis fecerat: quod seruari à populo rectè atque ordine præstiterat illibatum. Ita missus Tiberius egit cum Numantinis: ac quædam ab ijs impetrãs, quædam concedens fœdus fecit, atq; viginti millia ciuium extra seruitia & lixas non obscurè conseruauit. Quicquid autẽ relictum in castris fuerat, eo potiti Numantini omni sunt & diripuerunt. In his tabulæ erant Tiberij, in quibus quæsturæ acta & rationes continebantur. quas recipere magni faciens, cùm exercitus iã in itinere esset, tribus aut quatuor amicis comitantib. eũ regressus est Numantiã. Excitos Numantinorũ magistratus orauit, vt tabulas sibi redderẽt, ne iniquis calumniandi præberet ansam, quòd referre rationes non posset. Læti oblata pręstandi beneficij occasione Numantini inuitauerunt eum, vt vrbem ingrederetur. Vt deliberabundus cõstitit, propiùs accedẽtes manus eius corripuerũt maiorẽ in modũ precantes, ne vltrà in hostibus numeraret ipsos, sed vteretur pro amicis & fidẽ haberet. Itaq; visum Tiberio est morẽ eis gerere tũ tabularũ desiderio, tũ timẽs etiã exasperare diffidẽtia

Tiber. Gracchi vxor.

Tib. Gracchi militia.

Tib. Gracchi quæstura.

Tib. Gracchus pacem facit cum Numantinis.

Numan-

Numātinos. Ingresso vrbē primò prandiū proposuerūt, atq; obsecrauerunt enixè, vt aliquid cōmuni mēsa secū cibi caperet. Inde tabulas ei reddiderūt, iusseruntq;, vt de reliqua præda sumeret, quicquid ei cordi esset. Ille verò præter thus, quo ad sacra publica vtebatur, nihil cepit: atq; ita, postquàm eos comiter salutauit, digressus est. Vt Romam redijt, pacem eam totam exagitauerunt & insectati sunt vt indignam & fœdam ciuitati. At militum necessarij, quæ portio erat ingens populi, cōcursu ad Tiberium facto, quod inerat rei gestæ maculę, asscribebant duci, salutem verò tam multorum ciuium ei tribuebant. Enimuero hi, quos pax illa offendebat, proponebant exemplum maiorum. quippe illi duces, qui cupidè fuerant amplexi fœdus, quo dimiserant eos Samnites, nudos hostibus dediderunt, consortesq; & participes illius fœderis faciendi velut quæstores & tribunos æquè tradiderunt: quò verterent in eos periurium & violationem pacis. Hîc verò prçcipuè suam erga Tiberium beneuolentiam & studium declarauit populus: qui consulem Numantinis nudum & vinctum iussit dedi, cæteris omnibus Tiberij causa pepercit. Arbitror etiam eum, qui ea tempestate Romæ summus erat & plurimum pollebat, opem ei tulisse Scipionem. Fuit ei tamen datum crimini, quòd Mancinum non protexerit, neq; pacem Numantinam elaborauerit confirmari per propinquum suum & familiarem compositam Tiberium. Cæterùm has querelas maxima ex parte ex ambitione Tiberij amicorum & doctorum, qui concitabant eum in Scipionem, apparet manasse. In inimicitiam hæc tamen acerbiorem aut incommodum non erupere. Imò verò nequaquàm mihi videtur Tiberius in eos casus incursurus fuisse, si actionibus eius interfuisset Scipio Africanus. Nunc dum ille iam ad Numantiam agit & res gerit, leges ferre ex causa huiuscemodi auspicatus est: Populus Romanus agrum suburbanum, quem bello parauerat, partim vendiderat sub hasta, partim publicum fecerat. Eum inopibus & tenuioribus ciuibus sub exigua pensione, quam ærario ferrent, locabant. Vt pecuniosi mercedem intendere & pauperes cœperunt summouere: lex lata est, quę vetuit, nequis plus quingentis iugeribus agri possideret. Frænauit aliquandiu hæc sanctio cupiditatem opulentorum, subleuauitq; egenos: qui locata retinebant, fruebanturq; sorte, quam quisq; à primo acceperat. Pôst per appositas personas transferentibus cōductiones in se opulentis, ac deniq; propalàm iam suo nomine plerasque detinentibus, expulsi pauperes neq; ad militiam se præstabant alacres, abijciebantq; educandorum curam liberorum. vnde breui Italia infrequentia laborauit omnis liberorum hominum, & ergastulis completa est barbaricis: quibus colebant agros opulenti exactis ciuibus. Id corrigere familiaris Scipionis adortus C. Lælius, quia renitentibus potentibus destitit tumultus metu, Sapiens est appellatus. At Tiberius tribunus plebis creatus ei actioni illicò admouit manum à Diophane oratore & Blosio philosopho, vt tradunt plerique, incensus: quorum Diophanes exul erat Mitylenæus, alter ex Italia Cumanus. Hic in vrbe Tharsensem Antipatrum audiuerat, à quo honoratus fuerat commentariorum philosophicorum nuncupationibus. Nonnulli Corneliæ quoq; matri asscribūt aliquid culpæ: quę filijs crebrò improperabat, quòd populus Romanus Scipionis se adhuc socrū, nondum matrem Gracchorū vocaret. Alij Sp. quendam Posthumiū perhibent authorē fuisse Tiberij æqualē atq; in gloria causarū dicendarū æmulū. quem post reditū à militia offendens longè gloria potentiaq; præfulgentē & celebrē, voluit eū meo iudicio transgredi actione suscepta ancipiti & magnæ expectationis. At frater eius Caius in quodam libro reliquit scriptū, cùm Numantiā pergeret per Hetruriā Tiberius, solitudinemq; agrorū spectaret, agricolas aūt & pastores seruitia esse peregrina & barbara, tunc primùm illā actionē, ex qua infinita ijs fluxerunt mala, animo complexū. Maxima verò ex parte ipse ardorem & cōtentionē huius inflammauit populus per libellos prouocādo eum in porticibus, muris, & monumentis proscriptos: vt inopibus agrū publicū redderet. Legem nō cōposuit tamē solus, sed adhibuit in consiliū principes virtute & authoritate ciues: in quibus Crassus fuit Pontifex Max. Mutius Scæuola iurisconsultus, qui id temporis consulatu fungebatur, & App. Claudius socer eius. Neq; videtur lex in iniuriam & iniquitatē adeò grandem fuisse vnquàm lata mitior vel mollior. quippe à quibus exigenda violatæ legis piacula erāt, & quibus cum mulcta agri, quos tenebant cōtra legem, erant dimittendi: ab his postulauit, vt accepto insuper præmio relinquerent ea, quæ iniquè vsurpauerant: redderentq; ea ciuibus, qui subleuandi erant. Verùm quamuis adeò esset lenis correctio, sat habuit tamē populus dissimulatis anteactis, ne læderetur, in posterū cauere. At diuites & locupletes per cupiditatē legi, per iram & peruicaciā infensi legislatori

Pax Numantina rescinditur.

Tiberius vnde leges agrarias ferre cœperit.

Vide Appiani lib. 1. ciuil.

C. Lælius quare Sapiens appellatus.

Tiber. Gracchi tribunatus.

Tib. Gracchi lex agraria.

populum abducere moliebantur ab ea: quasi legem agrariam ad rempubl. conturbandam Tiberius induceret, & res nouas moliretur. Verùm nihil proficiebant. siquidem in præclaro argumento & iusto decertans Tiberius facundia, qua valebat redimire vel turpiores materias: vehemens erat & inexpugnabilis, cùm circumfusa concione consistens in rostris hoc modo ageret pauperum causam: Feras etiam Italiam incolentes lustra habere & cubilia singulas stabulaque. Illis verò, qui arma ferrent pro Italia & sanguinem profunderent, nihil præter aëra & lucem concedi, sed sine tectis sedibusque cum liberis & coniugibus vagari. Ludibrio haberi ab imperatoribus milites, cùm eos adhortantur in acie, vt pro aris & focis dimicent. Nemini enim in tanto numero ciuium vel aram paternam esse vel domum auitam, verùm pro alienis delicijs opulentiaque belligerare & emori. Nominari orbis terræ dominos, qui ne glebam quidem, vbi pedem ponant in suo, habeant. Hæc verba à magno animo & vero animi motu in populum demissa, quæ fanaticum eum & lymphatum reddebant, nemo sustinebat aduersariorum. Igitur absistentes à digladiatione verborum ad vnum ex tribunis conuertunt se M. Octauium grauibus iuuenem moribus & modestum, Tiberij autem amicum & familiarem. vnde illius pudore detrectauit primùm se ei obijcere. Verùm potentibus magna cateruа orantibus eum atque instantibus tanquàm expugnatus obiecit se Tiberio & legem instititit antiquare. Præualet autem inter tribunos illius potestas, qui quid vetat. Nihil enim sciscere plebs vno valet intercedente. Hinc incensus Tiberius legi illi benignæ salutem dixit, gratioremque multitudini & flagrantiorem promulgauit in fraudatores, iubens extemplò illo excedere eos agro, cui contra superiores leges incubabant. Erant ferè quotidie ei in rostris cum Octauio certamina: in quibus etsi summo studio ac contentione decertarent inter se, nihil contumeliosè tamen feruntur inuicem dixisse, neque verbum excidisse in alterum alteri ex indignatione importunum. Neque enim in vinolentijs solùm, sed & in ambitionibus & stomacho coërcet & componit præclara indoles & bona institutio mentem. Vt verò Octauium aduertit in legem commisisse, & multum tenere agri publici: rogauit eum Tiberius, vt abijceret certamen, precium se ostendens ei ex facultatibus suis quamuis non lautis depensurum. Abnuente Octauio vetuit alios magistratus omnes per edictum muneribus suis fungi, dum perlata lex esset. Templum Saturni annulo suo consignauit, nequid quæstores inde vel sumerent vel inferrent, asscripsitque mulctam, ni parêrent, prætoribus. Ita territi omiserunt omnes suorum quisque officiorum partes. Hinc locupletes vestem mutare, sordidatique & squalidi in foro circumire, struere etiam clàm Tiberio insidias, subornareque ei percussores. Lta ille quoque apertè sica, quam dolonem vocant, accinctus fuit. Appetente die, populumque Tiberio in suffragia mittente: quia subtractæ à diuitibus fuerunt vrnæ, res ad tumultum spectabat. Enimuerò cùm Tiberij factio numero vim facere posset, atque ad id se conglobaret: Manlius & Fuluius viri consulares ad genua Tiberij accidentes manusque cum lachrymis tangentes orauerunt eum, vt rem desereret. Qui cùm hinc iam iam imminens malum animaduerteret, hinc illorum moueretur reuerentia requisiuit ab eis, quid ab se vellent fieri: qui negauerunt se tantæ consultationi pares esse: hortantes autem precantesque, vt permitteret eam senatui, induxerunt eum. Vt verò nihil senatus coactus propter opes in curia locupletum expediuit: transit iam ad facinus nec legitimum nec probum, Octauio vt potestatem tribunitiam abroget, certus non posse alioqui perferre se legem. Ac primùm in publico orauit eum, benignis verbis & supplicibus eum coagens, vt concederet & accommodaret se populo æqua petenti & exigua pro magnis laboribus & periculis accepturo. Reijciente hanc interpellationem Octauio, testificatus Tiberius non posse in tribunatu ambos magnis de rebus à pari potestate dissidentes traducere sine bello tempus, vnum se ostendit huius videre remedium, alteri si magistratus sit abrogatus: ac de se iussit priore Octauium ad suffragia populum vocare. Confestim enim se, si ita visum sit ciuibus, potestate abiturum. Detrectante Octauio, iam de ipso ait se, nisi re deliberata meliora consilia cepisset, suffragia propositurum, atque his in præsenti denunciatis concionem dimisit. Insequenti die conuocato populo conscendit rostra, annisusque denuò est Octauium inducere ad desistendum. qui vt fuit inflexibilis, legem rogauit, qua tribunatus ei abrogabatur, populumque extemplò misit in suffragia. Ex quinque & triginta tribubus, vt septemdecim legem iusserunt, vna autem si insuper accederet, priuatus fiebat Octauius: iusso sustineri suffragia, aggreditur ex integro Octauium precibus, ac complectitur hominem conspiciente populo,

Tib. Gracchi conciones.

Tiberij legi obijcit se M. Octauius.

Tib. Gracchi & Octauij in dissensione, moderatio.

Sicã Latini Dolonem vocant.

Tiberius tribunatum abrogat Octauio.

Gracchi in Octauium collegã, moderatio.

populo, osculaturq́; eum supplex atque obsecrans: ne admittat, ista vt ei infligatur infamia: ne ue tam acerbi sibi & tristis causa actus inuratur. Has preces haud vndequaque memorant immotum & rigidum audiuisse Octauium: sed obortas ei lachrymas quoque fuisse, ac perdiu silentium tenuisse. Postquàm tamen ad pecuniosos & locupletes conglobatos conuertit oculos, rubore apparet eum & metu, ne incurreret apud illos probrum, omnia acerba substitisse: nec ingenerosè, ageret dixisse, quod ei visum esset, Tiberius. Ita perlata lege imperauit Tiberius vni ex libertis, vt Octauium de rostris detraheret. Apparitoribus autem vtebatur libertis suis: idq́; speciem indigniorem reddidit, quòd detraheretur Octauius contumeliosè. Ibi cùm populus impetum in eum faceret: concurrentibus diuitibus ac vim repellentibus vnus incolumis ereptus est & effugit populum Octauius: seruo autem eius fido, qui quasi in fronte pro eo obiecerat se, oculos eruerunt inuito Tiberio, & ad tumultum, vbi animaduertit quid ageretur, properè deuolante. Hinc lex agraria sciscitur. Triumuiri creantur disquirendo & distribuendo agro ipse Tiberius, App. Claudius socer eius, frater C. Gracchus absens, qui sub Scipione apud Numantiam militabat. His quietè à Tiberio nemine obsistente perpetratis, adhæc tribuno subrogato non ex claris viris vllo, sed Mutio quodam eius cliente indignantes ad omnia potentes & Tiberij formidantes incrementa, omni contumelia affecerunt eum in curia. Postulanti de more ex publico tentorium, quo in agro diuidundo vteretur, non dedere: cùm leuioribus in negocijs subinde accepissent alij. Ad sumptum sestertios in diem senos attribuerunt P. Nasica referente, qui non dubitauit apertè obijcere se illius inimicitiæ: quippe agrum publicum latè possidebat, grauiterq́; ferebat inde se expelli. At populus magis magisq́; exarsit. Ac cùm amicus quispiam Tiberij subitò decessisset, in cuius cadauere tetra signa comparebant: vociferantes veneno hominem sublatum concurrerunt ad funus, lectumq́; subierunt: cùm cremaretur, astiterunt, atque ibi haud ab re visi sunt veneficij suspicionem habuisse. Namque diruptum cadauer fuit, ex quo prauorum humorum vis erupit: vnde extincta flamma est, aliá que allata nihilo magis flagrauit: donec fuit aliò translatum, magnoq́; negocio ægrè id attigit ignis. Ad hæc quò plebem Tiberius etiam atque etiam inflammaret, vestem mutauit, & liberos producens quasi deplorata salute sua commendauit eos matremq́; eorum populo. Circa hanc tempestatem defunctus est Attalus Philopater: cuius tabulas testamenti, quibus populus Romanus scriptus hæres regis fuerat, Pergamenus Eudemus attulit. Hîc mox Tiberius ambitiosè ad populum promulgauit legem, vt pecunia aduecta regia sortitis agrum ciuibus ad instrumentum parandum & subsidium agri colendi præberetur. De oppidis verò, quæ regni Attali fuissent, negauit quicquam ad curam senatus pertinere, sed de ijs ad concilium se populi relaturum. Hinc senatum offendit grauissimè. Exurgens autem Pompeius, vicinum se ait Tiberij esse, atque ideo sibi Eudemum Pergamenum constare diadema regium & purpuram ei quasi Romæ regnaturo donasse. Quintus Metellus exprobrauit Tiberio, patre eius censore, cùm reuerteretur à cœna domum, lumina ciues restinguere solitos: quòd timerent, ne longius quàm oporteret, conuiuijs & poculis indulsisse viderentur: hunc verò nocte audacissimos quosq́; & mendicissimos de plebe prælucere. Porrò Titus Annius, nec probitate nec modestia commendatus homo, sed inter dicendum interrogationum & responsionum incomparabilibus præcellere argutijs habitus prouocauit Tiberium ad sponsionem, ni sacrosanctum legibus collegam violasset. Obstrepente plebe exiliens Tiberius aduocauit cõcionem: & cùm iussisset Annium adduci, instituit eum postulare. Hic verò & facundia & dignitate longè illi concedens ad artes se recepit suas, petiuitq́; à Tiberio, vt pauca ante disceptationes requirere de eo liceret. Quo dante, vt interrogaret, & silentio facto, ait Annius: Si tu maculare me & dehonestare in animo habeas, ego autem aliquem ex collegis tuis appellem, atque ille auxilio mihi fuerit, tu verò ira sis incensus, extorquebis ne ei magistratum? Ad hanc quæstionem referunt ita Tiberium hæsitasse: vt qui omnium esset ad dicendum expeditissimus & proiectissimus ad audendum, obmutuerit. Ita dimisit in præsenti concionem. Quia verò aduertit ex actionibus suis illam de Octauio non principibus tantùm, verùm etiam plebi odiosiorem esse: siquidem eximia habebatur & præclara tribunorum plebis dignitas, quæ fuerat in eum vsquè diem intacta, oppressa fuisse & conculcata: orationem habuit ad populum, cuius pauca capita, quò vim in dicendo eius & neruos hinc cognoscere queas, non ab re erit attexere. Nam

Tiberius perfert legē agrariam.

Attalus rex hæredem facit populū Romanū.

Tiberij lex de Attali pecunia populo diuidēda.

fassus

Tiberij concio, de Tribunitia potestate.

fassus est sacrosanctum tribunum esse: quòd consecratus populo sit & populi curam gerat. At si transfuga populum lædat, & potestatem eius retundat, spoliet que eum suffragio, ipse sese exuit honore: cùm cuius gratia eum accepit, id non præstet. quippe & Capitolium diruentem & naualia inflammantem attingere non licet tribunum. Quæ cùm faciat, improbus quidem est tribunus: Populum verò si pessundet, non est iam tribunus plebis. An non igitur res sit absurda, si consulem tribuno in carcerem ius erit ducendi: populo potestatem tribuno, vbi ea aduersus authorem vtatur, detrahere non licebit? Etenim consulem & tribunum iuxtà populus creat. Iam imperium regium præterquàm quòd magistratum in se complectatur omnem, etiam maximis cæremonijs & religionibus deorum immortalium est consecratum. Tarquinium ciuitas tamen flagitia committentem exegit, atque ob vnius admissa hominis imperium antiquum, à quo condita Roma fuerat, fuit abrogatum. Quid perinde Romæ sanctum & augustum, vt virgines Vestales, quæ sacro igni præsident custodes? At si qua tamen harum stupro obstrinxerit se, viua defoditur. quippe sacrosanctæ nō sunt, quæ in deos sunt impiæ, quorum causa sunt sacrosanctæ. Ita neque eum, qui vulnerat populum, tribunum sacrosanctum esse populi causa par est. Qua enim pollet, hanc abolet potestatem. Atqui si iure tribunatum maximæ partis tribuum suffragijs cepit, quid ni maiore iure priuetur abrogantibus omnibus. Iam nihil tam sacrum vel sanctum sit, vt res dijs immortalibus consecratæ. At his vti populo, mouere, transferre pro arbitrio nemo prohibuit. Quare ius ei fuit tribunatum quoque, vt quod consecratum est, in alium traducere. Neque enim inuiolatum esse, vt extorqueri nequeat, magistratum ex eo patet: quòd identidem, qui obtinebant magistratum, vltrò se eo abdicauerunt. Hæc summa est Tiberij defensionis. Vt verò minas amici perspicientes & coitionem authores fuerunt ei, vt tribunatum in proximum annum iterum peteret: tum denuò cœpit alijs legibus illicere plebem. Illis legibus annos stipendiorum cōtrahebat, & prouocationem à iudicibus concedebat ad populum, obtinentibus etiam id temporis iudicia senatoribus * parem numerum ex equestri ordine affundebat, atque ita vires senatus omnibus modis coërcebat, felle magis atque pervicacia, quàm æqui & commodi ratione adductus. Vt sensit suffragijs aduersarios superiores esse, (neque enim populus omnis aderat) ad conuitia primùm versus collegarum diem exemit, inde dimisit concionem, eamque in posterum diem indixit. Ibi primùm descendens in forum Tiberius sordidatus & lachrymis oppletus cum supplicijs prensauit ciues. Mox vereri iactans se, ne domum suam inimici nocte excinderent, atque obtruncarent se: adeò permouit homines, vt circa ædes eius magna caterua tabernaculis erectis excubarēt stationem agentes. Vt diluxit, adfuit cum auibus pullarius, & escam eis obiecit. Illæ præter vnam solam non prodiere, quamuis homo caueam sedulò concussisset. Ac ne hæc quidem pauit, sed sublata sinistra ala protensoque crure refugit rursus in caueam. Hoc etiam prioris prodigij commouit Tiberium. Erat ei galea, qua in acie vtebatur exornata eximiè & splendida. In eam irrepserant angues & clàm in ea posuerant excluserantque oua. Quo magis cohorruit hoc auspicio Tiberius. Scandit tamen in Capitolium, vt populi concilium ibi esse accepit. Antè quàm egressus domo est, in limen impegit ictu adeò duro, vt pollicis pedis vnguis dilaceraretur, sanguisque subter per calceum prorumperet. Vbi paululum processit, super fastigium domus ex sinistra conspecti sunt corui pugnantes, atque in frequentia mortalium, vt verisimile est, Tiberium prætereuntium propulsus ab altero coruo lapis iuxta pedem eius delapsus est: quod vel ferocissimos est eorum, qui illum stipabant, remoratum. Cæterùm Blosius Cumanus, qui aderat, perquàm turpe iactauit esse & fœdum, Tiberium Gracchi filium, Scipionis Africani nepotem, præsidem populi Romani corui metu accersentibus ciuibus non parere. Atqui eam labem haud pro ioco inimicos transmissuros, sed vt tyrannidem agentem & ludibrio iam habentem ad populum eum proscissuros. Simul accurrerunt frequentes, qui Tiberium, vt maturaret, mandato amicorum, qui in Capitolio erant, adhortarentur: omnia illic ex voto esse. Prima certè magnifica Tiberio fuere. Nam simul atque conspectus est, festa acclamatione exceperunt eum, ascendentem receperunt alacriter: & ne quis eum ignotus attingeret, sepiuerunt. Instituente de integro Mutio tribus citare, nihil ordine agebatur ob nouissimorum tumultum, dum impelluntur & impellunt aduersos, qui irrumpebant & immiscebant se turbæ. Interea † Flauius Flaccus senator loco conspicuo stans, cùm exaudiri verba eius non possent, manu significauit habere se, quod seorsum indicaret Tiberio. Iussit multitudini Tiberius, vt viam

Tiberij Gracchi aliæ leges.

**Epitome Liuij habet duplicē numerum.*

Prodigia tetra Tiberio oblata.

†Fuluius omninò puto legēdū.

Fuluius Flaccus insidias patefacit Tib. Graccho.

viam ei daret. Ita ægrè ascendit. Vbi peruenit ad eum, nunciauit ei: cùm in senatus consilio consulem locupletes adducere non valuissent in sententiam suam, deliberatum habere ipsos per se interficere Tiberium: in quam rem habere eos frequentes seruos & amicos in armis. quod vt circumstantibus aperuit Tiberius, præcingunt hi confestim togas, frangentes que apparitorum hastilia, quibus cœtum summouent, arripiunt fragmenta, vt ijs repellant vim inferentes. Id fieri mirantibus longinquioribus, & quid rei esset, percunctantibus: admouit manum Tiberius capiti, discrimẽ suum ea specie demonstrans, quando non assequebantur vocem. Quod cùm aduersarij intuerentur, properauerũt ad senatum afferentes poscere Tiberium diadema: cuius significationem esse, quòd caput attigisset. Hinc commoti omnes fuere. Nasica autem petijt à consule, vt reipubl. opem ferret, tolleretq; tyrannum. Quo leniter respõdente, nullam se vim auspicaturum, neq; ciuem vllum indicta causa necaturum. Quòdsi quid contra leges populus Tiberij suasu vel coactu sciuisset, id se ratum non habiturum: Exiliens Nasica: Quando igitur, inquit, rempubl. prodit consul, sequimini me, qui rempubl. saluam vultis. Sic fatus, lacinia togæ capite obuoluto cõtendit ad Capitolium. Quotquot illum sequebantur, toga brachium circumiecta propulerunt obuios, renitente illis ob eorum dignitatem nemine, sed fugientibus omnibus atque se mutuò obterentibus. Horum comitatus attulerat domo clauas & sudes. Ipsi detractorum ab effuso in fugam cœtu subsel liorum fragmenta & fulcra corripientes, perrexerunt in Tiberium, simulq; ceciderunt in fronte locatos. Horum fuga & strages edita. Ipsius Tiberij fugæ consulentis prehendit quispiam togam. Ille toga relicta fugiens in tunica cespitauit, prolapsusq; est super eos, qui ante eum ceciderant. Attollentem se princeps apertè caput eius afflixit subsellij pede vnus ex collegis eius Satureius. Secundum ictum intulit ei L. Rufus: qui de eo velut re præclara gesta gloriabatur. Ex cœtu plus trecenti occubuerunt fustibus & lapidibus comminuti, ferro nullus. Hanc Romæ primam memoriæ produnt à regno sublato seditionem fuisse sanguine & cæde ciuili diremptam. Cæteras verò neq; modicas neq; de modica exortas re inuicẽ concedentes terrore principes plebis, reuerentia senatus populus pacauerant. Et quidẽ tunc quoq;, si actum secũ leniter esset, Tiberius fuisse videtur se haud grauatè submissurus: multoq; facilius citra cædem & vulnera inuehẽtibus cessisset. Neq; enim plus tria millia secum habebat. Verùm ira apparet diuitum atq; simultate citius quàm ob eas, quas prætexebant causas conspiratum in illum fuisse. magno indicio est, quòd atrociter et fœdè insultauerunt cadaueri. Neq; enim oranti fratri, vt tollere liceret corpus eius & funerare nocte, permiserũt: verùm id cum alijs cadaueribus proiecerũt in amnem. Neq; hactenus tantùm progressi sunt: sed amicis quoq; eius partim inauditis aqua & igni interdixerũt, partim quos potuerũt corripere, trucidauerunt: inter quos orator Diophanes perijt. Caium quendam Billium caueæ inclusum cum viperis & dra conibus ad eum modum necauere. Blosius Cumanus ad consules attractus est. Hic rogatus de his, quæ acta erant, omnia se professus est Tiberij iussu facturum fuisse. Subijciente Nasica: † Quid igitur, si tibi Tiberius Capitolio faces subdere præcepisset? Primùm abnuit, dicens, Hoc Tiberium iussurum non fuisse. Subinde alijs idem requirentibus, respõdit: Enimuerò si ille imperasset, nõ duxissem mihi id exequi turpe. Neq; enim, nisi ex vsu esset populi, id imperaret Tiberius. Atq; hic discrimen in præsenti transmisit. Cæterùm pòst in Asiam contulit se ad Aristonicũ: cuius labefactatis fortunis, intulit sibi ipse manus. At senatus, quò populũ ob ea acta leniret, neq; legi agrariæ vltrà refragatus est, & plebi permisit, vt Tiberij loco alium Triumuirum agris diuidundis designaret. In suffragia missi P. Crassum Gracchi propinquũ legere. Nam filia huius Licinia in matrimonio erat C. Gracchi. quamuis Cornelius Nepos autumet nõ Crassi, sed Bruti, qui de Lusitanis triũphauerat, Caium filiã in matrimõnio habuisse. Cæterùm pleriq; scriptores nobis subscribũt. At acerba populo Tiberij cædes erat, & præ se ferebat vltionis opportunitatẽ expectare, & verò iam Nasicę iudicia intentabantur: cui ad securitatem senatus liberã legationem in Asiã decernit. Neq; enim obscurè ferebãt homines in occursu eius indignationem suã, sed efferebant & clamore insurgebant in eum, siquando obuiàm daretur, nefarium & tyrannum appellantes: qui corporis nece sacrosancti sanctissimum & religiosissimum vrbis templum polluerat. Quare cessit Italia Nasica, licet maximis sacrificijs esset deuinctus. nam Pontifex Maximus erat. Peregrè autem palans vagansq; huc illuc breui pòst apud Pergamum obijt. Neq; mirum est infestum adeo Nasicæ populum fuisse: cùm Scipio Africanus, quo populus Romanus neminem videtur iustioribus

Nasica inuadit Tib. Gracchum.

Tib. Gracchi cædes.

Amicorum Tiberij cædes.

† Hęc verba tribuunt Cic. & Val. Max. Lęlio.

C. Gracchi vxor Licinia.

Nasica in Asiam proficiscitur, libera accepta legatione, vt populi Romani declinaret vltionem.

de causis vel impensiùs dilexisse, nihil propius factum sit, quàm vt excideret & deijceretur eius beneuolentia: quòd ad Numantiam primùm nunciato Tiberij exitu exclamasset Homericum illud:

Odyss. lib. 1.

Sic pereat, quisquis designet talia facta.

Scipionis de C. Gracchi morte, sententia.

Deinde Caio & Fuluio in concione rogantibus eum, quid ei de morte Tiberij videretur: Non placere sibi respondisset, illius acta. Inde enim cōcionanti populus obstrepuit: quod antea fecerat nunquam; & ille eò est prouectus, in populum vt inueheretur. Verùm hæc in Scipionis vita singulatim retulimus.

C. Gracchi mores.

C. Gracchi eloquentia.

C. Gracchus initiò siue metu inimicorum, siue inuidiæ illis conflandæ gratia reliquit forum, & domi in ocio vitam egit: sicut qui & in præsenti abiectus sit, & deinceps ita in tranquillitate victurus: vt etiam in sermonem quibusdam venerit improbare & detestari eum fratris actiones. Erat verò admodum tunc adolescens, siquidē ætate nouem annis fratre erat minor: ille nondum annos natus triginta occubuit. At temporis progressu cùm mores eius sensim eluxerunt à socordia, mollicia, vino, & quæstu remoti: tum dicendi facultatem sicut alas ad rempubl. concinnauit, tum verò significauit non quieturum se. Atque cùm amici cuiusdam Vestij rei causam defenderet, populo præ gaudio lymphato & bacchante, cùm eum audiret, ostendit cæteros oratores nihilo pueris præstare. Hîc offusus iterum primoribus pauor est, multumq́; inter se consultabant, ne ad tribunatum permitterent Caium aspirare.

C. Gracchus quæstor in Sardinia.

Euenit autem forte fortuna, vt quæsturam in Sardinia cum Oreste consule sortiretur. quæ res læta fuit inimicis Caij, sed nihil eum torsit. Nam qui vir militaris esset, & haud secus in armis quàm litibus exercitatus, rempubl. autem etiam tum rostraq́; horreret, neq; vocanti obluctari populo & amicis valeret: omnino illam peregrinationem boni consuluit. Et quidem obtinet crebra fama impotentem eum populi ducem, & longè Tiberio ad auram popularem captandam fuisse acriorem. Cæterùm non ita se res habet. Imo apparet inuitum potiùs hunc incidisse in reip. tractationem quàm consilio. siquidem Cicero orator est author omnem honorem declinanti Caio vitamq́; sectanti ociosam oblatū in somnio fratrem hisce eum appellasse verbis: Quid cunctaris Cai? nullum patet effugium: sed eadem vtriq; nostrum vita, idem exitus pro populo agentibus in fatis est.

C. Gracchi somnium.

Caius igitur dedit in Sardinia omnis specimen virtutis, multoq; omnem iuuentutem audacia aduersus hostes & iustitia aduersus pacatos colenda antecelluit, etiam beneuolentia & reuerentia erga ducem: temperantia verò, frugalitate, industria præfulsit vel natu maioribus. Cùm verò atrox simul & insalubris hyems occurrisset in Sardinia, vestemq́; imperator in exercitum ciuitatibus imperaret: miserunt Romam id deprecatum. quorum accepta à senatu excusatione, iussoq́; duce aliunde vestitum militibus parare: cùm cōsilio ille deficeretur, & affligerentur milites: adijt Caius ciuitates induxitq́;, vt sua sponte mitterent vestem & Romanis opitularentur. Hæc iterum Romam perlata, visaq́; plebis illiciendæ præludia esse, terrorem iniecerunt patribus. Hi primùm missos ex Africa à rege Micippa legatos, qui ostenderunt in gratiam Caij regem imperatori in Sardiniam frumentum misisse, offensi reiecerunt legatos. Deinde senatusconsultum fecerunt, vt militibus succederetur: Orestes autem permaneret ibi, quò Caius quoq; ob quæsturam ibidem remaneret.

C. Gracchi reditus ex Sardinia.

Quod ei cùm oblatum esset, extemplò ira frendens decessit, ac Romæ nec opinantibus conspectus non ab iniquis modò est reprehensus, sed plebi etiam visum inusitatum ante consulem decedere quæstorem. Verumtamen cùm dies ei dicta apud censores esset, postulata audientia, ita animos vertit auditorum, vt cum ea discederent opinione, eum quam maximè læsum fuisse. Stipendia enim se demonstrauit duodecim fecisse, cùm alij cogerentur facere decem: quæstorem apud imperatorem triennium permansisse, cùm lege sibi reuerti exacto liceret anno. Solum ex militibus zonam se, quam in prouinciam plenam intulisset, exportasse inanem: cæteros exhausto, quod importauerant vino, auro & argento domum plenas amphoras retulisse. Inde alia rursus crimina & dicas ei impegerunt, solicitasse eum socios, coniurationis Fregellanæ quæ fuerat detecta, conscium fuisse. At hic omnem amolitus suspicionem, & insons compertus, euestigio intendit animum ad tribunatum plebis petendum, vniuersa eum pariter impugnante nobilitate. Cæterùm tantus cœtus in vrbem influxit ex Italia, suffragataq́; eius petitioni est, multos vt diuersoria defecerint, ex tectisq́; & fastigijs ædificiorum non capiente tantam multitudinem campo, voces eorum resonarent.

C. Gracchus tribunus plebis creatur.

Tantum tamen expresserunt populo principes, & spei detraxerunt Caij: quòd non pro expectatione sua primus, sed renunciatus

fuerit

fuerit quartus. At inito magistratu, mox omnium fuit primus: quòd tum facundia, vt nemo alius, polleret, tum quia calamitas amplum libere dicendi campum suppeditabat fratrem suum deploranti. Eo enim ex omni occasione circumagebat populum, refricãs eius facinoris memoriam, attexensq; exempla maiorum: quemadmodum Faliscis arma illi ob Genutium quendam tribunum plebis conuitijs proscissum mouerint: & C. Vulturium, quòd incedenti per forum tribuno vnus via non decessisset, rei capitalis damnauerint. At vobis inspectantibus, inquit, Tiberium baculis hi conciderunt, mediamq; per vrbem raptus est ille exanimis ex Capitolio, vt in flumen proijceretur. Amicos eius, quos comprehenderunt, indefensos sustulerunt. Et quidem more maiorum, siquis rei capitalis postulatus ad iudicium nõ occurrerit, huius ad ianuam profectus manè tubicen, tuba eum citat, neq; antè ferunt sententiam iudices. Adeo religiosi & circumspecti in iudicijs fuerunt.

C. Gracchi leges.

Huiuscemodi orationibus ad motum præparato populo, (erat enim vocalissimus & firmissimis lateribus in dicendo) duas leges promulgauit: Vnam, sicui populus magistratum abrogauerit, ne aditus huic ad secundum magistratum sit: Alteram, siquis magistratus ciui indicta causa exilium irrogauerit, vt is causam dicat ad populum. Harum legum altera nõ obscurè M. Octauium notabat à Tiberio tribunatu deiectum, altera tenebatur Popilius. Hic enim in prætura sua amicos Tiberij in exilium egerat. At Popilius non expectato iudicio ex Italia solum vertit.

Cornelia Gracchorũ mater honorata à populo Rom.

Alteram legem Caius ipse antiquauit, professus matri se Corneliæ precibus dare Octauium. Id placuit populo, cõprobatumq; ab eo est: quòd Corneliam in honore haberet non minùs liberorum suorum, quàm parentis gratia. Nempe statuam æneam ei posuit postea, inscripsitq; Corneliæ matri Gracchorum. Memorantur etiam multa accersita & plebeia à Caio pro illa in quendam inimicum torta: Tu'ne Corneliam, inquit, insectaris Tiberij parentem? Quia verò infamis erat ille, quem insectabatur: quòd adolescentia eius obnoxia aliorum libidinibus fuisset: Qua fronte, inquit, tecum confers Corneliam? Peperisti verò vt illa? Atqui toto populo Romano notum est diutiùs illam, quàm te virum à viro abstinuisse. Ea erat illius in dicendo mordacitas, pariaq; ex scriptis orationibus multa licet colligere.

C. Gracchi leges.

Leges, quas pro commodo plebis & ad opprimendũ senatũ rogauit, vna fuit agraria de agro publico inopibus diuidendo: altera militaris, qua sancitum, vt vestes publicè præberentur, neq; quicquam eius nomine stipendio militum detraheretur, ac nequis minor decem & septem annis ad nomen cogeretur respondere: socialis alia, qua ius suffragij ferendi cum ciuibus dabatur Italis: alia frumentaria precium eleuans annonæ: alia iudiciaria, qua plurimùm circumcîdit opes senatus. Soli enim iudicia in potestate senatores habebãt, atq; ideo populo & ordini equestri erant formidabiles.

** Sexcentos habet epitome Liuij.*

Hic verò * trecentos equites Romanos trecentis admiscuit senatoribus, atq; iudicia hisce sexcentis communicauit. Dum hanc legem rogat, cùm in alia dicitur magnopere incubuisse, tum vbi superiores concionatores respicere ad curiam assueuerant & ad comitiũ: primus tunc foràs versus ad forum fuisse concionatus, atq; id deinceps secutus, breuiq; declinatione & circumactu corporis magnam rem mouisse, ac rempubl. quasi ab optimatibus ad arbitrium transtulisse populi: tanquàm plebem spectare concionatores, non senatum deberent.

C. Gracchi potentia.

Vt verò non modò hanc legem sciuit populus, sed & iudices illi deligere ex equitibus permisit: potestatem obtinuit regiam quandam, adeo vt senatus quoq; reciperet eius consilia. Consultor semper erat & author rei alicuius, quæ eum ordinem decebat. Cuiuscemodi fuit decretum de frumento ex Hispania à Fabio proprætore misso moderatissimum & laudatissimum. Suasit Caius senatui, vt distracto frumento remitteret ciuitatibus precium, Fabiumq; insuper castigaret: quòd inuidiosum & intolerãdum redderet prouincialibus imperium, quæ res ei in prouincijs magnam parauit cum beneuolentia laudem.

Aliæ C. Gracchi leges.

Ad hæc leges tulit de colonijs deducendis, de vijs muniendis, de ædificandis horreis. His muneribus omnibus rectorem se & dispensatorem præfecit, nihil in tot tantisq; fatiscens negocijs. Imò incredibili celeritate & labore, quasi singulis tantùm incumberet, consummauit instituta opera: vt etiam illi, qui impensè oderant & timebant eum, obstupescerent expeditam vbiq; eius atq; efficacem industriam. Plebs verò etiam ipsum mirabatur conspectum eius, cùm assectari eum cõspicerent cateruam operariorum, artificum, legatorum, magistratuum, militum, doctorum hominum: quibus omnibus placidum aditum præbens, atq; in humanitate tuens grauitatem, accommodansq; se ad id, quod cuiq; propriè conueniret: effecit, vt graues calumniatores haberentur, qui trucem ipsum aut omninò morosum dicebant aut præfractum. Adeò ha-

bebat excitatiorem in consuetudine & actionibus quàm in cōcionibus popularitatem. Elaborauit autem potissimùm in vijs muniendis, tam vtilitatis quàm oblectamenti & ornatus curam gerens. Ducebantur enim directæ ad amussim per agros viæ: atque hinc lapide quadrato sternebantur, hinc glareæ aggeribus aduectis refericiebantur. Complebat & pontibus iungebat lacunas torrentibus vel specubus excauatas: a lateribus pari inter se fastigio vtrinque comparatis æquabilem habebat & visendam vndique opus faciem. Adhæc viam omnem per milliaria dimensus (capit autem paulo minus octo stadia milliare) columnas lapideas spacij signandi gratia locauit. Alios lapides modicis inter se interuallis hinc inde secundum viam disposuit: quibus equitantes sine subijcibus ephipparijs conscenderent commodiùs equos. Has ob res populo eum in cœlum laudibus ferente, & nihil non eius studio facere parato, iecit aliquando in concione gratiam se petiturum. quam si esset adeptus, instar se habiturum omnium: sin tulisset repulsam, nihil de illis conquesturum. Id dictum petitio visum consulatus esse: atque opinionem omnibus præbuit pariter se consulatum & tribunatum petiturum. Instantibus comitijs consularibus omnibusq; suspensis prodijt Caius ad Fannium in campum deducendum, atque ad iuuandum studio suo cum amicis illius petitionem. Momentum hoc Fannio non exiguum attulit: qui consul, & Caius iterum tribunus plebis renunciatus est, non candidatus neq; ambiens, verùm populi studio. Cùm verò senatum non obscurè infestum cerneret sibi, frigida autem in se beneuolentia Fannium: instituit alijs de integro legibus deuincire sibi plebem, legem promulgans de colonijs Tarentum & Capuam deducendis, & de asciscendis in ciuitatem Latinis. At senatus veritus, ne prorsus euaderet insuperabilis: viam ad multitudinem auertendam molitus est nouam & insolitam, malo exemplo blandimentis erga populum cum Caio & obsequijs certans. Erat enim ex collegis Caij vnus Liuius Drusus, vir neque indole vlli Romano neque tyrocinio secundus, adhæc eloquentia & diuitijs inter primos celebris atque pollentibus horum præsidio par. Ad hunc igitur vertunt se primores, hortanturq;: vt Caium adoriatur, atque in eum conspiret secum, non vi agendo neque incurrendo in plebem, sed mulcendo in magistratu concedendoq; tanta, quorum causa vel lacessenda esset honestè. Itaque tribunatum suum Liuius ad senatus voluntatem aggregans leges promulgauit, non vllam in rem honestam aut frugiferam, sed id modò, superare Caium sicut in concordia blandimentis & popularitate enitens & certans. quo apertissimè declarauit senatus non actionibus offendi se Caij, sed illum ipsum tollere aut conculcare modis omnibus in animo habere. Huic enim de duabus promulganti colonijs deducendis rogationē & honestissimos ciues in eas scribenti, lenocinari eum multitudini obijciebant: Liuio de duodecim colonijs deducendis legem ferenti & de ternis millibus in singulas inopum scribendis erant auxilio. Illi, quòd agrum partiretur pauperibus indicta singulis pensione, quam inferrent ærario, succensebant vt plebis assentatori: Liuius, qui etiam pensione hac agrorum possessores leuabat, erat ijs probatus. Adhæc ille, quòd Latinis suffragij ferendi ius faceret, cruciabat eos: huius, ne quem Latinum militem virgis mulctare duci liceret, ferentis legi præstò erant. Et quidem Liuius ipse in concionando assiduè iactabat hæc ferre se ex senatus de plebe soliciti sententia: quod sanè in actionibus eius vnum extitit vtile. Placatior enim euasit erga senatum populus: qui cùm principes antè suspectos & inuisos habuisset, diluit & molliuit hanc simultatē & iram Liuius: ostendens auspicari se illis authoribus popularis esse & plebi indulgere. Summam verò sibi Drusus beneuolentiæ in populum & iustitiæ fidem eo quæsiuit, quòd nihil sibi aut in vsum suum videretur promulgare. etenim triumuiros deducendis colonijs misit alios, neque ad pecuniam tractandam accessit: cùm eiusce modi munera pleraque & maxima sibi quæreret Caius. Vt verò vnus ex collegio eorum Rubrius rogationem tulit de colonia Carthaginem ab Scipione excisam deducenda, Caius autem id muneris sortitus eò nauigauit: absentem Drusus adortus acriùs populum subijt conciliauitq; Fuluium calumniando. Fuluius hic Caij erat familiaris & collega in triumuiratu agri diuidendi creatus, homo seditiosus & senatui palàm inuisus, suspectus etiam alijs bellum sociale mouere, Italosq; in occulto solicitare ad rebellandum. Quæ cùm sine vllo indicio vel argumento iactarentur, ea ipse confirmabat Fuluius: quòd parum sana & quieta cōsilia ostenderet se habere. Id Caiū imprimis euertit huiusce participem inuidiæ. Ac cùm Scipio Africanus nulla liquida de causa decessisset, atque notę in cadauere plagarum impressionisq; elucerent, vt in illius historia retulimus: calumnia magna ex parte in Fuluiū recidit

Milliare Romanum viij. capit stadia.

stapedes

C. Gracchus iterum tribunus plebis.

C. Graccho restitit Liuius Drusus.

Liuij Drusi leges.

Liuius Drusus placat populū Rom. senatui.

Fuluius Caij collega homo seditiosus.

Scipionis Africani minoris mors.

recidit eius hostem, qui eodem die Scipionem pro rostris prosciderat conuitijs. Neque verò exors Caius suspicionis fuit. Facinus autem adeo nefandum in virum principem & summum ciuitatis conceptum impunitum mansit, neque fuit de eo acta quæstio. siquidem interpellauit & oppressit plebs cognitionem Caio metuens: ne si de cæde illius inquireretur, noxæ cōperiretur affinis. Cæterùm hæc antecessere.

Prodigia infausta Caio oblata.

Porrò in Africa cùm deduceretur Carthaginem colonia, quam Caius Iunoniam appellauit: prodigia feruntur ei diuinitùs obscœna fuisse oblata. siquidem primum signum vento rapiente & signifero summa ope renitente defractum est. Item victimas aris impositas dissipauit venti procella, & super ductorum vrbis lineamentorum terminos disiecit. Ipsos terminos irruentes lupi longè abstulere. At tamen omnibus digestis & compositis diebus non amplius septuaginta regressus Caius est Romam, cùm premi à Druso Fuluium accepisset, atque ipsæ res præsentiam suam requirerent.

L. Opimij repulsa.

quippe L. Opimius vir de principum factione & magnis in curia opibus antè consulatus candidatus, quòd Caius Fannium cōmendaret, illumque factione sua deijceret, repulsam tulerat. Hic tunc multorum opibus nixus consulatū sibi spondebat, & in consulatu Caium putabatur obtriturus flaccescente iam quodammodo eius potentia: & quia, cùm multi se populo venditarent, & senatus vltrò ista concederet: satietas ceperat populum eiuscemodi actionum. Reuersus primùm ex Palatio demigrauit sub forum velut locum magis popularem, vbi frequentissimi abiecti & pauperes domicilia habebant. Deinde reliquas promulgauit leges missurus de ijs populum in suffragia. Cùm turba vndequaque conflueret ad eum: induxit senatus consulem Fannium, vt præter ciues Romanos cæteros vrbe summoueret omnes. Edicto nouo & inusitato proposito, ne quis sociorum vel amicorum illis diebus Romæ esset: proposuit ex aduerso edictum Caius incusans consulem: socijsque, si remanerent, auxilio se futurum ostendens. Haud tulit tamen eis opem. verùm cùm vnus ex hospitibus & familiaribus ipsius sub oculis suis raperetur à lictoribus Fannij, præterijt neque subuenit ei: vel quòd vim suam prodere vereretur iam elanguescentem, vel ne certaminis, vti ferebat ipse, & cōflictus exordium affectantibus inimicis præberet.

C. Gracchus offendit collegas.

Accessit fortè, quòd offensio illi cum collegis intercederet ex causa huiuscemodi: Ludi gladiatorij populo in foro exhibendi erant: & plerique eorum, qui magistratibus fungebantur, cuneos in orbem ad spectandum instruxerant, quos locabant. Eos Caius imperauit illis, vt tollerent, quò inopes ex cauea spectare gratis valerent. Nemine ei auscultante præstolatus noctem, cui spectaculum illucescebat, euertit per opifices, quos habebat penes se conductos, cuneos illos, populoque postridiè locum vacuum exhibuit. Quo facto apud multitudinē magni vir animi habitus est, verùm collegas offendit vt ferox & violentus.

C. Gracchi repulsa tertij tribunatus.

Hinc etiam tertio tribunatu lapsum apparet: non quin plurima tulerit suffragia, sed quòd improbè & fraudulenter renunciauerint designatos collegæ eius. Cæterùm ea cōtrouersa fuerunt. Non tulit modicè repulsam, & ad illudentes ei æmulos perhibetur insolentius quàm par erat dixisse: Risum Sardonium eos ridere ignaros, quantas eis tenebras actionibus suis offudisset. Vt verò Opimio lecto consule multas Caij leges circumduxerūt & Carthagine acta mouerunt stimulantes eum: quò, cùm causam iræ præbuisset, interficeretur: tolerauit id aliquandiu. Cæterùm quia ab amicis fuit præcipuè à Fuluio accensus, aggressus denuò est præsidium aduersus consulem contrahere. Hic matrem quoque eius ferunt sociam se præbuisse seditionis, peregrinos clàm conducendo atque in vrbem messorum specie mittendo. Hæc enim in epistolis eius perplexè sunt ad filium scripta. Alij Cornelia admodum improbante hæc asserunt ab eo patrata.

C. Gracchi & senatus seditio.

Ergo qua die leges eius Opimius antiquaturus erat, vtraque pars insederat prima luce Capitolium. Cùm rem diuinam consul faceret, vnus ex lictoribus eius † Q. Antyllius auferens aliò exta ad Fuluij cohortem ait: Date locum bonis improbi ciues. Sunt, qui ferant simul cum voce hac etiam nudum brachium tanquam ad contumeliam compositum traiecisse.

† Attilius, fortasse.

Antyllius C. Gracchi lictor confoditur.

Ibi e uestigio confoditur Antyllius longis stylis fodicatus ad id ipsum, vt aiunt, paratis. Hæc cædes multitudinem consternauit. Duces verò diuersè fuerunt animati. Excanduit enim Caius & castigauit suos, quòd colorem quærentibus iam pridem aduersus ipsos præbuissent aduersarijs. Opimius autem sicut ansa accepta erectus exasperauit ad sumendum supplicium populum. Ac tum quidem imbre excusso dirempti sunt. Primo mane dum senatum coactum consulit in curia consul, alij nudum Antyllij corpus in lecto prolatum transtulerunt ex composito per forum ad curiam cum gemitu & lamentatione, non nescio eorum, quæ agerentur Opimio, sed mirari se, quid id

esset fingente. Itaque patres quoque progressi sunt. Deposito in medio lecto cœperunt alij quiritari vt in horrendo & graui facinore. Compluribus verò subijt odisse & execrari istos de principum factione: quòd cùm Tiberium Gracchum in Capitolio tribunatu fungentem ipsi interemissent, & cadauer insuper proiecissent: lictor verò Antyllius fortassis violatus, sed qui mali sui fuerat potissimus author, in foro proponeretur, & senatus populi Romani circumsisteret lugens, suaq; frequentia exequias honoraret hominis mercenarij: quò residuum adhuc perimere valeret populi tutorem.

Senatusconsultum in C. Gracchum.

Regressi inde in curiam senatusconsulto facto mandant consuli Opimio, daret diligenter operam, nequid respubl. detrimenti pateretur, & opprimeret tyrannos. Ille cùm denunciasset, vt Patres ad arma irent: & equitibus edixisset, singuli vt cum luce binos seruos armis instructos adducerent: Fuluius è diuerso adornauit se & coëgit multitudinem. At Caius foro digrediens substitit ante patris statuam, diuq; eam intuitus nullum verbum fecit: tantùm lachrymis effusis atque edito gemitu abscessit.

C. Gracchum stipat plebs Romana.

Id multi spectantes misereri vicem Caij cœperunt: ac semet ipsi culpantes, quòd desererent & proderent eum, profecti sunt domum eius: vbi ad fores excubuerunt nō perinde atque illi, qui stipabant Fuluium. Illi enim per plausus & vlulatus potantes ferocientesq; transegerunt noctem. Ipse fuit primus Fuluius vino mersus, multaq; odiosè præter ætatem effudit & designauit. Caij cohors vt in publica patriæ pernicie pacata volensq; euentum vicissim excubias agendo & quiescendo noctem transmittebat. Vbi diluxit, ægrè excitauerunt sopitum mero Fuluium, armaueruntq; se spolijs, quæ domi habebat Gallis in consulatu suo deuictis detracta: magnisq; cum minis & clamore ad occupandum Auentinum contenderunt. Caius noluit arma induere, verùm sicut in forum, toga amictus progreditur, tantùm modico pugione accinxit se. Ad exeuntem accurrit apud ianuã vxor, tenensq;

C. Gracchi vxoris ad ipsum verba.

vna manu illum, altera puerum: Non ad rostra te, inquit, Cai dimitto tribunum vt antè & legislatorem, neque ad bellum gloriosum: vt mihi, siquid humanitùs tibi acciderit, honorificum certè luctum relinquas: sed Tiberij temetipsum percussoribus obijcis, inermem quidem rectè, vt accipias potius quàm feras iniuriam: verùm in nullum reipubl. vsum te is perditum.

Accipere, quàm facere præstat iniuriam.

Viget improbitas. Vis & ferrũ dominantur iam in subsellijs. Si apud Numantiã frater tuus occubuisset, cadauer petitis inducijs reddidissent nobis. Nũc forsitan & ego quoq; fluuio alicui aut mari supplex ero, vt appareat alicubi corpus tuũ detentum. Quid enim vltrà legibus post Tiberij cædem aut dijs confidas? Ita lamentante Licinia Caius sensim amplexibus eius laxatis processit tacitus cũ amicis. Illa cùm arripere togã eius anniteretur, humi delapsa diu sine vlla voce iacuit: quoad animo defectam sustulerunt serui & ad Crassum fratrem deportauerunt.

Fuluius mittit filium ad consulem, cum caduceo, de pace.

At Fuluius, vbi frequentes conuenerunt, filium minorem de Caij consilio mittit cum caduceo in forum. Erat adolescens facie elegantissima, & tunc vultu modesto atq; cum rubore lachrymabundus de pace cum consule & senatu egit. Magna pars assistentium non abhorrebant à pacificatione. Verùm Opimius: Non per nuncios, inquit, oportebat eos senatui satisfacere, sed descendere vt ciues sontes ad causam dicẽdam, permittentesq; se ei ita deprecari pœnam. Adolescenti verò edixit, vt nisi his conditionibus ne rediret. Caius autem fuit, vti fama est, paratus ire & purgare apud senatum se. Sed cùm id nemo aliorum permitteret, misit filium Fuluius iterum ad agendum pro ipsis sicut antè. At Opimius, qui cupiebat pugnam committere, iniecit extemplò adolescẽti manus tradiditq; eum in custodiam. In Fuluij cohortem fecit impressionem cum multis peditibus & sagittarijs Cretensibus: qui potissimùm missilibus petentes aduersarios conuulnerantesq; dissipauerunt eos.

Fuluius cum filio maiore occiditur.

Data fuga, Fuluius in balneum contemptum confugit. Mox extractus inde cum filio natu maiore, obtruncatus est.

C. Gracchi fuga.

** Val. Max. habet Lectorio.*

C. Gracchi preces ad Dianam. Val. Max. lib. 4. cap. 7.

Caius verò à nemine præliari conspectus est, verùm ista fieri dolens recepit se in ædem Dianæ. Illic cùm manus inferre sibi conaretur, à fidissimis amicis Pomponio & * Licinio est interpellatus. Hi enim præsentes gladium ei abstulerunt, perpuleruntq; eum ad fugam capessendam. Ibi dicitur positis genibus tensisq; ad Deam manibus populo Romano imprecatus, vt ista pro ingratitudine & proditione perpetua seruitute premeretur. Fecerunt enim propalàm plerique pronunciata per præconem impunitate transitionem. Igitur in Caium fugam capessentem inferẽtibus se hostibus & assecutis eum ad Pontem Sublicium duo illi amici hortati sunt eum, vt iter antè caperet. Ipsi sustinuerunt instantes, dimicantesq; pro Ponte nemini, quoad occubuerunt, viam dedere. Comitem fugæ Caius vnum habuit seruum Philocratem nomine. Adhortabantur quidem eum vt in certamine omnes, sed subueniebat

nemo,

nemo, neque subministrare petenti quisquam animum induxit equum. quippe inhærebant tergo illi, qui eum persequebantur. Occupauit autem aliquantisper in lucum Furinæ confugere. Ibi obtruncatur à Philocrate. qui postquàm illum interemit, mox super eum traiecit semetipsum. Vt verò alij tradũt, ab hostibus ambo viui comprehensi fuere. cæterùm cùm dominum seruus complecteretur: nemo ferire illum priùs valuit, quàm hic à multis vulnera ingerentibus fuit interemptus. Caput Caij dictitant, cùm ab nescio quo præcisum & ablatum esset, huic ademisse amicum Opimij Septimuleium. siquidem pronunciatum initio pugnæ fuerat Caij & Fuluij capita referentibus præmium, vt pari auri pondere rependeretur. Relatum à Septimuleio fuit ad Opimium lancea præfixum. Stateræ allatæ impositum pependit pondo XVII. cum besse. Atque hîc quoque consceleratus Septimuleius & fraudulentus fuit. Nam exempto cerebro infuderat plumbum. Qui verò Fuluij caput attulerunt, quòd essent obscuriores, nihil accepere. Cadauera tam horum quàm aliorum, qui trucidati fuerunt tria millia, in amnem proiecta, bona eorum sub hasta vendita. Interdictus insuper coniugibus eorum luctus. Licinia Caij & dote spoliata. Adhæc necauerunt truculentissimè minorem Fuluij filium: qui non arma contrà tulerat, neque in cœtu fuerat præliantium: sed ad pacificandum venientem ante pugnam corripuerunt, & post pugnam occiderunt. Atqui supra hoc & alia omnia torsit plebem extructa ab Opimio ædes Concordię. Gloriari enim & insolescere atque triumphare quodammodo de tanta ciuium strage videbatur. Vnde inscriptioni ædis noctu attexuerunt quidam hunc versum:

C. Gracchus à seruo occiditur.

Serui Caij Gracchi fidelitas.

Fuluij minor filius interfectus.

Concordiæ ædes ab Opimio ædificata.

Actus vecors templum facit Concordiæ.

Hic potestate in consulatu est princeps dictatoria vsus, damnauitq; indicta causa præter tria millia ciuium C. Gracchum & Fuluium Flaccum: quorũ hic consularis & triumphalis, ille suorum æqualium virtute & gloria primus fuit. At Opimius non temperauit à furto se, sed legatus ad Iugurtham regem Numidiæ missus cùm esset, pecunia fuit ab eo corruptus, ac turpissimè repetundarum iudicatus in labe pudoris consenuit, inuisusq; fuit & probris agitatus à populo: qui recenti illo facto abiecto fuit & infracto animo. At breui pòst aperuit, quanto ardore & desiderio teneretur Gracchorum. siquidem simulachra eorum fecerunt, eáque in aperto proposuerunt. Loca, in quibus fuerant interempti, consecrantes primitias ibi omnium, quæ temporum articuli ferunt, libabant. Multi etiam quotidie ibi sacra faciebant & adorabant, eò sicut ad deorum templa commeantes. Iam verò etiam Cornelia perhibetur cùm alia illius cladis forti magnóque animo tulisse, tum de locis sacris, in quibus fuerunt oppressi, retulisse dignos mortuis tumulos esse. Hæc ad Misenum ætatem egit nihil conuersa pristina vita. Multorum colebatur amicitia, & ob hospitalitatem patebat mensa eius, sempérque Græcos & doctos secum habebat, atque reges omnes inuicem munera ab ea accipiebant mittebántque. Erat iucundissima hæc inuisentibus ipsam & familiaribus, dum patris vitam & instituta domestica Africani commemoraret: verùm stupendissima, dum filiorum faceret sine luctu & lachrymis mentionem: casus'que acerbos atque actus eorum quasi veterum exponeret requirentibus. Vnde amens ex senio vel ex cladium magnitudine habita quibusdam est euasisse, atque occalluisse ad sensum calamitatum: cùm reuerà illi sensum nullum habuerint, quantum ex præclara indole bonis'que natalibus & disciplina momenti ad pellendum hominibus mœrorem accedat: & quòd virtutem fortuna vsquequaque sequentem honestum sæpenumero vincat: cæterùm in cespitando qui ferat casum sapienter, id non adimat.

Opimius à Iugurtha pecunia corruptus, & condemnatus.

Gracchos quantopere populus Rom. desiderauerit.

Corneliæ Gracchorum matris magnanimitas.

Disciplinæ vis ad pellendos angores.

AGIDIS ET CLEOMENIS CVM TIB. ET C. GRACCHIS COMPARATIO.



Gracchorum ingenia.

Hydræ caput secare, prouerbium.

Gracchorum acta, nihil Romanis profuisse.

Gracchorum exitus infelix.

Gracchorum res gestæ.

HAC absoluta à nobis historia superest, vt vitas horum comtemplemur inuicem. Atque Gracchos vel mordacissimi aliàs & inimicissimi non sustinuerunt dicere, quin præclarissima omnium Romanorũ ad virtutem indole fuerint, educationemque & institutionem habuerint eximiam. Verùm apparet Agidis & Cleomenis, quàm illorum solidius ingenium fuisse: quatenus neque disciplina imbuti recta, moribusque & viuendi ratione educti, à quibus fuerant maiores natu iam pridem labefactati, duces se frugalitatis & continentiæ exhibuerunt. Adhæc superiores cùm in splendidissima & summa seueritate Roma atque in egregiorum factorum esset studio, quasi paternæ & auitæ hæreditatem virtutis erubuerunt repudiare: Hi parentibus nati diuersa sectantibus, patriamque peruersam & ægram nacti, nihil idcircò hebetauerũt ardorem ad honestum. Iam Gracchorum abstinentiæ & in pecunia temperantiæ hoc summum est, quòd ab improbis quæstibus integros se in magistratibus & republ. gerenda conseruauerunt: Agis verò etiam stomachatus esset, ideo si cõmendaretur, quòd nihil alieni cepisset: qui fortunas suas, in quibus extra facultates alias sexcenta talenta pecuniæ numeratæ fuerunt, profudit in ciues. Quantum igitur esse vitium iniquum compendium duxit, qui plus alio tenere etiam iustè habuit pro auaritia? Nouatorum tamen cœpta & ausa longè mole variauerunt. Designauerũt enim actionibus suis, Caius viarũ munitiones & coloniarũ deductiones: & quod omniũ fuit, quæ gessit Tiberius, animosissimum, quòd agrum publicũ receperit: Caius, quòd cõmiscuerit iudicia adiectis ex equestri ordine trecẽtis. At Agidis & Cleomenis nouatio pedetentim & paulatim medicinã peccatis facere caque resecare hydræ cuiusdã caput præcidentis, vt ait Plato, censens esse: eam, quæ omnia simul tollere & excindere mala valeret, vicissitudinem reipubl. inuexit. Imò veriùs dicas fortasse, eos deflectenda & trahenda in propriũ suum ordinem republ. mutationẽ omnis authorẽ prauitatis exegisse. Nam hoc quoque addas, Gracchorũ actionibus principes Romanos reluctatos. Quæ verò instituit Agis, & Cleomenes consummauit: hæc pulcherrimo & præclarissimo exemplo fulciebant antiquis retris de frugalitate & exæquatiõe bonorũ: quarũ partim Lycurgus, Apollo partim fuit author. Quod verò maximũ est, ex illorum actis nihilo Roma plus, quàm haberet, accepit incremẽti: cùm ex actis Cleomenis exiguo tempore dominã Spartam Peloponnesi cõspexerit Græcia, & cum illius æui potentissimis de imperio certantẽ. cuius certaminis erat finis, vt soluta Illyricis & Gallicis armis denuò ab Herculis progenie ordinaretur Græcia. Fata etiam horũ virorũ mea sententia aliquod discrimen virtutis prodũt. Illi enim cum ciuibus suis cõfligentes, denique in fuga occubuerũt. Horũ Agis, ne vllũ perimeret ciuẽ, sponte penè occidit: Cleomenes violatus & lacessitus iniuria resurrexit in vltionẽ. Verùm defectus opportunitate semet ipse fortiter peremit. Rursus si ex altera parte perpendas, nullum Agis edidit ducis factũ, sed præuentus fuit nece. Cleomenis verò trophæis crebris & splendidis Tiberij opponas muri Carthaginensis occupationem facinus nõ vulgare, & pacẽ Numantinã: qua militũ Romanorũ viginti millia spẽ omnẽ salutis aliã desspondentium cõseruauit. & Caius multa ibidẽ, multa etiã in Sardinia miles virtutis opera edidit: vt primis Romanis ducibus, nisi occupati fato forẽt, fuerint cõferendi. Rempubl. Agis domi videtur molliùs tractasse, quòd abreptus à cursu fuerit per Agesilaum, & in lege agraria ciues fefellerit, atque in summa rudia mutilaque cœpta sua ac pollicitationes ex timiditate ob ætatẽ reliquerit: Cleomenes contrà est ad rempubl. mouendam progressus ferociùs & violentiùs. Occidit enim per nefas ephoros, quos adiungere armis præualenti atque vrbe pellere pronius erat: quomodo alios ex vrbe non paucos in exilium pepulere. Nam nisi extrema necessitate ferrum adhibere neque medicum est neque ciuile, sed imperitiæ vtrobique. Huic verò adiuncta etiam cum sæuitia iniuria est. At Gracchorum sanguinem ciuilem neuter est effundere exorsus. Caium verò nec telis petitum memorant ad vindictam se conuertisse: verùm fortissimum aduersus hostes fuisse, in seditione ignauissimum. quippe processit domo inermis, & inter pugnandum recepit se: & breui plus'ne quàm inferret, quàm ne acciperet iniuriam, conspicitur consuluisse. Itaque fuga eorum non pauoris, sed est cautionis statuenda indicium. Cedere enim impressionem facientibus:

cientibus: aut ſi manerent, ne violarentur, manu oportebat ſe protegere. Porrò peccatorum Tiberij maximum eſt, quòd exuit collegam tribunatu, & ſecundum tribunatum ipſe ambiuit. Caio necem Antyllij inuſſerũt immeritò & falſò. Nam inuito eo & ægrè ferente confoſſus fuit. At Cleomenes, vt necem prætereamus ephororum, omnia ſeruitia libertate donauit. Regnauit re ſolus, nomine alter: quòd fratrem Euclidam ex eadem domo ſibi allegiſſet. Archidamum verò, ad quem ſpectabat ex altera familia regnum, perpulit domum ex Meſſene redire. cuius quia cædem occiſi non eſt perſecutus, crimẽ aduerſus ſe confirmauit cædis. Et quidem, quem æmulari prætexebat, regnum Lycurgus fratris filio Charilao vltrò reddidit: timensq́;, ne ſi deceſſiſſet vel caſu alio adoleſcens, attingeret ipſum ſuſpicio, diu peregrè palatus eſt, neq; antè regreſſus domum, quàm filius Charilao regni ſucceſſor fuit natus. Cæterùm cum Lycurgo quidem nec alius ſit quiſquam Græcorum contendendus. Cleomenis verò acta maiores nouationes & iniquitates demonſtrauimus habuiſſe. Iam verò qui mores eorum perſtringũt, his à primo tyrannicos & bellaces notãt fuiſſe, & illis ingenia immodica prædita ambitione. Præterea, quod inſectarentur, habebant æmuli nihil. Verùm excitatos eos certamine cum aduerſarijs contractо & ira præter ipſorum naturam quaſi ventis ſe in actionibus ſuis extremis fatebantur permiſiſſe. Quando inſtituto quidem horum primo quid honeſtius erat aut iuſtius? niſi vi & factione adorti legem diuites antiquare, in certamina vtrunq; conieciſſent: Tiberium, quia ſibi metuebat: alterum, dum necem fratris vlciſcitur ſine iudicio vel vllo decreto necati. Ex antedictis igitur animaduertas ipſe horum diſparitatem. Quòd ſi etiam pronunciandum ſigillatim eſt: Tiberium ſtatuo virtute omnibus his præſtitiſſe, minùs cæteris adoleſcentem peccaſſe Agim, rebus geſtis atq; audacia non paulò Caium Cleomeni poſtferendum.

Gracchorũ peccata.

Gracchorum mores.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO PRINCIPI, DOMINO FRIDERICO COMITI

Palatino, ſacri Rom. imperij architriclino & principi Electori, duci Bauariæ, &c. Principi ſuo clementiſsimo Hermannus Cruſerius S. D.



EMORANDVM eſt Illuſtriſsime princeps Elector Auguſti ſummi & prudentiſsimi imperatoris dictum: qui cùm audiſſet Magnum Alexandrum annos natum triginta duos, poſteaquàm pleraſque mundi regiones expeditionibus peragraſſet, dubitaſſe quid in reliquum vitæ tempus eſſet acturus: demirari aut ſe, ſi Alexander non iudicaſſet maius opus eſſe bene gubernare partum imperium, quàm multas prouincias ſubiugaſſe & amplam ditionem comparaſſe. Rectè ille quidem pro ſumma ſua prudentia notauit non Alexandri modò, verùm etiam multorum principum aliorum vel eorum, qui haberi præcellentiſsimi volũt, inexplebilem ambitionem: qui nullam aliam exiſtimant rege vel principe dignam functionẽ, quàm proferre ditionis terminos: cùm multò ſit tum ſplendidius, tum laborioſius, maioriſq́; ingenij regnum, quod delatum eſt, rectis legibus ſanctiſq́; moribus exornare, quàm per arma regnum cumulare regno. Nam iuuenis ille Allexander quamuis & altiſsima natus indole, & à præceptore Ariſtotele primo philoſophorum inſtitutus fuit diligentiſsimè, quid ab initio regno egit aliud, quàm vt princeps latronum orbem circumcurſaret, ſibiq́; & omnibus mortalibus infinitos labores moleſtiaſq́; crearet? qui, cùm quem ad finem dirigeret actiones ſuas, non haberet: ſed ebrioſorum modo, qui, quò plus potauerunt, eò ſitiunt magis, eſtq́; ijs ſtimulus potandi potus: quò plures ſubiugauerat prouincias & domuerat gentes, eò pluribus inhiabat: in eo ſplendorem gloriæ & beatitudinem ponens, ſi quàm plurimum profudiſſet ſanguinis, atq; orbem terræ euertiſſet. Itaq; non contentus latiſsimum imperium calcaſſe Perſarum, incurſauit Scythas, Bactros & Indos, progreſſurus vltrà, neque ſi per exercitum ſuum licuiſſet, conquieturus vſquam. Longè Auguſtus ſapientius & laudatius, armis ſublatis ciuilibus cùm principatum ſibi vrbis Romæ paraſſet, id ſibi primum putauit faciundum, vt Spartam, quam nactus erat, eam exornaret. Quare in id incubuit, vt pacem cum vicinis firmaret, atq; ita remp. inteſtinis laſſam bellis ocio & præclaris legibus foueret conſtitueretq́;, ac de popularibus ſuis bene mereretur. Fuit ergo eius diuturnũ imperium & firmum, temporarium vel momentaneum atq; volucre Alexandri: quod ne ad liberos quidem eius peruenit, ſed mox diuulſum eſt & dilaceratum. nempe caruit vinculis & pignoribus, quibus regnum ſuis firmare debuerat ſanctis legibus & diſciplina. Hæc mihi ad Excellentiam tuam Illuſtriſsime

Princeps præfari succurrerunt in vitam Pyrrhi & C. Marij: qui summi fuerunt bellatores, & faciliùs subigere noua, quàm norant tueri quæsita. Ita dum aliam ex alia spem sectantur, exciderunt etiam certis. Debent autem horum moueri calamitatibus principes, aliquem vt modum imponant cupiditatibus suis: ijsq; tandem, quæ concupierunt & adepti sunt, fruantur ac sint contenti rebus suis: quæ certißima est hîc sub sole beatitudo. Quod enim spectant, vt queant lætam vitã transigere atq; abundare: id assequuntur nunquàm: sed sordent eis res amplißimæ suæ, inhiant autem alienis. quas vt obtineant, incerta spe profundunt opes, vilem ducunt multorum sanguinem mortalium, orbem totum conturbant, seq; tandem cõficiunt & reddunt inanes. Hæc infestat ferè summos principes pestis, cogitq; eos, qui imperare deberent alijs, scelestißimis hominibus inseruire proditoribus & peßimarum artium magistris. Neque mihi necesse est nostri æui exempla commemorare. Sunt ea recentia & omnium oculis adhuc obuersantur. Nec latet etiam quenquam, quantum impegerint quidam, & quàm fœdè lapsi sint. Non hæc scribo, quòd pertinere ea putem ad Excellentiam tuam, cuius mihi à multis probatus & celebratus est moderatißimus animus: sed quò oculis tuis opponerem, tuq; cernere quasi in speculo in hoc pari queas, quàm tetra res & quàm detestabilis, quàm etiam ipsis pestifera, qui ea sunt implicati, sit infrænata cupiditas: vt tantò magis bonum, quod sectatus es, amplectaris. Hanc partem laborum meorum, quos posui in vitis Plutarchi conuertendis, tibi dicare Excelletißime Princeps Elector volui, vel ob arctam familiaritatem cum illustrißimo Principe meo Duce Iuliacensi tuam, vel quòd ab hac insana cupiditate aut furore potiùs, sis quàm remotißimus, atq; ideo summis laudibus vbiq; extollendus. Vt autem hunc meum animum atq; has meas vigilias benigno tuo animo excipias, id vnicè rogo. Vale illustrißime Princeps Elector.

Pyrrhus.

Pyrrhi genus, et regni Epirotici origo.



REGNVM Thesprotorum & Molossorum tradunt principem à diluuio tenuisse Phaëtontem: qui inter illos fuit, qui cum Pelasgo in Epirum commeauerunt. Quidam Deucalionem & Pyrrham templo apud Dodonam constructo ibi consedisse in Molossis. Postmodum Neoptolemus Achillis filius populum eam in oram deduxit, eamq; ipse coluit, atq; succesionem à se regum, quos Pyrrhidas appellauerunt, reliquit. Hic etenim puerili cognomine dictus Pyrrhus fuerat: ac liberorum, quos ex † Lanassa habuit Cleodis Hylli filij gnata, vnum vocauit Pyrrhũ. Inde Achilli honores in Epiro diuini fuerunt, ac voce vernacula Aspetum dixere. Infra primos cùm intermedij reges efferati essent, opibusq; & factis obscuriores, Tharytam scribunt primum, qui moribus Græcis, literis, & legibus humanis ciuitates tinxit, celebrẽ euasisse. Tharytæ Alcetas filius fuit, Alcetæ Arybas, Arybæ & Troiadis Aeacides. Hic in matrimonio habuit Menonis Thessali filiam Phthiam clari bello Lamiaco viri summæq; inter socios secũdũ Leosthenem dignitatis. Ex Phthia nati Aeacidi sunt Deidamia & Troias, præterea filius Pyrrhus. Aeacide verò per seditionem exacto Molossi asciuerunt Neoptolemi filios. quare amici Aeacidis, quos occupauerũt, interfecti sunt. Pyrrho etiamnũ infante, cùm inuestigaretur ab hostibus, Androclides & Angelus clàm sublato fugam arripuerunt. Trahebant secum paucos seruos & mulierculas pueri nutrices. Vnde difficiliore fuga & retardata cùm instarent hostes, puerum Androclioni, Hippiæ, & Neandro tradunt fidis iuuenibus & valentibus: iubentq;, quantum posint, accelerent fugam, Megaraq; oppidum Macedoniæ teneant. Inde qua precibus qua vi illos, qui insectabantur, in diei serũ morati sunt. Quibus ægrè reiectis secuti sunt eos, qui Pyrrhum ferebant. Sub solis occasum quæ in manibus erat, spes elapsa eis repentè est: vbi ad amnem, qui oppidum præfluit, peruenerunt aspectu horrendum & rapidum, atque tentantibus vadum nulla ratione permeabilem. Largam enim & turbidam voluebat ex imbribus aquam, & omnia reddebat nox terribiliora. Diffisi igitur solos se transportare puerum & nutrices pueri posse, cùm incolas aliquot animaduertissent in vlteriori ripa stare, orauerunt hos, vt ad traijciendum opitularẽtur sibi, Pyrrhumq; ijs cũ clamoribus & supplicibus precibus ostenderunt. At illi ob vndarum asperitatem & strepitum non exaudiebant: sed dum hi clamant, illi nihil intelligũt, mora interposita est: quousq; vni venit in mentem, vt detractæ quercus cortici inscriberet fibula literas, quibus necesitatem & fortunam pueri significauit. Tum circumuolutam corticem lapidi, quo velut ia-

† Anassa, est apud Iustinum lib. 17.

Achilles Aspetus, id est, Magnus, appellatus.

De bello Lamiaco Diod. lib. 18.

Pyrrhus quemadmodum seruatus puer fuit.

ctus

ctus libramento vsus est, misit in ripam vlteriorem. Alij ferunt eum tragulæ alligatam corticem iecisse. Illis lectis literis, qui trans fluuium erant, præcipitem temporis punctum intelligentes, cæsis lignis & rate facta transmiserunt. Ac fortè qui primus traiecit Achilles nomine, accepit Pyrrhum. Cæteros alij alios, vt quisque cuique occurrit, transuexere. Ita cùm emersissent incolumes euitato periculo insequentium, in Illyricum contulerunt se ad regem † Glauciam. quem vbi domi reperissent cum vxore sedentem, deposuerunt puerum in medio humi. Ille quòd Cassandrum in animo timeret inimicum Aeacidis, diu deliberabundus conticuit. Interea spontè Pyrrhus arrepens, cùm apprehenso manibus pallio ad genua se Glauciæ sustulisset in pedes, risum primùm, deinde quòd suppliciter precantem & lachrymantem repræsentaret, commiserationem mouit. Alij authores sunt non summisisse Glauciæ se ad genua, sed tacta Deûm ara manibusq; ei iniectis humo se erexisse, eamq; rem visam Glauciæ diuinam. Quare tradidit confestim vxori suæ Pyrrhũ, præcipitq; vt vnà cum liberis suis educaretur: & breui pòst deposcentibus hostibus, Cassandro etiam ducenta talenta promittenti nõ dedidit eum. verùm vt annum duodecimum excessit, deduxit cum exercitu eum in Epirum & constituit regem.

† Iustinus appellat Glaucũ. Vide Pauſ. in Atticis.

Prætulit Pyrrhus vultu truciore quàm augustiore maiestatẽ regiam. Dentes non habuit discretos, sed erat superiore gingiua perpetuum os distinctum quasi lineis, quibus designabatur dẽtium interpunctio. Lienosis existimabatur opitulari, cùm gallum gallinaceum album immolans supinis iacentibus lienem pede dextero premeret leniter. Neque erat adeo pauper quisquam aut abiectus, cui petenti denegaret curationem. Peracto sacrificio gallum accipiebat, eratq; hoc præmij ei gratissimum. Illius pedis fertur pollex fuisse diuina virtute præditus. Ac cremato post fata eius reliquo corpore, repertus inuiolatus est & intactus ab igne. Verùm hæc infrà.

Pyrrhi vultus, & dentes.

Pyrrhus medebatur lienosis.

Cùm annum septimumdecimum attigisset, & regnum suum arbitraretur stabile: euenit ei certa peregrinatio. Vnus enim ex Glauciæ filijs, in quorum contubernio creuerat, vxórem ducebat. Hic iterum inita Molossi conspiratione expulerunt amicos Pyrrhi, eiusq; pecuniam diripuerunt, & permiserunt se Neoptolemo. Exutus ad hunc modum Pyrrhus regno, atque vndequaque destitutus, ad Antigoni filium aggregauit se Demetrium, qui sororem suam Deidamiam in matrimonio habebat, quam puellam adhuc Alexandri Roxanes filij vxorem dicebant. Quorum rebus afflictis iam viro maturam iunxit sibi nuptijs Demetrius. Ac magno illi prælio, quod ad ipsum omnes reges orbis commiserunt, interfuit partes secutus Demetrij: fugauitq; eos, quos habebat oppositos, atque emicuit inter prælíantes virtus eius. Nec fractum deseruit Demetrium, sed creditas sibi Græciæ vrbes continuit in fide, & pace cum Ptolemæo patrata obses in Aegyptum nauigauit. Ibi Ptolemæo dedit in venationibus & exercitationibus roboris & patientiæ laboris specimen. Berenicen autem cùm aduerteret plurimùm pollere, atque inter Ptolemæi vxores virtute & prudentia anteire, obseruauit eam præcipuè. Cumq; mirè calleret, vbi ex vsu esset, subire præcellentiores, vt erat abiectiorum fastidiẽs, præterea modestus esset & temperans in victu: ex multis principibus iuuenibus prælatus est, qui vxorẽ duceret ex filiabus Berenices Antigonẽ: quam susceperat prius, quàm cũ Ptolemæo esset in matrimonio, ex Philippo. Post has nuptias clarior iam, cùm etiã bona in eum vxor esset Antigone: perfecit, vt cum pecunia & copijs ad regnũ mitteretur in Epirum. Neq; ingratus multitudini fuit aduentus eius ob Neoptolemi odium acerbè & violenter dominantis. At tamẽ ne ad quẽ Neoptolemus regum aliorum recurreret, veritus fœdus cum eo & amicitiam communicato inijt regno. Cæterùm procedente tempore fuerunt, qui occultè incenderent eos, mutuasq; inter ipsos sererent suspiciones. quæ tamen præcipuè Pyrrhum commouit causa, dicitur ex huiuscemodi orta fonte: Mos erat regibus, vt in Passarone Molossorũ regione secũdum sacra Ioui Martio facta iurarent Epirotis, & eos sacramento adigerent: hi ex legũ præscripro se regnaturos, illos regnum ex præscripto legũ defensuros. Hæc acta ambobus sunt præsentibus regibus, vnaq; hi inter se fuerũt cum amicis, multaq; dona dederũt & acceperũt inuicẽ. Hic Gelon vir Neoptolemo fidus exceptũ comiter Pyrrhũ iugis duobus boum aratorũ donauit. Ea Myrtilus pocillator, qui aderat, poposcit à Pyrrho. Cùm autẽ hic denegaret illi ea & daret alteri: non fefellit Gelonẽ ægrè id Myrtilũ ferre. Igitur inuitatũ ad cœnã, & vt nonnulli aiunt, quòd formosus esset, illato temulento stupro, appellauit solicitauitq;, vt faceret cum Neoptolemo, & Pyrrhũ sustolleret veneno. Non reiecit Myrtilus attẽtantem, tanquàm cõprobaret & ei assentiretur: cæterùm indicauit rem Pyrrho, cuius iussu primariũ

Pyrrhus regno absens spoliatur.

Pyrrhi mores.

Pyrrhus ducit Antigonen.

Pyrrhus in regno restitutus.

Pyrrhus communicat cũ Neoptolemo regnũ.

pincer-

pincernam Geloni conciliauit Alexicratem quasi socium futurum consilij. Nam plures quærebat sceleris Pyrrhus indices. Ita circumscripto Gelone circumscriptus vnà Neoptolemus, atque insidias progressum habere ratus non temperauit sibi, sed lætitia gestiens detexit eas amicis, atque cùm commessaret aliquando apud sororem Cadmiam effutijt, quid pararetur, neminem ratus verba excipere. Nullus enim aderat alius, quàm Samonis, qui gregibus & armentis Neoptolemi præerat, vxor Phænarete. Ea ad parietem auersa iacebat in lecto, videbaturq; dormire. quæ cùm omnia clàm excepisset, profecta postridie ad vxorem Pyrrhi denudauit ei cuncta, quæ Neoptolemum audiuisset sorori dicentem. Ea re ad Pyrrhum delata in præsentia quidem hic quieuit: verùm in sa-

Pyrrhus occidit Neoptolemum.

crificio inuitatum ad cœnam peremit Neoptolemum, cùm primores Epirotarum sentiret sui cupidos: qui adhortabantur eum, vt explicaret se à Neoptolemo, neque portione regni defungeretur modica: sed vt ingenium sequeretur suum, & res maiores capesseret, atque oblata simul hac suspicione præuerteret opprimere Neoptolemum. Berenices autem & Ptolemæi memor natum sibi ex Antigone filium appellauit Ptolemæum: & oppidum, quod in Cherroneso Epiri condidit, Berenicidem dixit. Hinc mul-

Berenicis oppidum.

Pyrrhi prima in Macedoniam expeditio.

ta & ingentia voluens animo, excipiens autem spe potissimùm & primùm vicina, statuit imperium Macedonicum tentare ex huiuscemodi occasione: Cassandri filiorum maior Antipater matrem Thessalonicam peremit, & Alexandrum fratrem pellere instituit. Hic ad Demetrium misit petitum suppetias, simulq; Pyrrhum accersiuit. Demetriũ autem negocijs remorantibus occurrit Pyrrhus, postulauitq; mercedem auxilij Nymphæam, regionem Macedoniæ maritimam, atque ex prouincijs adiectis Ambraciam, Acarnaniam, Amphilochiam. Cedente his adolescente tenuit ea sibi & præsidijs firmauit. Reliqua, quæ detraxit Antipatro, parauit illi. At rex Lysimachus, cùm studeret Antipatro succurrere, erat implicatus ipse negocijs. Verùm quòd Pyrrhũ omnia sciret gratificaturum Ptolemæo, neq; quicquam denegaturum, misit ad eum literas adulterinas, quasi illam expeditionem peteret Ptolemæus, vt mercede accepta ab Antipatro trecen-

Lysimachi in Pyrrhum fraus.

torum talentorum omitteret. Soluta epistola, confestim odoratus Pyrrhus est Lysimachi fraudem. Neque enim scriptam habebat consuetam salutationem, Pater filio S. D. sed, Rex Ptolemæus regi Pyrrho S. D. Insectatus autem Lysimachum fœdus tamen icit,

Ostentum.

in quod adhibitis hostijs iuraturi conuenerunt. Postquàm apro, tauro, & ariete ad sacrificium adductis mortuus aries nulla vi, sed casu est, alijs risu oborto Pyrrhum vetuit aruspex Theodotus iurare, dicens vni ex tribus regibus mortem denunciari. Ita pacem diremit. Compositis iam rebus Alexandri nihilo minùs aduenit Demetrius, neque clam fuit eum ad inuitum venire, iniecitq; ei metum. Cùm paucis diebus vnà fuissent, struebat ex suspicionibus vterque alteri insidias. Verùm arrepta Demetrius ansa præuertit

Pyrrhi simultas & bellum cum Demetrio.

adolescentẽ occidere, atq; rex est Macedoniæ renunciatus. Intercedebat quidem etiam ei antè cum Pyrrho simultas. quibus accedebãt excursiones ab illo in Thessaliam factæ, & natiuus potentatuum morbus immodica cupiditas formidolosam eis vicinitatem & infidam effecit, præsertim post Deidamiæ excessum. Cùm autem teneret vterq; partem Macedoniæ, atque in idem ambo concurrerent, maioresq; acciperet dissensio obtentus: Demetrius superatis bello Aetolis, ac Pantaucho ibi cum magnis copijs relicto mouit in Pyrrhum: & Pyrrhus, vbi id resciuit, in illum. Diuersis vijs profecti non occurrerunt

Pyrrhi cum Pantaucho certamẽ.

inter se. Ac Demetrius quidem inuasit & populatus est Epirum. Pyrrhus cùm in Pantauchum incidisset, expediuit se ad prælium. Concursus extitit militum acris atque ingens certamen, præcipuè vbi duces agebant. Namque Pantauchus virtute & manu & vi corporis inter Demetrij duces longè primus, audaxq; & animosus prouocauit ad congrediendum secum Pyrrhum. Ex altera parte Pyrrhus fortitudine & gloria nulli regum secundus, & qui Achillis laudes studeret virtute sibi magis quàm genere asserere, perrexit per antesignanos infestus in Pantauchum. Primùm hastis velitati, inde cominus non solum arte, sed & lacertis gladios tractauerunt. Pyrrhus vno accepto vulnere, inflictis duobus, altero in femur, secundum collum altero pepulit prostrauitq; Pantauchum, nec tamen occidit eum, quòd eripuerint eũ amici. Epirotę regis victoria erecti & virtutẽ stupentes impresione facta propulerũt phalangẽ Macedonũ, tergisq; inhærentes fugientiũ magnũ numerũ interfecerũt, ceperũt quinq; millia. Hac pugna nõ ita ob cladẽ ipso-

Pyrrhus Alexãdro Magno similis.

rũ incendit & offendit Pyrrhus Macedonas, vt opinionẽ & admirationẽ de se virtutis & sermonẽ præbuit his, qui facta sua cõspexerãt, & in pugna fuerãt secũ cõgresi. Nã vultũ existimabãt & agilitatẽ motũq; referre eũ Alexandri, illius etiã impetus & feruoris inter

pugnan-

pugnandum cernere se vmbras in hoc & imagines: cùm alij reges purpura, satellitibus, flexu colli, & elatiore sermone: Pyrrhus factis militaribus & strenuitate vnus Alexandrum redderet. De illius scientia & arte instruendæ aciei atque rei militaris documentum accipias ex commentarijs, quos de his reliquit. Dicitur insuper interrogatus Antigonus, qui optimus dux foret, respondisse: Pyrrhus, si ad senectutem peruenisset. Atq; ille de sui temporis æqualibus modò pronunciauit: Annibal cunctorum imperatorum censuit peritia & arte primum Pyrrhum, Scipionem secundum, tertium se: vt in Scipionis historia retulimus. Breui hoc meditari Pyrrhum & commentari perpetuò, vt artem maximè rege dignam, apparuit, reliquas elegantias pro nihilo ducere. Fertur enim rogatus in conuiuio quodam, Python an Caphisias tibicen ei videretur melior, respondisse † Polysperchontem ducem: quasi id quærere solum & cognoscere deceret regẽ. Fuit etiam ad familiares humanus atque facilis, acris & promptus ad repẽdendam gratiam. Itaque Aeropi mortem tulit acerbè: atque illi dixit humanum casum accidisse, se ipsum verò reprehendit culpauitq;, quòd assiduè protrahendo & cunctando non retulisset ei gratiam, quippe æs alienum vel hæredibus dissoluas licet creditorum: beneficentiæ nisi repensæ viuis torquent bonum & rectum virum. Maledicum quendam Ambraciæ & obtrectatorem cùm censerent Pyrrho exterminandum: Maneat, inquit, ibi: vt apud paucos potiùs nos, quàm laceret vagans apud omnes. Certos iuuenes, qui maledicta in se ingesserant inter pocula, dum arguuntur, quæsiuit, an ea dixissent? Cui cùm vnus illorũ respondisset: Sanè hæc. Sed & plura his effudissem, ni defecisset lagena: arridens liberauit eum. Vxores autem negociorum suorum & potentiæ causa ab Antigones obitu plures duxit. Nam Autoleontis Pœoniæ regis filiam nuptijs sibi iunxit, Bircennam Bardyllis Illyrij, & Lanassam Agatoclis Syracusani, quæ in dotem attulit ei oppidum Corcyram ab Agatocle captum. Tulit ex Antigone Ptolemæum filium, ex Lanassa Alexandrum, Helenum stirpis minimum ex Bircenna. Omneis verò bello bonos & acres educauit, eosq; acuit ad hoc à prima ætate. Dicitur enim ab vno eorum puero etiamnũ interrogatus, cui nam relicturus regnum esset, respondisse: Ei, qui vestrum acutissimum habuerit gladium. Hoc verò nihil abest à Tragica illa execratione,

Pyrrhi scientia rei militaris.

† Curt. vocet Polyperchontem, sed malè.

Pyrrhi benignitas & facilitas.

Pyrrhi vxores & liberi.

Fratres domum sortiri acutis ensibus.

Adeo est insociabile & ferum cupiditatis institutum. Porrò ab hac pugna reuersus Pyrrhus domum inclytus gestiuit gloria & animi elatione. Ac cùm ab Epirotis Aquila nominaretur: Per vos, inquit, aquila sum. Quid ni enim sim, vestris armis velut alis euectus? Pòst aliquantò Demetrium nunciato esse graui morbo implicitum, irrupit in Macedoniam quasi incursionem aliquam & populationem facturus. Cæterùm parum abfuit, quin omnia simul occuparet, caperetq; sine sanguine regnum, Edessam vsque progressus obsistente nullo, multis quoque ad eum deficientibus & arma eius sequentibus. Hîc ergo Demetrium præter vires periculum excitauit. Amici eius ducesq; ingentibus breui contractis spacio copijs mouerũt in Pyrrhum impigrè & alacriter. At hic, qui prædandi potiùs causa venerat, non expectauit illos, sed fugiens partem exercitus in itinere prementibus Macedonibus amisit. Nec Demetrius tamen, quòd facilè Pyrrhum & citò finibus suis summouisset, continuò contempsit eum. Sed quia res magnas agitabat animo tentare, regnumq; paternum exercitu centum millium militum & nauibus quingentis repetere: noluit cum Pyrrho conflictari, vel vicinum relinquere Macedonibus durum & grauem: verùm cùm sibi non vacaret illum persequi bello, fœdere icto ac composita pace ita adoriri alios reges. Ea de causa fœdere pacto cùm, quid in animo haberet, apparatus indicaret moles: trepidi reges missis ad Pyrrhum legatis & literis, mirari significauerũt se: quòd bellum ad Demetrij opportunitatem omissa sua traheret: cumq; in multa distractum negocia atque turbatum exigere Macedonia valeat, præstoletur, dum sibi sit pro aris & focis in Molossis dimicandum cum vacuo & viribus aucto, idq; Corcyra nuper per eum vnà cum vxore exutus. siquidem Lanassa Pyrrho, quòd plus deditus barbaris vxoribus esset, infensa Corcyram recessit, cupidaq; regij connubij acciuit Demetrium, facilem sciens præter alios reges ad nuptias contrahendas. Ille Corcyram nauigauit, iunctaq; matrimonio Lanassa præsidiũ reliquit in oppido. Hæc cùm ad Pyrrhũ scripsissent reges, simul etiã per se cunctantẽ & molientẽ agitauerũt Demetriũ. Ptolemæus enim magna classe in Græciã profectus traxit ad se ciuitates. Lysimachus in superiorẽ Macedoniã ex Thracia incurrit, vastauitq; eã. Simul Pyrrhus insurgens Be-

Pyrrhus Aquila dictus.

Pyrrhi excursio in Macedoniam.

Demetrij copiæ terrestres & maritimæ.

Demetrius vxorem Pyrrhi ducit Lanassam.

rœam

rœam mouit, sperans, quod euenit, dum occurrit Lysimacho, Demetriũ inferiora regni relicturũ vacua.

Pyrrhi somniũ.

Illa nocte ab Alexandro Magno visus est acciri: Vbi accessit ad eum, decumbentem ægrum vidisse. A quo fuisse benignis verbis & comiter acceptus pollicente promptum suum auxilium. Cùm autem ipse sustinuisset dicere: Quî valeas rex valetudine infirma mihi præstò esse? Ipso dixisse nomine, ac Nisæo accepto equo ducem se Pyrrho præbuisse.

Pyrrhi secũda in Macedoniã expeditio.

Hoc viso corroboratus agmine raptim per loca interiecta ducto occupat Berœam. Dum ibi cum maxima parte exercitus statiua habet, reliqua in ditionem per duces suos redigebat. Demetrius, vbi ea cognouit, & in castris grauem tumultum intellexit Macedonũ, timuit longiùs procedere: ne si mouisset propius regem Macedonem & celebrem, ad eum transirent. Vnde retrò in Pyrrhum tanquam externum & Macedonibus inuisum mouit. Vt castra contulit illic castris Pyrrhi, multi ex Berœa commeauerunt in castra eius, Pyrrhumq; vt inuictum bello virum & splendidum, qui clemēter & leniter ageret cum deuictis, in cœlum tulere. Nonnulli specie Macedonum ab ipso submissi Pyrrho nunc tempus iactarunt esse ab Demetrij se graui dominatu expediendi & ad virum popularem militumq; amantem transeundi Pyrrhum. Inde exercitus est maxima ex parte accensus, circumspicientesq; Pyrrhum requirebãt. Nam cassidem tum fortè detraxerat, donec animaduersa re, & illa reposita agnitus est ex insigni crista & cornibus hircinis.

** Pacem, fortasse.*

Ita Macedones partim concursu facto * signum petiere, partim coronam quercinam sumpserunt, quòd milites illius conspicerent coronatos. Iam dicere quoque aliqui ad ipsum ausi sunt, Demetrium bene sibi consulturum, si cederet & imperium deponeret. His dictis congruentem cernens exercitus motum, trepidus causia & humili lacernula tectus proripuit se clàm ex castris. Tum ingressus castra Pyrrhus accepit sine puluere exercitum, & rex est Macedonum consalutatus.

Pyrrhus appellatur rex Macedonum.

At superueniente Lysimacho, qui Demetrij oppressionem esse commune vtriusq; opus contendit, & partiri postulauit regnum: haud dum satis fidens Pyrrhus Macedonibus, sed ancipitem ducens eorum fidem, annuit postulatis Lysimachi, regionesq; & vrbes inter se diuisere. Atque hoc quidem profuit in præsentia, bellumq; inter eos diremit. Cæterùm breui pòst didicerunt non discordiarum extinctionem, imò querelarum & dissensionis extitisse partitionem illam suam semen.

Cupiditas non habet terminos.

Quorum enim cupiditates non pelagus, non mons, non vasta finit solitudo, nec qui Europam Asiamq; dispescunt termini, circumscribunt: hi non video, vbi contingunt se mutuò & sunt connexi, quemadmodũ abstineant suis contenti ab iniuria. Imò bellum gerunt semper: quòd insitum ijs sit, vt insidientur & inuideant. Ex duobus verò nominibus quasi nummis bello & pace vtuntur pręsenti, nõ prout ratio postulat, sed prout est ex vsu. Ac meliores sanè sunt, cùm bellum gerunt ex professo, quàm vbi ocium & ferias ab iniurijs iustitiam & amicitiam appellant.

Pyrrhus Græcos tuuat contra Demetrium.

Exemplo Pyrrhus est. Increscenti enim iterum se obijciens Demetrio, prohibensq; vires eius sicut ex graui ægritudine refocillari, tulit suppetias Græcis, & Athenas ingressus est. Cùm in arcem scandisset, & sacra fecisset Mineruæ, descendissetq; eodem die: gratam ait sibi esse populi erga se beneuolentiam & quam sibi haberent fidem: sed cauerent, ne vllum posthac regem, si saperent, admitterent in vrbem, aut portas ei aperirent. Inde pacem fecit cum Demetrio. Mox illo in Asiam auecto impulsus denuò ab Lysimacho Thessaliam solicitauit, & præsidia eius in Gręcia oppugnauit: quòd in bello Macedonibus quàm in ocio vteretur melioribus, nec sanè esset bene ad quietem ipse comparatus.

Pyrrhus spoliatur à Lysimacho Macedonia.

Denique deuicto in Syria Demetrio securus iam Lysimachus & negocijs vacuus mouit confestim in Pyrrhum. Cùm ad Edessam haberet hic statiua, incidit in commeatũ, qui ei supportabatur: eumq; abstulit. Ita annonę difficultate primùm macerauit eum, deinde principes Macedonum literis & nuncijs corrupit, improperans eis: quòd peregrinum, & cuius maiores semper seruissent Macedonibus, eum fecissent dominum: amicos verò & familiares Alexandri extruderent Macedonia. Multis impulsis attonitus Pyrrhus discessit cum Epiroticis & socialibus copijs: atque eadem, qua quæsierat, amisit ratione Macedoniam.

In perfidiam regum.

Quare non habent reges, quòd obijciant vulgo pro vtilitate varianti. Nam ea re imitatur illos ipsos, qui perfidiæ & proditionis sunt magistri: quiq; eum maximè vtilem sibi ipsi censent, qui quàm remotissimè abest à iustitia. In Epirum ergo tunc redacto Pyrrho Macedonia amissa dedit facultatem fortuna rebus suis quietè fruendi, atque inter suos regnanti viuendi in ocio. Verùm ille nisi fatigaret alios, vel ab alijs ipse fatigaretur, non habiturum se, quo traduceret tempus, existimans, sicut Achilles impatiens erat ocij:

Ac

At charo pectore tabem
Traxit ibi residens, aciem bellumq́; sitiuit. **Hom. Iliad. 1.**

Tarẽtini accersunt Pyrrhũ in Italiam.

Anxio igitur nouarum rerum hæc suppeditauit materia. Romani bellum faciebant Tarentinis. qui pares cùm eis armis non essent, neq; possent ea ob ferocitatem & prauitatem concionatorũ suorum deponere, deliberabant accire Pyrrhum & eum ducẽ facere belli: quòd præ cæteris regibus maximè esset in ocio, & magnam belli gerendi peritiã haberet. At maiores natu ciues & sani partim cùm huic consilio apertè reniterentur, clamore & impetu plebis explosi fuerunt: partim vbi hæc videre, temperarũt concionibus. Vnus Meton nomine probus vir illucente die, quo sanciendum decretum erat, cùm populus consedisset, sumit ebriorum more coronam marcidã & faculã, ac tibicina præeunte ludibundus est concionem ingressus. Ibi, vt fit in multitudine liberæ ciuitatis incomposita, alij ad id spectaculi applaudebant, ridebant alij, nemo interpellabat. Imo hortabantur etiam, procederent in medium: & mulierem, vt tibia, illum vt voce caneret, idq́; opinabantur facturum. Silentio facto: Bene facitis, inquit, Tarentini: qui ludere & saltare, cui libet, dum licet, permittitis. Quòd si sapiatis, omnes item frueremini vos libertate. quando alia negocia, alia vita & viuendi ratio erunt sumenda, vbi vrbem Pyrrhus ingressus erit. Mouerunt ea verba plebem Tarentinam, ac murmur dictis assentientium peruasit concionem. At qui timebant à Romanis, ne si pax conuenisset, ipsi dederentur, increpitauerunt populum probris: quòd tam petulanter ludibrio haberi se & ostentui ferret leniter, Metonemq́; globo facto eiecerunt. Ita decreto facto legatos mittunt in Epirum, qui non suo tantùm, sed Italicorum etiam nomine dona Pyrrho ferant, eiq́; exponant, prudente sibi duce & celebri opus esse: copias verò Italiam ingentes ad efficienda equitum XX. millia, peditum fermè ad trecenta quinquaginta millia ex Lucanis, Messapijs, Samnitibus, Tarentinis suppeditaturam. Hæc non Pyrrhum modò excitauerũt, sed Epirotas quoque ad eam suscipiendam expeditionem acuerunt impuleruntq́;. Erat Cineas quidam Thessalus non pœnitendæ prudentiæ habitus, auditor Demosthenis oratoris. qui inter omnes eius temporis disertos vnus tanquàm in simulachro illius eloquentiam & vehementiam reuocabat auditoribus in memoriam. Hic erat in familia Pyrrhi: & cùm ad ciuitates mitteretur, suffragabatur Euripidis dicto,

Meton.

Cineas orator.

Omne id expugnare verba compta, ferrum quod minax possit.

Cineæ cum Pyrrho sermo pulcherrimus de moderanda cupiditate.

Inductionis Socraticæ exemplum.

Pyrrhus certè profitebatur vrbes plures per Cineã oratione quàm armis ab se subactas. Habebat cum perpetuò in honore, eiusq́; vtebatur maximis in rebus operâ. Qui Pyrrhum cernens flagrare cupiditate huius in Italiam expeditionis sermones intulit per ocium huiuscemodi: Bellatores Pyrrhe feruntur Romani, & bellicosis gentibus imperare multis. quos si Deus superare concesserit nobis, quò vtemur victoria? Cui Pyrrhus: Rem planã, inquit, Cinea rogas. Nulla superetit illic ciuitas vel barbara vel Græca, quæ deuictis Romanis nos queat sustinere: verùm illicò totam tenebimus Italiam: cuius magnitudinem, virtutem, opes siquem alium, te certè nõ est par præterire. Vbi paulisper subticuit Cineas: Occupata, inquit, Italia rex quid agemus? Pyrrhus, qui nondum mentem eius perspiceret: Vicina, infit, Sicilia est, manus porrigit diues insula & populosa & captu facilis. Nam ab Agathoclis excessu seditionibus illic omnia, licentiaq́; ciuitatum, & præcipitantia tenentur concionatorum. Probabilia, inquit, narras, Cineas. Sed quid? num Sicilia occupata finis erit belli? Tantùm Deus, inquit, victoriam & successum tribuat. His ingentium argumentorum vtemur præludijs. Quis enim Africa temperet & Carthagine; quæ tum erit ad nutum: quam profugus clàm ex Sicilia, cùm paucis nauibus traiecisset, penè cepit Agathocles? Quibus superatis illorum, qui nunc lacessunt nos, haud inficias ibis resistere nobis nullum posse. Minimè verò, inquit Cineas. siquidem planum est istis viribus nos Macedoniam recuperare, & Græciæ sine dubio imperium valere tenere. Verùm vbi rerum potiti erimus, quid tum? Ridens Pyrrhus: In alto ocio, inquit, viuemus bone vir, compotabimus quotidiè, & mutuis inter nos sermonibus oblectabimus. Huc Cineas Pyrrhum cùm deduxisset sermone: Et nunc quid, inquit, obstat: quò minùs compotemus, atque ocium inter nos traducamus: cùm iam teneamus hæc, & citra negocium ad manum sint: quæ per sanguinem, per multos sudores, per discrimina petituri sumus, multasq́; calamitates allaturi alijs & accepturi? His verbis Pyrrhum Cineas fatigauit magis quàm deterruit reputantem quidem, quantam relinqueret felicitatem: sed eorum, quæ appetebat, deponendi spem

impotentem. Primùm igitur Cineam Tarentinis cum tribus millibus militum misit. Hinc multis nauibus, quas hippagogus vocat, tectis insuper & diuersis pontonibus Tarento adductis elephantos XX. equitũ tria, peditũ XXII. millia, sagittarios & funditores quingentos imposuit. Omnibus instructis soluit classem. In altũ prouectũ, cùm medium teneret mare Ioniũ, corripuit præter anni articulum coortus Boreas. Vim venti tamen virtute & promptitudine nautarum ac gubernatorũ superauit, terraeq; multo labore & periculo appropinquauit. Classe disiecta reliqua naues diuersæ partim reiectæ ab Italia atq; in Libycum & Siculum pelagus expulsæ sunt. Alias cùm Iapygium promontorium superare non valerent, nox oppressit. quas quia crebræ sæuæq; vndæ ad importuosa loca & cæca impellerent, omnes præter regiã afflixerũt. Hæc, quamdiu ex alto volueretur fluctus, restitit & sustinuit mole atq; robore impetũ maris. Verùm vbi circumegit se ventus & à terra reflauit, periculumq; fuit, ne prora nauis aduersa vi percussa vndarum perfringeretur: horrẽdissimum autem præsentium malorum videbatur iterum sæuienti eam pelago & flatui crebrò varianti permittere: abiecit se in mare Pyrrhus. Ibi amici eius & satellites pro se quisque certauerunt ad eum eripiendum enixe. At nox fluctusq; ingenti cum fragore & aspero repercussu magnopere remorati sunt opem ferentes. Ita vix tandem luce orta cadente vento in terram euasit, corpore quidem prorsus inualidus, sed animi magnitudine & vi aduersis reluctans. Simul Messapij, quorum in littus est eiectus, pro præsentibus facultatibus ad ferendum sedulò auxilium concurrerũt, ac nonnullas naues, quæ ex tempestate emergebant, collegerunt. In his equites erãt perpauci, peditum duo millia minus, elephanti duo. His copijs Pyrrbus profectus est Tarentum. Cineas de aduentu eius certior factus, processit ei cum militibus obuiàm. Ad hunc modum vrbem ingressus nihil inuitis Tarentinis nec coactis instituit: vsquedum incolumes ex mari adfuerũt naues, & exercitus maxima ex parte conuenit. Tunc multitudinem aduertens nisi acriter compulsam neq; seruari ipsam neq; seruare posse alios, sed tanquàm ipso propugnante domi residere balneis indulgentem & conuiuijs: gymnasia ambulationesq;, in quibus spaciantes dispensabãt res gerendas verbis, occlusit: compotationibus, comessationibus, & ludis intempestiuis interdixit. Ad arma eos vocauit, in delectibusq; iuuentutis seuerus & durus fuit. vnde reliquerunt vrbẽ multi, qui insolentia parendi, quòd nõ liceret in delicijs viuere, seruitutem vocabant. Postquam † Albinum Romanũ consule nunciatũ est ingenti exercitu in ipsum mouere, simulq; eua stare Lucaniã: quamuis nondũ conuenerant ad eum socij, quia tamen fœdũ ducebat pati & sinere, vt accederent hostes propiùs: signa mouit, præmisitq; ad Romanos caduceatorem, placeret ne eis antè, quàm arma mouerent, vt se iudice & disceptatore ipsis satisfacerent Itali? Cùm responsum Albinus dedisset, neq; disceptatorem populum Romanum Pyrrhũ capere, neq; formidare hostẽ: progressus castra medio campo inter Pandosiã vrbem & Heracleam metatus est. Vt intellexit in propinquo Romanos esse, & vltra Sirin amnẽ castra ponere: excurrit speculandi causa ad amnem. Vbi ordinem, stationes, digestionẽ eorum & figurã castrorum contemplatus est, obstupuit: appellansq; vnũ ex amicis, qui proximè astabat: Ordo hic, inquit, Megacle barbarorũ non est barbarus, facta ipsa experiemur. Iamq; solicitus de euentu rei constituit operiri socios. Interim flumini apposuit stationem: quæ impediret, si transitum Romani priùs tentarent. At hi, quæ expectare ille deliberauerat, ea præuertere maturantes, parabant transire: ac vado pedites, equites diuersis locis transmittebant. vnde veriti, ne circumuenirentur, recipiebant se Græci. Pyrrbus eo nunciato perculsus præcepit peditum ductoribus, vt extemplò aciem instruerent, & armati consisterent. Euectus ipse cum equitatu (tria millia erant) sperabat in transitu adhuc dissipatos & inconditos oppressurum se Romanos. vt verò frequentia scuta contemplatus est super fluuium extantia, equitesq; ordine inuehere: globo facto intulit se primus, iam statim armis conspicuus insigniter decoris & splendidis, atque non inferiorem se factis strenuis demonstrans quàm fama nominis sui: præcipuè quòd cùm manibus & corpore intentus in prælium esset, & cum ijs, in quos incidisset, dimicaret strenuè: non turbaretur animo tamen, neq; destitueretur mente: verùm vt si extra pugnam esset, gubernaret bonis consilijs certamen atq; accurreret ipse, vbicunq; laborari vidit, ad ferendum auxilium. Hic cùm Leonatus Macedo Italum cõspexisset intentũ in Pyrrhum atq; infesto equo inuehentem, ac quo se cunq; ferret vel moueret, assectãtem eum: Cernis, inquit, barbarum istum rex, qui in equo nigro albis pedibus sedet? Præ se fert rem magnam & grauem moliri, Nam te intuetur, tibi imminet spirituum ple-

nus

Pyrrhi expeditio in Italiam.

Pyrrhi ex tempestate periculum.

Pyrrhus à Tarentinis receptus, eorũ molliciem corrigit.

† Constat hûc Leuinum, non Albinum fuisse.

Pyrrhi primus conflictus cum Romanis.

nus & animorum, alios omittit. At tu eum caue. Huic Pyrrhus respondit: Fatum Leonate nulla deuites ratione. Sed neque hic neque Italus alius vllus congredietur nobiscũ impunè. Dum ita colloquuntur, Italus infesta lancea admittit equum in Pyrrhum. Tum simul ferit equum regis lancea, & illius equum excipiens Leonatus. Ambobus collapsis equis abripiunt Pyrrhum circumsistentes amici, Italumq́ occîdunt fortiter pugnantem. Fuit hic natione * Frentanus, alæ præfectus Oplacus nomine. Hæc res Pyrrhum reddidit cautiorem.

* Ferétanæ turmæ præfectus, est apud Florũ.

qui gradum referentes cernens equites, phalangem accersit & instruit. Chlamydem suam & arma vni tradit ex amicis Megacli, & armis illius quodam modo tegit se, atque ita incurrit in Romanos. quibus illum excipientibus & prælium ineuntibus diu Mars anceps fuit, vicibusq́ septem ferunt hinc inde & terga dedisse & fugientibus hostibus institisse. Etenim armorum commutatio in tempore fuit quidem regi salutaris, verùm res eius penè euertit & conuulsit victoriam. siquidem cùm peterent multi Megaclem, qui princeps eum percussit & prostrauit mortuum, Dexter nomine, casside detracta & chlamide aduolat ad Albinum ostendens simul ea & vociferans interfecisse se Pyrrhum. Dum ita per ordines transferuntur & ostentantur ea spolia, exultantes Romani tollunt clamorem, Græcos perplexitas & consternatio occupat: quousq́ cognita re Pyrrhus nudo capite obequitat aciem, dextram porrigens præliantibus, & qui esset, voce significans. Elephantis demum Romanos prementibus, cùm equi prius quàm propiùs venirent, non ferrent odorem beluarum, sessoresq́ auferrent transuersos: in turbatos equitatu immisso Thessalico, conuertit eos magna cæde in fugam.

Pyrrhi de Romanis victoria.

Dionysius author est paulo minus quindecim millia cecidisse, Hieronymus septem millia tantùm: De Pyrrhi exercitu tredecim millia Dionysius, Hieronymus minus quatuor millia. Hi in amicis & ducibus Pyrrhi erant præstantissimi, quos ibi ille amisit viros, quorum opera præ cæteris vsus fuerat assiduè fidebatque. Iam castra quoque deserta ab Romanis cepit, socias ciuitates ab eis alienauit, agros latè vastauit, eoq́ est progressus, vt nõ plus triginta sex millia abesset ab vrbe. À pugna coniunxerunt se ei Lucani & Samnites. Quorum licet incusaret moram, apertè gaudebat tamen gloriabaturq́: quòd solorũ Tarentinorum, qui in præsidijs suis erant, virtute ingentes Romanorum copias profligasset. At Romani non abrogauerunt Albino imperium: quamuis C. Fabricium fama sit dixisse, non ab Epirotis Romanos, sed Albinum à Pyrrho victum: censentem non militibus cladem, sed duci ferendam expensam. Iam cohortibus supplendis, nouis delectibus impigrè habendis, intrepidè & elatè de bello loquendo obstupefecerunt Pyrrhũ. quare visum est ei vel per legationem Romanos, ad pacem ne animi inclinarent, tentare priori: rato capere vrbem & subiugare in expedito non esse, neq́ præsentium copiarum: pacem verò facere & fœdus post obtentam victoriã sibi fore imprimis gloriosum.

Cineas ad Romanos legatus.

Mittit igitur Cineam. Hic primores conuenit, muneraq́ his omnibus & eorum coniugibus nomine regis misit: quæ tamẽ admisit nemo, responderuntq́ omnes tam viri quàm mulieres: si pax publicè conuenisset, suum etiam priuatim ipsos promptum studiũ & obsequium regi præstituros. In senatu verò cùm multa Cineas blandè & benignè diceret, nihil quicquam libenti vel prompto animo acceperunt: tametsi captos in prælio offerret se Pyrrhus sine precio redditurum, atq́ ad subiugãdam Italiam operam suam polliceretur, nec pro his nisi amicitiam eorum & Tarentinis securitatem postularet quicquam. Multi erant tamen euidenter ad pacem propensi: quòd ingenti superati pugna essent, & alterã cum maioribus copijs Italorum Pyrrho adiunctorũ expectarent.

App. Claudius dissuadet pacem cum Pyrrho.

Ibi Appius Claudius clarus vir, qui senectutis & cæcitatis causa fatiscens republ. abstinebat, accepra regis legatione & rumore dilato decreturum senatum pacem, non potuit sibi tẽperare: quin seruis iuberet, vt tollerent se & lectica per forum deportarent in curiam. Vt ad valuas peruenit, exceperunt eum filij pariter & generi, cingentesq́ latera eius introduxerunt. Senatus autem reuerentia & honore eius conticuit. Ille ilicò exorsus dicere:

Appij Claudij oratio ad Patres cõscriptos.

Hactenus, inquit, oculorum incommodum Patres conscripti molestè tuli: nunc verò cùm fœda vestra consilia audiam & decreta, quæ vrbis gloriam conculcant: graue mihi est, quòd cæcus solùm, nõ etiã sim surdus. Vbi nunc vestra illa apud omneis mortales semper iactata oratio: si venisset in Italiã Alexãder Magnus, atq́ arma cum iuuenibus nobis & cum parentibus nostris florentibus cõtulisset, non celebraretur nunc inuictus: sed vel fuga sua, vel hîc cadens Romã nobilitauisset? Atqui eam arrogantiã & iactantiã ostendius inanẽ esse: qui Chaonas & Molossos formidatis perpetuã Macedonũ prædã: & expauescitis Pyrrhũ, qui vnum ex Alexandri stipatoribus certè perpetuò coluit & obseruauit. Atque

hoc tempore, non quò incolentibus Italiam Græcis opem ferat potiùs, quàm quòd refugiat illic hostes, vagatur in Italia, imperium se nobis ostendēs paraturū hisce copijs, quæ exiguā portionē nequiuerunt ipsi retinere Macedoniæ. Nolite ergo putare hūc, si societatē pepigeritis cum eo, discessurū: verùm illos inuitaturū cōtemnentes vos, vt de quib. facilis futura quibusuis victoria sit: si suas Pyrrhus in nos cōtumelias non solùm impunè ferat, sed accipiat insuper præmiū, vt ludificent in futurum Romanos Tarentini Samnitesq;. Sic fatus Appius inflammauit eos ad bellum. Itaq; Cineam dimittunt cum hoc responso: Pyrrhus, vbi excesserit Italia, tum si societatem & amicitiam populi Romani petat, agat ea de re. Quousq; verò in armis erit, persequētur eum bello Romani, etiamsi sexcentos † Albinos in prælio fugauerit. Dicitur autem Cineas, dum Romæ agit, curā intendisse atq; elaborasse, vt mores Romanorum videret, & reipubl. consideraret disciplinam, qui postquàm in colloquiū venit cum proceribus, retulisse cùm alia Pyrrho, tum dixisse, Senatum sibi multorum regum visum cōcilium. De plebe, vereri se, ne cum Lernæa quadam hydra videantur pugnare, quippe duplo maiores quàm antè copias conscripsisse consulem, tantumq; numerum identidem superesse Romanorum, qui arma ferre valerent. Inde legati ad Pyrrhum de captiuis redimendis venerunt, atq; inter eos C. Fabricius: cuius apud populum Romanum ingens nomen esse vt viri boni & bello insignis, sed admodū pauperis ostendit regi Cineas. Hunc Pyrrhus cùm priuatim benignè haberet, contendit vt aurū acciperet ab se, nullā quidē ob rem turpē: verùm amicitiæ id & hospitij appellauit pignus. Abnuēte illo tacuit in præsentia. Postero die, quò eum exterreret, quod nunquam vidisset elephantē: imperauit, vt maximā beluā colloquētibus ipsis à tergo admouerēt post aulæā. quod factū est. Tum signo dato remota est aulæa, & proboscidē belua repentè sublatā suspendit super caput Fabricij, vocemq; emisit horrendam & asperā. Ille verò sensim conuersus arrisit, & ad Pyrrhū ait: Neq; heri aurū tuū me, neq; belua hodie commouit. Super cœnā cùm varius sermo haberetur, maximè de Græcia & philosophis: incidit fortè Cineas in Epicuri mētionē: recensuitq;, quid de dijs & de recp. censeant, summū bonū eos in voluptate collocare: reip. procurationē, quasi ea vitæ noceat beatæ, eamq; perturbet, deuitare: deos remotos à beneficentia & ira & cura nostri in ociosam & affluentem delicijs vitā relegare. Adhuc differente eo exclamans Fabricius: Papæ, inquit, Pyrrho hæc præcepta & Samnitibus, dum nobiscum bellum gerūt, cordi sint. Vnde admiratus animum & grauitatem huius Pyrrhus multo impensiùs amicitiam iungere cum Romanis dirempto bello studebat. Illū verò inuitauit priuatim, vt comitaretur se pace perpetrata, viueret'que secum, offerens ei primum locum inter omnes amicos suos & duces. Cui submissè fertur Fabricius respondisse: Atqui non fuerit id rex è re tua. Nam illi ipsi, qui nūc venerātur & suspiciūt te, si me probauerint, me præoptent regem tibi. Eum gessit se Fabricius. Hoc dictum Pyrrhus nō infenso neq; tyrannico animo accepit. Imo verò amicis quoq; Fabricij prædicauit animi celsitudinem, captiuosq; vnius illius fidei credidit hac lege: Si pacem abnuisset senatus, vt salutatis propinquis & Saturnalibus celebratis ad se remitterentur: ac peracto festo remissi fuere. Si quis remansisset domi, in eum sanciuit senatus mortem. Inde Fabricio iam consuli quidam epistolam in castra attulit, quam regis medicus scripserat offerens, si præmium sibi, quò d bellum [illegible] vllum discrimen sustulisset, ostenderetur à Romanis, veneno se regem necaturum. cuius scelus Fabricius auersatus, cùm in eandem sententiam adduxisset collegam, literas properè ad Pyrrhum mittit monens, vt caueat insidias. Eæ scriptæ in hunc modum fuerunt: C. Fabricius & Q. Aemilius consules Romani Pyrrho regi S. Neque amicorum videris neque hostium esse felix iudex. Lectis, quæ ad nos missæ sunt, literis cognosces te bonos & iustos viros bello persequi, contra perfidis & improbis habere fidem. Neque verò hæc nos, quò gratiam emereamur tuam, indicamus: verùm ne casus tuus aspergat maculam nobis, dolo vt videamur, quasi nequiuerimus virtute, bellum perpetrasse. Pyrrhus perlecta epistola deprehensisq; insidijs medicum affecit supplicio, Fabricio & populo Romano gratiæ referendæ causa gratis captiuos donauit, ac Cineam ex integro ad pacem sibi peragendam misit. Enimuerò populus Romanus nec in gratiæ partem nec in mercedis, quòd in scelus in ipsum committendum non consensisset, illos recipere sustinuit gratuitò: sed totidem Tarentinos & Samnites ei liberos remisit. Pacis autem & amicitiæ non antè admisit mentionem, quàm cum armis exercitum nauibus, quas adduxerat, imposuisset atque in Epirum abscessisset. Ibi cùm res recideret eò, vt iterum esset ei pugnandum: castra mouit, & ad oppidum Asculum

† Leuinos, vt cōstat ex Rom. historia.

Senatus Rom. maiestas.

Fabricij cōstantia & magnanimitas.

Epicuri dogmata.

Fabricius indicat Pyrrho medici sui insidias.

Gellius lib. 3. capite 8.

Pyrrhus remittit Romanis captiuos gratis. Cic. de Off. li. 1.

Pyrrhi secundū cum Romanis prælium.

lum signa cum Romanis contulit. Redactus illic ad loca inæqualia & fluuium arbustis obsitum & asperum, quo elephantis aditus non patebat ad iungēdum se aciei eius, post multa vulnera magnamq; stragem nox pugnam diremit. Postridie machinans, vt loco æquabili confligeret, & valerent elephanti hostes adoriri, occupauit saltum præsidio, coniectaq; inter beluas magna manu iaculatorum & sagittariorum, ingenti impetu atq; vi confertam atq; compositam aciem induxit. Romani, qui prioribus effugijs & receptibus deficerentur, fronte concurrerunt loco plano cum hostibus. Cùm properarēt autem, prius quàm ingruerent beluæ, grauem armaturam impellere: acriter gladijs certauerunt cum sarisis, immemoresq; sui vulnera & cædes, quæ inferrent, cernebant: incommoda sua vilipendebant. Tandem postquàm diu pugnatum est, initium fugæ dicitur eo loco cœpisse, vbi Pyrrhus agebat, qui acriter pressit oppositos. Plurimos impressio & vis elephantorum confecit: quòd virtutem suam ostendere in conflictu non possent Romani, sed quasi irruptioni fluctus vel terræmotus obruentis putauerunt sibi cedendum, neque sustinendum, vt re nulla memorabili edita occumberent: neque, vbi nihil proficerent, ibi nihil non sustinerent calamitatis. Quia verò non procul fugientibus suberant castra, sex millia prodit Hieronymus cecidisse ex Romanis, de Pyrrhi exercitu tria millia quingentos & quinque in commentarios regios relatos. Dionysius nec duo prælia ad Asculum, nec liquidam victoriam fuisse tradit Pyrrhi. Semel ad occasum solis vsq; cùm dimicatum & brachium Pyrrhi pilo vulneratum esset, simulq; Samnites impedimenta eius diripuissent, ægrè diremptos fuisse. Desiderata ex ambobus exercitibus Pyrrhi & Romano plus quindecim millia. Vtrique receptui cecinere. Ibi fertur Pyrrhus ad quendam sibi gratulantem dixisse: Actum planè de nobis sit, si vno adhuc prælio vincendi nobis sunt Romani. quippe exercitum, quem portauerat in Italiam, amiserat magna ex parte, amicos ducesq; paucis exceptis omnes: nec supererant alij, quos exciret: & socios, quos illic haberet, videbat segniores: cōtrà Romanis quasi ex fonte affluente suppleri domo abundè & celeriter legiones, neq; infringi cladibus animū, sed pertinaciam & contentionem animi ijs ex ira ad prælium crescere. His immerso difficultatibus iterum nouæ spes oblatæ sunt & negocia, quæ animum eius in diuersa trahebāt. Eodem enim tempore legati aderant ex Sicilia, qui ei Agrigentū Syracusasq; & Leontinos dedebant: orauerúntq;, vt ad exigendos Pœnos & ad vindicandam à tyrannis insulam suppetias ferret. Ex Græcia autem Ptolemæum Ceraunū nunciabatur cum exercitu in conflictu contra Gallos occubuisse: nunc ipsum opportunissimo tempore quærentibus regem Macedonibus superuenturum. Hîc multum fortunam incusans, quòd magnarum rerum in vnum momentum sibi conclusisset argumenta: reputansq;, vt si ambo teneret, amittere se alterum, diu est animo fluctuatus. Inde Siciliæ molem rerum maiorem existimās comitem fore, quòd esset vicina Africa, eò applicuit animū, Cineamq; extemplò ad agendum, sicut solebat, cum ciuitatibus præmisit. Tum inuitis Tarentinis imposuit præsidium. quibus postulantibus, vt vel qua venerat cōditione, præstaret eam & ipsis bello Romano adesset: vel si Italiam desereret, vrbem vt suam relinqueret, qualem acceperat: nihil respondit æqui, sed vt tacerent, imperauit & sua tempora expectarent. Hinc vela fecit. Vt appulit in Siciliam, cuncta eius spei responderunt, ciuitatesq; certatim ei se tradiderunt. Vbi certamine & vi opus erat, nihil obsistebat primò: sed XXX. millibus peditum, equitum duobus millibus quingentis, nauibus ducentis, quibus Siciliam inijt: Pœnos profligauit, prouinciam eorum subegit, Erycem munitissimū oppidum, quod magnum habebat præsidium, statuit oppugnare. Stante in procinctu exercitu arma toto corpore induit, progressusq; Herculi ludos & victimas victoriæ causa vouit: si Græcis Siciliam incolentibus dignum se genere & fortunis suis præstitisset bellatorem. Signo tuba dato barbaros telis deiecit, & admotis scalis in muros euasit primus. Dum ibi pugnat cum multis, partim ex muro hinc inde depulit & deturbauit, plerisque gladio interfectis cadauera circa se accumulauit. Nihil interim fuit ipse læsus, sed hostibus terribilis aspectu visus est, atque Homerum rectè & peritè demonstrauit ex omnibus virtutibus dixisse: fortitudinem vnam identidem lymphatico & fanatico motu ferri. Expugnato oppido sacra fecit Herculi magnificè, deditq; omnis generis ludorum spectacula. Cùm premerent maiorem in modum Mamertini Græcos, nōnullos insuper fecissent vectigales, (Erant autem numerosi & pugnaces. vnde vocabulo Latino dicti sunt quasi Martiales) exactores tributorum comprehendit necauitq;, illos acie fudit, oppida complurerq; excidit. Carthaginensibus pacem petentibus, pecuniamq;

Historicorum de Pyrrhi pugna dissensio.

Pyrrhi in Siciliam expeditio.

Pyrrhus expugnat Erycē oppidum Siciliæ.

Mamertini, vnde dicti.

offerentibus ei, si secuta pax esset, pendere & classem mittere, pluribus inhians responsum dedit, vnam pacis & amicitiæ rationem secum ineundæ esse, si tota Sicilia excessissent, & termino cum Græcis vterentur mari Africo. Porrò secundo rerum cursu & præsentibus inflatus viribus cùm vrgeret spem, quæ principiò ipsum domo exciuerat, primæ oculum adiecit Africæ. Copiam habebat nauium, cæterum remigibus & militibus classiarijs deficiebatur. Vbi iam cogendis in naues classicis non comiter cum ciuitatibus nec blandè egit, sed pro imperio & iracundè subegit eas, atque supplicia repræsentauit, qualem statim ab initio non præbuerat se: sed supra cæteros ciuilitate & nihil diffidendo neque obtundendo conciliauerat homines: inde ex populari versus in tyrannum comparauit cum sæuitia ingratitudinis existimationem & perfidiæ: verumtamē vt necessarijs his quamuis acerbis conniuebāt. Vt verò Thœnonem & Sostratum principes ciuitatis Syracusanæ, qui in Siciliam eum primi inuitauerant, vrbemq́ suam ilicò aperuerant venienti, ac socij in conficiendis plerisq; rebus Siciliæ fuerant: cùm nec trahere eos secum, nec vellet in Sicilia relinquere, suspectos habuit, ac Sostratus timore adductus defecit ab eo, Thœnonem eiusdem cōsilij esse criminatus interfecit: tum vertere se non paulatim neq; minutatim eius res cœperunt. Sed cùm infensissimum odium ciuitates eius cepisset, aliæ ad Carthaginenses defecerunt, aliæ acciuerunt Mamertinos. Vbi defectiones & conspirationes vndiq; & validam aduersus se vidit coniurationem, accepit literas à Samnitibus & Tarentinis: qui quòd circumcircà agris pulsi ægrè bellū à mœnibus propulsarent, opem eius implorabāt. Color autē hic fuit, ne pro fuga discessus eius & pro rerū desperatione Sicularum haberetur. Reuerà cùm tenere sicut nauē agitatā non valeret insulam, sed exscensionem quæreret: coniecit se denuò in Italiam. Fertur, cùm discederet iam, ad insulam respectans comitibus suis dixisse: Quam amici palæstrā Carthaginensibus & Romanis relinquimus? Quod non multo pòst, vt coniecerat, euenit. Cùm conspirassent in abeuntē barbari, in traiectu cōflixit cum Pœnis, ac magna ex parte classem amisit. Cum reliquis nauib. confugit in Italiā. Mamertini nō minus decē millia antè transmiserant. Hi aperto Marte dubitauerunt eum inuadere, sed in saltibus adorientes & incurrētes totū exercitū turbauerunt. Ibi duo elephanti perierunt, multiq; ex nouissimo agmine cecidere. Eo Pyrrhus ex fronte prouectus dimicauit aduersus viros in armis exercitatos & feroces. Ac gladio secundū caput vulneratus, cùm paulisper pugna excessisset, magis magisq; excitauit hostes. quorū vnus longè ante alios procurrens vir & statura eminenti & fulgētibus armis lacessiuit eum voce ꝑcaciore: prodiret, si viueret. Iritatus Pyrrhus inuitis suis vertit se cū stipatoribus in eum, frendensq; & cruore madēs, ac truci vultu per medios erupit, occupatq; caput barbari ense ferire, fuitq; ictus & lacerti vi atq; acie ferri adeo violētus, vt ad infima penetraret, & eodē momento corporis partes dissectæ hinc atq; hinc dilaberentur. Id progressum barbarorū tardauit Pyrrhum mirantiū stupentiumq; vt virū homine maiorē. Ille via reliqua tutò peragrata Tarentū XX. millibus peditū & tribus equitum venit, atq; eductis secum Tarentinorū delectissimis in Romanos, qui statiua habebant in Samnio, signa mouit. Res accisæ erant Samnitium: qui compluribus prælijs à Romanis contusi animos fractos gerebant. Suberat etiā expeditionis Siculæ causa aliquid in Pyrrhū offensionis. quod fuit in causa, vt minùs frequentes ad cum conuenirent. Quicquid autē habebat copiarū, bipertitus partim in Lucaniam ad detinendum alterū consulē misit, ne subuenire valeret collegæ: partim duxit contra M. Curiū, qui tuto loco ad Beneuentū cōsidebat manens ex Lucania auxilia: atq; etiā, quòd nonnunquam eum pullarij aruspicesq; deterrerēt, à pugna abstinebat. Hunc aggredi prius, quàm ille subueniret, maturans Pyrrhus, fortissimos quosque milites & pugnacissimos ex elephantis delegit, atque cum his ad castra Romana contendit. Longæ & syluis impeditæ circuitu viæ pergentē lumina defecerunt. vnde cœperunt milites errare. Dum in his morā trahunt: & nox defecit, & illucescente die cōspexerunt ex vertice montiū aduenientem hostes. quæ res tumultū & motū excitauit in castris. Quia tamē læta exta consuli fuerant, & tempus poposcit certamē: eductis hic copijs adortus est primā aciē. qua profligata terror totū inuasit exercitū. Itaq; multi ceciderc, & elephanti aliquot capti. Hæc victoria M. Curiū ad prælio decernendū protraxit in campū. Atq; aperto Marte signis collatis pepulit ab vno cornu hostē. In altero beluarum impetu pedē referre ad castra coactus stationē frequentē, quę sub vallo stabat & recens erat, excitauit. Hęc ex locis dccurrēs editis cōiectis in beluas telis auerterūt eas. Illę fuga tetrò per suos delatæ turbauerūt & dissipauerunt ordines, quæ res pariter victoriā Roma-

Pyrrhi violentia in Sicilia.

Pyrrhi reditus ex Sicilia in Italiam.

Pyrrhus barbarū vno ictu medium dissecuit.

Pyrrhi tertium prœliū cum Romanis.

Pyrrhus prœlio à Romanis victus, Curio duce.

Romanis & imperiũ dedit. Namq; ex tebus illis gestis atq; illis ex cõflictib. cùm animos sumpsissent, opesq; & nomẽ quasi insuperabiles quæsissent, Italia statim, Sicilia sunt paulo post potiti. Ita Pyrrhus cùm hisce in bellis sex annos cõtriuisset, viresq; suas imminuisset, ab spe excidit Italica atq; Siciliensi: virtutẽ tamen conseruauit in aduersis prælijs inuictam. Ac scientia quidẽ rei militaris, manu atq; animo longè omniũ suæ memoriæ regum habitus est primus: verùm quę factis cõparauerat, ea semper noua spe corrũpere: quòd siti illorum, quę nondum habebat, nihil horum, quæ habebat, conseruaret vt rectè vteretur. Vnde cõparat eum Antigonus aleatori, qui multa & secũda iacit, sed vti nescit iactu. Transportauit in Epirũ octo millia peditũ, quingentos equites. At inopia tei pecuniariæ pressus bellum, vnde aleret exercitũ, quærebat. Cùm aũt adiunxissent se ei aliquot Galli, in Macedoniam, vbi regnabat Antigonus Demetrij, ad prædandũ & populandum incursionẽ fecit. Vbi cùm multa oppida cepisset, & transissent ad eum duo millia militũ, spe affulgente maiore mouit in Antigonũ. cui in faucibus, quæ Stena Græcis dicuntur, occurrens omnes copias explicauit. Galli autem, qui magno numero agmen Antigoni claudebant, pugnabant strenuè: quorũ plerique prælio acri cõmisso concisi, Elephantorum duces circumuenti, seq; & beluas omnes dedunt. Hac facta accessione, fortunæ magis Pyrrhus quàm consilio fretus impetum in Macedonũ Phalangem dedit tumultu & metu ex clade accepta consternatam. quare confligere & manum conserere illi cum eo supersedere. qui dextrã protendẽs, pariterq; duces & ordinum ductores omnes nomine inclamans peditatum seiunxit ab Antigono. Ille subduxit se, retinuit tamen oppida aliquot maritima. At Pyrrhus, quòd in tam multis prosperis rebus decus de Gallis partum faceret plurimi, pulcherrima & splendidissima spolia eis detracta in templo Mineruæ Itonidis sacrauit cum hoc epigrammate:

Pyrrhi in Epirum ex Italia reditus.

Vide Liuium lib.32.

Pyrrhi de Antigono Macedonum rege victoria.

Hæc Pyrrhus Gallis detraxit scuta Molossus
Suspendens aris dona Minerua tuis.
Nec mirum Antigoni turmas cita terga dedisse,
Aeacidæ cùm sint nunc quoq; & antè viri.

Pyrrhi de Gallorum victoria, epigramma.

Mox secundum pugnam vrbes recepit. Aegæos, vbi habuit eos in potestate, cùm aliàs tractauit acerbè, tum vrbi præsidium Gallicum ex ijs, qui secuti fuerant ipsum, imposuit. Galli autem gens auarissima tegum ibi humatorũ aggressi sunt monimenta aperire, thesauros diripuerũt, reliquias cum ludibrio dissipauerunt. Hoc Pyrrhus visus est ferre lentè & solutè: quòd vel districtus negocijs id reiecerit in aliud tempus, vel planè ob timorem supplicii persequi à barbaris dissimulauerit, vnde malè audiuit apud Macedonas. Haud dum rebus eius stabilitis & ad perpetuitatem constitutis nouæ spes animum eius erexerunt. Atq; Antigonum quidem per ludibrium vocauit impudentem: quòd non sumeret pallium, sed purpuram adhuc gestaret. Porrò cùm Lacedæmonius Cleonymus eum adisset & Lacedæmonem inuitaret, obsecutus est facilè. Erat Cleonymus hic ex stirpe regia: sed quòd animum præ se ferret violentum & imperiosum, non ferebant eum in oculis ciues, neq; fidem ei habebant: verùm regnum obtinebat Areus. Hæc ei publica erat atque vetus cum ciuibus querela. Iam vxorem formosam & familiæ regiæ Chelidonidem Leontychidis filiam Cleonymus grandior natu duxerat. quæ Acrotari amore Arij filij deperiens adolescentis forma venusta acerbas amanti marito iuxtaq; infames præbuit nuptias. Neq; enim ciuem latebat vllum ab vxore eum fastidiri. Ita cùm ad publicam domestica accessisset ægritudo, ira & animi dolore cõsultoribus Pyrrhum Spartam attraxit. Habebat Pyrrhus peditum X X V. millia, equitũ millia duo, elephantos quatuor & viginti. Vnde docuit statim moles apparatus non Cleonymo Spartam, sed Peloponnesum sibi quærere Pyrrhum. Nam verbis quidem id & apud ipsos inficiabatur Lacedęmonios, qui ad eum Megalopolim legati venerant. vt enim quas tenebat Antigonus vrbes, in libertatem assereret, ideo se ferebat adesse: & hercle vt minores filios Spartam, si liceret, mitteret: quò imbuerẽtur institutis Laconicis, atq; ea re iam reges omnes excellerẽt. Hæc fingẽs & verba dans occurrentibus in via, vt primùm attigit Laconiam, prædas egit & populatus est agrũ. Querentibus legatis, ꝙ bellum prius, quàm id indixisset, moueret: Atqui eriã vos, inquit, nouimus nos Spartiatas, quòd instituistis, non prænunciare alijs. Tum vnus ex ijs, qui astabant, Mandracidas nomine Laconica lingua: Tu verò, infit, si deus es, nihil nobis acciderit mali: nulla enim te lacessiuimus iniuria: sin homo, existet & te potior alius. Inde Lacedæmonẽ mouit. quã cùm monetet

Gallorum auaritia.

Pyrrhi expeditio in Peloponnesum.

Pyrrhi strategema in Spartanos.

Pyrrhus oppugnat Lacedæmonem.

Cleonymus vt ex itinere oppugnaret: veritus Pyrrhus, vt ferē, ne nocte irruentes milites vrbem diriperent, distulit rem, dicens idem se insequenti die facturum. siquidem & erāt in vrbe pauci, & ob repentinum huius aduentum imparati. Etiam rex aberat Areus, qui Gortynijs in Creta bello presfsis suppetias ferebat. Atq; hoc quidē vrbem, quæ ob solitudinem & imbecillitatē despiciebatur, seruauit potissimùm. siquidem Pyrrhus, cùm arbitraretur gladium strictū neminem, castra est metatus. Cleonymi aūt domum ita adornauerant amici & Ilotæ, tanꝗ cœnaturus Pyrrhus apud eum esset. At Lacedæmonij primis tenebris fœminas primò deliberauerāt in Cretā mittere: cæterùm ipsæ repugnauerunt. Archidamia etiam gladium tenens venit in senatū, castigauitq; nomine mulierū viros, quòd viuendum sibi euersa putarent Sparta. Inde fossam statuerūt ex aduerso hostium castris ducere, cuius ex vtraq; ora plaustra collocare, eaq; vsq; ad medias rotas defodere: quò valide depacta distinerent beluas. Hoc opus aggredientibus adiungunt se virgines & matronæ: quæ partim tunicas succinxerant sindonibus, partim solis amictæ tunicis erant, eam operā vnà cum senibus subituræ. Illos, qui prœliaturi erāt, quietē iusserunt capere: sumptoq; modo perfecerūt hæ per se tertiā partem fossæ. Fuit ea lata cubitos sex, quatuor alta, longa octo iugera, vt Phylarchus tradit: vt Hieronymus, minus. Vbi diluxit, cùm mouerēt se hostes, subministrauerūt arma iuuenibus, fossamq; tradiderūt hortantes, vt eam defenderent & tuerentur. Pulchrum esse in conspectu patriæ vincere, & in matrum coiugumq; manibus occumbere gloriosum cadētes, vt deceret Spartiatas. Chelidonis de medio recesserat, solaq; agebat, & restim collo iniecerat, ne vrbe capta in potestatē veniret Cleonymi. At Pyrrhus à fronte cōnitebatur cum graui armatura perrumpere cōfertos clypeatos sibi obiectos Spartiatarū & fossam inexuperabilē: quæ cedens nō sinebat vestigium figere pugnātes firmum. Filius eius Ptolemæus cum duobus millibus Gallorū & delectis Chaonibus circūmissa fossa tentabat plaustra superare. quæ quòd depressa essent altiùs & cōferta, nō modò horum impresfsionē, sed Lacedæmonijs quoq; difficilē reddebant defensionē. Iam euellentibus rotas Gallis atq; in flumen detrahentibus plaustra, cernēs periculū iuuenis Acrotatus percurrit cum trecentis vrbem ac Ptolemæum circumuenit: neq; priùs ab eo ob loca caua conspectus est, quàm terga militum eius cæderet, ac conuertere eos coēgit signa & secum pugnare. quæ res effecit, vt sese mutuò impellerent, in fossam procíderent, atq; in plaustra incurrerent: quousq; ægrè sunt ingenti cæde summoti. Acrotatum & senes & mulierū caterua præclarè certantem cōtemplati sunt. Cùm iam media vrbe stationem suam repeteret cruentus & exultās elatusq; victoria: celsior ac pulchrior est Lacænis visus, Chelidonidemq;, quòd talem haberet amatorē, prædicauerunt beatam. Præterea grex senum secutus, cōclamauit: Perge Acrotate & cōplectere Chelidonidē, tantùm bonos Spartæ procrea. Quo porrò loco ipse agebat Pyrrhus, acre certamen extitit. Ibi cùm alij insigniter præliabantur, tum Phyllius perdiu restitit hostibus, magnamq; stragem gradum inferentiū dedit. Vulnerum multitudine sensit fatiscere se: vni subsidiariorum loco suo concesso in medio cecidit armatorū, neq; hostes corpore eius sunt potiti. Nox aūt prœlium diremit. Quiescenti tale somniū est Pyrrho oblatum: Videbatur ei Lacedæmon fulmine ab ipso icta inflammari tota, atq; ipse inde exultare. Lætitia excitatus imperat ducibus, vt milites habeāt instructos, somniumq; exponit amicis, quasi vrbem esset expugnaturus. Cui cùm alij mirificè assentirentur, nō placuit Lysimacho visum. Vereri ait se, ne vt loca, quæ fulmine afflantur, manent inaccessa: ita Pyrrho deus nō ingressurū significaret eum vrbem. Huic vbi Pyrrhus respondit, meras eas esse prestigias atq; incertitudinis plenas: illud verò in manibus arma tenentem sibi quemque subijcere debere:

Spartanarū mulierum virtus. (beside "primis tenebris fœminas…")

Chelidonidis Spartanæ animus. (beside "Chelidonis de medio recesserat…")

Acrotati virtus. (beside "vt sese mutuò impellerent…")

Pyrrhi somniū. (beside "scenti tale somniū…")

Augurium optimum Hectoris apud Homerū, Iliad. lib. 12. Diodorus lib. 15 (beside "mine afflantur…")

Optimum id augurium pro Pyrrho exponere vitam:

surgit & primo diluculo exercitum admouet vrbi. Lacedæmonij impigrè & supra vires defendunt se. Præstò sunt fœminæ, tela suggerunt, cibum & potum petentibus administrant, vulneratos excipiūt. Illinc Macedones complere moliuntur fossam, materiam affatim cōgerunt, qua iniecta arma & cadauera cōtecta sunt. Eò dum occurrunt Lacedæmonij: cernunt Pyrrhū fossam superasse & plaustra, atq; irrumpere equo in vrbem. Cùm clamorē, qui ea parte erant locati, ederent: mulieresq; discurrerēt, & vlulatum tollerent: perrumpente Pyrrho & resistentibus instante, equus eius sagitta Cretica infra ventrē ictus est. quo vulnere concitus, doloris magnitudine Pyrrhū in fastigium lubricū & pronū effudit. Tumultuantibus, qui circa eum erant, amicis accurrerūt Spartiatæ telorumq; vi omnes exegere. Tum receptui cecinit, Lacedęmonios arbitratus, quòd saucij omnes, multi

multi eorum interfecti essent, fore infractiores. Enimuerò prospera vrbis fortuna siue ciuium virtutem in se ipsa periclitans, siue quantā rebus perditis vim habeat, ostentans: spe abscissa Lacedæmoniorū Phocensem Ammeniam ducem Antigoni cum auxilio militum externorū introduxit ex Corintho in vrbem. Commodùm hi recepti vrbe erāt, cùm ex Creta rex Areus cum duobus millibus militū aduenit. Ibi fœminæ exēplò domos suas dilapsæ, nō immiscuerūt se vltrà rebus bellicis: illicq; dimissis, quos in arma præter ætatē coēgerat necessitas, ad pugnā se accinxerūt. Porrò peruicacia quædā & ambitio Pyrrhū magis ob ea, quæ accesserāt auxilia, ad expugnandā impellebat vrbē. Vbi nihil successit, detrimēto afflictus destitit cœpto, agrosq; depopulatus est in animo habēs ibidem hybernare. At fatū ineuitabile fuit. Argis factio aduersus Aristippū Aristiæ erat. Cùm autē intercedere familiaritas putaretur inter Aristippū & Antigonū, maturat Aristias Pyrrhū Argos accire. Ille spem ex spe voluens, & rebus secundis ad alias vtens occasiōes: ac sicubi incurrisset, rebus alijs sarcire laborās, neq; clade neq; victoria terminum faciebat sui & aliorum fatigandorū. Contendit igitur euestigio Argos. Areus verò crebris insidijs positis atq; vijs insessis aspertimis Gallos & Molossos, qui agmē claudebant, carpsit.

Pyrrhus Sparta reiectus, Argos petit.

Prænunciauerat aūt Pyrrho aruspex iocinore sine capite inuento vnius necessariorū eius iacturam. Ibi vrgente articulo oblitus ex tumultu et iactatione prędictionis imperat Ptolemæo assumptis familiaribus subsidium ferre laborantibus. Ipse ocyùs exercitū ex angustijs extrahens progreditur. Interea acris circa Ptolemęū coorta pugna dum delecti Lacedæmonij, quos Eualcus ductabat, manus conserunt cum hostibus: Orœsus quidam Cretensis Aptera ortus, vir impiger & pernix prætercurrit, ac strenuè dimicantem in latus percussit & occîdit iuuenē.

Pyrrhi filius Ptolemæus cæsus.

Ad cuius casum terga vertentem eius cateruam dum insequunt & cædunt Lacedæmonij, relicto peditatu cōiecerunt se imprudentes in campū. In quos Pyrrhus nunciata modò filij nece ingenti percitus dolore Molossorū equitatum cōuertit, atq; ipse ante alios inuectus cæde se satiauit Lacedæmoniorum. Semper quidē inuictum ostendit se & terribilem in armis: cæterùm tunc certamina priora audacia & strenuitate superauit. Vt equū Eualco adegit, deflectens Eualcus in latus penè amputauit gladio manū Pyrrhi sinistrā: verùm delato in habenas ictu has incîdit: Pyrrhus verò traiecit eum lancea, atq; cum ictu equo delapsus est, & pedes iam omnes, qui ad corpus protegendū Eualci pugnabant, contrucidauit delectos. Hoc, quod non fuit exiguum, detrimentū belli confecti nequicquā inuexit pertinacia ducis. Pyrrhus postquàm filio quasi inferias dedit, magnificamq; edidit tanquàm ludos funebres pugnam, ac magnā partem mœroris in iram effudit hostilē: mouit Argos. Cùm Antigonum iam cōsedisse accepisset in locis editis campo imminentibus, castra prope Naupliam est metatus. Insequenti die misso ad Antigonum caduceatore consceleratū eum appellauit prouocauitq;, vt in planiciē descenderet, atq; de regno secum decerneret. Ille verò ductum suum respondit nō armorum magis q̄ temporum esse: Pyrrho, si vitæ pœniteret, multas patere ad interitum vias. Vtrumq; autē adierūt legati Argiuorum, vt abscederent orantes, neq; ciuitatem vtriusq; studiosam in potestatē sinerent recidere alterius. Antigonus assensus est, deditq; Argiuis filium obsidē. Pyrrhus verò cùm recepisset se castra inde moturum, nec daret pignus, suspectior erat. Porrò ipsi tum Pyrrho magnum prodigium factū est.

Prodigia cædis Pyrrhi.

Namq; boum, qui immolati erant, seiuncta iam à corpore capita linguas viderunt exerentia & circumlambentia suum proprium sanguinem. In vrbe Argis Lycij sacerdos Apollonis procurrit in publicum clamitans cadaueribus & cruore conspicere se vrbem manantem: procedere ad certamen aquilam, mox euanescere. At Pyrrhus multa de nocte ad muros venit. Portam, quam Dianiperes vocant, reperit ab Aristea sibi patefactam: nec quousque Galli, quos secum habebat, insinuassent se in vrbem, forumq; occupassent, sensit aduentum eius quisquam.

Pyrrhi in vrbe Argis pugna.

Elephantos quia non capiebat porta, atque ideo turres eis detraherenr, mox eas reponerent in tenebris cum strepitu: inter hanc moram re percepta recurrunt ad Aspidem & parteis vrbis munitiores Argiui, & Antigonum per nuncios accersunt. Ille ipse quidē exercitu propè admoto substitit imminens in occasionem. Duces verò filiumq; cum magno subsidio in vrbem submisit. Adfuit Areus quoque cum mille Cretensibus & expeditissimis Spartiatis, qui omnes Gallos simul adorti magnopere eos consternauere. Pyrrhus autem cum vlulatu & fremitu ad Cylarabin ingressus. Vbi Galli globo suo clamorem reddiderunt: non fidentium & alacrium, sed trepidantium & laborantium coniecit eum esse. Properè igitur antecedentes impellens equites, qui ægrè per cloacas, quas habet vrbs frequentes, incedebant

Danaus occupat Argos.

Apollo Lycius.

Helenus Pyrrhi filius.

Pyrrhus à muliere tegula casus.

Antigoni humanitas in cadauer & amicos Pyrrhi.

debant atque in periculo versabantur, accurrit. Erat in prælio nocturno magna eorum, quæ agebantur & imperabantur cæcitas, errationes, & diuulsiones per vicos: neq; dari vllum imperiũ per tenebras & ancipitem strepitum angustiasq; poterat, sed ita tempus ducebant diem vtriq; operientes. Vbi iam diluxit, Aspidem contemplatus Pyrrhus armorum plenã hostilium perculsus est. Cumq; aspiceret in foro inter ornamenta cætera æneum lupum & taurũ velut ad pugnã commissos, obtorpuit: quòd subiret eum vetus oraculũ, in fatis esse, vt occumberet, vbi lupum pugnantẽ spectaret cum tauro. Hoc ve- tusti monumentũ casus apud se memoranr Argiui locatum. siquidem Danao, cùm pri- mùm in eam oram appelleret, in Pyramijs Thyreatidis Argos petẽti lupum visum cum tauro certantem. Danaũ verò, qui statuit lupũ ab se stare: quòd indigenas externus sicut ipse aggrederetur, spectatorẽ se præbuisse pugnæ. Cùm victoriã obtinuisset lupus, vo- to facto Apollini Lycio adortũ vrbem fuisse eaq; potitum electo per seditionem Gela- nore, qui tũc apud Argiuos regnabat. Ac statua ea de causa posita fuerat. Hoc specta- culo Pyrrhus, simul q; tuhil eorum, quæ expectauerat, progrederetur: deptehensus cogi tabat se recipere. verùm portarũ angustias timens, Heleno filio, qui extra vrbem fuerat cum magna parte copiarũ relictus, imperauit per nuncios, vt muri partẽ dirueret & exci peret exeuntes, si hostes vrgerent. Cæterùm q; prę festinatione & trepidatione nuncius nihil certi nũciaret, atq; interueniret insuper eiror, reliquas beluas & milites fortissimos quosq; trahens secũ adolescens, in vrbem per portã ad ferendã parenti opem pergit. Iam regrediebatur Pyrrhus: & quoad recipienti se & prælianti forũ spaciũ dabat, reiecit sub- inde instantes. At postquàm ex foro in viã angustiorẽ, quæ ad portã ferebat, extrusus incurrit in eos, qui ei subsidio veniebãt ex aduerso occurrentes: alij, vt cederent, vocife- rantem nõ exaudiebant: alijs perq; impigrè obsequentibus obstabãt illi, qui ponè à por- ta affluebant. siquidẽ maximus elephas in potta per trãsuersum prolapsus stridensq; im- pedimento iacebat resilientibus: & alter eorũ, qui antè ingressi oppidũ fuerant, Niconẽ dicebãt, quęrens rectorẽ, qui defluxerat ex vulnerũ multitudine, attollere, obiecit se ob- uiàm pedẽ referentibus, impulsuq; suo socios & hostes vnà cõfudit: qui incurrerunt in se mutuò, donec repertũ cadauer proboscide sustulit, atq; eo ambobus excepto dentibus retrò se retulit, ac furibundus obuios quosq; prostrauit exanimauitq;. Ita cõferti & con- stricti inter se cùm essent, nihil administrari per quenquã viritim poterat: sed velut vnũ corpus in se cõpactum vniuersus globus multa capiebat in vtramq; partẽ momẽta & vo lumina. Parum quidẽ erat cum inferentib. se subinde hostibus aut à tergo imminẽtibus certaminis, sed maximã sibimet ipsi calamitatẽ inferebant. quippe ensem qui strinxerat, aut lanceã inclinauerat, nõ erat recipiendi recondendi'ue facultas: verùm eis temerè ob- uium quemq; transfodiebãt, incurrentesq; in sese mutuò occumbebant. Pyrrhus præ- sentem tempestatẽ & fluctũ contemplatus coronã, qua erar insignis galea sua, detractã tradit vni ex amicis. Inde fretus equo in hostes inuehitur inhærentes, ac lancea per lori- cam ictus vulnere accepto haud letali vel magno cõuertit se in eũ, à quo vulneratus fue- rat. Argiuus ille erat, nõ illustri ex domo, sed paupercul æ anus filius. Ea cùm præliũ si- cut mulieres reliquæ spectaret ex tecto, cernẽs cum Pyrrho filiũ congressum & cõmota periculo eius tegulam ambabus manibus sustulit, eamq; in Pyrrhum librauit. Hac in ca- put, qua tectũ casside erat, delata & vertebris ad basim ceruicis collisis visus eius est cali- gine obductus, frænũ defluxit è manibus, ipse ꝓlapsus ex equo ad Lycimnij monumen- tum in terrã cóncidit. Vulgus aũt non cognouit eum. Cæterùm Zopyrus quidam, qui merebat sub Antigono, duo præterea vel tres cõcurrentes, vbi illũ esse animaduerterũt, in vestibulum quoddã raptauerunt incipientẽ se ex ictu colligere. Zopyrũ, qui gladium Illyricum ad caput suum decidendum strinxerat, ita intuitus est toruè: vt ille expauescẽs partim tremulis manibus, partim moliendo, terrorisq; & stuporis plenus non directo, sed secundum os & mentum detruncaret, ac vix longo spacio demeret caput. Innotue- rat iam casus hic multis. Itaque accurrẽs Alcyoneus postulauit caput, vt si inspicere vel- let. Vbi accepit, ad patrẽ aduectus abiecit id ad pedes eius cum amicis cõsidentis. Qui vt caput aspexit & agnouit: filiũ abegit incusso baculo, nefariũ & barbarũ vocãs: ac chla myde oculis admota illachrymauit, aui Antigoni & patris Demetrij domesticorũ exem plorum ad fortunæ vices recordatus. Caput & truncũ Pyrrhi cremauit magnificè. Cùm verò Alcyoneus Helenum, in quem inciderat, abiectũ atq; obsoleta opertũ chlamydu- la benignè appellasset & ad patrem adduxisset: Antigonus, vbi id vidit: Meliùs, inquit, sic fili quàm antè: sed tamen nec nunc quidem rectè: quòd vestem hanc, quæ nos ma-

gis,

gis, qui videmur victores, dedecorat, nõ detraxeris. Inde comiter exceptum & ornatum in Epirum remisit Helenũ, amicosq; Pyrrhi castris & exercitu toto in potestatem suam redactis humaniter appellauit.

C. Marius.



. Marij non extat tertiũ nomen, sicut nec Q. Sertorij, qui Hispaniã tenuit, nec L. Mommij, qui expugnauit Corinthum. Nam Achaius ei cognomen ex rebus gestis partum est, vt Africanus Scipioni & Macedonicus Metello. Quo potissimũm conuincere Posidonius arbitratur se illos, qui nomen Romanorum censent tertium proprium esse: velut Camillũ, Marcellum, Catonem. quippe sic nomine caruisse eos, quib. duo duntaxat nomina fuere. Cæterùm fallit eum, quòd è diuerso hac ratione fœminas spoliet nomine. Nulli enim primum nomẽ fœminæ datum est, quod proprium Posidonius Romanis existimat: Reliquorum alterum cõmune ex gente esse, Pompeios, Manlios, Cornelios: vt si Heraclidas dicas & Pelopidas: Appellatiuum alterum ex apposito, mutuatum à natura vel factis, vel à corporis figuris & vitijs, ceu Macrinum, Torquatũ, Syllam: cuiuscemodi est Mnemon, vel Grypus, vel Callinicus. Cæterùm contra hæc multas argumentationes præbeat consuetudinis diuersitas. Porrò faciei Marij Rauennæ vidimus in Gallia positum simulachrũ statuam marmoream, quæ mirè morum eius acerbitatem & amarulentiam refert. Nam natura cùm virilis & bellicosus esset, atq; disciplina imbutus militari potius quàm ciuili: impotenti iracundia fuit in imperijs. Dicitur autem neq; literas Græcas gustasse, neq; Græcam linguam vlla in re seria vsurpasse: quasi ridiculum foret literas addiscere eas, quarum alijs seruirent præceptores. Post secundũ triumphũ, cùm in ædis cuiusdam sacræ dedicatione spectacula Græco more ederet, ingressus theatrum assedisse tantùm, mox discessisse. Vt igitur ad Xenocratem philosophum, quem esse apparebat ingenio horridiore, crebrò dicere Plato solebat: Age Xenocrate Gratijs sacrifica: Ita si Marium quis induxisset, vt Musis & Gratijs Græcis sacra faceret: non rebus clarissimis domi militiæq; gestis fœdissimum imposuisset fastigiũ, qui ex iracundia atque intempestiua ambitione auaritiaq; inexplebili in funestissimam & efferatissimam senectutem impegit. Cæterùm hæc in ipsis actionibus eius statim liquebunt. Parentes eius prorsus obscuri, operarij & inopes fuere. Pater fuit ei cognominis: Mater Fuluia dicta. Serò tandem vrbem vidit vitamq; gustauit vrbanã. Reliquũ ætatis in vico agri Arpinatis Cirræatone egit. Vita horridior fuit, ab vrbanisq; & ciuilibus moribus alienior, frugalis autem atq; priscis Romanorum institutis accõmodatior. Prima stipendia bello Celtiberico sub Scipione Africano, cùm obsideret Numantiã, fecit. Neq; eius virtus inter iuuenes præcellens alios fefellit imperatorem: ac quòd disciplinæ mutationem, quam delicijs luxuq; perditis militibus Scipio imposuit, hic facillimè amplecteretur. Dicitur insuper cum hoste congressus in conspectu imperatoris eum oppressisse. vnde & alijs honoribus est ab illo euectus: & cùm sermo esset aliquãdo à cœna illatus de imperatoribus, atq; ex conuiuis vnus, siue seriò ambigeret, siue assentandi causa rogaret Scipionem: quem nam post ipsum populus Romanus talem ducem & principem esset habiturus? Scipio manu humero Marij, qui supra eum cubabat, leniter percusso: Hunc fortassis, inquit. Tanta fuit indoles in Mario, vt in adolescente iam futura magnitudo eluceret: in illo, vt ex rudimentis intelligeret finem. Fertur hac præsertim voce Marius quasi diuino oraculo in spem erectus ad rempubl. se contulisse, ac Cecilij Metelli fauore, in cuius familiæ clientela perpetuò à patre vsquè fuerat, tribunus plebis factus. In tribunatu cùm legem ferret de suffragijs, quæ priuare primores videbatur potentia, quam in iudicijs obtinebant: repugnauit ei Cotta consul, fuitq; author senatui, vt legem oppugnaret, & Marium ad rationem reddendam facti sui vocaret. Hoc senatusconsulto perscripto ingressus curiam ille non gessit se vt iuuenis, qui nullis subsidijs gloriæ modò rempubl. attigisset: sed sumptis iam spiritibus tantis, quantos ei res gestæ dederunt sequentes, minatus est Cottæ, nisi induxisset senatusconsultum, se eũ in carcerem ducturum. Vbi conuertit se ille ad Metellũ & sentẽtiam rogauit: exurgens Metellus

De nominibus Romanorum.

Marij forma.

Marius alienus à Græcis literis.

Marij parentes & mores, & patria.

Scipionis Africani de Mario iudicium.

Marij tribunatus.

Metellus assensus est consuli. Marius ibi accito lictori ducere in vincula praecepit ipsum Metellum. quo alios tribunos appellante, nemo fuit ei auxilio: Ita cedens senatus antiquauit decretum. Marius inclytus in concionem egressus legem pertulit: habitusq; est aduersus metum infractus, & inflexibilis pudore, ac commodorum plebis fore cōtra patres defensor insignis. At hanc opinionem alia actione citò inuertit. nam cùm ferretur lex frumentaria, eam enixissimè oppugnauit & abrogauit. Vnde parem honorem est vtrobiq; meritus: qui neutri parti, quod damnosum foret reipubl. largiretur. A tribunatu aedilitatem maiorem petiuit. Duo enim ordines sunt aedilitatis. Altera à sellis curulibus, quae incuruis erant pedibus, ex quibus munia magistratus explicabant, nomen traxit. Altera inferior plebis dicitur. Vbi aediles curules creauerunt, mox de aedilibus plebis ineunt suffragia. Vt Marius in superiori se vidit praeteriri, confestim transijt ad petendam aedilitatem plebis. Verùm quia nimiùm eum iudicauerunt audacem & praefractum, repulsam tulit, qui quamuis bis eodem die deiectus honore fuit, quod praeter eum accidit nemini, nihil dimisit tamen animos: sed haud multo pòst praeturae candidatus penè repulsam est passus: ac licet nouissimus omnium renunciatus fuit, ambitus est postulatus. Suspicionem mouit potissimùm Cassij Sabaconis seruus intra tabulata conspectus inter eos, qui suffragia ferebant. quippe erat imprimis necessarius Sabaco Marij. Hic à iudicibus interrogatus respondit, quòd ex aestu sitisset, frigidam se postulauisse, & seruum cum poculo ad se ingressum, simul atq; bibisset, abscessisse. Atq; hic quidem senatu à proximis censoribus motus est: visusq; vel ob falsum testimonium, vel ob intemperantiam meritò notatus. C. Herennius quoq; citatus testis ait patronis ex lege non esse testimonij in clientem dictionē, sed esse ab eo onere patronos solutos. Herennij autem familiae semper parentes Marij atq; Marium ipsum clientes fuisse. Cùm reciperent testimonij recusationem iudices, Herennio ipse reclamauit Marius: quòd simul vt fuit primum magistratum nactus, clientelam excessisset. Id non erat vndequaq; verum. Neque enim liberat quilibet magistratus obseruantia patroni clientes eorumq; posteritatē, sed curulis tantùm. Verumtamen quanquàm primis diebus multū fuisset in iudicio Marius iactatus atq; infestis vsus iudicibus, postremo tamen praeter expectationem aequantibus sententijs est absolutus. Ac praeturae eius mediocris laus fuit. Ex praetura vlteriorem Hispaniam sortitus, dicitur prouinciā latrocinijs purgasse nondum moribus pacatam vastamq;: quo tempore latrocinari Hispani adhuc pulcherrimum ducebant. Ad negocia vrbana reuersus neq; diuitijs neq; eloquentia, quibus illius temporis principes trahebant populum, est subnixus. Caeterùm quia minaces eius spiritus, indefatigati labores, vita popularis grati ad plebem erant: honoribus prouectus est ad opes, vt splendidas nuptias conciliaret, atq; ex nobili Caesarum domo Iuliam duceret vxorem amitam Caesaris. qui Romanorum pòst potentissimus fuit, Mariumq; ex necessitudine est aemulatus aliquatenus, vt in historia illius exposuimus. Mario praeterea temperantiam & tolerantiam tribuunt: cuius est documentum curatio, quae manu ei adhibita fuit. siquidem cùm haberet vtrunq; crus varicū plenum, & deformitate angeretur: statuit se praebere medico, praebuitq; non ligatus alterum crus: neq; mouit se vel ingemuit, sed vultu immoto pertulit dolores in secando intolerandos. Cùm inde ad alterum crus medicus transiret, detrectauit illud porrigere, ac, Video, inquit, non tanti esse emendationem, vt eum feram dolorem. Postquàm autem Caecilius Metellus consul ad bellum cum Iugurtha gerendum in Africam proficiscens Mariùm legatum secum duxit: ibi magnificarum gerendarum rerum & certaminum nactus occasionem, vt aliorum more amplificaret Metellum, actionesq; suas ad illius dignitatem conferret, non habuit curae. Cùm verò adhibitum non existimaret se à Metello legatum, sed simul in opportunissimū tempus & in rerum inductum theatrum patrandarum maximarum: omnem virtutem explicuit. Cùm multas haberet id bellum asperitates: nihil tam arduum erat, quod dubitaret subire: neque tam paruum, quod non dignum se putaret, verùm pares dignitate consilio & prudentia superando, cum militibus de frugalitate & patientia laboris certādo mirè eos cōciliauit sibi. Omninò enim est laboris cuique voluntaria laboris societas leuamentum. Videtur enim ea adimere necessitatem. quippe gratissimum est Romanis spectaculum, si in victu eodem dux ac miles pane vescatur, vel humili in thoro quietem capiat, vel ducendae fossae & vallo faciēdo vnà cum militibus manum admoucat. siquidem non perinde imperatores, qui honores & pecuniam largiuntur eis, vt laboris & periculi socios venerantur. Imò maiore amore prosequuntur consortes laboris, quàm ipsorum ignauiae

Aedilitatis duo ordines.

Marij repulsa in aedilitatis petitione.

Marij praetura.

Marium ambitus postulatus.

Marij in Hispania gesta.

Marij uxor Iulia.

Marij temperantia & tolerantia.

Marius Metelli legatus bello Iugurthino.

Laboris societas conciliat milites duci.

ignauiæ indulgentes. His artibus Marius atque his militum conciliationibus citò Africam, citò vrbem nomine suo & gloria impleuit: qu òd milites domum scriberēt ad suos, nullum fore belli cum Iugurtha finem, nisi C. Marium consulem fecissent. quæ res offendit nō obscurè Metellum. Cæterùm multo maximè casus eum Turpilij torsit. Intercedebat Metello cum illo vetus ius hospitij, atq; eo bello præfectus fabrûm in exercitu erat. qui, cùm præpositus præsidio Vaccæ magnæ vrbis esset: q̀ ciues nulla re violaret, sed eos leni & benigno imperio haberet, cōfisus imprudens venit in hostium potestatē. siquidem Iugurtham in vrbem acceperunt, nec Turpiliū tamen vlla re læserunt: sed vita ei precibus impetrata inuiolatū dimisere. qua de causa accusatus est proditionis. Cùm de eo quæreretur: aderat in consilio Marius, ac tū acerbus ei erat, tū plerosq; alios in eum incendit, vt Metellus hominē cogeretur inuitus rei capitalis damnare. At paulo pòst apparuit falsum crimē. Vbi cùm multis esset dolor Metelli molestus, Marium exultantem & hoc factum sibi arrogantem nō puduit in circulis dicere: Vltrices diras se hospitis interfectori inflixisse Metello. Hinc apertæ offensiones inter eos extitere. Fertr aliquando præsente Mario quasi insultandi causa Metellus dixisse: Tu verò cogitas homo preclare relictis nobis domum redire & petere consulatum? Satis'ne maturè cum hoc meo filio consul fies? Erat tunc filius Metelli admodū adolescens. Verumenimuerò missionem vrgente Mario, cùm sæpiùs reiecisset eum, tandem cùm nō plus duodecim dies superessent ad comitia cōsularia, dimisit eum. Cæterùm hic prolixo à castris itinere Vticam ad mare biduo & vna nocte cōfecta ante quàm cōscendit, sacrificauit. Fama est dixisse aruspicem, mirificā & ingentem ac supra omnē spem ei portendi à dijs felicitatem. Ita spei plenus vela fecit. Quatriduo mare secundo vento trāsmisit. fuit aduentus eius statim populo gratus, productusq; ab vno tribunorū plebis in concionem obtrectando vehementer Metello viam sibi ad consulatum muniuit, pollicens aut viuum aut mortuū in potestatem se redacturū Iugurtham. Postquàm cōsul magno fauore renunciatus est, illicò delectum cōtra legem & mores habuit, conscripsitq; frequentes capite censos & seruos: cùm priores duces eos sacramento nō rogassent, sed arma sicut honores alios à censu cōmitterent: videbaturq; suas quisq; facultates pignori opponere. Neq; hoc modò reprehēsum in Mario est, sed & cōiuncta cum superbia & insolētia dicta ferocia primores pungebant. Clamabat consulatū se ex nobiliū & locupletiū mollitia prædā capere: vulnera propria ad populū, nō mortuorū titulos neq; imagines iactare alienas. Crebrò etiā duces, qui res parū prosperè in Africa gesserant, hinc Bestiam, hinc Albinū claris natos familijs, sed imbelles, quiq; ob bellandi imperitiā offenderant, appellans rogauit circumstantes: putarent'ne illorū maiores potiùs sui similes optaturos nepotes relinquere, vt qui nec ipsi ex nataliū splendore, sed ex virtute & egregijs factis clari euasissent? Hæc non vanè neq; arroganter effundebat, nec quò in principes incurreret gratis: verùm gestiens senatus cōtumelia populus atq; verborū procacitate semper metiens animi celsitudinem subleuabat eum stimulabatq;, vt in gratiā plebis ne parceret nobilitati. Vt in Africam traiecit, Metellus inuidia victus animiq; æger, q̀ confecto per se bello: cùm nihil restaret, nisi corpus vt teneret Iugurthæ: lauream & triumphū sibi Marius eriperet auctus ex inuidia sua: non induxit animū cum eo congredi, sed fugit eius conspectū. Exercitus aūt Mario à Rutilio Metelli legato traditur. At deorum ira ad finem huius belli in Marium vertit. siquidem huius gloria belli ab Sylla, sicut ab ipso Metellus, orbatus est. Quod quemadmodū sit gestum, paucis memorabo. Nam prolixè singula in vita Syllæ executus sum. Rex Mauritaniæ Bocchus gener erat Iugurthæ. Hic bellum gerenti nō multum auxilij misit causatus perfidiā eius & timens incrementū. Postquàm autem fugitans & oberrans illum rebus perditis velut vltimā spem respectauit, atq; ad eum confugit: pudore magis vt supplicem q̀ amore recepit eum. Quem vt habuit in potestate, in propatulo deprecator pro eo intercedebat apud Mariū, scribens nō dediturum se eum, defendebatq; eius causam: occultè verò prodere eum moliens L. Syllam Marij quæstorem, qui officiosus per bellū fuerat in se, accersit. Vt habita fide profectus ad eum Sylla est, mutatio cōsilij & pœnitentia cepit barbarū: multosq; dies anceps varia animo agitauit deliberans vel tradere Iugurtham vel etiā Syllam retinere. Tandem priorem proditionem cōfirmat, ac Syllæ Iugurtham viuum tradit. Hæc prima extitit atrocissimi illius & grauissimi belli ciuilis, quod penè imperium Romanū euertit, sementis. quippe complures inuidia Marij ascribebāt eam rem Syllæ. Atq; ipse Sylla sigillum habebat, in quo Bocchus erat Iugurtham ei tradens insculptus: quo sigillo vsus est perpetuò. Eo facto

Marius author vt in Turpiliū animaduerteretur, falsò proditionis reum.

Offensiones inter Marium & Metellum.

Annos XX natus, teste Salustio in Iugurt.

Marij primus consulatus.

Marius exagitat nobilitatē.

Val. Max. lib. 2. cap. 2.

Marius priuat Metellum honore deuicti Iugurthæ.

Iugurtha à Boccho traditur Syllæ.

Belli ciuilis inter Marium & Syllam prima causa.

hominem ambitiosum & ad participandam gloriam in socialem peruicacemq́ stimulauit Marium, irritãtibus potissimùm eum aduersarijs illius: qui exordiũ belli & pręcipua Metello, extrema ac finem tribuebãt Syllæ: quò populũ, qui oculos imprimis defixerat in Marium, ab eius auerterent admiratione. Hanc tamen inuidiam, odium, obtrectationes citò Mario detersit & consopiuit ab occidente ingruens Italiæ periculũ. Nam vt primùm ciuitas magnum ducem desiderauit & circumspexit, quo ad puppim sedente tantum belli declinaret fluctũ: nemo vllus ex nobilitate vel ex opulentis familijs candidatũ se cõsulatus est professus, sed Marium absentẽ consulem fecerunt. Modò enim nunciatum fuerat Iugurthã esse deuictum, cùm rumores de Teutonis & Cimbris increbuere. Ferebatur eorũ initiò incredibilis colluuies viresq́ imminentiũ legionum: qui rumores tamen post minores vero sunt reperti. siquidem bellatores & armati trecentena millia in agmine erant. Puerorũ mulierumq́ longè maiores cateruas dicebantur secũ trahere. Hi agros quærebant, qui tantã multitudinẽ alerent: & oppida, in quibus sedes ponerent ac vitam agerent: sicut olim Gallos acceperant vberrimũ agrum Italiæ expulsis Tuscis occupauisse. Hos autem, quòd nullum haberent cum alijs cõmercium, atq; ex tractibus aduenirent longinquis, nemo nouerat, qui mortalium essent, aut vnde profecti nubium modo incumberent Galliæ & Italiæ. Ex corporũ verò proceritate & cæsijs oculis maximè nationes Germanicas cõiectabant esse, Oceanum Septentrionalem accolentium, & quòd Cimbros Germani nominent latrones. Sunt qui Galliã longitudine regionis & laxitate ab Oceano & Septentrionalibus plagis ad Orientẽ versus lacũ Mæotin vergere & ad Scythiam Ponticã perhibent pertinere: atq; inde illas cõmistas gentes. Has domo egressas nõ vno neq; perpetuo impetu, verùm quoq; anno semper porrò progrediẽtes sub ver arma circumferendo peragrasse cõtinentem Europæ. Quapropter etsi diuersa singulatim haberent vocabula, cõmuni appellatione exercitum Galloscythas dixisse: Alij autumant Cimmerios, qui primi à Græcis cogniti quondam sunt, partem exiguam fuisse vniuersi, tantũ cateruam quandam profugorum vel seditiosorũ ab Scythis cõpulsam, à Mæotide palude in Asiam duce Lygdamio traijcere. Maximam eorũ multitudinem & bellicosissimã in vltimis oris ad Oceanum habere sedes. Regionem incolere ob profundas & densas syluas, quæ ad syluam Herciniã introrsum pertineant, caliginosam, nemorosam, opacamq́. Cœlum sortitos, qua polus Septentrionalis ex parallelorũ inclinatione sublimis parum distare videtur ab imminente incolarũ vertici puncto: vbi dies breuitate & prolixitate pares noctibus in partes duas secant anni tempus. Vnde argumentum suppeditasse Homero fabulæ de inferis scribenti. Atq; inde hosce barbaros in Italiã mouisse, qui primùm Cimmerij, tunc nõ absonè Cimbri dicti sunt. Cæterum hæc ex coniectura potius q̃ pro comperto cõmemorantur. Colluuiem illam non minorẽ, sed etiam fuisse q̃ dictum est maiorem, à multis proditum est. Hi animo, ferocia, & strenuitate in prælijs inuicta, tanta pernicitate & vi vt ignis imminebãt. Nec eorum impressioni obsistebat quisquã: sed omnes, quos aggressi sunt, agebantur ferebantur. Multi etiam & ingentes exercitus ducesq́, qui tuebantur Galliã Transalpinã, fœdè obtriti. Hi vel maximè impetum eorum malè pugnando Romam attraxere. Superatis enim illis, in quos fuerant delati, præda pleni statuerunt nusquã gentium considere prius, quàm Romam excidissent & Italiam vastassent. Quæ cùm ad vrbem essent diuersis ex locis nunciata, acciuerunt ad bellum gerendũ atq; iterum consulem designauerunt Mariũ. Cùm lex autem absentẽ & nisi interiecto certo spacio vetaret denuò creari consulem, repudiauit populus aduersantes. quippe non modò primum arbitrabanẽ expedienti concedere legem, neq; alieniorẽ præsentem causam illa, ob quam cõtra leges consulem creauerant Scipionem: cùm non timerent vrbis suæ perniciẽ, sed Carthaginem cuperent euertere. Hæc sententia obtinuit. Marius deportatis ex Africa legionibus, ipsis Calendis Ianuarijs, quem diem Romani initiũ anni celebrant, consulatum inijt & triumphauit, atq; incredibile populo Romano spectaculũ exhibuit vinctum Iugurthã. quo viuo nemo sperauerat se prouinciam illam cõfecturum. Adeo erat versutus ad se omni fortunæ accommodandũ, magnoq́; animo misto cum vafricie præditus. Verùm tunc ante currũ ductus de gradu, vt perhibent, deiectus est. Post triumphũ in carcerem condito alij tunicã violenter dilacerauerunt, alij vi demere aureã inaurem accelerantes vnà infimã auriculam auulsere. Vbi detrusus nudus & deiectus in infimũ carcerem est, attonitus & cauillans: Papæ, inquit, quàm est frigidum vestrum hoc balneũ. At hic cum fame sex dies luctatus atq; ad extremũ vsq; vitæ cupiditate hians dignũ sceleribus suis exitum inuenit. Transla-

lata

Theutones & Cimbri Italiam petunt.

Cimbri.

Galloscythæ.

Cimmerij.

Cimmeriorũ regio & in ea dies sex mensium.

XI. Odyss.

Marij secundus consulatus, isq; legibus solutus.

Marij primus triumphus.

Iugurthæ exitus, & Cauillũ.

lata in triumpho memorant tria millia & septem pondo auri, argenti non signati quinque millia septingenta LXXV. argenti signati septemdecim millia octo & viginti denarios. Peracto triumpho indixit senatum Marius in Capitolium, atque imprudens'ne an fortuna sua elatus insolentiùs ingressus curiam est veste triumphali. Verùm citò offensum animaduertens senatum exurrexit, sumptaque rediit prætexta. In expeditionibus milites agmen duces subigebat, variisque cursibus & magnis itineribus exercebat. Res suas ipsos adigebat ferre & cibaria parare. vnde pòst factum, vt laboris patientes & imperatis morem gerentes silentioque parentes mulos Marianos vocarent. Sunt tamen, qui hoc dictum aliunde putent natum. Cùm Scipio in obsidione Numantiæ non modò arma vellet & equos inspicere, verumetiã mulos & vehicula, quemadmodum culta & parata essent: produxisse equum suum Marium optimè saginatũ ab se, & mulum longè aliis corporatura & mansuetudine & robore præstantẽ. Cùm Marij iumenta imperator cõmendasset, multamque eorum faceret mentionẽ: ita tandem cùm falsè laudarent assiduum, tolerantem laboris, industriũ, mulum Marianum vocasse. Porrò magno fortunæ fauore vsus est Marius. Nam cùm barbari quasi quodam impetus refluxu ferrentur priùs in Hispaniã: spacium habuit corpora militũ exercendi & animos eorum ad audendum firmãdi: & quod erat primum, vt illi, qui esset, discerent. siquidem toruitatem eius atque in exigendis pœnis seueritatem assuetis non delinquere nec contumaces se præbere cùm iustam tum salutarem apparuit esse. Iam iræ ardorem, vocis asperitatẽ, horridum vultũ paulatim assuefacti non sibi, sed hostibus duxerunt formidolosum. Præcipuè integritas in iudicando eius ꝓbata militibus est. Cuius hoc instar memorãt: In exercitu Marij sororis filius præfecturam * C. Lusius habebat, cætera non habitus improbus, sed impotenti amore ardebat adolescentulorum. Hic adolescentis ex cohorte sua nomine † Trebonij amore flagrabat. quem cùm frequenter appellasset de stupro, non potiebatur voto. Postremò accersitus nocte per ministrũ Trebonius venit. neque enim vocato nõ parère licebat. Introductus ad eum in tabernaculum vim adhibentẽ stricto gladio cõfodit. Hoc absente actũ fuerat Mario. Reuersus Trebonium ad causam dicendã citauit. qui cùm multis accusantibus, defendẽte se nemine ipse imperterrito vultu exposuisset rem, & testes edidisset sæpiùs attentantem repulisse se Lusium, nec voluisse mercede adductum vlla pudorẽ prostituere: miratus Marius factum, cõprobauit id: coronamque, quæ conferri virtutis causa solebat, adferri iussit, eaque Trebonium donauit: quòd pulcherrimũ actum articulo, quo maximè foret bonis exemplis opus, edidisset. Id Romam nunciatum imprimis Mario tertium consulatum cõfecit: simul etiam, quia ineunte vere aduentus barbarorũ in expectatione erat, nolebãt vllo alio duce aleam Martis cum illis iacere. Non tam citò tamen, vt ferebat opinio, aduenerunt: sed cõsulatus tempus iterũ Mario circumactus est. Vrgentibus comitiis cùm defunctus collega eius esset, relicto ad exercitũ M. Aquilio contendit Romam. Ibi multis & insignibus viris consulatũ ambientibus L. Saturninus, qui præcipuè inter tribunos impellere valebat plebem, quem circumegerat in se Marius, monuit eam pro cõcione, vt consulem illum crearent. Cùm Marius in speciem detrectare se cõsulatum nec cupere iactaret: proditorẽ eum patriæ Saturninus appellauit, q periculo impendente tanto bellũ suscipere gerendũ abnueret. Haud clam erat eum simulationi Marij inscitum histrionẽ seruire: verùm quod tempus videret populus requirere illius virtutẽ & fortunam, cõsulem quartùm eum designauerũt, collegamque ei Luctatium Catulum addiderũt magnæ virũ inter primores authoritatis, nec plebi ingratũ. Vbi hostes propè esse intellexit, raptim superauit Alpes, ac castris ad amnẽ Rhodanum cõmunitis cõuexit affatim eò cõmeatum: ne vnquàm nisi postulante vsu ex necessariorũ inopia dimicare cogeret. Subuectionem eorũ, quæ essent exercitui opus, cùm antè longinqua & sumptuosa mari fuisset, expeditã effecit & celerẽ. Nam ostia Rhodani maris refluxu magna vi limi oppleta arenaque alto cœno à fluctibus astricta periculosum morosumque & angustũ nauibus frumentariis co reddebãt decursum. Huc exercitũ ociosum cõuertit, fossamque grandẽ duxit: quo magna fluuij parte detorta deduxit illam ad opportunũ littus altam ac magnorũ nauigiorum patientem, quæ planũ haberet & tranquillũ ad mare ostium. Hæc nomen ab illo etiã hodie retinet. Barbari aũt bipertito, Cimbri locis superioribus per Noricos sortiti sunt aduersus Catulũ mouere atque aditũ illum perrumpere, Teutones & Ambrones in Mariũ per Ligurĩa secundũ mare. Longiùs Cimbri cunctati & morati sunt. Teutones & Ambrones cõfestim profecti emẽsa interiecta regione speciem præbuerũt immensi numeri, horribiles aspectu, vocèque & strepitu à cæteris abhor-

Muli Mariani.

Marij iustitia.

* Val. Max. habet Clusius, sed falsò, lib. 6. ca. 1.

† Val. Max. habet Cœlij Plocij.

Marij tertius consulatus.

Marij quartus consulatus.

Marius fossam à mari in Rhodanum ducit.

rentes. Amplexi magna ex parte campū castris locatis Marium ad certamen prouocauerunt.

Marij prudens patientia.

Ille nihil motus milites intra vallū cōtinuit, atq; acerbè increpauit ferociores, instantesq; nimios auium & pugnam poscentes proditores patriæ appellauit. Neq; enim de triumphis in præsenti vel de trophæis ostendit agi, sed quemadmodū tanta belli nube et fulgure discusso cōseruarent Italiam. Atq; hæc seorsum apud duces suos & paris dignitatis viros disseruit. Milites vicissim vallum cōscendere & speculiari iussit, vt vultū hostium ferre & vocē tolerare planè absonā feramq; assuescerent, arma item & tractationē eorum cōdiscerent. Ita temporis tractu horrenda in speciē reddebat in animo ex aspectu lenia. Multa enim cēsebat nouitatē horrendis vana affingere: assuetudine verò deponere & sua spōte formidanda terrorē. Atqui quotidianus hic aspectus militibus nō tantùm partem detersit pauoris, sed & ad barbarorū minas atq; intolerandā insolentiam feruor eos subiens irritauit & inflammauit animos: cùm nō modò proculcarent omnia circumquaq; hostes, sed in vallū quoq; magna ꝓcacitate & ferocia incursarent: vt voces & questus huiuscemodi venirēt ad aures Marij militū: Qua'nam nostra ignauia Marius à prælio nos vt fœminas sub clauibus & ianitoribus arcet? Agite, simus viri quæramusq;: nū quos alios operiaꝰ, qui dimicaturi sint pro libertate: nos verò ad opera facienda semper adhibebit, cum fossa agenda, extrahendū cœnum, & diuertēda sint flumina? Adhæc nimirū exercet nos multis ærumnis: atq; hæc vbi ediderit ciuibus consulatuū opera, domū redibit. An verò eum Carbonis casus & Cæpionis territant ab hostibus oppressorū: qui longè Mario gloria & virtute cōcesserunt, & multo deteriores habuerūt copias? Imo pati aliquid per virtutem præstat, ꝙ vt resides calamitatē spectemus sociorū. Ea audienti Mario grata erant. qui leniebat eos, quasi nō diffideret ipsis, sed ex oraculis quibusdā victoriæ pariter tempus & locū captaret.

Martha vates Syra Marij comes.

Namq; mulierē quandam Syram Marthā nomine, quæ ferebatur edere vaticinia, in lectica decumbentē magna circumducebat veneratione, & sacra illius monitu faciebat. quam senatus pridem, cùm de his differere vellet, & prænūciaret venientia, repulerat. Verùm postq; cum fœminis cōgressa documentū dedit sui, præsertim ad pedes vxoris Marij assidens, eamq; affata, qui esset ex gladiatoribus victoriā laturus, prædixisset: ab ea ad Mariū missa in honore habebaꝰ apud eum, ac lectica ferè vehebatur. Ad rem diuinā puniceo amictu duplici fibulato hastam vittis redimitam & coronamentis ferens procedebat. At hæc quidē fabula adduxit in dubitationē cōplures, vere'ne fidem ei Marius haberet, an seruiens ex cōposito huic fabulæ ostentaret eam mulierē.

Ostentum vulturum Mario factum.

Nam illud de vulturibus rem mirandā Alexander Myndius literis ꝓdidit. Duo ante victorias eius semper ostendebāt se comitabanturq; agmen ex æneis collaribus noti. Hæc enim addiderant captis milites, inde dimiserāt eos. Hinc notos salutabant milites: & cùm sese offerrent in expeditionē euntibus, velut læto gaudebant ostento.

Prodigia.

Inter multa prodigia, quæ cōparuerunt, reliqua trāslatitia erant. Ameria verò & Tuderto, quæ oppida sunt Italiæ nunciatū, visas nocte in cœlo lanceas ignitas & scuta huc illuc differri primùm, deinde cōcurrere inter se similibus figuris & motibus ac virorum pręliantium. Tandem his terga dantibus, illis restantibus in occasum omneis inclinasse.

Batabaces Sacerdos Ideæ matris.

Eadem penè tēpestate Batabaces Pessinunte aduentauit, Matris magnæ Ideæ sacerdos. Hic deam attulit ex adyto nunciasse sibi victoriā populo Romano magnumq; belli decus accessura. Cùm esset senatus assensus, atq; ædē Deæ victoriæ causa decreuisset: prodeunti in cōcionem, vt hæc ad populū ederet, Batabaci interdixit Aulus Pompeius tribunus plebis præstigiatorem appellans, hominemq; cum indignitate depulit ex rostris. quæ res cōmendauit potissimùm dicta eius. Nam simul atq; dimissa cōcione domum regressus Pompeius est, tanta vis occupauit eum febris, omnib. vt constaret & peruulgatū esset eum intra septimū diem expirasse. Porrò Teutones quiescente Mario adorti oppugnare castra eius, vt grando in eos cōiecta telorū est, atq; aliquot ex suis desiderauere, decreuerunt progredi, Alpes rati se nemine ipsos morante penetraturos. Vasis conclamatis castra Romana prætergressi sunt. Vbi maximè apparuit immensitas eorū transitus longitudine & diuturnitate. siquidem sex dies feruntꝰ continuato agmine statiua Marij pręterlati. Sub vallo incedentes rogabant per ludibrium Romanos, ecquid mandare vellent vxoribus: breui eas se visuros? Cùm superuenissent castra & procederent barbari, tum etiā Marius mouit, ac cōposito gradu subsequebatur, castra semper castris conferens. Sua castra, vt in tuto ꝑnoctaret, muniebat diligenter, ac firma loca capiebat. In hūc modum agmine facto ad Aquas † Sextilias, quas vocāt, ventū est: vnde progressis breue iter restabat ad Alpes. quare accingebat se Marius ad prælio ibi decernendum. Castris

† Sextias vocat Plin. & epitome Liuij.

ſtris locum cepit munitum illum quidem, ſed qui anguſtā haberet aquationem: quò militibus, vti ferunt, hunc quoq; adderet ſtimulum. Ibi multis infenſis atq; ſiti ferentibus ſe laboraturos, monſtrato manu eo, qui ſub caſtris barbarorum decurrebat, fluuio: inde ipſis ait potum ſanguine venalem eſſe. Quin igitur, inquiunt, actutum nos, dum liquidum ſanguinem habemus, in illos ducis? Atque ille ſubmiſſa voce: Antè, inquit, caſtra ſunt nobis munienda. Hic milites quamuis indignātes obtemperauere. Calonum verò & lixarum caterua, cùm neq; ipſis neq; iumentis ſuppeteret potus, manu facta ad amnē deſcendit. Alij aſcias, ſecures alij, nonnulli gladios quoq; & lanceas vnà cum vrnis ferebant, vt aquarentur vel per conflictum. Cum his primò pauci hoſtium manus cōſerere. Nam plerīq; loti prandebant, alij lauabant. quippe eo loco calidorum riuulorum ſcaturiunt fontes. Barbaros ex parte his ſeſe oblectantes, lociq; amœnitati & miraculo indulgentes oppreſſerunt Romani. Cùm ad clamorē plures concurrerent, iam Marius ægrè de mancipijs ſolicitos retinebat milites: & quod maximi roboris erat apud hoſtes, à quibus antè Romani Manlio & Cæpione ducibus ſuperati fuerāt, Ambrones dicebantur, qui ſoli efficiebant plus X X X. millia, exciti arma induebant. Hi quanquàm corpus crapula onerauerant, mero remiſsi tamen ferocem gerebant animum: neq; incompoſitis vel lymphaticis ferebantur curſibus, neq; vlulatum inconditum edebant: ſed concrepantes ad numerum armis, & ſimul cuncti tripudiantes: ſiue quò ſeſe mutuò cohortarentur, ſiue vt hoſtes nominis denunciatione conterrerent: nomen ſuum intonabant identidem Ambrones. Primi ex Italicis, qui mouerunt in eos, Ligures, vt clamorem acceperunt & intellexerunt: vetus id ſuum cognomen ex aduerſo clamauerunt eſſe. Ita enim ſe ipſi Ligures totius gentis vocabulo nomināt. Ac prius, quàm ad manus ventum eſt, frequens eſt ea reddita viciſsim ſucclamatio. Et cùm duces vtrinq; inuicem clamorē adiuuarent, anniterenturq; primùm ſeſe mutuò vocis magnitudine ſuperare: ſtimulauit irritauitq; animos vociferatio. Ambrones riuus diuulſit. Nam antequàm eo ſuperato dirigere aciem valerent, irruentibus ilicò in anteſignanos Liguribus cōfligi cominus cœptum eſt. Liguribus cùm Romani ſubuenirent, atq; ex loco ſuperiore in barbaros incūberent: vi pulſi hoſtes ſunt. Multi horū in ripa riui ſeſe mutuò impellentes cæſi, flumenq; cruore & cadaueribus repleuerunt. Eos, qui tranſmiſerant, Romani frontem conuertere in hoſtem non auſos vſq; ad caſtra & plauſtra effuſos conciderunt. Ibi occurrentes cum gladijs & ſecuribus fœminę horrendo & truci ſtridore iuxtà in fugientes & inſequentes incurrebant, in hos vt hoſtes, in illos vt proditores. quæ intermiſtæ pugnantibus, nudis manibus ſcuta Romanorum detrahebant ac gladios prehendebant, vulneraq; & corporum diſſectiones perpetiebātur ad extremum animis inuictæ. Ita fortuitò magis quàm conſilio imperatoris trans fluuium referunt pugnatum. Poſtquàm ingenti data Ambronum ſtrage retrò receperunt ſe Romani, & nox incubuit: non exceperunt, vt fieri ſolet, ex tanta victoria exercitum cantilenæ victoriales, non compotationes per tentoria, non inuitationes in cœnis: nec, quod omnium eſt victoribus iucundiſsimum, placidus ſomnus: verùm noctem illam multò tranſegerunt horrendiſsimā & infeſtiſsimam, quòd caſtra neq; vallo neq; munimento ſepiuiſſent: barbarorū autem reſiduæ eſſent innumeræ legiones, atq; his admiſtorum, qui effugerant, Ambronum eiulatio per noctem eſſet nō eiulatibus aut gemitibus hominum aſsimilis: verùm rugitus quidam penè beluinus fremitusq; minis & lamentationibus commiſtus redderetur ex tanta colluuie: vnde circumiecti montes atq; caua fluminis reſonarent, horrendusq; clangor occuparet campū: Romanos verò terror, atq; Marium ipſum inuaderet ſtupor inconditum & tumultuariū prælium nocturnum expectantes. Non tamen vel illa nocte vel poſtero die mouerūt ſe: ſed in eo fuerunt, vt ſe inſtruerent pararentq;. Interea Marius, quòd ſupra hoſtiū caput ſaltus conuexi eſſent & opacæ nemoribus conualles, eum locū Claudium Marcellū occultè inſidere cum tribus millibus militum, & pugnantibus ſe à tergo iubet oſtendere.

Marij ad milites dictū audax: eorumq; reſponſum.

Marij primum cum Teutonis prælium.

Ambrones.

Ligures ſe Ambrones vocant.

Marius cædit Ambrones.

Romani ex pugna, noctem agunt trepidā & inſomnem.

Cæteros maturè cibo ſomnoq; refectos orta luce caſtris educit, & pro vallo inſtruit, prouehi etiam equites imperat in planiciem. Id contemplati Teutones non ſuſtinuere, dum cōferrent ex æquo ipſi cum Romanis ſigna: ſed raptim ſtimulante ira armati ad collem ruunt. Marius dimiſsis in omnem partē legatis monuit milites, vt cōſiſterent & cōtinerent ſe eo loco. Vbi cominus veniſſent: emitterent pila, inde rem gererent gladijs, & ſcutis obnitentes vrgerent hoſtē. Cùm enim efficeret inſtabilem illorum gradum locus: neq; libramētum ictus eorum docebat habituros neq; teſtudinem firmitatem, in ſupino tumulo per inæqualitatē fluctuantibus corporibus. Hæc & ſubiecit, & exequi primus

Marij ſecundū cum Teutonis prælium.

Marij conſilium ſalutare.

illis visus est. Nulli enim cõcedebat corporis dexteritate, & audacia multò omnibus antecellebat. Vt igitur obluctantes illis Romani manusq́; conserentes ascendere molientes represserunt, impulsi paulatim pedem retulerunt in campum: & cùm primi in planicie aciem iam direxissent, clamor & turbatio oriebatur apud nouissimos. Neq; enim fefellit Marcellum occasio: sed cùm sublatus in colles fremitus esset, excitatis suis cursu & clamore inuasit terga hostium, conciditq́; postremos. qui dum proximos in se conuertunt,

Marij victoria de Teutonis.

breui totam aciem tumultu implent. Quia verò hinc inde cædebantur: nõ diu restiterunt: verùm dissipatis ordinibus suis verterunt se in fugam. At Romanus tergis eorum inhærens plus centum millibus ex eis aut cepit aut contrucidauit. Tentoria, impedimenta, prædam, quæ interuersa non essent, victores Mario attribuerunt: & quamuis hoc tam splendido dono auctum non satis pro merito tamen ipsius consiliorum ob periculi magnitudinem existimauerunt remuneratum. Alij neq; de dono manubiorũ neq; de cæsorum numero astipulantur. Massilienses autem vineas perhibent circumsepisse ossibus: Terram, vbi computruerunt in ea cadauera, superfusis hyeme imbribus ita pinguefactam atq; in imo imbutam subeunte tabe, vt immensam vim æstate frugum redderet, & fidẽ faceret Archilochi dicto, qui ea ratione gliscere arua ait.

Magnæ pluuiæ succedunt magnis prælijs.

Iam ferè magnis prælijs ferunt largas succedere pluuias: vel quòd Deus aliquis tellurem puris & cœlestibus aquis lustret abluatq́;, vel quòd cruor & sanies humidum & crassum exhalet vaporem: qui aerem versatilem atq; ex leuissima occasione in grande momentum mutatu promptum coagulet. Secundum pugnam legit Marius ex armis & spolijs barbaricis elegãtissima & inuiolata, quæ speciẽ valebant triumpho magnificã præbere. Reliquorũ aceruo in pyrã accumulato amplum sacrificiũ fecit: circumfusoq́; in armis & coronato exercitu præcinctus de more atq; prætexta velatus ardentẽ ferebat facẽ, eamq́; ambabus manibus ad cœlũ sustollens parabat subdere pyræ: cùm accurrentes ad eum citatis equis amici conspiciuntur: quę res magnũ silentiũ & expectationẽ omnium fecit. Cùm illi ad

Quintus Marij consulatus.

eum venissent, desilierunt ex equis, atq; eum amplexi nunciauerunt læti quintũ consulatum, literasq́; ei de hoc reddidere. Ita cùm magna gratulatione solẽnitas cumulata esset victorialis: hinc exercitus exultans plausu quodã militari & armorũ crepitu personauit, hinc legatis alterã Mario coronã imponentibus subdidit flammã pyræ & sacra peregit. At siue fortuna quædã, siue deorum inuidia, siue necessaria rerũ natura, quę magnę prosperitati nulli syncerũ relinquit & liquidũ gaudium: sed tristiũ & lætorum vitã humanã mixtura alternat: paucis pòst diebus incussit Mario de collega Catulo nunciũ, qui terro-

Catuli aduersus casus.

rem & procellã Romæ nouã quasi in tranquillo & sereno nubem circunfudit. Catulus enim obuersus Cimbris, cùm iuga Alpium diffideret tueri se posse, ne multas in parteis carpere coactus exercitũ vires diminueret, descendit cõfestim in Italiã: amnemq́; Athesim obiecit hostibus, atq; eum vallauit vtrinq; aduersus transitũ egregiè, & ponte iunxit: quò succurreret trans flumẽ, si præsidia barbari superatis angustijs premerent. At illis

Cimbrorum feritas.

tanta ferocia, tantus supererat hostium contemptus: vt virium & audaciæ potius ostentandæ causa, quàm quòd necesse esset, vel operæprecium facerent, nudo corpore nimbos niuis perferrent, per glaciem altamq́; niuem ad iuga Alpiũ contenderent. Inde subijcientes corporibus lata scuta ex summo se cõfragosarum rupiũ in immensum abruptarũ fastigio demitterent. Vt castris in propinquo positis contemplati alueũ fluminis cœperunt eum complere, atq; vicinos colles Gigantũ modo demolientes, simul euulsas radicitùs arbores, rupiũ fragmenta, & terræ tumulos in fluuiũ ad elidendum eius cursum congesserũt: atq; in tigna, quibus fulciebant iuga pontis, ingẽtes moles immiserũt: earumq́; prono flumine decurrentiũ impressione cõcesserunt pontẽ: perculsi pleriq; milites magna castra deseruerũt, ac signa reliquere.

Catuli modestia, & prudentia.

Hîc demonstrauit Catulus, vt bono & cõsummato imperatori cõuenit, ciuium gloriæ suam se posthabere. Nam cùm sistere nullis admonitionibus valeret militũ fugam, sed prætrepidè cerneret eos se recipere: aquilã tolli iussit, cursuq́; ad primũ agmen contendit abeuntiũ, ducemq́; se præbuit: quò suã faceret, non patriæ maculã: neq; fugere, sed sequentes ducẽ viderent abire. Barbari autẽ præsidium trans Athesim adorti ceperũt: milites q́;, qui impositi fuerant, cùm gessissent se fortissimè, atq; ex dignitate patrię decertassent, reueriti virtutẽ eorum datis inducijs dimiserunt æneũ taurum iurati: quẽ pòst sub pugnã captum in domũ Catuli ferũt tanquàm victoriæ primitias delatũ fuisse. Agrũ præsidio destitutũ latè vastauerunt. Hac de causa re-

Marius respuit triumphum.

uocatus Marius ad vrbẽ est. Vt venit, cùm omnes triumphũ arbitrarentur ducturum, atq; eum senatus volẽs decreuisset, ipse noluit: vel quòd milites & periculorũ consortes pri-

uare

uare sua gloria nollet, vel quò populum in præsentia confirmaret, tanquàm apud fortunam vrbis deponens rerum priùs gestarum decus, quod repositurus in secundis esset illustrius. Concione tempori conueniente habita in castra profectus Catulum erexit, legionesq; suas ex Gallia exciuit. quæ vbi aduenere, traiecto Pado instituit arcere barbaros ab Italia cispadana. Hìc Teutones præstolari & morantes demirari se causantes: siue reuera ignorabant cladem illorum, siue videri sibi simulabant incredibilem: conflictum proferebant. Etenim lacerauerunt fœdè nuncios, & per legatos à Mario sibi fratribusq; agrū & oppida poposcerunt, quæ ad sedes suas ponendas essent satis. Percunctanre legatos Mario de fratribus, cùm Teutones illi nuncuparēt: cæteri omnes risere. Marius verò respondit cauillo: Omittite fratres. Habent enim à nobis illi datam terram, semperq; habebunt. Percepto cauillo prosciderunt eum legati conuitio, daturum pœnas confestim Cimbris, & Teutonis vbi aduenissent. At, inquit, præstò sunt Marius: nec decet vos nisi salutaris abire fratribus. Sic fatus vinctos Teutonum reges produci imperat. Nam in Alpibus fuerant à Sequanis retracti. Quæ vt relata Cimbris sunt, mouerunt euestigiò in Marium quiescentem & castra tuentem. Fama est ad eam pugnam nouatum à Mario de pilis fuisse. quippe hastile, qua iniunctum ferro erat, antè fuerat fibulis duabus ferreis affixum. Tunc alteram non mouit Marius, altera amota clauum ligneum fragilem suffecit: machinans, vt impactum hostis scuto pilum non maneret directum, sed fracto clauo ligneo secundum ferrum intortum redderetur: & hastile recuruata cuspide ex obliquo adhæresceens dependeret. At Bœorix Cimbrorum rex cum paucis ad castra prouectus lacessiuit Marium, vt die & loco præfinito prodiret, & de solo dimicaret. Cum Marius respondisset, non esse moris Romani, vt pugnæ committendæ mutuarentur ab hostibus consilium, id Cimbris tamē se largiturum: diem statuerunt ab illo tertium, locum & campum apud Vercellas: qui Romanorum equitatui opportunus erat, atq; ad illorū explicandam multitudinem accommodatus. Præstitutam diem obierunt, aciesq; infestas vtrinq; instruxerunt. Habebat Catulus sub signis XX. millia trecentos milites. Mario parebāt XXXII. millia: qui in cornua distributi mediam aciem, quam obtinebat Catulus, complectebantur. Ita Sylla, qui illi interfuit prælio, literis prodidit. Marium autē ferunt alis sperātem se & cornibus in phalangem hostium incursurum, quo propria suorum militum victoria atq; exors Catulus prælij foret, neq; congrederetur cum hostibus, vt in prominentibus solet frontibus et cornibus productis media acie sinum faciente, ad eum modum digessisse exercitus. Perinde Catulum quoq; ipsum in his se aiūt defendisse, magnam inuidiam aduersus se Marij insectatum. Cimbrorum pedites ex castris composirè processerunt, ac quadrata acie constiterunt. siquidem latera aciei singula terna millia DCCL. passus obtinebant. Equitum quindecim millia numero effuderunt se splendidè. Galeas gerebant, quæ repræsentarent sæuarum beluarum rictus & inusitatas figuras: quas alatis fastigiantes cristis apparebant eminentiores. Loricis ferreis erant exculti, ac candidis micabant scutis, pro telo habebant singuli telum bipenne. Pede collato ingentibus vtebantur & grauibus gladijs. Ac tunc non in frontem incurrerunt Romanorum, sed deflectentes ad dextram processerunt: quò includerent eos inter ipsos & collocatos in sinistro cornu pedites suos. Haud fefellit duces Romanos dolus. Verùm prius, q̃ inhibere milites possent, ad vnius vocē hostes fugā capere, omnes procurrerūt ad insectandū. Interim barbarorū peditatus instar vasti pelagi agitati irruebat. Ibi lautas manus Marius ad cœlū tollēs dijs vouit immolaturū se cētum boues. Vouit & Catulus tēsis itē manib. fortunę eius diei ædē. Mariū etiā sacrificantē aiunt, cū exta ei porrecta essent, exclamasse, Mea est victoria. Cū cōcurreretur, deûm inuidiā aduersus Mariū autumat extitisse Sylla. Nā immēso excitato, vt est verisimile, puluere, q cōspectū obtexit vtrinq; exercituū: illū, quò primus eū tulit impetus ad insectādū, trahentē secū copias suas aberrasse ab hostibus, præuectūq; aciē eorū diu in cāpo errasse: in Catulū verò barbaros fortè delatos fuisse, præliūq; potissimū constitisse circa illū atq; illius legiones, in quib. se ait Sylla stetisse. Profuisse Romanis calores solēq; Cimbrorū oculis obiectū. Qui enim facilimè algores tolerabāt in locis aliti opacis, vti diximus, et gelidis: succumbebāt ęstui. Manabāt multo sudore corpora anhelātibus, ac scuta oculis prætendebāt. quippe hæc post solstitiū æstiuū cōmissa est pugna, quē diē festum Romani tertio Cal. Aug. vt nunc vocant, vt illo tempore Sextiles agūt. Vsui quoq; ad animū excitandum puluis, qui abscondebat hostes, Romanis fuit. quippe non peruiderunt ex longinquo multitudinem eorum, sed in aduersos cursu quisq; delatus antè dimicauerunt cum hostibus cominus,

Marij mordax dictum.

Marius quo cōsilio pila mutarit ad pugnam.

Imperatoriū responsum de ineunda pugna apud Vercellas.

Marij & Catuli conflictus cum Cimbris.

Cimbrorum acies & armatura.

Quid profuerit Romanis cum Cimbris pugnātibus.

Romanorũ militum patientia.

quàm vlla fuiſſent trepidatione perculſi. Adeo autem obduruerant occalluerantq; horũ corpora ad labores, vt tanto in æſtu & acri cõcurſu nec ſudare nec ſuſpirare quemquam cerneres Romanorum. quod ipſum perhibent Catulum in laudem militum ſuorũ ſcripſiſſe.

Cimbrorũ ſtrages.

Plurimi & fortiſsimi quiq; de exercitu hoſtium eodem loco conciſi ſunt. Etenim ne ordines diſijcerentur, longis cathenis anteſignani per baltheos traiectis erant colligati.

Cimbrarum mulierum crudelitas.

Cum effuſos ad caſtra ſummouiſſent, inciderunt in hortendiſsima ſpectacula. Fœminæ conſiſtebant in plauſtris pullatæ: fugientesq́; hæ viros, illæ fratres, parentes aliæ interficiebant. Infantes ſuis ſtrangulabãt manibus, & ſub rotas iumentorumq; pedes proijciebãt, mox trucidabant ſemet ipſæ. Vnam memorant ex ſummo dependiſſe temone, quæ pueros ex cruribus ſuis annexos laqueis hinc inde ſuſpenderat. Viros arborum inopia cornibus boum, alios cruribus adalligaſſe colla, mox eos ſtimulaſſe, quo exilientibus bobus raptati & obtriti interirent. qui quanquam ita ſibi conciliarent mortem, capti tamen ſunt plus L X. millia. Cecidiſſe bis totidem referuntur.

Catulus præcipuè victoriam de Cimbris retulit.

Prædam Marij milites diripuere. Spolia, ſigna militaria, tubas in caſtra Catuli aiunt fuiſſe relata: quo potiſsimũ indicio penes ſe victoriam fuiſſe Catulum demonſtraſſe. Et verò etiam cõcertatione inter milites orta legati Parmenſium, qui aderant, arbitri ſumpti. quos per hoſtium ſtragẽ ducentes milites Catuli pilis ſuis oſtenderunt confoſſos. Cognoſcebantur pila literis, quòd Catuli nomen haſtili eorum incidiſſent. Mario tamen totum illud factum & ſuperior palma & conſulatus maieſtas aſſcripſit.

Marius tertius Romæ conditor appellatus.

Atq; adeo illum plebs vrbana tertium Romę conditorem appellauit: quod Gallico hoc non leuius auertiſſet diſcrimen: lætiq; cum liberis & coniugibus quiſq; domi in cœna dijs & Mario libauerunt, ſoliq; voluerunt vtrunq; triumphum decernere. quo tamen non eſt ille vſus. Cæterùm, quo commendaret tantis rebus geſtis modeſtiam ſuam, vnà cum Catulo triumphauit. Adhæc nonnihil milites illius formidabat obſtinatos, ſi Catulus eo honore ſpoliaretur, nec ſibi permittere triumphum.

Marij ſextus conſulatus.

Conſulatum tunc quintum gerebat. Sextum conſulatum vt nemo alius affectauit primus. Prenſauit populum, obſequijsq; plebem captans non ſolum præter faſtigium & publicam maieſtatem magiſtratus ſui, ſed & præter ſuum ipſius ingenium famam venabatur lenitatis & popularitatis, ad quas minimè erat comparatus.

Marius non valebat artibus ciuilibus.

Verum erat in rebus vrbanis & concionalibus turbis præ ambitione trepidiſsimus: imperterritusq; in prælijs animus & firmitas deſerebat eum, quod ad quamuis laudem & vituperationem obſtupeſceret, in concionibus. Et quidem dictitãt, cum Camerinos vno tempore mille, qui fuerant ſtrenue præliati, ciuitate donaſſet: quod vt factum contra leges reprehendebant nonnulli: dixiſſe eum leges ſe per armorum crepitum exaudire non potuiſſe. Sed ſane maiorem in modum apparet eum ſtrepitum perhorruiſſe & extimuiſſe concionalem. ſiquidem conciliabat ei dignitatem & opes belli tempore neceſsitas. In toga vero, quia obtinere primas non potuit, ad beneuolentiam & fauorem decurrit multitudinis: quo eſſet primus, negligens optimus eſſe. Indignationem igitur omnium optimatium incurrit.

Marij inſidiæ in Metellum.

Marius Glauciã & Saturninum ſibi adiungit.

Cum autem imprimis formidaret Metellum, in quem ingratus fuerat, & natura ex vera virtute eorum, qui malis artibus multitudinem ſubibant blandiebanturq;, hoſtem machinatus eſt illum vrbe pellere. Eam ad rem Glauciam & Saturninum ſibi homines audaciſsimos, qui egenam & turbulentam plebeculam tenebant, aſſciuit. Quibus interpretibus leges tulit, excitosq́; milites immiſcuit ad euertendum Metellum concioni. Vt vero tradit Rutilius vir alioqui verax & probus, ſed Mario priuatim infeſtus, etiam ſextum conſulatum magna vi pronunciata per tribus nummorum aſſecutus eſt, easq; redemit: vt deijceretur Metellus honore, & Valerium Flaccum aſſeclam potius quàm collegam acciperet in conſulatu.

Valerius Coruinus ſexies cõſul.

At nulli antè extra vnum Valerium Coruinum populus toties conſulatum ſuffragijs ſuis mandauit. Verùm ille dicitur inter primũ conſulatum & poſtremum quinque & quadraginta annos interpoſuiſſe. Marius vero à primo quinque alios vna fortunæ incitatione percurrit. In nouiſsimo autem conflauit inuidiam ſibi præcipue: quòd multorum facinorum ſe Saturnino conſortem præberet, in quibus fuit * Numij cædes.

** Ita habet epitome Liuij: alij Nonij, Plutarchus, Onij, ſed malè.*

Hunc tribunatus competitorem ſuum interfecit Saturninus. Inde factus tribunus legem agrariam tulit, in qua erat hoc adiectum, vt ſenatus iuraret in concione ſe id, quod populus iuſsiſſet, comprobaturum, neque vlla in re impugnaturum. Hoc legis caput in ſenatu improbare Marius ſub dolè fingens negauit ſe in legem iuraturum, neq; arbitrari alium, qui ſaperet. Etenim niſi lex foret pernicioſa, nihil eſſe, quod per contumeliam iſta cogeret ſenatum comprobare, non iudicio eius & voluntati permitteret, Hoc ille non, quo ita ſentiret, dixit: verùm vt impoſtura inuolueret

ret Metellum inexplicabili. Ipse namq; qui pro virtute & sagacitate mendacia haberet, nihil de sua apud senatum professione laborabat. Metellum vero, quem virum sciebat constantem & veritatem magnæ virtutis esse rudimenta, vt ait Pindarus, censentem cogitauit sua in curia recusatione occupatum, cum nollet iurare, in odium populi inexpiabile conijcere. Quod euenit. Nam cum affirmasset non iuraturum se Metellus, mox senatus dimissus est. Paucis post diebus compellebat vocatos in rostra patres Saturninus iurare in legem. Ibi procedens Marius silentio facto, cum omnes intendissent in illum oculos, preclaris suis in curia vocibus salutem dicens negauit se hoc sibi arrogare, vt semel tanta de re præiudicaret, iuraturumque & legi pariturum, modo lex esset. Hanc enim cautionem pro impudentiæ colore adiecit. Lætus populus, quod iurasset, excepit eum plausu & lætis acclamationibus. Principes vero ingens pudor & odium cepit Marij variationis. Itaque populi metu omnes ordine iurauerunt, quo vsq; ventum est ad Metellum. Qui, quamuis obsecrantibus & orantibus, vt iuraret, necessarijs: ne in pœnas grauissimas incurreret, quas in detrectantes comprehenderat in lege Saturninus: non decessit de gradu suo, verum moribus suis seruiens, atque omnia acerba prius pati, quam vllam in se maculam admittere paratus discessit ex foro, disseruitq; cum illis, qui eum persequebantur: aliquid concipere sceleris turpe esse, bene autem agere citra periculum vulgare, proprium verò boni viri vel cum periculo. Mox fert rogationem Saturninus, vt Metello aqua & igni interdicerent consules, & ne quis tecto eum reciperet. Et fex plebis adhærebat eis interficere Metellum parata. Cùm fieret optimatium vehementer anxiorum ad Metellum concursus: vetans seditionem ipsius causa mouere, sapienti consilio vrbe cessit. Aut enim melioribus, inquit, rebus & populo ad pœnitentiam adducto reuocabor domum, aut præstabit abesse hoc in statu manentibus. At enim quantum in Metellum exulantem studij & honoris collatum sit, quemadmodum etiam vacauerit Rhodi philosophiæ: exequemur in illius vita commodius. Pro hoc obsequio Saturnino Marius ad omnem audaciam & vim progredienti conniuere coactus, imprudens incendium excitauit non mediocre, sed quod planè armis & cædibus in tyrannidem & reipubl. exitium erumpebat. Cum autem principes vereretur, & assentaretur plebi: facinus prorsus illiberale & veteratorium admisit. Nam cum sub noctem cum principes ciuitatis adissent, atq; in Saturninum concitarent: his inscijs admisit illum altera ianua. Mox aluí profluuiũ apud vtrosq; causans, modo ad hos modo ad illum in ædibus transcurrit, eosq; inter se commisit atq; inflammauit. Tandem senatu & ordine equestri conspirantibus frendentibusq; impleuit forũ armis, illosq; in Capitoliũ compulsos siti cepit: quod interscidisset aquæductus. Itaq; confecti euocauerũt illum, ac fide publica accepta sese ei permiserunt. Qui, vt eos conseruatet, cum in omnem se vertisset speciẽ: nihil profecit. verùm simulatq; descenderunt in forum, necati sunt. Hinc principibus & populo iuxta inuisus, cum comitia creandis censoribus incidissent: contra omnium opinionem abstinuit petitione, timensq; repulsam alios permisit inferioris dignitatis creari. Atqui iactauit ille noluisse se vitam & mores acerbè excutiendo multos offendere. Cùm lex rogaretur de Metelli reditu, postquàm eam enixè verbis & factis incassum impedire conatus est, destitit ad postremum. Vt propensa voluntate iussit populus rogationem: non sustinens reuertentem aspicere Metellum, in Cappadociam & Galatiam nauigauit: verbo, vt vota Matri magnæ persolueret: at itineris aliud, quod multitudinem præteriret, habebat argumentum. Abhorrens enim à pace & ciuilium artium rudis, & qui per bella creuisset, ocio pòst & quiete potentiã gloriamq; suam ratus marcescere, consectabatur bellorũ semina nouorum. Sperabat enim, vbi reges cõciuisset, & Mithridatem, quem apparebat arma moliri, excitasset lacessiuissetq;, ducẽ se contra illũ fore: nouisq; triumphis vrbẽ, præda Pontica & opulentia regia, expleturũ domũ suã. Quapropter, quamuis eum omni officio & honore excepisset Mithridates, nihil flexus vel permotus est: sed ait: Aut enitere rex, vt plus possis quàm populus Romanus, aut obsequẽter fac imperata. Quo dicto obstupuit Mithridates: vt qui nomẽ crebrò, libertatẽ linguæ Romanæ tunc primùm audiuisset. Regressus ad vrbẽ, domũ extruxit propter forũ: vel vt ipse dicebat, ne clientib. suis esset longiùs ire graue: vel quòd ea re crederet fore, vt plures alij domũ suã celebrarent. Id nõ erat tamẽ. Sed quia comitate & ciuilibus vsibus nõ erat par alijs, ceu instrumentũ bellicũ pacis tẽpore negligebatur. Atq; illũ quidẽ cæteri, qui luminib. officiebãt gloriẹ eius, minus pungebãt. Syllę verò crescentẽ ex sua apud principes inuidia splendorẽ, qui actionũ suarũ tyrociniũ ex dis-

Veritas magnæ virtutis principium, Pindari sententia.

Metelli constantia.

Metelli exilium.

Marius seditionem excitat Romæ.

Metelli reditus ab exilio.

Marij in Cappadociã & Galatiã profectio.

Marij superbum dictum.

Marius domũ iuxta forum ædificat.

Initium dissensionis Marij & Syllæ.

sensione

sensione instituit cum ipso suscepta, nequiuit concoquere. Vt verò Bocchus rex Numidiæ quoque socius populi Romani appellatus triumphales victorias in Capitolio dedicauit, & iuxtà traditi ab se Syllæ Iugurthæ aurea signa: id Marium, quasi hoc decus sibi vendicaret Sylla, furore & ambitione de statu mentis deiecit, molientiq; deijcere illi ea signa institit pertinacirer Sylla.

Bellum sociale.

Cæterùm seditionem iam iam erumpentem bellum sociale, quod repentè circumstetit vrbem, compressit. siquidem rebellauerunt contra populum Romanum bellicosissimi Italiæ populi validissimiq;: qui penè imperium conuulsere, non armis modò floreq; iuuentutis pollentes, verumetiam animis & artibus ducum succincti mirificis & paribus.

Marij gloriam imminuit bellū sociale.

Hoc bellum, quod cladium varietate & fortunæ vicissitudine fuit vt nullum aliud insigne, quantum Syllæ adiecit splendoris & opum, tantum Mario detraxit. Nam ad hostes occupandos lentum se segnitieiq; & cunctationis ostendit vbique plenum: vel quòd senio strenuitas illa atque ardor in eo elanguesceret, (Iam enim annum quintum & sexagesimum excesserat) vel, quod dictitabat ipse, neruis laborans & inhabilis corpore expeditiones supra vires susciperet pudore. Verumenimuero etiam tum ingenti prælio fudit hostes, ac sex millia concidit, neque ipse patuit illis vsquam. Imo circumuallari se est passus: & cùm insultarent ei prouocarentq;, non exarsit.

Silonis & Marij prouocatio mutua.

Fama est, cùm Silo Popedius, cuius apud hostes maxima erat authoritas & potentia, increparet eum dicens: Si magnus dux es Mari, descende ad certamen: eum respondisse: Imò tu, si magnus es dux, coge me dimicare inuitum. Alio tempore cùm occasionem hostis dedisset rei bene gerendæ, & pauore correpti pedem retulissent Romani, vt receperunt se vtrinq; in castra, concione militum aduocata: Hæreo, inquit, hostes an vos ignauiores dicam. quippe neque terga vestra illi, nec vos illorum aspicere os sustinuistis.

Marius imperiū deponit pudore.

Denique quasi languescens corporis imbecillitate deposuit imperium. Porrò cùm rebus accisis Italorum multi Romæ per eos, qui apud populum valebant, bellum Mithridaticum venarentur: Sulpitius tribunus plebis homo audacissimus præter omnium expectationem protraxit Marium, proconsulemq; & ducem aduersus Mithridatem nominauit. Populus distractus est in factiones. Alij in parteis Marij discedebant, Syllam designabant alij, Marium Baias ire iubebant ad balnea, & corpus curare senio & fluxionibus, vt ipse confitebatur, elanguescens.

Villa Marij ad Misenum.

Etenim villā ibi in Misenensi Marius amœnam & molliùs habebat instructam, quàm conueniret viro, qui tot bella & expeditiones perpetrauerat. Eam ferunt L X X V. millibus denariorum Corneliam emisse, nec multo interlapso spacio L. Lucullus quingentis millibus & ducentis est licitatus. Adeo adoleuit breui luxuria, tantumq; ciuitas incrementi ad luxum cepit.

Marij ambitio.

Atqui Marius perquàm ambitiosè atq; impotenter senectute & infirmitate dissimulata corporis descendit quotidiè in campum, & in caterua adolescentium exercitans se, agile in armis corpus & equi patiens ostendit: quamuis non esset ob tumorem ventris in senectute expeditus, sed obesus euasisset & corpulentus. Quæ cùm faceret, placebat aliquibus: qui descendentes in campum certationes eius & contentiones spectabant. Optimates verò id contemplantes miseratio subijt auaritiæ & cupiditatis gloriæ istius: qui ex tenuissimo opulentissimus, atq; ex humili factus maximus nullam felicitatis metam sciret: neq; in honore esse & frui in ocio præsentibus facultatibus esset contentus: sed quasi omnium rerum egenus in Cappadociam & Pontum Euxinum ex triumphis & gloria ætatem deportaret tam grauem, cum Archelao & Neoptolemo Mithridatis satrapis digladiaturus. Quod verò hîc Marius prætexebat, omninò videbatur ridiculum. Filium suum velle ostendebat ipsemet præsens in exercitu exercere. Hoc ciuitatem iam pridem vomica tumidam & affectam dirupit, cùm instrumentum ad perniciem publicam Marius accommodatissimum inuenisset Sulpitij insolētiam.

Sulpitij tribuni plebis audacia.

qui cùm omnia Saturnini extolleret & æmularetur alia, timiditatē in illius actionibus & cunctationem reprehendebat. Hic nullam moram faciens, sexcentis equitibus Romanis cinctus quasi stipatoribus erat, quos nominabat Contrasenatum.

Marij seditio.

Habentibus concionē consulibus cum armatis superueniens, alterius, qui se subduxerat ex foro, filium deprehensum ibi occîdit. Sylla, cùm insequerentur ipsum, præter omnium expectationē coniecit se in domum Marij: ac cùm fefellisset eos, qui consectabantur ipsum, atque illi præterlati domum essent: dicitur auerso ostio ab ipso Mario emissus in castra euasisse. Sylla in commentarijs negat se ad Marium confugisse, sed abductum fuisse eò ad deliberandum de ijs, quæ Sulpitius nolentem adigebat, vt comprobaret, vndiq; districtis gladijs circunfundens se & ad Marium trahens: quoad illinc ad forum profectus, iustitiū soluit.

Inde

Inde omnia tenens decreuit Sulpitius Mario eam prouinciã. Iam Marius parãs se ad expeditionem, misit duos tribunos, qui exercitũ Syllæ acciperent. At Sylla concitatis militibus (erant hi non minus x x x. millia peditum & quinq; equitum) ad vrbem mouit. Tribunos, quos miserat Marius, corripuerunt milites & confoderunt. Interfecit ex altera parte Marius Romæ multos Syllæ necessarios: seruosq;, vt opera eorum vteretur, vocauit ad pileum: verùm solos tres ferunt se Mario iunxisse.

Marius fugit ex vrbe.

Irrumpenti Syllæ cùm restitisset paulisper, citò vrgente illo profugit. Eius caterua, vt primùm elapsus vrbe est, dissipata primis tenebris recepit se in villam quandam suam Salonium. Filium misit, vt viaticum sumeret, ad prædia Mutij soceri ipsius propinqua. Inde Ostiam delatus, vbi amicus eius Numerius parauerat ei nauigium: non expectato filio, sed priuigno comite Granio nauem soluit. Filius, vt in prædia Mutij venit, dum sumit aliquid & componit, luce oppressus non in totum fefellit hostes: sed aderant equites suspicione illuc ducti, quibus præuisis abdidit villicus Marium in plaustro fabis onusto, iunctis'que bobus plaustrum ad vrbem agens equitibus occurrit. Ita ad vxorem domum deportatus Marius, acceptis necessarijs venit nocte ad mare, ac conscensa naui, quæ Africam petebat, transmisit.

Marius filius fugit in Africam.

Marij patris errores.

Senior Marius, vt in altum venit, secundo vento præuectus Italiam, Germinium quendam, cuius Tarracinæ magnæ erant opes, alienum ab se formidauit: nautisq; denunciauit, vt declinarent Tarracinam. Cupiebant illi quidem morem Mario gerere: verùm surgente à mari vento magnosq; voluente fluctus nec ponto vim vndarum sustinere videbatur posse: offensoq; iactatione Mario atq; nausea affecto, ingenti labore littora ad Circeios tenuere. Tempestate insurgente & expirantibus necessarijs descenderunt in terram. Ibi in incertum vagabantur. Cæterùm quod accidere in magnis perplexitatibus solet, semper defugere vt acerbissima pręsentia, & spes ancipites subijcere: quando hostilis erat terra, hostile more: formidolosum in homines incidere, formidolosum non incidere rerum inopia necessariarum: serò tandem in bubulcos paucos incidunt: qui quod darent petentibus, nihil habebant: sed agnitum monuerunt Marium, vt recederet quàm ocyssimè. Nam paulo antè globum equitum, qui inuestigabant eum, illac transuehere conspectos. Tum semel obtorpescens, præsertim quòd comites sui languescerent inedia, in præsens via declinauit coniecitq; se in profundam syluam, ibiq; magnis in ærumnis pernoctauit. Postero die fame pressus, & viribus volens ante quàm prorsus fatiscerent, vti: perrexit secundum littus confirmans comites, ne nutarent in extrema spe, cui veteribus fretus vaticinijs reseruaret se. siquidem admodum se iuuenem, cùm ruri ageret, delabentem aquilæ nidum cum septem pullis toga excepisse.

Prodigium Mario factũ iuueni.

Quod vbi vidissent parentes sui, miraculo rei consuluisse aruspices: quos omnium mortalium respondisse ipsum fore clarissimum, ac fatale esse, vt summum imperium & magistratum septies caperet. Id alij reuera ita dictitant contigisse. Alij hos, qui tunc & per reliquam fugam hoc acceperant ex illo & crediderant, rem perquàm fabulosam literis mandasse. quippe plura oua aquilam quàm duo non párere. Imo Musæum quoq; arguunt mendacij, qui de aquila dixerit:

Aquila quot ouus pariat.

Arist. Hist. animal. libr. 6. cap. 5. Plin. lib. 10. capite 5 & 6.

Excludit binos, edit terna, educat vnum.

Atqui crebrò in exilio Marium atq; extremis in angustijs ad septimum consulatũ aspiraturũ se in confesso est iactasse. Cùm iam nõ plus duo millia quingentos passus ab oppido Italiæ Minturnis abesset, alam equitum conspiciunt procul ipsos versus aduehentes, ac fortè naues duas onerarias, quæ erant in cursu. Quantũ igitur sufficere pedes & vires valuerunt, decurrerunt ad mare, abieceruntq; se & adnatarunt ad naues. Assecutus Granius alterã in aduersam insulã, Inaria dicitur traiecit. Mariũ corpore grauẽ & parũ tractabilẽ duo serui multo labore & ægrè super aquã efferẽtes imposuerũt in alterã nauẽ: cùm iam assisterent equites, atq; ex terra præciperent, appellerent nauem, aut eiecto Mario, quò visum esset, nauigarent.

Marius à nautis in littore exponitur & deseritur.

Ibi cùm supplex & lachrymabundus oraret Marius dominos nauis: illi postquàm momento identidẽ hinc inde consiliũ uariarunt, dederunt equitibus tamen responsum, non proiecturos se Marium. Vbi illi frendentes abiere: mutato iterũ consilio terram petentes ad ostia Liris fluuij, vbi in paludes diffunditur, iactis anchoris hortati sunt eũ vt ascẽderet in terrã, atq; ibi cibo se reficeret, corpusq; vexatũ curaret, dum afflaret vẽtus. Id fieri demonstrabãt stata hora, cùm ventus marinus caderet, & aurã ederent paludes sufficientẽ. Eorum consiliũ executus est Marius. Expositus à nautis in terram decubuit in prato quodam: nec quicquam minus, quàm id quod impenderet, venit ei in mentem. At illi e uestigio conscenderunt, anchorisq; solutis fugam intendere:

dere: quasi neq; tradere Marium ipsis foret honestum, neq; expediret seruare. Ita ab omnibus desertus, diu in littore mutus iacuit. Vbi ægrè collegit se aliquantulum: per loca inuia perrexit ærumnosè, superatisq; profundis paludibus ac fossis, quæ aqua limoq; erant oppletæ, incidit in senis, qui paludem colebat, tugurium. Ad huius pedes abijciens se precatus est, vt salutem & opem sibi ferret: Eum se virum esse, qui, si fortunam deuitasset præsentem, maiorem spe ipsius gratiam esset relaturus. Homo, siue iamdudum cognouerat eum, siue maiestate viri commouebatur: si quiete opus haberet, sufficere ostendit casam suam. Quòd si timore aliquorum vagaretur, se loco quietiore eum abditurum.

Marius in paludem demissus occultatur.

Id vt faceret Mario orante, abduxit eum in paludem, ac loco cauo propter amnem demittere se iusso multam arundinem iniecit, aliamq; aggessit materiam, quæ leuis nec imposita eum esset offensura. Breui pòst strepitus à tugurio & tumultus est ad eum delatus. Geminius enim ex Tarracina misit complures ad eum inuestigandũ. quorum nonnulli eò fortè delati conterruerunt & perculerunt senem, quòd hostem populi Romani recepisset & abscondisset. Igitur exurrexit Marius, reiectisq; quibus intectus erat, in paludem, quæ crassam & cœnosam aquam continebat, abiecit se. Ita non fefellit eos, qui ipsum inuestigabant: sed extractus est lutulentus & nudus, Minturnasq; retractus & magistratibus traditus.

Marius captus.

Iam per omnia oppida publicatum edictum fuerat, vt publicè Marium persequerentur & interficerent inuentum. Antè tamen deliberare visum est magistratibus. Interim Marium in custodiam ducunt ad domum Fanniæ, quæ mulier minus æqua Mario ex veteri causa dicebatur. Fannia in matrimonio fuerat cum * Tinnio: quæ cùm diuortio facto dotem, quæ lauta erat, repetebat: ille adulterium ei obiecit, ac causa ad Marium sextùm consulem delata est. Ea in iudicio agitata, cùm Fanniam constaret impudicam fuisse: & virum, qui talem sciret esse, eam duxisse diuq; cum ea in matrimonio vixisse: ambos improbauit, virumq; iussit dotem ei restituere, mulieri infamiæ damnatæ † quatuor asses mulctam dixit. Fannia tamen id temporis non gessit se aduersus Marium sicut læsa: sed vt eum aspexit, nihil minus quàm ignominiæ memor suæ pro copia præsenti curam eius habuit eumq; alleuauit. Hic vicissim laudauit illam, ac magno animo demonstrauit se esse, quòd bonum omen accepisset. Id fuit huiuscemodi: Cùm esset ad ædes Fanniæ adductus, foribus patefactis asinus è domo ad vicinum fontem poturus procurrit. Intuitus blandè & hilariter Marium constitit primùm ei ex aduerso, deinde vocem misit luculentam, atq; in prætereundo eum lasciuè ex lætitia subsilijt. Inde Marius coniectura ducta deos ait mari potius quàm terra incolumitatem sibi ostendere. Asinum enim nihil arido nutrimento motum ad aquam se inde conuertisse.

Fannia Marij custos.

** Val. Max. habet Ticinio.*

† Val. Max. sestertium nummum.

Fanniæ humanitas in Marium.

Hæc cùm narrasset Fanniæ, iussit ianuam cubiculi obserari, ac solus iam quieti se dedit. At magistratus & decuriones Minturnenses consilia conferentes nullam censuerunt interponendam moram, sed trucidandum Marium. Id facere nullus ciuis sustinuit: verùm eques Gallus natione vel Cimber (vtrunque enim traditur) cum gladio ad eum ingressus est. Cùm conclaue, quo loco iacebat Marius, subobscurum & opacum esset: fama est ingentem flammam ex oculis Marij emicare militi visam, vocemq; ex tenebris redditam magnam: Tu'ne homo occidere C. Marium audes? Confestim igitur proripuit se inde barbarus, abiectoq; in medium ense foràs erupit hoc tantùm clamans: Non possum interficere C. Marium.

Percussor ad Marium mittitur.

Hinc stupor omnes, mox miseratio & sententiæ subijt pœnitentia atque insectatio sui: quòd iniquè & ingratè statuissent in Italiæ conseruatorẽ, cui opem turpe foret non ferre. Eat ergo, inquiunt, quò libet profugus, atque fatum alio loco impleat. Nos verò deûm iram deprecemur, qui inopem Marium & nudũ extrudimus oppido nostro. Ita animati adeunt eum frequentes, ac circunfusi ad mare educunt. Cùm aliud alius ei promptè preberet, & maturarent omnes, mora interponebatur tamẽ. Nam lucus Maricus appellatus, quem sacrum habent, seruantq; ne quod importatum est, inde exportetur, distinebat iter ad mare, & circuitus retardabat: quoad senex quidam inclamauit, nullum inaccessum esse vel religiosum, quo seruaretur Marius, iter. Atque hic princeps arripuit quippiam ex ijs, quæ ad nauem comportabantur, ac per locum illum euasit. Ea alacritate omnibus properè suppeditatis, cùm Belæus quidam Mario præbuisset nauem, tabulam postea illarum rerum pictam eo in templo dedicauit, vnde euectus Marius vela fecit in altum.

Marius dimittitur à Minturnensibus.

Forte fortuna est ad Aenariam delatus, vbi Granio & reliquis amicis inuentis vnà ad Africam vela duxit. Cùm laborarent aquæ penuria, necesse habuerunt ad littus Erycinum Siciliæ appellere. Erat ijs in locis custodiendis quæstor Romanus intẽtus. Ac parum abfuit, quin egressum è naui exceperit Marium.

Marius senior fugit in Africã.

Aqua-

Aquatores interemit ferme sexdecim. Marius verò properè inde soluit, transmissóq; pelago tenuit insulam Menyngem: vbi primùm certior fit filium suum cum Cethego saluũ euasisse, iter autem habere ad regem Numidiæ Hiempsalem ad opem orandam. Ex eo respirans aliquantulum non dubitauit ab illa insula decurrere Carthaginem. Erat id tẽporis prætor Africæ Sextilius ciuis Romanus, de quo nec bene nec malè Marius meritus fuerat: sed aliquod expectabat ab illo misericordiæ officiũ. Commodùm erat cum paucis Marius in terrã egressus, cùm occurrit ei lictor. qui ei: Interdicit tibi, inquit, Sextilius prætor Mari Africam attingere. Si non parebis, ait se in te vt in populi Romani hostem ex senatus decreto consulturum. His nunciatis obmutuit Marius præ dolore & indignatione, lictoremq; intuens horridè diu conticuit. Qui cùm rogaret, quid responsi renunciaret prætori: respondit cum ingenti gemitu: Age nuncia C. Marium te in Carthaginis ruinis exulem conspexisse sedentem. Appositè simul & vrbis illius fortunam & rerum suarum conuersionem pro exemplo proposuit prætori. Inter hæc rex Numidiæ Hiempsal fluctuans animo habebat Marium filiũ in honore. Sed quia discedere parantem semper aliqua ex causa morabatur, apparebat eum nulla beneuolẽtia moram nectere. Tandem oblatum est ei quoddam ad salutem compendium. Marij minoris, quòd forma venusta esset, angebat aspera fortuna vnam ex regijs pellicibus. Commiseratio hæc amoris fuit exordium & prætextus. Ille primùm repulit mulierem. At vbi viam nullam cernit euadendi aliam, & illam magis serio quàm lasciuo adductam amore agere, complexus beneuolentiam eius atq; ab ea emissus cepit cum amicis fugã, atq; se contulit ad Marium. Vt inter se consalutauerunt, secundum littus ambulantes vident pugnantes scorpiones. Quod prodigium Mario abominato conscenderunt euestigiò nauem piscatoriam, atq; in insulam Cercinam non procul à continente diremptam cursum direxerunt. Commodùm in altum euecti cernunt missos ab rege equites locum, vnde cõscenderant, petentes. In maius eo periculum visus Marius est incidisse nunquam. Interea Romæ rumor erat Syllã in Bœotia cum Mithridatis ducibus bellum gerere. Consules autem ex seditione cucurrerunt ad arma, commissóq; prælio victor Octauius Cinnam dominatum machinantem eiecit vrbe. In cuius locum Cornelium Merulam suffecit. Cinna verò delectu per cætera Italiæ habito arma tulit contra eos. His ad Marium perlatis visum est properare, quantum posset, in Italiam. Contractis ex Africa aliquot equitibus Maurusijs & nonnullis, qui ex Italia delati erant: quorum omniũ numerus non plus mille erat, cum his conscendit. In portum Hetruriæ Telamonem inuectus, descensione facta vocauit seruos ad pileum. Cùm illius oræ aratores pastoresq; homines liberos concirent nomen Marij ad portum, ascitis quorum robur probauit, paucis diebus magnã contraxit manum, ac naues quadraginta compleuit. Quia vero Octauium noscebat optimum virum esse, & consulatum innocentissimè gesturum: Cinnam contrà Syllæ suspectum, & præsentem reipubl. statum oppugnare, cum hoc se copiasq; suas decreuit sociare. Itaq; mittit ad eum, ostendens ei se vt consuli dicto audientem fore. Eum recepit Cinna atq; proconsulem appellauit, ad hæc fasces & alia misit magistratus insignia. Hanc pompam negauit ille fortunæ congruere suæ. verùm sordidatus & squalidus ab eo die, quo profugit, annos natus supra septuaginta lento gradu incedebat, id quidem agens, vt videretur miserabilis: cæterùm huic illuuiei natiua & maior vultus erat admista toruitas: profitebaturq; animum squalor non demissum, sed rerum volumine efferatum. Salutato Cinna & concione ad milites habita mox accinxit ad bellum se, grandemq; fecit rerum vicissitudinem. Primò commeatum nauibus circumcidens & deprædans negociatores annonã habuit in potestate. Hinc oppida maritima circumuectus cepit. Nouissimè Ostia per proditionem potitus tum oppidum diripuit, tum multos ciues interfecit, iunctóq; ponte fluuio commeatus à mari Romam subuectionem in totum interclusit. Tum exercitum admouit vrbi, & Ianiculum occupauit. Octauius interim non tantùm corrumpebat imperitia res, quantum legum anxia cura parum tempestiue ea, quę erant ex vsu, negligebat. quippe qui monentibus multis, seruos vt manumitteret: negauit se uos se ea donaturum ciuitate, qua C. Marium leges defendens arceret. Postquam Metellus illius Metelli filius, qui res gesserat in Africa, & per Marium actus in exilium fuerat, ad vrbem venit: qui Octauio longe dux melior habebatur: deserto Octauio milites contulerunt se ad illum orantes, susciperet imperium & vrbem tueretur. Nam si expertum & promptum essent ducem nacti, impigrè dimicaturos se & victoriã reportaturos. Verùm stomachante Metello, atq; ad consulem eos ablegante concesserunt ad hostes,

Marij respõsum acutum, de fortunæ mutabilitate.

Marius minor euadit è manibus regis Hiempsalis.

Cinna eijcitur ab Octauio vrbe.

Marius coniungit se Cinnæ.

Octauij neligentia in tuenda vrbe contra Cinnã & Marium.

Octauius vatū præstigijs nimium deditus.

Ac Metellus quoq; vrbe deplorata cessit. Octauium Chaldæi, aruspices, & vates ex libris Sibyllinis, quasi omnia ex sententia essent cessura, Romæ detinuere. Videtur autē hic vir, qui Romanorum cætera rectissimus fuit, & consulatus maiestatem certè in veteribus institutis atque legibus sicut immotis formulis retinuit seueram, ad istas nugas imbecillitate aliqua delapsus: & plus operæ dedisse præstigiatoribus atq; ariolis, quàm ciuilium & bellicarum artium peritis.

Octauij cædes.

Hic prius quàm ingrederetur Marius vrbem, à præmissis detractus ex rostris & interfectus est. Fama obtinet repertam in sinu interempti tabulam Chaldaicam. Fuit autem res planè cæca, quod ex duobus clarissimis principibus Marium vaticiniorum fiducia firmauerit, Octauium verò euerterit.

Cinnæ & Marij ingressus in vrbem.

In hoc rerum statu conuenit senatus, legatosq; ad Cinnam & Marium oratum misit, venirēt in vrbem & sanguini ciuili parcerent. Cinna quidem vt cōsul sella curuli præsidens respondit legatis benigne. Marius verò assistebat sellæ eius tacitus: cæterùm vultus austeritate & oculorum tristitia vrbem se mox sanguine denunciabat inundaturum. Ita surgentes perrexerunt ad vrbē. Cinna satellitibus cinctus est ingressus. Marius simulate substitit ad portam, ardensq; ira exulem se est cauillatus esse, & patria sibi ex lege interdictum. Si præsentia sua opus esset, abrogandam alia lege priorem. quasi verò obseruator ipse legum esset, & in liberam rediret ciuitatem. Quare concione aduocata antequam tres aut quatuor tribus suffragium tulissent, abiecta simulatione & exilij causatione inijt vrbem circumseptus delectis seruis, qui se contulerant ad eum, quos Bardiæos appellabat.

Bardiæi serui.

Marius magnā cædem edit in vrbe.

Multos hi ad vocem eius, multos ad nutum imperantis obtruncabant. Deniq; Ancharium senatorem & virum prætorium, quia non salutabatur ab eo, gladijs sub oculis eius contrucidant. Cæteros inde, quoscunq; non appellaret salutantes, nec salutē redderet. Eam habebant confestim interficiendi in vijs tesseram. Vnde ingenti solicitudine & horrore tenebantur, quoties ad salutandum Marium accederent, amici.

Marij crudelitas.

Multo effuso sanguine erat iam hebes Cinna & exaturatus cædibus. At Marij quotidie recēs & siriens furor omnes peruadebat vtcunq; ipsi suspectos. Omnes vię, omnia oppida percussoribus & venantibus profugos ac delitescentes referta erāt. Ibi cognitum hospitij & amicitiæ fidem rebus aduersis nullam habere stabilitatem. quotusquisq; enim fuit, qui tum non proderet illis amicos, ad se qui confugerant. Quare operæprecium est exosculari & commendare Cornuti seruos:

Seruorū in Cornutum fides.

qui domi abditum dominum cùm haberent, cadauer hominis plebei ex collo suspensum, cuius digito anulum aureum induerant, ostenderunt satellitibus Marij, idq; pro domino combussere. Neq; id aduertit quisquā, sed ea ratione Cornutus à seruis suis furtim est in Galliam deportatus.

M. Antonius orator à caupone proditus.

M. Antonius orator, qui itē habebat fidū amicum, offendit. Erat homo ille tenuis & plebeius. Qui cùm vrbis Romæ primariū virum domi haberet, eumq; ex præsenti copia tueretur: seruum misit ad vinum petendum à vicino caupone. Cum gustasset seruus curiosius, & melius postularet: Quid hoc rei sit rogat: quod non nouum vt solebat & vulgare, sed exquisitum & preciosum emat? Qui vbi simpliciter vt familiari & noto respondit M. Antonium, qui apud dominum suū latitaret, ab eo inuitari: nefarius & consceleratus caupo, simul vt seruus est digressus, ipse ad Mariū contendit iam cœnantē. Ad quem introductus Antonium se ostendit ei traditurū. Quo nuncio exclamasse dicitur, manibusq; ex lætitia plausisse. Parū etiā abfuit, quin exurgeret ipse, atq; illuc properaret. Cęterùm retentus ab amicis Anniū cum globo militū misit præcepitq;, vt properè Antonij caput rēferret. Vbi ad ædes illas venere, restitit Annius ad fores. Milites verò scalis in cubiculū scanderūt: ac cōspicientes Antoniū excitabant alius alium ad cędem, & sibi surrogabant. Nempe hæ veneres illius orationis, hic lepos erat, vt exorsum dicere & necem deprecari nemo nec attingere nec sustineret aspicere: sed defixo in terram vultu illachrymarent omnes. Intercedente mora ascendit Annius, atq; Antonium videt disserentem, milites q; ab eo obstupefactos ac delinitos. Igitur illos insectatus accurrit ipse, atq; Antoniū obtruncat.

Catuli cædes.

Luctatius Catulus, qui Marij fuerat collega, atq; de Cimbris vnà triumphauerat: cum orantibus pro eo & deprecantibus hoc modo respondisset, Moriendum est: inclusit se conclaui, & multis accensis carbonibus est suffocatus. Proiectis in plateas truncis atq; concultatis species ea neminem iam commiseratione, sed horrore & tremore perfudit.

Bardiæorū violentia, ob quam à suis ducibus cæsi.

Multo maximè illorum, qui Bardiæi dicebantur, populum impotens pungebat petulantia. Nam dominos in ipsorum iugulabant domicilijs, mox liberos eorum comprimebant, & vi constuprabant dominas. Horum rapacitas & latrocinia coerceri non valebant, donec communi consilio Cinna & Sertorius sopitos in castris adorti ad vnum confodere. Interea tanquam

conuer-

cōuersione aliqua venti alternante vndiq; allatum est Syllam confecto bello Mithridatico prouincijsq; receptis cū multis legionibus adesse. Hoc aliquantū requietis & respirationem attulit exiguam ineffabilibus malis, quòd iam ceruicibus suis impendere putarent bellum. Marius igitur creatur septimùm consul. Progressus in publicum ipsis Cal. Ianuarijs principio anni Sextum quendam Licinium de saxo deiecit: quod & illis & ciuitati venientium malorum visum præsagium. Marius autem laboribus confectus, curisq; quasi exhaustus & fatiscens animum erigere ad aliam tātam noui belli nouorumq; certaminum cogitationem non potuit experientia malorum ærumnarumq; trepidantē. Reputabat secum non cum Octauio sibi neq; cum Merula collectitiæ cateruæ & seditiosæ manus ducibus futuram cōcertationem: sed Syllam adesse illum, qui patria ipsum exegerat nuper, & tunc Mithridatem in Pontum Euxinum redegerat. His conflictatus in animo agitationibus, longosq; languores & fugas & discrimina, quibus fuerat terra mariq; iactatus, ob oculos ponens in miras perplexitates, nocturnos terrores, inquieta somnia incidit, semperq; aliquem visus est audire, qui diceret:

Marij septimus consulatus.

Marij cogitationes et pauor.

Sunt etenim vel sæua abeuntis lustra leonis.

Quia verò exhorrescebat præsertim vigilias: velut refugium à solicitudinibus somnum machinans, ad pocula & ad intempestiuam atq; minime cōuenientem ætati suæ conuertit se temulentiam. Postremò vbi nuncius adfuit à mari, recentesq; ei superuenerunt terrores: qua metu futuri, qua pondere & status nausea præsentis, paruo accedente momento in lateris dolorem incidit, vt author est Posidonius philosophus: qui ingressum se ad illum iam ægrum refert & collocutū de legationis suæ negocijs. Verùm C. Piso quidam historicus Marium tradit à cœna cum amicis suis inambulantem, sermonem de rebus gestis suis habuisse reductis à capite, & crebris in vtramq; partem vicibus enarratis fortunæ suæ, non esse viri prudentis dixisse vltrà ei se committere: Inde salutatis amicis, cum dies perpetuos septem decubuisset, decessisse. Nonnulli ambitionem eius prorsus in morbo autumant eluxisse, atq; in delirium euasisse absonum. Bellum se ratus est cum Mithridate gerere: Mox, quomodo in ipsis solebat prælijs, varios gestus & corporis motus valido cum clamore crebrisq; iubilis edidisse. Adeo flagrans & impotens ex ambitione & æmulatione amor ei illius erat prouinciæ impressus. Vnde annos natus septuaginta, qui inter mortales septies consul primus fuerat creatus, censum opesq; multis sufficientes regibus possidebat: fortem lamētabatur suam, quasi egenus & expers eorum, quæ appetebat, decederet immature. Enimuero Plato vicinus iam morti sortem & fortunam suam extollit: quod primum homo, deinde Græcus non barbarus, neq; rationis expers belua esset natus, adhæc quod in Socratis ætatem ortus suus incidisset. Et Aedepol Tarsensem referunt Antipatrum item sub vitæ exitum ea, quæ prospere ei obtigissent, voluentem ne secundam quidem nauigationem Athenas obliuioni dedisse: quasi propitiæ fortunæ donum quodlibet magna excipientem gratia, atque vsq; in finem memoria conseruantem, qua thesaurum habet homo nullum firmiorem. Obliuiosis verò & stolidis delata diuturnitate effluunt. Quamobrem cum pleni rimarum nihil retineāt: bonorum semper inanes, & affluentes spe respiciunt præsentibus neglectis consequentia. Et quamuis altera impedire fortuna, altera extorquere nequeat: hac tamen eiecta eius beneficentia vt aliena, illa somniant incerta. Quod iure his accidit. Prius enim quàm literis & doctrina sedem ac fundamentum iaciant bonis externis, colligētes & accumulantes ea non valent immensam animi sitim explere. Marius ergo septimodecimo septimi consulatus die expirauit. Ac magna in præsens lætitia & spes tanquam graui dominatu liberatam vrbem tenuit. Cæterùm intra paucos dies senem dominum senserunt se commutauisse iuuene & vigente. ita atrocem filius eius se Marius & acerbum optimatibus principibusq; necandis præbuit. Qui cum audax atque ad pericula adeunda haberetur intrepidus, Martis filius dictus fuit primum. Mox factis ipsis perspectus, contrà Veneris appellatus filius. Demum Præneste à Sylla obsessus, vehementerq; vitæ retinendæ nequicquam anxius, vbi euolare nequiuit, dum capitur oppidum, sibi ipse conSciuit necem.

Marij patris mors.

Marij insana ambitio.

In ambitiosos.

Platonis moribundi dictum.

Marij mors.

Marij minoris sæuitia.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. ALBERTO Comiti Palatino, duci superioris & inferioris Bauariæ, Principi suo clementissimo Hermannus Cruserius S. P. D.



INTEPRETANTI *Mihi ex Plutarcho vitam Lysandri & L. Syllæ venit in mentem Illustrissimè princeps præclari veteris dicti, Imperia demonstrant virum. Nulla est enim res, quæ perinde ingenium & mores aperiat exploretq; hominis, vt magistratus & potestas, quæq; ita affectus omnes moueat, & detegat improbitatem. Lysander enim, qui præstantissimo fuit ingenio, atque disciplina Laconica institutus accuratissime: L. Sylla item vir solertissimus, & qui præclaris artibus viam parauit ad honores, humanitatemq; singularem semper præ se tulit: postquàm summos magistratus & imperia sunt assecuti, quia atrocissimos se præbuere: docuerunt vel potius eam inusserunt magnæ potentiæ labem, mores eam non pati in priore hærere voluntate: sed vecordes arrogantesq; reddere & inhumanos. Ita Alexander Magnus, qui natura videbatur factus, & institutus ab Aristotele fuerat ad omnem virtutem & humanitatem, simul ac rerum potitus est, ita efferatus est ira, vt in amicissimos quosque atque optimè de se meritos sæuiret. Hic cum virtutum excellentia & rerum gloria gestarum esset in cœlo locandus, euasit omnibus detestabilis. Quare effecit, vt qui ante suis charissimus esset, ac pro cuius laude vitam profundebant alacriter: eum post timerent, horrerentq;. Nihil est enim atrocitate in summa potestate execrabilius, nihil contra commendabilius in principe, lenitate & facilitate. Debet igitur princeps, sicut appellauerunt Iouem veteres Opt. Maximum, ita in maxima potentia placidissimus esse & ad iuuandum promptissimus. Parit enim clementia amorem perpetuis magistrum officij: omnes vt habeat clemens princeps populares suos satellites, qui pro salute eius & incolumitate excubent, omnes ei optimè velint & cupiant: neque iam alere habeat opus stipatores, cui sit à nemine metuendum. Quippe omnium videt oculis, omnium audit auribus, omnes deniq; de eo vt de se laborant. Contra, crudelem metuunt: quem metuunt, oderunt: quem oderunt perisse cupiunt. Huic quid expectandum sit, Dionysÿ tyranni, Alexandri Pheræi apud Græcos: apud Romanos C. Caligulæ, Neronis, Domitiani, Commodi, Maximini, & reliquorum casus tyrannorum docent. Qui quanquam diligentissime corpus sepserant custodys, stationibus, & gladijs: atque prouiderant vndequaque, vt rebantur, securitati suæ, sexcentos omnibus in angulis habebant exploratores: extorta ijs tamen per vim vita fuit. Nec vero is tantum expectandus truculentis exitus est: verùm etiam dum sæuiunt in alios, cruciant semetipsi, & animum suum torquent. E`diuerso dum bene meretur de alijs humanitas, simul virtutis suæ se recordatione exhilarat perpetuo. Ita est his suæ lenitatis & indulgentiæ memoria perpetuum conuiuium, illis carnificina & equuleus atrocitatis suæ reminiscentia. Iam persequitur crudelitatem ad posteros quoq; æterna infamia & detestatio: Clementiam vero laus immortalis & gloria comitatur, quæ eos etiam cœlo locet. Ita Artaxerxem primum, Titum imperatorem, Traianum, Antonium Pium, Antoninum Philosophum amant homines, eos amplectuntur, & sub talibus viuere cupiunt principibus. Hæc mihi historiam tractanti Lysandri & L. Syllæ: qui cum summi viri fuerint, & res maximas gesserint, splendorem egregiorum factorum suorum omnem deturpauerunt & deformauerunt immani crudelitate, attingenda putaui: vt humanitatis venusta species cum horrore collata truculentiæ alliciat impensius: cuius est charitas fructus, & securitas, & perpetua oblectatio: cum alterius sit odium, pericula, perennis angor. Quicquid autem ego study & operæ hoc in commentario vitarum Lysandri, & Syllæ posui, id nominis tui Princeps excellentissime consecrandum splendori duxi. quô impulit me coniunctio inter te & clarissimum principem meum animorum & affinitatis, tum nomen humanissimum familiæ tuæ: in qua multa humanitatis, multa clementiæ nitent exempla: præsertim illustrissimus parens tuus, cuius summa per totam vitam refulsit lenitas: quàm vt hæreditariam meritò tu persequeris. Quia verò spectus ex turpi nota Lysandri & Syllæ, quàm refulgeat diuersa virtus clementia, non dubito fore tibi laudem istam tuam domesticam gratiorem. Vale Illustrissimè princeps.*

LYSAN-

Lyſander.



ACANTHIORVM Delphis theſaurus hãc habet inſcriptionem: Braſidas & Acanthij de Athenienſibus. Quod in cauſa eſt, vt ſtatuã marmoream, quæ intra templũ eſt ad valuas poſita, Braſidæ eſſe pleriq; arbitrentur. Verùm ea eſt Lyſandri, imaginem eius egregie exprimẽs veteri more comati, barba promiſſa inſigni.

Lyſandri imago.

Neq; enim, vt nõnulli volũt, tonſis ſecundũ magnũ conflictũ Argiuis, qui victi erãt, Spartiatæ ex aduerſo comam victoria elati ſummiſere. Nec cum Bacchiadæ, qui Lacedæmonẽ ex Corintho profugerunt, ſordidã & fœdã ſpeciem tonſis capillis preferrẽt, comã cœperunt Lacedæmonij in honore habere.

Comæ gerendæ Spartiatis, Lycurgus author.

Cæterùm eſt hoc quoq; ex inſtitutis Lycurgi: quẽ dixiſſe aiũt, formoſos comam ſpecioſiores aſpectu, & turpes reddere horridiores.

Coma quid præſtet, eam habentibus.

Fama eſt Lyſandri patrẽ † Ariſtoclitũ non ex regia ſtirpe, attamẽ ex gente fuiſſe Heraclidarũ.

Lyſandri genus.
† Ariſtocritum, Pauſanias, & alij.

Eductus Lyſander in paupertate eſt. Hic præbuit ſe præter cæteros inſtitutorũ obſeruantẽ, fortẽ, & omnis domitorẽ voluptatis, niſi quàm honores & ſucceſſus tribuunt ex rebus præclare geſtis: cuius ſi impotentes iuuenes ſint, nõ eſt turpe Spartæ. Nam liberos ſuos mox à prima ætate duci cupiũt gloria: vt infamijs ingemiſcant, & exultent laudibus. Quem non tangãt ea neq; commoueant: is deſpicitur vt degener ad virtutẽ & ignauus. Ita gloriæ cupiditas atq; ambitio ei ex rudimentis informata Laconicis inhæreſcebant. Neq; ſit ideo eius reprehendendum ingeniũ.

Lyſãdri mores.
Laconum in liberis educandis inſtitutum.

Verùm naturæ eius hoc aſsignes licet, quod potentes plus, quàm decebat Spartiatẽ, coleret: & ſupercilium præpollentiũ, cum ex vſu eſſet, ferret facile, quod quidẽ in politicæ ſcientiæ nõnulli non exigua ponunt parte. Ariſtoteles, qui præcellentia ingenia dicit melancholica eſſe, vt Socratis, vt Platonis & * Herculis: tradit Lyſandrũ quoq; non à principio, ſed ætate grauiore melancholia correptũ.

Magna ingenia melancholica.
Ariſt. probl. 1. Sec. 30.
** Heracliti fortaſſe.*

¶ Id vero pręcipuũ habuit & peculiare, quod ſapienter cum paupertatẽ ferret, neq; vſpiã pecunię ſuccubuerit ipſe vel ab ea labefactatus fuerit: patriã diuitijs & diuitiarũ impleuerit cupiditate, gloriamq; ei contemptarum diuitiarũ ademerit: qui à bello Attico ingentẽ auri & argenti vim eo inuexit, neq; ſibi drachmã ſumpſit vnã. Cum filiabus eius Dionyſius tyrannus exquiſitas tunicas miſiſſet, non accepit eas: addens vereri ſe, ne viderentur ex iſtis deformiores.

Lyſander diuitiarum contemptor.

At breui poſt legatus ad eundem tyrannum ex eadem miſſus ciuitate, oblatis ab illo ſibi ſtolis duabus: cum iuberet ille, vtra placuiſſet, eam vt acciperet & ad filiam ſuã deportaret: illã ait ipſam potius electurã, abſtulitq; ambas.

Lyſandri dictũ in Dionyſij munera.

Cum bellũ Peloponneſiacum traheretur, & poſt acceptam in Sicilia cladẽ expectatio eſſet fore, cõfeſtim vt Athenienſes pellerentur mari, breuiq; poſt omnino conciderẽt: Alcibiades vt ab exilio reuerſus eſt, incumbens in has res magnam fecit cõuerſionẽ, ac certaminibus naualibus reddidit Lacedęmonijs Athenienſes pares. Lacedæmonij ergo de integro trepidantes, atq; excitati denuò animis ad bellũ: quòd duce opus eſſet acri, & apparatu firmiore, Lyſandrũ claſsi pręfecere.

Lyſander claſsi præfectus.

Hic Epheſum delatus, cum eam ciuitatẽ offendiſſet ſui cupidam & enixè facientẽ cum Lacedęmonijs: afflictã autem & moribus Perſicis ex Perſarũ commercijs prope efferatam, vtpote Lydiæ affinẽ, & præfectis regijs crebrò ibi agentibus: communiuit ibidẽ caſtra, naues onerarias imperauit illuc omnes decurrere, ac naualia ædificandarũ triremiũ extruxit. Ita portus eorũ frequentauit mercatoribus, negotiationibus forũ, quæſtu ædes atq; officinas compleuit. Vnde ab illo tempore primùm vrbs hęc Lyſandri opera in ſpem venit huius, quàm videmus, dignationis & magnificentiæ.

Lyſander Epheſum amplificat.

Certior factus Cyrũ regis filium applicuiſſe Sardeis, illuc contendit ad eum conueniendum & criminandum Tiſſaphernem, cui cum imperatum eſſet Lacedæmonijs opem ferre & mari exigere Athenienſes: videbatur factus per Alcibiadẽ remiſsior pigreſcere, ac præbendo malignè ſtipendio naualem manum perdere. Cupiebat autem deferri & male audire Cyrus quoq; Tiſſaphernem improbum hominem & priuatim ſibi infenſum. Hinc igitur & ex reliquo vſu charus adoleſcenti Lyſander, & potiſsimũ obſeruantia ſua conciliatum eum excitauit ad bellum. Parantem diſcedere Cyrus conuiuio excipiẽs rogauit, ne repudiaret munera ſua: ſed quicquid cordi eſſet, poſceret & aperiret, omnia prorſus impetraturum. Cui occurrens Lyſander: Quando adeò te Cyre, inquit, propenſum demonſtras in me: peto abs te atq; oro, vt nautarum ſtipendio obolum addas, vt pro ternis

Lysander pecuniam à Cyro in stipendium accipit.

ferant quaternos. Cyrus illius animi celsitudine delectatus donauit ei decem millia Daricorum. Ex quibus suppleto nautis obolo magnificus breui exinaniuit classem hostiū. Complures enim ad eos, vbi stipendium esset vberius, transibant, qui vero remanebant: segnes redditi sunt & seditiosi, ac negocia ducibus quotidie exhibuerunt. Atqui quamuis ita spoliauisset & presśisset hostes Lysander, prælium nauale tamen trepidabat committere: quod Alcibiadem virum impigrū, & nauium numero superiorem, qui terra mariꝗ omnibus prælijs euaserat inuictus, metueret. Verùm vt ex Samo Alcibiades Phoceam transmisit præposito clasśi gubernatore Antiocho: hic autem insultans in Lysandrum & insolescens, triremibus duabus in portum Ephesiorum inuectus est, stationemꝗ clasśis cum risu & strepitu arroganter præuectus: incensus Lysander deductis primum paucis triremibus insecutus eum est. Cui vbi venire suppetias Athenienses cernit, compleuit alias. Postremo concurrerunt ac prælium commiserunt. Victoriam reporta-

Lysandri de Atheniensibus victoria naualis.

uit Lysander, nauibusꝗ quindecim captis excitauit trophæum. Ea de causa abrogauit Alcibiadi populus Atheniensis fremens imperium. Qui cum etiam à militibus contemneretur & malè audiret, nauigauit ex castris in Chersonnesum. Hanc pugnam licet re non magnam Alcibiadis causa nobilitauit fortuna. Lysander autem excitis ex oppidis

Lysander coniurationes in oppidis concitat.

Ephesum ijs, quos maximè præstare cæteris audacia & animo videbat, semina clanculum sparsit coitionum & nouationum, quæ postea sub eo exciterunt: incitans & accendens eos, vt sodalitia constituerent, arripiendisꝗ rebuspubl. suis adijcerent animum: simul atque oppresśi Athenienses essent, solutos ipsos fore populari imperio, & principatum in patrijs suis habituros. Huius faciebat cuique fidem reipsa prouehens hos, qui ad amicitiam se iam ipsius contulerant, hospitesꝗ ad magnas opes, & honores, & imperia: atque illorum causa efferendorum socium se fraudum & flagitiorum præbens. Itaque ad illum conferebant se omnes, illi inseruiebant, illum desiderabant, sperantes

Callicratidas successor Lysandri ad classem.

illo victore nihil adeò esse arduum, quod non essent assecuturi. Quapropter Callicratidā neque ab initio, cum Lysandri successor ad classem venisset, viderunt libenter: neque postquam specimen viri dedit omnium optimi & iustisśimi, ratio placuit imperij eius: quod Doricam id & minimè fucatam simplicitatem haberet. Sed huius virtutem vt signum heroicum fabrefactum extollebant: illius verò exoptabant fauorem, studiumꝗ in amicos & beneficentiam requirebant: vt mœrore & lachrymis prosequerentur decedentem. At ille cum hos à Callicratida magis alienauit, tum datæ sibi à Cyro pecuniæ ad stipendium nauticum remisit residuum Sardeis, ipsum iubens Callicratidam petere, si ei visum esset, & videre qua ratione toleraret milites. Deniꝗ testificatus apud asśistentes est in discessu classem se ei maris potientem tradere. Hic verò ad reuincendam arrogantiam illius & vanam ambitionem: Ergo sinistra, inquit, præter Samum nauiga Miletum, atque classem illic mihi trade. Nam si obtinemus mare, non est quod præuecti Samum sedentem illic hostem formidemus. Ad quæ cum respondisset Lysander, nō se sed ipsum præesse clasśi: in Peloponnesum vela fecit Callicratida in magnis relicto difficultatibus. Siquidem neꝗ domo stipendium secum attulerat, neꝗ sustinebat à ciuitatibus exigere & exprimere afflictis. Ita reliquum erat, vt mendicatum sicut Lysander iret ad præfectos regios. Ad quod minimè omniū erat accōmodatus, ingenuus vir & magnanimus, qui quamuis accipere à Græcis calamitatem honestius ducebat, quàm adulari &

Barbaris nil præter aurum præclarum.

sectari homines barbaros: quibus auri affluentia, præterea nihil esset præclari. At inopia compulsus perrexit in Lydiā, ac confestim domū ad Cyrum profectus, Callicratidam nauarchum adesse & cupere eum conuentum iussit significari. Cui cum vnus ex admisśionalibus respondisset: Non vacat nunc hospes Cyro. nam potat: simpliciter Callicrati-

Callicratidæ patientia.

das: Bene habet, inquit, ego hic, dum potauerit, expectabo. Atꝗ ibi opinione de se præbita insulsitatis derisus à barbaris recesśit. Iterū autem vbi ad fores venit, neꝗ est admisśus: grauiter ferens abscesśit Ephesum. multum execratus in capita illorum, qui se primi summiserant barbaris, & qui docuerant eos ipsis ex opulentia insultare. Iurauit insuper apud asśistentes, vt primū Spartam redisset, omnia moliturum se ad reconciliandos Græcos: quo formidabiles essent ipsi barbaris, nec deinceps illorū in se mutuò peterēt opem. Verum Callicratidas, q̃ digna Lacedæmone volutauerat cōsilia, ac iustitiæ, celsitudinis animi, virtutis laude erat cū summis Græciæ viris cōparandus, breui post cōflictu nauali

Callicratidæ mors.

ad Arginnusas superatus atꝗ è medio sublatus est. Labascētibus rebus socij misśis Spartam legatis nauarchū postulauerūt Lysandrū. Illo duce ostenderūt longe se rē suscepturos alacrius. Misit cū ijsdē postulatis & Cyrus. Sed quia bis eundē clasśi vetabat lex præfici,

fici, nec sociorū volūtati deesse Lacedæmonij volebāt: nomē præfecturæ accōmodauerūt Araco cuidā: Lysandrū verbo legatū, re cum summa potestate misere. Aduentus eius fuit plurimis, qui quidē resp. administrabant, & factiosis per ciuitates iamdudū optatus. Erexerant enim in spē se euersa vbiq; ex toto populari potentia maiores se eo interprete nacturos opes. At illis, qui ingeniū probabant in ducibus simplex & generosum, Lysandrum, quando cōmittebatur cum Callicranida, astutū apparebat esse & versutum: qui picturaret perpetraretq; magna ex parte res bellicas dolis, et innocentiam cōpendij gratia celebraret: aliâs pro recto vtereť vtili, nec verum falso duceret per se potius, sed vtrumq; metiretur emolumento. Illos verò, qui turpe ducerent Herculis progeniē in bello adhibere dolum, ridiculos existimabat. Quo enim pertinere Leonina nequeat, ibi assuendā vulpinā.

Lysander subdolus.

Talem se præbuisse & Mileti proditū est. Nam cum amici & hospites eius, quibus operā suam ad opprimendū populum & aduersarios pellēdos fuerat pollicitus, mutato consilio redissent cum æmulis suis in gratiā: propalā gratulari se & promouere simulabat velle reconciliationem eorū, remotis arbitris aūt proscindens eos conuitijs & insectans stimulauit, vt multitudinē adorirentur. Vt primū sensit motum: accurrit properè ad subueniendū, ingressusq; vrbem in primos, in quos incurrit, res nouas molientiū verbis est inuectus, appellauitq; illos asperè, quasi sumpturus de ijs suppliciū. Reliquos cōfirmauit dicens, ne quicquā præterea se præsente expectarent mali. Hac simulatione & vafritie vsus est, struens ne illi, qui maximè statū popularem fouebāt & principes fugam capesserent: sed manerent in oppido, ibiq; interficerenť, quod euenit. Omnes enim, qui fidem eius erant secuti, necati sunt. Dictum eius cōmemoratur ab Androclide, quod leuem prodit fuisse apud Lysandrū iurisiurandi religionē. Siquidem consulebat, vt aiunt, pueros talis, viros iureiurando decipere: Polycratem Samium subsequens, parum recte tyrannum dux. Nec erat cum dijs sicut cum hostibus agere Laconicum. Imò vero improbius. Nam iureiurando qui circumuenit, hostē se timere, deum vero fatetur cōtemnere.

Lysander iurisiurandi contemptor, Polycratis Samij exemplo.

At Cyrus euocato Sardeis Lysandro hinc pecuniam largitus est, hinc promissis onerat, ostentans in ipsius gratiā, si nihil daret pater, sua se in ipsum profusurum: Quod si omnibus deficeretur, cōflaturum solium, quo sedebat, cum vacaret postulationibus, aureū & argenteum. Deniq; ad parentem perrecturus in Mediam, vectigalia attribuit ei oppidorum, prouinciamq; suam eius fidei cōmisit. Amplexus eum precatusq;, ne classe ante reditum suum confligeret cum Atheniensibus, magnam se ostendit in reditu ex Phœnicia & Cilicia adducturū classem: atq; ita ad genitorem cōtendit.

Cyri in Lysandrum profusio.

Lysander autē, qui cum pari numero nauium nō posset dimicare, nec tanta cum classe desidere segnis, prouectus in altum nōnullas insulas asciuit. Aeginam & Salamina depopulatus est. In Atticam terram exscensione facta salutatoq; Agide (nam descendit ille ad eum ex Dicelia) quo præsentibus pedestribus copijs vires ostentaret nauales, quasi supra votum polleret mari: vt tamen assectari se Athenienses accepit, fugam raptim medias per insulas intendit in Asiam. Quia vero Hellespontū offendit sine præsidio, oppugnauit Lampsacū classe ex mari. Terrestribus viribus Thorax eodem tempore occurrens murū adortus est. Vrbe expugnata cōcessit militibus prædam.

Lysandri res mari gestæ.

Classis Atheniensium, quæ nauium erat centum octoginta, modo Eleunta Chersonnesi oppidum decurrerat. Ibi captum Lampsacū esse certiores facti, succedunt ilico Sestum. Inde commeatu sumpto nauigauerunt in Aegos fluuium è regione hostibus castra etiamnum circa Lampsacū habentibus. Duces Atheniensium inter alios cōplures Philocles erat ille, qui populum induxerat pridem ad sciscendum, vt capris bello præcideretur dexter pollex: quo lanceam ferre non possent, remigare possent. Curabant id temporis omnes corpora, pugnā in diem posterū expectātes. At Lysander, cum aliud in animo haberet: edixit nautis & gubernatoribus, quasi primo diluculo pugnaturus, vt cōscenderent, et ad imperiū accipiendū sine strepitu silentio sederent, copiæ terrestres itē instructę quiescerent.

Lysandri astus in pugna nauali committenda.

Oriente sole cum Athenieses fronte in hostē directa cum tota classe adessent, prouocarentq; eos: Lysander infestis proris stātes & iam de nocte cōpletas tenens naues nō est euectus in altū: sed actuarias circummisit ad eas naues, quæ in prima acie stabāt, præcipiens ne mouerent se, tantum instructæ consisterent, nec tumultuarentur vel irruerent in hostem. Ita recipientibus se sub vesperum Atheniensibus non ante egredi è nauibus permisit milites, quam duæ aut tres naues, quas miserat speculatum, redissent: cum descendisse vidissent in terram hostes. Idem posterò & tertio die vsq; ad quartum est actum. Quare elati Athenienses cœperunt hostes quasi exterritos & pauescentes despicere. Inter hæc Alcibiades, qui circa Cherson-

Alcibiades admonet duces Athenienses.

nesum in suo præsidio agebat, equo ad castra Atheniensiũ aduectus reprehendit duces: quod nõ recte neq; tuto stationẽ in littoribus haberẽt importuosis & apertis. Inde peccarent, qui ꝓcul necessaria peterẽt ex Sesto. Debere ipsos ad portũ & oppidum Sestũ breui circũuectos reducere longius se ab hostibus: qui immineant exercitu succincti in vnũ intento imperatorẽ, cunctaq; cum metu obnixè signo dato exequenti. Hæc illo docente nihil sunt moti. Tideus etiã contumeliose respondit, nõ ipsum sed alios clasi præesse. Ita Alcibiades suspectos quoq; eos ꝓditionis habẽs, abscesit. Quinto die cum euecti Athenienses fuissent & remearẽt, vt soliti erãt, sanequã solute & cõtemptim: emisit Lysander nauigia speculatoria. quorũ præfectis imperauit, vbi Athenienses descensionẽ vidissent fecisse, ꝓperè vt recurrent: ac cum ad mediũ peruenissent cursum, sustollerẽt ex prora clypeum æreũ, quod signũ incurrendi esset. Inde gubernatores & nautas circumuectus adhortatur & excitat, vt quisq; clasiarios suos, nautas, & milites cõpositos contineat: vbi

Clypeus elatus, pugnæ naualis signum.

datũ signũ sit, impigrè & acriter cõcitent in hostẽ naues. Vt clypeus elatus è nauibus est, & tuba & naui prætoria clasicũ cecinit: incurrerũt naues, ꝓperauerunt copiæ terrestres secundũ littus occupare promontoriũ. Interuallum eo loco inter duas continentes quindecim est stadiorũ: quod cito est studio & alacritate remigũ cõfectum. Princeps Conon prætor Atheniensis cõspecto ex terra clasis incursu exclamauit protinus, cõscenderent: anxiusq; eo malo hos ciebat, illos orabat, alios cogebat naues complere. Verum dilapsis militibus nihil ꝓficiebat sedulitas eius. Nam simul atq; exierant de nauibus: mox vt qui nihil expectarẽt tale, ambulabãt in foro frequẽtes, alij in agris vagabant̃, alij somno strati in tabernaculis iacebãt, pars prandiũ parabant, ducũ imperitia remotissimi à futuri co-

Atheniensiũ clades ab Lysandro accepta.

gitatione. Iam clamor exaudiebat̃ & impetus irruentiũ hostiũ: cum Conõ octo nauibus subduxit se ex cõflictu, saluusq; in Cyprũ euasit ad Euagorã. In reliquas coorti Pelopõnesij partim omnino vacuas capiunt: partim, dum cõplentur, lacerãt. Milites hinc apud naues inermes atq; incõposite suppetias venientes cadunt, in cõtinente ab hostibus descensione facta in fuga conciduñt. Capit Lysander cum ducibus tria millia capitũ et totã classem excepta Paralo & ijs nauibus, quę euolauerãt cum Cimone. Nauibus puppi abstractis & castris direptis recepit se ad tibias & cãtilenas triũphales Lampsacũ: cum rem tenuissimo labore pręclarissimã peregisset, ac bellum vna hora compleuisset longissimũ maximeq; variũ, cladibusq; & casibus præ bellis prioribus supra omnẽ fidem nouũ. Qđ cum sexcentas certaminũ alternasset formas & vicissitudines, & tot Græciæ duces, quot ne vniuersa quidẽ superiora, cõfecisset: vnius est cõsilio & virtute perpetratũ viri. Quare

Castoris & Pollucis, stellæ in naui.

hoc opus existimauerunt quidã diuinũ. Fuerunt, qui Castorẽ & Pollucem vtrinq; in Lysandri naui, vbi primũ portu euectus in hostes est, micasse sidera in clauo ferant. Alij etiã

Lapis de cœlo lapsus.

lapidẽ delapsum autumant huius cladis fuisse ostentũ. Decidit cœlo, vt multorũ fert opinio, ad Aegos fluuiũ ingens lapis. qui hodie quoq; ostendit̃, & habetur apud Chersonesitas magna in veneratione. Anaxagorã prænunciasse perhibent, inclusorũ cœlo cor-

Anaxagoræ de stellis opinio.

Diog. Laert. li. 2.

porũ lubrica aliqua iactatione aut fluctuatione vnum abruptũ præceps delapsurũ: Iam non esse quodq; sidus in eo, quo natũ loco est. Nam lapidea cum sidera sint & ponderosa, reflexu & resultu fulgere ea ætheris. Vi trahi autẽ, vertigine & circumuectionis astricta impetu: sicut ab initio, cum ab vniuersitate distraherentur frigida & grauia, retenta

Stellarum traiectiones quid sint.

fuerunt, ne delaberentur huc. Verum opinio est probabilior altera nonnullorũ: qui volunt stellarum traiectiones non fluorem, nõ ignis ætherei depastionem esse in aere restincti dum accenduntur, nõ aeris in superiorem regionẽ copia dispersi succensionem & inflammationẽ: sed lapsum & casum corporũ cœlestium, quasi remissione quadam cõtentionis atq; motus circularis ex tremoribus non ad terram habitabilẽ tendentiũ, sed extra ferè in Oceanum delabentiũ: quod in causa sit, vt ignorentur. Suffragatur Anaxagoræ

Damachi de Lapide incenso in cœlo conspecto testimonium.

Damachus: qui in libris de religione scribit, prius quam hic lapis deflueret, visum continuos quinq; & septuaginta dies eximiæ magnitudinis corpus in cœlo instar flammeæ nubis igneũ: non torpidum illud quidem, sed huc illuc identidem agitatũ: vt fluctuatione iactationeq; auulsa fragmenta ignita in diuersas rapta parteis fuerint & micuerint traiectionis stellarũ modo. Postquam eo loci delatus est, & remoto pauore cõcurrerunt incolæ: nullũ ignis indiciũ nec tam grande vestigiũ deprehensum est. Tantũ lapis iacebat ingens ille quidẽ, sed ambitus illius flammei partẽ retinebat ferme nullã. Cæterùm Da-

Alia de saxo è cœlo lapso opinio.

machum liquet benignos requirere auditores. Quòd si vera sunt quæ hic attulit: refellit egregie illos, qui dictitant ex vertice montis alicuius ventis & ꝓcellis defectum saxum, sublatumq; instar turbinis & cõtortum, vbi vis rotans elanguit & resoluta fuit, laxatum decidisse.

decidiſſe. Niſi ſane id quod viſum fuit ad multos dies, reuera ignis erat: reſtinctio aũt & marcor eius mutationem præbuit aëri in ventos violentiores & motus: atq; ita accidit, vt eiacularetur lapis. Cæterùm hæc alio ſunt ſcribendi genere diſcutienda. At Lyſander, poſtquã Athenienſes captiui tria millia de cõſilij ſentẽtia addicti vltimo ſupplicio ſunt, Philoclem prætorem appellauit rogauitq;: quid meritũ cenſeat ſe, qui ſententiæ de Græcis tam atrocis fuiſſet ciuibus author. Ille verò nihil calamitate infractus: Noli obijcere inquit, crimina, quorum iudex eſt nemo: ſed ea victor age, quæ eras paſſurus victus. Lotus inde ac ſplendida amictus chlamyde primus ad ceruicem præbendã, vt tradit Theophraſtus, ciues ſuos anteceſsit.

Philoclis prætoris Athenienſis conſtantia.

Hinc Lyſander vrbes circumuectus, quos offendit Athenienſes, his imperauit, vt cõcederent omnes Athenas, parſurum ſe denuncians nemini, quem extra vrbem deprehendiſſet. Id agebat, atq; in vrbem cunctos redigebat eo cõſilio: quo breui ingentem famem & arctam annonam ibi efficeret, ne affluente cõmeatu obſidionem ferentes, eam redderẽt ſibi laborioſam. Iam deleto paſsim populi iure & alijs reipub. formis harmoſtas Lacedæmonios ſingulis oppidis reliquit, præterea ex conflatis ab ſe per oppida ſodalitijs denos rectores. Dum hæc agit apud vrbes iuxta ſocias ac hoſtiles: circumuehebatur lente imperiũ Græciæ quodam modo ſibi ſtruens. Neque enim ex optimatibus vel ex cenſu creabat rectores: Verùm illis ex ſodalitijs & hoſpitibus ſuis condonabat reſpub. permittebatq; his, vitę & necis arbitriũ. Qui dum multorũ ipſe cædi interfuit, & præſto fuit amicis, cum aduerſarios exterminarent: non placidum inſtar Græcis dedit Lacedæmoniorũ imperij.

Lyſandri crudelitas.

Imo comicum Theopompũ nugari dicas, qui cum cauponibus confert Lacedæmonios: quod cum potum guſtandum ſuauiſsimũ præbuiſſent libertatis, acetum infuderint. Mox enim fuit ingratus & amarus guſtus.

Theopompi comici de Lacedæmonijs dictum.

Quãdo nec populos dominos reliquit Lyſander rerump. & paucorũ tradidit audaciſsimis quibuſq; & violentiſsimis vrbes. Haud longo in his conſumpto ſpacio præmiſsiſq; Lacedæmonẽ nuncijs adeſſe ſe ducentis nauibus, cõiunxit ſe circa Atticam terram Agidi & Pauſanię regibus, breui ſperans vrbem ſe capturũ. Sed cum defenderent ſe fortiter Athenienſes: redijt in Aſiam. Ibi ciuitatum reſpub. demolitus eſt æque omniũ, conſtituitq; decemuiratus. Multi paſsim necabantur, multi ſolum vertebant. Samios vniuerſos exterminauit, oppida cõceſsit exulibus. Seſtum Athenienſibus ademptã non permiſit colere Seſtijs, ſed attribuit gubernatoribus et hortatoribus ſuis oppidũ & agrum poſſidendum. Quem actum reſciderunt Lacedæmonij primũ, Seſtioſq; in ſedes reduxerũt ſuas. Enimuero actiones illæ gratæ Lyſandri Gręcis fuere, quod Æginetæ longo interuallo reciperet oppidum ſuũ, Melijq; & Scionæi reuocarentur expulſis Athenienſibus & oppida reddentibus. Vt iam laborari Athenis intellexit fame: Piræeum decurrit, compulitq; vrbem ad detitionẽ, & coegit pacem quibus vellet cõditionibus accipere.

Athenæ Lyſandro deditæ.

Atqui Lacedæmonios audias dicentes Lyſandrũ ad ephoros in hunc modum ſcripſiſſe. Captę ſunt Athenę. Ad Lyſandrũ verò reſcripſiſſe ephoros. Satis eſt captas eſſe. Verum ea ſunt in ſpeciem ſubornata. At germanũ ephororum decretum ita habet. Magiſtratus Lacedæmoniorum hæc decreuere. Piræeum & longos muros demoliminor, omnibus oppidis exceditote, agrum veſtrum colitote. Hæc ſi faxitis, pacem habetote. Quæ oportet, datote: fugitiuos redditote, de nauiũ numero quicquid ſtatuere videbitĩ, id facitote.

Pacis formula Athenienſibus ab Lacedæmonijs data.

Hanc ſcytalã Athenienſes Theramene Anconis authore acceperũt. Quo tẽpore rogatũ ferũt cum à Cleomene iuuene cõcionatore, num contra ac Themiſtocles agere & ſuadere auderet, atq; tradere Lacedæmonijs muros, quos ille Lacedæmonijs ſtruxerat inuitis: reſpondiſſe. Nihil equidẽ adoleſcens diuerſum ago ac Themiſtocles. Quippe eoſdem muros tam ille ad ciuiũ ſalutem excitauit, quam nos ad ſalutẽ eorundem diruimus. Quando vrbes ſi mœnia redderent beatas: Spartam, quę muris caret, omnium eſſe oportet miſerrimã.

De vrbium muris dictum egregium.

Itaq; Lyſander nauibus extra duodecim omnibus et muris potitus Athenienſium die ſextodecimo menſis Munichionis: quo die ſuperauerant quondam prælio nauali ad Salamina barbaros: ilico propoſuit, vt rempubl. quoq; verteret. Detrectantibus id Athenienſibus indignantibuſq;, ſignificauit per nuncios populo comperiſſe fœdus ſe ab ipſis violatum. Quippe ſtare muros circumactis diebus, quibus ſolo æquatos eſſe oportuiſſet. Quare ſicut pace ſoluta de integro de ipſis ſe ad conſilium relaturũ. Non nulli autem vere referunt cum ꝓpoſuiſſe in conſilio ſociorum de redigendis in ſeruitutem Athenienſibus. Quo tempore Thebanũ Erianthum ſuaſiſſe, vt vrbem ſolo æquarent, agrum relinquerent deſolatũ. Poſt tamen cùm epularent̃ vnà duces, atq; inter pocula Phocenſis quidam ex Euripidis Electra ingreſſum chori caneret, cuius eſt cordium:

Muſicæ vis.

Aga-

Agamemnonis adeo ô soboles Electra
Ad agrestu culminis atria tua:

fractos omnes fuisse, ac rem censuisse indignam, tam claram talium alumnam virorũ delere & excindere vrbẽ. Igitur Lysander nihil recusantibus Atheniensibus euocauit mulieres ex vrbe tibicinas, omnes etiam ex castris coëgit. Tum muros diruit, naues incendit ad tibiam simul coronatis ouantibusq; socijs, tanquam libertatis foret dies ille auspiciũ. Mox rempubl. mouit: ac triginta vrbi, decem Piræo præposuit rectores. Arci imposuit præsidium, cui harmostem dedit Callibion Spartiatem. qui cum Autolycum athletam, in quem condidit conuiuiũ suum Xenophon, sublato baculo cædere pararet: hic cruribus eum sublatum prostrauit in terram. Nec de eo doluit Lysander. Imo etiam castigauit istum dicens ignorare Callibium liberis hominibus imperare. Cæterùm triginta viri breui pòst interfecerunt in Callibij gratiam Autolycum. At Lysander rebus hisce compositis contendit in Thraciam. Quod reliquum erat pecuniæ, item quæcunq; munera & coronas acceperat, (donauerant autem ei complures potentissimo nimirum viro & Græciæ quodammodo domino) Lacedæmonem per Gylippũ, qui dux fuerat in Sicilia, misit. Is, vt fama est, sacculorum suturas in fundo soluit, ac surripuit ex vnaquaq; magnam vim argenti, mox cõsuit iterum eas, nescius additum in singulis libellum, qui numerum indicabat. Ingressus Spartam ea, quæ interuerterat, condidit sub tecto domus suæ. Sacculos ephoris tradidit & ostendit signatos. Quibus apertis & inito numero cùm discreparet ab indicibus argenti summa, haberetq; res ephoros suspẽsos: seruus Gylippi significauit ijs per ænigma, sub Ceramico multas cubare noctuas. Nam κέραμος tectum, & Ceramicos locus certus Athenis dicitur. Nummi autem id temporis Atheniensium gratia erant noctua fere signati. Atq; Gylippus quidem post res gestas tam insignes & amplas tam fœdo & pudẽdo facinore admisso solum vertit. At Spartiatarum prudentissimi eo nomine vel præcipue nummorũ exhorrescentes vim, quæ ciues labefactasset non vulgares, & Lysandrum sunt insectati & testato denunciauerunt ephoris reijciendũ quasi pestilentes illecebras aurum & argentum. Hi rem ad concilium retulerunt. Schiraphidam Theopompus refert, Ephorus Phlogidã fuisse, qui non recipiendã in vrbem monetam auream vel argenteam cẽsuit, sed retinendam patriam. Ea ferrea erat, primùm aceto tincta adhuc candens, vt neq; procudi neq; duci ob tincturam, neq; posset tractari malleo: ponderosa deinde & ad portandum inhabilis, cuius esset magnus numerus & moles exigui precij. Ac vetus moneta fuit fortassis omnis eiuscemodi: quia obeliscis vtebantur ferreis nummis, quidã æreis. Vnde durat ad hæc vsq; tempora, vt multũ pecuniolæ oboli vocetur, & drachma sex oboli. Tantũ enim circumplectebãt manus, quod δράγμα dicitur. At quando Lysandri necessarij intercesserunt, & instituerunt, vt pecunia illa retineretur in vrbe: visum fuit, in vsum publicum vt admitterent id genus nummos. Siquis eos possidere compertus esset priuatim, in eum pœnam capitalem sanxere. Quasi verò nummos Lycurgus formidasset, non autem nummorũ comitem auaritiã & cupiditatẽ: quæ nõ ita detrahebatur, quòd non teneret eos priuatus: vt, quia haberet respubl. incendebatur, accedẽte ad vsum eius dignitate & admiratione. Neq; enim fieri poterat, cui esse dignationẽ cernebant publice, id vt respuerent pro inutili: atq; vt ad rem priuatam sibi quisq; flocci faceret id, quod publice tanti esset & adeo charũ. Imo verò mores ex publicis studijs longe citius influunt in vitam priuatã, quàm priuatæ offensæ & motus rempub. referciunt vitijs. quippe rapit secum vniuersitas haud dubie partes potius, vbi vergit in deterius: partis vero in vniuersitatem noxæ multas correctiones & remedia accipiunt à sanis. At hi ciuium ædibus, ne in eas penetrarent nummi, metum apposuerũt custodem & legem, animos verò eorum infractos à pecunia & immotos nõ seruarunt: qui in diuitiarũ quasi amplæ rei & eximiæ coniecerunt omnes admirationem. De his etiam alio quodã nostro scripto perstrinximus Lacedæmonios. Porrò Lysander Delphis statuam suam æream & cuiusq; nauarchorũ suorum, stellas quoq; aureas Tyndaridarũ fratrũ de manubijs dedicauit, quæ fuerunt ante pugnã Leuctricam sublatæ. In Brasidæ & Achanthiorũ thesauro triremis sacrata bicubitalis fuit ex auro & ebore facta, quã Cyrus ei victoriæ causa gratulatoriã miserat. Alexandrides Delphus deposuisse ibidẽ tradit Lysandrũ argenti talentũ, minas duas & quinquaginta, insuper stateras vndecim. Sed parũ cõuenientia scribit ijs, quæ recepta sunt de illius paupertate. Porrò Lysander, cuius tũc erat maior potentia, quàm cuiusquã fuisset superiorum Græcorũ, maiorem potentia sua visus est arrogantiã & fastũ vsurpasse. Primo enim Græcorũ aras ei, vt Duris tradit, ciuitates

Lysander diruit muros Atheniẽsium.

Autolyci cædes.

Lysander mittit Spartam pecuniam.

Gylippus surripit argentũ publicum.

Gylippi exiliũ.

Moneta Lacedæmoniorũ, ferrea.

Obolus.

Drachma.

Lacedæmonij quando receperunt nummos aureos & argenteos.

Publica studia & mores, priuati imitantur.

Triremis ex auro & ebore.

Lysandri honores & arrogantia.

tates vt deo erexerunt victimasq́; immolauerunt. In eum primum decantati pæanes fuere, quorum vnius exordium commemorant huiuſcemodi:

Ducem bonæ Pelaſgiæ Letis ab ampla plauſibus
Sparta canemus inclytum.

Samij ſciuerunt, ut Iunonia apud ipſos Lyſandria dicerentur. Ex ciuibus perpetuò in comitatu ſuo Chœrillũ habebat, qui res ſuas geſtas celebraret carmine. Antilocho, qui certum numerum verſuum in laudem ſuam cōdiderat, lætus pileum dedit argenti plenum. Cum Antimachus Colophonius & Niceratus quidam Heracleotes carminibus Lyſandria in honorem eius certarent, donauit Niceratum corona. Ea re Antimachus offenſus aboleuit poema. Plato autem, qui iuuenis id temporis erat, & Antimachum ob artem poeticam colebat, ablatam ſibi palmam moleſte ferentem alleuauit excitauitq́; ignaris dicens malam eſſe ignorantiam, ſicut cæcitatem non videntibus. Iam citharœdus Ariſtonus, qui Pythijs victor ſexies fuerat, in gratiam oſtendit ſe Lyſandri, ſi rurſus viciſſet, pronunciaturum vel dicturum Lyſandri ſeruum ſe eſſe. At ambitio erat Lyſandri principibus modo & paribus odioſa. Quia immenſa arrogantia & ſupercilium vnà cum ambitione infundebant ſe ob clientelas moribus eius, neq; honorum vel ſuppliciorum ciuilis erat apud eum modus: ſed amicitiæ & hoſpitij principatus ciuitatum ſoluti & effrenati dominatus præmia erant, iræ autem vna expletio mors inimici. Nam effugij non erat locus. Imo verò illi, qui apud Mileſios poſtea tuebantur partes populi, veritus ne profugerent: & quo extraheret deliteſcentes: iurauit nō violaturum ſe eos. Quos fide ſua prodeuntes tradidit illis, qui de factione erant paucorum potentium, necandos: quorum erat ex ambabus partibus non intra octingentos numerus. Edebatur præterea aliorũ popularium oppidatim infinita cædes. Nempe repræſentabat non ex proprijs tantũ offenſionibus necem: ſed frequentibus odijs, frequentibus cupiditatibus amicorũ, quos paſſim habebat, ea donabat facinora, illorumq́; in his erat ſuffragator. Vnde celebrata vox eſt Eteoclis Lacedæmonij, Græciam ferre duos Lyſandros non potuiſſe. Idem de Alcibiade Theophraſtus Archiſtratũ author eſt dixiſſe. Cæterùm acerbiſsimũ in hoc petulantia erat & cum procacitate cōiunctus luxus. Lyſandri vero potentiã efficiebat amaritudo morum horrendã & atrocem. Atqui de reliquorũ criminationibus nō laborabant magnopere Lacedæmonij. Vbi verò Pharnabazus ob iniurias eius, quod prouinciã ſuã vaſtaret, miſit Spartam accuſatores: infenſi ephori vnum ex amicis Lyſandri & collegis Thoracē, quod habere eum domi cōpertum fuit argentum, necauerunt: ipſumq́; Lyſandrum miſſa ſcytala reuocauerunt domũ. Scytala aũt res eſt huiuſcemodi: Cùm præfectũ claſsis vel ducē ephori mittunt in expeditiōe: ligna bina parant teretia pari prorſus longitudine & craſsitudine, vt ſecta inter ſe quadrent. Horum alterũ ipſi retinent, alterũ tradunt ei, quē dimittũt. Ligna hæc ſcytalas appellãt. Vbi iam arcana & ardua mandare volunt: codicillos faciũt inſtar corrigiæ longos & ſtrictos, his ſcytalã ſuam circũplicant nullo interſtitio relicto, ſed faciē eius amplectuntur vndiq; codicillis. Inde qđ libuerit, in circũiecto ſcytalã codice exarãt. Vbi ſcripſere, detractos codicillos mittũt ad ducē abſq; ligno. Acceptos ille aliàs nequaquã valet legere: quòd cōmiſſuram nō habeãt literæ, ſed diuulſæ ſint: adhibet aũt ſcytalam ſuã, & ſegmento eam circumplicat codicillorũ. Ita ſpira in eandē repoſita ſeriē, primis cohærentia ſecunda in orbē offerunt oculis cōtextum. Codicillus dicit item ac lignũ ſcytala, ſicut menſuratũ eodem quo menſura nomine. At Lyſander allata ad eũ in Helleſpontũ ſcytala perculſus, & Pharnabazi potiſsimũ formidans crimina, affectauit ad dirimendã controuerſiã cum eo cōgredi. In colloquio orauit eum, vt literas de ſe ad magiſtratus alteras, nulla ipſum iniuria affectũ eſſe, neq; quicquã ſcriberet queri. Cæterùm ignorabat cum Crete ſe, vt eſt in prouerbio, creticare Pharnabazo. qui omnia recepit ſe facturũ: atq; in propatulo quidē, qualē flagitabat Lyſander, epiſtolam cōſcripſit, clàm verò alterã habebat iam exaratã, & inter ſignandũ cōmutauit codicillos nihil inter ſe ſpecie diſcrepantes, tradiditq́; Lyſandro illũ occulte ſcriptũ. Reuerſus Lacedæmonē Lyſander, atq; vt moris eſt, ad curiã profectus reddidit ephoris Pharnabazi literas, pro certo habens maximũ crimen ſuum eſſe ſopitũ. Pharnabazum enim Lacedæmonij, quòd inter regios præfectos fuiſſet in bello promptiſsimus, charũ habebant. Vtverò lectas literas ephori oſtenderunt Lyſandro, & hic animaduertit, Non vnũ Vlyſſem ſcilicet eſſe callidũ: in præſentia quidē vehementer perplexus digreſſus eſt. Paucis poſt diebus adijt magiſtratus, propoſuitq́; neceſſarium ſibi iter eſſe ad Ammonis delubrum & ſacrificia, quæ ante prælia vouerat, reddenda. Ac nonnulli vere aiunt, cum in Thra-

Platonis dictum in indoctos.

Lyſandri ambitio, ſuperbia, & crudelitas.

Eteoclis in Lyſandrum dictũ.

Lyſander reuocatur ab exercitu domum.

Scytala Laconica, quid, & quo pacto fieret.

Lyſander literas cōtra ſe fert.

Lyſander ad Ammonē proficiſcitur.

Aphytis vel Aphyte vrbs est Thraciæ ad Pallenen, authore Stephano & alys.

Thracia Aphytæorum oppidum circumsideret, in somno astitisse ei Iouem Ammonem. Vnde soluta obsidiōe velut dei iussu præcepit Aphytæis Ammoni sacra facere, deumq; maturauit in Africam profectus placare. Pleriq; crediderunt velamento vsum dei, cum alioqui ephoros timeret, neq; ferret ciuile iugū neq; parêre sustineret, oberrare expetisse & vagari alicubi equi in modum: qui ex liberis pascuis & pratis ad præsepe redit, & ad solitas reducitur operas. Nam quā Ephorus allegat huius causam peregrinationis, mox edisseram. Cum dimissionem ægre & non citra laborem impetrauisset ab ephoris, conscendit. Reges eo absente, qui considerauerunt sodalitijs eum tenentē oppida perpetuo imperio & dominatui Græciæ incubare, struebāt, vt expulsis familiaribus illius respubl. redderent popularibus. Verum enimuero cum nouus hinc esset excitatus motus, & primum Athenienses ex Pyla mouentes triginta rectores essent adorti, eosq; prælio fudissent: regressus properè Lysander fuit author Lacedæmonijs, vt rebuspubl. quas administrabant pauci, subuenirent pœnasq; exigerent à populis. Primò igitur triginta rectoribus in belli subsidium centum talenta mittunt, ac ducem præficiunt eis Lysandrum. At reges malignitate & metu, ne iterum caperet ille Athenas, statuerunt: vt alter ipsorum susciperet expeditionem. Ac profectus est Pausanias verbo cōtra populum Atheniensem pro tyrannis, reuera ad dirimendum bellum: ne amicorum opera redigeret Lysander denuo in potestatem suam Athenas. quod quidem perfecit facile, reductisq; in gratiam Atheniensibus atq; composita seditione ambitionem Lysandri præscidit. Rebellantibus breui de integro Atheniensibus insimulatus Pausanias est, quòd frænato paucorum potentia populo ad insolentiam & licentiam fenestram aperuisset: Lysandro vero adiunxit existimationem viri non ad aliorum gratiam neq; ad fastum, verum ex vsu ciuitatis Spartanæ seuere imperantis.

Athenienses fundunt prælio triginta tyrannos.

Pausanias reconciliat Athenienses, cum Spartanis.

Lysandri fulminans oratio.

Fuit etiam eius ferox & fulminans ad reluctantes oratio. siquidem ambigentibus de agri finibus Argiuis, & veriora quàm Lacedæmonios ratis se adferre, monstrato gladio: Qui hoc, inquit, potitur, hic de finibus agri dicit optime. Cùm ciuis Megarensis in concilio libere cum eo ageret: Oratio tua, inquit, hospes indiget vrbe. Fluctuantes Bœotios, vtri parti adhærerent, interrogauit: directis hastis fines ipsorum peragraret, an inclinatis. Cum Corinthij desciuissent, & accedens ad muros Lysander Lacedæmonios segnes cerneret ad oppugnationem, lepus aūt conspectus esset fossam transilire: Ecquid pudet vos, inquit, eos formidare hostes, quorum ob ignauiā mœnibus indormiunt lepores.

Lysander priuat Leontychidem regno.

Porrò cum rex Agis fato functus esset fratre superstite Agesilao & Leontychide, qui habebatur filius eius: impulit Lysander Agesilaū, cuius fuerat amator, vt iustam Herculis progeniem, ad regnum asserendum. Flagrabat enim Leontychides infamia quasi susceptus ex Alcibiade: qui quo tempore exul Spartæ agebat, stupri clandestinam consuetudinem cum vxore Agidis Timæa habuerat. Agis autem, vti fama est, collegit rem ex tempore non esse ex se prægnantem. Vnde Leontychidem negligebat ac nō obscure reliquo tempore abdicabat. At vbi æger est Heræā delatus, iā morti vicinus hinc ab ipso adolescente, hinc ab amicis obsecrantibus inductus est, vt adhibitis multis filium agnosceret Leontychidem: & cum orasset assistentes, vt horū essent apud Lacedæmonios testes, expirauit. Testificabantur hi Leontychidi ea, insuper Agesilaum inclytum aliàs virum & suffragatore subnixum Lysandro celebris vates lædebat Diopithes: qui hoc vaticinium in Agesilai citauit claudītatem:

Tu quamuis animo tumeas ô Sparta superbo,
Te validam pedibus prorsus circumspice claudum
Ne lædat regnum. longi te namq; labores
Et subiti cingent, Martisq; agitaberis vndis.

Igitur multis oraculo assentientibus atq; ad Leontychidem versis negauit Diopithē Lysander sortes rectè accipere. Neq; enim si, qui offensauerit pedem, regnet apud Lacedęmonios, id deum auersari: sed esse regnum claudum, si adulterini & degeneres inter posteros Herculis agant regnum. His suasionibus et opibus ingentibus suis peruicit, vt rex salutaretur Agesilaus.

Lysandri opera creatur Agesilaus rex.

Igitur instigat eum stimulatq; Lysander ad bellum Asianum, spem ostendens fore, Persas vt debellaret atq; euaderet omnium hominum primus. Scripsit etiam ad suos in Asia amicos, vt ad mouendum barbaris bellum ducem poscerent Agesilaum. Cuius illi impulsu legatos miserunt Lacedæmonem cum hisce postulatis. Quod decus regno non inferius apparet acceptum tulisse Agesilaum Lysandro. Atqui ambitiosa ingenia cætero non inutilia ad imperia sunt, sed inuidentiā parium gloriæ cau

sa

ſa non mediocres habent magnarum gerendarum rerum compedes. Efficiunt enim aduerſarios virtutis eos, quos habere queant adiutores. Ageſilaus ergo duxit ſecum inter triginta conſiliarios Lyſandrum, quo eſſet præcipuè et principe amicorum vſurus. Poſtquam verò in Aſiam ventũ eſt: quòd cum illo incolis nullus vſus intercederet, pauci idq; rarò adibant eum. Lyſandrum verò ex magna priſtina conſuetudine, amici obſeruantia, iniqui timore domum eius celebrabant affectabanturq; eum.

Ageſilai ſimultas cum Lyſandro.

Quod in tragœdijs fere vſuuenit hiſtrionibus, vt qui nuncij perſonã gerunt vel miniſtri, pluris fiant & primas partes agant: illius verò, qui diadema & ſceptrum fert, nec vox audiatur vlla loquentis: ita apud conſiliarium maieſtas imperij hærebat, regi orbum potentia nomen manebat reliquum. Erat quidem hæc aliquantulum perſtringenda importuna ambitio, & detrahendus ad ſecundas parteis Lyſander: verùm vt ſemel proijceret & ludibrio haberet bene de ſe meritum & amicum, indignũ vitium erat, quo laboraret Ageſilaus. Primùm non conceſsit ei rei vllius gerendæ materiam, neq; vlli rei præfecit eum. Deinde quorum commendare rem vel ſtudioſum Lyſandrũ intelligeret: eos ſemper inanes, atq; infra abiectiſsimum quemq; dimittebat honoratos. Atq; ita ſenſim illius labefactabat & diluebat authoritatem. Lyſander vbi omnes eludi conatus ſuos vidit, & ſtudium ſuum ſenſit amicis detrimento ſum eſſe: deſtitit ſuſcipere negocia eorum, rogauitq; eos, ne ſe adirent neu colerent: regem appellarent atq; illos, qui prodeſſe magis in præſenti his, à quibus honorabantur, valerent.

Lyſandri prudentia.

Cùm hæc audirent, complures interpellare eum de cauſis ſuis deſierunt, obſeruare non deſierunt: ſed aſsiduitate ſua in ambulationibus & gymnaſijs longe quàm antè acrius ſtimulauerunt illius honori inuidentem Ageſilaum. Vnde cùm rebus gerendis multos præficeret gregarios milites, eosq; vrbibus regendis præponeret: Lyſandro carnium diuidendarum attribuit munus. Inde quaſi inſultandi cauſa Ionibus: Eant nunc, inquit, & meum carnium diuiſorem colant.

Lyſander diuidendis carnibus præficitur ab Ageſilao.

Quare viſum Lyſandro eſt in ſermonem cum illo venire, fitq; conciſum eorum & Laconicum colloquium. Næ tu bene, inquit, noſti Ageſilae amicos conculcare. Ibi ille: Sanè, ſi me eſſe maiores velint. Illos, qui opes meas amplificabunt, harum æquum eſt eos eſſe conſortes. At id tu dixiſti, inquit Lyſander, Ageſilae potius, quàm ego feci. Te verò precor vel externorum cauſa, qui conijciunt in nos oculos, eo me loco reponas ſub ductu tuo: vbi poſitum quàm minimè tibi odioſum & magis vtilem fore putes.

Lyſandri cum Ageſilao Laconicus ſermo.

Hinc legatus in Helleſpontum miſſus eſt, qui quamuis incenſus in Ageſilaum eſſet, non prætermiſit tamen officium ſuum facere. Spithridatem Perſam, qui offenſionem cum Pharnabazo habebat, præſtantem virum & exercitu ſuccinctum impulit ad defectionem adduxitq; ad Ageſilaum. Ad aliam rem in bello eſt nullam adhibitus, verùm elapſo tempore Lacedæmonem vilis redijt, cùm infeſtus Ageſilao, tum totam rempubl. magis quàm antè exoſus: ſtatuitq; præſtructa pridem & adornata ad mutationem ac res nouas exequi tunc, nec procraſtinare.

Lyſander res nouas Spartæ molitur.

Ea hæc erant. Ex poſteritate Herculis, qui cõfuſi cum Dorijs fuerũt, & in Peloponneſum remeauerunt, magna & clara gens floruit Spartæ. Non admiſsi tamen ad regni ſucceſsionem omnes ſunt, verùm hæſit id penes duas ſolùm familias, qui Eurytiontidæ & Agiadæ appellabantur. Cæteri ex generis dignitate prærogatiuam in repub. nullam habebant.

Familiæ regum Lacedæmoniorum.

Virtutis verò decora patebant omnibus, qui obtinere poterãt ea. Ex his cum eſſet Lyſander, vt rebus geſtis inclytum nomen cõparauit, multosq; amicos & opes conciliauit: iniquo ferebat animo, quòd illa in vrbe, quam ipſe amplificauerat, alij qui nihilo ſe eſſent natalibus illuſtrioribus, regnarent: cogitauitq; ex duabus familijs regnum traducere & conferre in medium ad omnem Herculis progeniem: vel vt quidam aiunt, non ad Herculis poſteros, ſed ad Spartiatas: ne præmium id ſtirpis Herculis eſſet, ſed eorum, qui ſimiles eſſent Herculis virtute: quæ illum quoq; ad deorum honores euexiſſet.

Lyſander regnũ meditatur.

Sperabat autẽ fore, cum de regno ita diſceptaretur, neminem præ ſe deſignatum iri Spartiatem. Ac primùm inducere ciues ipſe inſtituit & molitus eſt, atq; orationem edidicit à Cleone Halicarnaſſeo compoſitam. Hinc vbi rei, quam nouabat importunitatem & molem conſilia vidit audaciora flagitare: quaſi in tragœdia machinam in ciues attollens, ſortes Delphicas atq; oracula contexuit concinnauitq;: nihil habiturum ſe ratus ex Cleonis artificio præſidij, ni metu aliquo dei & ſuperſtitione prius ictos occupatosq; ad orationem illam ciues ſubdolè deduxiſſet.

Lyſander oracula falſa concinnat: & vates tẽtat largitione.

Itaq; refert Ephorus eum, vbi Pythiam aggreſſus eſt peruertere, ac mox ſolicitauit per Pherecle Dodonidas, & reiectus ab his eſt, ad Ammonis templũ profectũ oſtenſa magna mercede cum ſacerdotibus egiſſe. quos ex indignatione Spartam certos ad accuſandum Lyſandrum legaſſe. Abſoluto illo dixiſſe abeũtes Afros. Nos

verò iudicabimus Spartiatæ rectius, cùm apud nos in Africa habitabitis: quòd vetus vaticinium esset migraturos Lacedæmonios in Africam. Totam autem technam & astutiã commenti, quæ neq; mediocris fuit neq; à vulgari ducta fonte, sed velut in diagrammate mathematico multa habuit & magna principia, per spinosaq; & contorta lẽmata progressa ad cõclusionem est, secuti scripta cuiusdam historici & philosophi explanabimus.

Lysandri commentum ad regnum occupandum.

Mulier dicit se ex Apolline vterum gestare.

Mulier erat in Ponto, quæ prægnantem ferebat se ex Apolline: cui multi neq; immeritò fidem non habebant, multi etiam credebant. Vnde cum filium peperisset, complures & nobiles magnam nutrimentorum eius atq; educationis egerunt curam. Nomen puero aliqua certe ex causa Sileno est inditũ. Hoc sumpto Lysander exordio reliqua de suo assuit & attexuit. Nec verò paucos vel contemnendos habuit sibi in hac fabula seruire paratos, qui famam pueri natalium citra suspicionem vllam aduexerunt. Alium præterea vulgauerunt & dissipauerunt Spartæ Delphis petitum rumorem, oracula peruetusta à sacerdotibus in arcanis tabulis conseruari, neq; attrectare has vel legere fas esse, nisi longo æuo natus ex Apolline venisset: & generationis suę indicio, quod notum custodibus esset, edito ijs tabulas, quibus sortes continebantur, accepisset. His pręstructis veniendũ sicut Apollinis filio Sileno erat ad poscenda oracula. Sacerdotes conscij singula sedulò rimare de natalibus eius & percontari debebant. Postremo his adducti scilicet libellos tanquam Apollinis filio ostendere, atq; hic in magna corona cùm alia recitare oracula, tum cuius causa hoc institutum cõmentum fuerat, de regno: præstare & satius esse Spartiatis, vt ex optimis ciuibus legerent reges. Vt iam adoleuit Silenus, atque ad rem agendam veniebat: ecce Lysander à fabula excidit vnius ignauia histrionis & administri: qui cùm admouenda operi manus esset, obtorpuit & tergiuersatus est. Nihil tamen, dum superstes Lysander fuit, patefactum est, sed post obitum eius. Decessit ante reditum ex Asia Agesilai, cum in bellum Bœoticum incidisset, vel potius Græciam coniecisset. Nam obtinet vtraq; fama: atq; alij in illum causam, alij in Thebanos, nõnulli in vtrosq; conferunt.

Bellum Bœoticum.

Thebanis obijciũt sacrificij Aulide dissipationem, & quòd redemptis pecunia regis Androclida & Amphitheo ad illigandos bello Græciæ Lacedæmonios sint adorti Phocenses atq; fines eorum depopulati. Lysandrum stomachatum ferunt, quòd cæteris tacentibus socijs decimã prędæ soli vendicassent Thebani, missamq; à Lysandro Spartã pecuniã indigne tulissent. Maxime verò, quòd eximendi se Atheniensibus primordium dedissent à triginta tyrannis, quos ipse constituerat. Ad quos viribus & terrore armãdos decreuerant Lacedæmonij exules Atheniensium vndiq; ducendi ius esse: pro hostibus habendos, qui obstarent ducentibus. Aduersus id decretũ sciuerunt aliud Thebani dignum & germanum Herculis & Liberi patris factis, omne tectum & oppidum Bœotiæ Atheniensibus, si quibus vsus foret, patere. Qui exuli, dum duceretur, opem nõ tulisset, talentum mulctæ nomine pensurũ. Siquis Athenas ferret per Bœotiam in tyrannos arma, neminẽ id neq; videre neq; audire Thebanorũ. Neq; verò, qui hæc tam Græca & humana sciuerant, factis decreta nõ sunt executi. Imo Thrasybulus cum sua cohorte occupata Phyle, conatus suos ceperunt ex Thebis: quod arma & pecuniã comparassent, atq; rem secreto aggrederentur auxilio Thebanorum. Has causas arripuit contra Thebanos Lysander. Qui cum ob atrã bilem ex senio turgentem ira arderet plane aspera, incitauit induxitq; ephoros: vt aduersus illos mitterent præsidiũ, ac dux creatus cum copijs profectus est.

Lysandri expeditio in Bœotiã.

Post rex quoq; Pausanias est cum exercitu missus. Cæterùm hic ambitu per Cithærona ducens in Bœotiã irrupturus erat, Lysander ei per Phocidem occursurus cum magnis copijs. Atq; Orchomeno potitus est per voluntariam deditionem. Lebadiã expugnauit diripuitq;. Mox literas misit ad Pausaniã, vt sibi ad Haliartũ ex Platæis occurreret. Nam prima luce admoturũ se Haliartiorum muris exercitũ. Quæ literæ, quòd incidisset in speculatores tabellarius, sunt ad Thebanos delatæ. Hi Atheniensibus, qui suppetias ipsis venerant, vrbe cõmissa prima vigilia eruperunt, & paulò ante Lysandrũ venerunt Haliartum, ac partim oppidũ ingressi sunt. Ille primò castris in tumulo positis statuit Pausaniã operiri.

Lysander oppugnat Haliartũ.

Cissusa fons, in quo Liber pater infans ablutus est.

Inde crescente die cũ quiescere non posset, armis captis socijsq; incitatis per viam longo agmine succedebat ad mœnia. Thebanorũ pars, quæ substiterat extra muros, sinistrũ latus claudentes oppido inuaserũt sub fonte, quam Cissusam appellant, extremum hostiũ agmen. Hîc nutrices fabulantur Liberum patrem infantẽ modò editum abluisse. quippe colore nitet vinum repræsentante limpidoq;, & est potu gratissimus, nec procul styraces Cretenses nascuntur passim. Quæ vestigia Haliartij domicilium ibi Rhadamanthũ habuisse iactant. Tumulũ quoq; eius ostendũt, quẽ Alea vocãt.

lam

Iam Alcmenæ iuxta est monumentum: eamq; illic autumant funeratam, cùm nupsisset defuncto Amphytrione Rhadamantho. Porrò qui intra muros Thebani erant, cum Haliartijs instructi non mouerunt se in præsentia. Vt verò Lysandrum cum antesignanis successisse viderunt ad mœnia, porta repente patefacta erumpunt, illumq; cum vate interficiunt, præterea paucos alios. *Lysandri cædes.* Nam maxima pars recepit se properè ad aciem. Sed cùm Thebani eodem ardore instarēt ijs: omnes terga dedere, collesq; effusi petiere. Mille ex illis desiderati. Ex Thebanis ceciderunt trecenti, quos impetus in consectandis hostibus in aspera & munita loca abstulit. Hi suspicione erant aspersi facere cū Lacedæmonijs. quam labē dum eluere volunt apud ciues, neq; sibi parcunt: in persequendis hostibus nequicquam periere. Hæc clades Pausaniæ in itinere Thespias à Platæis mouenti nunciata est: qui instructo agmine cōtendit Haliartum. Eodem ex Thebis aduenit cum Atheniensibus Thrasybulus. Cùm institueret Pausanias per inducias mortuos petere: maiores natu Spartiatarū et apud semetipsos fremuerunt, et regem adeuntes testati sunt nō sublaturos se per inducias Lysandrū: verùm armis de corpore eius certaturos, victoresq; tum eum humaturos: victis verò honestum fore ibidem occumbere cum duce. Iactantibus ea senioribus Pausanias prælio superare victores modò Thebanos arduū cernens esse, & corpus Lysandri prope murum concidisse: vt laboriosè ablaturi illud vel victores essent, petitis per præconē inducijs retrò exercitū reduxit. Lysandrū abstulerunt: quem, vt primum finē superauerunt Bœotiæ, in pacato & socio agro Panopæorū sepulturæ affecere: *Lysandri sepultura.* vbi nunc quoq; monumentū eius extat secus viam, quæ Delphis Chæroneam fert. Ibi cùm haberent Lacedæmonij statiua: fama tenet Phocensem quendā alteri, qui nō interfuerat, recensentem certamen hostes dixisse in ipsos incurrisse, cùm Lysander iam Hopliten transcendisset. Quo stupente Spartiatem quendā Lysandri amicum, quem nam Hopliten diceret, rogasse? Neq; enim nosse se nomen. Atqui illic, inquit, primos ordines nostros cōciderunt hostes. quippe riuum oppido propinquū vocant Hopliten. *Hoplites amnis.* Spartiatem eo audito ad lachrymas effusum dixisse: Vt est homini fatū ineuitabile. *Fatum ineuitabile.* Nempe sortes datæ Lysandro huiuscemodi fuere:

Hopliten iubeo cautum vitare sonantem
Terrigenumq; dolo sequitur qui terga, draconem.

Aliqui non Haliartum præterfluere Hopliten, sed prope Coroneam torrentē autumant esse, & cum Phliaro amne secundum oppidū coire, quem Hopliā olim, nunc appellant Isomantum. Qui Lysandrū interfecit ciuis Haliartius Neochorus nomine insigne clypei draconem habuit: quod cōiectura erat nunciari oraculo. Ferunt Thebanis quoq; sub bellum Peloponnesiacū oraculum Apollinis Ismenij editum: quod simul præliū ad Delion atq; hoc ad Haliartum commissum, quod illi successit anno trigesimo, prædixit. Id fuit huiuscemodi:

Instruis insidias latebris si quando luporum:
Oram confinem, vacuum nec vulpibus vnquam
Orchaliden tumulum pariter vitare memento.

Locum iuxta Delion oram confinē vocauit, vbi Bœotiæ & Atticæ est confiniū. Orchaliden tumulū, quem hodie nomināt Alopecon: *Orchalides tumulus.* qui positus est in finibus Haliarti ad Helicona vergentibus. Hunc Lysandri exitū Spartiatæ recenti re tulerunt ita grauiter, vt regem in capitis iudiciū vocauerint. quod ille declinans Tegeam iuit exulatum, atq; illic in delubro Mineruæ supplex vitā transegit. *Pausaniæ exilium.* Etenim detecta defuncti paupertas Lysandri laudem reddidit eius illustriorem: qui ex ingēti pecunia, potentia, vrbium clientela, & regno tali rem familiarē, quod ad argentū attinet, ne obolo quidē reddidit lautiorē, vt tradit Theopompus: *Lysandri paupertas & abstinentia.* cui celebrāti eum credas magis q; obtrectāti. Vituperant enim homines quàm cōmendant promptiùs. Postea loci ait Ephorus, cùm disceptatio quædā sociorū Spartæ esset: & scripta, quæ apud se asseruauerat Lysander, essent inspicienda, domum eius Agesilaū profectum. *Lysandri cōsilia de mouendo regno detecta.* quem, vt codicē reperit, in quo descripta illa de republ. oratio erat, regnū Eurypontidis & Agiadis eripiendū atq; in medio esse ponendum legendosq; reges ex optimis: instituisse orationē in lucem pro cōcione proferre, & Lysandrum aperire, qui ciuis in operto fuisset. Verùm Lacratidā prudentem virum & principem ephororū retinuisse Agesilaum monuisseq;, ne refoderet Lysandrum, sed orationē cum eo defoderet ita artificiosè & astutè concinnatā. At Lysandro tamen cùm alios honores mortuo habuerunt: *Lysandro mortuo honores Spartæ habiti.* tum procis, qui nuptias ambierāt filiarū eius, mox inopia eius post vitæ exitum erumpente renunciauerunt illis, mulctā dixerunt: quòd eum, cùm arbi

trarent pe cuniosum, coluissent: iustū & probum ex tenuitate cōpertum repudiauissent. Hinc fuisse Lacedæmone liquet cœlibatus serotinarumq́ue & malarū nuptiarū mulctam. Ea persequebantur potissimùm illos, qui pro bonis & necessarijs affinitatē cum opulentis iungebant. Habes, quæ de Lysandro comperimus literis mandata.

Sylla.

Syllæ genus.



. CORNELIVS Sylla gentis patritiæ fuit. Ex maioribus eius Rufinum ad cōsulatum aiunt aspirasse, nobilioremq́ue hoc honore fuisse ei inflictam infamiam. Nam cōuictus est supra decē argenti cælati libras cōtra legem possidere. Qua de causa est senatus motus. Huius deinceps posteri omnes humiles fuere. Atq́ue ipse Sylla non amplo innutritus patrimonio, vbi adoleuit, in cōducto habitauit haud magna pensiōe: vt pòst, quòd indignus tanta fortuna videretur, fuit ei exprobratū. siquidem ad iactantem se & gloriantē ab expeditione Africana fama tenet bonū & probum virum dixisse: Quî possis tu probus esse: qui cùm nihil à patre acceperis, nunc possideas adeo multa? Quanquàm enim homines iam morum integritatem & innocentiā non retinerēt, sed deflexissent, deliciarumq́ue & luxus caperentur admiratione: numerauit tamē hîc iuxtà infames eos, qui facultates suas absumpsissent, & qui paternam non retinuissent paupertatem. Inde cùm esset rerum potitus, & multos interimeret: quidā libertinus, qui dicebatur vnum proscriptorum occultare, atq́ue ideo erat de saxo præcipitandus, improperauit Syllæ: quòd diu vna in domo cœnacularia habitassent, ac pependisset ipse mercedem superioris ædificij duo millia nummûm sestertiorū, inferioris ille tria millia: vt interesset inter vtriusq́ue fortunam mille nummûm: qui drachmis Atticis valent ducentis quinquaginta. Hæc de fortunis Syllæ prioribus tradunt. Corporis eius reliqua in statuis visitur effigies. Oculos glaucos, qui perquàm erant amari & truces, color faciei magis efferabat aspectu. Efflorescebat enim aspera rubedo albedine sparsim interfusa. Vnde fertur nomen traxisse ex colore appositum. Et fannio quidam Athenis obliquè hunc versum in eum iaculatus est:

Sylla in iuuentute tenuis.

Syllæ forma.

Mora si spargas farina, talis extat forma Syllæ.

Syllæ dicacitas.

His notis non alienum sit vti in illo, quem ita perhibent dicacem natura fuisse, vt iuuenis etiamnū & nondum celebris cum mimis viueret & scurris, sociumq́ue seijs in omni proteruia præberet: atq́ue cùm esset rerum potitus scenicorū & histrionum impudentissimis quibusq́ue coactis præter ætatem & imperij maiestatem potaret quotidie cum eis, dicterijsq́ue digladiaretur: cùm multa interim posthaberet grauia negocia. Neq́ue enim inter cœnandū Syllæ rei vlli vacabat feriæ: sed qui aliàs negociosus esset & tristior, vt primùm cōtulit ad cōuiuium se vel ad cōpotationem: repente inuertebat se, mimisq́ue & saltatoribus tractabilis erat & aditu promptus atq́ue deditus. Videtur huius dissolutionis morbus etiā effusio in amores fuisse, in voluptatesq́ue propēsio, qua ne in senectute quidem fuit liber. Metrobium scenicū constanti amore est iuuenis prosecutus, isq́ue affectus cum ætate creuit. siquidem cùm mulierē Nicopolim nomine meretricē quidem vulgarem, sed opulentam cœpisset amare: fuit ex cōsuetudine Syllę & formę venustate illa in amorem eius ita effusa, vt hæredē moriens eum reliquerit. Fuit item nouercæ hæres, quę loco filij dilexit eum. Ex quib. hæreditatib. satis lautus fuit. Quæstor creatus Mariū primo cōsulatu est in Africam comitatus ad bellum Iugurthinū. Postquàm in castra venit, probauit cùm alijs rebus industriam suam, tum oblata occasione tectè vsus amicitiā sibi regis Numidarum cōciliauit Bocchi. Nam legatos eius è manibus latronū Numidarū elapsos excepit & liberaliter habuit, dona insuper dedit eis, atq́ue cum præsidio, quod eos in tutū deduceret, dimisit. Bocchus aūt iampridem socerum perosus erat & timebat Iugurtham. Tunc fracto & ad ipsum cōfugienti insidias struens acciuit Syllam: quò per illum potius q̄ per se corriperetur tradereturq́ue Iugurtha. Re cum Mario cōmunicata præsidiū habens paucorum militum maximū subijt periculū: quòd, dum barbaro necessarijs suis cōiunctissimis infido cōfidit, vt aliū acciperet, in manus eius cōmisisset se. Verùm habens Bocchus vtrumq́ue in arbitrio suo, cùm se in eam necessitudinē demisisset, fidem vt violaret in alterο, post multos animi æstus tandem primā proditionem cōprobauit, tradiditq́ue Syllæ Iugurtham.

Sylla voluptarius.

Syllæ quæstura.

Syllæ traditur à Boccho Iugurtha.

gurthã. Duxit quidem hac de re triumphū Marius: sed facti gloria, quam Marij inuidia Syllæ attribuit, momordit in occulto Marium nõnihil. siquidẽ cùm esset sua sponte Sylla iactabundus, & tunc primùm ex vita abiecta & tenebris in lucem ciuiū emersisset, gustumq; cepisset honorū: eo erupit ambitionis, vt facti huius sculptã in annulo imaginem gestaret, qua etiã perpetuò deinceps signauit. *Syllæ adscriptus capti Iugurthæ honor.* Exprimebatur sculptura Bocchus tradẽs & Sylla accipiens Iugurthã. Quanquàm aũt stimularunt ea Marium, minùs tamen adhuc quàm se ratus inuidiosum Syllam, legatũ eum ad exercitum in secundo cõsulatu habuit, & in tertio tribunũ militum, eiusq; opera multa præclare cõfecit. siquidem legatus ducem Tectosagarũ Copillum cepit, in tribunatu magnã gentem & populosam ad amicitiam & societatẽ à populo Romano petendã Marsos impulit. *Syllæ præclarè facta sub Mario.* Inde infestum sibi Marium animaduertens, atq; inuitũ aliquid sibi deferre rei gerendę, sed obsistere incremẽto suo, ad collegã se Marij contulit Catulũ, bonũ illum quidẽ virum, sed ad prælia segniorẽ. Hic delegauit ei præcipuas quasq; & maximas res. Ita pariter opes & gloriã suam amplificauit. *Syllæ gesta sub Catulo.* Ac bello cõplures barbarorũ Alpinorũ nationes subegit. Cùm inopia cõmeatus laboraretur, ea suscepta procuratione tantã præstitit affluentiã, vt Catuli militibus abundantibus etiã præberet Marij copijs. qua re dicitur admodũ agitasse Mariũ. Hæc igitur simultas ex tam leui scaturiẽs & friuola occasione atq; fonte, inde per sanguinẽ ciuilemq; & seditiones atrocissimas in dominatũ erumpens & totius confusionẽ imperij sapientẽ virum Euripidẽ fuisse et morborũ ciuilium ꝓbauit gnarũ: qui ambitionẽ iubet vt funestissimũ & infestissimũ vtentibus ea dæmoniũ deuitare. *Ambitio fugienda.* At Sylla gloriã, quam bello quæsiuerat, ratus ad negocia vrbana abundè esse, cõfestim à militia traduxit se ad populum ambiendũ, ac præturã petiuit: vbi repulsam est passus. *Sylla repulsam præturæ passus.* Causam asscribit plebi. Ait enim illam, ꝙ suam sciret cum Boccho amicitiã: & si ante præturã ædilis curulis factus esset, magnificas venationes et Africanarũ beluarũ expectaret spectacula: alios designasse prætores, quò cõpelleret ipsum ad ædilitatis petitionẽ. Cæterùm haud verã repulsæ ab ipso ꝓditã causam apparet rebus ipsis cõuinci Syllã. Anno enim pòst populi fauorẽ partim blandimentis partim largitionib. emeritus prætor factus est. *Syllæ prætura.* Quare cùm in prætura ad Cæsarẽ diceret ira incensus, sua se potestate in illum vsurũ: arridens Cæsar: Rectè, inquit, præturã existimas tuã. nempe eam emisti. Peracta prætura legatus in Cappadociam mittitur specioso expeditionis titulo ad Ariobarzanẽ in regnũ reducendũ, reuerà vt multa molientẽ Mithridatẽ, imperiumq; & vires adiungentẽ haud minores ꝙ essent præsentes, reprimeret. *Syllæ legatio in Cappadociam.* Copias haud magnas adduxerat secũ: sed prompta vsus opera sociorũ, magno numero ipsorũ Cappadocũ, maiore Armeniorũ, qui Gordio suppetias venerãt, interfecto eiecit eum, & Ariobarzanẽ appellauit regem. Agente apud Euphratẽ cõuenit Parthus Orobasus regis Arsacis legatus, cùm nihil ante eam diem cõmercij inter vtramq; gentẽ intercessisset. *Regis Parthorũ legatus proficiscitur ad Syllã.* Sed & id magnæ felicitatis Syllæ videtur fuisse: ꝙ inter Romanos cum illo principe ad societatẽ & amicitiã petendã congressi Parthi sint. Ibi dicitur tres sedes posuisse, vnam Ariobarzani, alterã Orobazo, sibi tertiã, mediusq; inter duos sedens audientiã dedisse legato. Quamobrẽ necauit postmodũ rex Parthorũ Orobazum. Syllam alij prædicauerũt, quòd barbaros habuisset ludibrio: alij vt arrogantẽ & intempestiuè ambitiosum culpauerũt. Memoriæ proditũ est quendã ex comitatu Orobasi Chalcidensem inspecto Syllæ vultu animiq; & corporis haud defunctoriè obseruatis motibus, atq; ad artis præcepta expensa eius natura prædicasse fieri nõ posse, quin summus hic vir futurus esset: mirari etiam se, quemadmodum patiatur & nunc nõ esse omniũ primus. Regressum ad vrbẽ postulauit Censorinus repetundarũ, quòd magnã pecuniã contra leges ex amico & socio regno cepisset. *Sylla repetũdarum accusatus.* Haud occurrit tamen ad iudiciũ, sed accusationẽ reliquit. At dissensio cum Mario eius ex noua occasione recruduit Bocchi dono. qui simul ad demerendũ populum & in gratiã Syllæ signa victoriæ in Capitolio dedicauit, iuxtaq; Iugurthã ex auro facta, vt Syllæ ab se fuerat traditus. Qua de re exacerbato Mario, & detrahere ea signa parante, alijs verò Syllę auxiliũ ferentibus, ciuitas penè est ab vtrisq; partibus inflammata. Cæterùm bellũ sociale iampridẽ aduersus vrbẽ fumans cùm flagrasset, cõpresßit seditionẽ in præsenti. *Bellum sociale.* Eo in bello, quod maximũ fuit, & maximè euanuit, quodq; multa vulnera populo Romano & grauissima intulit discrimina: Marius, qui nihil prçclari designauit, bellicas artes docuit vigore & robore indigere: Sylla verò factis multis eximijs nomen cõparauit ducis apud ciues magni, apud socios maximi, & fortunatissimi apud hostes. Verùm animus ei alius atq; Timotheo fuit Cononis filio. *Timotheus noluit facta sua tribui fortunæ.* qui, cùm res ipsius egregiè gestas assignarent æmuli fortunæ, atq; in tabulis

dormientē pingerent, fortunam aūt reti vrbes implicantē: tulit hoc inurbanè, infestusq́; eius rei authoribus, quasi ab eis spoliatetur rerum gestarū laude, dixit tunc pro cōcione à bello reuersus: Nullam partē ciues vendicare in his fortuna valet. Cæterùm cum Timotheo, qui se demonstrauit tantopere ambitiosum, pari licentia ferunt fortunā egisse: nihil vt deinceps gesserit insigne, sed aduersa ceciderint omnia: itaq; tandē ab infesto populo exactus in exiliū fuerit.

Timotheus in exilium pulsus.

Sylla plurimum tribuit fortunæ suæ.

Sylla verò nō modò lubens eam felicitatis suæ fauentisq́; sibi fortunæ opinionē recipiebat, sed eam etiā in maius tollebat: studensq́; vt propitij numinis fidem adiungeret, facta sua fortunæ tulit accepta: siue per iactantiā id fecit, siue eam habuit de dijs existimationē. Quandoquidem scripsit in cōmentarijs, quę non consultè sed ex tempore aggressus temere esset, ea rectiùs cecidisse, q̃ quæ deliberasse sibi visus fuerat maturè. Adhæc cùm melius dicit se ad fortunam cōparatum quàm ad bellū, plus eum fortunæ tribuere quàm virtuti apparet. Breui in totū videtur se mancipasse fortunæ, qui quidē vel suam cum Metello paris dignitatis viro & socero cōcordiam ad diuinā aliquā delegat felicitatē. À quo enim magnopere fatigatū iri expectauerat se, eum collegā lenissimum expertū. Præterea Lucullū in cōmentarijs, quos illi dicauit, admonet: nihil perinde firmū vt ducat, ac quod in somnis ei noctu iubeat deus.

Ostentum Syllæ factum.

Cùm aūt ad bellū sociale cum exercitum itteretur, tradit apud Lauernā in ingentem sinū terrę labem desedisse, ex quo grandē ignem erupisse & lucidā flammam ad cœlum extulisse. Nunciasse verò fatiloquos virum egregiū & forma præcellentē atq; insignem præsentibus procellis vrbem, cùm summum imperiū cepisset, explicaturū. Hunc se ait esse Sylla. Nam faciei suæ peculiarem esse auri colore rutilantem comā. Virtutem verò nō erubescere se si sibi sumat tantis & tam præclaris rebus gestis. Atq; hactenus de eius in deos fiducia.

Syllæ diuersitas morum.

Cæteris moribus dispar fuit & incōstans. Rapere multa, largiri plura, temerè honorē habere & insultare: colere eos, quos vtiles sibi ducebat: morosus esse in illos, qui quid ab ipso peterent: vt nescias fastidiosior natura an blandior fuerit. Nam de eius in puniendo varietate, quòd quauis de causa obtruncaret homines, è diuerso maxima facinora leniter ferret: facilè veniā daret atrocissimis, exiguas & leues offensiones cædibus & bonorū publicationibus persequeretur: ita arbitreris, iracundū eum natura fuisse & vltore animo: sed de acerbitate temisisse, vbi ex vsu esset. In ipso hoc bello sociali cùm Albinum virū prætorium legatum suū milites ipsius fustibus & lapidibus oppressissent, conniuit neq; vindicauit flagitium tantū. Imo verò sermonibus gloriās distulit, promptiores ideo eos in bello habiturum se virtute peccatū eluentes. Nec eum incusantes mouerūt. Sed cùm cepisset iam opprimendi Marij consiliū, & bello sociali ad exitū perducto cōsulatus petendi: deliniebat milites suos.

Syllæ cōsulatus.

Ac reuersus ad vrbem cōsul cum Q. Pompeio declaratur annos iam quinquaginta natus, & nobilissimū coniugiū contrahit Cecilia ducta Metelli Pontificis Maximi filia. Ob quod cecinit multa in eum probrosè vulgus, multiq́; ex primoribus inuiderunt ei, indignū illa fœmina existimantes, vt Titus Liuius ait, quē consulatu iudicauerāt dignū.

Syllæ vxores.

Non tamen vnā duxit hanc vxorē. Primam habuit admodū adolescens Iliā, quæ filiolā ei edidit: ab ea Aeliam, Cœliā tertiā, quam vt infœcundā missam fecit, sed citra notam & probrū additis & muneribus. Verùm q̃ paucis diebus pòst Metellā duxit, apparuit eum immeritò illā causam in Cœliā prætēdisse. At Metellā coluit omnibus in rebus cōstantissimè. Vnde populus Romanus cùm reuocare exules Marianos desideraret, renuente Sylla recurrit ad Metellā, eamq́; appellauit. In Athenienses quoq; quòd Metellam ex muro perstringentes fuissent insectati cōuitijs, capta vrbe consuluit duriùs. Sed hæc postea.

Marij ambitio insana.

Id temporis consulatū ad futura floccipendens gestienti animo affectabat bellum Mithridaticū. Huic se Marius præ insana gloriæ cupiditate & ambitione semper vigentibus morbis opponebat, vir qui tunc corpore erat inhabili, & proximis superioribus expeditionibus ob seniū impar fuerat, externa & trāsmarina bella auens. Hic, dum ad cōficienda quædā, quæ restabāt ei, profectus in castra Sylla esset, domi reses funestissimā illam, quæ maiorē perniciē populo Romano inuexit, quàm vniuersa bella, seditionem fabrificauit, vt ostendit ijs deus ꝓdigijs.

Prodigia belli ciuilis.

Flamma enim spontè eluxit ex signorū hastis, quæ ægrè restincta est. Corui treis pullos in conspectū hominū apportatos deuorauerunt, & reliquias retulerūt in nidum. Mures aurū in templo sacratū arroserūt. Fœminam vnā ex his ceperūt æditui muscipula. Ea in ipsa muscipula quinq; editis tres deuorauit. Et, quod omniū fuit maximū, ex claro & sereno cœlo vox increpuit tubæ acuta & lugubris, vt obstupescerēt & cohorrescerent eius magnitudine omnes. Hetrusci vates mūdi conuersionē prædicauerūt portendi hoc ostento & mutationē in aliā ætatē.

Esse

Hetruscorũ vatum opinio de mundi ætatibus octo.

Esse enim earum octo genera vita & moribus inter se dissidẽtia. Vnicuiq; præfinitum à deo certum temporum numerum, qui magni anni ambitu limitetur. Cùm vnius terminus adsit instãte alia, moueri ex terra vel cœlo miraculum: vt illis, quibus hæc curæ sunt, & qui hæc percepêre, perspicuum ilicò sit natos esse homines, qui alia vita alijs studijs vtuntur, & quorum gerant dij maiorem vel minorem curam. quippe cùm alia referunt magnas ex illorum generum capere vicibus nouationes, tum vaticinandi scientiam modò inclarescere & certa præsagire liquidis à deo & dilucidis insignibus præmissis: modò alia in ætate abiectam esse, quod ferè claudicet, exilibusq; & inuolutis vestigijs futurum attingat. Hæc Hetruriæ peritissimi vates, & qui præstare arte videbantur cæteris, fabulabantur. De his dum consulit senatus fatiloquos, atq; in æde Bellonæ habetur: passer in omnium conspectu cicadam ore ferens intulit se in ædem, cuius partẽ abiecit ibiq; reliquit, cum parte auolauit. vnde harioli seditionem timebant & secessionem ab vrbana & forensi turba agrestium. quippe illam more cicadę vocalem esse & agrestes ruri agere. Igitur Marius asciuit sibi Sulpitiũ hominem, qui nihil reliqui fecerat ad summam improbitatẽ: vt non quæras quo esset alio sceleratior, sed vbi vinceret semet ipse improbitate. Etenim crudelitas & audacia & auaritia coierant in eo: nec quam turpitudinem vel quod in se admitteret flagitium, quicquam pensi habebat. Nempe ciuitatem Romanam libertinis & inquilinis propalàm venundabat, precium posita in foro mensa numerabat, tria millia satellitum alebat, manu ex equestri pube ad omnia parata erat stipatus, quam vocabat Contrasenatum. Hic cùm rogationem tulisset, nequis senator supra duo millia denariûm æris alieni contraheret: debuit ipse moriens I-IS. C X X. Qui à Mario in populum emissus, cùm rempubl. totã vi ferroq; miscuisset: & alias leges perniciosas tulit, & illam de imperio Marij contra Mithridatem. Ob quæ iustitio à consulibus edicto, dum concionem ad Castoris habent: immisit in eos multitudinem, atq; inter multos alios filium Pompeij cõsulis adolescentem in foro interfecit. Pompeius ipse clàm effugit. Sylla verò, qui confugerat in domũ Marij, instantibus aduersarijs coactus est prodire & iustitium soluere. Qua de causa cùm Pompeio abrogasset honorẽ, Syllæ reliquit consulatum, tantùm ducatum belli Mithridatici ad Mariũ transtulit. Euestigiò igitur tribunos misit Nolam, qui exercitum ad Mariũ ducerent. Cæterùm quòd præuertisset Syllа ad exercitum decurrere, & milites, vbi hęc acceperunt, tribunos lapidibus cooperuissent: trucidauit Marius vicissim in vrbe amicos Syllæ, atq; bona eorum diripuit. Iamq; transibant & profugiebant, hi in vrbem ex castris, illi ex vrbe se subducebant illuc. Senatus non erat sui iuris, sed iussis Marij & Sulpitij parebat. Ac Syllam audiens signa mouere ad vrbẽ, duos prętores misit Brutũ & Seruilium, qui ei vetarẽt procedere. Hos ad Syllam locutos ferociùs parauerunt milites obtruncare. Fasces eorũ certè cõcerpserũt, prætextas detraxerũt, multisq; violatos cõtumelijs remiserunt. Hi iam vel ipso cõspectu insignibus expoliati prætorijs ex fœda mœstitiæ specie non posse vltrà seditionẽ renunciabant comprimi vel sedari. Erat igitur Marius in apparatu.

Marij & Sulpitij seditio.

Sulpitij tribuni plebis improbitas.

Sylla cum sex legionibus ad vrbem mouet.

Sylla cum collega legiones sex integras ducens mouit à Nola. Exercitũ quidẽ promptũ videbat ad petendã vrbem, sed fluctuabat animo secũ & timebat periculũ. Hic aruspex Posthumius ad sacrificãtem Syllã inspectis extis ambas manus protẽdit, vincirique se & in custodia haberi vsq; ad prælium postulat: & ni breui omnia ei cecidissent ex sententia, nõ deprecatur vltimũ supplicium. Dicitur etiã ipsi Syllę in somnis se obtulisse dea, quam ex disciplina Cappadocum Romani colunt: siue ea Luna, siue Minerua, siue Bellona sit. Hæc Syllæ visa est assistere, & fulmẽ ei tradere, iussisseq; singulis nominatis inimicis eius ferire, illi icti cõcidere atq; è medio dilabi. Hoc ostento erectus narrat id postridie collegæ, ac Romã pergit. Apud Picinas cùm occurrissent ei legati, orauerũt, ne infesta signa raptim ad vrbẽ ferret, senatũ enim ei satisfacturũ: pollicitus est se ibi locaturũ castra, imperauitq;, vt solẽt militibus duces, ea metari. Ita legati fide ei habita læti abiere. post quorũ discessum confestim Basillũ & C. Mommiũ præmittit ad occupandũ per eos portam & murum ad collem Aesquilinum. Inde citato sequitur cursũ. Cùm Basillus in vrbem irrupisset, portamq; occupasset: plebs pleraq; inermis tegulis & lapidib. ex muro incessẽtes, ne progredi valeret, represserũt eum ac repulerũt ad murũ. Interea superuenit Sylla: qui cernens id, quod agebatur, clamauit, vt ædificia succenderent: sumptaq; ardenti face ipse flammã princeps subiecit. Insuper sagittarijs præcepit, superioribus tectis tela ignita inijcerent. Idq; fecit nullo consilio, sed commotus auferendum se permisit iræ. Nempe aduersarios tantùm videbat: amicorum, propinquorum, & necessariorum nullam ducebat rationem, neque mi-

Sylla flammam inijcit vrbi.

Mario aqua & igni interdicitur.

Sulpitij cædes.

ſeratione eorũ captus ingrediebatur per ignẽ. Sontes & inſontes iuxtà ducebat. Interea propulſus ad ædẽ Telluris Marius ſeruitia vocauit per edictũ ad libertatẽ. Cæterùm irruentib. hoſtibus oppreſſus exceſsit vrbe. Sylla coacto ſenatu Mario cum paucis alijs, in quib. Sulpitius tribunus plebis fuit, aqua & igni interdicit. At Sulpitius proditus cùm eſſet à ſeruo ſuo, obtrũcatus eſt. Seruũ Sylla manumiſit, inde de ſaxo præcipitauit. In Marij caput pecuniã pronunciauit, parũ grate tamen vel ciuiliter: vtpote cuius nuper poteſtati domi eius ſe ipſe permiſerat, fueratq́ illæſus dimiſſus. Quem Marius ſi tum miſſum non feciſſet, ſed interimendũ Sulpitio condonaſſet: potuiſſet rerũ potiri. Sed tunc tamẽ pepercit ei: qui mox cùm in idem incidiſſet diſcriminis, beneficentiam non eſt expertus eandem. Qua in re offendit ſenatum Sylla occulte, populi verò indignationem & inuidiam re ipſa liquidò ſenſit. ſiquidem Nonio Syllæ ſororis filio cõmendatione eius ſubnixo & Seruio candidatis ignominioſe repulſis alios deſignauerunt, quorum angi illum arbitrabantur honore. Quę ſibi eſſe prætulit iucunda, quòd populus pro arbitrio agens beneficio ſuo libertate frueretur. Ac quo odium plebis leniret, conſulẽ creauit ex aduerſis partibus L. Cinnam deuotionibus & iureiurando adactum pro ſe facturum. Ille ſcandit Capitolium, lapidemq́ manu tenens iurauit. Inde execratus in caput ſuum, ni amicitiam cum Sylla conſeruaſſet, ita vrbe vt exigeretur, ſicut è manu ſua excidebat lapis: multis præſentibus lapidẽ proiecit in terrã. At inito magiſtratu actutum moliri cœpit res nouas, ac iudicium Syllæ eſt machinatus, accuſatoremq́ appoſuit vnum ex tribunis plebis Virginiũ. Quo ille vnà cum ſubſellijs relicto contra Mithridatem eſt profectus.

Cinna per Syllã conſul creatur, & iurat ſe ei amicum futurũ.

Sylla in Mithridatem proficiſcitur.

Mithridatis potentia.

Memorant, quo tempore claſſem Sylla ab Italia ſoluit, in alijs, quæ agenti Pergami Mithridati oblata fuerunt, miraculis victoriam coronatam, quæ à Pergamenis ſuperne demittebatur machinis, cum penè attingeret caput eius, labefactatam & delapſam coronã in theatro ad ſolum diffractam: atq; inde horrore populum, Mithridatem ingenti fuiſſe conſternatione perculſum: licet omnia ei id temporis ex ſententia procederent. quandoquidẽ Aſiam Romanis, Bithyniã & Cappadociam regibus extorſerat: ſedebatq́ Pergami opes, dynaſtias, & dominatus amicis diſpertiens. Filij eius diuerſi, vnus in Ponto & Boſphoro vetus regnum vſq; ad ſolitudines ſuper Mæotin lacum aduerſante nullo obtinebat. Ariarathes ingentibus copijs Thraciam & Macedoniam inſiſtebat ſubigere. Alias oras domabãt cum exercitibus duces eius: quorum Archelaus princeps claſſe ferme totum obtinens pelagus inſulas Cycladas in ditionẽ redigebat, aliasq́ quotquot intra Maleam poſitæ ſunt, ipſamq; tenebat Eubœam. Athenis ſedem belli habebat. Inde Græcas gentes Theſſalia tenus ab Romanis ad ſe traxerat. Nonnihil impegit ad Chæroneã. Illic occurrit ei Brutius Sura prætoris Macedoniæ Sentij legatus virtute & cõſilio vir ſingulari. Hic inſtar torrentis per Bœotiam ruenti Archelao fortiſsimè obiecit ſe, ac prælijs tribus ad Chæroneã cum hoc colluctatus repulit eum atq; ad mare denuo redegit. Qui, cum imperaſſet ei Lucullus, vt Syllæ, cui ea prouincia decreta erat, cederet: quamuis rebus ei ſupra votum fluentibus & Græcia ob probitatem eius ad mutationem prona confeſtim exceſsit Bœotia & retro conceſsit ad Sentium. Cæterùm hæ ſplendidiſsimæ res geſtæ Brutij fuere.

Mithridates rejicitur à Chæronea.

Sylla obſidet Athenas.

At Sylla cætera oppida per legatos ſuos inuitatus ab illis extemplò recepit. Athenas vero manere in partibus regijs per tyrannum coactas Ariſtionem magna vi adortus, Piræcum vndiq; circumſedit, machinas admouit omnis generis, varijsq́ modis oppugnauit id. Atqui ſi pauliſper ſuſtineret, ſedẽs potuiſſet ſuperiorem vrbẽ per famẽ iam annonæ inopia ad extrema redactã capere. Sed quia feſtinabat ad vrbem, motusq́ vrbanos timebat: multis periculis, multis certaminibus, grandibus impenſis conficere maturauit bellum. Cui quidem præter reliquum apparatum, machinamentorum molitio decem millibus iugorum mularium, quæ occupata quotidie erãt eo in munere, curabatur. Deficiente materia (nam complures machinas & ſuo labefactatas pondere conuelli contigit, & ab hoſtibus immiſſo aſsidue igni conflagrare) lucis iniecit manum, atq; nemoroſiſsimam inter ſuburbia Academiam Lyceumq́ denudauit. Iam quia ingentem pecuniã bellum poſtulabat, mouit ſacros theſauros Grecię. Atque hinc Epidauro, hinc Olympia deferri ad ſe iuſsit pulcherrima & precioſiſsima dona. Ad Amphyctionas quoque Delphos ſcripſit, rectè facturos ipſos, ſi ad ſe miſiſſent Apollinis theſauros. Aut enim hos in ſecuriore apud ſe cuſtodia fore: aut ſi conſumpſiſſet eos, non redditurũ ſe minus. Itaque ex amicis Caphim miſit Phocenſem cum mandatis, vt ſingula ad pondus acciperet. Venit quidem Caphis Delphos, ſed attingere dubitauit ſacra: qui etiam corã Amphyctionibus maiorẽ in modũ impoſitam ſibi neceſsitatem deplorauit. Cùm

Sylla tẽpla Græciæ ſpoliat.

facta-

iactarent nonnulli se citharæ sonum ex adyto audisse:id,siue credidit,siue quo religionē animo Syllæ offerret,scripsit ad eum.Ille ludens mirari rescripsit se Caphim, qui non intelligeret gaudentis esse non indignantis cantum.Ne ergo capere dubitaret vtpote deo propitio & dante. Ac reliqua quidē,quæ inde exportata fuere,vulgus præteriere Græcorum. Dolium vero argenteum,quod residuum adhuc erat ex donis regijs, cum ferre iumenta ob pondus & molem non valerent, coacti Amphyctiones id concidere repetierunt memoria hinc T.Quintium Flaminium & M. Attilium, hinc Paulum Aemiliū. quorum Attilius Antiochum Græcia exegerat, alij duo deuicerant reges Macedonū: nec solum à templis Græciæ temperauerant,sed & dona & venerationem eis a religione addiderant magnam. Atqui modestorum illi & dicto audientium duces legitimi militum,atq; animis ipsi regijs præditi,sumptibus autem restricti,modicis vtebantur & temperatis expensis:assentari vero militibus fœdius ducebant quàm formidare hostes.

Sylla irridet Deos.

At huius tempestatis duces,qui vi primatū non virtute parabant: & qui magis in se mutuo arma,quàm in hostes quærebant: cogebātur in imperio obsequi.Inde precio,quod in delicias militum effundebant,mercantes labores eorum,totam patriam imprudentes venalem,ac se nequissimorū seruos,quo imperare valerent melioribus,reddidere. Hæc eiecerunt Marium,mox contra Syllam reduxerūt.Hæc Octauij Cinnam, hæc Fimbriā fecerunt Flacci homicidam. Quorum malorum præcipue Sylla fons fuit. qui quò corrumperet & ad transitionem pelliceret aliorum milites,prolixus & profusus fuit in suos. Itaq; cum pariter alios ad proditionem,& suos peruerteret ad luxuriam: grandi pecunia præsertim ad obsidionē illam opus habebat.Miro enim & insano tenebatur expugnandarum ardore Athenarum:vel quod æmulatione quadam vmbratilem pugnam suscipe rer cū antiqua illius ciuitatis gloria,vel quod esset iritatus dicterijs & scurrilitatibus:quibus eum Metellamq; assidue ex muris deridendo & insultando exacerbauit tyrānus Aristion,homo cui ex petulantia & sæuitia conflatus animus erat,teterrimorumq; Mithridaticorum morborum & vitiorum collegerat in se colluuiem:atque eam vrbem, quę ex sexcentis bellis, frequentibus dominatibus & seditionibus antè emerserat, quasi morbus letalis in extremum ad duxit discrimen. Hic cum mille drachmarum medimnus tritici in vrbe esset,& homines tunc parthenio, quod in arce crescebat,sustentarent se,calceamentis & Lecythis elixis victitarent:vino comessationibusq; diurnis perpetuo confectus, saltans, & illudens hostibus sacram lucernam extingui olei penuria permisit. Hierophantidi tritici heminam ab ipso mendicanti,aliquantum piperis misit.Senatum & sacerdotes,vt ciuitatis misereretur & pacem faceret cum Sylla, supplicantes sagittis ingestis disiecit. Vix tandem aliquando misit ad agendum de pace duos aut tres ex compotoribus suis. Quibus nihil salutare postulantibus, sed Thesea, Eumolpum,parta de Medis decora iactantibus:Sylla,facessite,inquit,beati atque verba ista referte vobiscum. Ego quidem Athenas non discendi gratia sum à populo Romano missus, verùm ad domandos rebelles. Inter hæc in Ceramico fama est verba à quibusdam excepta fuisse colloquentium senum & tyrannum insectantiū: quod accessum & aditum ad Heptachalcon,qui vnus facile hostibus superabilis esset, non sepsisset statione: illos autem hæc Syllæ renunciasse.Qui non contemnens id contulit se eò noctu,contēplatusq; capi locū posse,rem aggressus est.Ipse commemorat in cōmentarijs Sylla primū in murū euasisse M. Teiū: ac cum hostē,qui se obijciebat ei,feriret: ex violentia ictus, quem cassidi intulit,ensem fregisse:non cessisse loco tamē,sed ibi restitisse atq; eū retinuisse. Ergo capta ex illa parte vrbs est,vt Atheniensiū antiquissimi cōmemorauerunt.Ipse Sylla quod muri inter portā Piraicā & Sacrā est intermedium,diruto & solo æquato nocte cōcubia magno terrore vrbē ingressus est canentibus tubis & cornib.frequentibus,strepituq; & clamore militū ad prædā & cædē ab illo dimissorū.Volabāt strictis ensibus per vicos,vt numerus iniri non posset cæsorū,sed loco copiæ inundantis sanguinis etiā hac memoria mensura agatur.Nā vt præteream per partes vrbis reliquas interfectos:q factus in foro sanguis est,totū Ceramicō vsq; ad Dipylō mersit. Addūt multi & per portā perfudisse suburbium. Quanquā autē numerus fuit tantus ita peremptorū:haud pauciores tamen fuerunt,qui lamentātes & dolentes vicē vrbis velut interituræ sibimetipsi manus intulere.

Sylla primus militum Romanorum corruptor.

Aristionis tyrāni Atheniensis insolentia.

Annonæ ingens caritas Athenis.

Athenæ à Sylla captæ.

Atheniensiū cædes vrbe capta.

Id enim ad desperationē & timendū de salute adegit optimos quosq;:qui nihil clementię,nihil moderationis expectabant à Sylla. Sed enim hinc Midia hinc Calliphonte exulibus orātibus & genibus eius aduolutis,hinc quicunq; senatorij ordinis castra eius sequebātur deprecantibus,vindicta iam expletus,postq; veterū Atheniensiū præfatus est

laudes,

laudes, multos ait paucis & defunctis viuos se concedere. Cepisse Athenas se Cal. Martijs refert in commentarijs, qui dies planè in primum diem incidit mensis Anthesterionis: quo fortè multa in memoriam illius ex imbribus cladis & exitij agunt, quòd in idem illud potissimùm tempus inciderit diluuium. Vrbe capta tyrannus in arce, quò confugerat, obsessus est: cuius rei fuit Curioni cura demandata. Cùm obsidionem ille diu tolerauisset, aquæ penuria pressus dedidit se. Diuinitùs id accidisse comprobatum ilicò est miraculo. nam eodem & die & momento deduxit illum Curio ex arce, & coierunt ex sereno nubes: vnde imber ingentibus fusus procellis arcem aqua impleuit. Nec multo pòst venit in Syllæ potestatem Piræeum: cuius pleraq; ornamenta inflammauit, in quibus armamentarium Philonis inclytum opus fuit. Dum hæc aguntur, dux Mithridatis Taxilles ex Thracia & Macedonia centum millibus peditum, decem equitum, curribus falcatis nonaginta mouēs acciuit Archelaum: qui stationem adhuc ad Munichiam habebat, neq; cedere volebat mari, neq; cōferere cum Romanis manus audebat: verùm ducere statuerat bellum, & intercipere illis commeatum. Quę multò Sylla quàm ille aduertens liquidius, ex tegionibus malignis, quæ ne per pacem quidem ad alendum exercitum eius sufficiebant, concessit in Bœotiam. Ibi multis parum rectè visus est consuluisse, qui aspera Attica terra & inequitabili relicta in planiciem se & campos coniecisset Bœotiæ patentes: cùm cerneret barbarorum vires curribus cōtineri & equitatu. Verùm ad vitandam, vti diximus, famem & annonę difficultatem, adigebatur discrimen sectari conflictus. Solicitabat insuper Syllam Hortensius vir rei bellicæ peritus & perui cax, quem copias ad eum ex Thessalia ducentem in saltibus captabant barbari. Hæc causæ fuerunt, vt in Bœotiam Sylla contenderet. At Hortensium Caphis, qui nostras erat, il lusis barbaris alio tramite Parnaso sub ipsam duxit Tithoram: quæ id temporis tanta, quanta nunc non erat vrbs: verùm castellum in crepidine præcipiti atq; vndiq; dirupta positum: quò Phocenses olim, qui profugiebant Xerxis impressionem, contulerant se & salutem suam tenuerant. Eo loci Hortensius castris locatis interdiu retudit hostes, noctē in Patronidem per loca confragosa descendit: vbi occurrenti cum legionibus se coniunxit Syllæ. Hi iunctis copijs tumulum ex medijs assurgentem campis Elateicis occupant fertilem & arboribus vestitum. cuius ad radicem aqua est, Philobœoton appellant. Huius indolem & situm prædicat in commentarijs Sylla mirificè. Castris positis perpauci esse hostibus visi sunt. Nam equites erāt nō plus mille quingenti, pedites minus quindecim millia. Quare expugnarunt Archelaum reliqui duces, instructaq; acie campum equis, curribus, clypeis scutisq; complerunt. Strepitum & vlulatum tam multarum simul stantium in acie nationum non capiebat aër. Neq; verò ad terrorem splendoris insolentia & ostentatio ociosa erat vel inutilis: sed armorum fulgor ex auro & argento fabre factorum, Medicorumq; & Scythicorum colores sagorum æri & ferro confusi micanti flammeam horridamq; in motu & discursu obijciebant speciem: vt Romani contrahe tent se intra vallum: Sylla verò cùm pauorem eorū abstergere nulla ratione valeret, nec sustineret vim adhibere cōsternatis, quiesceret discruciareturq; illudentes ipsis cum insolentia & risu barbaros cernens. Commodauit id ei tamen plurimum. quando hostes nec aliàs ducibus, quòd plures haberent, parentes contemptu Romanorum nihil seruauerunt ordines. Pauci in castris manebant. Pleraq; colluuies rapinis & populationibus inescata diffundebatur multorum dierum itinere à castris, nulliusq; iussu ducis oppidū Panopęorum excidisse perhibentur, Lebadæorum diripuisse & manteū expilasse. Sylla, sub cuius oculis oppida euertebantur, id indignè patiens anxiusq; non permisit feriari milites, sed admouit eos labori: Cephisumq; deriuare & fossas cogebat ducere, neq; laxamentum indulgebat vlli, elanguescentes statim seuerissimè plectebat: vt operum faciendorum confecti laboribus certamen concupiscerent. quod euenit. Nam tertio die quàm laborare cepissent, cùm præteriret Sylla, cum clamoribus rogauerunt eum, ducere ipsos in hostes. Ille nō pugnare cupientium, sed laborem defugientium esse belli desiderium dixit. Quòd si dimicare auerent: iussit, vt extemplò armati illuc pergerent. Ostendit hi eam, quæ arx quondam Parapotamiorum fuerat, tūc verò exciso oppido collis restabat saxosus & abruptus, ab Edylio monte tanto diremptus spacio, quantum Assus fluuius occupat: qui deinde admistus sub ipsam radicem Cephiso, redditusq; cum eo torrentior munitum efficit castris ponendis cacumen. Quare vbi Chalcaspidas eò vidit Sylla rapi: cupiebat locū prior occupare, & alacritate militum vsus occupauit. Vt repulsus inde Archelaus petijt Chæroneā, ac Chæronenses, qui in præsidijs erant Romanorum,

Tempus diluuij.

Aristion tyrannus dedit se.

Sylla capit Piræeum.

Armamentariū Philonis à Sylla inflammatum.

Hortensius venit è Syllæ ducibus.

Tithora vrbs.

Syllæ commentarij rerum à se gestarum.

Ducum Mithridatis exercitus ingens.

Syllæ in milites seueritas.

Chalcaspides milites à scutis æreis dicti.

rum, Syllã orauerũt, ne desereret oppidũ suum: vnum misit tribunũ militum Geminium cum vna legione, & Chæronenses dimittit. Qui cùm cuperent, non potuerũt Geminiũ tamen anteuertere. Adeo fuit ille probus, & acrior ad subueniendũ, quàm illi, qui opem requirebant. Iuba non Geminium, sed Hericium ait missum. Tantulũ abfuit oppidũ nostrum, quin in periculum caderet.

Sylla Chæroneã seruat.

A'Lebadia & Trophonio tum rumores secũdi, tum oracula prospera Romanis nunciata: de quibus plura incolæ commemorant. Vt verò ipse in decimo commentario Sylla prodidit: Q. Titius nõ obscurus inter eos, qui in Græcia negociabantur, adijt eum, cùm iam ad Chæroneã fudisset hostes: retulitq́ ei à Trophonio alterius pugnæ, quæ ibidem esset committenda, breui palmã spondere. Post hũc quidã ex cohorte prætoria Saluenius nomine futurum rerũ Italicarum retulit ex diuina inspiratione euentũ. Easdẽ enim vterq; sortes annunciauit. Nam venustatẽ & magnitudinẽ Iouis Olympij germanam se narrabant vidisse.

Saluenius vates.

Postquàm Afsum Sylla transmisit, processit sub Edylion, & castra cõtulit castris Archelai: qui vallũ firmũ inter Acontium & Edylion iuxta Afsia, quæ vocant, iecerat. Locus, vbi consedit, nominatur ab illo adhuc Archelaus. Sylla vno die intermisso Murenã cum vna legione & cohortibus duabus ad lacessendos turbatos hostes reliquit. Ipse iuxta Cephisum sacrificauit. Sacris peractis processit Chæroneã ad recipiendas copias eas, quæ illic erant: atq; vt Thurion, ita locũ dicũt, cõtemplaretur: quod præuerterant hostes occupare. Cacumẽ est asperũ, & in turbinẽ fastigiatũ, quod ὀρθόπαγον vocamus. Sub hoc Morius labitur & fanũ est Apollinis Thurij. Nomen hic deus à Thuro Chæronis matre dicitur sortitus, quẽ condidisse ferunt Chæroneam. Alij vaccam, quam dederat Cadmo Pythius ducem, ibi autumant oculis eius se obtulisse, ac locũ ab ea nomẽ inuenisse: quòd vaccã thor appellẽt Phœnices.

Thurion.

Thurius Apollo.

Thor, vacca Phœnicibus.

Syllæ autẽ, cùm Chæroneæ appropinquaret, tribunus quẽ præfecerat oppido, processit cum armatis militibus obuiàm, ferẽs ei coronã laureã. Qua accepta vbi milites salutauit, & ad discrimẽ subeundum incendit: ciues duo Chæronenses adeũt eum Homoloichus & Anaxidamus. Hi receperunt ei, si paucos milites traderet sibi, præsidium Thurij se deiecturos. Nam callem esse hostibus ignotum, qui à Petrocho, sic locum dicunt, secundũ Museum ducit in Thurion supra illorum caput. Eam semitam si inissent, haud difficulter euasuros se supra illos, & supernè saxis eos obruituros, aut depulsuros in planiciẽ. Quorum cùm Geminius virtutem ac fidem commẽdaret: iussit Sylla, vt rem aggrederentur. Hinc aciem instruit, & equitatum distribuit in cornua. In dextro ipse egit, Murenæ attribuit sinistrum. Gallus & Hortensius legati cum cohortibus subsidiarijs nouissimam aciẽ claudebant, & in iugis montium consederunt occultè, intenti ne circumueniretur acies. Videbãt enim equitatus multitudine & pernicitate leuis armaturæ hostes moliri, vt cornua flexibilia & agilia ad intorquendum, porrigerent & circumijcerent Romanos. Interea cùm Chæronenses, qui acceperant præfectum à Sylla Ericium, flexo occultè Thurio ostendissent se: ingens turba & fuga exorta barbarorũ est, stragesq́; mutua plurima. Neq; enim manere sustinuerunt, sed præcipites in suas ipsorum se induerunt hastas, mutuoq; impulsu deturbauerunt semetipsi supernè ingruentibus hostibus & nuda terga cedentibus. Ita circa Thurion tria millia cecidere.

Sylla præsidiũ Archelai deijcit ex Thurio.

Fugientes partim Murena instructa iam acie excipiens concidit obtruncauitq́: partim reiecti ad suorũ castra, & in phalangem irruentes tumultuariè maximã partẽ terrore & æstu conciuere, distinuerũtq́ duces: quæ res eis magnũ detrimentũ attulit. Nam in turbatos Sylla acriter inuectus, atq; interiecto interuallo celeriter percurso currus falcatos reddidit irritos. quippe pollẽt præcipuè prolixitate cursus, qui cõcitationẽ & impetũ præbet vi perruptionis. spacia breuia vanos efficiunt & languidos, telorũ modo neruo arcus minùs intenso. Quod quidẽ tum vsuuenit barbaris. Primos currus molliter emissos ac lentè inuectos repellẽtes Romani cum plausu & risu, vt ludis Circensibus solent, alios poscebant. Hinc pedestres copiæ cõcurrerũt. Barbari longas hastas infestas prætenderunt, quo phalangem conferta acie integrã retinerent. Romani proiectis extẽplò pilis strinxerunt gladios, quibus sarissas auerterunt: quò flagrantes properè manus cum illis cõsererẽt. Conspiciebãt enim ante signa hostiũ quindecim millia seruorũ, quos de hostibus duces regij per edictũ manumissos inter ordines militares centuriauerãt.

Syllæ cum Archelao cõflictus ad Thurion.

Fertur hic cẽturio quidã Romanus dixisse, nõ nisi Saturnalibus vidisse se libertatem vsurpare seruos. Hos, cùm ob profundam & densam aciem tardè ab Romanis legionarijs impellerentur, & præter ingenium suum tenere ausos locum, grandine missilium & fundis emissarum glandiũ secunda acies Romana auertit & turbauit. Cùm dextero cornu producto circũuenire Archelaus pararet Romanos, emisit

Serui Saturnalibus liberi.

sit Hortensius citato cursu cohortes suas, in latus vt inueherentur. Sed cum flexisset ille citò in latus duo millia equitum, quos circa se habebat: pressus à multitudine Hortensius recepit se pedetentim ad montana, auulsusq; ab acie sua circumuenitur ab hostibus. Quo nunciato Sylla ab dextero cornu, quod nondum contulerat signa, expedito cursu accurrit eò ad ferendas suppetias. Archelaus ex puluere ab equitibus excitato suspicatus id quod erat, reliquit Hortensium: atque vnde aduehebatur Sylla, se ad cornu dextrum flexit, sperans id se sine duce inuenturum. Simul in Murenam infert Taxilles Chalcaspidas. Itaq; cùm clamor duobus ex locis accideret, & montes strepitum referrent: restitit suspensus Sylla, vtram ad partem accurreret. Tandem vt satius visum ad locum suum redire, Murenæ Hortensium cum quatuor cohortibus submisit: iusso'que, vt se quinta sequeretur, properauit ad dexterum cornu, quod iam æquo Marte per se præliabatur cum Archelao. At illo conspecto Archelaum semel profligauerunt. Fusos & ad flumen montemq; Aconrium effuse fugientes insectati sunt. Porrò Murenæ periculum non neglexit Sylla, sed contendit ad ferendam illi parti opem. Quos vbi victores conspexit, tunc ipse ad consectandum se cōtulit hostem. Multi barbari per campum cæsi. Plurimi, quos fuga ad castra detulit, obtruncati. Decem millia solùm ex tam multis legionibus Chalcidem effugere. Sylla de exercitu suo refert quatuordecim desideratos, quorum etiam duos sub vesperum adfuisse. Vnde trophæis Martem, Victoriam, & Venerem inscripsit: quòd non minus felicitate palmam eo prælio, quàm consilio & virtute tulisset. Cæterùm hoc trophæum fuit de campestri victoria erectum: quo loco primùm Archelai copiæ vsq; ad Molii ripam pedem retulerunt. Alterum in Thurij vertice positum est de circumuentis barbaris. Id literis Græcis Homoloichi & Anaxidami virtute partam victoriam significat. Ludos huius pugnæ causa Thebis extructa apud fontem Oedipodium scena edidit. Iudices ex alijs Græciæ ciuitatibus euocati: quandoquidem in Thebanos implacabili exarserat ira. Eos dimidio agri mulctauit, quod Apollini & Ioui Olympio consecrauit: atq; ex prouentibus argētum, quod ceperat, exolui dijs imperauit. Hinc nunciato Flaccum, qui ex aduersa factione fuerat consul creatus, transmeare cum legionibus mare Ionium verbo contra Mithridatem, reuera cōtra se: huic vt occurreret, contendit in Thessaliam. Vt ad oppidum Meliteam venit: diuersis ex locis allatum est regionem, quam reliquerat à tergo, ab non minore exercitu regio quàm ante conculcari. Siquidem Dorylaus, qui Chalcidem appulerat grandi classe, qua aduexerat armatorum L X X X. millia, qui erant in omnibus Mithridatis militibus optimè exercitati & instructi, confestim Bœotiam incurrit: atque ea ora potitus contendit Syllam ad dimicandum elicere. Nec audiuit Archelaum, qui ipsum deterrebat: sparsitq; de superiore pugna rumorem haud citra proditionem tot legiones cæsas. Atqui regressus Sylla citò Dorylao virum non modò prudentem Archelaum, sed Romanæ etiam virtutis demonstrauit peritissimum: vt ipse post leuia quædam prælia ad Tilphossion cum Sylla commissa princeps author fuerit, ne acie decerneretur, verùm sumptibus & diuturnitate belli attererent Syllam. Attamen nonnihil animi dedit Archelao locus ad Orchomenon, vbi castra habebat, qui commodissimus ad præliādum equitatu præualentibus est. Namq; ex campis Bœotijs optimus & spaciosissimus adiacet Orchomeniorum oppido, qui solus expanditur nudusq; est arboribus vsq; ad paludes, à quibus Melas amnis sorbetur. Oritur hic sub mœnibus Orchomeniorum largus, vnusq; Græciæ fluuiorum ex fontibus nauium patiens. Inflatur Nili more sub solstitium æstiuū, fruticesq; edit illis germanos: nisi quòd infœcundi sint, neq; assurgant in altū. Nec progreditur longe, sed maxima statim parte in paludes cæcas & syluosas conditur. Modica tamen portione commiscetur Cephiso, quo maximè loco stagnum calamum tibialem effert. Postquam castra iuncta castris sunt, Archelaus quietus consedit. At Sylla fossas hinc inde duxit, quò firmis & equitabilibus campis hostes exclusos conijceret in paludes. Id illi non tulere: sed vt signū datum ab ducibus est, acriter se effusis habenis intulerunt. Ibi non modò ij, qui in opere erant, dissipati sunt: sed & illi, qui stabant in acie, plerique in fugam effusi. Hic Sylla ipse desilit ex equo, arreptoq; signo per medios fugientes ruit in hostes clamans: Mihi milites hìc alicubi decorum est occumbere. Vos rogantibus, vbi imperatorem vestrum prodidistis, memineritis respondere, Orchomeni. Hæc vox conuertit eos, atq; ex dextero cornu duæ cohortes subuenere: quarum ope auerrit hostes. Reductis paulum retro militibus & prandio refectis redijt ad circumuallandos hostes. qui composite magis quàm ante ex integro inuexerunt se. Ibi Archelai priuignus Diogenes in dextero cornu for-

Syllæ victoria de Mithridatis ducibus.

Flaccus consul contra Syllam pergit.

Dorylaus dux Mithridaticus contra Syllam.

Melas fluuius, eiusq; natura.

nu fortiter pugnans magna cum laude cecidit. Sagittarij prementibus Romanis exclusi receptu cōfertis sagittis cominus quasi gladijs ferietes repellere conati sunt Romanos. Tandem vallo inclusi acerbam noctē ob vulnera & funera transegere. Postquàm diluxit, Sylla eductis denuò vallo militibus fossam instituit absoluere. Ibi magnam partē exercitus hostilis vt ad certamen prægredientem signis collatis fudit fugauitq;. quorum trepidatione omnibus auersis castra expugnauit. Horum sanguine interfectorum paludes inundarunt & stagnum cadaueribus est oppletum. Itaq; nostro quoq; æuo annis propè ducentis post eam pugnam multi barbarici arcus, galeæ, loricarum ferrearum fragmenta, gladij cœno reperiuntur immersa. Atq; ad Chæroneā & Orchomenon quidē ad hūc modū fama est pugnatū fuisse. Porrò cùm Cinna & Carbo in clarissimos viros Romæ violentissimè & sæuissimè consulerent, declinantes complures tyrānidem eorū sicut in portū castra Syllæ confugerunt, ac breui species apud eum senatus fuit. Metella quoque ægrè se liberosq; subduxit, venitq; domū eius nuncians & villas ab inimicis inflammatas: atq; orauit vt opem ferret vrbi. Aestuanti ac neq; patriam sustinenti affectam deserere, neq; quemadmodū decederet rudi tanto opere relicto bello Mithridatico expedienti, negociator Deliacus se offert Archelaus spem aliquā & mandata occulta ab regio duce Archelao adferens. Ea res adeo fuit cordi Syllę, vt ip se ad colloquiū Archelai properaret. Congressi in mari sunt circa Delium, vbi templū Apollinis est. Exorsus orationem Archelaus postulauit ab Sylla, vt expeditione relicta Asiana & Pontica ad bellū ciuile proficisceretur. Regē ei argenti, nauiū, militū quantū vellet prębiturum. Excipiens Sylla hortatus est eum, Mithridatē vt relinqueret, ipse loco illius regnaret, appellarurū se eū sociū & amicū, si classem regis sibi tradidisset. Proditionē Archelao detestante: Et tu, inquit, Archelae, qui Cappadox es & regis seruus barbari: aut si mauis, amicus recusas præmijs propositis tantis subire turpitudinem: apud me verò Romanum imperatorem & Syllam mentionem audes facere de proditione? quasi nō ille sis Archelaus, qui Chæroneæ exigua cum manu de centum & X X. millibus militum fugisti: inde dies duos in Orchomeniorum delituisti paludibus, atq; infestā Bœotiā ob cadauerū stragē reliquisti? Tum immutatus Archelaus orauit eum supplex, bellū vt componeret, pacemq; pręstaret Mithridati. Eius postulatis annuente Sylla fœdus his conditionibus initū est: Mithridates Asia & Paphlagonia abstineret, Bithynia cederet Nicomedi, Ariobarzani Cappadocia, duo millia talētûm Romanis pēderet, & naues rostratas instructas L X X. daret, Sylla imperium eius reliquum comprobaret, sociumq; & amicum populi Romani appellaret. His pactis digressus tendit per Thessaliam & Macedoniam ad Hellespontum. Habebat honorifice secum Archelaum. cuius, cum graui morbo esset Larissæ oppressus, egit resistens in itinere sicut vnius ex legatis vel collegis suis curam. Hæc obtrectationi causam dederūt haud bona fide pugnatum ad Chæroneam fuisse: & quòd Mithridati cæteros amicos, quos in vinculis habebat, restituerit Sylla. Vnum tyrannum Aristionem, quòd alienus foret ab Archelao, veneno necauerit. Præcipue vero ager Cappadoci in Eubœa decem millium iugerum datus, & quod à Sylla socius & amicus populi Romani fuerit appellatus. Cæterùm hæc in commentarijs diluit Sylla. At cum Mithridatis legati adissent eum ibi, comprobarentq; cætera: verùm amittere nollēt Paphlagoniam, & naues nullo modo contenderent promissas: indignatus Sylla: Quid dicitis, infit. Paphlagoniam asserit Mithridates, & de nauibus it inficias? Quem ego, si ei relinquerem manum dexteram, qua tot millia interfecit ciuium Romanorum, ad genua mea arbitrabar procubiturum. Sed mox, vbi transmisero in Asiam, alias voces mittet. Nunc Pergami desidens, quod non aspexit, dispenset bellum. Tum perculsi obmutuerunt legati. At Archelaus deprecatus est Syllam, amplexusq; dexteram eius & lachrymans irā mulsit. Impetrauit deniq;, vt ad Mithridatem dimitteretur. Nam aut præscriptis ab ipso legibus confecturum pacem: aut ni assentiretur ille, sibimet ipsum manum allaturum. Ita Archelao dimisso incurrit Sylla in Medicam, fœdatoq; late agro retro in Macedoniam est regressus. Rediit ad eum Archelaus apud Philippos, omnia nuncians ex sentētia esse: cupere autem ante omnia Mithridatem ipsum conuenire. In causa potissimum erat Fimbria, qui alterius partis cōsule interfecto Flacco ac ducibus Mithridaticis fusis illi ipsi immunebat. Hoc Mithridates metu prætulit Syllæ amicitiam. Congressi sunt Dardani Troadis. Habebat ibi Mithridates secum naues remigio instructas ducentas, & terrestrium copiarum pedites X X. millia, equites sex millia, & curruum falcatorum vim ingentem: Sylla quatuor cohortes & equites ducentos. Cùm ei obuiàm prodisset Mi-

Syllæ victoria de ducibus Mithridaticis ad Orchomenon.

Syllæ & Archelai colloquium.

Pax à Sylla Mithridati data.

Archelaus de proditione suspectus.

Sylla in legatos Mithridatis seueritas.

Syllæ & Mithridatis congressus.

thridates & dexteram porrexisset: rogauit eum, acciperet'ne, quibus conditionibus pepigerat Archelaus, pacem? Tacente rege Sylla: Atqui deprecantiû est, inquit, priore loco dicere, victoribus satis est tacere. Vbi exorsus Mithridates excusationê est, conatusq; bellû partim ad deos referre, partim ipsos culpare Romanos: excipiens Sylla, iamdudû ait se de aliis accepisse, nunc vero ipsum intelligere disertissimum esse Mithridatem: qui in factis adeo tetris & prauis non deficiatur speciosa oratione. Inde cû eius facinora coarguisset & exagitasset acerbe, quæsiuit iterum: Ecquid his, quæ cum Archelao conuenissent, staret? Vbi stare respondit: ita demû salutauit eum, ac complexu est osculatus. Mox Ariobarzanê & Nicomedê reges acciuit, ac côtrouersias eorû cum illo diremit. Mithridates, vbi LXX. naues & sagittarios quingentos ei tradidit, Pontum classe repetiuit. At Sylla, quòd animaduertisset offensos ea pace milites (Nam infestissimum regem, qui ciuium Romanorum vno die C L. millia trucidari in Asia curauerat, rem intolerandam du-

Ciuium Romanorum per Mithridatem in Asia cædes.

cebant discedentem videre cum opulentia & præda Asiæ: quam annos quatuor perpetuos denudauerat exhauseratq;.) allegauit apud eos, nô potuisse Fimbriæ se simul & Mithridati, si coissent ambo in se, subsistere. Ex eo loco mouit contra Fimbriam, qui castra iuxta Tiatira habebat. Cùm tetendisset in propinquo, ad sepienda munimenta fossam ducebat. Hîc milites Fimbriæ sagati præsidiis egressi salutauerunt Syllanos, & in opere faciundo propensè iuuarût. Eam mutationê cernens Fimbria, Syllamq; vt implacabilê timens confodit semetipse in castris. Sylla mulctâ publicam irrogauit Asiæ XX. millia talentûm. priuatim verò domos insolentia et vexatione flagellauit eorû, q apud quemq; diuersabantur. siquidem edixit, vt militi hospes apud se diuertenti tetradracbma in diê quaterna daret. Cœnâ insuper præberet ei eiusq; amicis, quotquot vocare liberet. Centurio acciperet quingenas in diem drachmas: vestem præterea aliam qua domi, aliâ qua in publico vteretur. Ex Epheso cum totam classem soluisset, tenuit tertio die Piræeum. Ibi mysteriis initiatus desumpsit sibi bibliothecam Apelliconis Teii, in qua pleriq; Aristotelis & Theophrasti libri erât haud dum satis in vulgus noti. Ex ea, vbi deportata Romam fuit, ferunt plurima interuertisse Tyrannionem grammaticum: à quo accepisse Andronicum Rhodium exemplaria, eaq; in lucem edidisse & vulgasse hos, qui nunc manibus teruntur indices. Enimuero Peripatetici antiquiores videntur illi quidem elegâtes fuisse & eruditi, sed Aristotelis & Theophrasti scripta neque pleraq; neq; exactè voluisse: verùm ob hæredem Nelei Scepsii, cui libros suos reliquit Theophrastus, ea ad inertes homines recidisse atq; indoctos. Agenti Athenis Syllæ dolor cû grauedine torpidus decubuit in pedes, quem podagræ balbutiem Strabo ait esse. Quare Aedepsum nauigauit. Ibi aquis calidis vsus est ferians simulq; tempus traducens cum mimis. Deambulanti in littore obtulerunt piscatores quidâ eximios pisces. Lætus donis, vt audiuit Alæos esse: Et aliquis, inquit, adhuc superest Alæorum? Cùm enim victor prælio ad Orchomenon consectaretur hostes, obiter oppida tria Bœotiæ Anthedona, Larrymnam & Aleas euertit. Obmutescentibus pauore arridens abire eos bono animo iussit. Neq; enim cum vilibus vel côtemnendis ipsos venisse deprecatoribus. Alæi erecti inde oppidum aiunt se de integro frequentasse. Sylla hinc per Thessaliam & Macedoniam itinere ad mare facto instituit mille ducentis nauibus traducere ex Dyrrachio exercitum Brundusium.

Fimbriæ cædes.

Syllæ durißimè tractat Asiam.

Aristotelis & Theophrasti libri.

Syllæ podagra balbuties appellata.

Alæi pisces, & oppidum.

Prope Dyrrachium est Appollonia, & in vicino Nymphæum sacer locus: qui ex virenti valle & pratis ignis venas dispersas perpetuò manantis eructat. Ibi stratum somno Satyrum, qualem plastæ & pictores adumbrant, ferunt captum. Adductum ad Syllam percunctatos multos interpretes, qui'nam esset? Cum você tandem edidisset non quidê humanam vel claram, sed asperam & omnino ex hinnitu equi et hirci balatu confusam, obstupuisse Syllam & monstrum auersatum. Transuecturus exercitum, cum vereretur, ne vbi Italiam attigissent, dilaberetur quisque per oppida: primum adiurarunt vltro milites ad signa se mansuros nec Italiam volentes vexaturos. Deinde quia magna pecunia considerabant eum indigere: intulerunt obtulerûtq; ei pro suis quisque facultatibus argentum. Non admisit tamen istam munificentiam: verùm collaudatis illis & excitatis transmisit, vt ipse ait, contra quindecim partium aduersarum duces: qui cohortes quinquaginta & quadringentas habebant. Verùm deus ei omnia fausta clarissimè prænunciauit. Nam ilicò sacrificanti apud Tarentum, quo decurrerat, iecur coronæ laureæ & lemniscorum binorum ex illa dependentium habere visum est figuram. Paulo antè quàm traiiceret, in Campania circa Ephæum montem hirci duo interdiu visi confligere, omnia'que facere & pati, quæ viri in pugna solent, Spectrum autem

De hoc Nymphæo, Plin. li. 2. cap. 106. Stra. lib. 7. Dio. 41.

Satyrus ad Syllam adductus.

Syllæ in Italiam reditus.

autem fuit, quod sensim à terra elatum, inde in diuersas partes aëris obscurorum simulachrorum simile dissipatum est, hinc tãdem ex oculis elapsum. Nec multo pôst, cum Marius iunior & consul Norbanus eo loco exercitus haberent ingentes: Sylla non acie instructa, non compositis ordine copijs suis communis ardore alacritatis atque impetu visus audaciæ militum suorum profligauit hostes: cæsisq; septem millibus Norbanum inclusit mœnibus Capuæ. Hac re factum ostendit, ne per oppida milites sui spargerentur, sed cohęrerent hostesq; despicerent: quamuis eo illi numero essent, vt multi singulis suis euenirent. In Siluinis seruum Pontij narrat fanaticum allocutum se, qui nunciare ipsi à Bellona diceret se belli palmam & victoriam. Quòd ni maturaret, Capitolium cõflagraturum: idq; eodem euenisse, quo ille prædixerat die, qui fuit pridie Non. Quintiles, quas nunc vocamus Iulias. Iam M. Lucullus vnus ex Syllanis ducibus ad fidentiam cohortibus sexdecim aduersus hostiles quinquaginta rem gerens alacritati quidem militum fidebat: sed quòd essent complures inermes, dubitabat. Dum hæsitat & cunctatur, flores ex campo propinquo herbido mollis ventus affatim vehens coniecit in exercitũ, eumq; aspersit sponte adhærescentibus ijs, scutaq; & galeas cõprehendentibus, vt coronati putarentur ab hostibus. Vnde magis erecti signa contulerunt, obtinueruntq; victoriam cæsis octodecim millibus, insuper castris hostem exuerunt. Lucullus hic frater fuit Luculli illius, qui postea debellauit Mithridatem & Tigranem. At Sylla multis adhuc exercitibus & ingentib. copijs hostiũ circunfusum se cùm videret, omnibus impar viribus, dolo inuitauit alterum consulem Scipionem ad pacem. Non aspernante illo, congressus & colloquia crebra fiebant. Sed semper moram aliquam Sylla & causam injciendo militibus suis ad omnem fraudem & præstigias, sicut ipse erat dux, compositis exercitum Scipionis corrupit. Nam ingressi in hostium castra, ijsq; admisti alios pecunia, pollicitis alios, nonnullos blandimentis & suasionibus pellexere. Postremò Syllam viginti cohortibus castris admotum salutarunt, seq; ei coniunxerunt. Scipionem, in tabernaculo desertum cùm cepisset, dimisit. Sylla cohortibus viginti quasi auibus aucupibus quadraginta in laqueũ illectas aduersarias abduxit omnes in castra sua. Quo tempore Carbonem ferunt dixisse, bellum se cum vulpe & leone in animo Syllæ habitantibus gerentem magis infestari à vulpe. Ad Signium inde Marius quinque & octoginta cohortibus succinctus lacessiuit Syllam: qui perquàm paratus erat illo die dimicare. Visum enim ei secundum quietem oblatum huiuscemodi fuerat: Visus est ei senior Marius, qui iampridem erat defunctus, Marium filium, vt insequentem diem caueret tanquam ingẽs ei infortunium allaturum, monere. Erat itaque ea de causa ad pugnandum Sylla alacris: & Dolobellam, qui procul ab eo consederat, accersiuit. Cæterùm hostibus iter interpellantibus & obmolientibus Syllani præliantes & iter facientes lassitudine sunt confecti, simulq; excipiens laborem largus imber vehementius fatigauit eos. Ita Syllam ordinum ductores adierunt orantes, vt prælium proferret, monstraueruntq; ei fractos fatigatione milites & inclinatis scutis humi incumbentes. Vbi annuit inuitus, & signum metandis castris dedit, instituentibusq; militibus vallum iacere & fossam pro castris ducere: incurrit ferociter Marius ante signa prouectus quasi incompositos & tumultuantes dissipaturus. Hic Syllæ vocem, quam in somnis audierat, expleuit deus. quippe inflammati ira milites eius omisso opere pila defixerunt in margine fossæ, strictisq; gladijs & sublato clamore manus cum hostibus conseruere. Haud diu substiterunt illi, sed ingens strages edita est fugientium. Marius Præneste fuga delatus, cum portas iam clausas offendisset, demisso ex muro funiculo alligauit se, atque ita est eo receptus. Quidam, in quibus est Fenestella, Marium aiunt ne vidisse quidem prælium: sed, quòd esset vigilijs laboribusq; cõfectus, humi in vmbra stratum signo pugnę dato tradidisse se quieti, inde profligato iam exercitu ægre fuisse excitatum. Qua in pugna XXIII. tantum ait Sylla ex suis desideratos, ex hostibus cecidisse XX. millia, captos VIII. millia. Par et fortuna apud duces ipsius Pompeium, Crassum, Metellum, Seruilium respondit: qui nihil vel parum titubauerunt, & magnas vires hostium deleuerunt. Itaq; præcipuum aduersariũ partiũ Carbo firmamentum relicto exercitu suo ex Italia nauigauit in Africam. At nouissimo certamine vt athleta exurgens integer defessum aggressus Samnis Telesinus non multũ abfuit, quin ad portas vrbis euerteret & prosterneret eum. Properabat enim vnà cum Lamponio Lucano ingenti contracta manu Præneste ad eripiendum obsidione Marium. Cæterùm vt Syllam intellexit à fronte, à tergo instare sibi Pompeiũ, atq; interclusisse se, ne progressum haberet nec receptũ: bellator & magnis inueteratus certamini-

Capitolij incendium sub Sylla.

M. Luculli victoria de Marianis.

Sylla circumuenit Scipionem.

Syllæ somnium.

Marius filius fusus à Sylla.

Carbo fugit in Africam.

Telesinus Samnis adducit in summum periculum Syllam.

bus nocte cum toto exercitu ad ipsam mouit vrbem: nihilq́; propius factum est, quàm vt neglectam sine præsidio & statione inuaserit. Cum à porta Collina mille ducẽtos quinquaginta passus abesset, pernoctauit ibi prope vrbem animo & spe erectus, quòd tot & tantis imposuisset ducibus. Simul cum luce ex nobilissimis iuuenibus inuehentibus in eum & alios complures & Appium Claudium oppressit clarũ & probum virum. Cum iam vrbem tumultus, qualem verisimile est, & clamor mulierum & discursus sicut vi captam tenerent: primus aduolare à Sylla Balbus equitibus citatis septingentis est conspectus. tantisper dato spacio, vt sudor equorũ exiccaretur, mox denuo infrænatis eis propere instititit carpere hostes. Interea superuenit Sylla, primosq́; repente prandere iussos instruxit in aciem. Institit apud eum magnopere Dolobella & Torquatus, ne confectis militibus extremam aleam iaceret. Non Carbonem nec Marium, sed Samnites Lucanosq́; infestissimas vrbi & bellicosissimas gentes cum ipso congredi. verùm repulsis his præcipitante iam fere in decimam horam die clasicũ iussit signa canere. Dum certatur vt cum acerrime: dexterum cornu, quod tenebat Crassus, egregie vincebat. Sinistro la-

Syllæ periculũ.

borantí & inclinato iuit subsidio Sylla albo equo insidens feroci & pernicissimo. In eum hinc cognitum duo ex hostibus lanceas connixi ad emittendum direxerunt. Id non aduertit ille, sed verberato ab equisone equo hactenus est præterlatus, vt secundũ caudam

Apollinis sigillũ, Syllæ amuletum.

equi spicula delapsa defigerentur in solum. Dicitur sigillum habuisse Apollinis auteum Delphis sublatũ: quod cum semper in sinu inter dimicãdum circuntulisse, tum illo tempore exosculatus esse, atq; ita fatus: Felicẽ'ne Corneliũ Syllã Pythi Apollo, quẽ tot splendidum & inclytũ euexisti certaminibus, huc adduxisti, vt proijcias eum, & in patriæ foribus vnà cum ciuibus suis fœdissime cadat? Ita precatũ Syllã aiunt alios orasse, alijs minitatum fuisse, manu prehendisse alios: deniq; sinistro cornu obtrito permistũ fugientibus,

Syllæ fuga ante vrbem.

multis desideratis amicis & familiaribus in castra esse delatũ. Magnus numerus etiã ex vrbe ad spectaculũ pugnę progressorũ perijt & elisus est: vt actũ putaret esse de ciuitate, atq; obsidio pene esset soluta Marij multis eò ex fuga delatis: qui Lucretium * Ofellam ad continuandam relictũ obsidionẽ monuerunt sicut oppresso Sylla occupataq́; ab hostibus vrbe, vt se reciperet. Intempesta iam nocte venerunt in castra Syllæ à Crasso nuncij, ei militibusq́; eius cœnam petitũ. Nam fusos hostes insecuti Antemnã vsq; castra ibi

** Epitome Liuij habet Asellam.*

posuerant. Quo audito, simul hostes propè omnes interisse, contendit vbi diluxit Ante-

Syllæ crudelitas.

mnam. quò cum tria millia misissent ad eum legatos ad veniã petendã: promisit eis impunitatẽ, si aliquid cladis intulissent cæteris hostibus, atq; ita ad se cõmeassent. Qui habita fide reliquos sunt adorti, atq; magna cædes extitit se mutuò conficientiũ. Nihilo minus & his & quotquot essent ex alijs superstites ad sex millia in circo maximo coacti se-

Sylla sex millia militũ iubet Romæ iugulari.

natum in ædẽ Bellonæ indixit. Simul atq; dicere instituit: trucidauerunt, quibus id demandatũ erat, illa sex millia. Vociferatione scilicet à tanta multitudine, quæ loco angusto iugulabatur, elata & patribus attonitis, eodem quo dicebat immoto & constanti vultu aduertere patres animũ iussit, neq; curare quid ageretur foris. Nonnullos improbos iussu suo castigari. Id vel stupidissimũ Romanorũ docuit intelligere mutationẽ factã nõ liberationẽ tyrãni. Ac Marius quidẽ, qui à prima ętate acerbus fuerat, intẽdit nõ inuertit potestate ingeniũ. Sylla vero, q̃ moderate tulerat initio & ciuiliter fortunã, existimationemq́; dederat principis optimatũ reiq́; publicæ studiosi, insuper ad risum à iuuẽtute ꝓpensus & promptus venię dandæ fuerat, vt facile ei lachrymæ manarẽt: meritò hanc in-

Quàm difficile sit in magna potẽtia tenere modum.

ussit magnæ potẽtiæ maculã, mores eã nõ pati in priore hærere statu: sed vecordes, arrogãtes, & inhumanos reddere. Motio ea sit & cõuersio à fortuna naturæ, an insitæ potiùs prauitatis in potẽtia detectio, alterius sit cõmentationis disceptare. Postq; Sylla ad mactandũ cõuertit se, cædibusq́; inundauit vrbẽ infinitis & immẽsis: dũ multi etiã ex priuatis simultatibus, quibuscũ nihil Syllę intercedebat, cõcedẽte eo et cõniuente suis obtrun-

C. Metelli libertas apud Syllam.

cãtur: vnus ex iuuẽtute C. Metellus ausus fuit in senatu ex Sylla percunctari: Quis tandẽ esset malorũ futurus finis, & quousq; progressum istis factis expectarẽt tẽperaturũ? Deprecamur enim, inquit, nõ eorũ, quos tu tollere deliberasti, supplicia: sed dubitationem eorũ, quos statuisti conseruare. Vbi Sylla respondit, nondũ certũ se esse, quos esset incolumes relicturus, excipiẽs Metellus: Quin igitur, inquit, expromis, quos velis punire? Id ostẽdit se ille facturũ. Sunt, qui nõ Metellũ, sed vnũ ex adulatorib. eius ferãt Offidiũ hoc

Proscriptio Syllana.

postremũ dixisse. Igitur Sylla e vestigio re cũ nemine ex magistratib. cõmunicata proscripsit octoginta. Omnibus id indigne ferẽtibus, alios vno interiecto die ducẽtos viginti, mox tertio adiunxit rursus nõ pauciores. Adiecit pro cõcione eos, quorũ meminisset, se

proscri-

proscripsisse: qui ipsum nunc fugerent, proscripturum deinceps. Asscripsit ei, qui recepisset & seruasset proscriptum, mulctam se humanitatis capitalem sancire. Nec fratrem, vel filium, vel parentes excepit. Percussori præmium cædis bina talenta: etiam si seruus dominum, etiam si genitorem interfecisset filius. Quod vero omnium est visum iniquissimum, notauit proscriptorum liberos nepotesque infamia, omniumque publicauit bona. Proscribebantur non Romæ modò, sed & per omnes Italiæ vrbes. Nullius templum Dei à cæde erat inuiolatum, non penates hospitales, non domus paterna: sed in sinu coniugum viri, in sinu matrum iugulabantur filij. Atque eorum, qui ex ira vel odio necabantur, exiguus numerus erat præ illis, qui bonorum causa tollebantur. Imo poterant dicere homicidæ, hunc occiderunt amplæ ædes, illum horti, alium thermæ. Quintus Aurelius vir quietus, atque hactenus illa mala pertinere ad se arbitratus, quod aliorum doleret infortunia: cum in forum venisset, legit proscriptos, ac reperto nomine suo: Væ misero mihi, inquit, fundus mihi Albanus procurat necem: paulumque progressus cum esset: à quodam, qui insequebatur eum, est interemptus.

Q. Aurelij cædes.

Dum hæc aguntur, Marius filius, cum iam iam comprehenderetur, consciuit sibi necem.

Marij filij cædes.

Sylla Præneste profectus, animaduertit primùm causa cognita in singulos. Deinde quasi non vacaret, cunctos vno in loco contractos ad duodecim millium numerum confici iussit. Vni hospiti concessit incolumitatem. Qui sane quàm generose dixit ei, nunquam se patriæ suæ homicidæ gratias acturum de salute sua. Ita immiscuit vltro se cateruæ ciuium, vnaque cum illis trucidatus est. Indignissimum autem L. Catilinæ visum est facinus. Hic cum sustulisset rebus nondum decretis fratrem, rogauit Syllam tunc, vt quasi incolumē proscriberet: & proscriptus fuit.

Catilina fratrē occidit.

Hanc ob rem vt Syllæ gratiam referret, M. quendam Marium ex aduersa factione occidit, caputque ad sedentem in foro Syllam retulit. Inde ad amulam se Apollinis propinquam contulit, ac manus abluit. Porro extra neces erant reliqua quoque hominibus odiosa. Dictatorem enim se ipse renunciauit, eumque magistratum ab annis centum viginti assumpsit. Omnium præteritorum data ei fuit ex lege impunitas: in futurum autem ius necis, publicationis bonorum, coloniarum deducendarum, vrbium condendarum & diruendarum, ius regna auferendi & pro libito condonandi.

Sylla dictator perpetuus cum rerum omnium arbitrio.

Hastam bonorum publicatorum adeo superbe & tyrannice sedens pro rostris exercuit, vt ereptionibus eius grauiores essent condonationes: qui venustis mulieribus, lyricinibus, histrionibus, & scelestis libertis gentium agros & ciuitatum concederet vectigalia, nonnullis nuptias inuitis ad connubia adactis fœminis. Pompeium quidem Magnum cum conglutinare sibi vellet propinquitate: cum vxore, quam habebat, imperauit ei, vt nuptias dirimeret, eique Aemiliam Scauri & Metellæ vxoris suæ filiam, quam à M. Glabrione abduxit, collocauit prægnantem. Verùm illa est apud Pompeium ex partu mortua. Cum Lucretius Ofella, qui Marium expugnauerat, consulatum peteret & ambiret: vetuit ei primum. Vbi ille multorum gratia subnixus descendit in forum: misit vnum ex centurionibus, quibus septus erat, ad eum interficiendum: ac sedens pro tribunali in Castoris spectauit ipse ex edito cædem. Centurionem arripuerunt ciues statueruntque ad tribunal eius. Quibus silere tumultuantibus iussit, & se id ait mandasse, ac centurionem imperauit dimitti.

Lucretij Ofellæ cædes.

At triumphus eius magnificentia & raritate manubiarum regiarum grandis maiorem speciem & pulchrum spectaculum præbuit exulum causa. Siquidem clarissimi viri & principes ciuitatis secuti sunt coronati currum Syllæ, seruatorem & parentem eum appellantes: quòd illius beneficio essent in patriam reduces, liberosque & coniuges reciperent. Transacto triumpho rerum suarum gestarum reddens pro concione rationem non minore studio, quæ feliciter sibi euenissent, quàm quæ fortiter fecisset, recensuit: & ad extremum iussit hac de causa nominari se Felicem.

Syllæ triūphus.

Græcis cum scriberet vel responderet Epaphroditon, id est, Veneri gratū appellabat se. Atque in trophæis apud nos in hunc modum est nomen eius perscriptum: L. Cornelius Sylla Epaphroditus.

Sylla nomen Felicis assumit.

Adhæc cum geminos Metella edidisset, filium Faustum, filiam vocauit Faustam. Adeo autem non ita rebus gestis vt felicitate nitebatur: vt permultis abeo necatis, tam multis in republ. innouatis mutatisque abdicauerit se dictatura, & ius cōsulum creandorum populo reddiderit, neque interfuerit ipse comitijs, sed in foro corpus cuilibet præbens ad iniuriam opportunum priuati modo versaretur.

Sylla abdicat se dictatura.

Aduertit quendam præter sententiam suam audacem hominem & hostem suum consulem designari M. Lepidum, non per se, sed fauore populari ob Pompeiū eius studiosum & pro eo prensantem. Quare cum exultantē victoria videret Pompeium Sylla, ac-

cersiuit digredientem, dixitq́ꝫ: Præclaram verò rem adolescens gessisti, qui priorẽ Catulo Lepidum omnium optimo stolidissimum fecisti consulem. At tu fae vigiles: cum in te ipsum effeceris aduersarium tuum valentiorem. Sane illud Sylla quasi vaticinatus est. Breui enim oppugnauit in insolentiam erumpens Lepidus Pompeium.

Sylla populo epulum dedit. Patrimonij sui vniuersi consecrans Sylla Herculi decimam præbuit splendidum epulum populo: tantoq́ꝫ exuberantior vsu apparatus fuit, vt quotidie magna copia cibariorum in amnẽ projceretur, vinum diffunderet quadraginta annis vetustius.

Syllæ vxor Metella moritur. Medio hoc epulo, quod multorum fuit dierum, decessit ex morbo Metella. Quia verò vetuerunt sacerdotes ei illam adire vel funere domum eius pollui: misit ei libellum repudij Sylla, iussitq́ꝫ spirãtem adhuc in aliud domicilium transferri. Atque hac in re leges curiose ex superstitione seruauit.

Sylla suas ipse leges violat. at legem funerariam, quam tulerat ipse, conuulsit nullo habito sumptus modo. Perrupit item ad leniendum luctũ sumptuarias, quas de conuiuijs & cœnis luxu illecebrisq́ꝫ diffluentibus ipse fixerat.

Sylla Valeriam Hortensij oratoris sororẽ ducit. Paucis intercedentibus mensibus ludi gladiatorij edebantur nondum discretis cuneis, sed cùm in promiscuo etiam tum viri fœminæq́ꝫ spectarẽt. Sedebat autem fortè prope Syllam eleganti mulier forma & genere illustri. Messalæ filia erat, soror Hortensij oratoris Valeria nomine, quæ nuper fortè diuerterat à viro. Ea præteriens à tergo Syllam, extendit in eum manum, floccoq́ꝫ ex toga eius auulso transijt in locum suum. Cùm eam Sylla intueretur mirareturq́ꝫ: Nihil est imperator, inquit, quòd re moueat: sed cupio ego quoq́ꝫ tantillum consors fieri felicitatis tuæ. Fuit id non ingratum auditu Syllæ, verùm confestim prodidit nonnihil se titillatum.

Syllæ lascinia in Valeria vxore ambienda. Siquidem misit clanculum certos, per quos nomen, natales, & mores eius disceret. Hinc oculorum inuicem annictus, assiduæ ac leues in se mutuo vultus conuersiones, risus adiectiones, sponsalia denique & pacta connubialia huic fortasse non pudenda: Sylla vero etsi castam aliàs & insignem, non ex moderato tamen & honesto duxit primordio, more adolescentis obtutu & leporibus, quibus solent fœdissimi & impudentissimi excitari animi motus, illectus. Atqui quamuis hanc haberet domi: cum mulieribus tamen mimis citharistrijsq́ꝫ & thymelicis viuebat, de die cum ijs in lectis potans. Hi erant enim illa tempestate, qui plurimum apud eum poterãt, Roscius comœdus, Sorex archimimus, & Metrobius Lysiodus. quem licet exoletum nõ dissimulabat perpetuo amare.

Sylla phthiriasi correptus. Vnde etiam morbum aluit ex leui ortum occasione, & perdiu exulcerata viscera sua ignorauit. Hinc putrefactum corpus & in pediculos totum versum: vt cum multi interdiu & noctu tollerẽt eos, nulla parte potuerit tamen, quod rejciebatur, æquare illud, quod succedebat: verùm omnes vestes, balneũ, pollubrum, cibus illo repleret fluxu & tabe. Adeo suppullulabat. Ideo sæpius die ingrediebatur balneũ abluens & abstergens corpus. Cęterùm nihil proficiebatur. Vincebat enim celeritate cõuersio, superabatq́ꝫ copia omnem purgationẽ.

Phthiriasi qui interierint. Memorant ex priscis pthiriasi Acastũ Peliæ consumptũ: ex inferioribus Alcmana poetã, Pherecydem theologũ, & Olynthiũ Calisthenẽ, dum in vinculis fuit, Mutiũ præterea iurisconsultũ. Quòd si istos quoq́ꝫ, qui nulla quidem virtute, nobilitati sunt tamen, cõmemorare oportet: fama est eum, qui bellũ seruile mouit in Sicilia, fugitiuũ Eunum nomine, postquam attractus Romã captiuus est, morbo pediculari absumptũ.

Syllæ mors. Porro Sylla non tantum præuidit fatum suũ, verùm etiã de eo aliquatenus scripsit. Siquidẽ vigesimo secundo cõmentario biduo ante quàm decessit, extremã manum imposuit: ac prędixisse ait sibi Chaldæos, vbi præclare vixisset, in flore se felicitatis excessurũ. Narrat etiã filium suũ, qui paulò ante Metellã obierat, visum ꝑ somnũ absoleta in veste sibi assistere, patremq́ꝫ orasse: deponeret solicitudines, pergeretq́ꝫ secum ad matrem Metellam. Ibi quietè cum illa in ocio victurũ. Ab negocijs publicis tamen non abstitit. quippe decem ante exitum diebus, cum Puteolanorũ dissensiones cõposuisset, scripsit ijs leges, quibus remp. moderarentur. Pridie nunciato Graniũ, qui magistratũ gerebat, reip. quod debebat, non exoluere, sed diem suũ supremũ expectare: acciuit eum in cubiculũ, vbi ministris suis circunfusum præcepit strangulari. Inter vociferationẽ & corporis iactationẽ dirupta vomica vim magnã profudit sanguinis. Hinc viribus defectus nocte per grauem cruciatũ trãsacta vitã reddidit.

Syllæ liberi. Liberos reliquit duos ex Metella infantes. Nam Valeria post excessum eius edidit filiolã, quam appellauerunt Posthumiã.

Posthumi. Qui enim post patrum fata nati sunt, hos vocãt Romani Posthumos.

Syllæ funus. Porro cõspirauerunt multi cũ Lepido, vt priuarẽt iustis exequiarũ corpus Syllæ. verùm Pompeius quamuis offensus Syllæ (Solũ enim amicorũ tabulis prætererat) partim gratia, partim precibus, minis etiã nõnullos summouit, corpusq́ꝫ Romã est ꝓsecutus, ac tribuit funeri pariter securitatẽ & honorẽ. Ferunt etiã

vi

vi tanta aromatũ fuiſſe à fœminis cumulatũ: vt pręter illata decem & ducentis ferculis, ſimulachrũ ipſius Syllæ grande fictũ fuerit, fictum etiã lictoris ex precioſo thure & cinamomo. Cum eſſet à prima luce nubilũ cœlum: quia expectabant imbrẽ, nõ niſi nona hora extulerũt cadauer. Tum vento increbreſcente & delato in rogũ, flammamq; excitãte luculentã tanto prius cõbuſtum corpus fuit: quatenus rogo iam tabeſcente atq; igne emoriente excuſſa eſt larga pluuia, quæ ad noctem vſq; tenuit. Ita perpetua felicitas eum etiam funere peragendo eſt comitata. Extat monumentum eius in campo Martio. Epigramma autem perhibẽt delineatum ipſum reliquiſſe: cuius eſt ſumma: A` nemine ſe amicorum benefactis, vel inimicorum malefactis ſuperatum.

Syllæ monumẽtum, & inſcriptio.

LYSANDRI CVM SYLLA COMPARATIO.



EXPLANATA vita Syllæ pergamus nunc ad collationem. Atq; illud quidem, quòd exordio incrementi à ſemetipſis ſumpto magni euaſerint, ambobus eſt commune: ſed Lyſandri propriũ, quòd volentibus ciuibus ſuis & ſanis, quoſcunq; geſsit, cepit honores, inuitis nihil expreſsit, neq; valuit præter leges. Verùm

Diſsidio in populi capit & ſceleratus honorem.

ſicut id tẽporis Romæ corrupto populo & ægra ibi republ. dominus alius aliunde exoriebat̃. Et quid miri, ſi dominatus Sylla eſt: cum Glauciæ & Saturnini exigerẽt vrbe Metellos, conſulũ filij in cõcione occiderent̃, auro & argẽto arma pararẽt milites redimẽtes, ferro & igni leges figerẽt vim adhibentes repugnãtibus? Equidẽ non reprehendo eũ, qui in tanta rerũ mole potentiã ſummã ſibi cõparauit: verùm in ciuitate adeo affecta nõ continuò cenſeo optimũ fuiſſe, qui fuit primus. Qui verò à Sparta tũ vel maxime legibus florẽte & moribus ad bella maxima & ad res gerẽdas miſſus fuit: hic pene optimorũ optimus, & primorũ numerabat̃ primus. Quare qđ ſæpe reddiderat, ſæpè recepit imperiũ. Perẽnabat enim apud eum primas obtinẽs virtutis honos. At hic ſemel dux exercitus creatus, annos cõtinuos decẽ nunc conſulẽ, nunc proconſulẽ, nunc dictatorem ſemetipſe faciens & ſemper tyrannũ agẽs retinuit arma. Iam nouare, vt diximus antè, inſtituit Lyſander reipub. ſtatum leniùs & iuſtiùs q̃ Sylla. Inducendo enim, nõ armis cogẽdo, neq; ſemel cuncta vt ille euertẽdo: verùm ipſam emendãdò regũ deſignationẽ. Et quidẽ natura verum videbat̃, vt ea in ciuitate, quę virtutis cauſa non nobilitatis imperabat Græciæ, ex optimis optimus regnum teneret. Vt enim nõ quærit venator id, quod cane eſt prognatũ, ſed canem: neq; eques, quod equo, ſed equũ. Quid enim ſi equa natus mulus ſit? Ita prorſus hallucinatus fuerit politicus, in præſide ſi nõ requirat, qui ſit, ſed ex quibus. Ipſi quidẽ certè Spartiatæ nõnullis regnantibus vt nõ regalibus, ſed indignis & ſemiſsibus hominibus regnũ abrogauere. Quòd ſi prauitas eſt vel cum generis claritate infamis: neq; ex nobilitate virtus, ſed ex ſemetipſa eſt venerãda. Porrò iniurias hic pro amicis, ille vſq; ad amicos intulit. Quippe Lyſandrũ conſtat fraudes ferè amicorum gratia admiſiſſe, ꝓ illorumq; opibus et dominatu pleraſq; patraſſe cædes. Sylla verò exercitũ Pompeio inuidia adductus, & Dolobellæ claſsis præfecturã, quæ dederat, machinatus eſt eripere. Lucretiũ Ofellam pro multis & magnis meritis conſulatũ ambientem interfici in cõſpectu ſuo imperauit, ex amiciſsimorũ nece horrorẽ omnibus mortalibus & formidinẽ inijciẽs. Multò magis voluptatis & pecuniæ ſtudiũ alterius principalem, alterius tyrannicũ declarat animũ. Lyſandri enim nulla intemperãtia, nulla in tanto imperio & potentia proteruia apparet: ſed effugit ſi quis alius, hoc vulgare dictum:

Non cõtinuò optimus, qui primus.

Lyſander Spartanorum optimus.

Quis quiſq; ſit, non ex quibus, quærendũ, cùm muneri eſt præficiendus.

Lyſandri & Syllæ peccata.

Lyſandri parſimonia, & temperantia.

Domi leones, at foris vulpeculæ.

Adeo frugalem, Laconicã, & aſtrictã vitam egit vbiq;. Alter nec iuuenis libidines refrænauit ab inopia, nec ab ætate ſenex. verùm leges connubiales & ſumptuarias tulit ciuibus: cùm interim ipſe amoribus & adulterijs, vt eſt Saluſtius author, indulgeret. Vnde rempubl. ad mendicitatẽ tantã & pecuniæ redegit egeſtatẽ: vt quamuis quotidie publicaret & ſub haſta vẽderet pecunioſiſsimas et maximas domos, fœderatis et ſocijs ciuitatib. tamẽ libertatẽ immunitatemq; venũdaret argẽto. Verùm ꝓfundendi atq; diſsipandi in adulatores nullus erat modus. Quam enim veriſimile eſt rationẽ vel parſimoniã interiore in cõuictu & largitionib. eius fuiſſe, qui publicè aliquãdo in corona populi opulentum patrimoniũ diſtrahẽs, vili precio iuſsit vni amicorũ addici. Cùm aũt ſuperaret illũ alius licitatione, & proclamaret præco adiectionem: ſtomachatus eſt, &: Quid hoc mali

Syllæ libido & profuſio.

Syllæ tyrannicũ dictum.

Quirites, inquit, quæ hæc vis eſt: quòd prædam meam mihi non liceat pro arbitrio meo diſtrahere? At Lyſander etiam collata in ſe dona miſit cum præda alia ciuitati ſuę. Nec factum commendo. Plus enim fortaſsis pecuniæ inuectione attulit hic Spartæ detrimenti, quàm Romæ ille extorſione. Verùm hoc ſtatuo viri illius iudicium abſtinentiæ. At peculiare quiddam ſuæ vterq; ciuitati fecit. Nam Sylla luxu ipſe diffluens ſumptuoſusq; ciues compoſuit ad frugalitatem. Lyſander, quibus ipſe temperabat vitijs, his ciuitatē inundauit. Peccauerunt itaq; ille, qui legibus ſuis ſe ipſum præſtitit deteriorem: hic, qui ſe eiues deteriores reddidit. quandoquidem docuit Spartam indigere illis, quibus non indigere ſe ipſe didicerat. Igitur tales domi fuere.

Sylla bellicis rebus, quàm Lyſander præſtantior.

Bellicis verò certaminibus, factis imperatorijs, victoriarum numero, magnitudine periculorum incomparabilis eſt Sylla. Siquidem alter duas palmas tamen pugnis duabus naualibus retulit. Adijciam ei Athenarum obſidionem facto ſanè haud magnam, ſed gloria clariſsimā. At geſta in Bœotia atq; ad Aliartum, quamuis infortunio aliquo acciderunt fortaſſe, inconſultam præferunt temeritatem tamen non operientis iam iam affuturas Platæis validas regis copias, ſed bile & ambitione in muros ruentis intempeſtiuè: vt opprimerent eum fœdè eruptione facta nihili homines. Neq; enim vt ad Leuctra inſiſtens vrgentibus hoſtibus Cleōbrotus, neque vt Cyrus & Epaminondas inclinatos premens ac ſtabiliens victoriā, plagam incurrit mortiferam. cæterùm occubuerunt hi digno regibus & imperatoribus fato.

Mors regibus & imperatoribus digna.

Lyſander gregarij militis & antecurſoris modo turpiter vitam proijciens veteribus Spartiatis aſtipulatus eſt, rectè eos murorum oppugnationes declinaſſe: vbi non ſolùm à viro abiecto, verùm etiam contingat à puero & fœmina vulneratum cadere vel fortiſsimum: quo modo à Paride Achillem aiunt interemptum in porta. Sylla verò quot ſignis collatis reportauerit victorias, & legiones hoſtium oppreſſerit, haud procliue ſit inire numerum. Ipſam verò bis cepit Romam: & Athenienſium Piræeo non vt Lyſander fame, ſed multis magniſq; prælijs Archelao ex continente in pontum ſummoto potitus eſt. Multum etiam ex aduerſis ducibus accedit momenti. Iocum enim & ludum exiſtimo cum Alcibiadis gubernatore Antiocho prælio nauali decertaſſe, & Philoclē circumſcripſiſſe concionatorem Athenienſium,

Inglorium, gerentem in ore cuſpidem.

quos ne cum equiſone quidē Mithridates, nec Marius cum lictore ſuo dignatus ſit contendere.

Sylla cum potētiſsimus pugnauit, & vicit.

At ex dynaſtis, conſulibus, ducibus, concionatoribus, qui luctati eum Sylla ſunt, vt alios præteream, quis Mario erat inter Romanos formidabilior, aut in regibus Mithridate potentior, aut pugnacior Lamponio Teleſinoq; ex Italis? quorū Sylla illum exterminauit, hunc domuit, poſtremos occidit. Iam omnium, quæ memorauimus, illud meo iudicio ſummum ſit: quòd quicquid præclarè Lyſander geſsit, id ciuitate ſua geſsit opitulante. Sylla verò extorris, & factione oppreſſus maleuolorum, quo tempore eijciebatur vxor eius, diruebantur penates, interficiebantur amici: ſigna cum innumeris legionibus in Bœotia conferens atq; pro patria decertans ſtatuit trophæum:

Syllæ magnanimitas.

Mithridatiq; cōtra inimicos ſuos ſocietatē ſibi & copias offerenti nihilo vſquam remiſsiorem ſe aut beniгniorem præbuit. Imo ne ſalutem quidem dedit, neq; dexteram antè porrexit, quàm ex præſente audiuit relinquere eum Aſiam, naues tradere, regibus Bithyniæ & Cappadociæ cedere: quibus factum Syllam pulchrius planè nullum, neq; animo deſignaſſe iudico excelſiore: quòd prælata priuatis rationibus republ. & generoſorum more canum non priùs morſu & prehenſione laxata quàm oppreſſo aduerſario, tunc inſurrexerit in priuatarum vltionem iniuriarum. Quod denique conſultum in Athenienſes fuit, ad morū eorū contentionem refert nonnihil. quando captam vrbem, quæ arma ſecum pro Mithridatis opibus & imperio contulerat, liberam & legibus ſuis reliquit immunem: Lyſander tanto principatu & imperio exutam non eſt miſeratus, imo verò republ. ſpoliatæ populari atrociſsimos violentiſsimosq; impoſuit tyrannos.

Sylla bellicis artibus Lyſandro: Lyſander temperantia, Sylla anteponendus.

Videamus ergo nunc, num multum errauerimus à vero: plura præclarè facta ſi Syllæ eſſe, Lyſandri peccata dicamus pauciora: atq; huic abſtinentiæ & temperantiæ, artium illi bellicarum & virtutis primatum tribuamus.

CLA-

CLARISSIMO VIRO D. IOANNI LAVV-BERMANNO IVRISCONSVLTO CONSILIARIO CLIuensi, atque ornatissimis viris, Ioanni Essendiensi quæstori, Rutgero Rudenscheidt magistro rationum, Matthiæ ab Egher præfecto sanctuatiorum, totiq; consilio ac sodalitati cancellariæ Cliuensis, dominis & amicis suis singularibus Hermannus Cruserius S. P. D.



ICVT in domo priuata ad rem constituendam & administrandam familiarem multa sunt officia, multiq; ea diuersi obeunt, neque esse ibi oportet ociosum quenquã: ita in republ. nemo debet esse immunis, sed exemplo apum in id incumbere, vt sit ei quàm vtilissimus. Inter omnes autẽ prosunt maxime patriæ tum illi, qui præcellentes prudentia suggerunt salubria & frugifera consilia, tum qui magnitudine animi præditi & robore tuentur eam ab iniuria vel amplificant. Neq; verò fuerũt hæc olim distincta genera, neq; eorum munera diuersa. Verùm erant ijdem, qui consulere possent & valerent armis, ijdemq; docti & pugnaces. Pòst, vt sectæ cœperunt esse distractæ philosophorum & oratorum, qui fuerant antè ijdem & philosophi & oratores: ita alij cœperunt esse, qui intra cancellos dandi consilij manerent, alij foris qui propulsarent hostes. In hisce autem duabus nationibus longe certe præstat sapientia viribus. Frustra enim sunt arma foris, nisi consilium sit domi. Ita celebrat Aiacem vt fortem bellatorem Homerus, vt prudentem consultumq; Vlyssem. Verùm tamen longe hunc magis, eumq; semper præponit Aiaci. Est enim virtus prudentia prima, imo verò virtutum omnium origo & fons reliquarum. Neq; enim iustus esse stultus potest, neq; amens fortis vel continens. quippe requirunt virtutes iudicium & delectum, qui esse profectò in imprudente potest nullus. Qui vero non valent consilio, & sunt præterea ignaui: hi vt fuci reipub. sunt non solùm nulli vsui, verum etiam oneri. Eos nominare Homerus telluris inutile pondus solet: vt de semetipso apud eum Achilles,

ἀλλ' ἧμαι παρὰ νηυσὶν ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης.

Et alio loco,

οἷον μέν τινα τοῦτον ἔχεις ἐπίμαστον ἀλήτην
σῖτου καὶ οἴνου κεχρημένον, οὐδέ τι ἔργων
ἔμπαιον οὐδὲ βίης, ἀλλ' αὔτως ἄχθος ἀρούρης.

Quos autem appellet telluris inutile pondus, declarat vbi ait,

οὐδέποτ' ἐν πολέμοισ' ἐναρίθμιος οὐδ' ἐπὶ βυλῇ.

quòd neq; domi consilio, neq; armis prosint reipub. foris. Ac dicuntur merito hi fruges consumere nati, qui nihil quàm numeri sunt. In illorum secta, qui iuxtà & mentis vi valuerunt, & bello fuerunt boni, censentur apud Romanos Fabius Maximus, Catones: apud Græcos Themistocles, Pericles, Phocion: inter Alexandri duces Eumenes bellator insignis simulq; eius scribarum princeps, quem nunc vocamus cancellariũ. Cum eo comparat Plutarchus Q. Sertorium gloria bellica non minorem, nec item consilio. qui virtute insuper præfulserunt ambo insigni alia, charitate Sertorius patriæ, Eumenes principis eiusq; stirpis, quæ est eadem. Repræsentat enim in regno & monarchia bonus princeps patriam. quippe dicitur is & est pater patriæ, is eam fouet, ei prouidet, ex eo illa quasi dependet. Vt bonus ciuis oculos intentos habere perpetuò debeat in salutem & vtilitatẽ principis, quibus continentur & patriæ. Quia verò vestra humanitas & coniunctio nostra familiaritasq; multis officijs constituta mutuis postulauerunt, vt nunc aliquid & multa, vt spero, posthac ad vos honoratissimi atque ornatissimi domini & amici scriberem, vsumq; nostrum aliquo monumento meo testatum ac pignus summi studij erga vos mei relinquerem posteritati: non potui rectius, quàm summi principis cancellarium, optimi principis nostri dicare cancellariæ, ijsq;, huic qui præsunt, atq; in ea elucubrant assidue, desudantq; in procurandis & tuendis negocijs principis & patriæ. Hoc vobis meum officium vt sit gratum valde opto. Valete

Campis.

PROOE-

PROOEMIVM IN EVMENEM ET Q. SERTORIVM.

Similes casus euenire, esse necessum.



ES non est stupenda fortasis, si tempore immenso aliàs aliter fluente fortuna deuoluatur identidem ad casus eosdem temeritas. Siue enim finitus nõ est accidentium numerus, largam habet similitudinis eorum, quæ efficiuntur fortuna suppeditatricem materiæ affluentiã: siue ex numeris quibusdam finitis connectuntur res, eædem necesse est subinde existant ex ijsdem absolutæ. Quia verò libenter aliqui ista, quæ acciderunt fortuito, lectione vel audiтione percepta colligunt, siqua consilio & prouidentia videntur facta: vt quòd duo nobilitati sint Atties, vnus Syrus, Arcas alter, vterq; ab sue interemptus: duo Actæones, hic à canibus, ille discerptus ab amatoribus: duorum Scipionum ab altero deuicti antè Carthaginenses, ab altero funditus excisi: captam Troiam ab Hercule ob Laomedontis equos, ab Agamemnone per ligneũ appellatũ equum, tertio à Charedemo, cum prolapso in porta equo, eam claudere cito Troiani nõ potuissent: plantis duabus flagrantissimis cognominum vrbium Ii & Smyrnæ, quæ significãt violam & myrrham, Homerum poetam in vna natum perhibeãt, defunctum in altera. Age subnectamus hoc superioribus, imperatorum bellicosissimos, quiq; plurima dolo & calliditate perpetrauerunt, altero lumine orbatos fuisse, Philippum, Antigonum, Annibalem, & de quo nunc tractamus Sertoriũ: quem Philippo dicas in amoribus fuisse cõtinentiorem, Antigono firmiorem erga amicos, clementiorem erga hostes Annibale, nulli horum prudentia concedere, sed omnibus fortuna: qua supra omneis illustres hostes suos vsus multo vbiq; acerbissima adęquauit illis se, belli scientia cum Metelli vsu, audacia cum Pompeij, fortuna cum Syllæ, potẽtia cum populi Romani viribus exul & barbarorum aduena dux cõparatus. Huic in Græcis potissimum æquiparamus Cardianum Eumenem. Ambo enim insignes fuerũt imperatores, & astuti bellatores, extra patriam peregrinantes, alienigenarũ ductores, fortuna conflictati aspera, ad exitum & nouerca. siquidem circumuẽtus vterq; insidijs, atq; quibuscum hostes vicerat, ab ijsdem est oppressus.

Similium euentorũ exempla.

Homerus vbi natus, & vbi mortuus.

Tres maximi viri, lusci.

Sertorij laudes.

Eumenes.

Eumenis genus.



EVMENI Cardiano tradit Duris patrem fuisse, qui ob inopiam in Chersonneso victũ vectura exercenda quæritauit: verùm liberale cum in literis & palæstra sortitum tyrocinium. Quo etiamnũ puero, cum obiter illuc appulisset Philippus, per ocium eum adolescentium Cardianorum spectasse pancratia & puerorum luctas. inter quos excellentem Eumenẽ, cum solertem eum et strenuum vidisset, placuisse Philippo, et in familiam eius ascitum fuisse. Verùm propius fidem videtur, quod illi dicũt, qui propter hospitij necessitudinem & amicitiam paternam Eumenem asserũt à Philippo prouectũ. Ab huius excessu, quòd nec prudentia nec fide vlli esset ex Alexandri amicis secundus, scribarum princeps quidem appellabatur, sed in pari erat dignatione ac præcipui eius amici vel familiares: vt etiã dux in India solus cum exercitu mitteretur, & in prouinciam Perdiccæ succederet, cum defuncto Ephestione Perdiccas esset ad illius prouinciã prouectus. Vnde cùm secundum fata Alexãdri armigerorum princeps Neoptolemus cum clypeo se & hasta, Eumenem cum stylo & tabellis iactaret Alexandrum secutum: deriserunt eum Macedones, quòd pręter honores hunc affinitatis quoq; necessitudine fuisset rex dignatus. Siquidem Barsines Artabazi filiæ, quam in Asia Alexander primã cognouit, ex qua filium suscepit Herculem, alteram sororem Apamã Ptolemæo, Eumeni Barsinen collocauit: quo tempore cæteras quoq; Persidas distribuit, & amicis in matrimonium collocauit. Offendit subinde tamen Alexandrum ac periculum Ephestionis causa subijt: primũ, cùm Euio tibicini attribuisset Ephestion ædes, quas pueri Eumenis ei priores ceperant: adijt Eumenes ad Alexandrum, ac cum Mentore vociferatus est præstare proiectis de manibus armis tibia canere vel tragœdias agere. Tulit autem iniuriam eius

Eumenes regibus Macedoniæ quomodo conciliatus.

Eumenis vxor Barsine.

Ale-

Alexander molestè, lacerauitq; probris Ephestionem. Mox tamen mutatus flagrauit ira in Eumenem, quasi contumelia potius aduersus se, quàm libera lingua esset aduersus Ephestionem vsus. Deinde quo tempore Nearchum clàm ad Oceanum parabat mittere, poposcit ab amicis argentum, quod non esset in ærario. Vbi ab Eumene postulauit trecenta talenta, nec ille nisi centum duntaxat dedit, eaq; ægre & difficulter ostendit se per procuratores suos coegisse: non incusauit eum neq; accepit pecuniam, verùm certis ministris occulte imperauit, ignem vt Eumenis tabernaculo subijcerent: quò in exportanda pecunia manifeste mendacem compериret. At celerius quàm potuit exportari, tabernaculum incendio haustum fuit: pœnituitq; eius Alexandrũ, quòd monumenta sua fuissent absumpta. Auri vero vel argenti, quod fuerat per flammam conflatum, erutum fuit plus mille talentis, ex quibus ille nihil abstulit: sed & satrapis præfectisq; mandauit per literas omnibus, vt exempla corruptorum mitterent, eaq; deferri omnia iussit ad Eumenem. Concertatione iterum de dono quopiam cum Ephestione exorta, ac multis vltro citroq; iactis conuitijs in præsentia quidem nihilominus erat in gratia: cæterùm defuncto mox Ephestione mœrens tex omnibusq;, quos viuo illi inuidisse arbitrabatur, atq; eius lætari morte, infestus & asper præ cæteris Eumenem in suspicione habebat, memorauitq; crebro rixas illas & conuitia. Verum versutus ille doctusq; accommodare se tempori instituit ex eo, quo vulnerabatur, mutuari remedium. Confugit enim ad Alexandri in decoranda memoria Ephestionis prolixitatem & studiũ, suggessitq; ei honores, quibus maxime ornare valeret defunctum, atq; argentũ ad excitandum Ephestioni tumulum large & benigne præbuit. Postquam decessit Alexander, & legiones ab amicis Alexandri secessere: animo Eumenes ab his stetit, verbo medium se inter vtrosq; & priuatũ gessit: quasi sibi nõ conueniret extraneo nimium se implicare Macedonum controuersijs. Cum aũt amici Alexandri cæteri Babylone excessissent, remanens hic in vrbe peditatum magna ex parte placauit, atq; ad concordiã reddidit promptiorem. Vt verò cõuenerunt duces, & priore cõpresso tumultu partiti sunt satrapias & prouincias, Eumeni cessit Cappadocia & Paphlagonia mari Pontico subiecta Trapezonte tenus, quæ tunc in Macedonum ditione nondum erat. siquidem regnum obtinebat ibi Ariobarzanes. Habebant autem in mandatis Leonatus & Antigonus, vt magna manu Eumenẽ eò deducerent, satrapamq; illi orę imponerent. Cæterùm non obtemperauit Antigonus Perdiccæ literis elatus iam animo atq; despiciens omnes. Leonatus vero ex superiorib. prouincijs descendit in Phrygiam, ac recepit Eumeni se illam expeditionem susceptururũ. Sed cum Cardianorum Hecatæus tyrannus cum illo congressus oraret, vt Antipatro potius & obsessis Lamiæ Macedonibus iret suppetias: instituit traijcere: quò etiã inuitauit Eumenem, eumq; recõciliare enisus est cum Hecatæo. Intercedebat enim paterna inter eos ex ciuilibus dissensionibus simultas. Eumenes autem frequẽter Hecatæum tyrannidem parare apertè insimulauerat, atq; Alexandrum, vt Cardianis redderet libertatem, precatus fuerat. Quapropter detrectante tunc expeditionem in Græcos Eumene, & timere Antipatrum se dicente: ne qua in Hecatæi gratiam iam pridem alienus interficeret se: fidem habens ei Leonatus nihil eum consiliorum suorum celauit. Nam verbo dicebat & prætexebat subsidium se laturum Antipatro: verùm deliberauerat traducto exercitu ilicò Macedoniam asserere, & epistolas monstrauit ei Cleopatræ Pellam se velut ad cõnubium accersentis. At Eumenes, seu quòd Antipatrum formidaret, seu quòd vecordem Leonatum & impetu motum instabili præcipitiq; haberet pro deplorato, nocte cum impedimentis suis discessit. Habebat secum equites trecentos, & ex ministris suis stipatores ducentos, auri ad argenti rationem quinq; millia talentûm. Ita ad Perdiccã confugit, consilijsq; proditis Leonati statim multum apud eum potuit, atq; adhibitus est in consilio. Post aliquantò in Cappadociam cum exercitu ipso pręsente & ductore Perdicca est deductus. Capto Ariarathe & prouincia subacta declaratur satrapa. Vrbes cõmisit amicis suis, ijsq; pręfectos cum præsidijs imposuit. Iudices ibidem & procuratores, quos sibi visum fuit, reliquit nihil in his se ingerente Perdicca. Inde vnà cum Perdicca remeauit: quod tribuit eius obseruantiæ, & ne abesset ab aula. At vero confidens Perdiccas, quas ad res pergebat, ipsum eas per se confecturum: sed ad ea, quæ relinquebat à tergo, impigro & fido custode se opus habere: ablegauit ex Cilicia Eumenem, verbo ad suam prouinciam, reuera quò confinem Armeniam à Neoptolemo cõmotam in potestate retineret. Quẽ Eumenes quamuis animi tumore & inanibus spiritibus peruersum blandis verbis elaborauit in officio retinere. Quia verò phalangem Macedonum inflatam & fero-

Eumeni Cappadocia et Paphlagonia prouinciæ decernũtur. Iustin. lib. 13.

Leonati conatus.

Eumenes ad Perdiccam se confert.

Eumenes à Perdicca contra Neoptolemum mittitur.

cem

Eumenis in equitatu comparãdo, industria.

cem offendit: præsidium confecit contra eos manũ equestrem, prouincialibus, qui equis erant assueti, vectigalia remittens & immunitatem dans. Equos etiam emit, quos distribuit ijs, quibus ex comitatu suo maxime fidebat, largitionibus muneribusq; animos eorum inflammans, corporaq; itineribus faciendis exercens ac laboribus. Vnde illi Macedones obstupuerunt, hi redditi sunt alacres: vbi exiguo spacio viderunt apud eum coactos equites non minus sex millia trecentos. Postquam Craterus & Antipater deuictis Græcis in Asiam ad Perdiccæ opprimendum imperium transierũt, quos impressionem facturos nunciabatur in Cappadociã: Perdiccas, qui ipse mouebat in Ptolemæum, Eumenem legionũ, quę in Armenia & Cappadocia erant, ducẽ cum summo imperio creauit. Hac de re literas misit, atq; Alcetam cum Neoptolemo Eumeni præcepit dicto audientes esse, Eumenem verò pro suo agere arbitrio. Eam expeditionem Alcetas aperte abnuit: quòd Macedones, quibus præerat, conferre cum Antipatro erubescerent arma, Crateri aũt adeo essent studiosi, vt etiam recipere essent eum parati. Neoptolemus verò proditionem Eumeni moliebatur, verùm non fuit clàm. qui cùm accerseretur, nõ paruit, sed aciem direxit copiarum suarũ. Ibi primum fructũ cepit Eumenes prouidentiæ & apparatus sui.

Eumenes profligat Neoptolemum.

quippe inclinata iam acie peditum suorũ profligauit Neoptolemum equitatu, cepitq; impedimenta eius. Inde in dissipatã in consectando phalangẽ conglobato equitatu suo inuectus arma coegit eos ponere adegitq; sacramẽto ipsum secuturos. Neoptolemus paucis ex fuga collectis recurrit ad Craterum & Antipatrũ. Ab illis ad Eumenem legati missi, qui inducerent eum, vt transiret ad ipsos retentis prouincijs suis, acceptisq; insuper ab ipsis alijs copijs & prouincijs, rediretq; cum Antipatro in gratiam, nec Cratero existeret pro amico hostis. Quib. expositis negauit se Eumenes Antipatro, qui cum vetus sibi inimicitia intercederet, nunc amicum fore, quãdo eum amicos videat habere pro inimicis: ad Craterum verò cum Perdicca reconciliandum atq; æquis cõditionibus in gratiam reducendũ omnem suam offerre operã. Quod si incurrere affectet in eum: non defuturum se, quoad spiraret, lęso, priusq; corpus & animã quàm fidem amissurum. His renunciatis Antipatro de summa rerum per ocium deliberauerunt. Neoptolemus, cum ex fuga se contulisset ad illos, fecit eos de prælio cõmisso certiores, institit q; vt suppetias ferrent sibi, maxime ambo, Craterus certe. Illum enim desiderari dicebat à Macedonibus mirifice: cuius si causiam modo cõspexissent et audiuissent vocem, cum armis illos ad eum concursuros.

Craterus Macedonibus gratissimus.

Nempe erat profecto nomen ingens Crateri, eiusq; desiderio post Alexandri obitũ flagrabat vulgus militũ, memores multas eum crebrò indignationes pro ipsis apud Alexandrũ excepisse, cum ad fastũ Persicũ retineret sensim delabentem: moresq; patrios, quos luxu & supercilio cõculcabat, vindicaret. Igitur in præsentia Antipatrũ Craterus in Ciliciã misit. Ipse cum magna parte exercitus socio Neoptolemo mouit in Eumenem, nec expectantẽ ratus se & sub recentẽ victoriã cum incondito exercitu & poculis implicato oppressurũ.

Eumenis calliditas.

Quòd aũt aduentum eius Eumenes præsensit & se præparauit: vigilantiæ quidẽ duci, nõ eximiæ tamen solertiæ asscribas. Quòd verò nõ solum cauerit, ne hostes, qua re ipse laborabat, sentirent: verum etiã vt milites suos ignaros, qui cum conferrent signa, occupauerit immittere in Craterũ, & ducem occultauerit aduersariũ, ea singularis videtur ars fuisse imperatoris. Diuulgauit rumorem Neoptolemum iterũ ingruere & Pigrẽ cum Cappadocũ & Paphlagonũ equitatu.

Eumenis somnium.

Cum pararet de nocte mouere, mox ꝓdigiosa sopore oppresso oblata visio est. Alexãdros duos visus est videre ad præliũ inter se cõmittendum instruentes aciẽ, ac singulas vtrumq; ducere phalanges: hinc vni Mineruã, alteri Cererẽ auxilio venire. Commisso acri certamine fusum eum, à quo stabat Minerua: victori Cererẽ desectis spicis coronã contexere. Hoc visum protinus coniecit secundũ esse sibi, qui pro optimo agro & id temporis præclarã habente in calyce spicam dimicaret. Plenus enim totus sementis erat, & speciem prębebat pax splendidã magna comantibus vbertate campis. Iam magis erectus est, postquã accepit signũ pugnæ hostibus Mineruã & Alexandrũ esse. Itaq; signũ ipse quoq; suis Cererẽ & Alexandrũ dedit, præcepitq; omnibus, vt corona caput & arma spicea redimirẽt. Quãuis aũt conatũ cœperat sæpe pręfectis et ducibus suis, qui cum decertandũ esset, enũciare & aperire, neq; apud vnum se tegere & supprimere arcanũ tam necessariũ: perstitit tamen in cõsilio suo, & menti suæ concredidit periculũ.

Eumenis & Crateri conflictus.

Cratero ex aduerso neminẽ locauit Macedonũ, sed duas externorũ equitum alas, quas Pharnabazus Artabazi filius & Tenedius Phœnix ducebant. His imperauit, vt in hostes, simul atq; in cõspectu forent, inueherent extemplò, manusq; cõsererent: nec darent ijs receptũ, neu verba caduceatorem

rem

rem'ue missum admitterent. Timebat enim maiorem in modum, ne agnito Cratero Macedones ad eum transirent. Ipse equitibus trecentis fortissimis in agema centuriatis prouectus in dexterum cornu erat Neoptolemũ adoriturus. Vbi tumulo qui intermedius erat, superato conspecti sunt, impetumq; dederunt acriorem & cõcitatiorem: obstupefactus Craterus multis conuitijs Neoptolemum, quod ab eo esset de Macedonum defectione elusus, lacerauit: adhortatusq; duces suos ad pugnã strenuè capessendam infestus inuexit se in hostem. Fuit durus primus concursus, lanceisq; citò detractis, vbi res gladijs geri cœpit, non dehonestauit Craterus Alexandrum: verùm multis cõfossis, sæpiusq; auersis illis, quos cõtra stabat, vulneratus demum à Thrace ex latere inuecto defluxit ex equo.

Crateri cædes.

Iacentẽ eùm alij incognitũ essent prælati, vnus ex Eumenis ducibus Gorgias cognouit eum, desiliensq; ex equo custodiã corpori grauiter iam affecti animamq; agentis adhibuit. Congreditur interea cum Eumene Neoptolemus. Inueterato enim inter se odio & simultate inflammati duobus cõcursibus nõ percepit alter alterum. In tertio vbi inter se cognouerunt, protinus strictis gladijs cum clamore admiserũt equos.

Neoptolemus ab Eumene cæsus.

Vt infesti equi triremium modo acriter cõcurrerunt: remissis habenis inijciunt sibi mutuò manus, detrahunt cassides, & diuellunt ex humeris loricas. Dum ita se inuicem lacerant, equis simul subterfugientibus in terram delapsi & cõnexi prehendunt alter alterum colluctanturq;. Inde Eumenes priori assurgenti Neoptolemo poplitem succidit, maturauitq; attollere se in pedes. Neoptolemus altero innixus genu, altero afflictus strenuè ex inferiore loco dimicabat, sed vulnera nõ inferebat letalia. Percussus aũt secundum collum, cóncidit elanguitq;. quẽ dum Eumenes ex ira & vetere odio spoliat atq; increpat dictis: gladio, quem adhuc tenebat, imprudentẽ subter loricã, qua attingit inguina, vulnerat. Ictus debiliter adactus terruit quàm læsit magis Eumenem. Detractis exanimi spolijs grauiter cruciatus femorum & brachiorum traiectorũ vulneribus, equo impositus tamẽ ad alterum cornu, ratus id adhuc stare in acie, aduolat. Cæde Crateri nũciata aduectus ad eum, atq; vbi spirantem & mentis cõpotem vidit, equo delapsus illachrymauit, dextramq; ei iniecit: atq; hinc Neoptolemũ acerbè probris proscidit, hinc illius casum & necessitatem miseratus est suam, per quam cum amico & familiari cõmissus aut accipere hanc calamitatẽ aut inferre fuisset adactus.

Eumenis victoria de Cratero et Neoptolemo.

Huius prælij Eumenes diebus decẽ circiter à priori palmam tulit, ac gloriam ea conciliauit illi ingentem: quod partim sapientia partim virtute eam peperisset: è diuerso grandẽ cõflauit ei inuidiã iuxtà & odium tam apud socios quàm hostes: quòd peregrinus & hospes Macedonũ armis ac viribus virum inter eos primariũ & clarissimum sustulisset. Quòd si maturiùs allatus ad Perdiccã excessus esset Crateri, nullus inter eos principatũ tulisset alius. Nunc diebus duodecim antè interempto per seditionem in Aegypto Perdicca allata in castra est huius cõflictus fama: atq; extemplò Eumenem infensi Macedones capitis damnauerunt.

Eumenes à Macedonibus capitis damnatur.

Dux contra eum Antigonus cum Antipatro deligitur. Cùm Eumenes in regia equitia, quæ ad Idam pascebãt, incidisset: atq; ex his sumpsisset, quot haberet opus, rationemq; procuratoribus scriptam misisset: dicitur risisse Antipater, ac dixisse: mirari se cautionẽ Eumenis, qui expectet ipsis se de rebus regijs relaturum rationem, aut repetiturũ ab ipsis. Circa Sardeis visum erat Eumeni in campis decertare Lydijs, quod ab equitatu firmus esset, simul quòd etiam Cleopatræ vires suas ostentare gestiret. Verùm illius ipsius adductus precibus verentis, ne calumniæ sibi apud Antipatrũ foret, superiorem Phrygiam petiuit, hybernauitq; Celænis. Vbi Alceta, Polemone, & Docimo cum eo ambigentibus de ducatu: Hoc illud, inquit, est quod dici solet, exitij nulla habetur ratio. Militibus intra triduũ soluere stipendium pollicitus, fecit ijs villarum illius regionis castellorumq; hominibus & pecore refertorũ auctionem. Qui mercatus aliqua fuerat ordinũ ductor vel mercenariorũ militum præfectus, tormentis & machinis Eumene præbente acceptis expugnabat ea, prædamq; in debitũ stipendium milites partiebantur. Hinc cepit Eumenes iterũ esse charus. Cùm aliquando reperti in castris fuissent libelli, quos duces hostiũ abijciendos passim curauerant, centum talenta & honestum ordinem proponentes ei, qui Eumenem interfecisset: exarsere grauiter Macedones decreueruntq;, vt ex præstantissimis mille essent assiduè corporis eius custodes, stationesq; & excubias vicissim agerẽt. Obtẽperabant illi, lætiq; præmia accipiebant ab eo, quæ à regibus amici. siquidẽ ius Eumeni erat causias purpureas & chlamydes cõferendi: quod habebatur apud Macedonas inter dona regia præcipuum. Porrò secundus quidem fortunæ cursus eleuat vel natura pusillanimorũ spiritus, vt magnificẽtiam & fastum circa se ex rebus despicientes excelsis repræsentent, at verè magnanimus

& constans, cùm titubauit & aspera premitur fortuna, excitans sese magis elucescit, velut Eumenes. Primùm enim in Orcynijs Cappadociæ ab Antigono per proditionem fusus, dum consectantur fugientem, non dedit facultatem proditori, vt ex fuga elaberetur ad hostes: sed arreptum suspendit. Fugiens autem contraria ac illi tenebant, qui eum insequebantur, via inscijs illis conuertit iter: atq; præteritis hostibus, vt ad locum venit, vbi fuerat pugnatum, castra metatus mortuos coaceruatos circumiectorum vicorum diruptis foribus cremauit, seorsum duces, seorsum gregarios milites, excitatisq́; tumulis recepit se: vt Antigonus, qui pòst eò peruenit, stuperet audaciam atque immotum eius animum.

Eumenis asperis in rebus constantia.

Eumenis strategema.

Hinc incidens in Antigoni impedimenta, cùm capere ex facili valeret multa libera capita & magnam vim seruitiorum opumq́; ex tot collectorum bellis & populationibus: veritus est, ne repleti compendio & præda sui euaderent ad fugam ignaui mollioresq́; ad sustinendum errores ac tempus, in quo potissimùm spem collocauerat belli, vt aliò auersurus Antigonum. Sed quia prorsus operosum erat opibus illis sub manu positis retinere Macedonas: iussit, vt corpora curarent & pabulum darent equis, inde hostes adorirentur. Mox in occulto ad Menandrũ super hostium impedimenta positum mittit, quasi de eo pro veteri amicitia & consuetudine esset solicitus, vt muniret se monens, maturaretq́; quamprimùm ex locis equitabilibus & planis se ad proximi montis latus recipere inequitabile, vt cingi non posset. Vt periculum Menander aduertit, & vasis collectis itineri se accinxit: misit Eumenes propalàm speculatores, militibusq́; tanquàm signa moturus in hostem edixit, vt arma caperent, & equos haberent frænatos. Vbi verò renunciauerunt exploratores Menandrum ad loca aspera refugisse, neq; posse opprimi: fingens id molestè ferre abduxit copias. Fama est, cùm hæc testaretur apud Antigonum Menander, atq; Eumenem collaudarent Macedones in partemq́; humaniorem verterent: quòd liberos suos in seruitutem redigere & constuprare vxores cùm posset, abstinuisset & prætermisisset: Atqui ille, dixisse Antigonum, non vestri causa boni viri abstinuit istis: verùm ne tot se pedicis fugientem intricaret. Hinc vagabundus Eumenes & fugitans magnam partem militum induxit, vt facesserent: vel quòd eorum gereret solicitudinem: vel quòd trahere eos secum nollet pauciores quàm ad signa conferenda, & plures quàm ad tegendam fugam suam.

Eumenes obsessus.

Postquàm in Nora arcem ad Lycaoniæ & Cappadociæ positam confinium cum quingentis equitibus & ducentis peditibus refugit: quotquot amici eius missionem postulauerunt, quòd nõ ferrent asperitatem loci vel victus angustias: omnes complexus atq; omni comitate eos prosecutus, missos fecit.

Eumenis cum Antigono colloquium & magnanimitas.

Vt verò admoto exercitu Antigonus, antequàm obsidere Eumenem cœpisset, euocauit eum ad colloquium: respondit multos Antigono amicos esse, & secundum Antigonum duces: illis, quos ipse defenderet, post se reliquum esse neminem. Mitteret igitur, si colloqui secũ cuperet, obsides. Mandante Antigono, ad se sicut superiorem vt veniret: Neminem, inquit, quousq; gladij compos ero, me censeo superiorem. Vbi tamen fratris filium Antigonus Ptolemæum, vt postulauerat Eumenes, misit in arcem: descẽdit, ac complexi inter se consalutauere amicè & familiariter. quippe magnus inter eos vsus & cõsuetudo intercesserat. Multa cùm essent disputata, neq; mentionem Eumenes salutis suæ & veniæ vllam faceret, verùm satrapias quoq; posceret sibi firmari & præmia reddi: obstupuerunt assistentes, admiratiq; sunt & laudauerunt animum eius & fortitudinem: simul cõcursus frequentium Macedonum fiebat videre, qui esset, Eumenem cupientium. De nullo enim post Crateri fata tantus erat in exercitu sermo. Verùm timẽs illi Antigonus, ne qua vis ei inferretur: primùm voce, ne quis accederet, vetuit & lapidibus incessit ingerentes se. Postremò brachijs Eumenem complexus, turbamq́; satellitibus summouẽs ægrè reduxit eum in tutum. Hinc Antigonus circumuallatis Noris & statione relicta inde mouit. Eumenes circumsedebatur & tenebat præsidium. Vbi frumentum quidem & aquæ copia & sal, verùm quod esui esset, vel condimenti aliud nihil suppetebat: ex his tamen, quæ suppeditabant, victum parauit socijs lætum, omnes vicissim ad mensam suã inuitans, conuiuiumq́; lepidis sermonibus & comitate condiens.

Eumenis forma & facundia.

Erat vultu quoq; hilari, non bellatorem & in armis volutatum referens, sed eleganti facie & florida, totoq; corpore concinnatus membris quasi à natura ad eximiam fabrefactis cõpetentiam. Acris quidem nõ erat in dicendo, blandus tamen & alliciens, vt ex epistolis eius conijcias.

Eumenis in obsidione industria.

Quia verò militibus eius per obsidionem præcipuè erat loci angustia infesta exiguis in tectis & loco in ambitu duo stadia patenti versantibus: qui nulla subacti exercitatione cibum capiebant, pabulumq́; obijciebant equis ociosis: quo non solùm languorem illis abstergeret

geret ocio marcescentibus, verumetiam, si ad fugam offerretur opportunitas, planè expeditis vteretur: tectum hominibus, quod in castello erat amplissimum cubitos lõgum quatuordecim, attribuit ad ambulationem, præscribens gradum vt sensim intenderent. Equos singulos magnis loris ad fastigium tecti religatis succinctos ex partibus anterioribus euehebat & leniter per trochleam sustollebat, vt posterioribus pedibus insisterent solo, anteriorũ summis vngulis attingerent id. Ita suspensos assistentes equisones stimulabant clamoribus pariter & flagellis. Illi ardore & ira repleti posterioribus subsiliebant & tripudiabant pedibus, sublimioribus verò prioribus affectantes insistere ac solũ pulsantes totum contendebant corpus, sudoreq́ manabant & suspiria mittebant. Ita nõ male vel ad agilitatem vel ad robur exercitabantur. Hordeum obijciebat his elixum, vt & perficerent id citiùs & concoquerent meliùs. Dum trahitur obsidio, Antigonus allato nuncio decessisse in Macedonia Antipatrum ac res conquassatas ibi esse Cassandri et Polyperchontis dissensionibus, nihil iam sperans mediocre, sed totum imperium animo complectens Macedonicum, intendebat Eumenem conciliare sibi & adiutorem habere ad res gerendas. Qua de causa misit Hieronymum cum eo pacificatum sub certo iuramento, quod correctum Eumenes arbitrio permisit circumsidentium ipsum Macedonum, vtrum æquius foret. Antigonus defunctoriè in capite regum facta mentione reliquum iurisiurandi in verba sua conceperat. Eumenes sacramento principem ascripsit Olympiada cum regibus. Inde iurauit nõ Antigono tantùm, neq; eundem, quem illum, habiturum se hostem & amicum, sed etiam quem Olympiada & reges. Quibus pro verioribus probatis Macedones in id adacto Eumene obsidionem soluerunt, miseruntq́ ad Antigonum, vt ille quoq; Eumeni id sacramentum diceret.

Eumenes obsidione liberatur.

Interea Eumenes quoscunq; in Noris habuerat Cappadocum obsides, reddidit ijs. A recipientibus accepit equos, iumenta, tentoria: conquisiuitq́ milites, qui effusi ex fuga per eam regionem palabantur. Ita equites contraxit paulò minus mille. cum quibus haud ab re timens ab Antigono profugit. Quippe non tantùm mandauit ille, vt eum obsiderent & circumuallarẽt, verumetiam Macedonibus rescripsit amarè, quòd iurisiurandi admisissent correctionẽ. Fugienti Eumeni literæ redduntur ab illis, qui in Macedonia Antigoni incrementũ metuebant, Olympiade orante veniret, et paruũ filium Alexandri susciperet educeretq́ insidijs petitum: Polyperchonte aũt & Philippo rege imperantibus, vt præesset exercitui, qui in Cappadocia erat, ac bellũ cũ Antigono gereret: vtq́ ex pecunia, quæ erat Quindis, quingenta talenta ad res suas reparãdas: ad bellum verò, quanta pecunia vti liberet, eam acciperet.

Eumenes à rege Philippo præficitur exercitui.

De his Antigeni quoq; & Teutamo Argyraspidum præfectis scripserãt. Qui acceptis literis Eumenem verbis benignè exceperunt: sed inuidia atq; æmulatione prodiderunt se rumpi dedignantes illi cõcedere. Inuidiã Eumenes pecunia, quasi ea nõ indigeret, non accepta leniuit. At peruicaciæ eorum & ambitioni, qui neq; imperare scirent, neq; vellent sequi, incussit superstitionem.

Eumenis abstinentia.

Eumenis commentum.

Alexandrum sibi ait per somniũ oblatum fuisse, ac tabernaculum monstrasse regaliter instructum, collocatumq́ in eo solium: inde fatum, si illuc conuenirent & res tractarent, præstò fore se & secundaturum omnia consilia cœptaq́ auspicijs suscepta suis. Facilè hæc persuasit Antigeni & Teutamo: qui nec adire illum sustinebant, & ille dedignabatur assistere aliorum foribus videri. Ita posito regio tabernaculo & solio, quod Alexandro nuncupauerunt, eò conueniebant de summis rerum cõsultantes. Postquàm in superiorem regionem progresis Peucestas, qui amicus erat, cum alijs occurrit satrapis, ac coniunxerunt copias suas: armatorũ numero & apparatus splendore cõfirmauerunt Macedonas. Verùm quia licentia ipsi dissoluti & vita molles euaserant post Alexandri excessum, spiritusq́ tyrannicos & barbarica alitos arrogantia in vnum contulerunt: erant inter se mutuò superciliosi & discordes, Macedonibus aũt effusè adulando, in cœnasq́ ac sacrificia profundendo reddiderunt breui commessabundæ popinationis castra diuersorium atq; sicut in populari republ. turbam, quæ allicitur ad legendos duces blandimentis. Vt aduertit Eumenes ipsos inter se despicere, se verò timere & captare tempus ad necandum: simulauit sibi argento opus esse, atq; ab illis, qui erant sibi infestissimi, sumpsit mutuò grandem pecuniam: quò & crederent sibi & manus abstinerent de credita pecunia soliciti. Ita factum est, vt corporis custodes opes haberet alienas. Et cùm alij ad salutem consequendam dent, securitatẽ comparauit sibi accipiendo.

Eumenis calliditas vt periculũ euaderet.

At Macedones tantisper dum metus abfuit, dantibus venditabant se, atq; illorum ianuas celebrabãt, eosq́ stipabant imperare affectantes. At vbi Antigonus magno cum exercitu prope eos cõsedit, atq; res ipsa vocem emittens verum po-

Eumenis cum Antigoni copijs, pugna & victoria.

stulauit ducem: Eumenem nō modò turba militaris respexit, sed & quisq; illorum in pace & luxu magnorum manus dans præbuit se illi obsequentem in eo, quem cuique assignaret ordine. Etenim Pasitigrim amnem aggressum transmittere Antigonum cæteri, qui in stationibus erant, ne senserunt quidem. Solus excepit eum Eumenes, signisq; collatis multos occidit de militibus eius, & flumen cadaueribus compleuit: cepit quatuor millia. Præcipuè ostenderunt Macedones, cùm esset valetudinis infirmitate correptus, ita se existimare, comessationes & tempestiua conuiuia reliquos apparare splendidè, imperare & belligerare vnum illum nosse. Quippe Peucestas, qui in Perside illis magnificum epulum præbuerat, & viritim diuiserat ouem ad sacra facienda, promittebat sibi primatum. Mox motis in hostem signis Eumenes fortè ex ancipiti morbo extra agmen quietè in lectica ob vigilias ferebatur. Vbi aliquantulum sunt progresi, repentè conspexerunt hostes, qui superatis quibusdam collibus in campum se demittebant. Vt igitur aureorum fulgor armorum ex tumulis agmine incedente instructo aduersus solem micuit, editasq; beluarum turres & purpuras sunt contemplati, qui ornatus in prælium eun tibus solemnis erat: resistentes antesignani vociferabātur: Eumenes vocaretur, gradum se nisi illius ductu non promoturos: defixisq; humi scutis cohortabantur inter se, ne inde se mouerent, & duces vt cōsisterent, neq; sine Eumene committerent pugnam, neu cum hostibus signa conferrent. Eo nunciato Eumenes incitauit lecticarios, currensq; ad eos venit, ac reiectis vtrinq; lecticæ aulæis hilari excelsis vultu protēdit dexteram. Quem vt videre, consalutauerunt ilicò lingua Macedonica, simulq; clypeos sustulerunt, et sarissis concrepantes lætum tulerunt clamorem, prouocantes hostem tanquàm præsentem habentes ducem. Antigonus autem ex captiuis audiens implicitum morbo Eumenem & lectica gestari grauiter affectum, haud magni negocij duxit laborante illo alios obterere. quapropter maturauit acie dimicare. Vt verò hostium instructorum præuectus figuram & ordinem est contemplatus, diu attonitus substitit. Mox lectica cōspecta, quæ ab vno cornu ad alterum circumferebatur, cachinnatus suo more Antigonus ait ad amicos: Hæc nimirum est lectica, quæ infesta nobis stat. Inde agmen ilicò retrò reduxit, ac castra metatus est. At hi, cùm paulisper respirassent, ex integro impulsi factionib. sunt, & ducibus insultantes regionem Gabenorum fermè vniuersam hybernis occupārunt: vt postremorum tabernacula propè mille stadia essent à primis distempta. Quo cognito mouit repentè in illos Antigonus. Iter fecit via laboriosa & sitienti, compendiosa tamen & confragosa, sperans si superuenisset per hyberna disiectis, non facilè iam cōtracturos copias duces. Ingresso regionem vastam venti procellosi cum ingenti gelu, qui fatigauerunt exercitum, iter interpellārunt. Itaq; ad necessarium remedium crebri ignes excitandi fuere. Quod effecit, ne falleret hostes: sed qui in spectantibus desertum montibus pascebāt barbari, pyrarum mirati frequentiam nuncios miserunt dromedis ad Peucestam. Hic nuncij metu prorsus obstupescens, cùm haud secus reliquos videret affectos, fugæ consilium cepit excitaturus milites præsertim qua iter facturi erant. Quibus tumultum Eumenes & timorem absterisit, ostendens inhibiturum se hostium celeritatem: vt diebus tribus, quàm expectarentur, tardiùs essent adfuturi. Sedatis his circummisit nūcios imperās, vt copiæ ex hybernis & cæteri properè conuenirent: simulq; cum alijs ducibus excurrens, & locum facientibus iter per desertum ex edito conspicuum amplexus & dimensus, crebras pyras per interualla, vt in castris fieri solet, præcepit extrui. Quæ vbi administrata sunt, ignibus ex regione montosa Antigoni exercitui apparētibus, dolor Antigonum & mœror inuasit. qui iamdudum existimabat hostes explorato aduentu suo sibi occurrere. Ne igitur fatigatus & confectus ex itinere cum militibus cogeretur alacribus, qui commodè hybernauerant, dimicare: via relicta compendiaria per vicos duxit & oppida reficiens per ocium exercitum. Postquàm verò eum, vt fieri solet collata castra habentibus hostibus, nemo fatigauit, & nunciauerunt finitimi nullum visum exercitum, tantùm crebris ignibus locum collucere: ab Eumene perspexit impositum sibi. Quod grauiter ferens progressus est, constituitq; signis collatis confligere. Interea maxima pars exercitus apud Eumenem coacta prudentiam eius est admirata, ac solius iussit imperium esse. Qua re discruciati & inuidia affecti Argyraspidum præfecti Antigenes & Teutamus tetenderunt ei insidias: contractisq; plerisq; satrapis ac ducibus, quando & qua ratione tollendus Eumenes esset, deliberauerunt. Vbi omnibus visum illius opera abuti ad prælium, secundum id mox eum absumere: Eudamus elephantis præpositus & Phædimus clàm detegunt Eumeni consilium, nulla illi quidem adducti beneuo lentia

Antigoni milites aureis armis tecti.

Antigonus Eumenem contemnit ægrotum.

Eumenis contra Antigonum stratagema.

Virtutis comes, inuidia.

lentia vel officio: verùm vt præuenirent, ne fraudarentur eo, quod huic crediderant, argento. Quibus collaudatis recepit se in tabernaculum suum, & ad amicos in conuentu se præfatus ferarum versari testamentum condidit, literas conscidit & corrupit, ne ipso defuncto ex arcanis his crearentur illis, qui scripserant eas, pericula & calumniæ. His administratis consilium iniuit, victoriam vt hostibus permitteret, vel per Mediam & Armeniam fugam intenderet & inuaderet Cappadociam. Cæterùm nihil præsentibus amicis definiuit. Sed cùm multa animo in rebus aduersis tortuoso versasset: instruxit aciem, Græcosq́; & barbaros acuit, à phalange & Argyraspidibus ipse excitabatur non fore iactantibus, vt hostes ipsos sustinerent. Quippe veteranorum Philippi & Alexandri prouectissimi ætate erāt sicut bellorum inuicti athletæ: qui ad id temporis nusquàm titubauerant, multi annos nati septuaginta, nemo sexaginta minor. Vnde in incursu acclamauerunt ad milites Antigoni: In parentes scelesti peccatis. Atque ardentes impressione facta phalangem profligauerunt totam: quòd nemo substiterit, sed maxima pars fuerit cōcisa. Ea parte Antigonus fusus fugatusq́; est. Equitatu fuit superior, Peucestaq́; segniter & ignauiter certāte omnibus impedimentis est potitus: eùm in discrimine præberet se vigilantem, atq; à loco adiuuaretur. Siquidem vastus erat campus, non profundior, neque rigidus & durus: sed sabulosus & tenuis plenus arenæ vt in littore. Hic tempore pugnæ à tam multorum equorum, tam multorum hominum calcatus cursibus puluerem instar calcis edidit, isq; densauit aëra & prospectum turbauit. Vnde occupauit facilè imprudentibus hostibus Antigonus sarcinas. Perpetrato prælio misit actutùm legatos Teutamus ad impedimenta repetenda. Cùm Antigonus & illa ostenderet se Argyraspidibus restituturum, & cætera habiturū eos benignè, si traderetur sibi Eumenes: consilium Argyraspides abominādum inierunt viui eius hostibus dedendi. Ac primùm nihil suspicantem ex propinquo asseruauerunt, partim amissa lamentantes impedimenta, alij hortātes vt tanquàm victor bono animo esset, alij cæteros duces incusantes: mox impetu in illū facto eripuerunt ei ensem, & zona manus post tergū illigauerunt. Postquàm Nicanor est ab Antigono ad eum accipiendum missus: petijt, vt per medios Macedonas ducerent se, copiamq́; darent eos alloquendi: non ad supplicandum vel deprecandum, sed quasi de commodis eorum esset dicturus. Facto silentio stans loco edito & manus vinctas protendens: Quod, inquit, Macedonum teterrimi optasset trophæum Antigonus de vobis erigere, vt vos de vobis ipsi excitauistis, ducem vestrum dedentes captiuum? Quid verò, annon turpe erat victoribus fateri sarcinarū causa vos victos: quasi verò in pecunia non in armis posita victoria sit: nisi ducem vestrū insuper redimendorum mercedem impedimentorum mitteretis? Ego igitur inuictus ducor, hostium victor, proditus à socijs. Vos verò per Iouem Imperatorem et deos sacramenti arbitros me hîc ipsi interficite. Omnino enim, cùm illic interficiar, vestrum id erit factum. Nec quicquam queretur Antigonus, qui mortuum quærit nō viuū Eumenem. Sin manibus parcitis vestris, vna manus soluta mea rem perpetrauerit. Quòd si mihi gladium non creditis, obijcite vinctum beluis. Id vbi feceritis, ego vos, quasi viri sanctissimi & rectissimi in ducem vestrum fueritis, omni de me soluo vltione. Dum ira fatur Eumenes, cætera multitudo angore premebatur collachrymabaturq́;. At Argyraspides vociferabantur, ducerent eum nec aures præberēt nuganti: neq; esse indignū, si Chersonnesitis pestis, qui infinitis bellis attriuerat Macedonas, lugeat: sed si Philippi & Alexādri militū fortissimi tot exantlatis laboribus in senio defraudarētur præmijs, cibumq́; petituri ab alijs essent: quorū coniuges tertiā iam noctem cum hostibus concubuissent. Simul properantiùs eum rapuerunt. At Antigonus turbam metuens (Nemo enim remanserat in castris) elephantos decē valentissimos castris educi iussit frequentesq́; lancearios Medos et Parthyæos ad summouendum multitudinem. Inde ob superiorem necessitudinē & familiaritatem nō sustinuit, vt in conspectum suum veniret Eumenes. Cùm quærerent autem, quibus traditus fuerat, quemadmodū eum custodirent: Ita, inquit, vt elephātum, vt leonē. Paulatim verò ad misericordiā flexus catenas grauiores ei præcepit detrahi, & puerum ex familia eius ad eum admitti, vt vngeretur: permisitq́; amicis, qui vellent, vt eum adirent & ferrent necessaria. Dum de eo per plures dies consulit, admittebat orationes & sponsiones Nearchi Cretensis & filij Demetrij, qui cōseruare studebant Eumenem. Verùm cæteri fere omnes intercedebant suadebantq́; de medio tollendum. Fertur Eumenes ex Onomarcho, qui custodiebat eum, rogasse: quid tandē Antigonus nō in inimicum & hostem, quē in potestate habeat, aut citò interficeret, aut generosè dimitteret?

Eumenes amicorum literas ne eis obsint, corrumpit.

Eumenis conflictus cum Antigono.

Argyraspide, milites Alexandri, à scutis argenteis appellati: à quibus Eumenes est proditus.

Eumenis ad milites suos proditores, oratio.

Iustinus lib. 14.

Antigoni de custodiendo Eumene capto, responsum.

Eumenis magnanimitas.

Cui Onomarchus cùm respondisset contumeliosè: Non in præsentia, sed in prælio debuisse ipsum ad mortem esse imperterritũ: Etiam hercle, dixisse Eumenes, tunc fui. Percunctare illos, qui mecum sunt cõgressi. Verùm in neminem incidi, me qui esset fortior. Cui Onomarchus: Ergo quandoquidẽ nunc reperisti fortiorẽ, quin tempora eius expectas?

Eumenis mors.

Vt igitur statuit Eumenem Antigonus tollere, imperauit cibum ei detrahi: atq; ita duos vel tres dies inedia morti admouebatur. Cùm essent autẽ repentè castra mouẽda, missus intrò quidam trucidauit eum. Corpus cõcessit amicis eius Antigonus & cremare permisit,

Eumenis reliquiæ.

reliquiasq; in vrnam conditas argenteam referre ad vxorem & liberos eius. Ad hunc modũ sublato Eumene nemini alteri deus pœnas de illis, qui eum prodiderant, ducibus & militibus delegauit sumendam: sed ipse vt impios & immanes abominatus

Antigonus Eumenis proditores tolli iubet.

Antigonus Argyraspidas, tradidit eos Ibyrtio Arachosię procuratori omnibus modis atterendos cõficiendosq;: nequis eorum in Macedoniam rediret, vel mare Græcum aspiceret.

Sertorius.

Sertorij genus & institutio.



. SERTORIVS non obscurissimis natalibus ex Sabinis oppido Nursia ortus fuit. A' matre vidua patre orbus honestè eductus genitricem dilexit mirificè. Nomen matris Rheam dicunt. In causis dicendis satis fuit versatus, collegeratq; adolescens nõnullas ex dicendi facultate opes. Verùm ornamenta eius militaria & præclara facta eo animũ deflexere. Prima stipẽdia, cùm Cimbri & Theutoni impressionẽ fecissent in Galliam, sub Cepione faciẽs, cùm essent Romani fusi fugatiq;, equo amisso ac conciso vulneribus corpore Rhodanũ transmisit cum ipsa lorica & scuto aduersis ingentibus vndis natans.

Sertorij sub Mario militia.

Adeo erat robusto corpore & subacto exercitatione. Incumbentibus iterũ illis infinita multitudine & terribilibus minis, vt magni operis esset militẽ Romanũ tunc vllum ordines tenere & dicto audientẽ esse duci, (dux Marius erat) Sertorius suscepit ire speculatum hostes. Vestitu amictus Gallico, & maximè communia linguæ ad congressum ex tẽpore doctus miscuit se barbaris. Vbi præcipuè necessaria partim cõtemplatus est, partim accepit auribus: ad Mariũ est regressus. Cuius rei causa donis militaribus est honoratus. Per reliquũ belli multa prudentiæ, multa audacię edidit opera. Vnde nomen & fidem apud imperatorẽ meruit.

Sertorius sub Didio tribunus in Hispania.

Bello profligato Cimbrico & Theutonico tribunus militum in Hispaniã sub Didio prętore missus hybernauit in vrbe Celtiberorũ Castulone. Cùm verò milites in abundantia rerũ petulantes & ferè mero profligatos cõtemnerent barbari, auxiliũ implorauerunt à vicinis Gyrisænis, factoq; per domos impetu interfecerunt eos.

Sertorij strategema.

Ibi Sertorius cum paucis oppido elapsus cõtractis ijs, qui euaserant, circulauit mœnia: et qua porta fuerãt barbari furtim ingressi, cùm patentẽ eam reperisset, nõ idẽ ac illi fecit: verùm statione apposita, atq; occupata omni ex parte vrbe omnes puberes occidit. Quibus cõtrucidatis imperat militibus, vt armis et vestibus suis positis et barbarorum sumptis pergant ad vrbẽ illã, ex qua fuerãt missi, qui nocte oppresserant ipsos. Ludificatis armorũ specie barbaris offendit portas patentes, & multos mortales cepit, qui amicis & ciuibus re bene gesta arbitrabantur procedere obuiàm. Vnde multi sunt à Romanis circa portas cõtrucidati. Reliqui deditione facta sub corona veniêre. Hinc Sertorij ingẽs in Hispania nomẽ fuit.

Sertorius quæstor Galliæ circumpadanæ.

Vt primùm est ad vrbẽ reuersus, quæstor Galliæ circũpadanæ in tẽpore creatur. Nam bello exardescente Marsico iussus delectũ habere & arma parare, studio & festinatione rei adhibita præter cæterorũ iuuenũ lentitudinẽ & mollitiã peperit sibi viri impigri opinionẽ. Atqui nõ decessit de militari audacia, vbi ad dignitatẽ aspirauit ducis: sed & manu præclara opera edidit, corporiq; in certaminibus minùs parcendo

Sertorius alterũ oculũ amisit.

alterũ oculũ, qui fuit ei erutus, amisit. ob quod etiã gloriabatur perpetuò, alios nõ semper strenuitatis circũferre secũ testimonia, sed deponere torques, hastas, coronas: sibi fortitudinis insignia permanere, quando eosdẽ virtutis suæ & calamitatis habeat spectatores. Habuit etiã ei populus meritũ honorẽ. Nam ingredientẽ theatrũ plausu excepit & lætis acclamationibus: quod quidẽ nõ temerè vel honoribus & ætate prouectis deferebat. Tribunatũ plebis tamẽ cùm peteret, tulit per Syllanã factionem repulsam. Quare Syllæ fuisse videtũ infensus. Postquàm à Sylla Marius victus fugã cepit, &

Sylla

Sylla ad bellum Mithridaticum eſt profectus, conſules autem, Octauius in Syllanis partibus perſtitit, Cinna verò res nouas moliens labētem inſtaurauit Marij factionem, huic ſe aſſociauit Sertorius: pręſertim quòd conſideraret cùm ipſum languidiorem Octauiū, tum Marij amicis diffidentem.

Sertorius adiungit ſe Cinnæ.

Commiſſa à conſulibus in foro acri pugna tulit Octauius victoriam. Cinna & Sertorius amiſsis non multò minus decem millibus in fugam ſe proiecere. Cùm verò milites per Italiam adhuc eſſent diſperſi, pleriſꝙ beneuolentia aſſcitis breui pares euaſerunt Octauio. Ibi Mario ex Africa aduecto & Cinnæ ſe vt priuatum conſuli aggregare volenti, cùm cæteri recipiendum conſulerent, diſſuaſit Sertorius: vel quòd minus ſibi Cinnam exiſtimaret viro pręſente pręcellentiore tribuiturum, vel quòd amarulentiam vereretur Marij, ne omnia miſceret, impotenti ira modum in victoria prætergrediens.

Sertorius diſſuadet Cinnæ Marium recipere.

Docuit autem parū operis ipſis iam ſuperioribus reſtare. Quòd ſi Marium admitterent, vniuerſum illum gloriæ & potentiæ laturū fructum: qui in imperij conſortio difficilis eſſet & infidus. Cui cùm Cinna diceret, rectè ipſum reputare: ſed erubeſcere ſe & hærere, quemadmodum Marium, quem ipſe ad ſocietatem accerſiuiſſet belli, repelleret: reſpondit Sertorius: Atqui ego, quòd Marium arbitrarer vltrò veniſſe in Italiam, id quod expediat, reſpiciebam. Te verò nec ab initio ponere decebat in deliberationem, poſtquàm venit, quem acciuiſti ipſe: verùm recipere eum atꝙ vti, neꝙ debebat vllum conſultationi dare fides locum. Ita accerſiuit Marium Cinna, partitiſꝙ copijs tres illi duces fuere. Bello perpetrato cùm Cinna & Marius nullum non exemplum inſolentiæ & crudelitatis ederent, oſtenderentꝙ rem auteā populo Romano belli mala eſſe: ſolus dicitur Sertorius neminem per iram occidiſſe, neꝙ fuiſſe in victoria inſolēs: imò infenſus Mario Cinnam priuatim appellaſſe oraſſeꝙ, vt moderatiorē ſe præberet.

Sertorij moderatio.

Seruis deniꝙ, quos Marius in bello ſocios & dominatus habebat ſatellites, validoſꝙ atꝙ opulentos effecerat, partim illius permiſsione & iuſſu, partim vi dominos opprimentibus, cùm ipſos iugularēt, dominas violarent, liberos eorum ſtuprarent: rem intolerandam Sertorius cenſens, omnes caſtra eodem in loco metatos non intra quatuor millia, iaculis confixit.

Sertorius Marij ſatellites occidit.

Vt deceſsit Marius, Cinna breui pòſt interemptus eſt, Marius iunior illo inuito cepit contra leges conſulatum: Carbo autem, Norbanus, Scipio poſt aduentum Syllæ ſecus cum eo gerebant res: quæ partim timiditate & ignauia ducum dilabebantur, partim labefactabantur à proditoribus: neꝙ ferre ipſe opem ſua præſentia valebat rebus labaſcentibus, quòd minus rectè conſulerent illi, qui plus poterant: caſtra deniꝙ Sylla Scipioni contulit, blandiendoꝙ & ſimulanda pace infecit exercitum eius: nec cùm hæc prædiceret doceretꝙ Scipionem Sertorius, auditus fuit: ſpe ſemel abiecta ſeruandę vrbis contendit in Hiſpaniam: quò, ſi eam obtinerer prouinciam, refugiū amicis foret in Italia oppreſsis.

Sertorius confert ſe in Hiſpaniam.

Cùm crebris tempeſtatibus iactaretur, exigebāt ab eo in locis montoſis barbari vectigal ac mercedem tranſitus. Indignantibus comitibus eius & fœdum eſſe dictitantibus proconſulem Romanum tributum ſceleſtis barbaris pendere: floccipendēs id, quod in ſpecie erat turpe: & tempus ſe, quo nihil ſit viro grandia affectanti carius, redimere ferens barbaros argento conciliauit, & Hiſpaniam maturauit occupare. Cùm gentes offendiſſet multitudine & iuuentute florentes: ob auaritiam autem & iniurias magiſtratuum, qui quotannis eam in prouinciam mitterētur, planè alienas ab imperio Romano: primores comitate, tributorum remiſsione leniuit plebem. Imprimis verò grata fuit eis hoſpitiorum prębendorum ſublata neceſsitas. ſiquidem milites hybernacula in ſuburbijs coëgit conſtituere, ac tabernaculum ſuum ipſe ibi princeps locauit.

Sertorij in Hiſpanos benignitas.

Nec in barbarorum tamen beneuolentia poſuit omnia: ſed ciuiū Romanorum, qui ſedes eò tranſtulerant, armauit iuuentutem, machinaſꝙ cuiuſꝙ generis & naues fabricare inſtitit. Atꝙ ita in poteſtate retinuit vrbes, in pacis negocijs placidū ſe, ſed terribilem præbens in apparatu hoſtibus. Poſtquàm Syllam allatum eſt potiri vrbe, Marij autem & Carbonis peſſum ire partes: haudquaquam dubitans, quin ad debellandum ſe ilicò eſſet exercitus cum duce adfuturus: ſaltum Pyrenæum per Iuliū Salinatorem ſex millibus armatorum obſepit. Nec multo pòſt mittitur à Sylla C. Annius. qui cùm Iulium videret inexpugnabilem, ad dorſa montium inops conſilij conſedit. Verùm quia Calpurnius quidā Lanarius cognomine Iulium per inſidias obtruncauit: iuga Pyrenæa à militibus deſerta ſuperauit Annius, magnamꝙ manum ſecum trahens obſiſtentes pepulit. Quare impar viribus Sertorius refugit cum tribus millibus militum Carthaginem nouam. Ibi conſcendit, traiectoque pelago in Africam eſt ad Mauritaniam delatus. Milites incautè aquantes barbaris adortis cùm multos amiſiſſet, in Hi-

Sertorius fugit in Africam ex Hiſpania.

ſpaniam retrò vela fecit. qua cùm arceretur, adiunctis ſibi nauibus piraticis ex Cilicia, decurrit ad inſulã Pityuſam, expoſitisq; militibus præſidiũ Annij oppreſsit. Mox Annius magna claſſe & legionariorũ quinq; millib. adfuit: qui cum prçliũ nauale Sertorius inſtitit cõmittere, quãuis leues haberet atq; ad agilitatẽ, nõ ad robur fabricatas naues. At quia ſalum vehemẽte Zephyro intumuit, nauesq; Sertorij cõplures ob leuitatẽ in littus ſcopuloſum expulit obliquas: ipſe paucis nauibus, cùm mari per tẽpeſtatẽ & per hoſtes ſummoueretur terra, dies decẽ cum aduerſis fluctibus & ſæua luctatus tempeſtate magno labore ſuſtinuit. Vbi ciciderunt venti, delatus in inſulas quaſdã eſt diſperſas, ſitientes, vbi cõmoratus eſt. Ex quibus ſoluens tranſmiſſoq; freto Gaditano dextrorſum flectens ad eam Hiſpaniæ orã, quæ expoſita Oceano eſt, applicat paulò ſupra oſtia Betis: qui in Oceanũ Atlanticũ ſe exonerans circumiectæ Hiſpaniæ nomẽ dedit. Hic nautæ quidã cõueniunt eum modò ex inſulis Atlanticis aduecti. Sunt hæ duæ perangusto diuulſæ freto, & diſtant ab Africa duodecies centena millia paſſuũ, Fortunatæ appellantur. Imbres habent moderatos, ſed raros, plerumq; molles ventos & rorantes. Vnde ſolum bonũ eſt & vber non ſementi modò & plantis, ſed & ſua ſponte profundit fructũ: q copia & ſuauitate populũ alere ocioſum abundè citra laborẽ hominũ & fatigationẽ valeat. Cœlũ ambit has inſulas temporũ moderatione & viciſsitudinis mediocritate lene. Nã qui ex hac plaga illuc perflant Boreæ & ſubſolani propter tantũ interualli in locum delati vaſtũ diſsipantur, & antequã eò perferãtur, vim ſuã amittunt. Qui circunfunduntur marini Cauri atq; Zephyri lentas pluuias ex pelago & raras afferentes, ſæpiùs autẽ humentibus ſerenitatibus refrigerantes alunt leniter. Vnde fides vſq; ad barbaros perlata firma eſt campos Elyſios eo loco & beatorũ ſedes, quas decantauit Homerus, eſſe. Quibus intellectis mirifico deſiderio Sertorius captus eſt illas inſulas incolendi atq; in quiete viuendi dominatu & bellis omnibus explicatus. Id vbi ſenſerunt Cilices, qui nõ quærebant pacem vel ocium, ſed pecuniam & prçdam: abnauigauerunt in Africam, vt Aſcalim Iphthæ filiũ in regnũ Mauritaniæ reducerent. Haud ſuccubuit tamen Sertorius, verùm hoſtibus Aſcalis ſtatuit ſuccurrere: vt milites ſui nouæ ſpei oblata occaſione & terũ materia aliarũ ne inopia diſsiparentur. Cùm eſſet Mauris aduẽtus eius gratus, operi manum admouit, victumq; prælio circũſedit Aſcalim. Paccianũ à Sylla cum exercitu miſſum Aſcali ſubſidio occidit Sertorius in acie, victorq; copias Pacciani ſibi adiũxit: oppidumq; Tingi, quò cõfugerat cum fratribus Aſcalis, expugnauit. Ibi Antæũ tradunt Afri conditũ, eiusq; tumulũ eruit Sertorius non habita barbaris fide ob magnitudinẽ. Vt corpus offendit ſexaginta cubitos, vt fama eſt, longũ: cæſis victimis tumulum adaggerauit, honoresq; & famam eius amplificauit. Fabulantur Tingites, Antæo defuncto vxorem eius Tingen concubuiſſe cum Hercule, ex quibus editum Sophacem regnum ea in regione obtinuiſſe, atque oppido matris indidiſſe nomen. Sophacis Diodorum filium fuiſſe, cui paruẽre complures Africæ vrbes, exercitumq; habuit Græcorum ex Olbianis & Mycenæis, quos illic collocauerat Hercules. Cæterùm hæc in Iubæ gratiam dicta ſint regum omniũ hiſtorici præſtantiſsimi. Illius enim maiores Diodori & Sophacis tradunt poſteros fuiſſe. At Sertorius omnia in poteſtate tenens, ſupplices & eos, qui ſe permittebant ipſius fidei, non violauit: imo bona, vrbes, adminiſtrationem illis reddidit, neceſſaria tantùm accepit ab vltrò dantibus. Deliberantem, quò ſe verteret inde, Luſitani per legatos ad ſuſcipiendum imperium acciuere. Quærebant enim omninò hi cõtra Romanorum terrorem inſigni ducem authoritate & rerum vſu præditum: ſed vni ei fidebant, quòd ab illis, qui habuerant cum eo conſuetudinem, mores eius didiciſſent. Perhibetur Sertorius neq; lætitiæ neq; timori patuiſſe, fuiſſe natura in periculis imperterritus, & ſecundam fortunam moderatè tuliſſe, ad dimicandum ſignis collatis nemine ſui temporis ducum timidior: vbi verò in bello quid præripiendum eſſet ex occulto, aut præoccupanda loca munita, aut tranſeundum cum celeritate aut cum dolo & impoſtura, artifex in loco aſtutiſsimus. In tribuendis ob præclara facta honoribus prolixus extitit, & in ſupplicijs ob delicta exigendis moderatus: quamuis in calce vitæ exemplum, quod edidit in obſides immanitatis & ſæuitiæ, ingeniũ dicas aperuiſſe eius nõ lene, ſed refrænatum ob neceſsitatẽ ratione. Mihi verò ſyncerã virtutem atq; conſilio firmatam nulla vnquam fortuna videatur deflectere in contrariũ poſſe. Alioquin probos animos & ingenia magnis calamitatibus afflicta indignè, haud mirũ ſit inuertere cum caſu mores. quod accidiſſe exiſtimo Sertorio, & deſtituẽte cũ fortuna rebus exacerbatũ euaſiſſe aduerſus perfidos tetrũ. At tunc euocãtibus eũ Luſitanis deceſsit ex Africa, ac dux cum libera

Inſulæ fortunatæ.

Campi Elyſij.

Sertorius occidit Paccianum.

Antæi ſepulchrum et magnitudo.

Tingi vrbs.

Iubæ regis genus.

Sertorius accitur à Luſitanis dux.

Sertorij mores.

Virtutis cõſtantia.

libera poteſtate delectum eorum habuit, finitimam Hiſpaniam ſubegit, pleriſq; præſertim ob placidos eius mores ſtrenuitatem'que ſe ei coniungentibus: quædam etiam ipſe eſt vafrè ad impoſturam & illecebras commentatus. Primum autem omnium illud de ceruа, quod huiuſcemodi erat: Spanus vir popularis ex ijs, qui degebant ruri, incidens in ceruam, quæ recens pepererat & venatorem fugiebat, non eſt illam aſſecutus: ſed hinnulum coloris raritate obſtupefactus (totus enim erat candidus) inſecutus cepit. Agebat fortè illis in locis Sertorius. Cui, cùm quicquid ſibi ex venatione aut ex agri fœtibus offerretur muneris, exciperet comiter, & benignè remuneraret ſe colentes, donauit ille hinnulum: & accepit eum Sertorius. Fuit hic ei primùm modicè gratus. quem cùm tempore cicuraſſet & domaſſet adeo, vt audiret vocantem, & pergentem aliquò ſequeretur, turbamq; & ſtrepitum omnem ferret caſtrenſem: traxit rem paulatim in religionem, donum Dianæ ceruam ferens, multaq; arcana iactabat ab ea ſe edoceri. Quippe barbaros ſciebat natura in ſuperſtitionem eſſe procliues. Attexebat ille inſuper talia. Cùm incurriſſe hoſtes occultè reſciuiſſet aliquò in prouinciam ſuam, aut oppidum ad defectionem ſolicitaſſe: ceruam fingebat ſe in ſomnis allocutam monuiſſe, vt paratas haberet copias. Aliàs intellecta legatorum ſuorum victoria nuncium abſcondebat, ac ceruam producebat ob fauſtum nuncium coronatam, gratulari iubens & dijs honorem habere: quòd breui aliquid eſſent auditurі boni. Ita manſuefactis vſus eſt vbique obſequentioribus: quòd arbitrarentur non ab hominis ſe conſilijs peregrini, ſed regi à deo. Quod confirmabant res ipſæ ſtupendo virium incremento. Siquidem duobus millibus ſexcentis, quos nominabat Romanos: collectitijs Afris ſeptingentis, qui eum ſunt in Luſitaniam ſecuti: cetratorum Luſitanorum quatuor millibus adiunctis & equitibus ſeptingentis bellum geſsit cum quatuor Romanis imperatoribus: qui ſub ſignis habebant centum viginti millia peditum, ſex millia equitum, ſagittariorum & funditorum duo millia: cum vrbibus innumerabilibus, cùm viginti ſolùm in vniuerſum ipſe initiò teneret. Attamen viribus tam auſpicatus infirmis & exiguis non modò magnas gentes domuit, & vrbes multas redegit in poteſtatem: verumetiam ex aduerſarum partium ducibus Cottam in freto apud Mellariam pugna nauali contudit: Aufidium, qui Beticam cum imperio obtinebat, fudit fugauit'que cæſis duobus millibus Romanorum: Domitium & L. Manlium alterius Hiſpaniæ proconſulem per quæſtorem ſuum ſuperauit, Thoranium Metelli legatum cum exercitu oppreſsit. Ipſum Metellum ſummum illius memoriæ virum & clariſsimum non paucis implicatum offenſionibus ad eas redegit anguſtias, vt L. Lollius è Gallia Narbonenſi cogeretur ſuppetias ei venire, ac Pompeius Magnus illuc cum exercitu ab vrbe properè mitteretur. Neq; enim expedire Metellus poterat, qua ratione bellum gereret cum homine audace qui omni ſe explicaret aperta pugna, atq; in omnem ſpeciem verteret expedito & leui Hiſpano milite: cùm ipſe in ſtatarijs eſſet & legitimis pugnis verſatus, grauiſq; & ſtabilis dux agminis. quòd impellere cōferentes ſigna hoſtes ac proſternere optimè didiciſſet: mōtes verò ſcandere & tergis inhærere inceſſanter fugiētium hominum pernicium, famem tolerare, viuere ſine pane & tentorijs vt illi non valeret. Adhæc erat ipſe iam grauior annis, ſeq; ex multis & magnis certaminibus ad remiſſam tranſtulerat & delicatam vitam. Cum Sertorio autem committebatur viuidorum pleno ſpirituum, cui mirificè præparatum corpus erat robore, agilitate, ſobrietate. Vinolentiæ verò ne per ocium quidem ſe dedebat. Ingentes labores, prolixa itinera, perpetuas vigilias anguſto & vili cōtentus victu aſſueuerat perferre. Aſsiduè vagans & venans, vbi per ocium liceret, quemadmodum eludendus fugienti ſibi, quemadmodum cingendus inſectanti hoſtis eſſet, locorumq; auiorum & patentium comparauerat experimentū. Quapropter Metello non facta pugnandi copia, quicquid victi patiuntur incommodi, inferebatur: Sertorius verò cōmoda in fugiendo habebat inſectantium. Aquationibus enim arcebat eum, frumentationibus prohibebat, progrediēti obſiſtebat, infeſtabat ſedentem, obſidenti alios imminēs inuicē obſidebat eū cōmeatus inopia: vt milites fatiſcerēt, & Sertorio Metellū, vt cōgrederetur vnus ſecū, prouocante occlamarēt iuberentq;: Dux cū duce, Romanus cum Romano vt cōgrederetur, probriſq; proſcinderēt detrectantē. quos meritò deriſit Metellus. Ducis enim, vt ait Theophraſtus, ob eunda mors duci eſt, nō gregarij militis. Aduertēs aūt Lagobritas, qui nō parū præſidij Sertorio ferebāt, facilè capi ſiti poſſe (Nā vnicus in vrbe erat puteus. Riuuli aūt & fontes, qui in ſuburbijs extabāt & ſub mœnibus, in poteſtate futuri erant obſidentis) ad

Valer. Max. lib. 1. cap. 3.

Sertorij cōmentum de ceruа.

Sertorij & Romanorū ex aduerſo copiæ.

Sertorij victoriæ.

Sertorij militares virtutes.

Sertorius Metellum apud Lagobritas eludit.

ad oppidum mouit biduo sperans se capturum aquæ penuria vrbem. Quare edictum fuerat militibus, vt quinq; tandem dierum cibaria secum ferrent. At Sertorius huic rei prouidere maturans bis mille vtres aqua iubet impleri magno præmio in singulos vtres pronunciato. Quod frequentes Hispani, frequentes item Mauri suscipiunt: ex quibus delectos viros valentes pariter & pernices mittit per montana, edicitq; ijs, vbi tradiderint vtres illis, qui tenent vrbem, inutilem turbam vt educant: quò potus affatim sit oppidi defensoribus. Quam rem Metellus, vt fuit ad se delata, molestè tulit: quòd deficerent iam necessaria milites. Itaque Aquinum cum sex millibus militum frumentatũ mittit. Id sentiens Sertorius, insidet viam occultè, atque in redeuntem Aquinum tria millia militum ex nemoroso torrentis alueo immittit. Ipse in frontem incurrens profligat eos, partem occidit, partem capit. Metellus Aquino recepto, qui cum armis equum amiserat, fœdè soluit obsidionem multis cõuitijs ab Hispanis laceratus. Hinc Sertorium habebant in admiratione & amore prosequebantur barbari: præterea quòd Romanis armis, ordinibus, signis, detrahens ipsis speciem virium insanam & beluinã, pro magna latronum manu in formam exercitus redegisset copias suas. Iam argento affatim præbito & auro galeas eorum exornauit, & scuta varijs distinxit ornamentis, chlamydesq; pictas & tunicas vsurpare eos docens, atque in id suppeditans & seruiens illorum gloriæ influebat in eorum animos. Præcipuè cepit eos puerorum disciplina. Nam ex parentibus sibi gentibus nobilissimos Oscam amplam vrbem contraxit, ijsq; doctores præfecit literarum Græcarum & Latinarum. Ita illos reuera obsides habebat, verbo erudiebat: ostendens, vbi creuissent, ciuitate Romana eos donaturum se atq; ad honores prouecturum. Quorum genitores delectabantur, quòd filios conspicerent prætextatos, decorè ad ludum literarium commeantes, pendentem pro his salarium Sertorium, crebrò sumentem specimen, præmiaq; meritis tribuentem, & aureas bullas donantem. Erat autem in Hispania mos, vt cohors prætoria vnà cum cadente imperatore mortem obiret: quod vocabant illius regionis barbari, deuotionem. Cæteros imperatores pauci stipatores & amici, Sertorium multa millia mortalium, qui sese deuouerant cum eo morituros, sequebantur. Fama est, cùm prope oppidum quoddam essent fusi, instantibus hostibus sui immemores Hispanos, vt Sertorium seruarent, elaborasse: humerisq; eum sustollentes alios præ alijs extulisse in murũ. Collocato iam in tuto imperatore tum deniq; fugæ quemque consuluisse. Neque Hispanis tantùm acceptus fuit, verumetiam militibus Italicis. Quippe cùm M. Perpenna, qui partium Sertorij erat, in Hispaniam cum vi magna pecuniæ atque ingenti manu aduenisset, ac bellum statuisset cum Metello per se gerere: frendebant milites, multusq; erat in ore militum Sertorius: quod quidem Perpennam nobilitate inflatum & opibus mordebat. Vbi Pompeium tandem allatum est saltum Pyrenæum transcendere, milites captis armis & signis legionum sublatis obstrepuerunt Perpennæ, iubentes vt ad Sertorium duceret: sin minus, relicturos ipsum atq; ad Sertorium, qui & se & alios seruare nosset, denunciarunt se profecturos. Quorum postulatis cedens castra Perpenna mouit, & Sertorio se cum quinquaginta tribus cohortibus coniunxit. Sertorius autem, cùm cuncti propè citra Iberum Hispani transirent ad partes eius, numero quidem ingens erat. siquidem confluebant coaceruabanturq; ad eum vndiq;: verùm confusione barbarica & ferocia clamantiũ, adoriretur hostes, & moram non ferentium commotus studebat eos verbis placare. Vt verò frementes vidit & importunè instantes; conniuit permisitq;, signa vt conferrent cum hostibus: vbi non semel oppressos, sed castigatos sperauit in posterum magis dicto sibi audientes fore. Cùm res, vt coniecerat, cecidisset: subuenit eis, effusosq; collegit, ac reduxit saluos in castra. Quibus vt detraheret perplexitatem, concione aduocata totius exercitus duos equos introduxit, infirmum prorsus alterum & annis iam confectum, alterum ingentem & validum caudęq; densitate & pulchritudine setarum insignem. Assistebat infirmo vir ingẽs & robustus, valenti alter pusillus & nulla specie roboris. Signo his dato fortis ille caudã pariter ambabus manibus quasi euulsurus eam ad se magna traxit vi: Imbecillus minutim carpsit eam. Cùm ille ingenti labore nequicquam confecisset se, excitatoq; magno spectatorũ risu fatigatus esset: Imbecillus verò breui spacio citra negociũ denudasset caudã fortis equi setis: exurgẽs Sertorius: Cernitis'ne, inquit, socij perseuerãtia plus effici quàm violentia: multaq;, quæ simul opprimi nequeunt, atteri paulatim? Intolerabilis vis est perennitatis, qua omnes insequens tempus euertit & conficit vires, placideq; assistit his, qui consilio eius operiuntur opportunitatem. At intempestiuè vrgentibus

Sertorius Aquinum fundit.

Sertorius Hispanos instituit Romano more.

Deuotio Hispanorũ, & in Sertorium amor.

Perpenna coniungit se Sertorio.

Sertorij cõmentũ, quo docuit, quanta vis esset perseuerantiæ. Val. Max. lib. 7. cap. 3.

bus

bus est inimicissimum. Talia contexens Sertorius indies barbaris solamina accommodabat se temporum articulis. Quod verò aduersus Characitanos gessit, nulli concessit bellico eius facto. Populus est flumini Tago impositus. Non oppida incolunt nec vicos, sed ingens est collis & excelsus, antra specusq́ in petris Aquiloni obiecta obtinens. Subiectus ager omnis limum argillosum & solum habet ob fungositatem friabile: quod nec ingredientes sustinere valeat, & si paululum contrectetur, calcis viuæ vel cineris modo late dispergatur. Igitur quia barbari, quoties belli metu in illas speluncas se abdentes præda eò congesta conquiescerent, ab omni erant vi tuti: & Sertorium tunc à Metello semotum & considentem circa eum collem vt victum despiciebant: siue ira exarsit, siue ne fugere videretur: primo diluculo aduectus eò & contemplatus est locū. Qui cùm nulla parte præberet accessum: nequicquam huc illuc se ferens animo languido atque inanibus vtens minis, vim pulueris videt à vento in illos ex terra sustolli. Speluncæ enim in Septentrionem, vt dixi, sunt obuersæ. Qui verò ex Septentrionibus spirat ventus, quem Cæciā aliqui nominant, dominatur maximè & frequentissimus inter ventos illic est: qui ex vliginosis campis & niuosis collectus montibus afflat. Ac tunc adulta æstate inualescens, Septentrionaliq́ colliquescente coalescens glacie gratissimus aspirabat, illosq́ & armenta eorum interdiu refocillabat. Id Sertorius aduertens atq; ab incolis doctus militibus imperat, vt spongiosæ illius & cineritiæ telluris auellant fragmenta, compotrataq́ ex opposito colli in tumulum excitēt: quem aggeris barbari esse in se molitionem rati irridebant eum. Ac tunc quidem, cùm ad noctem vsq; in opere perseuerassent milites, reduxit eos in castra. Vbi diluxit, primùm mollis aspirauit aura congestæ terræ leuissimum velut scobem mouens diffundensq́. Mox acri cum sole increbrescente vento cùm colles puluere implerentur: intenti milites cumulum ab imo subruerunt, conciderunt'q; limum. Aliqui equos sursum deorsum egerunt ad excitandam raram tellurem atq; in sublime vento dandam. Qui excipiens, quicquid comminutum esset & ferretur in aera, in barbarorum conijciebat ædificia in Cæciam foribus obuersa. Ita barbarorum oculis (nempe speluncæ vnum illum spiritus ductum habebant, quia accidebat ventus) citò offusa caligo est, citò suffocante anhelatione correpti sunt asperam multoq́ commistam puluere haurientes auram. Itaq; cùm ægrè duos dies sustinuissent, tertio deditionem fecere, non tantum viribus Sertorium, quantum gloria cumulantes: quòd armis inexpugnabilia confecisset consilio. Porrò quantisper gessit cum Metello bellum, succedere ei plerunq; res videbantur ob senium Metelli & insitam eius tarditatem aduersus virum ferocem, qui latronum potius quàm militum exercitum duceret, non valentis assurgere. At postquàm trajcienti saltum Pyrenæū Pompeio castra contulit, simulq́ luctarum bellicarum factum vtrinq; periculum est, technisq; in hostē moliendis & cauendis tulit palmam: fama nominis eius latè est Romam vsq; dispersa, inter omnes eius ætatis imperatores eum scientia militari esse prestantissimum. Neq; enim laus erat exigua Pompeij, verùm tunc ex obtentis bello Syllano victorijs maximè florebat ad gloriam: quam ob rem cognomē ab Sylla accepit Magni, honoresq́ assecutus etiamnum imberbis est triumphales. Vnde multæ, quæ parebant Sertorio, vrbes transitionem ad illum moliebantur, mox ex insperato ad Lauronem casu mutauerunt sententiam. Nam cùm eam vrbem obsideret Sertorius, mouit eò omnibus copijs Pompeius ad ferendam ei opem. Inde Sertotius ad occupandum tumulum, qui erat aduersus vrbem opportunus, alter ad id prohibendum properabat. Cùm præuenisset Sertorius, Pompeius admoto exercitu gauisus est ita cecidisse, inter vrbem & copias suas Sertoriū ratus deprehensum: missisq; ad Lauronitas nuncijs bono animo eos esse iussit, atque in muris considere spectantes Sertorium obsideri. Sertorius eo nunciato risit: & se discipulum Syllæ (Ita enim Pompeium per ludibrium appellabat) ait docturum, debere imperatorem plus respicere quàm prospicere. Simul vt hæc dixit, ostendit obsessis sex millia peditum ab se relicta in prioribus castris, ex quibus egressus tumulum illum occupauerat, quo versum in se à tergo aggrederentur Pompeium. Quod admodum serò Pompeius animaduertens, cùm adoriri Sertorium non auderet: quòd metueret, ne circumueniretur, relinquere autem periclitantes socios verecundia deterreretur: præsens & desidens spectator esse cogebatur pereuntiū. Deplorata enim re sua barbari in deditionem se Sertorij permisere, quorum vitæ pepercit, dimisitq́ cunctos. Vrbem verò incendit nulla quidem ira aut crudelitate (Quippe inter imperatores minimè indulsit hic vir iræ.) sed ad pudorem & opptobrium eorum, qui Pompeium in admiratione habebāt: vt increbresceret inter barbaros

Sertorius astu capit Characitanos.

Sertorij mira in barbaros machina.

Sertorij gesta cō tra Pompeium.

Sertorius inspectante Pompeio Lauronem excindit.

Sertorij de imperatoris munere, dictum.

baros fama assidentem & tantum non calefactum sociorum incendio non succurrisse illum. Clades quidem Sertorius complures accepit, cùm tamē vbiq; inuictum se sociosq; conseruaret: verùm per alios duces vulneratus fuit. Atqui ex reparandis cladibus supra victores celebrabatur aduersariorum duces: velut in acie Sucronensi cōtra Pompeium, iterumq; aduersus hunc & Metellum simul in Tuttiensi. Pugna ad Sucronem commissa fertur præfestinante Pompeio, ne consors Metellus palmæ esset. Sertorius verò quærebat cum Pompeio ante Metelli aduentum conferre arma. Protelans autem præcipiti iam in vesperam die conseruit certamen, peregrinis & locorum imperitis hostibus ratus tam fugientibus quàm insectantibus obstaculo fore tenebras. Prælio commisso accidit, vt in acie non Pompeio, sed Afranio esset initiò oppositus, sinistrum cornu obtinenti ipse in dextero consistens. Vt accepit cum Pompeio congressos vrgente illo referre gradum, atq; esse inclinatam aciem: cornu dextero alijs ducibus permisso illi, quod laborabat, succurrit: atq; alios terga dantes, alios adhuc in acie stantes conglobat confirmatq;, redintegrataq; cum instante fugientibus Pompeio pugna effussam fugā dedit: vbi pene oppressus Pompeius & saucius præter spē tamen est elapsus. siquidē qui in præsidijs Sertorij erant Afri, vt equum illius auro adornatum & preciosis excultum phaleris sunt adepti, dum prædam partiuntur & altercantur inter se, omiserunt eum insequi. Afranius aduersum sibi cornu, simulatq; alteri parti suppetias Sertorius tulit, pepulit atque ad castra ruit, vnoq; cum hostibus agmine irrumpēs diripuit ea, cùm iam nox esset. Erat Pompeij fugæ nescius, nec reuocare milites valebat à præda. Interea reuertitur cornu Pompeij fugato Sertorius. qui in Afranij manum incompositam turbatamq; incidens ingentem edit stragem. Mane denuo armatus educit copias in aciem. Inde vbi propè esse sensit Metellum, cecinit receptui, ac castra mouit dicens: Puerum hunc ego, nisi anus illa superuenisset, verberibus castigatum Romam dimisissem. At erat maiorem in modum perculsus, quòd nusquā compareret cerua. Mira enim aduersus barbaros orbatus erat machina, qui tunc vel maximè confirmandi erant. Mox tamen nocte quidam fortè errantes offendunt eam, & à colore agnitam capiunt. Quibus Sertorius, vt ad eum delatum est, grandem summam, si id non vulgassent, ostendit se daturum. Ceruam autem cùm paucis diebus occultasset, processit in concionem vultu admodum remisso, barbarorū præfectis rem lætissimam in somnis sibi à deo exponens prænunciatam. Hinc tribunal conscendit. Dum adeuntibus vacat, cerua à custodientibus eam in propinquo dimissa est. quæ cernens Sertoriū, cursu hilaris ad tribunal fertur, assistensq; caput genibus eius imponit, dextramq; ore (quod facere etiam antè solebat) attrectat. Quam demulcente vicissim in speciem Sertorio, manantibus quoq; nonnihil lachrymis, stupor primùm defixit spectatores: deinde plausu & acclamatione vt sanctum virum Sertorium & dijs charum ad tabernaculum eius prosecuti sunt & bona spe erecti. In campis Saguntinis cùm ad extremas angustias redegisset hostes, signa cōferre cum ijs prædatum & frumentatū proficiscentibus coactus est. Certatum est vtrinque fortiter. Ibi Memmius Pompeij legatorum peritissimus rei militaris, vbi constitit acerrimum prælium, cecidit. Superior Sertorius magna stantium adhuc in acie strage in ipsum illatus Metellum est. Hic præter ætatem subsistens, dum egregiè dimicat, lancea vulneratur. Id partim conspicientes, partim audientes Romanos repressit pudor, ne imperatorem desererent, simulq; exarserunt in hostem, obiectisq; scutis atque illo vi exportato impulerunt Hispanos. Cùm ita cōuersio facta esset victoriæ: Sertorius, quò facilem suis fugam machinaretur, & moliretur sibi nouum delectum, in oppidum refugit montanum & munitum: eiusq; muros obsepsit, & portas firmauit: quiduis potius tamen quàm obsidionem meditans ferre eludebat modò hostes. Dum enim assident ei, vrbemq; paruo negocio sperāt se capturos: cùm fugientium barbarorum securi fuerunt, tum conscribi permiserunt Sertorio alias copias, quæ cōficiebantur à legatis illius, quos per oppida miserat præceperatq;: vbi iam magnum numerum contraxissent, vt se facerent certiorem. Quod postquàm ei significauere: ex facili per medios elapsus hostes coniunxit se cum suis, redijtq; in illos viribus auctus. Commeatum præcidit ijs, terra ex insidijs & circumuentionibus, & circuncursitando in omnes partes subitò premens: pelago, littora nauigijs prædatorijs obsidendo. Vnde subacti duces sunt diuersi, alter in Galliam recedere, Pompeius ob pecuniæ difficultatem hybernare incommodè in Vacceis: scripsitq; senatui se, ni sibi mitterent stipendium, exercitum deportaturum. Iam enim propugnando pro Italia patrimonium suum expendisse. Romæ autem magnus erat rumor, priorem Pompeio in Italiam Sertorium ventu-

Sertorius per se vbiq; inuictus.

Sertorius Pompeium ad Sucronem fugat.

Sertorij in Pompeium scomma.

Sertorius barbaros per ceruam illudit.

Sertorius occidit Memmium Pompeij legatum.

Sertorius obsidetur à Pōpeio.

venturum. Eò primarios & potentissimos duces solertia Sertorij redegerat. Quantum verò hunc virum exhorruerit Metellus, & quanti fecerit: declarauit hac re: siquidẽ pronunciauit in caput eius, si ciuis Romanus illum interfecisset, præmium centũ argenti talenta, & agrum viginti millium iugerum: si exul, reditum in patriam. Ita apertę desperatione victoriæ licitabatur illum per proditionem. Adhæc cùm aliquando Sertorium acie fudisset: vsque adeo extulit se & prospero casu exultauit, vt imperatorẽ se sit salutari passus, sacrificijs autem eum oppida ingredientem atq; aris ei dicatis exciperent. Memorant eum coronas quoq; imponi capiti suo permisisse, cœnisq; indulsisse fastuosioribus: in quibus veste triumphali amictus potabat. Victoriæ fictæ epidromibus descendebant, quæ aurea trophæa & coronas transferebant. Chori puerorum & virginum cantilenas triumphales in laudem eius canebant. Qua in re ridiculus meritò erat: quòd cùm Syllæ fugitiuum & reliquias Carbonianorum exulum appellaret Sertorium, ita iactabundus euaserit exultaueritq;, quia impulerat cedentem.

Sertorium Metellus plurimum timuit.

At Sertorij animositatis hæc fuere: Primùm, quòd senatores Romanos patria extorres, qui in præsidijs erant suis, senatum appellatet, quæstores legatosq; ex illis crearet, legibusq; omnia illa adornaret patrijs. Deinde, quòd qui armis, pecunia, oppidis vteretur Hispanorum, ne verbis quidem summam potestatem apud illos summitteret: verùm daret eis duces & præfectos Romanos, tanquàm Romanis libertatem recuperans, non illos augens aduersus Romanos.

Sertorij animi celsitudo.

Etenim vir ille erat amans patriæ, magnoq; tenebatur in patriam redeundi desiderio. Cæterùm in aduersis casibus fortis erat, neq; abiectum præbebat se hostibus. In victorijs legatos ad Metellum & Pompeium mittebat paratũ se ostendens arma ponere, & reditu concesso priuatam vitam agere. Malle enim ciuem se Romæ esse obscurissimum, quàm exulem cunctorum aliorum declarari imperatorem.

Sertorij in patriam charitas.

Dicitur autem patriæ cupiditate flagrasse maximè causa matris, à qua eductus orbus fuerat, totoq; animo erat illi addictus. Cùm necessarij Sertorij in Hispania ad imperium suscipiendum eum vocarent, nunciatis matris fatis profudit penè ex mœrore vitam. Quippe diebus septem neq; signum militibus dedit, neq; in vllius cõspectum amici prodiens iacebat humi. Vix tandem reliqui imperatores atque in pari dignitatis gradu positi circumsistentes tabernaculũ eius coëgerunt eum in publicum progredi & milites appellare, atq; res prosperè fluẽtes capessere. Quare placidi vir ingenij habitus apud multos est & quietis cupidus, inuitusq; ex causis munera imperatoria vsurpasse: cùm verò obtinere non valeret securitatem, sed ab inimicis in arma cogeretur, statione necessaria corpus sepsisse bello.

Sertorij in matrem pietas.

Celsitudinis animi fuerunt etiam eius cum Mithridate acta. Cùm enim ex casu, quo Sylla eum prostrauerat, Mithridates quasi ad alteram assurgens luctam iterum adoriretur Asiam: nomen autem iam inclytum vbiq; celebraretur Sertorij, rumoribusq; de eo velut peregrinis mercibus illi, qui ex Occidente aduehebantur, Pontum implessent: parauit legatos ad eum mittere, excitatus potissimùm adulatorum iactationibus: qui Sertoriũ Annibali, Pyrrho Mithridatem æquiparantes negabant populum Romanum ingenijs & viribus resistere simul tantis ancipiti circumuentos insultu posse: vbi cum acerrimo imperatore rex coniunctus maximus esset. Mittit igitur in Hispaniam Mithridates legatos ad Sertorium cum literis & mandatis: per quos pecuniam & naues illi ad bellũ præbiturum offert se, ab illo postulat vicissim confirmari sibi omnẽ Asiam, qua populo Romano fœdere cum Sylla icto cesserat.

Mithridatis ad Sertorium legati.

Coacto concilio, quod Senatum vocabat, Sertorius cæteris accipiendas has conditiones approbandasq; censentibus (cùm enim nomẽ ab ipsis & decretum inane illis de rebus, quæ non erãt in arbitrio suo, postularentur: pro his demonstrabant se, quibus maximè opus haberent, accipere) improbauit: verùm Bithyniam & Cappadociam si occuparet Mithridates regi parêre assuetas nec quicquã populo Romano attinentes, eas se illi ait non inuidere. Enimuerò qua prouincia iustissimo possidentem titulo spoliauerat populum Romanum inuaseratq;, eam à Fimbria illi bello extortam & fœdere cum Sylla sancito dimissam negauit permissurum se, in ditionem vt iterum recideret eius. Amplificandam enim suis victorijs rempublicam, non cum eius prouinciarum diminutione sibi vincendum. Nam viro forti optandam cum honore victoriam, cum turpitudine verò ne salutem quidem. His renunciatis cohorruit Mithridates, ac ferunt eum ad amicos dixisse: Quid tandem in senatu sedens imperabit Sertorius, qui nunc ad Oceanum summotus Atlanticum fines regno nostro præscribit, & tentantibus Asiam denunciat bellum? Verumtamen fœdus fit & iureiurando sancitur, Cappadociam & Bithyniam cessuram Mithridati, Sertorium

Sertorij ad Mithridatis postulata, pium et magnanimum responsum.

Sertorij cum Mithridate fœdus.

autem ducem ei militesq; miſſurum. Sertorio inuicem Mithridatem tria millia talētûm cum quadraginta nauibus præbiturum. Dux quoque in Aſiam mittitur ad eum ex ſe-

M. Marius mittitur ad Mithridatem.

natorijs exulibus M. Marius: qui cum cepit Mithridates aliquot oppida in Aſia. Inuectum in vrbes cum virgis & ſecuribus ipſe illum tanquàm maiorem poteſtatem & miniſtri ſpecie vltrò ſequebatur. Ille alijs libertatem dabat. Alijs cùm immunitatem concederet, beneficio ſe facere id Sertorij dicebat. Itaque Aſia, quæ à publicanis vexabatur, auaritiaq; & contumelijs premebatur militum præſidiariorum, ad ſpem erigebatur exoptabatq; expectatam imperij conuerſionem. At in Hiſpania ſenatores & pares Sertorio, vt primùm in æquali cum hoſtibus ſpe conſtiterunt, remiſſo metu liuor & ſtolida

Perpēnæ in Sertorium inuidia.

inuaſit æmulatio illius potentiæ. Perpenna autem ſpiritibus vanis ob natalium ſplendorem animum adiecit imperio. Is pernicioſos ſermones clàm apud idoneos ſeminauit: Quis nam malus nos genius ex malis in peiora detrudit: qui Syllæ totius penè terræ & maris tenentis imperium imperata fruentes patria facere dedignamur? Huc verò malis auibus profecti, quò in libertate viueremus, ſpontè ſeruimus Sertorij ſtipantes exilium, & ridiculo audientibus nomine ſenatus dicimur: cùm contumelias, imperia & labores non ſecus ac Hiſpani & Luſitani feramus. Huiuſcemodi ſermonibus complures imbuti metu illius authoritatis non rebellabant apertè: verùm res eius in ſecreto corrumpebant, barbaroſq; acerbè puniendo & tributo exigendo quaſi Sertorij iuſſu affligebant. Hinc defectiones natæ per oppida & ſeditiones. Qui verò ad hęc mittebantur lenienda & medenda, redibant pluribus inflammatis tumultibus & rebellionibus prioribus in-

Sertorius occidit liberos Hiſpanorum.

tenſis. Vnde degenerans ex humanitate & lenitate Sertorius priſtina Hiſpanorum filios, qui Oſcæ educabantur, violauit: ac partem eorum occidit, alios ſub corona vendidit.

Perpennæ coniuratio & inſidiæ in Sertoriũ.

Porrò Perpenna, qui complures coniuratos habebat ad Sertorium adoriendum, adiunxit inſuper ſibi vnum ex Sertorianis ducibus Manlium. Hic deperibat amore formoſi adoleſcentuli. cui blandiens effutit conſpirationem, hortaturq; vt alios amatores mitrat, & ſibi vni, qui paucis diebus ſit magnus euaſurus, adhæreat. Adoleſcentulus alteri amatori, in quem erat propenſior, ſermonem Aufidio enunciat. Qui, vt audiuit, obſtupuit. Quippe coniurationis in Sertorium erat conſors, non cognouerat tamen participem eius Manlium eſſe. At vbi Perpennam, & Gracinum, & alios quoſdam coniuratos, quos ipſe ſciebat, nominauit adoleſcens: perculſus eleuauit apud illum ea dicta monuitq;, Manlium vt vanum & iactabundum contemneret. Profectus autem ad Perpennam, demonſtrato temporis momento & periculo conſuluit, vt rem aggrederetur. Aſſenſi coniurati hominem ſubornatum adduxerũt, qui epiſtolam redderet Sertorio. Epiſtola victoriam cuiuſpiam eius legatorum & hoſtium magnam ſtragem ſignificabat. Quare ouantem Sertorium & læti nuncij cauſa ſacrificantem cum præſentibus amicis (hi in coniuratione erant) inuitauit Perpenna ad cœnam, multiſq; precibus obtinuit, vt

Sertorij in cœnis modeſtia.

ſibi condiceret. Cœnæ ſemper præſente Sertorio magna erant verecundia & honeſtate conditæ: quòd nihil vel videre vel audire ſuſtineret turpe: ſed conuiuas pudicis & ſobrijs iocis oblectamentiſq; aſſuefeciſſet vti. Ibi in medio conuiuio exordium quærentes iurgij, propalàm inceſta verba iecerunt, fingenteſq; ſe vino merſos, quò iritarent illum, multa deſignauerunt inſolenter. Ille verò, vel quòd licentia iſta offenderetur, vel quòd mentem eorum loquendi tarditate & inſolita diſſolutione aduerteret: figura mutata accubitus ſupinum ſe collocauit, quaſi non attenderet neque exaudiret ea. Vt verò phialam Perpenna accepit meri plenam, eamq; inter bibendum è manibus dimi-

Sertorij cædes.

ſit, vnde editus eſt ſtrepitus, quod erat illis pro ſigno: Antonius, qui ſupra Sertorium recumbebat, ferit eum pugione. Ad ictum circumagente ſe illo & parante exurgere conijciens ſe in pectus eius ambas occupat manus. Ita cùm non valeret vlla ratione ſe defendere, multis eum cædentibus eſt trucidatus. At Hiſpani plerique actutùm ab his deſecere, miſſis'que legatis in fidem ſe permiſere Pompeij & Metelli. Perpenna autem cum reliquis, qui apud eum hæſerunt, aggreſſus eſt aliquid rei gerere. Vſus apparatu Sertorij hactenus, vt in eo turpitudinem ſuam & qui vir foret, proderet, neque

Perpēna à Pompeio captus.

imperare ſe neque parêre ſcire, in Pompeium incurrit. A' quo breui obtritus & captus ne nouiſsimã quidem fortunam, vt erat imperatore dignũ, tulit: ſed cùm haberet in poteſtate chartas Sertorij, pollicebatur Pompeio literas oſtenſurum ſe virorum conſula-

Pompeij in cremandis Sertorij lrteris prudẽtia.

rium & principũ vrbis Romæ manu exaratas: quibus Sertoriũ acciuerant in Italiã, multos ſignificantes eſſe, qui pręſentẽ ſtatũ mouere, & res nouas auerẽt moliri. Verùm Pompeius haud iuuenilis mentis, ſed ſolidæ & compoſitæ fecit actum, quo vrbem ingenti

metu

metu nouationibus'que liberauit. Nam epistolas illas & codicillos Sertorij collectos omnes concremauit: eos'que neque ipse legit, neque permisit alium. Perpennam verò properè interfecit: quòd timeret, si nomina eorum edidisset apud aliquos, seditiones & motus existerent. Ex Perpennæ coniuratione alij ad Pompeium retracti & necati, pars in Africam fugerunt, qui à Mauris sunt iaculis confossi. Nemo euolauit præter riualem Manlij Aufidiũ. Hic vel quòd non cognosceretur vel contemneretur, in vico quopiam barbarico inops inuisusq; consenuit.

Perpenna cum suis coniuratis à Pompeio interfectus.

EVMENIS CVM SERTORIO COMPARATIO.



HABES, quæ de Eumene & Sertorio memoratu digna accepimus. In contentione autem commune hoc est ambobus, quòd peregrini & alienigenæ & exules gentium variarum, & fortium legionum magnorum'que exercituum fuerint ductores. Proprium verò Sertorio, quòd oblatum propter dignitatem suam ab omnibus socijs imperium susceperit: Eumeni, quòd multis cum ipso de imperio contendentibus, acceperit ex rebus gestis primatum: atque huic, quia erant ad imperandum inepti, vtilitatis gratia parerent: illum, qui ducem quærebant iustum, sequerentur. Etenim alter Hispanos & Lusitanos Romanus, Chersonnesites alter duxit Macedonas: quorum hi totum orbem domabant, illi seruiebant iampridem Romanis. Iam Sertorius vt senator & qui exercitum antè duxerat, authoritatem obtinens, despectus vt scriba Eumenes euasit dux. Neque verò hæc modò debiliora ad imperium adminicula, verumetiam tricas ad incrementum habuit Eumenes maiores. Siquidem erant, qui eum & propalàm impugnarent, & insidiarentur in occulto: non sicut alterum palam nemo, occultè demum & pauci socij oppugnauere. Quocirca finis alteri periculorum in hostium positus oppressione erat, alteri in victoria periculum ab inuidis. Res bello gestæ æquæ & pares sunt. Cæteris moribus, bellorum & certaminum cupidus Eumenes, quietis & tranquillitatis Sertorius fuit sectator. Superior eum, viuere cùm ei liceret securè atque honorificè, si subducere se voluisset de medio: non destitit cum principibus certare & periclitari. Sertorio negocia non quærenti pro salute sua aduersus illos, qui agere ipsum non sinebant in ocio, bellum fuit. Quippe Eumene Antigonus, si omisisset de primatu certamina, & in secundo post se loco acquieuisset, libenter esset vsus. Sertorio Pompeius ne viuere quidem concessit quietè. Vnde incidit ille initiò sua sponte in bellum: hic, quia oppugnabatur, inuitus in ducatum. Sit igitur belli ille cupidus, qui securitati primos honores anteponit: bellicosus, qui bello quærit securitatem. Iam mors oblata est huic nihil præsentienti, illi etiam expectanti cædem. quorum illud placidi est animi: Nempe amicis videbatur fidere: hoc imbecilli. Nam dum adornat fugam, comprehensus est. Neque verò Sertorij vitam dehonestauit exitus: cui quæsitum est ab socijs, quod hostium inferre potuisset nullus. Alter, qui captiuitatem nequiuit effugere, & viuere cupiuit post captiuitatem, neque rectè deuitauit neque tulit fata: verùm dum supplicat & deprecatur: ei, qui in corpus modò ius habere videbatur, etiam animi sui arbitrium dedit hosti.

Eumenis & Sertorij imperia.

Eumenis et Sertorij res gestæ & studia comparantur.

Sertorij, quàm Eumenis mors honestior.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. IOANNI GEBHARTO ARCHIEpiscopo Colonienſi, ſacri Romani imperij per Italiam Archicancellario & principi electori, duci VVeſtphaliæ & Angariæ,&c. Domino ſuo clementiſsimo Hermannus Cruſerius S. P. D.



IONYSIVS Syracuſanus Reuerendiſſime Princeps Elector, cùm ad filium ingreſſus conſpexiſſet vaſculorum aureorum & argenteorum magnam vim, exclamans: Non eſt, inquit, in te regius animus: qui his poculis, quæ à me tam multa accepiſti, neminem tibi feceris amicum: rectè ſentiens abſq; hominum beneuolẽtia regnũ non poſſe parari neq; teneri. Vehementer enim amor multitudinis commouetur ipſa fama & opinione liberalitatis & beneficentiæ. Itaq; præclarè Alexander, cùm interrogaretur, vbi ſuos reconderet theſauros: Apud amicos, inquit: ſignificãs facultates nuſquàm reponi tutius quàm apud illos. Cùm enim res poſtulat, redeunt ad aliquem etiam cum fœnore. Eiuſdem fuit Ageſilaus ſententiæ. Ait enim iucundius ſibi eſſe, ſi milites ſuos ditaret, quàm ſi diteſceret ipſe. Atq; rex Artaxerxes Longimanus regalius eſſe dicere ſolebat, addere quàm adimere: docens pertinere imprimis ad viros principes, vt munifices ſint potius quàm rapaces. Quod idem aliter dixit Bion, eſſe optabilius meſſem ſuam largiri alteri, quam alienã decerpere. quippe nõ eſt virtus vlla alia, quæ tantũ ſplendorem nominis conciliat principi atq; munificentia. Quàm aũt ea ſit principibus vtilis, ex contrario vitio intelligitur, ſordibus & auaritia. Nam nihil euertit Perſen regẽ Macedonũ aliud, quàm ſordes. Eædẽ exuerunt imperio Galbã, necemq; ei cõciliauerunt. Cuius enim ita clauſa eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit, is omnibus odio venit: quòd eum claudat fontẽ, quẽ hominibus aperuit inter homines natura. quæ hoc ingenuit hominibus, vt alter de altero bene mereatur. Itaq; multi præſtantes homines ducem ſequentes naturam, liberalitatem explicuerunt, ac ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redemerunt, aut æs alienum ſuſceperunt amicorum, aut in filiarum collocatione adiuuerunt, aut opitulati ſunt vel in re quærenda vel augenda. Alij hoſpitales ſe præbuerunt, domumq; ſuam omnium bonorũ virorũ & doctorum fecerunt quaſi Prytaneum, omniaq; habuerunt referata amicis & probis. Quæ res ijs magnum nomẽ & gloriam peperit. Ita M. Seio honori datum eſt apud Romanos, quòd in caritate annonæ aſſe modium populo dedit. Magna enim ſe & inueterata inuidia, nec turpi iactura, quando erat Aedilis, nec maxima liberauit. Contrà Mamerco homini ditiſſimo prætermiſſio ædilitatis propter auaritiæ ſuſpicionẽ conſulatus repulſam attulit. Neq; tamen probandi illi ſunt, qui cupidi ſplendoris & gloriæ eripiunt alijs, quod alijs largiantur. quod tantum abeſt à virtute, vt nihil magis virtuti poſſit eſſe contrarium. Verùm ea eſt liberalitate vtendum, quæ proſit multis, noceat nemini. Quam legem egregiè ſeruauerunt ſplendidiſſimi viri Cimon apud Athenienſes, & apud Romanos Lucullus: qui cùm ampliſſimas opes honeſtis rationibus cõparaſſent, ijs vſi benignißimè ſunt. Horum duorum virorum, qui præcipuè fuerũt, hic apud Romanos, ille apud Græcos commẽdati, vitas à me inter cæteras omnes alias Plutarchi nunc denuò in ſermonem verſas Latinum, tuæ amplitudini Reuerendiſſime Princeps Elector viſum eſt dedicare: quòd imaginem tuæ prolixa natura illorum ſummorum virorum referat. Quos cùm ex hac virtute eximia conſecuta laus ſit, ſequetur & tuã munificentiam ex eodem fonte par commendatio. Huius mei muneris oblationem non dubito quin arctiſſima amicitia & ſumma voluntatis coniunctio tecum Illuſtriſſimi Principis mei facturæ ſit gratiorem. Vale ampliſſime Princeps Elector.

PRAEFATIO IN CIMONEM ET LVCVLLVM.



Peripoltas vates, eiusq; posteri.

ATES Peripoltas, qui in Bœotiam ex Theſſalia regem Opheltam & parentes ei gentes deduxit, claram familiam in longum æuum reliquit: cuius maxima manus Chæroneæ, quam primam tenuerunt vrbem exactis barbaris, conſedit. Huius ſtirpis plerięȝ bellicoſi & fortes viri incurſionibus Medicis & certaminibus Gallicis, dum nullam habent rationem ſui, abſumpti ſunt. Reliquus puer vnus fuit orbus parentibus Damon nomine, qui Peripoltas cognomine dictus fuit. Hunc corporis venuſtate animiq; magnitudine longè æqualibus antecellẽtem iuuenibus,

Damonis Peripoltæ mores & facinora.

bus,sed rudem aliàs & moribus asperum Romanus quidam cohortis, quæ hybernabat Chęroneæ,ductor modò adultum amans,vbi precibus & muneribus obnoxium sibi facere nequiuit, vim præ se ferebat allaturum. quippe patrię nostrę nullæ tunc opes erãt, ob exilitatemq́ue & tenuitatem nullo loco habebatur. Id veritus Damon atque ex illa excandescens appellatione,struxit ei insidias, ac coitionem in eum æqualium suorũ fecit, non multorum, quò clàm essent.Fuerunt autem omnes sexdecim. Hi noctu infecta fuligine facie mero onusti prima luce sacrificantem in foro Romanum adoriuntur. Illo & non paucis,qui circa eum erant,obtruncatis profugiunt vrbe. Turbata ciuitate senatus Chæronensis hos concilio habito capitis damnauit, vt ea suppeditaret ipsis ad Romanos satisfactio. Vesperi autem magistratibus vnà de more cœnantibus cohors Damonis facta in curiam irruptione cõtrucidat omnes,iterumq́ue ex oppido se retrahit. Sub idem fortè tempus Lucullus cum copijs in expeditionem aliquam iturus transibat illac. qui substitit ibi,ac recenti adhuc facinore quæstione habita ciuitatem reperit non solùm insontem,verumetiam pariter violatam.Itaque milites inde secum abduxit. Porrò Damonem,qui latrocinijs & incursionibus agrum oppido finitimum deprædabatur, ciues versutis legationibus & decretis pellexerunt ad redeundum in oppidũ,reducemq́ue præfecerunt gymnasio,inde vngentem in sudatorio interemere. Quia verò perdiu ibi spectra conspiciebantur,& gemitus exaudiebantur, vt perhibẽt patres nostri, obstruxerũt fores sudatorij: atque in hanc ætatem eius loci vicini species illic versari & voces audiri terribiles arbitrantur. Illius posteros (supersunt enim nonnulli potissimùm circa Stirin Phocidis, qui iam in Aeolorum morem abierunt) Asbolomenos Damonis causa vocant: quòd ille ad cædem tinctus fuligine, quam ἄσβολον vocant, erupit. Vt verò contermini Orchomenij, quibus contentiones erant cum Chæronensibus, quadruplatorem Romanum redemerunt: qui sicut vnius hominis nomen detulit ciuitatis, adduxitq́ue eam ob cædem ab Damone interemptorum in iudicium: cuius quæstionis fuit Macedoniæ prætor iudex (Neque enim dum mittebant Romani in Græciam prætores) patroni ciuitatis testem laudauerunt Lucullum. Ad quem cùm prætor scripsisset, perhibuit testimonium ille veritati. Ita ciuitas hæc, quæ versabatur in summo periculo, fuit iudicio liberata. Quare illi, qui tunc assecuti fuerunt incolumitatem, statuam marmoream Lucullo in foro iuxta Liberum patrẽ posuere. Nos verò, etsi multis ætatibus illis sumus inferiores,hoc beneficium ad nos quoque,qui nunc viuimus,ducimus pertinere:statuamq́ue rati multò venustiorem illa, quæ corpus & vultum adumbrauit, hanc quæ mores patefacit & ingenium:in his comparatarum vitarum commentarijs res illius gestas complectemur ac quàm verissimè exponemus.Sat enim est memoriæ gratia. Veri autem testimonij ne ille ipse quidem præmium capere vanam & fictam rerum suarum commemorationem dignetur.Nam vt pictores,qui decoras & eximiè venustas pingũt imagines: si aliquid insit ijs leuis vitij,nolumus neque vt prætereant id prorsus, neque vt vndequaque exprimant:quippe hoc deformem, discrepantem illud reddat effigiem: Ita quando arduum est vel fieri non potest potiùs,hominis ostendere vlius vitã,quæ omni vacet macula & pura sit:veritas sicut simulachrum in honestis,complenda est. Illas verò, quæ ex motu animi aliquo aut ex reipub. temporibus intercurrunt actionibus offensas & vitia, claudicationes potiùs virtutis alicuius,quàm improbitatis ea fraudes existimantes,non debemus nimium diligenter & ad amussim in scribendo explicare:sed tanquam rubore capti sortis humanæ,quæ nihil boni syncerum, neque mores ad virtutem edat inculpatos. Videbatur autem iudicio nostro Cimoni Lucullus opponendus. siquidem fuerũt bellaces ambo,atque aduersus barbaros inclyti:contrà domi placidi, ac potissimùm ab discordijs intestinis patrias suas recreauerunt. Adhæc erexit vterq́ue trophæa, & victorias retulit insignes. Neq́ue enim,si ab Hercule & Libero patre discesseris, aut siquod Persei contra Aethiopas vel Medos & Armenios, aut Iasonis veritati factum consonum ex vetustate tanta ad memoriam delatum nostram sit: ex Græcis Cimone, vel Lucullo ex Romanis tam procul arma prior protulit vllus. Iam est hoc quoq́ue ijs commune, quòd bellum mutilum reliquerint:atque fregerit quidem vterque, sed neuter oppresserit hostem. Præcipuè verò benignitatem & effusionem in conuiuijs & comitate hac, splendidamq́ue & prolixam mensam ac vitam quotidianam aspicere in vtroq́ue licet parem. Præterimus fortassis alias nonnullas congruentias,quas haud difficile fuerit ex ipsa colligere narratione.

Damon per fidẽ datam occiditur.

Asbolomeni, qui et cur dicti.

Historia morũ et ingenij est statua quædam.

Vitæ describendæ modus.

Cimon et Lucullus quibus in rebus similes fuerint.

Cimon.

Cimonis genus. Herodot. lib. 6

Thucydidis genus.



IMON Miltiadis filius matrem Hegesipylam habuit natione Thressam, filiam regis Olori, vt est Archelai & Melanthij poëmatibus in ipsius Cimonis laudem scriptis proditū. Vnde & Thucydides historicus Cimonis propinquus patrē habuit Olorum, qui ad generis authorem retulit similem nominis appellationem: & metalla auri in Thracia possedit, quem perhibent in Scapta hyla, id castellum est in Thracia, defunctum atque ibidem interfectum. Monumentum eius ossium, quæ in terram Atticam fuerunt relata, inter monumenta Cimonis visitur iuxta Elpenices Cimonis sororis tumulū.

Miltiades in carcere obijt.

Cimonis adolescentia infamis.

Cæterùm Thucydides curia Alimusius fuit, Miltiades Laciades. Miltiades igitur, cùm lis ei æstimata quinquaginta talentis esset, & ad soluendum in vincula ductus, diem suū obijt in carcere. Cimon autem admodum adolescens cum sorore adhuc virgine & innupta orbus in prima ætate ad populum infamis fuit, & malè audiuit ex lustris & vinolentia, quasi auum referens ingenio Cimonem, quem aiunt ob mentis stuporem Coalemum, id est, fatuum, fuisse dictum. Stesimbrotus Thasius Cimoni ferè coætaneus nec musica eum, nec vlla alia instructum liberali disciplina & Græcis vsitata memorat fuisse,

Cimonis mores.

atq; ab Attico acumine leporibusq; quàm remotissimum: mores verò insigni generositate & synceritate tinctos, potiusq; ingenium huius viri Peloponnesium fuisse:

Et candidum, simplexq;, bonumq;, in maximis:

vt apud Euripidem Herculis. Hæc enim Stesimbroti elogio adijcias licet. Adolescentia eius famosa fuit, quasi sorori suæ illuderet. Siquidem referunt nec aliàs omninò fuisse Elpenicen pudicam, sed & pictori se Polygnoto subiecisse. Quapropter cùm pingeret in porticu Pisia nactia, vt tunc vocabatur, quæ nunc Pœcele dicitur, Troadas: faciē perhibetur Laodices ad Elpenices reddidisse imaginem. Non erat in operarijs Polygnotus, neque pingendam redemerat porticum illam: verùm grauitam eam munificentiam exhibuit publicè. Ita scriptores memoriæ traditum reliquerunt, ac Melanthius poëta in hunc ait modum:

Elpenice Cimonis soror impudica.

Polygnotus pictor.

Plin. li. 35. cap. 9

De proprio ornauit diuorum templa, forumq;,
Cecropium heroum grandis imaginibus.

Sunt, qui Elpenicen non clàm cum Cimone, sed apertè ferant contractis nuptijs vt vxorem habitasse: quòd sponsum pro generis dignitate non inueniret ob inopiam. Vbi verò Callias, qui Athenis inter locupletes erat, eius amore captus obtulit patris eius mulctam dissoluere, illam accepisse conditionem, ac Cimonem Calliæ Elpenicen despōdisse.

Cimon amoribus obnoxius.

Atqui apparet omnino hæsisse circa mulierum libidines Cimonem. Nam Aristeriæ, quæ erat Salamine oriunda, & mox Mnestræ cuiusdam poeta meminit Melanthius elegijs cum Cimone ludens ab eo adamatarum. Iam non obscuro amore filiam Euryptolemi Megaclis filij iustam tamen vxorem est Cimon prosecutus, eiusq; mortem tulit ægerrimè: quatenus conijcere licet ex scriptis ad leniēdum luctum eius elegijs. quas Panætius philosophus condidisse Physicum Archelaum putat, neq; absurdè ducit ex temporibus coniecturam. Reliqui mores boni Cimonis & egregij omnes fuere. Cùm enim nec fortitudine cōcederet Miltiadi, nec Themistocli prudentia: vtroq; fuisse eum constat innocentiorem. Ac cùm virtute bellica ne tantillo quidem esset illis inferior, mirum quantum pacis artibus antecelluit ijs, idq; iuuenis etiamnum & scientiæ militaris rudis. Cùm enim populo ingruentibus Medis consuleret Themistocles, vt relicta vrbe & agro deserto in freto iuxta Salamina dimicaret & classe certaret: omnibus fermè consilium tam stupentibus præceps conspectus Cimon princeps est per Ceramicon alacris comitantibus sodalibus arcem scandere, ac frænum equi, quod manibus ferebat, Mineruæ consecrare: quasi non requireret ciuitas equestre robur in præsens, sed milites præliorum naualium scientes. Sacrato fræno sumptis'que clypeis ex illis, qui in templo pendebant, adorauit Deam, atque ad mare descendit: qua re dedit non paucis animum.

Cimonis forma.

Neque verò forma indecora fuit, vt poeta ait Ion: sed statura eminenti, capillo'que & densa capitis insignis coma. Cùm in prælio stre-

strenuè & fortiter dimicasset, ilicò nomen quæsiuit apud ciues & beneuolentiam: multiq; illum adibant, incitabantq; vt digna iam Marathone consilia & facta susciperet. Capessentem rempubl. excepit populus lubens, eumq; fastidio Themistoclis prouexit, quod acceptus plebi gratusq; ex comitate & candore esset, ad summos honores & magistratus. Præcipuè autem euexit eum Aristides Lysimachi, quòd indolem perspiceret in moribus eius probam, & quò tanquam aduersarium eum Themistoclis ingenio et audaciæ obijceret.

Cimō classi præfectus.

Vt verò pulsis Græcia Medis classi fuit præfectus nondum imperio potitis Atheniensibus, sed Pausaniam adhuc & Lacedæmonios sequentibus: primùm in expeditionibus ciues mirificè compositos atq; alacritate omnibus præbuit præcellentes. Hinc vt Pausanias de proditione cum barbaris in sermonem venit, scripsitq; ad regem literas: cum socijs autem asperè & procaciter egit, effrænatamq; licentiam ex imperio & amenti vsurpauit fastu: hic excipiendo comiter offensos & humaniter appellando imperium Græciæ non armis, sed benigno sermone & moribus blandis imprudenti ei abstulit. Complures enim socij morositatem & superbiam exosi Pausaniæ aggregauerunt se ad illum & Aristidem. qui simul & hos rapuerunt ad se & ephoris per nuncios significauerunt: vt Pausaniam, quòd infamia inuolueret Spartam & concitaret Græciã, reuocarent.

Pausaniæ superbia imperiū adimut Spartiatis.

Fama est virginem Byzantinã illustribus ortam parentibus nomine Cleonicen, quam stupri causa accersiuerat Pausanias, à parentibus fuisse necessitate & metu subactis dimissam. Eam pro cubiculo precatam, vt lumen auferretur, cùm per tenebras silentio ad cubile pergeret sopiti iam Pausaniæ, incurrisse inuitam in lucernam eamq; euertisse. At illum ex strepitu obturbatũ stricto pugione, qui propè iacebat, quasi ab hoste aliquo peteretur, percussisse ac prostrauisse puellam: quam ex vulnere mortuam non permisisse Pausaniæ quietem, sed spectrũ noctu se offerens in somno hunc versum cum indignatione ad illum protulisse:

Pausanias interficit virginem Byzantinam.

Tu cole iustitiam, teq; atq; alios manet Vltor.

Quod factum socij cum Cimone iniquo animo ferentes, arctè obsederunt eum Byzantij. Elapsus tamen est, & viso illo, vti fertur, exterritus Heracleam confugit ad manium oraculum: euocataq; Cleonices anima offensam deprecatus est. Illa in conspectũ Pausaniæ venit, ac breui eum illis malis ostendit explicatum iri, vbi Spartam venisset, obscurè vt conijcio imminentia ei fata designans. Hæc multi scripta reliquere.

Necromantia.

At Cimon, cùm adiunxissent se ei socij, dux in Thraciam est profectus: quòd nunciatum esset ex Persis viros claros & regis necessarios Eione oppido, quod ad Strymonem amnem positum est, occupato conterminos infestare Græcos. Hic primùm fudit acie Persas ipsos atq; intra mœnia oppidi compulit. Deinde accolas Strymonis Thracas, vnde supportabatur illis commeatus, sedibus expulit, totamq; regionem stationibus cingens ad eas redegit obsessos difficultates: vt regius dux Butes rebus deploratis flammam subderet oppido, seq; cum amicis & rebus suis concremaret. Ita potitus oppido nullum cepit aliud magnoperè compendium, quòd fuissent pleraque cum barbaris incendio hausta: sed lætissimum & amœnissimum oppido circumiectum agrum Atheniensibus dedit incolendum. Quare Hermas illos lapideos populus ei, vt poneret, indulsit: quarum primæ est inscriptum:

Cimonis expeditio & victoria in Thracia.

Butes se cum suis Cimonis metu, cremauit.

Mercurij statue.

Nempe fuere viri magni quoq; pectoris illi:
Qui quondam Medos mœnibus Eionis
Affluxere fame clausos ad Strymonis vndam:
Qui primi Martis damna tulere grauis.
Secundæ:
Hæc verò ducibus retulerunt præmia grati
Cecropidæ, factis quæ meruere bonis.
Quò volet exemplo iuuenis iam fortior isto
Bella subire magis, pro patriaq; mori.
Tertiæ
Agmina cùm quondam Mnestheus duxisset Atridis
Ex hac vrbe virûm lata per arma Phrygum:
Incessisse decus primùm testatur Homerus
Inter Græcorum nomina clara ducum:
Sic etiam meritò primi dicentur vbiq;
Virtute insigni Marteq; Cecropidæ.

Miltiadi post victoriam negata corona oleagina.

Hæc quanquàm nomen nusquàm præferunt Cimonis, eximium honorem tamen illius seculi homines ducebant esse. Neq; Themistocles similem est neq; Miltiades assecutus; verùm huic coronam oleaginã petenti surgens ex media concione Sochares Decelensis aduersatus est ei, vocemq; misit non illam quidem æquã, sed populo id temporis gratam: Vbi vnus, inquit, certaueris Miltiade & barbaros viceris, tunc etiam vnus pete honorem. Quid igitur tantopere sunt Cimonis factum amplexi? An quód cæteris ducibus de salute sua dimicauerint cum hostibus, hoc verò duce inferre etiam illis cladem facta in ditionem eorum irruptione potuerint, prouincias subegerint, ipsamq; Eiona & Amphipolim colonias deduxerint, in Scyron insuper, quam cepit Cimõ ex huiuscemodi occasione:

Cimon capit Scyron insulam.

Dolopes eam insulam tenebant ignaui agricolæ. Hi prædando mare infestum antiquitùs habebant. Nec à commeantibus deniq; ad ipsos & commercia secum habentibus temperabant hospitibus: sed mercatores aliquot Thessalos negociandi causa eò profectos spoliauerunt vinxeruntq;, qui cùm ex custodia effugissent, damnauerũt eam ciuitatem apud Amphyctionas. Quia verò pendere vnà mulctam renuit plebs: eos autem, qui prædam abstulissent posciderentq;, iusserunt soluere: illi metu perculsi mittũt literas ad Cimonem, inuitantq; eum, vt cum classe adsit ad oppidum capiendum. quod se ei ostendunt tradituros. Potitus ad eum modum Cimon insula, Dolopas extrusit, & mare Aegæum pacauit.

Cimon Thesei ossa reportat Athenas.

Cùm autem veterem accepisset Thesea Aegei filium profugum Athenis cõtulisse in Scyron se, atq; ibi ab rege Lycomede ex suspicione dolo sublatum: laborauit sepulchrum eius vestigare. siquidem oraculum erat Athenis, quòd reliquias Thesei in vrbem referri, cumq; pro heroe præcipiebat eximiè coli. Cæterùm, vbi conditus esset. ignorabant: quòd Scyrij fateri nollent, neq; concederent inuestigari. Tunc verò ingenti studio tandem inuenit Cimon conditorium, imposuitq; naui prætoriæ ossa, eaq; omni magnificentia decorata in patriam annis propè quadringentis pòst reduxit. Quamobrem summã gratiam apud populum comparauit.

Sophoclis & Aeschyli certamen Athenis.

In huius quoq; memoriam tragœdorum celebratum iudicium constituere. Nam cùm primam fabulam Sophocles etiamnum iuuenis dedisset, cõtentio autem esset & concertatio spectatorum: Arepsion archon non erat sortitus iudices certaminis. Vbi verò Cimon cum collegis ducibus theatrum ingressus solemnia libamina Deo fecit: non dimisit eos, sed illos decem ex singulis tribubus singulos coëgit iuratos considere & disceptare. Excessit autem ob dignitatem iudicum certamen ambitionem.

Aeschylus à Sophocle victus, in Siciliã migrat.

Victore Sophocle Aeschylum fama tenet discruciatũ, atq; id iniquo animo ferentem non diu Athenis hæsisse, inde profectum fuisse ex indignatione in Siciliam: vbi defunctus quoq; & circa Gelam humatus est. Ion cœnatum se cum Cimone narrat apud Laomedontem, cùm admodum adolescens ex Chio venisset Athenas. Secundum libamina cùm accubuisset, cantasse eum: quem, cùm non illepidè cecinisset, commendatum fuisse à conuiuis vt Themistocle festiuiorem. Illum enim scire se negasse canere vel citharam pulsare: vrbem verò amplificare & opibus augere, id tenere. Hinc sermone, vt fit, inter pocula ad res gestas Cimonis delapso, commemoratisq; maximis hoc vnum cõsilium illum ipsum ex suis vt solertissimũ proposuisse:

Cimonis astutũ consilium in diuidenda præda.

Cùm enim magnum numerum barbarorum, qui capti Sesti & Byzantij fuerant, socij denunciassent Cimoni, vt diuideret: atq; ille hinc captiuos, illinc quæ illi gerebant corporibus ornamenta posuisset: iniquam partitionem questi sunt. Ibi iussit ille eis, alteram portionem sumerent. Quam ipsi reliquissent, ea fore ait Athenienses contentos. Authore Samio Herophyto, vt res Persarum præ Persis deligerent: illi ornamenta cepere, Atheniensibus reliquerunt captiuos. Atq; in præsentia quidem ridiculus diuisor habitus Cimon est: quòd socij aureas armillas, catellas, torques, candyas, & purpuram ferrent: Atheniẽsibus verò nuda cederent corpora malè ad laborem comparata. Verùm breui pòst captiuorum amici & propinqui ex Phrygia & Lydia venientes singulos grandi precio redemerunt. Vnde classem quatuor menses aluit, insuperq; non parũ respubl. ex redemptione illorum superfuit auri.

Cimonis liberalitas.

Iam abundans Cimon imperij sui compendia, quæ præclarè ab hostibus parauerat, præclariùs impẽdit in ciues. Prædijs suis septa detraxit: vt & peregrini & ciues, quotquot quærerent, liberè sumerent poma. Cœna domi apud eum frugalis illa quidem, sed multis tamẽ sufficiens erat quotidie instructa: quò quilibet pauper admittebatur, vbi alimenta habebat citra laborem suum: vt vacare solis negocijs publicis posset. Aristoteles verò author est, non omnibus Atheniensibus, sed curialium eius Laciadarum cuiuis paratam cœnam fuisse. Comitabantur eum familiares adolescentes honestè amicti: quorũ quisq;, vbi occurrebat Cimoni ex ciuibus maior natu obsoletiùs

vestitus,

vestitus, pallium cum eo commutabat. Habebat ea res magnificam speciem. Nummos iidem ferebant cumulatè: qui in foro adiungebãt se inopibus, si qui honesti forent: eosq; his silentiò iniiciebant in manum. Cuius rei apparet Cratinum Comicũ in Archilochis meminisse hisce verbis:

In dulcibus votis mihi Metrobio erat
Scribæ suauem transigere vitam seni
Summè hospitali cum viro diuinitùs
Facto, melior inter Pelasgos quo fuit
Nemo aut prior, Cimone. Sed fato graui
Defunctus abscessit prior.

Adhæc Gorgias Leontinus Cimonem refert pecuniam quęsisse, vt vteretur: vsum, vt honorem assequeretur. Critias ex triginta tyrannis vnus optat in Elegiis,

Diuitias Scopadum, prolixè facta Cimonis,
Spartani palmas fortis Agesilai.

Lichæ Lacedemony hospitalitas.

Licham scimus Laconẽ nulla re celebrem alia in Græcia euasisse, quàm quòd ludis gymnicis esset solitus cœna excipere peregrinos. Enimuerò Cimonis prolixitas veterũ Atheniensium superauit hospitalitatem & benignitatem. Illi enim, vnde vrbs hæc iure gloriatur, alimentorum semen ediderunt inter Græcos, atque aquam fontanam accendendiq; copiam ignis hominibus, quibus esset opus, largiti sunt. At hic ædes suas pro cœnatione publica aperiendo, & ruri fructus tempestiuos capiendos, ac quæcunq; anni tempora gignunt bona, fruenda sumenda peregrinis præbendo quasi fabulosam illam, quæ Saturni regno fuit, rerum communionem in orbem reduxit.

Cimon aureum reduxit seculum.

Qui blandimenta hęc ad vulgus & populares calumniabantur esse assentationes, eos retundebant reliqua illius viri instituta optimatum sectæ consentanea & Laconica. Quippe Themistocli plus satis populi ius euehenti reluctatus est socio Aristide, & cum Ephialte post curiam Areopagi in gratiam populi moliente dissoluere contentiones suscepit. Porrò capturis publicis alios extra Aristidem & Ephialtem omnes cernens inhiantes, incorruptum se & intactum à quæstu in republ. præstitit: omniaq; gratis & innocenter per totam vitam & fecit & dixit.

Cimonis integritas & abstinentia.

Ferunt Rœsacem quendam barbarum, qui à rege desciuerat, Athenas cum magna pecunia se contulisse: Hunc, cùm fatigaretur à sycophantis, confugisse ad Cimonem, ac phialas duas aureas ad vestibulum eius posuisse, vnam argenteorum Daricorum, alteram aureorũ plenam: Cimonem verò, vbi vidit, arrisisse atque hominem rogasse, mercenario Cimone, an vti mallet amico. Qui vt respondit, amico: tum dixisse: Ergo aufer ista tecum. Vtar iis, quia amicus tuus sum, vbi opus habuero.

Cimonis dictũ præclarum.

Cùm autem penderent vectigalia socii: milites verò & naues completas, vt indictum iis fuerat, non præberent: verùm essent iam ab expeditionibus auersi: atque à bello abhorrerent, agros verò colere & quietam vitam gestirent ducere: quia hostes receperant se, nec quicquam facessebant negocii: ad hæc munera subeunda cõpellebant eos reliqui Athenienses duces. Non parentes iudiciis multisq; coërcendo inuidiosum reddebãt imperium Atheniensium & amarum. At Cimon diuersa via imperator incedens vim nulli afferebat Græco. Pecuniam autem ab illis, qui nomina dare nolebant, & naues vacuas accipiebat, illos ocio delinitos domi manere: agricolasq; & negociatores & quæstus sectatores imbelles ex bellatoribus per mollitiam & vecordiam permittebat effici. Athenienses verò magno numero vicissim imponebat in naues & expeditionibus subigebat. Qua re breui spacio eos sociorum dominos ipsorum præbentium stipendiis & nummis reddidit. Hos enim, qui nauigabant assiduè, arma perpetuò tractabant, sustinebant & exercebant se suis expeditionibus, quia assuescebant illi formidare & assentari: euadebant imprudentes pro sociis vectigales eorum & serui.

Cimon Persas affligit.

Iam Magni regis quidem nemo spiritus magis quàm Cimon infregit atq; imminuit. Neq; enim fugatum ex Græcia dimisit. sed quasi vestigiis inhærens prius quàm respirarent & consisterent barbari: alia depopulatus est & deleuit, alia ad defectionem impulit subiunxitq; Græcis: vt in Asia ab Ionia vsq; ad Pamphiliam nusquàm Persica arma apparerent. Cùm allatũ ad eum esset regios duces magno exercitu & ingenti classe circa Pamphiliã statiua habere: quò iis mare, quod intra insulas Chelidonias est, vndequaq; redderet infestũ et inaccessum: profectus est à Gnido & Triopio nauib. ducentis. quæ agiles vt essent & versatiles, optime fuerãt à principio per Themistocle paratę. Tũc verò effecit hic patẽtiores quoq;, põtemq;

Cimon pontes nauibus addit.

foris

foris addidit: vt multis instructæ armatis cum hostibus concurrerent pugnaciores. Postquàm infestus decurrit ad Phaselim, cuius oppidi erant Græci quidem incolæ, sed classem ipsius non recipiebant, neque desciscere volebant à rege: agrum eorum vsit & muros oppugnauit. Chij autem, qui erant in eius præsidijs, quòd Phaselitarum antiquitùs cupidi essent, hinc Cimonem lenierunt, hinc libellos sagittis annexos super muros miserunt, atque omnia significauerunt Phaselitis. Postremò pacem inter eos his conciliauerunt legibus: vt talenta decem numerarent, Cimonem sequerentur, vna'que arma ferrent in barbaros. Porrò Ephorus quidem Tithraustem classi regiæ tradit præfuisse, terrestribus copijs Pherendatem. Calisthenes verò Ariomandis Gobriæ filij summū imperiū in exercitu fuisse: Hunc classem ad Eurymedontem in statione habuisse, nec fuisse ad certandū cum Græcis promptum: sed naues Phœnissas ex Cypro aduentantes præstolatum. Ad hæc præuertenda Cimon in altum prouectus est: si detrectarent certamen, vi eos adacturus. Illi primò, ne cogi possent, amnem subierunt. Cæterùm vbi ingruerunt Athenienses: sexcentis nauibus, vt scribit Phanodemus: vt Ephorus, trecentis quinquaginta occurrerunt ei. Enimuerò nihil hi mari pro tanta classe ediderunt memorabile: sed ilicò proras verterunt ad littus, ac primi se eiecerunt in terram, atque ad exercitum pedestrem, qui erat in propinquo instructus, refugere: cæteri oppressi vnà cum nauibus periere. Vnde liquet permultas fuisse barbaris completas naues: vbi multis, vt est verisimile elapsis, multis obtritis ducentas tamen captiuas abstraxerint Athenienses. Cùm verò pedestres copiæ ad mare infestæ descendissent: arduum Cimoni videbatur vi descensionem facere, defessos'que cum integris, qui multi essent singulis comparati, committere Græcos. Attamen viribus & victoriæ fiducia cernens eos elatos alacres'que ad pedem cum barbaris conserendum, pedites ex prælio nauali adhuc calidos exposuit. Hi cum clamore & impetu irruerunt in hostem. quos quia Persæ exceperunt non ignauiter, acris commissa pugna est. Ex Atheniensibus fortissimus quisque & dignitate primus splendidissimus'que cecidit. Magno tandem labore fuderunt fugaueruntq; barbaros. Inde & reliquos ceperunt, & tentorijs omni opulentia refertis potiti sunt. Cimon vt insignis athleta prælijs vno die duobus victor, ac decus Salaminium terrestri pugna, nauali Platæense transgressus instituit victorijs. Atque naues Phœnissas LXXX. quæ non interfuerant prælio, vbi stare ad Hydrum est allatum: direxit eò properè cursum: cùm de maiore exercitu nondum quicquam duces certi intellexissent, sed fidem nondum adhibentes essent suspensi. Quo magis deprehensi omnes naues amisere, vnaq; homines maxima ex parte interiere. Hoc factum adeo animum fregit regis, vt nobilem illam pacem iniret: vt semper à mari Græco curriculum equi abstineret, neque intra insulas Cyaneas & Chelidonias longam nauem vel rostratam haberet. Calisthenes verò negat ita fœdere pactum barbarum: sed re id illius metu victoriæ præstitisse, ac tam procul à Græcia se remouisse, vt quinquaginta nauibus Pericles & Ephialtes triginta Chelidonias superuecti nihil viderint classis barbaricæ. Verùm inter plebiscita, quæ consarcinauit Craterus, exemplum est huius fœderis quasi ita facti relatum. Aram Pacis quoque hac de causa perhibent Athenienses erexisse, ac Calliam, qui eam legationem obierat, summis decorasse honoribus. Præda subhastata cùm ad alios vsus polluit populus pecunia, tum de illius belli manubijs australem arcis murum extruxit. Ad hæc longorum murorum, quos Scele vocant, quorum absoluta postmodum est molitio, primum fundamentum, cùm opus incideret in loca palustria & vliginosa: solo palustri multa chalice grauibus'que saxis astricto firmiter fuisse à Cimone pecuniam suppeditante & præbente suffultum. Item elegantibus illis exercitationis & disputationis liberalis locis, quibus mirificè sunt postea oblectati, vrbem princeps exornauit. Forum enim platanis conseuit. Academiam ex sitienti & squalida irriguum nemus effecit, instruxit'que planis curriculis & ambulationibus opacis. Porrò quia nonnulli Persæ excedere detrectabant Chersonneso, opem que euocabant superiorum Thracum despicientes Cimonem, qui paucas naues ab Athenis soluerat: fecit in illos impetum, ac quatuor nauibus tredecim de illis cepit: eiectis'que Persis & Thracibus domitis redegit totam Chersonnesum in ditionem Atheniensium. Hinc rebellantes Atheniensibus Thasios prælio nauali fudit, tres & triginta naues eorum cepit, oppidum expugnauit, auri metalla in opposita continente posita populo Atheniensi adiunxit. regionem Thasijs, quæ parebat ijs, ademit. Illinc cùm magnam facultatem incursandi Macedoniam, atque amplos fines eius extorquen-

Phaselis oppidum.

Cimonis de Persis terra mariq; victoria.

Naues ducentæ à Cimone captæ.

Pacis cum rege Persarum conditiones, authore Cimone.

Opera publica à Cimone extructa.

Cimō eijcit Persas Thracia.

torquendi haberet: vbi vti hac apparuit eum nolle, in suspicionem incidit quasi muneribus ab rege Alexandro delinitus, atque aduersariorum coitione in iudicium est vocatus. At in defensione sua exposuit iudicibus, non cum Ionibus sibi neque cum Thessalis hominibus locupletibus necessitudinem intercedere hospitij, sicut multis, quò colerentur & ditescerent: verùm, quòd Macedonas æmularetur, eorumque amplecteretur frugalitatem & continentiam, cui nullas præferret diuitias: augeret verò hostium opibus ciues, gloriari se. Istius iudicij Stesimbrotus mentionem habens Elpenicen refert supplicem domum ventitasse ad Periclem: quippe erat hic inter accusatores acerrimus. Eum verò arridentem: Anus es, dixisse, Elpenice, anus es nimium, quàm vt res tantas transigas. In iudicio fuisse tamen eum lenissimum Cimoni, atque ad accusandum quasi defunctoriè semel tantùm exurrexisse. Ab eo iudicio fuit absolutus. In reliquis actionibus suis insultantem optimatibus populum omneque arbitrium & authoritatem vendicantem, dum domi fuit, retinuit ac refrænauit. Verùm postquàm iterum ad bellum gerendum nauigauit, tum semel effrænis plebs confuso præsenti reipubl. ordine inueteratoque iure, quo fuerat ad eam diem vsus, eripuit duce Ephialte Areopago iudicia paucis demptis omnia: omnibusque tribunalibus ad nutum suum reuocatis rempubl. potentia Periclis, qui partes sectabatur plebis, in meram demersit populi ditionem. Quapropter in Cimonem, qui à reditu ob authoritatem illius consilij suggillatam stomachabatur, et reducere iterum eò enitebatur causas, illamque sub Clisthene restituere optimatum potentiam, conspiratione facta insurrexerunt clamoribus, populumque exasperauerunt refricantes ista de sorore eius crimina, ac studium obijcientes Lacedæmoniorum. In quæ illa quadrant Eupolidis de Cimone decantata carmina:

Haud improbus quidem fuit, sed negligens,
Potator, atque dormiens Lacedæmone
Sæpe Elpenicen liquit hanc solam suam.

Qui si supinus & temulentus tam cepit multas vrbes, atque tot victorias reportauit: profectò sobrij & intenti nemo neque prioris neque posterioris memoriæ Græcorum res gestas transcendisset. Enimuerò fuit ille Lacedæmoniorum à prima ætate studiosior. Ac filiorum quidem geminorum, vt tradit Stesimbrotus, alterum Lacedæmonium, Eleum alterum appellauit, quos genuerat ex coniuge Clitoria. quapropter improperauit ijs crebrò Pericles genus maternum. Diodorus Periegetes tam hos quàm tertium Cimonis filium Thessalum Isodice ait Euryptolemi filij Megaclis filia natos. Euectus autem ab Lacedæmonijs fuit, qui erant Themistocli infesti, & hunc iuuenem Athenis tum pollere ac principem esse malebãt. Erat id populo Atheniensi primùm iucundum: quòd beneuolentia in eum Lacedæmoniorum magnum fructum ipsis ferret. Initio enim incrementi, quòd essent negocijs socialibus implicati, honore & gratia Cimonis non offendebantur. siquidem res Græciæ pleræque explicabantur per eum: qui comiter cum socijs & cum Lacedæmonijs ageret gratiosè. Inde facti opulentiores, cùm Cimonem Lacedæmonijs non obscurè cernerẽt deuotum: fremuerunt. Etenim extollebat semper in concione Lacedæmonem: præcipuè verò si quid incusaret eos, aut incitaret, vt Stesimbrotus refert, habebat in ore: Atqui non sunt Lacedæmonij certè tales. Vnde inuidiam sibi & odium ad populum conflauit. Quæ verò potissimùm in eum valuit calumnia, ex causa orta est huiuscemodi: Anno regni quarto Archelai filij Xeuxidami Lacedæmoniorum regis maximo omnis prioris memoriæ terræmotu cùm Laconiæ labes in multos hiatus desedit, tum Taigetus concussus & vertices sunt aliqui eius collapsi. Ipsa conuulsa vrbs est tota præter quinque ædificia, cætera terræ tremor labefecit. Media porticu, vbi adolescentia & iuuentus vnà exercebant se, fama est paulo antè quàm terra quateretur, leporem percurrisse: Iuuenes autem, vt erant vncti, euolasse ludibundos ad consectandum: Adolescentes verò, qui remanserant, gymnasij ruina oppressos perisse cunctos. Horum tumulum vocant etiam hoc æuo Sismatiam, quòd σεισμὸν terræmotum dicant. Porrò Archidamus statim ex præsenti insequens prospiciens discrimen, ciuesque cernens ex tectis, quæcunque charissima erant, egerentes: classicum cani tanquàm aduentantibus præcipit hostibus, vt quàm ocyssimè armati ad ipsum concurrerent. Hoc fuit vnum Spartæ ea tempestate saluti. † Ilotæ enim concurrerunt vndique ex agris: vt Spartiatas, qui incolumes essent, opprimerent. quos vbi offenderunt armatos & instructos, in oppida sua sunt dilapsi, bellumque ex

Cimon accusatur, & absoluitur.

Stesimbrotus historicus.

Cimone absente mutat Pericles rempubl. Atheniensis.

Cimon Lacedæmoniorum studiosus.

Terræmotus maximus Lacedæmone, quo Sparta corruit.

† Ilotæ, id est serui in Lacedæmonios.

ex professo fecerunt ascitis nō paucis finitimis, ac simul Spartiatas adorti sunt Messenij. Mittunt itaq; Athenas ad petendum auxilium Lacedæmonij Periclidam: quem cauillans dicit Aristophanes ad aras pallidum sedentem in veste punicea exercitum postulare. Hic cùm aduersaretur Ephialtes, ac testato negaret subueniendum, neq; excitandā vrbem Athenis aduersariam: sed negligendam esse iacentem, & spiritus conculcandos Lacedæmonis: Cimonem narrat Critias patriæ propagatione vsui Lacedæmoniorum

Cimō suppetias fert Lacedæmonijs.

posthabita, inductoq; populo eis frequenti exercitu isse suppetias. Ion etiam verba cōmemorat, quibus imprimis in adhortando populum Atheniensem commouit: Ne Græciam claudam reddi, neu vrbem finerent destitui socia. Postquàm opem tulit Lacedæmonijs, atq; in reditu iter cum exercitu per fines Corinthiorum fecit: incusauit Lachartus eum: quòd prius, quàm ciues appellasset, inuexisset exercitum. siquidem eos, qui fores pulsant alienas, non antè, quàm dominus iusserit, dicebat ingredi. Cui Cimon: Atqui vos Lacharte, inquit, Cleonæorum & Megarensium non pulsatis foribus, sed refractis irrupistis armati, censentes omnia patère potentioribus. Ita in loco insultauit Corinthio, ac cum copijs transijt. Porrò Lacedæmonij exciuerunt iterum Athenienses contra eos, qui Ithonam tenebant, Messenios & Ilotas. Quorum, vbi adfuerūt, audaciam & alacritatem veriti solos ex socijs pro seditiosis ablegauerunt. Hi cum indignatione reuer

Cimonis exiliū.

si sunt, fueruntq; deinceps apertè Lacedæmoniorum fautoribus infesti, ac Cimonem leui ansa arrepta in decennium exterminauere. Tantum enim præfinitum temporis erat ostracismo. Interea cùm Lacedæmonij Tanagræ in reditu liberatis à Phocēsibus Delphis consedissent, eruperunt Athenienses ad manus cum ijs conserendas. Ibi Cimon armatus aggregauit se ad tribum suam Oeneidem, eratq; paratus ad aggrediendum cum ciuibus suis Lacedæmonios. Verùm consilium quingentorū re intellecta timens, quòd eum aduersarij calumniarentur turbare aciem velle atq; inuehere in vrbem Lacedæmonios: edixerunt ducibus, ne reciperent eum. Ita abscessit Cimon orans Euthippum Anaphlystium, reliquosq; sodales suos, qui erant potissimùm vt facientes pro Lacedæmonijs suspecti: vt strenuè cum hostibus dimicarent, crimenq; diluerent apud ciues factis. Hi

Cimonis sodaliū virtus.

centum numero armis Cimonis in manipulo suo receptis & globo inter se facto ruerūt in mortem alacriter, magnumq; sui desiderium & pœnitentiam populo Atheniensi iniusti criminis reliquere. Vnde non diu retinuerunt in Cimonem offensam, hinc priorum illius in ipsos beneficiorū haud dubiè memores, hinc adiuuante tempore. siquidem quòd ingenti prælio ad Tanagram essent fusi expectarentq; in æstatem expeditionem in se Pe

Cimon reuocatur ab exilio.

loponnesiorum, Cimonem ab exilio reuocarunt. Redijt in patriam ex rogatione Periclis. Adeo ciuiles erāt id temporis dissensiones, adeo moderata ira atq; è reipubl. vsu reuocabilis: ambitioq;, quæ affectus exuperat omnes, temporibus patriæ cōcedebat. At Cimon simul atque domum est regressus, sustulit bellum, ciuitatesq; in gratiam reduxit. Pace composita quia Athenienses videbat ocij impatientes, & negocia quærentes quæstumq; ex bello: ne solicitarent Græciam, neu vagantes magna classe circa insulas & Peloponnesum, causas bellorum intestinorum & socialium querelarum semina consciscerent ciuitati: compleuit naues ducentas ad inuadendam denuò Aegyptum & Cyprum: quò simul pugnando Athenienses cum barbaris exercerent se, & opimi euaderent iusta ratione, prædam à veris hostibus in Græciā deportantes. Omnibus iam paratis cùm

Cimonis somnium.

esset exercitus conscensurus, somnium vidit Cimon hoc: Canis exacerbata visa eum est allatrare, atq; ex latratu mistam edens humanam vocem dicere:

I, mihi nam catuliq; meis redderis amicus.

Ex hoc tam obscuro viso Astyphilus Posidoniates vaticinandi peritus, qui erat familiaris Cimonis, docet eum mortem ei hoc viso denunciari, atq; ita explicat: Canis est hosti, quem allatrat, hostis. Hosti autem nulla ratione potius quàm defunctus amicus efficiaris. Vocis commistio hostem denotat Medum. Medorum enim exercitus ex Græcis

Cimonis mortis præsagia.

est & barbaris mistus. Secundum hanc visionem cùm Libero patri sacrificaret, & victimam aruspex prosecuisset: quod sanguinis iam concreuerat, id examen formicarum rapuit, paulatimq; ad Cimonem detulit, atq; eius pollici pedis circumiecit. Diu hoc non est animaduersum. Inde vt animaduertit Cimon, adijt aruspex eum & iecur sine capite ostendit. Attamen, quia expedire se nequijt prouincia classem, soluit. Naues misit sexaginta in Aegyptum. Cum reliquis rursus prouectus afflicta Phœnissarum & Cilissarum nauium regia classe oppida circumcirca subiugauit, & Aegyptijs imminebat: nihil mediocre, verùm totius regis imperij agitans cōuulsionem, præsertim quia Themistoclem

accepe-

acceperat ingenti apud barbaros opinione & authoritate esse: quòd regi recepisset, vbi bellum Græcis moueret, ducturum se exercitum. Cæterùm Themistoclem ferunt spe abiecta belli Græci, quia diffidebat Cimonis se felicitatē & virtutem superare posse, voluntaria occubuisse morte. Voluens autem Cimon ingentis rudimenta belli & circa Cyprum tenens classem, legatos ad templum Ammonis misit de re occulta Deum consultum. Nec patet vlli, quamobrem missi fuerunt. Neque dedit legatis deus responsum: verùm simul vt adfuerūt, redire iussit eos. Iam enim ipsum Cimonem apud se esse. His auditis repetierunt legati mare. qui vt venerunt in castra, quæ tunc erant circa Aegyptum, de obitu Cimonis didicere. Supputatis autem ad oraculum diebus perspexerunt rectè significatum Cimonis exitum, quasi iam apud cœlites esset. Decessit in obsidione Citij, vt plerique referunt, ex morbo: alij volunt ex vulnere, quod confligens cum barbaris accepit. Moriens monuit suos, vt extemplò discederent, & mortem suam tegerent. Contigit autem, vt nemine sentiente neque hostium neque sociorum illi reuerterentur incolumes ductu auspicijsq; Cimonis, vt Phanedemus ait, dies iam triginta defuncti. Ab illius fatis nihil vltra contra barbaros præclari ab Græco duce est vllo editum: sed à concionatoribus & belli facibus in se mutuò versi, cùm intercederet nemo, in bellum exarsere: ac laxamentum rebus regis dederunt, exitium verò opum Græciæ inuexerunt supra quàm dicendo exæquaris graue. Diu pòst quidem Agesilaus armis in Asiam promotis bellum cum ducibus regijs, qui prouincijs maritimis præerant, breue libauit, nec re magnifica vlla vel memorabili gesta Græcorum seditionibus & tumultibus abreptus de integro exortis recepit se: in medijsq; sociorum & amicorum oppidis coactores reliquit Persarum. quorum ne tabellarius quidem descendit, nec equus citra quinquaginta millia passuum à mari conspectus est duce Cimone. Relata in Atticam fuisse ossa eius testantur monumenta, quæ hac quoq; ætate Cimonia appellātur. At colunt Citienses quoq; tumulum quendam Cimonis: quòd deus ijs, vt Nausicrates orator tradit, in fame & sterilitate præcepisset, ne despicerent Cimonem, sed tanquàm sorte maiorem humana eum honorarent & venerarentur. Is Græcus dux fuit.

Themistoclis mors voluntaria. *Cimonis mors.* *Post Cimonem nihil Græci præclari contra barbaros gessere.* *Cimonis sepulchrum.* *Cimonia monumenta.*

Lucullus.



Lvcvllvs auum habuit consularem: auunculum Metellum cognomento Numidicum. Ex parentibus eius pater repetundarum damnatus est, mater fuit Cecilia ob vitam probrosam infamis. Ipse Lucullus admodum iuuenis prius, quàm ad petitionem honorum descendisset aut rempubl. attigisset, rudimenta in postulando peculatus accusatore patris sui posuit Seruilio Augure. Ea visa res est populo Romano magnifica, eamq; vt ingens decus celebrauit. Et quidem videbatur alioqui vel non suppetente causa res non pudenda accusatio: sed delectabantur iuuenibus improbos vt generosis canibus feras consectantibus. Atqui ingenti exorta in eo iudicio contentione vsq; ad aliquorum vulnera & cædes, Seruilius est liberatus. Lucullus autem eloquens valde fuit atque vtraque lingua exercitatus. Itaque rerum suarum gestarum commentarios ab se scriptos Lucullo dedicauit Sylla ad concinnandam & digerendam politiùs historiam. Fuit enim eius non ad vsum modò accurata & prompta oratio, vt sicut aliorum, forum,

Luculli parentes. *Lucullus Seruilium accusat.* *Luculli eloquentia.*

Vt tunnus exagitaret impetu salum.
Vbi verò ex foro discessisset:
Iaceret exuccus bonarum hic artium
Ieiunitate mortuus.

Verumetiam honestas hasce atque ingenuas, quas vocant, literas parauerat etiamnum adolescens. Aetate verò iam prouectiore mentem ex multis certaminibus laxatam ad ocium & quietem detulit philosophiæ, eamq; ad rerum cognitionem excitauit, inhibēs in tempore & constringens ex concertatione cum Pompeio ambitionem. De illius eruditione præter cætera hoc commemoratur. Apud Hortensium causidicum & Si-

Lucullus ad philosophiæ studiū tanquàm in portum, se contulit. *Cic. in Lucullo.*

ſennam hiſtoriographum cùm ex ioco in ſerium iuuenis adhuc eſſet delapſus: profeſſus eſt propoſito carmine & oratione ſoluta Græca pariter & Latina, vtram earum dictionum ſors dediſſet, ea bellum Marſicum ſe conſcripturum: atq; obtigiſſe ſorte videtur ei oratio Græca. Extat enim belli Marſici Græcè compoſita hiſtoria.

Lucullus hiſtoriam græcè ſcripſit.

Huius in Marcum fratrem amoris cùm multa ſint veſtigia, Romani præcipuè cõmemorant primum. Nam cùm natu maior eſſet illo, ſolus capere honores noluit: verùm illius expectatis temporibus ita ſibi conciliauit populũ, vt Aedilis vnà cum illo abſens deſignaretur.

Luculli in fratrem amor.

Bello Marſico audacia eius iuuenis pariter & prudentia eluxit: conſtantiæ cauſa potius tamen & manſuetudinis comprehendit eum Sylla amicitia, eiusq; opera maximis quibuſq; in rebus perpetuò vſus eſt: in quibus fuit monetæ negocium. ſiquidem bello Mithridatico pleraq; in Peloponneſo per eum ſignata eſt, à quo Lucullia eſt dicta, diuq; durauit in bello, ex vſu militari citò permutata.

Lucullus monetæ à Sylla præfectus.

Hinc Athenis terra victor, quòd pollentibus claſſe hoſtibus commeatus circumciderentur mari, miſit Lucullum in Aegyptum & Africam ad claſſem illinc contrahendam. Media hyeme ſoluit, tribusq; Græcis myoparonibus & dicrotis totidem Rhodijs in tantum periculum ſe demiſit vaſti pelagi ac nauium hoſtiliũ: quæ quòd mari potirentur, paſsim vagabantur frequentes. Attamen in Cretam decurrit eamq; adiunxit. Cyrenæos cùm oſtendiſſet cõtinenter à tyrãnis & bello exagitatos, recreauit eos & rempubl. eorum conſtituit, vocem Platonis, quam fuerat ipſis vaticinatus, refricans apud ciuitatem.

Lucullus Cyrenæis leges ſcribit.

Cùm enim illum ſcilicet rogaſſent: vt leges ipſis ſcriberet, populumq; ipſum ad formam aliquam ordinaret bonam moderandæ reipubl. Arduum dixit eſſe adeò fortunatis leges ferre Cyrenæis. Nihil eſt enim homine rebus elato ſecũdis cõtumacius, neq; parentius imperio rebus aduerſis deiecto. quod quidem Cyrenæos tunc ferenti leges Lucullo tractabiles præbuit.

Luculli in Aegyptũ profectio.

Dum illinc curſum in Aegyptum dirigit, amittit piratarum incurſu omnia ferè nauigia. Incolumis ipſe tamen Alexandriam magno cum honore eſt delatus. ſiquidem claſsis ei vniuerſa vt eo decurrente ſolet regi eximiè exornata proceſsit obuiàm, eumq; adoleſcens Ptolemæus mirifica humanitate excepit: & quod duci extraneo ante eum delatum fuerat nemini, diuerſorium & cœnationem ei in regia dedit. Impenſarum verò & ſumptus nõ quantum cæteris, ſed quadruplum tantum illi præbuit. Neq; is tamen præter neceſſaria admiſit quicquam: nec donum, licet miſſa fuerint, quæ valerent octoginta talentis, cepit. Dicitur autẽ neq; Memphim adiſſe, neq; quicquam ex celebratis Aegypti miraculis viſiſſe: quòd feriantis hæc ſpectatoris & delicati eſſent: non ſicut ipſe, qui ſub dio tendentem iuxta hoſtium præſidia reliquiſſet imperatorem. Vt verò belli terrore Ptolemæus ſocietatem repudiauit: naues autem, quæ proſequerentur eum in Cyprum, attribuit & conſcenſuro ſalutandi colẽdiq; cauſa precioſum ſmaragdum auro illigatum dedit: primùm recuſauit Lucullus donum.

Smaragdus inſignis Lucullo donatus.

Cæterùm vbi inſculptã imaginem ſuam monſtrauit rex, veritus eſt reijcere: ne, ſi diſcedere inimico animo exiſtimaretur, inſidiæ ſibi mari pararentur.

Luculli ſub Sylla geſta mari.

Cum nauiũ manu, quam in præteruehendo fecit ex oppidis maritimis, repudiatis quæ ſceleribus contactæ prædatorijs erant, in Cyprum traiecit. Nunciato hoſtes ſub promontorijs ſtare & ipſum captare: ſubduxit claſſem omnem, ciuitatibusq; de hybernis ſcripſit & annona, quaſi illic ver expectaturus. Inde aſpirante aura nauibus repentè deductis vela fecit. Interdiu velis ſubductis & cõtractis nauigans, noctu in altum datis Rhodum applicuit ſoſpes. Nauibus additis Rhodijs Coos & Gnidios induxit, vt eiecto præſidio regio ferrent ſecum arma in Samios. Chio regios ſolus exegit. Colophonios comprehenſo eorum tyranno Epigono, aſſeruit in libertatem. Eadem fortè tempeſtate deſerta Mithridates Pergamo Pithanæ incluſerat ſe. Ibi premente eum ex terra & circũſedente Fimbria mare reſpiciens omneis vndiq; cõtraxit & accerſiuit ad ſe claſſes: quòd cum acri viro & victore ſigna conferre & bellare Fimbria dubitaret.

Fimbria obſidet Mithridatem.

Quod aduertens ille, quia claſſe deficiebatur: miſit ad Lucullum oratum, claſſem vt adduceret ac ſibi præſtò eſſet ad infeſtiſſimum populo Romano atque atrociſsimum omnium regum capiendum: ne ingens & multis petitum certaminibus laboribusq; decus Romanis elaberetur Mithridates, qui in manibus ſit & plagis circumiectus. quo comprehenſo neminem gloriam maiorem laturum, quàm illum, qui intercluſiſſet ei fugam, & profugienti manus inieciſſet.

Lucullus Fimbriæ adeſſe non vult in capiendo Mithridate obſeſſo.

Ab ſe terra expulſum, mari prohibitum ab ipſo, ambobus præbiturũ palmam. Illa verò ad Orchomenon & Chæroneam Syllæ decantata geſta in nullo loco Romanos numeraturos. Neq; erat eius abſurda oratio, ſed omnibus liquebat: ſi Fimbriam id temporis audiuiſſet Lucullus, & qui non procul aberat, naues illuc flexiſſet, portumq; obſepſiſſet claſſe, de-

bellatum

bellatum fuiſſe, atq; omnes infinitis malis exolutos. Sed ſiue quòd omnibus tam priuatis quàm publicis rationibus ſuam pręferret cum Sylla neceſsitudinem: ſiue nefarium hominem, qui amicum nuper & imperatorem interfecerat ex ambitione, execraretur: ſiue diuina vtiq; forte aliqua Mithridatem ſibi ſepoſuerit & reſeruauerit aduerſarium, nō auſcultauit ei, Mithridatiq; copiam fecit mari elabendi & Fimbriæ deludendi exercitum.

Lucullus Neoptolemum Mithridatis ducem claſſe profligat.

Ipſe verò ſolus primùm circa Lecton Troadis regiam claſſem ſubitò oblatam profligauit. Iterum ad Tenedum appetentem ſe maiore apparatu percipiens Neoptolemum, prouectus eſt ante aciem quinqueremi Rhodia, quam conſcendit: cuius erat Demagoras nauarchus vir cùm Romanorum cupidus, tum præliorū naualium ſcientiſsimus. Incurrente magno impetu Neoptolemo, imperanteq; gubernatori dirigere proram in hoſtem: veritus molem Demagoras nauis regiæ & roſtri ærei vim, non ſuſtinuit fronte cōcurrere. ſed nauem properè circumactam detorquens inhiberi iuſsit, atq; ibi incurrentis ictu excepto nō eſt nauis afflicta: quòd eſſet partibus mari tectis illiſus. Interea ſocijs aduehentibus imperat nauem flecti Lucullus. Ibi multis editis virtutis operibus auertit hoſtes, ac Neoptolemū conſectatur. Inde Syllæ tranſmiſſuro in Cherſonneſo cōiungens ſe tranſitū tutum præbuit, atq; in tranſportando exercitu iuuit. Vt Mithridates pace pacta recepit ſe in Pontum Euxinum, Sylla autem Aſiæ viginti millia talentûm mulctam indixit: iniuncto Lucullo munere huius pecuniæ exigendæ & ſignandæ monetæ alleuatio quædam Syllæ acerbitatis videtur fuiſſe ciuitatibus oblata, quòd non modò innocentem & iuſtum ſe, ſed lenem etiā in tam graui & triſti præſtaret prouincia.

Mitylenæi à Lucullo victi.

Mitylenæos quidem, qui apertè deſciuerant, cupiebat reducere ad culpam agnoſcendam & pœnam moderatam ob admiſſa, quòd ſecuti fuiſſent Marium, pendendam. quos vt inſanire vidit: claſſe eos adortus eſt, fudit, atq; intra muros redegit. Dum oppidum obſidet, nauigauit propalàm die verſus Eleam: verùm rectè regreſſus collocatis prope vrbem inſidijs quieuit. Vbi Mitylinęi incompoſitè & ferociter ſicut vacua caſtra oppreſſuri erupere: ſubitò in eos coortus cepit ingentem numerum. Interfecit ex ijs, qui pedem ſecū contulerunt, quingentos. Seruilia ſex millia & immenſam aliam prædam auertit. At cladibus, quas Sylla & Marius inflixerūt in Italia mortalibus multas & varias, nequaquam fuit implicatus: quòd diuina quadam forte in negocijs Aſianis moraretur.

Lucullus honoratus ab Sylla.

Nemini eſt tamen ab Sylla aliorum amicorum poſthabitus. ſed & lucubrationem illi commentariorum ſuorum ex beneuolentia nuncupauit, moriensq; præterito Pompeio tutorem filio ſcripſit. Atq; hinc manaſſe inter eos iuuenes & gloriæ cupiditate flagrantes fons primus videtur ſimultatis & æmulationis.

Luculli conſulatus.

Breui ſub exceſſum Syllæ cōſul cum M. Cotta fuit Olympiade ſupra centeſimam ſexta & ſeptuageſima. Eo tempore multis bellum Mithridaticum exagitantibus M. Cotta id non quieuiſſe, ſed interquieuiſſe dixit. Quapropter fuit Lucullo moleſtum; quòd ei Gallia ciſalpina prouincia obtigiſſet, quæ materiam non habebat rerum magnarum.

Lucullus Pompeij gloriæ æmulus.

Præcipuè verò gloria eum Pompeij ex rebus in Hiſpania geſtis vt nullius alterius ſtimulabat. qui omnium opinione, ſi patratum bellū Hiſpanicum eſſet, dux deſignabatur cōtra Mithridatem. Quare cùm ſtipendium poſtularet, & ni mitteretur, relictis Hiſpania & Sertorio deportaturum ſe in Italiam ſcriberet legiones: prēſtò ei fuit promptiſsimè Lucullus, vt pecunia mitteretur, et ne vlla occaſione in ſuo cōſulatu ille reuerteretur. Totam enim rempubl. in manu eius, ſi cum tanto adeſſet exercitu, exiſtimabat fore. Nam ei, qui omnia in ciuitate id temporis poterat, quòd nihil nō diceret & faceret populariter, Cethego ſimultas intercedebat cum Lucullo: qui illius deteſtabatur vitam infamibus amoribus luſtriſq; atq; omni improbitate delibutā. Atq; cum hoc quidem propalàm inimicitias gerebat. L. Quintium alium concionatorem, qui acta Syllæ vellicabat & turbare moliebatur ciuitatis ocium, hinc priuatim mulcendo, hinc publicè monendo à cœptis deduxit & ambitionem eius reflexit. Ita magni ſemina morbi tractauit quàm prudentiſsimè & ſaluberrimè. Medio temporis Octauij, qui obtinebat Ciliciam, mors adfertur.

Luculli ambitio de obtinendo imperio cōtra Mithridatem.

Gliſcentibus compluribus eius prouinciæ cupiditate, & Cethegum, vt qui eam conficere cui vellet poſſet, aſſectantibus: ipſius quidem Ciliciæ Lucullus non magnam ducebat rationem. verùm quòd exiſtimaret, ſi eam eſſet aſſecutus, quia adhærebat ei Cappadocia, neminem alium ad bellum cum Mithridate gerendum miſſum iri: omnem lapidem mouit, ne ad alium deuolueretur hæc prouincia. Factum deniq; ſubire nec honeſtum nec commendandum, expediens tamen ad votum conſequendum neceſsitate impulſus ſuſtinuit præter ingenium ſuum.

Præcia infamis mulier Romæ

Mulier quædam Pręcia nomine erat forma & facetijs in vrbe nobilis, impudenti ſcorto cætera nihilo me-

lior. Verùm quòd vteretur ijs, qui cum ipsa consuetudinem & rationes habebant, ad amicorum voluntates & negocia: cum reliqua gratia hanc comparauit existimationem, vt amicorum studiosa & negociosa haberetur. Vnde plurimum polluit. Ad quam, vt ea

Cethegi dominatus Romæ.

florentem authoritate tunc & in ciuitate dominantem pellexit Cethegum, atq; cum eo viuebat amante, opes reipubl. semel omnes recidere. Nihil enim gerebatur publicè nisi interueniente Cethego nec nisi ex Præciæ apud Cethegum authoritate. In huius ergo gratiam vt donis se Lucullus & blandimentis insinuauit (& erat commendatricem videri Luculli in illius petitione magnifica mulieri fastuosæ & pomposæ merces) ilicò Cethegum habuit laudatorem ambientem'q; ei Ciliciam. Quam vbi semel est assecutus, nihil iam Præciam vel Cethegum opus fuit adhibere patronum: sed omnes ei pariter bellum

Lucullo Cilicia & bellum contra Mithridatē decernitur.

Mithridaticum decreuerunt. quòd perpetrari illud ab alio nemine posset rectius, Pompeio cum Sertorio adhuc colluctante & fatiscente ob senium Metello: quos solos faceres de illa prouincia iustos Lucullo competitores. Cotta eius collega tamen multis precibus ab senatu obtinuit, vt cum classe ad Propontidem tuendam et Bithyniam protegendam mitteretur. Igitur Lucullus conscripta in Italia legione traiecit cum ea in Asiam: vbi alias copias accepit, quæ in vniuersum iamdudum delicijs atq; auaritia erant

Fimbriani milites, pro corruptis.

corruptæ. Inter quas illæ, quæ Fimbrianæ dicebantur, quòd assueuissent sine imperio agere, intractabiliores erant. Hæ fuerunt, quæ consulem & ducem Flaccum authore Fimbria interemerant, & ipsum Fimbriam prodiderant Syllæ, procaces homines atq; intestabiles: sed bellicosi, laborum'q; militarium periti & tolerantes. Verumtamen breui spacio Lucullus & horum præcidit ferociam, & alios correxit. qui tum primùm meo iudicio iustum imperatorem & ducem senserunt: cùm blandimentis antè & pro ipsorum libitu fuissent ad bellandum inuitati. Apud hostes verò ad hunc modum res se habe-

Mithridatis exercitus contra Lucullum.

bant. Mithridates, qui vt multi sophistæ inflatus primò & euanidis ostentabundus viribus, splendidis tamen in specie & pomposis adortus fuerat Romanos: inde cum risu explosus & correctus, cùm esset iterum arma moturus, copias ad verum & iustum apparatum contraxit. Detraxit enim variam multitudinem, dissonorum minas barbarorum, armorum inauratorum & gemmis distinctorū instrumentum: quòd victoribus id prædæ esset, nō adderent tenentibus neruos. Pro his gladios fabricauit more Romano, scuta solida compegit, atq; exercitatorum habuit magis quàm comptorum equorum delectum, peditum C X X. millium ad Romanos ordines instructorum, equitum X V I. millium præter currus falcatos, qui centum erant. Adhæc naues non deauratis tabernaculis nec balneis pellicum & gynæcijs delicatis adornatas: sed armis, sed telis, sed stipendio comparauit refertas: atque ita impetum in Bithyniam fecit. Ciuitates autem iterum receperunt eum lubentes, non hæ solùm, sed Asia etiam tota. quam recidiui priores morbi inuaserant: quòd intolerandis malis oppressa à fœneratoribus & publicanis Romanis esset. quos Lucullus pòst vt Harpyias alimenta eorum rapientes abegit. tunc verò enitebatur castigando eos moderatiores efficere, defectiones'q; dirijciebat populorum,

Cotta à Mithridate prælio superatus.

cùm nemo propè dixerim quiesceret. Dum hic distringitur Lucullus: suam occasionem Cotta ratus, confligere instituit cum Mithridate. Multis autem nunciantibus Lucullum aduentare & iam in Phrygia castra habere: existimans triumphum se tantum non in manibus tenere, ne consors eius Lucullus foret, maturauit dimicare. Cæterùm afflictus simul terra mari'q; sexaginta naues cum ipsis viris, terra peditum quatuor millia amisit. Ipse Chalcidone inclusus & circumsessus Luculli opē respectabat. Non deerant, qui Lucullum ad progrediendum omisso stimularent Cotta: vacuum ostendentes capturū Mithridatis regnum. Fremebant maximè hæc milites, non tantùm se suos'q; malis consilijs perditum iuisse Cottam, sed ipsis etiam officere paratam sine sanguine victoriam haben-

Luculli pium dictum, de ciue seruando.

tibus. His Lucullus pro concione demonstrauit, vnum malle se ab hostibus seruare ciuem: quàm omnia, quæ essent hostium, capere. Cùm Archelaus autem Mithridatis quondam in Bœotia præfectus, qui pòst desciuit ab eo, & tunc in præsidijs erat Romanis, suo tantùm conspectu cōfirmaret Lucullum toto Ponti regno potiturū: negauit venatoribus se timidiorem esse, omissis feris vt ad vacua eorum lustra cōtenderet. Ita fatus mouit in Mithridatem. Pedites habebat X X X. millia, equites duo millia quingentos. Vbi contemplatus est hostes, obstupefactus eorum multitudine cupiebat abstinere pugna & tempus ducere. sed quia Marius, quem ex Hispania miserat Sertorius cum copijs ducem Mithridati, occurrit lacessiuit'q; eum, instruxit aciem ad cōfligendum. Cùm iam penè concurrerent: ex nulla euidenti commutatione, sed cœlo repentè dirupto grandis

visa

visa est flammea moles intet vtramq; aciem delabi. Ea corpore dolium, colore referebat candens argentum. Quod ostentum vtrosq; perculsos diremit. Id prodigij in Phrygia aiunt circa Otryas, quas vocant, accidisse. At Lucullus nullius humani apparatus vel opulentiæ existimans esse asidentibus hostibus tot legiones, quot habebat Mithridates, diu alere: iubet ex captiuis vnum ad se adduci. Primùm percunctatur, quot contubernales victitarent secum, deinde quantum cibarij in tentorio reliquisset. Hunc, vbi respondit, facessere imperat. Alterum item & tertium excutit. Inde comparata cum vescentium numero commeatus copia, comperit tribus vel quatuor diebus defecturam hostes annonam. Ita potiùs tempus statuit protrahere. Atque ingentem frumenti numerum in castra conuexit: quò rebus omnibus affluens ipse illorum immineret penuriæ. Interea institit Mithridates capere accisos Chalcedonensi Marte Cyzicenos. quippe ciuiū tria millia & decem naues amiserant. Ergo quò Lucullum falleret, mox à cœna densam & nimbosam noctem nactus castra mouit, occupauitq; vrbis ex opposito oriente luce in Adrastiæ monte considere. Lucullus autem cùm abeuntem sensisset, insecutus eum satis habuit nō incidisse incomposito agmine in hostem, & circa Thraciam quam vocant comen castra posuit loco maximè opportuno ad excludendas vias & regiones, qua & vnde petendus necessariò erat Mithridaticis commeatus. Quare consequentia animo prospiciens nō celauit eam milites. verùm postquàm munitis castris ab opere redierunt: concione aduocata gloriatus est paucis diebus victoriam se ijs incruentam traditurum.

Flammea moles inter duos exercitus, è cœlo delapsa.

Mithridates Cyzicum obsidet.

At Cyzicenos Mithridates denis ex terra castris cinctos, classe per æquor freto, quod à continente summouet vrbem obthurato, vtrinq; obsidit. Subibant illi quidem cætera forti animo periculum, & erant ad omnia acerba pro populo Romano perpetienda obfirmati: sed quòd incerti essent, vbi nam ageret Lucullus, neq; de eo quicquam accepissent, erant attoniti. quamuis conspicua essent, & sub oculis eorum posita castra eius. verùm decipiebantur à Mithridaticis. Hi Romanos locis superioribus asidentes sibi demonstrabant illis, dicebantq;: Cernitis hos? Armeniorū & Medorum copiæ sunt, quos auxilio misit Mithridati Tigranes. Ita Cyziceni tanto circunstante bello trepidabant: nec, si adesset quidem Lucullus, locum relictum videbant ferendi subsidij. Verùm Demonax, qui ab Archelao missus in vrbem fuerat, primus ijs adesse Lucullum indicauit.

Militū Mithridatis strategema.

Quibus fidem ei non habentibus, arbitrantibusq; ad leuanda eum præsentia mala ficta adferre, puer adfuit captiuus, qui erat è manibus hostium elapsus. Hic rogātes, vbi nam Lucullum diceret esse, ludere eos putans, ridebat. quos vt seriò videt agere, commonstrat digito castra Romana. Ita illi confirmati fuere. In lacu Dascylite acatia satis magna commeabant. quorum maximum subduxit Lucullus, ac plaustro ad mare deuexit. Eo, quot capiebat milites, imposuit. Hi noctu clàm traiecerūt, atq; imprudentibus hostibus oppidum sunt ingressi. Videntur Cyzicenos dij quoq; probantes eorum fortitudinē, excitasse cùm alijs perspicuis signis, tum instante Proserpinæ festo. qui cùm nigra boue ad immolandum deficerentur, farinaceam fictam admouerunt aræ. Sacra vacca, quæ Deæ alebatur, trans fretum pascebat cum reliquo armento Cyzicenorum. Hæc illo die armento relicto ad oppidum tranauit sola, & se sacris admouit. Dea insuper publico ludimagistro Aristagoræ offerens se in somnis: Equidem, inquit, adsum vt tibicinem Africum in tubicinem Ponticum impellam. Tu ergo ciues iube bono animo esse. Mirantibus hanc vocem Cyzicenis prima luce fluctuauit mare quasi immenso incumbente vēto, & admotæ muris regis machinæ insignia Thessali Nicomedis opera stridore & crepitu primùm, quid instaret, indicauerunt. Inde Auster supra modum procellosus coortus horæ breui momento cùm alia conuulsit machinamenta, tum turrim ligneam in altitudinem centum cubitorum excitatam tanta vi concussit, vt proruerit eam. Iam memoriæ proditum est compluribus Ilij fuisse Mineruam in somnis obuersatam. quæ copioso manabat sudore, partemq; pepli discissam ostendebat. Eam dixisse, modò venire se a bope Cyzicenis ferenda. Columnam autem, quæ decreta & literas de his inscripta habet, ostendebant Ilienses. At Mithridatem, quousq; lactatus à ducibus suis famem exercitus ignorauit, vrebat quòd effugerent Cyziceni expugnationem vrbis. Vt verò aduertit necessariorum difficultatem, qua presi non abstinebant milites humanis carnibus: ambitio & gloria eius citò effluxit, quòd nimirum non ad speciem vel pompam bellum gereret Lucullus: verùm, vt est in prouerbio, in ventrem sibi insiliret: omniaq; moliretur, quò præcideret sibi cibaria. Quapropter dum oppugnat Lucullus arcem quandā: occasione maturans Mithtidates vti, dimisit in Bithyniam omnem fermè equitatum cum iu-

Prodigia Cyzicenis oblata.

Ludimagistri somnium.

Fames in exercitu Mithridatis.

In ventrem insilire, prouerbium.

mētis atq; ex peditatu minus vtiles, Ea re nunciata cōtendit Lucullus de nocte in castra. Diluculo tēpestate sæuiēte insecutus eos est cum cohortibus decē et equitatu: quamuis niue affligerentur atq; alijs incōmodis, vt multi milites ex gelu succūbentes sequi nō valerent. Cum cæteris ad Rhyndacū amnem hostes assecutus stragē edidit tantā, vt Apollonia egressæ fœminæ diriperēt impedimēta & trucidatos spoliarēt. Multis scilicet cæsis capta sunt equorū sex millia & iumentorū infinitus numerus, capita millia quindecim, omnesq; præter castra hostium duxit. Salustiū verò demiror, qui autumat tum primùm visos Romanis camelos. q; neq; olim illos, qui duce Scipione Antiochū deuicerūt: neq; hos, qui ad Orchomenō & Chæroneā certauerunt cum Archelao, nosse putauerit camelum. At Mithridates fugā quamprimùm instituit arripere. Quò aūt tricas & moras Lucullo necteret à tergo, misit ad mare Græcū præfectū classis suę Aristonicum. quem iam iam soluturū Lucullus per proditionem in potestatem suam redegit cum decem millibus aureorū, quos portabat ad solicitandā exercitus Romani partem. Ibi fugit Mithridates ad mare: terrestres copias reliquit reducēdas ducibus. Quos adeptus ad Granicū fluuiū Lucullus permultos cepit, concidit millia viginti. Perhibentur ex vniuersa tam lixarū quàm militum colluuie nō minus trecenta millia cōtrucidata fuisse. Lucullus primùm Cyzicum ingressus est. vbi ingenti lætitia & magnifico honore exceptus est. Inde ad Hellespontum profectus classem instruxit. Troadem delatus diuertit in delubro Veneris. Nocte sopitus Deam videre visus est sibi assistentem, quæ diceret:

Lucullus cædit Mithridatis equitatum.

Lucullus Mithridatis peditatum cædit.

Luculli somnium.

Quid dormis animose leo, cùm proximus adsit
Hinnulus ecce frequens?

Surgens aduocatis amicis exposuit adhuc nocte somniū. Simul adfuerunt ab Ilio quidā, qui nunciarent conspectas ad Achæorū portum quinquiremes regias tredecim, quæ in Lemnū intenderent cursum. Statim igitur soluit, atq; his potitus est, præfectū earum Isidorū occidit. Mox insectatus est cæteros nautas. Stabant hi in anchoris, omnibusq; terrę appulsis nauigijs ꝓpugnauerūt ex fororū tabulis, ac Romanis vulnera ingessere. Nec circūuehendi dabat locus facultatē, vel nauibus fluctuātibus hostiles premēdi terræ accubantes & firmiter consistentes. Tandē qua accessum insula in terrā dabat, fortissimos quosq; milites exposuit. qui auersos adorti hostes partim eorū interfecerūt, partim cōpulerunt præcisis nauiū oris fugiētes à terra collidere nauigia atq; in aciē Luculli incurrere. Multi ibi afflicti. Inter captiuos adductus Marius est, q missus à Sertorio dux fuerat. Altero oculo captus erat. Edixerat aūt ante certamē Lucullus militibus, neque luscū interficerēt: quò ꝓbris & cōtumelijs vexatus necaretur. His cōfectis ꝓperauit ipsum insequi Mithridatē q; in spe esset circa Bithyniā se illū inuenturū retentū à Voconio, quē ad instandū fugiēti cum nauib. miserat Nicomediā. Enimuerò Voconius, dum in Samothrace initiat̃ mysterijs & festos dies celebrat, haud occurrit in tempore. At Mithridatē, qui iam cum classe vela fecerat & maturabat ante, q̃ ipsum peteret Lucullus, Pontū tenere, corripit atrox tēpestas: qua classis partim abrepta, partim est depressa. Omnia littora eiectis fluctu naufragijs ꝑ multos dies cōpleta fuere. Rex ipse, cùm nauis oneraria, qua vehebat̃, nec ad terrā appelli ob molē in tanta ꝓcella & cæcis fluctibus videret̃ gubernatoribus posse, & aquā iam accepisset atq; obruta esset vndis: trāsgressus in myoparonē piraticū corpore prædonibus permisso incolumis Heracleā Ponticā insperatò & summo cum discrimine peruenit. Porrò Lucullus cōmendabili ambitione, quæ successum habuit, aduersus senatū est vsus. Cùm em̄ hic ei ad classem parandā tria millia talentûm decreuisset: negauit per literas ea pecunia sibi opus esse, iactans sine sumptu & tāto paratu Mithridatem se sociorū nauibus exacturū pelago. quod Dei ope præstitit. Fama tenet Dianæ Priapinæ ira fuisse tempestatē illam Ponticis immissam: q; fanū eius spoliauissent & signū loco mouissent. Multis Lucullū monentibus, vt ꝓferret bellū, horū repudiata sententia per Bithyniā & Galatiā in regnū Mithridatis inuasit. In principio laborauit vsq; eò difficultate necessariorū, vt X X X. millia Gallogręcorū sequerent̃ castra, qui me dimnos singulos frumēti humeris portabāt. Progressus verò omnia subiugādo ad affluentiam euasit tantā: vt bos in exercitu drachma, mancipiū quatuor esset venale: cæterā prædā nullo respectu alij relinquerēt, alij corrumperēt. quippe distrahere prædā omnibus abundantibus nulli valebāt. Sed cùm equitatu & excursionibus omnē regionē vsq; Themiscyras & circa Thermodontē vastassent fœdassentq;, lacerabāt Lucullū: quòd omnes vrbes per deditionē, vi cepisset nullā, neq; diripiendā concessisset militi. Imo dixerunt, nunc etiā Amiso opulenta & copiosa relicta vrbe, quàm nō sit operosum, si acriter eam

Lucullus affligit classem Mithridatis.

Mithridates tempestate afflictus.

Luculli ambitio laudabilis.

Luculli in Pontum expeditio.

Bos drachma emptus.

eã oppugnes, expugnare: ad solitudines nos Tibarenorũ & Chaldæorũ rapito, vt cum Mithridate cõfligamus. Verùm quia nõ sperauerat hine milites eò furoris progressuros, vt apparuit deinceps, contẽnebat & floccipendebat ea. Apud illos verò malebat purgare se, qui culpabãt cunctationem suã: q̃ circa vicos & oppida nõ magni momenti multũ corrumperet tẽporis, & permitteret respirare Mithridatẽ. Id ipsum, inquit, cupio & res struo: vt vires ille reparet, copiasq́, quibus fidere queat, contrahat: quò cõsistat, neq; ad nostrũ profugiat aduentũ. Cernitis'ne habere illũ à tergo solitudinẽ vastã & immensam? Subest Caucasus montesq́ multi & lati, qui infinitos reges valeãt aciem declinãtes occultare & tegere. Paucorum dierũ est ex Cabiris in Armeniam iter. vbi sedet ociosus rex regũ Tigranes tanta subnixus potentia, qua Parthis extorquet Asiã, ciuitates Græcas in Mediam deportat, Syriam obtinet & Palæstinam, Reges Seleuci successores sustollit, eorum filias & coniuges sedibus extractas abducit. Hic Mithridatis propinquus est & gener. Non proijciet certè, vbi ad ipsum se contulerit, supplicem: sed arma nobiscum conferet. ac dum acceleramus Mithridatem pellere: verendum fuerit, ne accersamus Tigranem. qui iampridem prætextum aduersus nos quætit. Verùm haud reperiet speciosiorem, quàm pro homine necessario & rege coacto sibi seruire. Quid ergo, hóccine vrgebimus ipsi, & Mithridatem docebimus nescium: quibuscum socianda ei aduersus nos arma sint? inuitumq́ & dedignantem vt probrosum sibi in manus agemus Tigranis? Non spacium ei dabimus ex peculiaribus se instruendi atq; erigendi: ac cum Colchis, Tibarenis, Cappadocibus, quos contudimus frequẽter, potius quàm cum Medis & Armenijs præliabimur? Hoc consilio Lucullus ad Amisum lenta obsidione tempus triuit. Exacta bruma relicto ad continuandam obsidionem Murena mouit in Mithridatem. Is ad Cabira statiua habebat, certus ibi subsistere Romanos exercitu conscripto ad XL. millia peditum, quatuor equitum: in quibus summam fiduciam habebat. Ac transgressus Lycum amnem in campos patentes progressus lacessiuit Romanos. Commisso equestri prælio terga Romani verterunt. In eo Pomponius non obscurus vir saucius captus est, atq; ad Mithridatem vulneribus grauis pertractus. Quem vbi rogauit rex, an si ipsum conseruasset, amicus sibi esset futurus: Sanè, inquit, si pacẽ cum populo Romano feceris: sin secus, hostis. Cuius rex admiratus virtutem nihil cum læsit. Cùm timeret Lucullus præualentibus equitatu hostibus planiciem: petere autem montanam regionem longinquam, saltuosam, impeditam grauaretur: ecce Græci quidam, qui abdiderant se in speluncam quandam, capiuntur. quorũ natu maximus Apollodorus Lucullum recipit se ducturum & locaturũ tuta castris sede, quæ arcem habeat Cabiris imminentem. Huic fidem adiunxit, ac prima vigilia incensis ignibus mouit, saltusq; sine incommodo superato tenuit arcem. Vbi diluxit, conspectus est supra capita hostiũ metari castra locis: qui dimicare volenti facultatẽ eius dabãt, & ne compelli posset, quiescenti. Cùm ergo neuter in animo haberet in præsentia prælio decernere: ferunt ceruum persequentibus regijs intercepta via occurrisse Romanos. Hinc initium ortum certaminis, pluribus semper ad vtrosq; affluentibus. Postremò superiores fuerunt regij. Fugã Romani suorũ ex vallo despicientes fremuerunt: ac concursu ad imperatorem facto rogauerunt, vt duceret in hostem, signumq́; poposcerũt pugnæ. Qui quò eis ostenderet, quanti sit momenti in ipso certamine & discriminis articulo ducis præsentia & cõspectus prudẽtis: edixit illis, ne mouerent se, ipse autem descendit in campum, & primis occurrens fugientium consistere imperauit & redire secum in hostem. His parentibus cæteri à fuga se reprimentes globo facto hostes facilè fugãt cõsectanturq́; vsq; ad castra. Reuersus Lucullus eos, qui ceperant fugã, de more notauit, ac fossam pedũ duodecim discinctos assistente & spectante toto exercitu ducere iussit. Erat in præsidijs Mithridatis Dardariorũ dynastes Olthacus (Est aũt Dardariorũ gẽs ex barbaris illis, qui Mæotin paludẽ accolunt) omnibus vir in bellicis factis insigniter manu promptus & audax, & consilio cum primis bonus, in cõsuetudine prçterea ciuilis & obsequiosus. Hic quòd semper cum aliquo populariũ suorũ dynastarũ certamẽ & æmulationẽ de primis haberet: recepit Mithridati ingẽs factũ, Lucullũ se interfecturũ. Collaudatus ab rege, atq; in speciem ita probris ab eo ex composito suggillatus equo arrepto transfugit ad Lucullum. à quo est receptus benignè, quòd magni nominis in castris eius esset. Ac citò vsu cõprobati sagacitatem obseruantiamq; magni fecit, vt adhiberet subinde eum mensæ & in consilio. Vbi Dardario res matura visa est: iussit pueris suis, vt equum producerent extra vallũ. Tum perrexit militibus meridiantibus & quiescentibus ad prætoriũ, nemi-

Luculli ad milites oratio.

Mithridates fugat equitatum Luculli.

Romani militis capti cõstantia.

Ducis conspectus in certamine magni est momenti.

Dardarij, quæ gens.

Luculli periculum, ab Olthaco insidijs.

nem ratus prohibiturũ ingreſſu ſe, qui familiaris eſſet imperatori, ac de re graui agere diceret velle ſe cum imperatore. Et ingreſſus liberè erat: niſi qui multos perdidit duces, Lucullum ſeruaſſet ſomnus.

Lucullus ſomno à nece ſeruatus.

Nam ſomno operam dabat. & Menedemus à cubiculis ad liminà ſtans, intempeſtiuè ait Olthacum venire, modò Lucullũ quieti ſe ex longis vigilijs & tantis occupationibus tradidiſſe. qui cùm iuſſus non diſcederet, ſed inuito eo oſtendit ſe ingreſſurum, ac rem relaturum ad eum neceſſariam & magnam: Ibi ſtomachabundus Menedemus nihil tanti eſſe ait ac Luculli ſalutẽ, hominemq; ambabus manibus repulit. Quare metuens ille ſubduxit ſe ex caſtris, atq; conſcenſo equo in caſtra Mithridatis re infecta profugit. Ita quidẽ rebus tempus vt medicinis ſalutis adferendæ & necis tribuit momentum.

Luculli aliquot victoriæ de Mithridatis ducibus.

Inde Sornatius cum decẽ cohortibus eſt frumentatũ miſſus, & inſectante eum vno ex Mithridatis ducibus Menandro reſtitit, commiſſoq; prælio magnã ſtragem & fugã edidit hoſtiũ. Poſtquàm iterum miſſus cum copijs Adrianus eſt, vt cumulatè exercitus commeatũ haberet: non indormiuit Mithridates: ſed miſit in eum Menemachũ & Myronem attributo his tam equitum quàm peditum magno numero, qui à Romanis ſunt duobus exceptis omnes trucidati. Eam cladẽ Mithridates diſsimulauit vt non tantam, ſed exiguam & acceptam ducum imperitia. At Adrianus iter fecit magno ſplendore præter illius caſtra, ingentem numerum ſecum trahens plauſtrorum cõmeatu & præda onuſtorum. Vnde animus illius planè eſt deiectus, trepidatio autem & timor milites inceſsit. Itaq; deliberatum eſt diſcedere. Cæterùm quia præmittebant in occulto illi, qui præcipui erant apud regem, precioſiſsimas quaſq; res ſuas, & alios prohibebant: ibi iam inſeſti ad portas per impreſsionem & vim impedimenta illorum diripuerunt, ipſos obtruncauerunt. Vbi Doryalus quoq; dux, qui præter purpuram, qua erat amictus, nihil habebat, eius cauſa perijt. Hermæus aruſpex eſt in porta eliſus.

Mithridatis fuga.

Ipſe Mithridates, cùm nemo apud eum ne apparitor quidem vel equiſo remanſiſſet, in caterua ſe cæterorum extulit caſtris, ac ne equum quidem ex regijs ad manum habuit. Verùm cùm ſerò tandẽ in fluctu fugæ illius conſpexiſſet iactatum eunuchus Ptolemæus, cui equus erat: deſilijt præbuitq; equum regi. Iam enim premebant eum inſtantes Romani. Neq; defuit celeritas his ad eum comprehendendum, ſed penè tenebant. At auaritia & ſordes militares multis certaminibus magniſq; periculis diu captatam prædam Romanis eripuere, Lucullumq; victoriæ præmio fraudauere. Iam enim propè in manibus inſtãtium equus, qui Mithridatem auexit, erat: cùm interea mulus ex ijs, qui gazam regis portabant, coniecit ſe inter regem & conſectantes:

Mithridatis ſtrategema.

ſiue ſponte ſeſe obtulit, ſiue de induſtria rex obiecit eum inſequentibus. Ita illi rapiendo colligendoq; auro, atque inter ſe digladiando ceſſauerũt illum corripere. Neq; hoc modò ex eorum rapacitate detrimenti ſenſit Lucullus: ſed & qui regi à ſecretis erat, Calliſtratum duci Lucullus in caſtra imperauit. Qui verò illũ ducebant, ſuccinctum quingentis aureis ſentientes occiderunt. Et his caſtra regis tamen diripienda conceſsit. Porrò Cabiris alijſq; compluribus captis arcibus grandes theſauros inuenit & carceres: in quos conditi multi Græci, multi etiam regis neceſſarij erant. qui cùm habuiſſent ſe iamdudum pro deploratis: non tam Luculli beneficio ſunt cõſeruati, quàm reuixerunt & quodãmodo renati ſunt.

Mithridates ſorores et vxores ſuas occidit.

Inter cæteros ſoror Mithridatis Nyſſa capta eſt magna ipſius ſalute. Illæ verò, quæ remotiſsimè à periculo & pacato loco repoſitæ videbantur apud Phernaciam ſorores & vxores, miſerè perierunt. ad quas necandas eunuchum Bacchidem ex fuga miſit Mithridates. In multis duæ regis ſorores fuerunt Roxane & Statira, quæ annis propè quadraginta in virginitate vixerant: & coniuges duæ Ionides natione, Berenice Chia, & Mommia Mileſia.

Mommiæ vxoris Mithridatis honeſtas & fortitudo.

Erat huius celebre inter Græcos nomen. quòd cùm eam rex attentaret, & quindecim millia aureorum miſiſſet: eatenus fuerit reniſa, dum ſponſalijs factis miſſoq; diademate appellauit reginam. Ea antè quoq; in perpetuo mœrore egerat, deplorauerat q; corporis ſui venuſtatem. quæ dominum ſibi pro viro, pro nuptijs autem & penatibus conciliaſſet cuſtodiã barbarorum. Iam quòd procul Græcia relegata ſperatis bonis per ſomnium frueretur, & veris illis eſſet ſpoliata. Vbi iam adfuit Bacchides, eiſq; indixit mortem, quæ cuiq; facilima & leuiſſima videretur: detractum capiti diadema collo aptauit, atq; ex eo ſemet ipſa ſuſpendit. Quo citò abrupto: Execrabilis faſcia, inquit, ne hîc quidem eris mihi vtilis: Tum illud proiecit conſpuitq;, ac iugulum obtulit Bacchidi. Berenice poculum veneni ſumpſit. cuius portionem matri dedit præſenti & petenti: vnaq; ebiberunt ambæ. Valuit autem in corpus imbecillius vis veneni. Berenicen verò, quæ minus iuſto hauſerat, non abſtulit. Cùm diu animam ageret, accelerante Bacchide ſtrangulata eſt. Ferunt etiam ex

innu-

innuptis illis sororibus, alteram post multas in fratrem execrationes & probra virus epotasse: Statiram verò nihil grauius aut abiectiùs locutam, sed collaudato fratre, quòd de vita in discrimen vocatus ratione habuisset etiam ipsarum prospexissetque, vt citra contumeliam vitam ponerent liberè. Hæc clementem natura & humanum momorderunt Lucullum. Insequēdo Talaurorum tenus peruenit. Vnde cùm quarto iam die Mithridates præuertisset in Armeniā ad Tigranem fugere, retrò concessit. Subactis Chaldæis & Tibarenis, & Armenia minore potitus, subiugatis item arcibus & vrbibus misit Appium ad Tigranem Mithridatis exposcendi causa. Hinc Amisum profectus est, quę adhuc obsidebatur. In causa præfectus erat Callimachus. qui scientia apparatus machinalis & omnis vi versutiæ, cuius in obsidione vsus sit, vehementissimè fatigauit Romanos. ob quod pòst pœnas exoluit. Hic tunc solertia & consilio est victus Luculli qui qua diei hora abducere & reficere consueuerat milites, ea adortus est mœnia. Quorum cùm modicam partem cepisset: ille, vel quòd prædam inuideret Romanis, vel quò facultatē sibi euadendi strueret, deseruit incenditque vrbem. Nemo enim morabatur soluētes. Verùm vt vis flammæ sublata muros comprehendit, accingebant se milites ad prædam. At Lucullus intereuntis misertus vrbis foris voluit prohibere ignem atque ad restinguendum adhortatus est milites. Cæterùm nemo obtemperabat ei: sed eruebant opulentiam, clamantesque armis concrepabant, donec vi adactus, quò vrbem ipsam certè eriperet ex incendio, permisit eis prædam. Illi verò diuersum egerunt. Cùm enim ad faces rimarentur omnia, & omnes in angulos lumen inferrent: ipsi pleraque ædificia concremauere. Quare ingressus postridie vrbem Lucullus ad amicos lachrymabundus dixit, cùm crebrò iam fortunam se Syllę suspexisse, tum eo die felicitatem illius duxisse admirandā: quòd seruare vrbem Athenienſem cùm vellet, potuisset. Me huius æmulum, inquit, ad Mummij detrusit sors existimationem. Attamen vrbem enisus est ex præsenti facultate erigere. Flammam imber, dum capitur vrbs, diuino quodam casu effusus extinxit. Pleraque ipse ante discessum suum, quæ diruta fuerant, instaurauit. Profugos Amisenorum excepit, alijsque Græcis, quicunque vellent, frequentauit vrbem, agrumque ijs viginti & centum stadiorum attribuit. Colonia hæc ciuitas erat Atheniensium, quo tempore florebant opibus & imperium maris obtinebant, condita. Vnde qui Aristionis tyrannidem volebant defugere, eò se habitatum contulerant, fuerantque in ciuitatem recepti. Quibus accidit, vt cùm domestica mala declinauissent, inciderint in aliena. Cæterùm quotquot horum incolumes fuerunt, hos vestiuit Lucullus honestè, ducenasque in capita drachmas largitus in patriam remisit. Eadem tempestate captus est Tyrannio grammaticus. Hunc Murena petiuit à Lucullo. Quem vt accepit, manumisit eum. Verùm vsus est eo munere illiberaliter. Nolebat enim insigni virum eruditione Lucullus priùs seruū fieri, inde libertinum. Quippe ereptio præsentis erat illa simulatæ libertatis donatio. Cæterùm non hîc tantùm ostendit se imperatore suo Murena honestate imparem. Lucullus verò conuertit se inde ad vrbes Asiæ. quò, dum à muneribus feriaretur bellicis, aliquid his impertiret iuris & æquitatis. quibus iamdiu carentem infandæ atque incredibiles calamitates oppresserant prouinciā. Eam publicani & fœneratores depopulantes & seruilem in modum vexantes prouinciales distrahere priuatim filios decoros filiasque virgines: publicè ornamenta, picturas, signa cogebant. Ipsis hic erat exitus, vt addicti seruirent creditoribus. Hunc quæ antecedebant, atrociora erant, fidiculæ, carceres, equulei, stationes sub dio per æstum in sole, hyeme in luto vel glacie: quò eos compulerunt, vt seruitus his nouæ tabulæ & malorum videretur finis. Eas pestes cùm Lucullus in oppidis reperisset, omnibus breui læsos vindicauit. Primùm centesimam vsuram nec suprà præcepit duci. Deinde eas, quæ sortem excessissent, circunduxit. Tertium & maximum sanxit, vt acciperet creditor debitoris quartam partem prouentuum. Siquis vsuras capiti adiunxisset, his vniuersi crediti exigendi ius denegauit. Ita intra quadriennium omnia nomina dissoluta, & possessiones sunt dominis restitutæ liberæ. Erat publicum hoc æs ælienum nomine viginti millium talentûm quæ Asiæ imperauerat luere Sylla. Huius summæ solutum creditoribus duplum est, quæ vsuris redacta iam ab illis fuerat ad C X X. millia talentûm. Illi verò velut magna iniuria icti Lucullum insectati sunt Romæ. atque hinc suis præualidi opibus, hinc quòd multos, qui rempublicam gerebant, haberent obnoxios: pecunia nonnullos, qui in concionibus dominabantur, concitauerunt in eum. At Lucullus non tantùm à gentibus, de quibus bene meritus fuerat, diligebatur: verùm erat

Statiræ sororis Mithridatis fortitudo.

Lucullus capit Amisum.

Amisus incenditur et diripitur.

Luculli humanitas in vrbē Amisum.

Luculli dictum humanissimum.

Tyrānio grammaticus captus.

Lucullus Asiam releuat à crudelitate fœneratorum.

erat etiam charus cæteris prouincijs: quæ beatos ducebāt illos, qui talem nacti essent rectorem.

Lucullus App. Clodium ad Tigranem mittit.

Porrò Appius Clodius, qui legatus ad Tigranem profectus fuerat (fuit autē hic Clodus frater eius, quam tunc Lucullus in matrimonio habebat) cùm primò à ducibus regijs traheretur per superiores regiones via prȩter necessitatem tortuosa, flexuosa, & prolixa: quousq; libertus eius Syrus natione rectam indicauit: deflexit ductoribus repudiatis barbaris de prolixa illa & captiosa, paucisq; diebus Euphrate superato peruenit Antiochiam, quæ Epidaphne est dicta.

Antiochia, Epidaphne dicta.

Ibi Tigranē operiri iussus (aberat enim subiugans adhuc nonnullas Phœniciæ vrbes) complures dynastas, qui non ex animo parebant Armenio, conciliauit. in quibus Gordyenorum rex fuit Zarbienus. Multis insuper domitis à Tigrane ciuitatibus, quæ legatos clàm ad ipsum miserant, Luculli opem promisit, iussis in præsenti nihil mouere.

Tigranis fastus & potentia.

Erat enim Græcis intolerandum Armeniorum & durum imperium. Spiritus præsertim ipsius regis ita arrogantes & inflati ex cursu rerum tam prospero euaserant: vt quicquid mortales optant & suspiciunt, non modò in arbitrio esse suo, sed & propter se arbitraretur natum. Nam à tenui & cōtempta exorsus spe multas gentes in ditionem suam redegit, Parthorumq; vt nullus alius obtriuit imperium. Mesopotamiam Græcis incolis frequentauit: quos frequentes ex Cilicia, frequentes ex Cappadocia sedibus suis extractos illic collocauit. Mouit præterea ex loco viuendi consueto Arabas Scenitas, eosq; traduxit ac propiùs locauit: vt eorum opera vteretur commercijs. Reges seruiebāt ei multi. Quatuor autem habebat in comitatu suo apparitorum vel satellitum loco. Hi si equo incederet, pedibus iuxtà in tunicis currebant. In solio sedenti & responsa gentibus danti apparebant pectinatim complicatis inter se manibus, quæ videbatur effigies prȩcipuè confessio esse seruitutis, quasi vendita libertate corpus offerentium ad patiendum quàm ad agendum paratius.

Appij Luculli legati ad Tigranē libertas.

Hanc tamen non formidans tragœdiam neque attonitus Appius, vt primùm ei dara audientia est, disertè se dixit venisse, vt Mithridatem Luculli triumphis debitum abduceret: alioquin indicere Tigrani se bellum: vt Tigranem, quamuis vultu sereno & ad risum composito audire verba Appij eniteretur, notauerit corona iuuenis libertate commotū. qui tunc post annos fermè viginti quinq; liberam vocē audiuit. Tot enim regnauerat vel potiùs grassatus fuerat. Responsum dedit Appio, se non deserturum Mithridatem: & Romanis, si bellum intulissent, restiturum. Lucullo verò infensus, quòd regem se tantùm, nō regem regum in epistola salutauisset, nec ipse imperatorem illum rescribens salutauit.

Appij abstinentia.

Dona tamen Appio splendida misit. quæ cùm nō caperet, alia adiecit plura. Ex his Appius, ne ea videretur offensione aliqua repudiare, phiala vna accepta remisit reliqua: ac celeri cursu est ad imperatorem regressus.

Tigranis & Mithridatis coniunctio.

Tigranes autem Mithridatē antè neq; in cōspectū admittere, neq; alloqui affinē, qui tantum regnū amiserat, fuerat dignatus: sed contemptim & superbè reiecerat remotissimè in locis palustribus & insalubribus quodammodo custodia septū. Tunc verò accersiuit eum honorificè & humaniter. Hi in colloquio, quod habuerunt in regia arcanum, mutuas suspiciones in capita lenierunt amicorum, in quos causas detorsere.

Metrodori Scepsij laus, & mors.

Eorū de numero Metrodorus Scepsius fuit lepidæ vir facundiæ & variæ eruditionis, in eum autē gradum prouectus amicitiæ, vt parens regis diceretur. Hunc Tigranes legatū ad se à Mithridate missum ad petendū cōtra Romanos subsidiū rogauit: Tu verò quid mihi hîc Metrodore suades? Ille siue ad id, quod Tigrani expediret, siue quòd saluum nollet Mithridatē: Vt legatus, inquit, consulo: vt cōsiliarius, deterreo. Id aperuit & renunciauit Tigranes Mithridati, nihil eum arbitratus de Metrodoro grauius consulturū. At ille hunc interfecit protinus. Tigranē quidē pœnituit facti, licet non ex toto perniciem Metrodoro inuexerat, sed momentū aliquod adiunxerat in eum Mithridatis odio: quando iampridē oderat eum, quòd in captis illius sanctuarijs est deprehensum ex commentarijs, in quibus cædes eius erat inter alias decreta. Cadauer huius funerauit Tigranes splendidè: neq; vllæ magnificentiæ pepercit in mortuum, quem viuum prodiderat.

Amphicratis oratoris mors.

Decessit etiam apud Tigranem Amphicrates orator, si hic quoque memorandus Athenarum gratia est. Exulasse dicitur Seleuciæ super Tigrim positæ: rogantes autem ciues, vt ludum ibi aperiret, reiecisse respondens arroganter, nec patinam Delphini capacem esse: cùm verò inde contulisset se ad Mithridatis filiam Tigrani nuptam, citò pressus calumnijs fuisse, atque interdicta sibi Græcorum consuetudine vitam inedia finisse. quem item honorificè aiunt à Cleopatra elatum, ac sepultum iuxta Sapham, castellum quoddam ita appellatum.

Patinam Delphini capacem non esse, prouerbium.

Porrò Lucullus vbi Asiam multis præclaris legibus, alta etiam pace confirmauit, nec voluptates & festiuitates præterijt. verùm

verùm spectaculis, festis triumphalibus, muneribus'que athleticis & gladiatorijs ciuitates Ephesi residens oblectauit. Hæc celebrauerunt vicissim in illius honorem Lucullia, iucundioremq; eo honore veram præstiterunt illi beneuolentiam. Vt rediit Appius, & bellum gerendum cum Tigrane apparuit, contendit iterum Lucullus in Pontũ, motisq; castris Sinopen vel potiùs illos, qui eam tenebant, regios obsedit Cilicas. qui multis trucidatis ciuium Sinopensium atque vrbe inflammata nocte ceperunt fugam. Quod cùm sensisset Lucullus, vrbem ingressus interfecit ex ijs qui remanserāt octo millia. Cæteris res suas restituit, vrbemq; curæ habuit ex huiusce modi præsertim viso: Visus est ei in somnis assistere quispiam, qui diceret: Progredere paululum Luculle. Venit enim Autolycus, vt te conueniat. Vbi surrexit: non potuit assequi coniectura, quò id tenderet. sed vrbem illo die cepit, atq; in persequendo Cilicas, qui nauibus fugam capessebant, iacentem cernit in littore statuam. quam exportantes Cilices non habuerant satis spacij, vt imponerent nauigio. Opus erat elegans Stenidis. Declarauit autem ei quispiam Autolyci esse, qui Sinopen condidit, statuam. Fertur Autolycus fuisse inter Herculis commilitones. qui ex Thessalia profecti bellum Amazonibus intulere, Deimachi filius. Dum inde cum Demoleonte & Phlogio reuehitur, fregisse nauem. quæ in locum Chersonnesi impegit Pedalion appellatum: atq; vbi incolumis cum amicis & socijs est Sinopen delatus, Syris ademisse vrbem. Nam Syri eam habebant Syro, vti fama est, Apollinis & Sinope Asopidis filia orti. Quibus auditis subierunt Lucullo Syllæ præcepta. siquidem monet in commētarijs ille: nihil perinde fidele duceret & firmũ, ac quod in somnijs demonstrarctur. Postquàm nunciatum est Mithridatem & Tigranem iam iam exercitum in Lycaoniam & Ciliciam transportaturos, priores vt in Asiam irrumperent: demiratus est Armenium, quòd, cùm statuisset arma populo Romano inferre, Mithridate non fuisset ad bellum vsus florente, neq; cum validis illius rebus suas consociasset: verum vbi permisit eum perire & opprimi, tūc demum affectaret frigida spe bellum vnà cum resurgere non valentibus præcipitem semetipsum agens. Vt iam Mithridatis filius Machares, qui Bosphorum obtinebat, mille aureorum coronam Lucullo misit petens, vt amicus & socius populi Romani appellaretur: prius bellum ratus patratũ esse, Sornatium ibi ad ordinādam prouinciam cum sex millibus militum reliquit, ac XII. millibus peditum, equitum minus tribus millibus ad secundum bellum perrexit. Impetu autē apparebat eum præcipiti nec sano cōsilio in gētes bellicosas se, infinitasq; equitum turmas ac vastam regionem altis amnibus & montibus perpetua tectis niue circūfusam conijcere. Hic milites nec aliàs satis dicto audientes reluctari ei & grauatè sequi. Romæ obtrectare ei tribuni plebis, quiritariq; bellum ex bello parum è republ. serere Lucullum: quò nunquam non cum imperio esset, neq; arma deponeret, neq; finem faceret quærendæ periculis publicis pecuniæ. Atq; hi quidem, quod intendebant, effecerunt tractu. At Lucullus magnis itineribus peruenit ad Euphratem. quem vbi ex hyeme conspexit inflatum turbidumq;: solicitus fuit, dum coguntur pontones, et rati bus pons iungitur, moram veritus & difficultatem intercessurā. Sed cùm sub vesperam cœpisset vnda subsidere: per noctem extenuata, vbi diluxit, amnē ripis suis ostēdit clausum. Incolæ autem vt existere in alueo paruas insulas animaduertere, cursumq; aquæ circa eas placidè stagnantem: adorauerunt Lucullum. quòd haud temerè id antea accidisset, fluuiusq; se præberet illi tractabilem & placidum, transitumq; præstaret expeditum & maturum. Ergo vsus opportunitate traduxit exercitum. Offertur ei, vbi traiecit, lætum prodigium: Dianæ Persicæ, quam eximiè venerantur barbari trans Euphratem colentes, sacræ pascuntur boues. His ad victimam solùm vtuntur, de cætero vagantur liberæ, notam Deæ ferentes facem. Ex quibus capere aliquam, vbi requirunt, haud sanè pronum est neq; parui laboris. Earum vna trangresso Euphratem exercitu profecta ad petram quandam, quæ sacra Deæ habetur, constitit in illa: demissoq; capite, vt quæ reste detrahuntur, præbuit semetipsa Lucullo hostiam. Sacrificauit Euphrati quoq; transitus causa taurum. Eodem die statiua illic habuit. Postero die & insequentibus fecit iter per Sophenem. Incolas, qui dedebant se & promptè recipiebant exercitũ, nulla re violauit. Ibi cùm milites arcem, in qua ingens præda putabatur esse, capere vellent: Illa arx, inquit, expugnanda potiùs est, ostendens procul Taurum. hæc præmia reposita sunt victoribus. Extentis itineribus Tigrim transgressus inijt Armeniam. At Tigrani, quòd eum, qui aduentum Luculli primus ipsi nunciauit, pro prēmio obtruncauit, nemo postmodum detulit quicquam: verùm ignarus desidebat igne iam flagrans hostili, adulatoresq;

Lucullia festa. Lucullus Sinopen capit. Luculli somniũ. Stenides statuarius. Autolycus, qui fuerit. Syri vnde dicti. Syllæ præceptũ de insomnijs. Machares Mithridatis filius, à patre deficit. Luculli in Tigranem expeditio. Lucullus ad Euphratem venit, & traijcit. Diana Persica. Prodigium Lucullo oblatum. Sophene regio. Tigranes interficit nunciantes Luculli aduentum.

resq; audiebat dicẽtes, insignem ducem fore Lucullum, si Tigranem operiretur Ephesi: & non, vbi iam innumeras legiones aspexisset, extemplò profugeret ex Asia. Adeo nõ est neque cuiusuis corporis multum vini ferre, neque vulgaris animi in magnis successibus non exire de potestate. Princeps ei ex amicis verum dicere Mithrobarzanes est ausus.

Mithrobarzanem Tigranes ducem, in Lucullum mittit.

Cæterùm ne hic quidem faustum precium retulit libertatis suæ. quandoquidem ilicò cum tribus millibus equitum & peditum ingenti numero missus est contra Lucullũ. Cui imperatum, vt ducem attraheret viuum, cæteros obtereret. Luculli copiæ partim castra metabantur, pars adhuc erat in itinere: cùm nunciant ei speculatores adesse barbarorum. Itaque timuit, ne distractos & incompositos turbaret incursu suos. Quare substitit ad castra munienda. Sextilium legatum cum mille sexcentis equitibus, militibus legionarijs & leuis armaturæ non multò pluribus misit iussum, cùm venisset prope hostẽ, consistere: dum se castra permuniuisse accepisset.

Sextilius cædit Mithrobarzanem.

Et voluit quidem parêre iussis Sextilius: verùm à襲 ferociter inuehente coactus est Mithrobarzane manum conserere. In conflictu Mithrobarzanes pugnans cécidit. Reliqui in fuga demptis paucis perierunt cuncti.

Tigranocerta vrbs.

Tum Tigranes relictis Tigranocertis grandi vrbe, quam condiderat ipse, ad Taurum recepit se: eò copias omnes contrahens. Cæterùm Lucullus spacium ei nõ permittens ad se parandum, Murenam misit ad premendos & carpendos eos, qui ad Tigranẽ conglobabant se: Sextilium aliò, vt obsisteret magnæ Arabum manui, ne coniungerent se regi. Sextilius castra ponentibus superueniens oppresit maiore ex parte Arabas. Murena Tigranem insequens aspera & arcta conualle longo agmine iter facientem opportunitate data adoritur. Tigranes obiectis omnibus impedimentis ipse fugã capessit. Multi cadunt, plures capiuntur Armenij.

Lucullus Tigranocerta obsidet.

In eo rerũ progressu Lucullus versus Tigranocerta mouit, castrisq; cinctam obsedit vrbem. Erant in ea frequentes ex Cilicia exciti Græci, frequentes barbari eadem atque Græci sorte vsi, Adiabeni, Assyrij, Gordyeni, Cappadoces. quos excisis eorum patrijs deduxerat illuc, ac sedes figere coegerat. Erat illa vrbs opulentiæ plena & ornamentorum. quòd omnes priuati & dynastæ cum rege certarent ad eam amplificandam atque exornandam vrbem. Qua de causa obsedit eam Lucullus acriter, non perpessurum id ratus Tigranem, sed ingratis etiam stimulante ira ad dimicandum descensurum. Et rectè censuit. Enimuero Mithridates magnopere eum per legatos & literas à pugna deterruit: tantùm equitatu vt interciperet commeatum Luculli.

Taxiles Mithridatem à pugna cum Romanis committẽda dehortatur.

Multum Taxiles quoque, qui Mithridatis legatus in præsidijs eius erat, orauit eum: vt vitabundus fugæ consuleret, rem inexpugnabilẽ esse arma Romana. Ac primùm quidem benignè hos audiebat. Vt verò cum omnibus copijs iunxerunt se ei Armenij & Gordyeni, adhæc omne nomẽ Medorum & Adiabenorum excitum reges illarum gentium adduxere: vtq; frequẽtes à mari Babylonico venerunt Arabes, multi item à mari Caspio Albani & contermini Albanis Iberes, nec pauci ad Araxem colentium liberi populi studijs in regem & donis euocati occurrerunt: spe, ferocia, minis barbaricis omnia personarunt regis conuiuia, personarunt concilia: ibi in discrimen vitæ venit Taxiles, qui obliquè repugnabat sententiæ de committendo prælio. Videbatur etiam per inuidiam auertere Tigranẽ ab insigni palma Mithridates. Vnde nec illum est Tigranes præstolatus, ne in societatem veniret gloriæ.

Tigranis arrogans dictum.

Tigranis exercitus cõtra Lucullum, ingens.

Itaq; progreditur cum toto exercitu perquàm ægrè ferens, vt fertur, apud amicos: quòd cum vno sibi Lucullo, non cum vniuersis esset Romanis ducibus certandum. Neque erat prorsus regis insana ferocia aut absurda. qui tot gentes & reges in prẹsidijs suis, legionesq; armatorum peditum & infinitas turmas equitum cõspiciebat. Siquidem sagittariorum & funditorum habebat XX. millia, equitum quinquaginta quinque, ex quibus cataphracti erant XVII. millia, vt senatui scripsit Lucullus: grauis armaturæ pedites partim in cohortes partim in phalangas descriptos CL. millia: viarum munitores, & qui pontes pararent, flumina repurgarent, materiarios, & ad ministeria destinatos alia, XXXV. millia. Hi postremam aciem claudentes speciem & robur præbebant. Vt Tauro superato simul cum tanto agmine conspectus, & ipse ex edito circunsidentem Tigranocerta exercitum Romanum est contemplatus: barbara colluuies quæ in vrbe erat, vlulatu & plausu excepit regis conspectum, Romanisq; ex muro minitantes commonstrauit Armenios. Consulenti de prælio Lucullo alij ducendum in Tigranem omissa obsidione suaserunt, alij non relinquendum à tergo tam numerosum hostem neque intermittendam obsidionem. Ille vtrosq; dixit parum rectè, sed ambos rectè censuisse, atque ita bipertito exercitu Murenam cum sex millibus peditum reliquit ad continuandam obsidionem,

dionem. Secum duxit quatuor & viginti cohortes, in quibus legionarij non amplius decem millia erant: vniuersum equitatum, funditores & sagittarios ad mille, atque ita processit. Cùm apud amnem in campo spacioso consedisset: apparuit Tigrani admodum exilem esse, præbuitq; ludibriorum adulatoribus eius materiam. Hi namq; irridebant, illi de manubijs iaciebant per iocum sortem. Vnusquisq; ducum & regum Tigranem adijt, eam prouinciã sibi deposcens vni, ipse vt spectator sederet. Voluit ipse quoq; nonnihil vrbanus & facetus esse Tigranes: atque vsurpauit vulgare illud, si vt legati venissent, multos esse: sin vt milites, paucos. Ac tunc quidem in istis dictis & ludis perstitere. At Lucullus prima luce armatas copias castris eduxit. Exercitus barbarorum erat ad partem fluminis orientalem. Flexum amnis ad Occidentem habet, qua maximè erat superabilis. Eò dum infestam aciem citus rapit: Tigrani visus est retrò recedere, appellatoq; Traxile ridẽs: Inuictos hosce, inquit, Romanos num'ne vides fugere? Ad quẽ Taxiles: Vtinam aliquid, inquit, rex fortunæ tuæ præter expectationem accidat. Atqui non sumunt illi ad iter splendidam vestem, neq; tum scutis tersis & nudis galeis vtũtur, vti nunc coriaceis detractis armorum tegumẽtis. sed est splendor hic pugnare intendentium & in hostem iam euntium. Nondum sermonem finierat Taxiles: cùm prima aquila flectentis agmen Luculli est conspecta, & cohortes manipulatim in ordines ad transitum euntes. Ibi tandem tanquam ex magna vinolentia Tigranes emergens bis aut ter exclamauit: In nos illi. Itaque magno tumultu acies instructa est tantæ colluuiei. Mediam ipse tenuit rex, Adiabeno attribuit læuum, Medo dextrum cornu, vbi cataphracti plerique erant in fronte collocati. Transmissurum flumen Lucullum quidam duces admonuerunt, cauendam illam diem, quæ ex nefastis, quas atras vocant, erat vna. Illa enim die exercitus Cepionis fuerat à Cimbris in conflictu oppressus. Hic verò celebrato illo dicto occurrens: At ego, inquit, etiam faustam hanc Romanis diem efficiam. Fuit illa pridie Non. Octob. Ita fatus, cùm bono animo eos esse iussisset, amnem transmeauit, ac princeps duxit in hostem. Loricam induerat ferream squammis refulgentem & paludamentum fimbriatum. Gladium strictum extemplò extulit, quò statim conferendum pedem scirent cum viris eminus pugnare doctis: spacium'que, quo vti missilibus poterant, incursus celeritate contrahendum. Vt verò equitatum caraphractum, cuius maximus erat respectus, conglobatum conspexit sub tumulo quodam, cuius planum fastigium & spaciosum erat, & ascensum habebat quingentorum passuum non prorsus asperum nec diruptum: imperat equitibus Thracibus & Gallogræcis, quos in exercitu suo habebat, ex latere vt eos adoriantur, ensibusq; detorqueant contos. Vna enim in re positæ sunt cataphractorum vires conto. Præterea nusquam explicare operam suam valent, nec hostibus incommodare ob armorum pondus & rigiditatem: sed sunt in ijs quasi inclusi. Traxit simul ille secum duas cohortes. cum quibus contendit ad collem strenuè sequentibus ipsum militibus: quòd imperatorem quoque in armis primum cernerent laborem capessentem & pedibus in cliuum enitentem. Vbi in summum euasit ac loco stetit conspicuo: magna voce: Vicimus, exclamauit, vicimus commilitones. Ita fatus duxit in cataphractos, præcepit'que vt omissis pilis cominus quisque aggrederetur hostem, crura & fœmora foderet, quæ sunt sola cataphractis nuda. Cæterùm nihil hac pugna opus fuit. Neque enim expectauerunt Romanos, sed sublato clamore fœdissimè omnium coniecerunt se in fugam, seq; & equos armis graues in peditum ordines, prius quàm pugnam iniissent illi, coniecerunt. Ita sine vllo vulnere, sine sanguine tot profligatæ legiones sunt. Cædes autem ingens iam fugientium vel potius fugere volentium edita. neque enim poterant ordinibus confertis & profundis impediti. Tigranes initiò statim cum paucis effuso cursu fugam cepit. Filium cùm videret in eadem fortuna, detractum ex capite diadema illi profusis lachrymis tradidit, alia via iubens, siqua posset, vt seipsum seruaret. Adolescens quia non audebat diadema capessere, dedit id seruandum fidissimo amico qui fortè captus atq; ad Lucullum est attractus. Ita inter cæteros captiuos diadema quoque Tigranis fuit. Pedites cecidisse supra centum millia perhibentur, equitum pauci planè effugisse. Ex Romano exercitu centum vulnerati, quinque desiderati. Huius pugnæ Antiochus philosophus in commentario de dijs mentionem faciens negat à sole visam parem. Strabo alius philosophus in libris historiarum ipsos Romanos commemorat puduisse & semetipsos derisisse, quòd in eiuscemodi mancipia induissent arma, Liuius ait nunquàm Romanos signa cùm ho-

Luculli exercitus cõtra Tigranem.

Tigranis acies.

Luculli prælium cum Tigrane.

Luculli ingens de Tigrane victoria.

Tigranis fuga.

Tigranis diadema à Lucullo captum.

ſtibus còntuliſſe tanto numero inferiores. Neque enim vigeſimam propemodum partem, imò nec minorem æquarunt victores victorum.

Luculli laus.

Romanorum verò peritiſsimi duces, & diutiſsimè in bellis verſati Lucullum in eo celebrabant præcipuè: quòd duos clariſsimos & maximos reges rationibus duabus pugnantiſsimis celeritate & tarditate ſuperauerit. Siquidem Mithridatem tempore & mora florentem attriuit, Tigranem obtriuit accelerando, inter rariſsima omnium imperatorum exempla cunctatione ſtrenua & audacia ad ſecuritatem vſus. Quapropter nec ad pugnam properauit Mithridates, ſolita Lucullum cautione & productione bellum ratus adminiſtraturum. Itaque lentè ad Tigranem pergebat. Ac poſtquàm primùm in paucos Armenios incidit in via, qui perculſi metuq; exangues recipiebant ſe: conieeit aduerſum caſum. Vt plures iam exuti & vulnerati occurrerunt: audita clade Tigranem requiſiuit. Quem cùm ſemel deſolatum & abiectum offendiſſet, non inſultauit ei viciſsim: verùm ex equo deſilijt, deploratiſq; communibus calamitatibus regium comitatum, qui ipſum ſequebatur, dedit illi, eumq; in futurum confirmauit. Inde alias de integro copias conſcribebant.

Lucullus Tigranocerta capit.

Porrò dum in vrbe Tigranocertis ſeceſsionem Græci à barbaris atque ad Lucullum tendunt deditionem facere, adortus muros ille potitus eſt vrbe. Theſauros regis, qui ibi erant, cepit. Vrbem militibus dedit diripiendam. in qua cum reliqua opulentia octo millia talentûm pecuniæ ſignatæ inuenta. Inſuper octingentas drachmas in ſingulos de præda diuiſit. Cùm repertos in vrbe accepiſſet multos ſcenicos, quos vndequaque conquiſierat Tigranes dedicaturus theatrum, quod extruxerat: his ad ludos & ſpectacula triumphalia eſt vſus. Græcos autem præbito viatico remiſit in patrias ſuas, barbaros item, qui cò commigrare coacti fuerant. Itaque accidit, vt vna conuulſa vrbe multæ receptis ciuibus ſuis inſtaurarentur. à quibus vt bene de ipſis meritus & conditor eſt cultus Lucullus.

Luculli iuſtitia & humanitas.

Succedebant ei cætera quoque, prout merebatur, qui iuſtitiæ & humanitatis laudes gloriæ anteferebat laurearum bellicarum. quippe huius non exiguam partem exercitus, & maximam vendicat fortuna. Illæ placidæ & eruditæ mentis documentum erant. quibus tunc abſque armis barbaros ſubegit Lucullus. Quando reges Arabiæ venerunt ad eum, ſua'que ei permiſerunt: adiunxit ſe ei Sophenorum nomen. Gordyenorum gens ita fuit in eum animata, vt relictis ſedibus ſuis illum ſequi cum liberis & coniugibus vellent ex huiuſcemodi cauſa:

Gordyenorum rex à Tigrane necatus.

Gordyenorum rex Zarbienus Tigranis grauatus tyrannidem interprete Appio, vt eſt dictum, clàm cum Lucullo ſocietatem inierat. verùm, quia detectus fuit, interfectus eſt, vna'que liberi & vxor eius necati antè ſunt, quàm in Armeniam inuaderent Romani. Hæc apud Lucullum non erant obliterata, ſed profectus in Gordyenos exequias Zarbieni celebrauit: pyræ'que veſte, & auro regali, & Tigrani inſtructæ ſpolijs ipſemet ſubdidit facem, ac libamina cum amicis & neceſſarijs illius infudit, amicum quoque ſuum & ſocium populi Romani appellauit. Adhæc monumentum iuſsit ei ſumptuoſum faciendum locari. Nam vis ingens pecuniæ, aurum'que & argentum reperta in Zarbieni regijs ſunt. Frumenti in horreis decies trecenta millia medimnûm condita erant. Ita & miles auctus eſt, & Lucullo fuit ingenti honori: quòd ne teruncio quidem ex ærario accepto bellum ipſius belli ſumptibus ſuſtineret.

Lucullus expeditionem in Parthos molitur.

Hîc etiam regis Parthorum legati eum adierunt amicitiam & ſocietatem petētes. Fuit id Lucullo haud ingratum. qui inuicem ſuos miſit ad Parthum. Eum comperetunt hi fluctuantem conſilio, poſcentemq; clàm ſocietatis à Tigrane præmium Meſopotamiam. Quæ vbi Lucullus percepit: Tigranem & Mithridatem ſtatuit vt aduerſarios confectos tranſilire, & periclitari Parthorum vires, atq; expeditionem in eos mouere: præclarum exiſtimans vno belli impetu tres deinceps reges ſicut athletam in lucta proſternere, ac per tres totius orbis potentiſsimos principes perrumpere inuictum & victorem. Igitur in Pontum ad Sornatium legatum ſuum & alios miſit literas: vt copias, quæ illic erant, adduceret: quaſi ex Gordyene in Parthos ſigna moturus.

Luculli milites ſeditionem mouent.

Illi cùm antè moroſos & contumaces milites habuerunt, tum in præſentia cognouerunt proteruiam eorum: quòd nullis blandimentis vel imperio mouere illos valerent teſtantes & vociferantes neq; illic permanſuros ſe, ſed relicto ſine præſidio abituros Ponto. Hæc ad Lucullum relata inſuper, quos ſecum habebat, milites labefecerunt ob diuitias iam & delicias langueſcentes ad militiam & ocium quærentes. Vt verò illorum acceperunt ferociam: viros appellauerunt, imitandos'que iactauerunt. Multis enim factis miſſionem ſe & requiem meritos. His & improbioribus ad Lucullum delatis ſermoni-

bus

bus expeditionem Parthicam deposuit, & media æstate mouit in Tigranem. Postquàm superauit Taurum, & campos vidit virentes: deprehensus est. adeo sunt illic ex algore serotina tempora. Attamen descendit in campos, ac duobus vel tribus prælijs coortos in ipsum Armenios fudit. Inde liberè vicos populatus est: captoq;, qui comportatus Tigrani fuerat, commeatu, quam ipse extimescebat, offudit inopiam hostibus. Quos cùm lacessendo ad dimicandum, castris eorum circumuallandis, & fœdandis ante oculos eorũ agris, quia sæpè fuerant fusi, non mouit: exercitum inde ad Tigranis regiã conuertit Artaxata, vbi parui liberi & coniuges eius erant, non facturum ratus Tigranem, quin pro eorum salute dimicaret. Fama tenet Annibalem Pœnum deuicto ab Romanis Antiocho contulisse se ad Armenium Artaxam: cui cùm alia multa vtiliter suasisse & docuisse, tum notata eius loci, qui iners negligebatur, eximia indole atq; amœnitate formam ibi vrbis delineasse, eamq; deducto eò Artaxæ ostendisse, hortatumq; ad eam condendam. Quod regi cùm placuisset, atque ab eo contendisset, ipse vt operis curam susciperet: amplam excitauisse & magnificam vrbem, eamq; accepisse ab rege appellationem, atq; caput factam Armeniæ. Ad hanc vrbem contendentem Lucullum non tulit Tigranes: sed castris motis quarto die prope Romanos consedit, medium capiens Arsamiam amnem, quẽ transire necesse erat petituris Artaxata Romanis. At Lucullus postquàm dijs sacrificauit, quasi certus de victoria exercitum traduxit. Duodecim cohortibus in fronte positis reliquos, ne circumueniretur ab hostibus, in subsidijs collocauit. Multi enim & delecti equites stabant in hostium aduersa acie. ante quorũ signa sagittis ex equo vtentes Mardi & Iberes hastati. quibus Tigranes præcipuè inter externos milites vt pugnacissimis fidebat. Nihil est ab illis tamen editum præclari. Paulisper cum equitatu Romano velitati non tulerunt impetum legionum: verùm hincinde fuga diuulsi equitem ad insequendum traxere. Simul atq; hi dissipati sunt, prouehentibus Tigranis equitibus videns splendorem & multitudinem eorum Lucullus, subtimuit. Itaq; equitem à consectandis hostibus reuocat. Interim ipse satrapis cum præstantissimo quoq; sibi oppositis occurrit primus. quos, antequàm manum conferere possent, consternatos pepulit. Ex tribus regibus, qui vnà in hac acie fuerũt, fœdissimè fugit Ponticus Mithridates. qui ne clamorem quidem sustinuit Romanorum. Hi cùm per longum spacium tota nocte hostium tergis inhærerent: non solùm trucidãdis, verumetiam capiendis, pecuniaq; & præda agenda ferenda fatigati sunt. Liuius author est priore prælio plures fuisse, in hoc nobiliores hostes captos & cæsos. Hinc erectus Lucullus & fiduciæ plenus superiores regiones petere & domare statuit barbarum. Cæterùm sub æquinoctio autumnali graues tempestates nec opinantem corripuere. Ningebat ferè, & sereno pruina cum gelu infesta erat. Vnde equis erant amnes ex immodico frigore parũ potabiles, ruptaq; glacies & neruos equorum asperitate incidens ægrè permeabiles efficiebat. Tractus ferè nemorosus saltuosusq; rigabat eos assiduè ex niue in itinere effusa, atq; incommodè locis humidis pernoctabant. Igitur cùm nõ multos secundũ præliũ dies fuissent Lucullum secuti, institerunt ei obluctari. Primùm precibus ad Lucullũ per tribunos agere, deinde tumultuosiùs coire, & per tentoria noctu cõclamare: quod esse seditiosi exercitus signũ apparet. Cùm etiam obnixè obsecraret Lucullus obtestans eos, hactenus vt occallerent animis: dum Armeniorum Carthagine capta infestissimi hostis (Annibalẽ designabat) opificium deleuissent. Vbi nihil profecit, retrò signa mouit: alijsq; iugis traiecto Tauro in regionem Mygdonicam appellatam descendit munificẽ & apricã. in qua vrbs ampla & populosa erat, Nisibin barbari, Græci vocabãt Antiochiã Mygdonicã. Huic præerat authoritate Tigranis frater Guras, arte & solertia machinali Callimachus is, qui Amisi plurimũ negocij exhibuerat Lucullo. Castris prope vrbẽ positis postq; omne genus oppugnationis adhibuit, breui spacio expugnauit vrbẽ. Gurã, qui in potestatẽ eius se dedidit, comiter habuit. Callimachũ verò non audiuit, quamuis grandis pecuniæ se reconditos thesauros profiteretur proditurũ: verùm in vinculis haberi imperauit ad pœnas pendendas: quòd inflammata Amisenorũ vrbe gloriã sibi & benignitatis erga Græcos materiã declarandæ præcidisset. Hactenus fortunã dicas comitẽ in rebus gerendis Luculli fuisse. Deinceps quasi cadente vento cùm omnia vrgeret, vbiq; autẽ incurreret: virtutem quidem boni imperatoris & longanimitatẽ ostendit, splendor verò rebus & gratia abfuit. Imo etiã antè collectã fortunę fluctibus & cõtentionibus suis cum exercitu propè manibus dilapsa est. Cuius non minimã ipse præbuit causam, quòd non cõciliaret animos sibi vulgi militaris: & quicquid subiectis imperio suo blandimenti adhibebatur, se-

Artaxatæ vrbis origo.

Lucullus fundit iterũ Tigranẽ.

Mygdonia regio.

Nisibis vrbs, quæ & Antiochia.

Lucullus Nisibin expugnat.

Luculli felicitatis conuersio.

men esse dedecoris duceret & ruinam authoritatis suæ. Quod verò maximũ est, ne principibus quidẽ & dignitate paribus poterat se præbere comẽ: sed omnes despiciebat, & nihili præ se faciebat. His vitijs Lucullus inter multas virtutes fuisse dicitur aspersus, quando procerus, & pulcher, & eloquẽs, & prudẽs iuxtà domi & militiæ perhibetur extitisse. Ac Salustius quidẽ fuisse milites mox à belli exordio malè ait in eum animatos: quòd ad Cyzicum & iterũ ad Amisum duas hyemes eos in castris continuisset. Fatigati fuerũt & cæteris brumis. Aut enim in hostico hybernauerunt, aut apud socios tetenderunt sub dio. In oppidũ Græcũ & pacatũ ne semel quidẽ intulit pedẽ cum exercitu Lucullus. Ita animatis maximas occasiones præbuerunt illi, qui Romę in concionibus regnabant. Hi per inuidiã Lucullũ criminabantur imperij & pecuniæ auiditate bellũ ducere: vnũ propemodum Ciliciam, Asiam, Bithyniã, Paphlagoniã, Galatiam, Pontum, Armeniam, omnes deniq; prouincias vsq; ad Phasim obtinere: Nũc verò etiã Tigranis regias deprædatum: quasi ad exuendos reges foret, nõ ad debellandos missus. Id enim vnum ex prætoribus dixisse aiunt L. * Quinctium. à quo potissimùm impulsus populus Romanus prouincię successores mittendos Lucullo sciuit, multosq; milites, qui sub eo meruerant, mittendos. His tãtis incommodis accessit, quę maximè res Lucullũ euertit, P. Clodius homo insolens, summæq; dissolutionis & audaciæ. Frater erat vxoris Luculli, cum qua vulgatum erat lasciuissima muliere stupri eum consuetudinem habere. Hic id temporis sub Lucullo militans non eum locum, quem cupiebat, tenebat apud illum. Volebat autem primus esse. Cùm verò multis esset ob mores suos inferior: Fimbrianos milites subiuit, blandisq; verbis non inuitos neq; insolentes blandimentorum concitauit in Lucullum. quippe hi erant, quos antè Fimbria induxerat, vt occiderent consulem Flaccum, ac se ducẽ caperent. Quò receperunt faciliùs Clodium, & militum cupidum vocauerũt: quòd vicem eorum simularet dolere, si finis tot bellorum ac laborũ nullus esset. sed cum omnibus gentibus certando, omnes tractus peruagando exhausturi vitam essent, neq; tantis dignum sudoribus præmium relaturi: tantùm Luculli plaustra stiparent & camelos aureis gemmatisq; poculis onustos. Milites verò Pompeij iam discincti cum coniugibus & liberis certa sede considerent, colerentq; vberes agros & oppida. qui Mithridatem & Tigranem non in vastas coëgerint solitudines, neq; regias Asiæ demoliti sint: verùm cum exulibus in Hispania, in Italia cũ fugitiuis bellauerint. Si igitur perpetuò, inquit, est militandũ: non ne tali duci, cui pulcherrimũ videtur ornamentũ militũ opulentia, quod reliquũ est corporis & animæ reseruabimus? His calumnijs labefactatus Luculli exercitus nec ducẽ in Tigranẽ voluit sequi, nec in Mithridatẽ. qui confestim ex Armenia incurrit in Pontũ, regnumq; suũ instituit recipere. Cęterùm hyemis prętextu tradu cebãt illi in Gordyene tẽpus, & iam iam Pompeiũ vel aliũ quempiã imperatorẽ ad succedendũ Lucullo venturũ expectabãt. At postquàm Mithridatẽ nunciatũ est fuso Fabio in Sornatiũ & Triariũ pergere, verecũdia secuti Lucullũ sunt. Triarius autẽ, dum quasi paratã præripere cupit victoriã, antequàm adueniret propinquus iam Lucullus, ingenti pugna funditur. siquidẽ milites Romani dicuntur supra septẽ millia cæsa: in quibus centuriones centum quinquaginta, tribuni quatuor & viginti. Castra quoq; cepit Mithridates. Paucis diebus pòst superueniens Lucullus Triarium, quem infensi milites requirebant, clàm eripuit. Detrectante aciem Mithridate, qui aduentantem cum ingenti manu Tigranem expectabat: prius quàm cõiungerentur ambo, statuit rursus obuiàm procedere & dimicare cum Tigrane. Progredientẽ in itinere Fimbriani secessione facta signa deseruerunt: quasi essent ex senatusconsulto exauthorati: nec, cùm alijs decretæ essent prouinciæ, vltrà imperium Luculli foret. Nullam non hìc indignitatem subijt Lucullus, singulos orando & tentoria obeundo demissus & lachrymis oppletus. Nonnullorum etiam prehendit manus. Illi verò prensationes repellere, inanes zonas obijcere: iactare que, solus dimicaret cum hostibus, ex quibus ditescere nosset solus. Tandem cæterorum quoque militum Fimbriani precibus expugnati receperunt se illam æstatem ad signa mansuros. Quòd si nemo interea ad pugnandum secum descenderet, discessuros. His oportebat acquiescere Lucullum, aut desertam præsidio relinquere barbaris prouinciam. Continuit ergo illos non iam imperio, neque eos in aciem eduxit: verùm satis huic erat, modò manerẽt: patiebaturq; vastari à Tigrane Cappadociam, & insolescere de integro Mithridatem, cum quo ipse ad senatum scripserat esse debellatum, aduenerantq; ad res Ponti cõponendas sicut pacatas legati. Qui vbi iam adfuerũt, offenderũt ne ipsum quidẽ sui iuris esse, verùm à militibus haberi ludibrio & suggillari.

Miliũ à Lucullo alienatio.

* C. Manlium tribunum plebis hæc fecisse, ostendit Epitome Liuij.

P. Clodius concitat milites contra Lucullum.

Mithridatis victoriæ de legatis Luculli.

Lucullum milites sui deserunt.

Hi

Hi verò eo in imperatorē progressi insolentiæ sunt: vt exacta æstate sumpserint arma, gladijsq; districtis prouocarent nusquā apparentes, qui iam receperāt se, hostes: iubilantesq; & brachia iactantes inaniter excederent castris testati completum tempus, quod Lucullo cōmoraturos se promiserāt.

Lucullo succedit Pompeius.

Alios euocauit per literas Pompeius. Iam enim aura populari & concionatorū adulatione bellū ei erat contra Mithridatē & Tigranē decretum. Nam senatui quidē & optimatibus affici Lucullū iniuria apparebat. cui non belli, sed triumphi mitteretur successor: nec bellis gerendis cogi, sed rerum gestarū præmijs cedere eaq; permittere alijs.

Lucullo illatæ à Pompeio iniuriæ.

Magis autē præsentibus ibi res visa inuidiosa. Neq; enim relictum Lucullo fuit vel præmiorum vel pœnæ pro cuiusq; meritis in bello arbitrium: neq; cuiquam permisit Pompeius eum adire, vel rata esse acta eius, vel quæ ex consilio decem legatorū dispensabat. verùm prohibuit ea per edicta, eratq; ob maiorem exercitum, quem habebat, formidabilis. Visum est tamen amicis, vt conuenirent.

Luculli & Pompeij congressus.

Congressi sunt in vico quodam Galatiæ, atq; inter se comiter consalutauerunt, congratulatiq; sunt inuicem de rebus bene & feliciter gestis. Erat natu maior Lucullus, sed Pompeij ex pluribus imperijs & gemino triumpho dignitas superior. Fasces vtriq; laureatæ victoriarū causa præferebantur. Quia verò venerat Pompeius longa via per loca arida & squalida: torridas laureas fascibus eius circumiectas cùm considerarent Luculli lictores, benignè illius lictoribus largiti sunt ex suis recentibus & virentibus. Eam rem amici Pompeij in faustum omen vertere. Quippe reuera huius imperiū illius res gestæ decorarunt.

Luculli & Pompeij dissensiones.

Ex eo colloquio nihilo sunt inter se æquiores facti, verùm discesserūt magis à se mutuò alienati. Luculli acta rescidit Pompeius. Milites cęteros ei abstulit, solos mille sexcentos ad triumphum reliquit, ac ne hos quidem ad eum sequendum promptos. Adeo fuit ad id, quod caput est in duce & summum, ineptus aut infaustus Lucullus. Quod si adiunctum ad reliquas eius tot & tantas virtutes esset, ad fortitudinem, vigilantiam, prudentiam, iustitiam: non haberet Romanum imperium Euphratem Asiæ terminum, sed vltima terrę & mare Hyrcanum. quando cæteras gentes antè domuerat Tigranes: nec Parthorum potentia, quanta Crassi imperio enituit, tanta fuit sub Lucullo, neq; æquè consentiens: verùm ob intestina & finitima bella ne Armeniorum quidem valebat propulsare insultus. Nunc verò videtur Lucullus mihi plus, quàm per se patriæ commodauit, incommodasse per alios. siquidem Armenicæ palmæ ex vicina Parthis prouincia obtentæ, Tigranocerta, Nisibis, opes hinc Romam deportatæ, captum Tigranis diadema atq; in triumpho translatum Crassum in Asiam, tanquàm nihil aliud quàm manubiæ & præda essent barbari, incenderunt. At citò in sagittas incurrens Parthorum Lucullum demonstrauit non hostium mulierositate & mollitia, sed virtute & consilio suo vicisse. Verùm de his pòst agemus.

Luculli reditus ad vrbem.

Porrò regressus ad vrbem Lucullus offendit primùm Marcum fratrem ob ea, quæ in quæstura iussu Syllæ gesserat, accusatum. Quo absoluto in hunc ipsum conuertens se Memmius inflammauit populū: ac, quasi multa interuertisset de præda traxissetq; bellū, suasit vt ei triumphū denegaret. Cùm vocaretur hîc in magnū periculum Lucullus: principes & potentissimi inseruerunt se tribubus, multisq; precibus & contentione ægrè induxerunt populum, vt triumphū ei concederet.

Luculli triumphus.

Triumphum non, vt aliqui, pompæ prolixitate & rerum traductarum copia portentosum & fastidiosum duxit. sed armis hostilibus, quorum erat vis ingens, & machinis regijs circum Flaminium exornauit. quod erat per se haud contemnendum spectaculū. Ipso in triumpho equites cataphracti pauci, currus falcati decē traducti, amici & duces regij sexaginta. Naues lōgæ rostratæ decem supra centum translatæ. Ipsius Mithridatis aurea senûm pedum statua & gemmis distinctū scutum. Fercula viginti vasorum argenteorum: aureorū poculorū, armorum & nummorum triginta duo. Hæc per viros traducta. Octo muli lectos aureos portauerunt: sex & quinquaginta argentum infectū, alij cētum & septē: argenti signati paulo minus vicies septies centena millia drachmarum. In tabulis breuiaria pecuniæ, quam Pompeio ad bellum piraticum & quæstoribus dederat. Præterea, quòd militibus in singulos nongenos quinquagenos denarios diuiserat. Sub his splendidū epulū populo & circūiectis vicis dedit.

Lucullus repudiat Clodiā, ducit Seruiliā, Catonis sororē lasciuam.

Repudiata autē Clodia lasciua & improba muliere Seruiliā duxit Catonis sororē. quæ item nuptiæ parū faustæ fuere. Vna enim carebat sola Clodiæ macularū infamia ex fratribus. cætera pariter flagitiosam & impudicā vt ferret Catonis reuerētia, vim intulit sibi. Postremò tolerare eā nō valuit. Cùm verò mirificā spē ostendisset senatui, qui hunc virū habere arbitrabatur se aduersus Pompeij dominationē præsidium & propugnaculū optimatiū ingenti gloria atq; authoritate subnixū: deseruit ab-

Lucullus deseruit rempubl.

dicauitque rempubl. vel quòd ægram iam difficilè retineri cerneret à lapsu posse: vel, vt nonnulli volunt, quòd cùm plenus esset honorum, ad placidissimam & mollissimam vitam ex multis certaminibus & sudoribus, quæ non felicissimum habuerant exitum, delaberetur. Quam alij eius commutationem tantam commendant, quòd in vitium & ærumnam non inciderit Marij. qui à victorijs Cimbricis celsisque illis & eximijs rebus gestis non contentus summis honoribus, quibus haberi poterat beatus, sed insatiabili gloriæ & imperij fame cum iuuenibus in republ. gubernanda certans senex, in horrenda facinora impegit atque in clades facinoribus suis horrendiores. Rectiùs enim Ciceronem quoque senectuti suæ consulturũ fuisse, si oppresso Catilina recepisset se: & Scipionẽ Carthagini adiecta Numantia, si inde quieuisset. Esse enim etiã orbis quendã politici terminum. quandoquidẽ nõ secus certamina politica quàm athletica vigore destituta & florre coargui. At Crassus & Pompeius improperabant Lucullo, quòd in voluptates & luxum se demersisset: quasi verò non magis essent deliciæ à tanta ætate alienæ quàm reip. cura & administratio belli. Enimuero est in Luculli vitæ sicut veteris comediæ exordio legere actiones politicas & expeditiones: in calce compotationes, cœnas, & tantùm nõ comessationes, faces, & omne genus ludi. In ludo equidem etiam reputo sumptuosas substructiones eius, ambulationum & balneorũ molitiones, plusque tabulas, statuas, studiumque circa has artes & opera. quæ ille grauibus contrahebat expensis, profundebatque in ea opes, quas ex bellis gestis parauerat ingentes & splendidas. quando vel hac ætate ita gliscente luxu horti Lucullianí inter principis sumptuosissimos habentur. Opificia eius maritima & ad Neapolim: vbi tumulos suspendit fossuris, euripis & riuis pisculentis ædificia sua circumiecit, diętas marinas extruxit: cùm Tubero Stoicus contemplatus esset, appellauit eum Xerxem togatum. Iam habebat in Tusculano diætas mediterraneas & speculas amœni prospectus. extruxerat ibidem laxa prætoria ambulationesque. Quæ cùm viseret Pompeius: reprehendit Lucullum, quòd villam optimè ad æstatẽ comparasset, verùm habitationi brumali fecisset incommodam. Ille verò arridẽs: Putas'ne minus me, inquit, quàm grues & ciconias sapere, quin cum temporum articulis cõmutem diætas? Prætor quidam magnificos ludos edere parabat. Hic ad ornandum chorum petijt ab eo chlamydas purpureas. Ille respondit consideraturum se: si haberet, daturum. Postero die rogauit, quot opus haberet. Qui cùm centum diceret satis fore: iussit eum † bis totidem capere. Cui rei annectit poëta Horatius epiphonema hoc:

Luculli ædificia & luxus.

Lucullus appellatus Xerxes togatus.

† Horatius dicit quinq; millia.

Libr. 1. Epist. ad Numicium.

Exilis domus est, vbi non & multa supersunt,
Et dominos fallunt.

Luculli cœnæ.

Cœnæ verò erãt eius quotidianę insolentes nõ modò stragulis purpureis, poculis gemmatis, choris, & acroamatis accessorijs: sed & obsoniorum variorum & bellariorum singulari apparatu suspiciendum se vulgo facientis. At commendatus est Pompeius. qui ægrotans, cùm præcepisset medicus ei, vt turdo vesceretur, negarent autem serui æstiuo tempore eas vsquam nisi in Luculli viuarijs reperiri: prohibuit inde peti, sed ad medicũ ait: Ergo nisi Lucullus perditus delicijs esset, non viueret Pompeius? Ac aliud, quod parabile esset, iussit parari. Erat Luculli amicus & familiaris Cato. verùm vitam & luxum eius adeo improbabat: vt cùm iuuenis quidam odiosam & prolixam orationem in senatu de frugalitate & temperantia intempestiuè haberet, exurgens Cato: Tace, inquit, qui diuitijs affluis vt Crassus, viuis vt Lucullus, & dicis vt Cato. Alij dictum quidem hoc, sed non à Catone ferunt. At Lucullum ea vita non delectatum modò, verùm etiam gloriatum liquet ex eius dictis. Dicitur Græcos aliquos, qui Romam commeauerant, per multos dies inuitasse. qui vt germani Græci rubore adducti abnuisse venire, quòd tantum eorum nomine quotidie sumptus fieret. Cæterùm Lucullus his arridens dixisse: Aliquid horum Græci vestra causa fit, pleraque fiunt tamen causa Luculli. Soli cœnanti cùm vna mensa & cœna parata modica esset: accitum seruum, qui super his erat, obiurgauit. Vbi is causatus est, nemine vocato non ratum se requiri ab eo aliquem splendorem: Quid ais, inquit: nesciebas hodie apud Lucullum cœnaturum Lucullum? Cùm de eo nimirum rumor in vrbe percrebuisset: cõuenerunt eum in foro ociosum Cicero & Pompeius, ille singularis amicus & familiaris: Pompeio intercedebat cum eo simultas ex prouincia, nihilo minus vsus erat inter eos & crebrò colloqui familiariter solebant. Cicero igitur salutatum rogauit, vacaret'ne ei colloqui? Quo annuente & ad fabulandum inuitante: Nos hodie constituimus, inquit, apud te cœnare, verùm cœna solita tua. Hic recusare Lucullo simulante, atque in diem posterum eos reijciente,

Catonis in Lucullum, dictum.

Cicero Luculli amicus.

ciente, negauerunt se concessuros, neq; alloquendi potestatem ei fecerũt serui, ne quid parari quotidiano praeciperet amplius. Id modò largiti sunt petenti: palàm vt vni seruo diceret, hodie ipsum in Apolline cœnaturum. Id vni ex splendidis triclinijs nomen erat. Quod eius commentum fefellit illos. Nam singulis scilicet triclinijs certa summa erat in cœnam taxata, peculiaresq; impensas & paratum habebant: vt audito serui, vbi cœnare vellet, scirent quantum impendendum, quo esset cœna ordine & digestione instruenda. Cœnare in Apolline quinquaginta millibus denariorũ solenne habebat. Ea tunc insumpta summa obstupefecit Pompeium in sumptus immensitate celeritas apparatus. Atq; in his opulentiae velut reuera captiuae & barbarae insultauit. At commendanda fuit eius & perhibenda in librorum supellectilem impensa. Multos enim & eleganter descriptos cumulauit. Erat etiã eorum vsus quàm cõparatio liberalior. quòd bibliothecae omnibus paterent, atq; in adiectas ambulationes scholasq; reciperent omnes Graeci velut ad Musarum hospitium diuertentes tempusq; inter se traducentes: vbi libenter se ab negocijs alijs reficiebant. Ingrediebatur subinde ipse ambulationes, ac cum studiosis conferebat, atq; negocia procurantibus publica, vbi operam ipsius requirebant, erat praestò. In summa erant conuiuium & prytaneum Graecum omnibus Romam commeantibus eius penates.

Cœna in Apolline apud Lucullum, qualis.

Luculli bibliotheca & humanitas.

Colebat ille quidem omnem philosophiam, neq; ab vllo genere abhorrebat aut alienus erat: propriè tamen ab ineunte aetate dilexit & secutus est Academiam, nõ illam quam Nouam vocabant, quamuis eo tempore Carneadis praeceptis per Philonem floreret: sed Veterem, quae acrem antistitem & facundum habebat Ascolonitem Antiochum. quem omni studio amicum parauit & conuictorem Lucullus, quò eum Philonis opponeret auditoribus. in quibus erat Cicero, qui librum admodum doctum pro secta sua scripsit. in eo disputationem pro comprehensione Lucullo, sibi tribuit diuersam. Titulus libro Lucullus est. siquidem erant hi, vt est suprà dictum, summi amici et consiliorum in rep. socij. Neq; enim semel reipubl. curã abiecerat Lucullus. sed de principatu & summa potentia ambitionem contentionemq;, quae nec periculo erat nec contumelijs libera, delegauit statim Crasso et Catoni. Namq; hos illi, quibus erat Pompeij suspecta potentia, propugnatores senatus repudiante primatum Lucullo ceperunt. Verùm in forum descendebat, siquando amicorum negocia postularent: in curiam, siqua Pompeij esset contentio & ambitio conuellenda. Sanctiones, quas ille deuictis fecerat regibus, rescidit: ac cùm rogationem de agris militi diuidendis tulisset, rem adiutore Catone impediuit. Quod in causa fuit, vt ad Crassi & Caesaris amicitiam vel potiùs coniurationem confugerit Pompeius, completaq; vrbe armis & militibus Catonem & Lucullum deiecerit foro, atq; acta sua per vim firmauerit. Frementibus ob haec optimatibus subornauere Pompeiani Vectium quendam, quem insidias Pompeio se ferebant struentem comprehendisse. Hic interrogatus in senatu nonnullos alios detulit, ad populũ verò appellauit Lucullum: à quo esset ad interficiendum Pompeium immissus. caeterùm fides ab nemine dictis eius habita. Imo confestim diluxit fuisse per dolum & calumniam ab illis eum productum, magisq; paucis diebus pòst cõperta res est cadauere ex carcere proiecto. Vulgatum fuit quidem eum morte spontanea perisse: sed, quia vestigia apparebãt in cadauere laquei & verberum, videbatur ab illis ipsis, qui eum subornauerant, sublatus. Haec impendio magis Lucullum ab repubi. abduxere. Postquàm verò Cicero est in exilium pulsus, atq; in Cyprum missus Cato: in totum obtorpuit.

Lucullus philosophiae studiosus.

Lucullus Vectiũ in Pompeiũ subornasse dicitur.

Dicitur ante obitum è mente paulatim emarcescente laborasse. At Cornelius Nepos senio vel morbo negat Lucullo mentem motam: sed quòd veneno esset à liberto Calisthene potionatus. Dedisse Calisthenem illi venenum, vt impensius ab eo diligeretur, quod amatorium existimabat esse: at ita id soluisse & alienasse mentem eius, vt viuentis etiam procuraret facultates frater. Caeterùm mortem eius, vt si in flore bellicarum & ciuilium actionum decessisset, tulit populus grauiter: cõcursuq; facto corpus, quod in forum à nobilissimis iuuenibus delatum fuit, vi contendit in comitio, vbi funerauit Syllam, humare. Quod cùm praeter omnium expectationem fieret, neq; esset promptus apparatus: obtinuit frater eius precibus & obsecrationibus, vt cadauer funere parato efferri in Tusculano pateretur. Nec fuit diu hic superstes. sed vt aetate & gloria, ita fati quoq; tempore paulò fuit illo posterior vir in vita fratris amantissimus.

Luculli mors.

CIMONIS CVM LVCVLLO COMPARATIO.

Luculli mors beata.

VCVLLVM excessus causa præcipuè beatum dicas. quòd reipubl. conuersionem quam moliebatur bellis ciuilibus fatum, morte præuenerit, vitaq́ excesserit patria quamuis ægra, libera tamen. Quod quidem præ omnibus ei præcipuè cum Cimone conuenit. Etenim ille rebus Græciæ haud dum commotis, sed florentibus vitam cum morte commutauit, in castris tamen & dux nō obtorpescens nec languidus, nec rerum gestarum & triumphorum præmium ponens in epulis & potationibus: sicut deridet Plato Orphea: qui ait his, quorum honesta fuit vita, paratum apud inferos præmium æternam temulentiam. Imò ocium, quies, commoratio in literis voluptatem & cōmentationem afferentibus honestissima seni est & ei, qui à bellis se & republ. abduxit, alleuatio. Ad voluptatem verò dirigere tanquam ad summum bonum præclara facta, & iam deinceps Venerea ex bellis & rebus gestis agentē ludere ac luxuria diffluere, hęc digna nō sunt pręclara illa Academia neq; Xenocratis ęmulo, verùm ad Epicurū desciscente. Id eo mirum est magis. Pugnantem enim iuuentutē, Cimonis infamem & solutam luxu apparet fuisse, huius verò literatā & modestam. Præstat astt ille, qui ad melius deflexit. Melius est enim ingeniū: in quo vitia cōsenescant, & adolescat virtus.

Vitia consenescere, virtutem adolescere, pulchrum.

Vsus opum.

Iam qui pari modo opulentiā parauerunt, non pariter sunt ea vsi. Namq; haudquaquam sunt cum arcis muro Australi, qui parato à Cimone sumptu est extructus, prætoria conferenda Neapolitana atq; circunfusæ vndis speculæ. quæ ex præda barbarica excitauit Lucullus. Nec verò iam cum Cimonis mensa illam Luculli, cum populari & benigna sumptuosam & superbam compares. quippe illa modica impensa alebat quotidie frequentes, hæc ingenti pecunia paucis luxuriosis parabatur. nisi hercle fecit rerum tempus diuersitatem. Nam quis nouit, si ex negocijs Cimon atq; ex rebus gerendis in pacatam & remotam à republ. senectutem se demisisset, an'ne multò magis fastuosam & voluptariam vsurpasset vitam? Nempe vino deditus et tempestiuis conuiuijs, atq; libidine, vt est dictum, infamis. Præclaræ autem domi militiæq; actiones voluptatum compotes aliarum ab deterioribus cupidinibus mentem auocant, earumq; afferunt politicis & gloriæ cupidis ingenijs obliuionem. Quòd si Lucullus item sit in expeditionibus & bellis gerendis fato functus, nemo vel liuidissimus cauillator & Momus ansam in eo obtrectandi meo iudicio reperiat vllam. Hactenus de vita.

Victoriæ Cimonis.

In re bellica vtrumq; fuisse terra mariq; fortem certatorem in confesso est. Cæterùm vt athletas, qui vno die lucta simul & pancratio coronantur, vocant nouo more victorias: ita Cimon, qui pariter vno die pedestri & nauali laurea Græciam coronauit, iure aliquam habeat inter duces prærogatiuam.

Luculli & Cimonis diuersa.

Iam Lucullo patria, Cimon patriæ suę imperium tribuit. & superior dominanti in socios adiecit ditiones hostium: hic ei, quam alias sequentem acceperat, simul & imperium in socios & de hostibus tradidit palmam. Siquidem Persas victos expulit armis mari. Lacedæmonios verò permouit, vt sua sponte imperio cederent. Porrò si officium summum imperatoris est obsequentes beneuolentia efficere: Lucullus à militibus suis contemptus, Cimon apud socios in admiratione fuit. Siquidem ad hunc transierunt, ab illo defecerūt. Ille, quorum dux profectus fuerat, ab ijs rediјt desertus. Hic, cum quibus erat ad alijs parendum emissus, his ipse signum dans domum est reuectus: cùm tria confecisset reipubl. suæ omnium difficilima, apud hostes pacem, imperium inter socios, cum Lacedæmonijs concordiam. Iam verò cùm vterque magna regna excindere & subiugare totam Asiam aggressus esset, non potuerunt res perducere ad effectum: Cimon prorsus per fortunam: nam imperator in secundo rerum cursu sublatus morte est. Lucullum non ex toto liberes culpa: siue ignorauit, siue non leniuit exercitus sui offensiones et querelas, quibus fuit vsqueadeò ab ipso alienatus. An verò hoc habet cum Cimone cōmune? quippe ciues & vocauerunt eum identidem in iudicium, & in exilium denique exegerunt: ne vocem eius annos decem, vt Plato ait, audirent. Etenim grauia optimatium ingenia parum sunt multitudini accepta vel iucunda: sed ferè, dum vrgent, vt corrigant distortos, pungunt sicut medicorum vincula, quamuis in articulos suos hæc reponant luxata. Vterque igitur sit fortasse hac noxa eximendus.

Luculli & Cimonis res gestæ.

At longiùs promouit bellum Lucullus. qui Taurum cum exercitu Romano superauit primus, Tigrim traiecit, regias Asiæ ante regum oculos, Tigranocerta, Cabira, Sinopen, & Nisibin expugnauit

uit inflammauitq́. Tractum Septentrionalem ad Phasim vsque, Orientalem ad Mediam, Australem vsque ad mare rubrum & regna Arabiæ subegit. Vires regum obtriuit. Sola ei elapsa corpora sunt quasi in deserta inuiasq́ & inaccessas aufugientium syluas. Huius rei sit magnum illud indicium. Siquidem Persæ quasi nullo accepto à Cimone detrimento repetierunt extemplò Græcos bello, magnasq́ eorum copias in Aegypto fuderunt oppresseruntq́. Tigranis verò & Mithridatis post Lucullum factum aliud extitit nullum. Verùm hic eneruatus iam ac prælijs fractus prioribus ne semel quidem Pompeio ostendere extra vallum sustinuit aciem, sed in Bosphorum fuga delatus expirauit. Tigranes ad genua se Pompeij nudum & inermem abiecit, detractumque capiti diadema ad pedes eius deposuit, Pompeio non ornamentis blandiens suis: sed illis, de quibus triumphauerat Lucullus. Quare putauit actum secum præclarè, cùm insignia regia redderentur sibi, velut antè ijs exutus. Itaque dux celsior ille sicut athleta fit, qui suc cessori suo debilitatum tradit aduersarium. Adhæc Cimon, cùm regis obtritos neruos accepisset ingentibus cladibus effusissimisq́ fugis & spiritus fractos Persarum à Themistocle, Pausania, Leontychide, insultauit in eos: & quorum antè oppresi deiectiq́ fuerant animi, horum superauit facilè corpora. At cum Lucullo Tigranes prælijs inuictus multis atque inde elatus signa contulit. Numero verò haudquaquam æquiparandi sunt cum illis, qui contra Lucullū steterunt, hi qui profligati fuerunt à Cimone. Quamobrem omnia inuicem æstimanti difficilis sit explicatu disceptatio. Nam videntur & dij vtriq́ fuisse propitij. qui vni ea, quæ perpetranda essent: alteri, quæ præcauenda, prænunciauere. Ita dij quoque testimonium ambobus vt bonis & natura præditis diuina dedere. *Tigranis abiectio.*

CLARISSIMO ATQVE AMPLISSIMO DOMINO, D. IOANNI IACOBO FVGGERO, IN KIRCHberg & Vueissenhorn Comiti, &c. singulari omnis eruditionis Mœcenati, Hermannus Cruserius S. P. D.



N paradoxis Stoicorum clarißime Domine est, In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beatè viuendum: itemq́, Solum sapientem diuitem esse. quæ duo eandem habent sententiam. Neque enim sapiens esse sine virtute quisquam potest, neq́, cui deest nihil ad beatè viuendum, non diues est. Ita diues fuisse videtur mihi ille, qui aurum & argentum, cùm offerretur, non accepit à Samnitibus M. Curius, contentus vasis fictilibus & rapis. Ita Atheniensis Aristides: cui cùm liceret cæsis Persis victori, & mox censenti totam Græciam facilè opes accumulare: tenuior quàm profectus esset, rediit domum. Ita etiam Phocion: qui missa amicitiæ gratia ab Alexandro Magno ingentia munera repudiauit, legatosq́, vt ea admitteret instantes inuitauit ad cœnam. Quos cùm frugalibus epulis & communibus excepisset, illi autem angustijs perspectis rei familiaris eius acriùs vrgerent eum, vt ad lautiùs agendum tanti amicus regis dona caperet: Non intellexistis, inquit, ex hesterna cœna nihil me istis indigere? hoc significans, Eum demum esse diuitem, qui nulla re indiget. Non indiget autem, qui contentus rebus sit suis: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus enim tuus oportet se iudicet diuitem, non hominum sermo, neque possessiones tuæ. At qui propter auiditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putat, qui quotidie fraudat, decipit, poscit, paciscitur, aufert, eripit, socios spoliat, ærarium expilat, testamenta amicorum expectat, aut ne expectat quidem, at ipse supponit: hic non abundare, sed significat se egere. Cùm admodum locupleti L. Minutio Bisilio falsum testamentum quidam in Græcia subiecisset, eiusdemq́ confirmandi gratia potentissimos ciuitatis Romanæ viros M. Crassum & Q. Hortensium, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruisset: quanquàm euidens fraus erat, tamen vterq́ pecuniæ cupidus, facinoris alieni non repudiauit munus. Ita Crassus, qui antè quàm cōtra Parthos exercitum duceret, septem milliū & centum talentorum summā, quæ valet quadragies bis centenis LX. millibus coronatorum, in censu habuisse traditur: cùm etiam decimā facultatum suarum partem Herculi cōsecrasset, ac publicū epulum dedisset populo, adhæc trecentos denarios ciuibus viritim diuisisset: nō contentus tantis copijs inhiauit maioribus: vt tandē ob inexplebilē auaritiam se præcipitē daret. Qui si insuper Parthorū opulentiā hausisset, nō esset diues tamen, sed maneret pauper. Neq́ enim æstimatione census, verùm victu atq́

cultu

cultu terminatur pecuniæ modus. Non esse cupidam pecuniæ, non esse emacem, vectigal est. Contentum verò suis rebus esse, maximæ sunt certissimæq; diuitiæ. Fuit igitur M. Curius, fuerunt etiam Aristides & Phocion longè Crasso ditiores. Acquieuerunt enim rebus suis quantumvis tenuibus, fuerunt'que ob quietam mentem & animum à iactatione cupiditatis tranquillum, quantum fieri in hac potest mortali vita, beati. Neque tamen reprehendendũ sit parasse aut amplificasse probatis rationibus facultates: si modus adsit, & ea, quæ quæsieris, vtaris splendidè & honestè. Ita partas copias Cimon & Lucullus quia liberaliter posuerunt in tuuandis ciuibus suis & doctis viris, in cœlum feruntur. Quæ virtus quando eximiè in familia tua clarissime Domine, & ex tuis præcipuè refulsit in te, qui singularis prædicaris studiorum fautor & altor honestorum: volui partem laborum meorum, quos posui in reddendis de integro latinè Plutarchi illustrium virorum vitis, tuo nomini nuncupare: tum quò cernas, quantò te fuerit Quiritium locupletissimus egentior Crassus, quanto'que splendidior familiæ tuæ sit moderatio beneficentia'que illius improbitate & sordibus, ea'que tibi tua domestica laus indies placeat magis: tum vt istam virtutem pro meo modulo extollerem, tuum'que præconium inter medios summos reges ac principes, quibus singula paria nuncupaui vitarum Plutarchi, quod vel vna merebatur prolixitas in doctos viros tua, collocarem. Hoc meum officium vt pro tua humanitate boni consulas, valdè te clarissime Domine etiam atque etiam rogo. Vale.

PROOEMIVM IN NICIAM.



Laus Thucydidis.
Timæi ineptiæ.

QVANDO visum nobis non absonum est, vt cum Nicia Crassum, & clades Parthicas contenderemus cum Siculis: primùm deprecandi & obsecrandi mihi sunt horum commentariorum lectores, vt in hac historia, in qua Thucydides supra ingenium humanum explicanda, affectu mouendo, illustratione & elegantia seipsum superauit: nemo imitari nos Timæum suspicetur velle. qui dum Thucydidis se superare eloquentiam sperat posse & illepidum planè ostendere Philistum rudemq; : per medias ruit victorias, & prælia naualia, conciones'q; , quas descripserunt illi, ne hercule iuxta Lydium quidem currum pedibus incedens, vt Pindarus ait: verùm ostendit se prorsus impolitum, infantem, atque vt Diphili verbis vtar, pinguem & Siculo oblitum adipe: subinde verò ad Zenarchum delabitur: vt cùm omen factum Atheniensibus narrat existimare se ex eo: quòd dux, qui à victoria nomen habebat, repugnaret ne sibi mandaretur bellum: atque ex statuarum mutilatione præsignificari à dijs clades illos bello ab Hermocrate Hermonis plurimas accepturos. Adhæc verisimile fuisse Syracusanis Herculem Proserpinæ gratia, à qua acceperat Cerberum, suppetias venturum, & infestum fore Atheniensibus: quòd Aegestæos Troianorum sobolem tuerentur, cùm iniurijs ipse ab Laomedonte lacessitus funditùs euertisset vrbem Troiam. Cæterùm huic fortasse ab eodem iudicio hæc subijt scribere, & dictionem reprehendere Philisti, Platonem'que atque Aristotelem insectari. Mihi quidem de stylo cum alijs certamen & æmulatio planè pusilli animi & cauillatorij videtur esse: in ijs verò, quæ imitari queat nemo, etiam prorsus insulsi. Quas igitur res gestas exposuerunt Thucydides & Philistus, quando eas præterire non licet, præcipuè quidem, quæ ingenium & motus illius viri sub calamitatibus reconditos multis & magnis detegunt: has, ne semel habear incurius & segnis, quatenus res postulabit, perstringam. Quæ verò vulgus fugiunt, ac quæ alij dixerunt sparsim, aut in monumentis vel plebiscitis antiquis extant, ea contrahere studebo: non quò historiam consarcinam infrugiferam, sed eam, quæ indolem eius & mores ob oculos ponat, tradam.

Timæus Platonem & Aristotelem reprehendit.

Nicias.



RIMVM de Nicia habeo dicere, quod ſcriptum reliquit Ariſtoteles, tres extitiſſe optimos ciues, qui patria erga populum beneuolentia & amore fuerũt, Niciam Nicerati, Thucydidem Mileſij, & Theramenẽ Agnonis: verùm hunc quàm illos minus. Etenim ob pudẽda natalia, vt hoſpes ex Cea perſtrictus eſt: atq; ob inconſtantiam, quodq; modò harum modò illarum partium in republ. eſſet, Cothurnus dictus. Thucydides fuit illis ætate prior, diuq; Periclis actionibus populo aſſentantis pro optimatibus propugnans reſtitit. Aetatis Nicias inferiotis. Habuit autem nomen aliquod etiam viuo Pericle, vt collega quoq; eius in bello gerẽdo fuerit, & ipſe per ſe exercitui præfuerit crebrò. Defuncto Pericle ſtatim eſt in primum locum elatus à locupletibus potiſsimùm & nobilitate. qui arcem eum aduerſus Cleonis fecerunt ſcelera & audaciã. Attamen & populi tenuit beneuolẽtiam, qui eum item prouexit. Siquidem pollebat multum Cleon ex eo, quòd ad gratiam emerendam populi ſenectutem componeret ſuam, et largitiones ei obijceret. Immodicam tamen hominis cupiditatem, impudentiam, et audaciam cùm viderent illi ipſi, erga quos eſſet ambitioſus, pleriq; amplectebantur Niciam. Neque enim plus ſatis grauitas huius auſtera erat vel odioſa, ſed cum certo tẽperata metu populi. qui eo ipſo, quòd vereri putaretur multitudinẽ, illius fauorem alliciebat. Nam cùm natura eſſet timidus & diffidentiæ plenus, tegebat in bello timiditatem felicitate. Expeditiones enim eius habuerunt omnes ſucceſſum. At formido in republ. gerenda atq; aduerſus calumniatores eius trepidatio videbatur etiã popularis, magnasq; ei opes ex populi ſtudio conciliare. quòd eos, qui ſe deſpiciãt, habeat ſuſpectos: euehat verò illos, qui metuant. Quippe hic habetur à potentioribus honos plebi maximus, cùm non contemnitur. Ac Pericles quidem, qui ſolida virtute & vi dicendi ciuitatem gubernabat, nullo fuco ad multitudinem opus habebat nec gratia artificio colligenda. Quibus Nicias cùm deficeretur, precelleret autem opibus, his deliniebat plebem. Quia verò erat ad Cleonem, qui leuitate & ſcurrilitate populum Athenienſem mulcebat, ſimilibus æquandũ artibus ineptus: oblectabat choragijs, gymnaſiarchijs, muneribusq; huiuſcemodi alijs populum ſplendore antecedens & munificentia qua prioris qua ſuæ memoriæ omnes. Extitit ex donis eius etiam noſtra ætate ſignum Mineruæ in arce, auro quo inductum fuerat, deperdito: atque in æde Liberi patris ſubiecta menſis choragicis ædicula. Choragus enim frequenter vicit, ſuperatus eſt nunquam. Fertur in choragio quodam ſeruus eius ornatus Bacchi perſona tranſiſſe forma & proceritate corporis eximia etiamnum imberbis. Commoto eius aſpectu populo ac diu applaudente, exurgens Nicias nefas dixit arbitrari ſe eſſe, vt corpus, quod deo omnium vocibus eſſet declaratũ ſimile, in ſeruitute teneretur, atque adoleſcentem manumiſit. Iam commemorantur eius in Delo magnifica & religioſa munera. Nam cùm chori, quos ciuitates ad canendum mittebant in Apollinis honorem, appellerent promiſcuè: & quia naui turba repentè occurrente canere iubebantur, nullo ordine, ſed nimia feſtinatione incompoſitè ſimul deſcenderent de naui, coronas ſumerent & veſtes: ille cùm theorus eſſet, traiecit ſecum in Rhenen chorum, victimasq; & reliquum apparatum trahens: ad hæc pontem Athenis paratum competentem atque eximiè excultum auro, pictura, ſertis, tapetibus deportans, nocte fretum eo inter Rhenen & Delum medium, quod non eſt latum, iunxit. Mox vbi diluxit, pompam deo & chorum magnificè comptum cantantem'que traduxit per pontem. Secundum ſacra, ludos, & epulum palmam æneam Apollini poſuit, prædium'que ſacrauit, quod decem millibus drachmarum comparauerat. cuius vectigal impenderent in ſolenne epulum Delij, multam felicitatem ah dijs Niciæ precantes. Id eſt enim inciſum in pilam, quam pro doni cuſtode reliquit in Delo. Palma illa à vento eliſa in Naxiorum excelſam ſtatuam prócidit atque eam deiecit. His non obſcurum eſt multam ſubeſſe gloriæ captationem ambitionem'que plauſibilem & forenſem. verùm ex vita reliqua eius moribus'que fides tibi fiet religionis fuiſſe eam magnificentiam & largitionem comitem. Oppidò namque expaueſcebat deos, & ſuperſtitioni, vt ait Thucydides, erat implicitus. Vt relatum autem in quodam Paſiphontis dialogo eſt,

Niciæ æquales.

Cleon homo peruerſus.

Nicias timidus.

Niciæ largitiones & magnificentia.

Nicias ſeruum manumittit, ob Bacchi perſonam.

Nicias ſuperſtitioſus.

quotidie

quotidie sacris operabatur. Aruspicem autem domi tenens prætexebat perpetuò se de republ. deos cõsulere. at quærebat ferè de rebus priuatis suis, maximè de argentifodinis. siquidem tenebat in agro Lauriotico multas & fructuosas: verùm eas non citra periculũ exercebat, manum magnam illic alebat ergastulorum, ac facultates eius erant ferè in argento positæ. Vnde non pauci sectabantur eum petentes & accipientes. quippe non secus his, à quibus metuebat: quàm illis, qui erãt beneficio digni, largiebatur. Breui vectigalis erat improbis timiditas eius & humanitas probis. De his accipias vel à comicis testimonium. Teleclides enim in quadruplatorem quendam hosce versus scripsit:

Nicias improbis ob metum largitur.

Charicles minam nec obtulit, sibi ne dent probro:
Quòd satus matri sit è crumenula præ fratribus.
At quater minam dedit, Nicerato qui natus est,
Nicias. Cur fecerit, quamuis sciam, non dico tamen.
Est enim hic amicus ac sapit, nisi mens fallitur.

Ille, qui apud Eupolidem in Marica perstringitur, inducens placidum & inopem quendam ait:

Dic, quando demum es allocutus Niciam?
Non vidi ego, nisi stantem nuper in foro.
Fatetur iste Niciam vidisse se.
Sed ad quid illi visus est, ni proderet?
Audistis æquales in ipso Niciam facto prehensum esse.
Vos scilicet virum prehendatis bonum insani vel vllo in crimine?

Cleon apud Aristophanem minitabundus ait:

Os obstruam oratoribus, tum Niciam mouebo.

Innuit item animum trepidum eius & attonitum Phrynichus hisce versibus:

Nam quòd bonus ciuis sit, certò scio:
Nec sustulit trepidos pedes, vt Nicias.

Niciæ cautio.

Cùm ita timeret sibi à calumniatoribus: apud neminem ciuium cœnabat, non confabulationibus non conuersationibus ad tempus fallendum dabat se, nec omninò eiuscemodi vacabat oblectamentis. sed archon hærebat ad noctem vsq; in prætorio: curiam primus ingrediebatur, nouissimus egrediebatur. Nihil si haberet in publico negocij, difficilis aditus ad eum erat & conueniendi copia: domo autem inclusus desidebat. Amici alloquebantur eos, qui ad fores ventitabãt precabanturq;, veniam vt darent: quòd distentus etiam tum Nicias esset publicis negocijs curisq;. Erat Hiero præcipuè huius administer tragœdiæ, fastumq; & opinionem ei adiungebat. Hic eductus apud Niciam fuerat, in literisq; ac musica ab eo institutus. Filium autẽ ferebat se esse Dionysij, qui dictus Chalcus fuit. cuius extant adhuc poemata. Dux is coloniæ fuit in Italiam deducendæ, & Thurios condidit. Hiero hic arcana cum aruspicibus Niciæ transigebat, sermonesq; dissipabat in vulgus, reipubl. caussa eum ærumnosam & miseram vitam agere. cui ait & in balneo & super cœnam semper aliquid obijci publici negocij, & solicitudine reipubl. procurationis priuatam negligentem vix primo somno incipere eum dormire: vnde corpore esse eum affecto, amicis nec placidum nec iucũdum, verùm hos quoq; vnà cum re familiari in republ. gerenda amisisse. Cæteros parare amicos ex suggestu quæstumq; facere, atq; hos in delicijs viuere, & rempubl. ludos facere. Reuera autem ea vita fuit Niciæ, vt de se ipse illud posset Agamemnonis dicere:

Nicias Hieronis magister.

Thuriorum cõditor.

Niciæ vita.

Fastus quidem specie reliquis præcellimus:
Verùm ministri multitudinis sumus.

Porrò populum animaduertens disertorum & insigniter prudentum abuti aliquoties consilijs, sed formidare semper & suspectas habere eorum facultates, spiritibusq; horum & authoritati frænos imponere: vt ex damnatione Periclis patebat, atq; ex decennali Damonis exilio, & populi aduersus Antiphontem Ramnusium suspicionibus, præcipuè verò ex Pachetis casu eius, Lesbum qui in ditionem redegit: Hic rationes referens gesti imperij, ipso in tribunali stricto gladio semet ipse confodit: minutas et operosas expeditiones elaborabat reijcere. Quòd si quando dux esset, securitati studebat, atq; ideo nimirum succedebant ei res plerumq;. quas nulli suæ sapientię vel consilio vel virtuti ascribebat.

scribebat. Verùm eas, quò gloriæ declinaret inuidiam, cōtentus de ea decedere, ad Fortunam delugebat, atq; ad Deos confugiebat. Et res ipsæ astipulabantur. Nam cùm sæpiùs id temporis ciuitas Atheniensis & grauiter cespitaret, in nullius venit ille consortium cladis. verùm à Chalcidonijs in Thracia Calliade & Xenophonte ducibus cæsi sunt. Aetolicum vulnus est imperatore acceptum Demosthene. Ad Delium mille ciues amiserūt ductu Hippocratis. Pestis collata causa ferè in Periclem est, quòd turbam agrestem belli gratia in vrbem contraxisset, atq; ita ex loci mutatione & ratione viuendi insueta contracta esset lues. Omnibus his intactus Nicias permansit. Suis autem auspicijs Cythera cepit insulam opportunissimam aduersus Laconiam, quæ ab Lacedæmonijs colebatur. Multa item in Thracia, quę defecerant, recepit subegitq;. Megarensibus oppido suo inclusis cōfestim insula Minoa potitus est, breuiq; pòst hinc mouens redegit Nisæam in ditionem. In fines Corinthiorum facta descensione acie victor magnū eorum numerum cum prætore Lycophrone occidit. Ibi ille duos forte ex suis, dum sustollit cadauera, mortuos reliquit imprudens. quod vbi resciuit, inhibito statim cursu caduceatorem misit ad hostes recuperādorum cadauerum causa: quamuis de more & vsu, qui per inducias cæsorum corpora petissent, renunciare viderentur victoriæ: neq; legitimum erat, vt id qui fecissent, erigerent trophæū. Quippe victores esse eos, qui præualerent: nec preualere, qui peterent, quod capere non possent. Maluit tamen profundere illę lauream & decus, quàm duos ciues relinquere inhumatos. Depopulatus oram Laconiæ maritimam, fusis fugatisq;, qui arma contrà tulerant, Lacedæmonijs, cepit Thyrææ, quam Aeginetæ tenebant, captiuosq; attraxit Athenas. Postquàm munita à Demosthene Pylo Peloponnesij eò cum terrestribus & maritimis copijs contendere, pugnaq; commissa relicti sunt in insula Spacteria Spartiatæ ad quadringentos: operæpretium, id quod erat, Athenienses arbitrati sunt eos capere. Cæterùm ꝙ difficilis esset & ardua in locis sitientibus obsidio, quę æstate longinquā haberet magniq; sumptus circumuectionē necessariorū, hyeme verò etiam ancipitem & omnino impossibilem: angebantur, pœnitebátq; eos, quòd Lacedæmoniorū legatos, qui de fœdere & pace paciscenda venerant, repulissent. quos reiecerāt repugnante potissimùm Niciæ causa Cleone. Nam quia alieno erat in hunc animo, videbat autem enixè eum prę̃stò esse Lacedęmonijs: obtinuit ad populū, vt pax antiquaretur. Cùm obsidio traheretur, & magnis cōflictari necessariorum difficultatibus exercitū audirent: Cleoni erāt infensi. Quo detorquente in Niciam causam, insimulantéque timiditate eius & mollitia elabi è manibus milites illos: Si ipse præesset exercitui, non fuisse tandiu restituros: extemplò subiecerūt Athenienses: Quin tu etiam nunc classe in illos pergis? Exurgens autē Nicias cessit ei prouincia expeditionis ad Pylon, iussitq; quātum vellet eo piarum, sumeret: neq; verbis, vbi absit periculum, insolesceret: sed rem memorabilē prę̃staret reipubl. Ille primùm re inopinata perculsus tergiuersabatur. Verùm adhortante populo Atheniense, & Nicia ei obstrepente excitatus incensusq; ambitione suscepit imperium, adiecitq; se intra vigesimum diem ꝙ soluisset, aut hostes ibi oppressurū, aut viuos adductur ū Athenas. Id dictum libuit populo ridere potius quàm credere. quippe soliti erant alioquin hominis leuitatem et insaniā pro ludicro non ingratè ferre. Siquidē ferunt eum, cùm populus in concione considens diu eum expectasset, accessisse tandem coronatū atq; orasse, vt in diem posterū reijcerent cōcionem. Nam mihi, inquit, non vacat hodie, ꝙ sacrificio facto hospitibus epulum præbiturus sim. Ita populū Atheniensem cum risu surrexisse, ac concionem dimisisse. At verò prospera fortuna tunc vsus bellum optimè secundum Demosthenē gessit, ac Spartiatas illos, quotquot nō ceciderūt in prælio, armis exutos captiuos duxit Athenas. Id Niciam suggillauit magnopere. Neq; enim clypei visa ea est abiectio, sed turpius quiddam & fœdius: quòd prouinciā timiditate vltrò proiecisset, atq; inimico prębuisset abdicato sponte imperio tantæ rei perpetrandæ occasiones. Qua de re Aristophanes rursus in Ornisin mordet eum hisce verbis:

Niciæ res preclarè gestæ.

Nicias cedit Cleoni.

Cleonis factum ridiculum.

Nicias ob metū carpitur.

Non hercle tempus dormiendi scilicet
Nobis datur, nec Niciæ cunctatio.

In Georgis ita ait:

Munus colendi agrum volo. Quis impedit?
Vos. Offero sed mille drachmas, si mihi
Detraxeritis munus hoc imperi.

O

Placet. quia bis mille sunt cum Nicia
Drachmis.

Cleonis licentia.

Nec verò parum insuper ciuitati incommodauit, qui tantum permisit Cleoni gloriæ & opum accedere. Vnde spiritibus magnis atque impotenti sumpta audacia cùm alias reipubl. inuexit calamitates, quarum in ipsum magna pars redundauit, tum decorum sustulit in suggestu, inter cōcionandum exclamauit primus, pallium aperuit, femur percussit, & cursu inter dicendū est vsus: atq; hinc ea, quæ postea cōfudit totam rempubl. licentia & honestatis contemptu imbuit rempubl. gerentes. Eadem tempestate cōcionator alius succrescebat Athenis Alcibiades non perinde impotens, verùm sicut Aegyptiorum tellus vbertate dicitur edere simul

Pharmaca multa bonis multis permista maligna:

Alcibiadis ingenium varium.

Ita in partem vtramq; exuberans Alcibiadis ingenium & excellens ad res multas nouas aperuit fenestram. Vnde Cleone Nicias explicatus haudquaquam opportunitatem habuit componendæ & tranquillandæ ciuitatis. Sed cùm in viam rempubl. induxisset salutarem, impetu et vehementia Alcibiadis ambitionis est ea eiectus, atq; iterum in bellum præcipitatus. Id ad hunc modum gestum est: Cleon & Brasidas erant præcipui, qui pacem Græciæ distinerent. quorū bellum huius ornabat virtutem, illius tegebat improbitatem. quippe huic inclytarū rerum ansas gerendarum, illi ingentiū scelerum suggerebat. Qui cùm simul ambo vno in prælio ad Amphipolim occubuissent: cōfestim Nicias,

Nicias Spartiatas Atheniensibus conciliat.

quòd Spartiatas inueniret pacis iamdudum auidos, & nō item animatos ad arma Athenienses, ambos autem fessos & manus vltrò demittentes, elaborauit vt recōciliaret duas has ciuitates, cæterosq; Græcos malis liberaret & reficeret, atq; ita stabiliret nomē in posterum felicitatis. Ac locupletū quidem maiorumq; natu & agricolarū protinus habuit ad pacem propensam cateruam. cæterorum plerosq; priuatim appellando monendoq; reddidit ad bellum tardiores. Inde iam spe Lacedæmonijs præbita ad quærendā adhortatus eos est & excitauit pacem. Qui fidem ei cùm ob aliam eius moderationem habuerunt, tum quòd captorum ad Pylon et vinctorum curam agens fouensq; eos eleuasset calamitatem. Fecerant aūt antè inter se annuas inducias. quibus inter se conuenientes gustantesq; iterum, quàm dulcis securitas & ocium, hospitumq; & familiarium esset vsus, vitam exoptabant incruentam ac quietam. Iam cupide choros audiebant hæc canentes:

Quiescat hasta aranei telis reuincta.

Meminerant etiam libenter huius dicti, In pace sopitos nō tubis, sed gallorū gallinaceorum excitari cantibus. Insectabantur aūt & increpabant eos, qui in fatis dicebant esse, vt ter nouenos annos duraret bellū. Ita inde inter se omnibus de rebus collocuti pacem fecerunt. Ac sperabant pleriq; planè se è malis emersisse, habebantq; in ore, Niciam quem dicebant virum dijs charū esse, illius'q; religioni tribuisse deos, vt traheret ab eo maximū & summum bonum nomen. Reuera aūt pacis existimabant Niciā authorem esse, vt Periclem belli. siquidem hic leuibus ex causis in magnas clades cōiecisse Græciam videbatur: Nicias contrà induxit eos, vt grauissimis obliteratis iniurijs redirent in gratiam. Vnde pacem illam vocāt etiamnū Nicieam.

Pax Nicica.

Quia verò cautum in fœdere erat: vt præsidia & oppida, quę erant hincinde occupata, & captiuos redderēt, vtq; sorte ducti redderent primi: sortem Nicias, vt tradit Theophrastus, clàm pecunia redemit, primi vt restituerēt Lacedæmonij. Cùm iam Corinthios & Bœotios appareret auersos ab his, quæ agebantur, elaborare vt criminationibus & querimonijs bellum denuò exsuscitarent: permouit Athenienses & Lacedæmonios Nicias, paci pro neruis & vinculo vt adijcerent societatem, qua terribiliores desciscentibus & firmiores inter se efficerentur. Dum hæc aguntur, Alcibiades nec ad ocium appositus, & infestus Lacedæmonijs, quòd adhærerent & attenderent Niciæ, se verò despicerent contemnerentq;: mox à primo fuerat aduersatus & repugnauerat paci. verùm nihil profecerat. Breui pòst cernens non perinde iam satisfacere Atheniensibus Lacedęmonios, sed facere videri fraudem, q; societatem iunxissent cum Bœotijs, nec Panactū integrā tradidissent nec Amphipolim: has arripuit causas, inflammauitq; ad singula populum. Tandem euocatis legatis Argiuorū sociare eos molitus est cum Atheniensibus.

Alcibiades decipit legatos Lacedæmoniorum.

Vt verò legati Lacedæmoniorū cum libera potestate aduenerūt, ac primò in curia auditi, mandata visi sunt æquissima habere: veritus Alcibiades, ne eadem oratione in animū populi influerent, circumuenit eos fallacia & iureiurando, ostenditq; se præstò ipsis futurū, si dissimularent & inficias irent liberā potestatem habere

bere

bere. Ita enim, quæ cuperent, facillimè obtenturos. Quos vbi induxit atq; ad se ab Nicia traduxit, producens eos in cõcionem quæsiuit primo loco, haberent ne solutã de omnibus potestatem? Quod cùm negarent: præter expectationem eorum varians curiam dictorum testem aduocauit, monuitq; populũ, ne tam apertè mentientibus, & modò hoc modò illud eadem de re dicentibus aures præberent vel fidem adhiberent. His non immeritò attonitis, cùm nõ haberet Nicias qd, diceret: sed esset stupore & rei nouitate defixus: institit cõfestim populus Argiuos accire, societatem'q; cum ijs sancire. Verùm terræmotus, qui interpellauit & disiecit cõcionem, opitulatus est Niciæ. Postridie populo iterum coacto multa moliendo & dicendo ægrè obtinuit, vt societatẽ cum Argiuis producerent, mitterentq; se Lacedæmonẽ, omnia ostendens ex sententia confore. Vt Spartam venit, cætera vt vir bonus atq; ipsorũ studiosus cultus est: sed re infecta, quòd superatus esset à facientibus cum Bœotijs, reuersus est non modò turpis & infamis, verùm etiã formidans offensum & indignantem populũ Atheniensem: quòd authore se tot & tantos viros reddidissent. Quippe illi, qui adducti Pylo fuerãt, ex primis familijs erant Spartæ, amicosq; & necessarios habebant principes ciuitatis. Nihil tamen ex flamma consuluerunt in eum grauius, sed prætorem designauerũt Alcibiadem, Mantineosq; & Eleos aduersus Lacedæmonios rebellantes socios cum Argiuis asciuere, prædatoresq; Pylon ad incursandam Laconiã miserunt. vnde recruduit bellum. Porrò flagrante Alcibiadis cum Nicia simultate, atq; irrogatione instante exilij decennalis, quod solebat per interualla infligere populus, & aliquem suspectũ vel aliàs ex gloria aut diuitijs inuidiosum ostraco in decenniũ exterminare: ingens vtrumq; pauor periculum'q; occupauerat, quòd alteri ipsorũ omnino putarent exilium imminere. Quippe Alcibiadis execrabãtur vitã, audaciam verò trepidabant, vt latiùs sumus in historia illius executi. Niciæ opes inuidiã conflabant, maximè mores nec humani nec populares: verùm vt insociales & à plebe alieni importuni videbantur. & quia magnopere iam cõtra eorum sententiam reluctatus ipsorum libidini fuerat, ipsosq; ad id quod in rem foret, adegerat, erat odiosus. Breui iuuenum erat & bellandi cupidorũ aduersus pacificatores & seniores certamen: atq; hi exilium in hunc, illi detorquebant in illum. At

Terræmotus Niciæ opitulatur.

Ostracismi vsus.

Dissidio in populi capit & sceleratus honorem.

siquidem distracta & tunc in duas ciuitas factiones dedit audacissimis & versutissimis locum. in quibus Hyperbolus erat Perithœdes, homo ex nullis audaciã sumens opibus, sed ex audacia ad opes promotus: factusq; ex eo, quem habebat in ciuitate honorem, ignominia ciuitatis. Hic remotum se id temporis ratus ab exilij timore: Nempe potiùs ad furcam pertinebat: cùm speraret altero illorũ ciuitate exacto parem se fore manenti, demonstrabat apertè gaudere eorum dissidio se, stimulabatq; in eos populum. Cuius animaduersa Nicias & Alcibiades nequitia, in secreto collocuti inter se vtramq; factionẽ cõfuderunt in vnum. itaq; effecerunt, vt neuter ipsorum, sed Hyperbolus in decennium expelleretur. Atq; id in præsentia quidem iocũ & risum excitauit in populo. Postmodũ verò tulerunt molestè, quòd eam rem per hominem fœdarã arbitrarentur indignũ. Esse enim aliquam & huius dignitatem pœnæ. Imo verò pœnam ducebant decennale exiliũ Thucydidi, Aristidi, & similibus esse: Hyperbolo verò honorem atque occasionem iactantiæ: quòd esset ob improbitatem similiter atque summi viri mulctatus, vti de eo Plato comicus quodam loco dixit:

Hyperbolus.

Hyperbolus in decennale exiliũ pulsus.

Quamuis quidem sit moribus dignum malis
Passus, tamen non digna se & notis suis.
Nam non repertum istius est causa ostracum.

Tandem post Hyperbolum nemo omnino, sed postremus ille hoc exilij genere est punitus. Primus fuit Hipparchus Cholargensis propinquus tyranni. Incerta verò res fortuna est, neq; ratione cõprehensibilis. Nicias enim, si de exilio aleam iecisset cõtra Alcibiadem, vel victor securus illo expulso in vrbe mansisset, vel victus ipse extremas clades exilio declinasset, atq; existimationem retinuisset optimi ducis. Non me præterit à Theophrasto narrari actum in exilium Hyperbolum Phœaco nõ Nicia cum Alcibiade concertante. Verùm maior pars ita authores sunt. Nicias igitur, cùm Segestanorum & Leontinorum legati aduenissent, atq; Athenienses impellerent ad suscipiendã expeditionem in Siciliam: refragatus est his, sed ab Alcibiadis consilijs & ambitione victus est. qui etiã ante indictum populi conciliũ, tenebat iam plebem spe & sermonibus suis corruptũ: vt

Exilij decennalis abolitio Athenis.

& in palæstris iuuentus, & senes in officinis hemicyclisq; considentes figuram Siciliæ, maris circumiecti mores, portus & loca: quæ obuersa Africæ illa habet insula, definirēt. Neq; enim belli pręmium statuebant, sed sedem Siciliam, ex qua arma Pœnis moturi, simulq; Africam & mare essent vsq; ad columnas Herculis occupaturi. Eò cùm intenti essent: Nicias, qui aduersùs tendebat, neq; multos habebat neq; pollentes suffragatores, quando pecuniosi metu ne munera & impensam in triremes viderentur defugere, præter animi sententiam quiescebant. Hic verò non defatigabatur neq; fatiscebat. Verùm

Nicias dux in Siciliā creatur.

postquàm populus bellum iussit, ac primùm ipsum ducem creauit cum Alcibiade & Lamacho, in alia concione à cœptis eos testato deterruit. Alcibiadi deniq; exprobrauit priuati quæstus & ambitionis causa in graue coniicere eum ciuitatem & transmarinum bellum. At nihil profecit. Imo quòd ob peritiam haberetur accōmodatior, magnamq; præbiturus securitatem, cum Alcibiadis audacia & Lamachi lenitate illius commista cautione, magis roborauit suffragia. Exurgens enim, qui præcipuè ex concionatoribus populum ad bellum incendebat, Demostratus Niciam ait se causantem repressurum, promulgauitq; rogationem, vt duces belli domiq; liberam & in consilijs capiundis & rebus gerendis potestatem haberent. atq; eam legem pertulit.

Prodigia deterrentia Athenienses ab expeditione Sicula.

Atqui multa dira etiam à sacerdotibus aduersus susceptam expeditionem memorantur obnunciata. Sed alios habuit Alcibiades vates, atq; ex vetustis quibusdam vaticinijs magnum decus prænunciauit Athenienses ex Sicilia deportaturos. Legatos quoq; subornauerat, qui ab Ioue Ammone reuersi fuerant cum sortibus, quibus significabatur capiendos ab Atheniensibus omnes Syracusanos. Aduersa verò verentes malè ominari occulebant. Neq; enim clara & perspicua prodigia reuocabant eos,

Statuarū Athenis mutilatio.

nec statuarum quas Hermas vocant laceratio omnium eadem nocte truncatarum, vna dempta, quam Andocidis vocabant, à tribu posita Aegeide pro domo, quę tunc Andocidis erat: nec quod patratum fuerat in duodecim deorum ara. Quidam repentè in eam insilijt. Inde insidens ei cruribus vtrinque demissis desecuit lapide pudenda sua. Delphis aureum Mineruę signum in palma positum æneâ erat, à ciuitate Atheniense de manubijs Medicis sacratum. Hoc per multos dies inuolantes corui totonderunt, fructumq; palmæ aureum abroserūt deieceruntq;. At Athenienses commenta hæc Delphorum dictitabant esse à Syracusanis corruptorum. Erat oraculum, quod Mineruæ sacerdotem adduci ex Clazomene Athenas præcipiebat, quam acciuerunt. Ea Hesychia, id est, Quies vocabatur. Atq; id haud dubiè fuit, quod ciuitatem admonuit deus, in præsentia vt quietem agerent. Siue igitur hoc veritus est, siue huma-

Meton astrologus insaniam simulans, domū suam incendit.

na reputatione hoc bellum horruit astrologus Meton, qui præfecturā certam habebat: finxit insaniam, ac domui suæ ignem subiecit. Alij negant prætexuisse eum insaniā: sed cùm noctu domum inflammasset, progressum in forum sordidatū contendisse à ciuibus, vt sibi tanta icto calamitate filium, qui nauigaturus trierarchus in Siciliam erat, sacramēto soluerent. Socrati verò illi sapienti dæmonium etiam solitis signis istud quoque indicauit, expeditionem illam in pestem reipubl. versuram. Ille familiaribus & amicis hoc aperuit. qui rumor dimanauit in populum. Iam conturbauit dies, quo classis soluit, non

Adonia, fœminæ celebrant.

paucos. Nam agebant tunc Adonia fœminæ, atque exposita passim per vrbem simulachra, eorum'que exequiæ & planctus muliebres edebantur. vt illi, qui aliquam horum rationem ducerent, angerentur timerent'que, ne ille apparatus & exercitus ex magnificentia & flore splendido citò euanesceret. Quòd igitur, ne sciscceretur ista expeditio, obstiterit Nicias, & neque spe elatus neque magnitudine obstupefactus delati imperij de sententia decesserit, viri boni fuit & constantis. At postquàm populum auertere à bel-

Niciæ stulta timiditas.

lo, & precibus amoliri ab se enitens prouinciā nihil obtinuit: sed ipsum quasi impulsum populus ducem exercitui imposuit inuitū, non iam vltrà locus nimiæ isti cautioni & cunctationi erat: vt pueri modo ex naui respectans, ac crebrò quòd esset consilijs victus, repetens animoq; versans, simul ardorem hebetaret collegarum suorum, et rerum corrumperet articulos. verùm ilicò oportuerat hostes adorientem ijsq; instantem in ipsis certaminibus periclitari fortunam. Atqui cùm Lamachus planè censeret in ipsas eundum Syracusas, ac sub ipsis vrbis muris decernendum: Alcibiades autem retrahenda à Syra-

Niciæ consilium de inuadendis Syracusis.

cusanis cætera oppida, inde in ipsos mouendum: hic, qui ab illis dissentijt suasitq;, vt sensim littora circumquaque legentes Siciliæ arma & classem suam ostentarent, inde relicto Segestanis aliquo de militibus suis præsidio reciperent se Athenas: cùm in præsentia illorum consilia peruertit & fregit animos, tum breui pòst Alcibiade ab Atheniensibus ad iudicium reuocato, verbo declaratus alter dux, authoritate verò solus nullum

finem

finem fecit cunctandi & circumuagandi & deliberandi. donec vigor ei spei consenuit, trepidatioq; & pauor, quem incusserat primus copiarũ aspectus, hostibus excidit. Alcibiade adhuc præsente nauibus sexaginta in Syracusanos mouere, cęteras sustinuerunt pro portu in acie instructas. Decem speculãdi causa in portum irruperunt, Leontinosq; per præconem ad redeundũ domum euocauere. Ceperunt hæ nauem hostilem. Ea portabat tabellas, in quas nomina sua Syracusani tributim perscripserant. Hæ procul vrbe in æde Iouis Olympij fuerant depositæ: tunc autem ad conquisitionem & delectum iuuentutis deportabantur. Quæ vt captæ ab Atheniensibus & ad duces sunt delatæ, atque ingens numerus conspectus est nominum: torsit res vates, ne fortè fatum hîc impletum esset oraculi, quod dicebat, Athenienses capient omnes Syracusanos. Verumenimuerò alio id actu aiunt consummatũ Atheniensibus fuisse, quo tempore Calippus Atheniensis, postquàm interfecit Dionem, tenuit Syracusas. Vt decessit ex Sicilia cum paucis Alcibiades, authoritas iam penes Niciam omnis erat. Lamachus erat quidem vir fortis integerq; & manu in certaminibus promptus, sed vsqueadeò inops & tenuis: vt populo Atheniensi, quotiescunq; dux esset, exiguũ pecuniolæ in vestem & crepidas expensum ferret. Niciæ verò cùm aliàs erat grande, tum ex diuitijs & gloria fastigium. Fama est archontibus aliquando inter se in curia cõsultantibus iussum ab eo Sophoclem primum sententiam dicere, quòd esset eo in collegio antiquissimus: Equidem, inquit, natu maximus sum, sed tu antiquissimus. Ita tunc quoq; Lamachum sibi subiungendo rei militaris peritiorem, bellumq; timidè & cunctanter administrando, dum littora Siciliæ remotissimè ab hostibus circumuehitur, dedit ijs animum. Mox quòd obsederit Hyblen exiguũ oppidulum, & prius quàm ceperit id, abscessit, est maiorem in modum despectus. Catanam demum recepit se nulla re gesta, nisi quòd Hyccara barbarorum oppidulum excidit. Vnde Laïdem meretricem aiunt virginem etiamnum fuisse inter captiuos sub hasta venditam ac deportatam in Peloponnesum. Aestate exacta cùm nunciatum esset Syracusanos erectos ipsum petituros priores, equitesq; superbè castris obequitantes rogarent, ad supplendos Catanensibus ciues venissent, an ad Leontinos cultoribus frequentandos? hic tandem instituit Nicias classe petere Syracusas. Quo autem tutò & citra impedimentũ castra collocaret, misit perfugæ specie certum hominem ex Catana. qui denunciaret Syracusanis, si capere vacua militibus castra atq; Atheniensium arma vellent, vt stata die Catanę cum omnibus copijs adessent: & quia agerẽt ferè Athenienses in oppido, statuisse Syracusanorum amicos, vbi aduentum eorum intellexissent, simul portas occupare & classem incendere. Multos iam cõspirasse, atq; illorum operiri accessum. Id vnum ille in Sicilia rectè gessit. quippe vires omnes elicuit hostium, desolataq; penè viris vrbe soluit ex Catana, potitusq; est portubus et locum cepit castris: vbi hostes, quibus rebus præstabant, nihil ei poterant incommodare: quibus autem superior erat ipse, his pressurum se sperauit citra impedimentum illos. Postquàm regressi à Catana Syracusani aciem pro portis instruxerunt, adortus cum Atheniensibus eos Nicias victoriam retulit. ex hostibus tamen magnum numerum nõ interfecit, quòd instare fugientibus prohiberetur ab equitatu. At dum pontes fluminis rumpit & rescindit, materiam præbuit Hermocrati iactandi ad confirmandos Syracusanos, ridiculum Niciam esse. qui id ageret, ne pugnaret, quasi non ad dimicandum appulisset. Verumtamen ingentem pauorẽ & trepidationem incussit Syracusanis, vt loco quindecim prætorum, quos tunc habebant, treis designarent alios. quibus populus iureiurando promisit imperiũ se ipsis permissurum liberum. Propinquum erat Iouis Olympij fanum. quod capere, quia multa ibi dona aurea & argentea erant, cupiebant Athenienses. Cæterùm rem Nicias de industria reijciẽs tempore exclusus est, permisitq; eò præsidium Syracusanorum ingredi: existimans, si direptę à militibus illę opes essent, ærarium nihilo locupletius fore, infamiam verò violati fani in se recasuram. Nobili autem illa victoria nihil vsus, paucis interpositis diebus recepit se ilicò Naxon. vbi hybernauit, sumptusq; fecit cum tãto exercitu ingentes, cùm res gereret haud magni momenti cum nonnullis Siculis, qui ad eum deficiebant. Vnde Syracusani recepto animo excurrerunt Catanam, finesq; vastauerunt, & castra Atheniensium incenderunt. quorum conferebant omnes in Niciam culpam: quòd in cõsultando, morando, & cauendo tempus rerum gerendarum corrumperet. Nam in rebus gerendis nemo eum culpet. quippe in ipso impetu rei gerendæ impiger & strenuus, verùm ad audendum cunctator erat & timidus. Vt igitur iterum cum exercitu mouit Syracusas: tam duxit scienter, tamq; velociter & circumspectè se hostibus superfu-

Lamachus.

Laïs meretrix ex Sicilia in Peloponnesum deportata.

Nicias occupat portum Syracusanum.

Nicias Iouis fanũ spoliari prohibet.

Nicias obsidet Syracusas.

dit, nemo vt animaduerterit eius ad Thapsum appulsum vel excensionem, præuerterit etiam occupare Epipolas: delectos milites, qui occurrerunt ei, fuderit, ceperit trecentos, & hostium quoque inuictum habitum equitatum profligauerit. Quod verò supra omnia perculit Siculos, & Græcos obstupefecit:

Nicias Syracusas obsessas, muro circumdat.

modico tempore Syracusas circumuallauit vrbem Athenis non angustiorem, sed asperiorem locorum inæqualitate & maris vicinitate & propinquitate paludum ad eam muro tam longo in orbem circumijciendam. confecit autem propemodum totum homo, qui nec firma valetudine ad tantas curas vteretur, verùm laboraret renum dolore. cui quod residuum operis non fuerit exactum, iure ferendum est expensum. Ego verò prædicandum arbitror ducis solicitudinem militumq; fortitudinem ijs in rebus, quas præclarè gesserunt. Siquidem Euripides post eorum cladem & exitium carmen hoc funebre fecit:

Octo Syracusios fudit per prælia victor
Hic miles, spectat dum æquus vtrosq; deus.

Non octo victorias, sed plures reperias de Syracusanis hos antè retulisse, quàm ex deorum reuerà voluntate vel fortuna Athenienses, quorum insurgebant plurimùm opes, in asperitatem rerum inciderent. Atq; corpori Nicias vim adhibens intererat rebus gerendis plerunq;. Cùm verò morbus aliquando esset in summo articulo, decumbebat ipse paucis cum seruis in castris. Interea Lamachus ductans exercitum pugnauit excitantibus Syracusanis Atheniensium muro oppositum ex vrbe alium, qui interiectus circumuallari vrbem impediret. At hic relictus ab Atheniensibus, qui victoria elati fusiùs insequebantur hostes, inferentem se equitatum vnus excepit. Euectus ante cæteros Callicrates

Lamachi cædes.

est bellator insignis & animosus. Cum eo Lamachus ex prouocatione solus est congressus, qui cùm vulnus prior accepisset, inde Callicratem vulnerasset concidissetq;, vnà cum eo expirauit. Huius corpore armisq; Syracusani potiti, abstulerunt ea: atq; ad murum Atheniensium, in quo destitutus præsidio Nicias erat, citati perrexere. Is necessitate tamen excitatus, cùm animaduerteret discrimen, iussit illis, qui circa ipsum erant, omnem materiam, quæ pro muro ad machinas excitandas iacebat comparata, ipsas'que machinas subiecto igni incendere. Hoc repressit Syracusanos, Niciam verò & muros & stipendium Atheniensium protexit. Flammam enim, quam elatam in medio conspexerunt ingentem, declinauerunt Syracusani. Iam his actis vnus supererat ex prætoribus Nicias, & erat magna in spe. quippe & vrbes transitiones ad eum faciebant, & onustæ commeatu naues vndique veniebant in castra: quòd secundis rebus eius fauerent omnes. ac faciebant Syracusani iam de vrbe desperantes verba apud eum de pace.

Gylippus Lacedæmonius succurrit Syracusanis.

Quando Gylippus quoque, qui ex Lacedæmone suppetias illis veniebat, vt inter nauigandum circumuallatos muro Syracusanos atq; eorum intellexit difficultates, ita reliquum instituit cursum, quasi amissa iam Sicilia vrbes Italicas, modò hoc saltem liceret, defensurus. quippe magna percrebuerat fama omnia tenere Athenienses, ducem'que habere ob felicitatem & prudentiam inuictum. Nicias ipse ilicò etiam præter ingenium suum præsentibus viribus & fortuna fretus, potissimùm verò ex occultis Syracusanorum colloquijs nuncijsq;, quos ad ipsum miserunt, mox vrbe potiturum se per deditionem existimans, nullum respectum aduenientis egit Gylippi, neque acres excubias. Ille autem, quòd semel despiceretur ac cõtemneretur, clam Nicia pontone est in Siciliam delatus: appulsusq; quàm remotissimè ab Syracusis magnas copias conscripsit, nec scientibus quidem adesse eum vel expectantibus Syracusanis. Quapropter indicta ijs concio erat de fœdere cum Nicia faciendo. Et pergebant iam nonnulli ad concionem, antè censentes iungendam pacem, quàm vndequaq; clausa muro vrbs esset. siquidem perparum supererat operis, atq; in id omnis iacebat parata materia. In hoc præsentis articulo discriminis decurrit vna triremi veniens Coryntho Gongylus. Ad quẽ scilicet cùm concursus fieret omnium, Gylippum ille significauit breui adfore, nauesq; subsidiarias aduentare alias. Haud dum satis Gongylo credebant, cùm nũcius adfuit à Gylippo: qui iubebat, vt sibi occurrerent. Itaque animis erecti arma sumpsere, mouitq; euestigiò Gylippus signa, atque ex itinere aciem ad dimicandum cum Atheniensibus instruxit. quos cùm ex aduerso instruxisset Nicias: stans infesta in Athenienses acie Gylippus misit caduceatorem. per quem Atheniensibus significauit, dare se ijs fidem publicam, si Sicilia decederent. Eum non est dignatus Nicias responso. Ex militibus autem nonnulli per

Militum Athe-

ludibrium rogauerunt, Ex vnius'ne præsentia lænæ & baculi Laconici euasissent repentè

tè

niensium dictũ in Syracusanos.

tères Syracusanorum tam validæ, vt contemptui haberent Athenienses, qui multò robustiores Gylippo magisq; comatos trecentos, quos in vinculis habuerant, reddiderant Lacedæmonijs." Timæus verò neque Siculos ait vllo loco habuisse Gylippum. cuius postea rapacitatem quoque & sordes improbauerint: ac vt primùm conspectus est, lænam eius comam'que deriserint. Inde tamen idem ait ad illius tanquam noctuæ conspectum frequentes eos aduolasse promptè nomina dantes. Atque hæc prioribus veriora sunt. quippe in baculo & læna insigne & authoritatem intuentes vrbis Spartæ conglobabantur. Huic quoque quicquid ibi gestum est, vni asscribit Thucydides, & verò etiam Philistus ciuis Syracusanus illarumq; rerum spectator. Primo conflictu fusi sunt ab Atheniensibus Syracusani, pauci tamen interfecti, in quibus Corinthius Gongylus: verùm postero die Gylippus, quid valeret vsus, demonstrauit. siquidem ijsdem armis & equis & locis non similiter, sed forma mutata aciei pepulit Athenienses. qui cùm in castra fugissent, conuertit ad opus Syracusanos: lapidibus'que & materia, quę illi congesserant, excitauit opera. quibus diuulsis interscidit'q; murum illorum, nihil vt illis ex victorijs superesset. Hinc alacres Syracusani compleuerunt naues, suoq; & sociorum equitatu circumuagantes multos exceperunt. Gylippus oppida ipse adiuit, omnes'q; concitauit & incendit. qui enixè fuerunt ei dicto audientes, & auxilia dederũt. Itaq; relapsus est Nicias ad priora consilia, aduertensq; rerum conuersionem cœpit labascere animo, atq; Atheniensibus scripsit: vt vel alias copias mitterent, vel has quoque reuocarent ex Sicilia. sibi verò omninò mitti postulauit ob sonticam causam successorem. Statuerant Athenienses & antè alium exercitum in Siciliam mittere. sed cùm inuidia rerum priorum gestarum, quæ tam secundæ Niciæ fluebant, multas moras interposuisset, tunc properarunt opem mittere. Demosthenes erat magna classe exacta hyeme profecturus. Eurymedon media hyeme præcesit ad stipendium portandum & collegas Niciæ declarandum, qui creati erant ex ijs, qui sub eo merebant, Euthydemum & Menandrum. Interea Nicias, cùm terra mariq; coorirentur in eum repentè hostes, etsi classe primùm inferior fuit, profligauit tamen & depresit multas hostium naues. Terra verò non potuit succurrere in tempore, verùm Gylippus primo impetu Plemmyrion cepit. vbi multis nauium armamentis & pecunia, quæ ibi reposita grandis erat, omni potitus est: multos'que milites occidit & cepit. & quod maximum erat, ademit Niciæ facultatem commeatus. cuius secura subuectio & expedita erat arcem illam tenentibus Atheniensibus, eiectis ardua & non nisi pugna cum hostibus, qui stationem ibi habebant, conserta. Adhæc classem suam Syracusani non virtute rati, sed quòd esset insectata inconditè, superatam: iam iterum apparatu instruxere magnificentiore. Cæterùm classe detrectauit Nicias confligere, perquàm absurdum esse dicens, tantam cùm ipsi classem expectarent, & copias recentes, quas Demosthenes festinus adducebat, minoribus & malè instructis pugnam capessere. At Menandrum & Euthydemum nouos duces ambitio & æmulatio occupauerat aduersus vtrumque imperatorem: vt Demosthenem re præclara gesta aliqua præuenirent & supergrederentur Niciam. Prætexebant ciuitatis gloriam, quam concidere & perire omnem aiebant, insultum si extimescerent Syracusanorum. Itaque expresserunt, vt prælio nauali dimicaretur. At hi ab Aristone Corinthiorum gubernatore circumuenti in sinistro cornu, vt scribit Thucydides, fusiq; & fugati sunt. Multos desiderauerunt, & magna animi consternatio incesit Niciam. qui clades acciperet, cùm præfuisset solus, atque iterum collegarum impulsu impingeret. Interea ostendit se ante portum hostibus Demosthenes splendidisimo apparatu & formidandus. Aduehebat nauibus LXXIII. peditum quinque millia, iaculatorum, sagittariorum, & funditorum non minus tria millia, armorum fulgore, nauium paratu, numero hortatorum & tibicinum pomposè atque ad hostium exornatus terrorem. Fuerunt igitur non immeritò apud Syracusanos omnia denuo perculsa. quòd nullum finem vel exitum, sed nequicquam sudare se & perire incassum cernerẽt. At Niciæ haud diuturnum attulit aduentus copiarum gaudium. verùm vt primùm in colloquiũ venit cum Demosthene, qui quamprimùm adoriendos hostes cẽsebat, & quamcitisimè de summa decernendum capiendasq; Syracusas ac penates repetendos: veritus & admiratus præcipitantiã atq; audaciã eius orauit eum, ne quò temere & incõsultè progrederetur. ac infestã ostendit morã esse hostibus, quos deficeret pecunia & breui relicturi socij essent. Hos, si premerẽtur inopia, citò rursus sicut antè, ad cõditiones pacis ab ipso petẽdas se cõuersuros,

Gongyli Corinthij cædes.

Niciæ naualis victoria.

Demosthenes cum exercitu ad Syracusas.

Siquidem non pauci erant Syracusis, qui secreta colloquia habebant cum Nicia, monebantq́ eum, vt maneret: quòd iam quoque fatiscerent bello, & Gylippum grauarentur. Quòd si paulùlum intenderetur inopia, omnem eos animum abiecturos. Ea quia partim ambagibus Nicias inuoluebat, partim nolebat propalàm denudare: opinionem apud duces incurrit timiditatis. atque easdem ipsius reponi sibi prædicantes cunctationes, moras, & nimiùm exacta consilia, quibus corruperat articulum: quòd non subitò fuisset hostes aggressus, sed cùm refrixisset iam & despectus esset: assensi sunt Demostheni, Niciam verò ægrè adegerunt, vt admitteret eius consilium. Ita Demosthenes assumptis terrestribus copijs noctu adortus est Epipolas. ac tanta vsus celeritate est: vt partim hostium priusquàm sentirent, conciderit, partim se defendentes pepulerit. Nec victoriæ modum fecit. verùm progressus est, dum incidit in Bœotios. Hi namque globo facto primi impetum dederunt in Athenienses. eosq́ infestis lanceis & sublato clamore impulerunt. Multos ibi obtruncauerunt, totumq́ confestim pauore & tumultu perfuderunt exercitum, fugientibusq́ permista pars adhuc integra & victrix, quiq́ descendebant atque accurrebant, à perculsis inhibiti in semetipsos incurrerunt rati eos, qui effusi in fugam erant, instare: & socios pro hostibus ducentes. quippe incondita inter ipsos confusio cum cæco metu, conspectusq́ per noctem incertitudo neque planè opacam neque perlucidam: sed quæ faceret (Luna nimirum iam in occasum præcipite, ac cùm esset frequentium armorum & corporum inumbrata iactatione, non satis lumine suo figuras ostendente, vt cognoscerent inter se) metu hostium etiam socios suspectos, in graues difficultates atque calamitates conicit Athenienses. Adhæc habebant fortè lunam à tergo. vnde semet ipsi inumbrantes multitudinem suorum & fulgorem inuoluebant armorum. Hostes verò clypei obiecta refulgentes luna multò plures repræsentabant & splendidiores. Postremò prementibus eos vndique, vbi pedem retulere, hostibus terga dantes partim ab illis, partim ab semutuò sunt oppressi, alij ex locis abruptis delapsi. Alios dissipatos & palantes orta luce equites oppresserunt occideruntq́. Ceciderunt duo millia. reliquorum pauci cum armis incolumes euasere. Nicias haud præter expectationem ictus Demosthenis insectabatur temeritatem. Ille purgabat se de his, suadebatq́, vt quamprimùm inde reciperent se. Neque enim expectandas ipsis copias alias, neque præsentibus viribus superaturos se hostem. quandò si vel sint eo superiores, demigrandum & vitandus is locus esset, semper ille quidem, vt fama ferret, grauis & exercitui insalubris: tunc verò etiam, vt experirentur, propter anni tempus pestifer. Nam autumni erat principium. ac cùm multi iam morbis tentabantur, tum summittebant omnes animum. Enimuerò grauiter ferebat Nicias mentionem fieri fugæ & decessus: non quin timeret à Syracusanis, sed quòd populum Atheniensem plus, illiusq́ iudicia & calumnias formidaret. Nihil autem ferebat se ibi grauius expectare. Sin quid accideret, malle ab hostibus sibi quàm ciuibus infligi mortem: non idem sentiens ac postmodum Byzantinus Leo est apud ciues suos locutus: Præopto, inquit, per vos quàm vobiscum mortem oppetere. At de loco & regione, quò castra transferrent, per ocium dixit deliberandum. Ita fatum Demosthenes, cui priùs consilium malè ceciderat, destitit vrgere. Cæteris verò visus est Nicias expectatione & fide, quam habebat certis in vrbe, tam pertinaciter de receptu repugnare. Quare etiam ipsi assensi sunt. Vt tamen nouæ copiæ subuenerunt Syracusanis, ac grauis morbus sæuijt in castris Atheniensium: tunc comprobauit Nicias quoque consilium discessus. Itaque edixit militibus, vt vasa colligerent. Omnibus his paratis cùm nullus hostium asseruaret eos: vt qui nec expectarent id, nocte luna defecit magno metu Niciæ & aliorum, qui ex imperitia vel superstitione ea expauescebant. quippe solis quidem circa trigesimum mensis diem deliquium intelligebat aliquatenus etiam vulgus subeunte fieri luna. Ipsa verò luna non erat comprehensu procliue, cuius obiectu & quemadmodum in plenilunio repente tenebris obducatur, variosq́ sumat colores. verùm absurdum arbitrabantur esse cladium'que ostentum cœleste magnarum. Etenim qui princeps dilucidissimam omnium confidentissimam'que, vnde illuminetur atque inumbretur luna, doctrinam scripto prodidit Anaxagoras, neque ipse erat antiquus, neque celebris doctrina, sed abdita, atque versabatur cum cautione vel sub fide inter paucos. Neque enim ferebant physicos & μετεωρολέσχας tunc appellatos, id est, disputantes de rebus cœlestibus, quasi rationibus absurdis atque improuisis potentijs laboribusq́

Demosthenis temeritas.

Atheniensium in vrbe Syracusana clades.

Leonis Byzantini virtus.

Lunæ defectus diu incognitus.

Athenienses philosophos persequuntur.

busque coactis astringerent id, quod deorum est. Qua de causa Protagoras in exilium iuit. Anaxagoram in vincula coniectum magno labore liberauit Pericles. Socrates autem, quamuis esset ab istis remotissimus, tamen philosophiae nomine sublatus est. Tandem Platonis effulgens authoritas ob vitam eius, & quia principijs subiugauit vincula naturalia diuinis potentioribusque, calumnias his praeceptis deterſit, ac disciplinis mathematicis viam ad omnes muniuit. Itaque amicus eius Dion, quo tempore ex Zacyntho soluens contra Dionysium profecturus erat, nihil sane defectione lunae commotus vela fecit, exegitque delatus Syracusas tyrannum.

Dion rerum naturalium peritus.

Atqui accidit Niciae tunc, vt ne peritum quidem hariolum haberet. Nam familiaris eius, qui multum detrahebat ei superstitionis, Stilbides paulo ante decesserat. Prodigium erat alioquin id, vt Philochorus ait, haud foedum fugientibus, imò admodum faustum, siquidem occultari, quae geruntur cum metu, quaerunt: lucem habent infestam. Et quidem in solis & lunae laboribus non nisi tribus diebus, vt annotauit in commentarijs Autoclides, soliti erant sibi cauere, & eos suspectos habere. Nicias verò alium suadebat expectandum lunae ambitum. quasi verò non vidisset ilicò illustratam, vbi locum inumbratum & à terra obstructum praeteruecta est.

Nicias physicæ ignarus.

At ille relictis alijs penè omnibus digressus sacrificauit reses: quousque superuenerunt ipsis hostes, qui copijs terrestribus murum & castra eorum obsederunt, nauibus portum vndique cinxerunt, neque hi modò ex triremibus, verùm etiam pueri omni ex parte conscendentes paruis nauiculis & scaphis aduecti lacessiuerunt Athenienses, eisque insultauerunt. Eorum vnum puerum claris natalibus Heraclidem nauigio ante caeteros euectum nauis Attica insecuta penè comprehendit. Cuius periculo patruus motus Pollichus decem triremibus, quibus praeerat, infestus occurrit. Caeteri Pollicho timentes pari modo euecti sunt. Acri commissa pugna Syracusani victoriam obtinuerunt, atque Eurymedonta cum multis alijs occiderunt. Athenienses igitur non vltrà passi moram, duces incesserunt conuitijs, ac terra iusserunt se abduci.

Athenienses prælio nauali à Syracusanis fusi.

Victores enim Syracusani extemplò obsepserant & excluserant fauces portus. At non est ijs Nicias assensus. Siquidem durum erat magnum numerum relinquere nauium onerariarum & triremes paulo minus ducentas: sed impositis fortissimis quibusque peditum & iaculatorum robustissimis compleuit centum & decem triremes. Nam caeterae erant remigio nudatae. Reliquam turbam desertis magnis castris & muris ad fanum Herculis pertinentibus collocauit Nicias in littore. Itaque quòd diu solennia sacra Herculi non fecissent Syracusani, sacerdotes & duces ascenderunt eò immolaueruntque. Nauibus iam completis renunciauerunt Syracusanis laeta exta & victoriam aruspices: si non committerent conflictum, sed vim propulsarent. Etenim superasse omnes Herculem se defendendo priùs violatum. Atque ita prouecti sunt.

Aruspices victoriam Syracusanis promittunt.

Praelium hoc nauale multò fuit maximum & acerrimum, neque minores praebuit motus & perturbationes spectatoribus quàm praeliantibus: quòd essent in conspicuo omnia facta. in quibus magnae inclinationes atque inexpectatae extitere. Suus apparatus Athenienses non minus quàm hostis offendit. quippe confertis nauibus dimicabant & grauibus aduersus expeditas. quatum alia ex parte aliae incurrebant: ac lapidibus petiti aequabilem habentibus vndique ictum contrà ingerebant iacula & sagittas, quorum detorsit fluctus directum iactum, ne spiculo adigerentur. Id suggessit Syracusanis Corinthius Aristo. qui in ipso conflictu strenuè dimicans vincentibus iam Syracusanis cecidit. Ingenti clade & strage data, Atheniensibus fuga mari praecisa est. qui cùm terra item difficilem salutis expeditionem cernerent, neque hostes, cùm abstraherent ex propinquo naues, arcuerunt, neque corpora petiuerunt ad sepulturam. quando aegrorum & sauciorum, qui deserendi erant, quàm illorum insepultorum sortem ducebant miserabiliorem. Quae cùm ante oculos haberent, semetipsos etiam illis calamitosiores existimabant, qui per plures aerumnas eòdem tandem essent omninò recasuri.

Athenienses iterum classe victi à Syracusanis.

Molientibus autem his noctu ab vrbe mouere signa, cernens Syracusanos Gylippus sacrificijs & poculis ob victoriam & solenne immersos desperauit vel monendo & cogendo excitaturum se eos, vt abeuntes adorirentur hostes. At Hermocrates dolum ex semetipso in Niciam commentus misit ad eum certos ex amicis suis, qui venire simulabant se ab illis, qui antè consueuerant clàm cum eo colloqui. Hi monuerunt eum, ne se nocte moueret, quòd ipsis locassent Syracusani insidias, angustiasque quibus transeundum erat, insedissent. Ita circunscriptus Nicias remansit

Nicias deceptus ab Hermocrate.

sit simpliciter: ac veritus est, ne non verè in hostium retia incideret. siquidem prima luce præcurrerunt, saltus obsederunt, vada fluuiorum munierunt muris, pontes rescinderunt, locis planis & campestribus equites locauerunt, nullus vt esset relictus Athenensibus locus sine dimicatione progrediendi.

Atheniensiũ calamitates apud Syracusas.

Athenienses cùm & illum diem & insequentem noctem ibi commorati essent: ob necessariorum inopiam & imbecillos amicos familiaresq;, quos relinquebant, quasi ex patria migrarent non ex hostico, cum eiulatu perrexerunt & lamentatione. Attamen præsentia mala ducebant imminentibus leuiora.

Niciæ calamitates.

Cùm essent autem acerba spectacula in exercitu multa, nullum ipso erat Nicia ærumnosius tum valetudine corporis affecto, tum indignè contracto ob viatici exiguitatem ad curam angustam corporis, quòd multa morbi causa requirebat. cùm faceret tamen in hac imbecillitate & toleraret ea, quæ multi vix sustinebant valentes. quem perspiciebant omnes non sui causa nec vitæ cupiditate in illis perdurare ærumnis, verùm ipsorum causa spem non abijcere. Nam cùm alij ad lachrymas & gemitus ex timore atq; mœrore conuerterent se: illum, siquãdo esset eò compulsus, liquebat maculam & deformitatem reputare huius expeditionis cum magnitudine & gloria rerum, quas sperauerat perpetrare. Neq; verò cùm speciem illius intuerentur, verùm etiam cùm dictorũ reminiscerentur ac monitorum eius, cùm ab ea expeditione deterreret populũ: multò censebant indigniorem eius fortunam, neq; spem in Dijs vllam reponebant, voluentes secum virũ religiosum, qui prolixissimus in Deos fuerat, nihilò sorte vti clemẽtiore, quàm teterrimi in exercitu & abiectissimi. Verumtamen enitebatur Nicias voce, vultu, comitate contemnere videri calamitatem, atq; itinere toto, dum per dies octo iaculis percutitur & vulneratur: copias, quas ipse ducebat, seruauit integras.

Demosthenes capitur à Syracusanis.

donec captus Demosthenes est, & manus, cui ille præerat, ad Polyxeliam villam inter dimicandum & restitandum circumuenta. Demosthenes quidem districto ense percussit se ipse, sed ictu nõ lætali: quòd citò eum cingerent & comprehenderent hostes. Vt Niciæ Syracusani aduecti casum nunciarunt illius, atq; hic missis equitibus illas copias cognouit in deditionem venisse: petijt à Gylippo inducias: vt Athenienses ex Sicilia dimitterent incolumes obsidibus acceptis de impensa, quam eo bello fecerant Syracusani. At hi cùm id reiecerunt, tum superbè atrociterq; minitantes proscindentesq; iaculis omnium iam rerum egenum petierunt. Sustinuit tamen illam noctem, & postero die processit inter hostium tela ad Asinarum amnem. Illic hostes alios vi impulerunt in flumen. Alij occuparunt præ siti abijcere semetipsos. Atque ibi in fluuio, dum simul & bibunt & contrucidantur, maxima strages & cruentissima edita est.

Nicias dedit se Gylippo.

quousque genibus aduolutus Gylippi Nicias: Misereat, inquit, vos Gylippe victores, nequaquam mei quidem, qui ex tantis cladibus nomen & famam comparaui: sed Atheniensium reliquorum, memores belli communem esse aleam, ea autem moderatè clementerq; aduersus vos in rebus suis secundis vsos Athenienses. Ita fati Niciæ nonnihil est Gylippus conspectu & oratione motus. Sciebat enim in componenda pace bene meritum de Lacedæmonijs Niciam. Magnificum simul ad gloriam putabat, si duces hostium captiuos abduxisset. Itaque Niciam comiter excipit & confirmat, edicit'que, vt cæteros capiant. Cæterùm perlato tardè ad omnes edicto, longè minor fuit captorum quàm interfectorum numerus: quamuis multos subducerent milites. Contractis omnibus, qui propalàm capti erant, pulcherrimas & excelsissimas arbores secundum amnem spolijs captiuorum exornauere. Ipsi coronati equis suis eximiè excultis & hostium tonsis vrbem sunt inuecti: quòd ex nobilissimo certamine, quod Græci contra Græcos decertauerant, solidam victoriam maxima contentione & summa vi strenuitatis ac virtutis reportassent. Inde totius populi Syracusani & sociorum concione aduocata Eurycles concionator legem rogauit: Primùm, vt diem, quo ceperant Niciam, festum agerent, eóq; sacrificarent atque ab operibus feriarentur, eumq; diem festum, à fluuio appellarent Asinarium.

Asinarium festum.

Dies fuit decimus septimus mensis Carnei, quem Metagitneona Athenienses vocant. Atheniensium seruitia & alij socij subhastarentur. Ipsi & siqui essent eorum socij Siculi, in vinculis haberentur, & in Latomias conderentur, exceptis ducibus: illi vt necarentur. Sciscente hæc populo Syracusano Hermocrates, cùm commemorasset bene vti victoria præstantius esse quàm vincere, non mediocri est tumultu exceptus. Gylippum verò duces Atheniensium deposcentem sibi condonari, quò ducere eos Lacedæmonem posset, luxuriantes iam rebus secundis insectati Syracusani sunt, alioquin eius etiam in bello asperitatem & Laconicum pertæsi imperium.

Sor-

Sordes quoque eius, vt ait Timæus, auaritiam'que damnauerunt vitium paternum, ob quod Cleandrides item pater eius repetundarum damnatus exilij causa solum vertit. & hic ipse ex mille talentis, quæ Lysander Spartam misit, depeculatus triginta, quæ sub tecto recondiderat: inde detectus fœdißimè consciuit sibi exilium. Cæterùm hæc in historia Lysandri executi sumus fusiùs. Demosthenem & Niciam periisse Timæus refellit lapidibus ab Syracusanis coopertos, vt Philistus & Thucydides scriptum reliquerunt: sed certiores factos ab Hermocrate, quid ageretur, cùm nondum dimissa concione misisset ad eos certum, qui ab vno fuit ex custodibus admissus, sibimet ipsos mortē consciuisse. Corpora tamen ante portam proiecta in publicum ad cuiuslibet spectaculum fuisse. Accepi Syracusis etiam hac ætate ostendi in templo quodam fixum clypeū, quem Niciæ autumant fuisse auro & purpura affabrè inter se contextis compactum. Athenienses plerique in Latomijs morbo & victu prauo absumpti sunt. siquidem hordei heminæ binæ, singulæ aquæ illis in dies præbebantur. Non paucos surreptos venumdedere, aut non cognitos pro seruis distraxere equo in fronte compunctos. ac fuerunt, qui præter seruitutem hoc etiam tulere. Verùm subleuauit hos verecundia & modestia sua. quippe vel breui manumißi fuerunt, vel in honore habiti remanserūt apud dominos. Fuerunt & nonnulli Euripidis causa conseruati. Nam præter cæteros interiores Græcos desiderauerunt illius versus hi, qui Siciliam incolebant. Quòd siqua specimina & gustus horum adferrent ij, qui quotidiè appellebant, ea ediscebant, lætiq; inter se communicabant. Plures autem tunc commemorant, qui sospites domū reuersi sunt, Euripidē benignè salutauisse, ac prædicasse alios fuisse se manumissos: quòd quæ ipsius carmina tenuerant memoria, illos ea docuissent: alios palantes post pugnam fuisse cibo & potu adiutos, cùm versus illius canerent. Neq; id nouum est. quia Caunium nauigiū ferunt, cùm littori appelleret Siculo prementibus nauibus prædatorijs, Siculos primò non recepisse, sed repulisse: tandē rogatos, nossent'ne cantica Euripidis? vbi scire ostenderunt, tum applicare nauigium permisisse. Athenienses ferunt hanc cladem maximè propter nuncium noluisse credere. siquidem peregrinus quidam, qui in Pyræeum descenderat, & in tonstrina sedebat, quasi re Atheniensibus iam nota sermonem habuit de gestis illis. Tonsor, vbi audiuit, prius quàm diuulgaretur apud alios, cursu contendit in vrbem: ac cùm ad archontas contulisset se, detulit ilicò ea dicta in forum. Pauore & trepidatione haud immeritò insecuta, archontes aduocata concione hominem produxere. Qui interrogatus, de quo accepisset: cùm nihil certi haberet dicere, pro mendace & ciuitatis turbatore in rotam deligatus & diu tortus est: donec aduenerunt, qui totam cladem ordine annunciarunt. Ita tandem fides habita Niciæ est, cùm in eas, quas crebrò illis prædixerat, incidisset calamitates.

Gylippus auarus.

Cleandrides repetundarum damnatus.

Niciæ & Demosthenis cædes.

Euripidis poemata multos Athenienses in Sicilia seruauerit.

Atheniensiū calamitatis nuncius torquetur.

Nicias Atheniēsium calamitates prædixit.

M. Crassus.



.CRASSVS patrem habuit censorium & triumphalem. Eductus est angustis in ædibus in duorum fratrum contubernio. Fratres eius vxores superstitibus adhuc parētibus duxerant, vtebantúrque mensa omnes eadem. Ob quod vel maximè vita temperās fuisse & moderatus videtur. Altero defuncto fratre vxorē eius duxit liberosq; suos ex illa genuit: neq; in his continentia cuiquam cessit Romanorum. licet ætatis progressu stupratæ virginis Vestalis Liciniæ aspersus suspicione fuerit. Cæterùm Licinia Plotino quodam accusatore est absoluta. Poßidebat villam illa suburbanam amœnam. quam dum auferre Crassus vili precio cupit, eam affectando & colendo in istam incidit suspicionem, atq; auaritia quodammodo crimen incestus diluens à iudicibus liberatus est. Liciniam tamen non antè dimisit, quàm prædio esset potitus. Perhibent Romani multarum Crassi virtutum vnum hoc vitium luminibus obstruxisse auaritiam. In specie quidem erat vnum: verùm omnium in eo vitiorum cùm esset valentißimum, offuscauit cætera. Indicia eius auaritiæ hæc potißima censent, rationem quæstus &

Crassi genus & adolescentia.

Crassi auaritia.

& facultatum amplitudinem. Nam cùm ab initio non excederent septuagies bis I-I S. inde rempublicam tractans decimam facultatum suarum partem Herculi sacrasset, præbuisset etiam populo epulum, adhæc singulis ciuibus Romanis tesseram annonariam trium mensium de suo dedisset: tamen antequam ad bellum Parthicum proficisceretur, subducto secum fortunarum suarum calculo reperit in censu millies septingenties quater I-I S. Harum diuitiarum pleraque, si cum illius proferenda ignominia veritas est, ex igne & bello conflauit, ex publicis calamitatibus maximum quæstum faciēs. siquidem cùm Sylla capta vrbe bona ab se interemptorum subhastaret, prędam eam suã & censens & appellans, idq; agens, vt quàm plurimis ex potentissimis ciuibus illud inureret piaculum: nullum donum vel sectionem repudiauit. Iam considerans pestes vrbis Romæ cognatas & familiares, ædificiorum propter molem & frequentiam, incendia ac sedimenta, seruos comparauit architectos & fabros. Quibus ad quingentos paratis emptitabat inflammata & vicina inflammatis, quæ domini metu & incertitudine casus vili precio dimittebant. Ita pars vrbis maxima in illius recidit mancipium. Qui cùm manum tantam haberet artificum, nisi propriam domũ nihil ipse ædificauit, cupidos dicens ædificandi, à semetipsis euerti sine aduersarijs. Ciuibus verò, qui ædificare vellent, operas eorũ locabat mercede, ac simul areæ spaciũ cuiq; pro suo arbitrio ad ædificãdum vendebat. Multas possidebat argentifodinas, agrum pretiosum, multosq;, qui eum exercerent. Veruntamen omnia hæc minimè sunt cum seruorum pretio comparãda. Tam multos tamq; habebat excellentes, lectores, amanuenses, argẽtarios, dispensatores, structores. Assistebat ipse discentibus, attendebat, atq; etiam docebat eos. Breuiter putabat seruorum quasi viuorum rei familiaris organorum præcipuè ad dominos pertinere curam: Rectè id quidem Crassus, si vt dicebat, ita sentiebat, cætera per seruos, ipsos verò esse per patremfamilias regendos seruos. Quippe œconomicam, quæ est disciplina tuendæ rei familiaris, cùm sit in inanimatis quæstuaria, in hominibus artem effici videmus politicam & ciuilem. Illud parum rectè, quòd neminem censeret vel prædicaret diuitẽ esse, qui suis fructibus exercitum alere nõ posset. Bellum enim, vt ait Archidamus, certum modum non habet pabuli. Itaq; opes ad bellum definiri nequeunt. ac longè à Marij fuit sententia remotus. Ille enim, cùm viritim agri iugera quaterna dena diuisisset, plura autem milites cognouisset flagitare: Absit, inquit, vt ciuis Romanus vllus eum, qui alere ipsum queat, existimet exiguum. Erat in hospites tamen prolixus Crassus. siquidem patebat omnibus domus eius, atq; amicis mutuò dabat sine fœnore. Verùm elapso tempore, in quod crediderat, reperebat præcisè, & euadebat hoc gratuitum multis odiosius vsuris. Mensa eius, cùm quos ad cœnas inuitasset, ciuilis erat & popularis. at habebat mundiciem & comitatem iucundiorem hæc frugalitas sumptuosa. Ex literarum studio artẽ oratoriam & eam, qua vti in publico posset, potissimùm est meditatus. Qui quanquàm esset inter Romanos eloquentissimus, sedulitate tamen & labore superauit summè ad eam artem factos. Nullam enim referunt causam fuisse adeo tenuem & leuem, ad quam imparatus accederet: sed Pompeio frequenter & Cæsare recusante dicere ac Cicerone ille absoluebat defensionem. Qua de causa imprimis gratus fuit tanquàm solicitus & ad succurrendum promptus. Grata fuit etiam eius in complectendo & salutando humanitas atq; popularitas. Nulli enim ciui Romano occurrebat tam obscuro vel abiecto, quem salutantem non nomine suo tesalutaret. Perhibetur historiæ quoq; fuisse studiosus, & verò etiam aliquid philosophiæ operæ dedisse addictus Aristotelis scriptis, quorum habuit Alexandrum doctorem. Is facilitatis & mansuetudinis documentum ex Crassi contubernio dedit. quippe non facilè dixeris, egentior ad illum venerit, an apud eum factus sit. Solus enim ex amicis peregrinantem semper comitans lecticam accipiebat, quam reposcebatur reuersus. Hem patientiam: cùm tamen paupertatem professio huius miseri non numeraret indifferentem. Verùm hæc infrà. Cùm Cinnæ & Marij arma valerent, protinus ambiguum erat nemini redite hos non ad salutem patriæ, sed planè ad cædem & perniciem optimatium. quorum pars, quos illi occupauerunt, necati sunt. Inter eos Crassi pater & frater fuere. Ipse iuuenis præsens defugit periculum. Cæterùm quia à tyrannis se vndiq; cinctum captari aduertit: tres amicos & seruos decem secum trahens profugit incredibili celeritate in Hispaniam: quòd pridem illic in parentis pretura fuisset, amicosq; sibi adiunxisset. Cùm verò reperisset pauore omnes consternatos, atq; sæuitiam Marij quasi præsentis exhorrescentes: apud nullum ausus fuit se detegere: sed agrum maritimum Vibij Paciani ingressus, in quo ampla erat speluncaa

Crassi opes.

Crassus quomodo diues factus.

Crassi circa seruos cura.

Oeconomia quid et è quibus constet.

Crassi iudicio, quis diues.

Crassi cœnæ.

Crassi eloquentia & studia.

Crassus fugit Mariũ et Cinnã.

spelunca, eò abdidit se, atq; ad Vibium periclitandum vnum seruum misit viatico quoq; iam deficiente. Vibius re nunciata exultauit eius incolumitate, acceptoq; comitatus numero & loco, non inuisit ipse eum. verùm accito procuratori prędiorum præcepit, vt cœnam quotidie appararet, eamq; ad petram deportaret. qua ibi relicta silentio abiret: neu curiosè rimaretur vel scrutaretur, denunciata nece si id faceret: & si se adiuuisset, libertate ostensa. Ea spelunca haud procul abest à mari, quam rupes coëuntes vndique claudunt, tenuemq; & lenem auram intromittũt. Vbi ingressus sis, altitudo exurgit ingens, atque in spacio interiore sinus habet inter se peruios mirè laxos. Neq; verò aquæ exors est vel luminis. sed fons delabitur ex rupe amœnissimi laticis. Rimæ petræ natiuæ, qua maximè coit, lumen extrinsecus excipiunt, estq; lucidus interdiu locus. Interior aër non madet, sed est purus: quòd liquorem & madorem in fontem exprimat densitas petræ. Agenti ibi Crasso afferebat procurator quotidiè necessaria. neque hic illos vel vidit vel cognouit: sed conspiciebatur ipse ab illis, qui tempus sciebant & obseruabant. Cœnæ paratus vel ad voluptatem affluens erat, nedum ad necessitatem. quippe statuerat omni benignitate prosequi Crassum. Nempe venit ei in mentem ætatem quoq; respicere, quòd admodum esset adolescens Crassus, atque aliquid etiam indulgendum ætatis flori. Nam extra ea quibus opus haberet, nihil suppeditare, necessarij potiùs ducebat quàm prompti esse officij. Itaque ancillas duas venustas accersit, ac cum his pergit ad mare. Vbi ad locum ventum est, monstrato ascensu imperat, vt sine trepidatione ingrediantur. Aduenientes Crassus conspicatus, metuit ne cognitus locus & ipse proditus esset. Igitur rogat eas, quid quærant, & quæ sint? Vt responderunt doctæ, latentem se ibi dominum quærere: Perspecto Crassus Vibij cum ipso ludo & comitate recepit puellas: easq;, quoad illic hæsit, retinuit secum. Hæ, quibus haberet opus, significabant & renunciabant Vibio. Earum alteram ait Fenestella se iam anum vidisse, ac crebrò ex ipsa audisse libenter hæc commemorantem & narrantem. Postquam ita Crassus menses octo delituit & transegit: simul atque exitum Cinnæ accepit, prodijt in lucem. Ibi frequentes mortales concurrerunt ad eum. Delectis duobus millibus quingentis adijt oppida, atque vnam Malacam, vt multi tradidere, diripuit. Ipsum Crassum tamen aiunt id inficiatum, & siquis diceret, repugnare solitum. Hinc contractis nauibus traiecit in Africam, contulitq; se ad Metellum Pium clarum virum, qui non contemnendum exercitum conscripserat. Non diu tamen hæsit apud illum, sed dissensione inter eum & Metellum orta ad Syllam contendit, apud quem fuit in summo honore. Vt transmisit Sylla in Italiam: omnium iuuenum voluit, qui ipsum sequerentur, opera vti, atque alium aliæ rei præfecit. Hic Crassus, cùm in Marsos ad delectum destinaretur, præsidium postulauit. Erat enim ei præter hostes transeundum. Cui cum stomacho Sylla & acriter respondit: Do præsidium tibi parentem, fratrem, amicos, propinquos. quorum indignè & iniquè interemptorum persequor ab homicidis pœnas. Ita commotus & stimulatus Crassus confestim profectus est, fortiterq; per medios hostes perrupit, magnasq; conscripsit copias, atque impigrum in certaminibus se Syllæ præbuit. Ex his factis ortam referunt huius cum Pompeio de gloria contentionem & æmulationem. quippe ætate eo inferior Pompeius, cuius pater infamia Romæ flagrauerat, & in summo fuerat ciuium odio, illis in bellis effulsit & eluxit magnus: vt Sylla, quæ ætate maioribus ac dignitate paribus perquàm rarò tribuebat, assurgeret adeunti, caput aperiret, & salutaret imperatorem. Ea vrebant & mordebant Crassum, licet non immeritò postponeretur Pompeio. Nam & vsu deficiebatur, & factorum eius insiti morbi prodentes se auferebant auaritia & sordes gratiam. Etenim cùm oppidum Vmbriæ Tuder cepisset, prædam penè totam habitus est interuertisse. qua de causa apud Syllam est delatus. At magno illo & nouissimo, qui pro portis vrbis commissus est, conflictu Sylla pulsus fuit profligatis illis, qui in cornu eius stabant, aliquatenus & obtritis. Crassus verò, qui læuum cornu tenebat, victor fuit, atque hostes in noctem vsque insecutus misit ad Syllam cœnam militibus petitum & nunciatum victoriam. In proscriptionibus & sectionibus rursus malè audiuit, quòd exiguo pretio magnos redimeret census, & dona posceret. In Brutijs proscripsisse eum quendam ferunt inscio Sylla, tantùm quæstus gratia. Quapropter re comperta, in nullo vsus est eo posteà publico negocio. Quamuis autem esset ad omnes homines Crassus assentationibus subigendos peritissimus, idem erat tamen vicissim adulationibus opportunus omnium. Peculiare

Vibij in Crassum humanitas.

Crassi spelunca.

Vibius puellas duas in speluncã ad Crassum mittit.

Crassi in Africam profectio.

Crassus mittitur à Sylla in Marsos.

Aemulationis Crassi cũ Pompeio, origo.

Crassi virtus.

Crassus inuidet Pompeio.

Crassi cum Pompeio comparatio.

insuper de eo hoc narratur, cùm esset ipse intentissimus lucro, odio & conuitio persecutum fuisse sui similes. Agitabat eum Pompeij in rebus gerendis successus, & quòd prius, quàm esset in senatum lectus, triumpharet appellareturque à ciuibus Magnus. Ac cùm aliquando diceret quispiam Pompeium Magnum adesse: ridens quaesiuit, quàm magnus? Caeterùm abiecta spe illum rebus bellicis aequandi confugit ad togam: atque officijs, defensionibus, mutuum dando, commendando & suffragando candidatorum petitionibus opes & authoritatem comparauit parem, atque ex multis magnis'que bellis gestis Pompeius habebat. Fuit autem quiddam in illis singulare. Maius erat absentis Pompeij nomen & potentia in vrbe ob res eius bello gestas. Praesens verò concedebat frequenter Crasso: quòd ex fastu & grauitate morum multitudinem declinaret, & deuitaret forum, paucis autem & aegrè petentibus aduocatum se praeberet: quò fauorem haberet vegetiorem, vbi pro se ageret. Crassus verò, cuius patebat perpetuus fructus, qui rarus non erat, neque difficilis aditu, sed in medijs volebatur negocijs: ciuilitate ac humanitate antecelluit illius supercilio. Corporis maiestas, facundia, oris blanditia suppetebat, vti ferunt, vtrique ex aequo. Ad inimicitiam tamen aut simultatem non deduxit haec aemulatio Crassum. Nam Pompeium & Caesarem aegrè ferebat quidem in maiore honore esse: verùm ei ambitioni offensionem vel maleuolentiã non adiungebat. licet captus à piratis Caesar atque in custodia asseruatus exclamauerit: Quanto gaudio Crasse perfunderis nunciata mea captiuitate? Caeterùm intercessit postmodum familiaris inter eos vsus. Ac cùm Caesar in Hispaniam praetor profecturus soluendo non esset, instantibus creditoribus, & impedimentis eius manum inijcientibus: succurrit ei Crassus, explicauit'que eum intercedens pro eo centies nonagies nouies I-IS.

Factiones Romanae tres.

In summa cùm distracta ciuitas Romana in tres factiones esset, Pompeij, Caesaris, Crassi (Nam Catonis nomen maius quàm opes, erat, & opinio virtutis eius plus pollebat) pars cordatior & constantior ciuitatis Pompeium colebat, praeceps & leuis sectabatur Caesaris spes, intermedius Crassus vtraque vtebatur.

Crassus inconstans.

In actionibus suis fuit varius plerunque, neque amicus firmus, neque implacabilis inimicus: sed vtilitate obiecta citò à gratia & ira discedebat. Vnde saepè homines, saepè leges paruo interuallo easdem defendit & oppugnauit. Valebat gratia & metu, verùm metu praecipuè. vnde qui plurimum negocij sui temporis magistratibus atque ducibus populi exhibuit Sicinius roganti cuidam, quid vnum non lacesseret Crassum, sed hunc omitteret? Foenum habet, inquit, in cornu. Solent autem Romani bobus cornu petentibus, quò obuij sibi cauerent, cornu foeno circunligare.

Foenum habet in cornu prouerbium.

Spartacium bellum Seruile.

At gladiatorum motus & vastitas Italiae, quae inde secuta est, quam multi bellum Spartacium nominant, ex huiuscemodi est causa orta: Lentulus Batiatus Capuae gladiatorum familiam alebat. hi magna ex parte Galli erant & Thraces. qui nullum ob scelus, sed iniuria domini vincti & compulsi erant ad artem gladiatoriam discendam. Eorum ducenti de fuga consilium iniere. Quo detecto duodeoctoginta, qui id resciuerant, praeuenerunt, atque ex popina quadam cultris coquinarijs verubusque correptis eruperunt ex oppido. Offenderunt in itinere plaustra, quae arma gladiatoria ad aliud oppidum portabant. Haec rapuerunt armaueruntque se. Occupato autem firmo praesidio duces tres legere, quorum fuit Spartacus primus ex Thracia ortus de genere pastorali.

Spartacus belli seruilis author, eiusque ingenium & mores.

Fuit hic non solùm animo & viribus ingens, sed & supra conditionem suã prudens modestusque, & ciuilior quàm pro natione sua. Eius aiunt, cùm primùm Romam venalis ductus est, draconem dormientis circumiectum faciem visum. Vxor autẽ popularis Spartaci fatidica & numine afflata Liberi patris annunciauit ea re ingentem potentiam horrendamque, quae desitura in laetum exitum esset, portendi. Haec tunc quoque cum eo erat, & comitabatur fugientem. Fugauerunt primùm eos, qui ex Capua ipsos persequebantur. Ibi armis multis bellicis potiti, laeti sumpserunt haec, ac gladiatoria vt foeda & barbarica abiecere. Inde Clodius praetor contra hos ex vrbe cum tribus millibus militum missus est. Obsidente illo seruos in monte, qui vnũ habebat asperumque & angustum ascensum, quem obsepserat statione, caeteris partibus abruptas rupes atque crepidines, frequenti autem labrusca erat in supercilio vestitus: ex ea palmites, qui esse vsui possent, secuerunt scalasque complicauerunt validas & longas: vt supernè ex rupe suspensae pertinerent ad planiciem. His sine periculo descenderunt praeter vnum, qui armorum causa remansit. Vbi descenderunt, demisit ea, inde omnium postremus euasit ipse quoque. Haec latuerunt Romanos. quare adorti eos sunt, ac repentino aduentu perculere, pulsisque his castra cepere. Frequentes ibi eius regionis bubulci pastores'que

Clodius praetor fusus à Spartaco.

ſtrenui viri & pernices aggregauerunt ſe ad illos. quorum partim armauerunt, partim pro antecurſoribus & leui armatura ſunt vſi. Alter inde aduerſus eos dux mittitur † P. Varinus. cuius primò legatum Furium cum duobus millibus militum ſignis collatis profligauerunt. Hinc conſiliarium eius & collegam Coſsinium cum valida manu miſſum nihil propius factum eſt, quàm vt lauantem ad Salinas Spartacus circumuenerit & oppreſſerit. quem, cùm ægrè & difficulter aufugiſſet, extemplò exuit impedimentis, ac veſtigijs inſtitit magna cæde perſequi, caſtra'q; eius expugnauit. Cécidit etiã Coſsinius. Ipſum prætorem crebris alijs prælijs fudit. Cepit deniq; lictores eius & equũ. Vnde ingens iam & formidabilis erat. Veruntamen inſtituit cõſilium ſuũ ſapienter. Cùm enim opes Romanas opprimere diffideret ſe poſſe, mouit cũ exercitu verſus Alpes: cenſuit'q; ijs ſuperatis domũ cuiq; abeundũ, alijs in Thraciã, alijs in Galliã. At illi numero ſubnixi & elati animis nõ auſcultabãt ei, ſed Italiã populabundi percurſabãt. Igitur nõ iam indignitas & turpitudo rebellionis ſolicitauit ſenatũ, verùm ob metũ & periculũ quaſi ad vnum ex grauiſsimis & maximis bellis ambos cõſules miſit. quorũ Gellius cohortes Germanicas cõtemptu et arrogantia diuulſas à Spartacijs repẽtino aduentu omnes oppreſſit: Lentulus magnis copijs circumuallauit Spartacũ. qui huius legatos adortus pugna cõmiſſa fudit, atq; omnib. exuit impedimentis. Contẽdenti ad Alpes Galliæ circumpadanæ occurrit prætor Caſsius decẽ millibus militũ, atq; acie fuſus multos milites amiſit, ipſe ægrè fuga quæſiuit ſalutẽ. His nunciatis ſenatus infenſus iuſsit cõſulibus nihil pro imperio agere, & bellũ Craſſo mandauit. Eum multi ex nobilitate authoritatis eius & amicitiæ cauſa ſecuti ſunt. Hic pro agro Piceno cõſedit tendentẽ illuc Spartacũ excepturus. Legatũ Mommiũ cum duabus legionib. circummiſit, imperãs vt hoſtes ſequeretur, ſigna non cõferret, neq; laceſſeret eos. Ille verò, vt primùm oblata ſpes eſt, manũ conſeruit, et fuſus eſt. Multi cecidere, multi abiectis armis fuga ſalutem petiere. Craſſus ipſum Mommiũ aſperè increpauit. Milites iterũ armans ſponſores exegit arma nõ amiſſuros. Quingentos primos, à quibus initiũ fugæ ortum fuerat, decimauit. quod vetus ſupplicij genus longo interuallo reduxit in exercitu. Huic enim generi pœnæ adiuncta infamia eſt, inſpectantibuſq; omnibus horrendum & triſte ſpectaculum editur. Ita correctis militibus duxit in hoſtem. At Spartacus ceſsit per Lucaniam ad mare. In freto nauigia prędatoria Cilicum nactus animum adiecit ad tentandã Siciliam, ac duobus millibus armatorum in eam inſulam coniectis bellum Seruile illic denuò cõciuit. quod non ita dudum ſopitum facilè potuit peſtiferis facibus reſuſcitari. At Cilices inito cum eo pacto muneribuſq; acceptis impoſuerunt ei ac ſubduxerunt ſe. Ita recepit ſe à mari, atque in Rheginorum conſedit peninſula. Ibi ſuperuenit Craſſus. qui videns naturam loci, quid faciundum eſſet, ſubijciẽtem, fauces muro inſtitit ſepire, ſimul vt ocium militibus, & hoſtibus commeatus facultatem adimeret. Quod etſi grande eſſet & laborioſum opus, breui ſpacio tamen pręter omnium opinionem perfecit & abſoluit, foſſam'q; ex mari in mare per ceruicem triginta ſeptem millia quingentos paſſus longam, latam & altam quindecim pedes duxit. Super foſſa murum excitauit mira altitudine & firmitate. Ea Spartacus primùm floccipendebat & contemnebat. Vbi verò deficiente præda, cùm vellet progredi, aduertit ſe interclusum muro, neq; ex peninſula quicquam capere valuit: noctem niue infeſtam ac ventum procelloſum pro ſe capiens, exiguam partem foſſæ compleuit humo, materia, & arborum ramis: ac tertiam partem exercitus traduxit. Hîc timuit Craſſus, ne impetus Spartacum Romam raperet. verùm cõfirmatus eſt, quòd multi ex diſſenſione deſciuiſſent ab illo, & caſtra ſeorſum ſuper ſtagno Lucano poſuiſſent. Hoc certis temporibus variari ferunt, ac modò dulce, modò ſalſum nec potabile fieri. Eos Craſſus adortus repulit à ſtagno: ſed ne delere eos vel conſectari poſſet, per ſuperuenientem properè Spartacum & fugam ſiſtentem factum eſt. Pœnituit autem eum, quòd ſenatui ſcripſiſſet, Lucullum ex Thracia & Pompeium ex Hiſpania vt excirent, maturabat'q; ante illorum aduentum patrare bellum. quòd ſciret fore, vt ei, qui ſibi adiunctus eſſet & ſubueniſſet, non ſibi, attribueretur decus. Certus igitur illos, qui defecerant & ſeorſum poſuerant caſtra, quos C. Cannicius & Caſtus ducebant, aggredi: mittit ſex millia militum ad occupandum collem quendam. His imperat, vt quàm poſsint occultiſsimè, iter faciant. qui ſtudentes hoſtem fallere galeas frondibus contexere: conſpecti autem à duabus mulieribus, quę ſacrificabant pro ſalute hoſtium, in periculo fuiſſent: ni celeriter interueniens Craſſus pugnam commiſiſſet multò acerrimã. in qua duodecim millibus trecentis cæſis ſolos duos inuenit, qui auerſa vulnera haberent. reliqui in

† Q. Varius, habet epitome Liuij.

Spartaci victoriæ de Varino.

Ambo conſules contra Spartacum miſsi.

Spartacus fundit Caſsium.

Craſſus mittitur contra Spartacum.

Spartacus fundit Mommium.

Decimatio legionum.

Stagni Lucani mira natura.

Spartaci militũ virtus.

acie omnes stantes & dimicantes cum Romanis occubuere. Spartacum post horum cladem recipientem se ad montes Petilinos Quintus Crassi legatus & quæstor Seropha tergo inhærentes carpebant. Verùm vbi ille agmen tandem conuertit, fœdè fugerunt Romani, atque ægrè saucio erepto quæstore incolumes euasere. Hæc victoria, quòd nimios spiritus fecisset fugitiuis, perdidit Spartacum. Nolebant enim vltrà pugnam detrectare, neque ducibus dicto erant audientes: sed in itinere armis cinctos coegerūt retrò per Lucaniam ducere in Romanos, eodemq; quo Crassus properauere. Iam enim adesse nunciabatur Pompeius. Frequentes autem iam iactabant in concionibus ad illum pertinere huius palmam belli: quem, simul atque hostem vidisset, pugnaturum & debellaturum. Maturans igitur cum hostibus dimicare, ac castris hostium castra conferre, ducebat fossam. ad quam eruptione facta serui infestabant operi intentos. Pluribus semper hinc inde affluentibus cernens Spartacus necessitatem omnes copias explicauit. Primùm stricto gladio admotum equum, fatus victorem multos se & eximios hostium equos habiturum: non victus esset, non fore sibi eo opus, cōfodit. Deinde impressione facta per tela multa & vulnera Crassum petens, illum non est assecutus: verùm duos centuriones, qui manus cum eo conseruere, interemit. Postremò effusis in fugam ijs, qui circa eum erant, dum ipse locum tenet & hostium globo cingitur, pugnans trucidatur. Quamuis autem Crassus fortuna vsus est secunda, boniq; imperatoris & militis strenui munus præstitit: victoriæ tamen non fuit Pompeij gloria exors. siquidem qui ex prælio fugerunt, ab illo fuerunt oppressi. Vnde senatui scripsit, fusos quidem à Crasso signis collatis fugitiuos, se verò radices belli excidisse. Pompeius de Sertorio & Hispanis clarum triumphum duxit. Crassus triumphum ne ipse quidem sustinuit petere. etiā ouantem ex bello seruili inisse vrbem abiectum visum & putidum. Quid autem hoc ab illo differat, atque de vocabulo in vita Marcelli disseruimus. Hinc cùm vocaretur illicò ad consulatum Pompeius: Crassus, quanquàm in spe esset vnà se cum eo cōsulem fore, non dubitauit tamen Pompeium rogare. Quam occasionem ille libenter arripiens (desiderabat enim quocunque modo Crassum semper beneficijs suis obstrictum habere) adiuuit eum enixè, atque ad extremum pro concione dixit, non minorem gratiam de collega se quàm de ipso habiturum honore. Inito magistratu tamen haud in eadem cōstiterunt beneuolentia: sed fermè in omnibus dissentientes, mutua vbique acerbitate & cōcertione nihil domi vel foris gesserūt in cōsulatu memorabile. nisi q; Herculi Crassus pollucens populo epulum decē millibus mensarū præbuit, ac frumentū in tres menses admensus est. Cùm abituri iam magistratu concionem haberent: eques Romanus ex obscurioribus quidam ruri agens & à republ. remotus * Onatius Aurelius conscendit in rostra, progressusq; visionem narrauit sibi in somnis oblatam: Iupiter, inquit, mihi obuersatus præcepit, vt pro concione vobis nunciarem: ne priùs deponere consules honorem, quàm in gratiam redierint, permittatis. Ea vbi dixit, & iussit populus reconciliationem, diu Pompeius immobilis siluit. Crassus verò prior dextera illi porrecta: Nihil arbitror, inquit, Quirites demissum aut me indignum facere, qui beneuolentiam & amicitiam exordiar cum Pompeio: quem vos imberbem adhuc Magnum appellauistis, & nondum in senatum lecto decreuistis triumphum. Hæc sunt in Crassi consulatu memoranda. Censura eius ignaua planè & segnis transacta. Neq; enim senatum lustrauit, neq; recognouit equites, neq; recensum populi egit. quamuis Romanorum modestissimum Luctatium Catulum haberet collegam. At fama est acerbam actionem & violentam suscipienti Crasso, vt efficeret populo Romano vectigalē Aegyptum, enixè Catulum restitisse: hinc dissensione exorta vltrò eos magistratum deposuisse. In magna illa Catilinæ coniuratione, quæ propè Romanam euertit rempubl. nonnulla aspersus suspicione Crassus fuit. Atq; extitit quidā, qui eum inter coniuratos nominauit. verùm fidem homini adhibuit nemo. Cicero tamen in quadam oratione apertè Crasso & Cæsari eam notam inurit. sed edita est post vtriusq; fata ea oratio. In oratione de consulatu Crassum noctu dicit cum epistola, † quæ Catilinæ faceret mentionem, adisse se, sic vt cōiurationem, de qua quærebatur, vt certam iam confirmantem. Quamobrem Ciceroni semper infestus Crassus fuit: verùm ne propalàm eum læderet, est per filium impeditus. Publius enim, qui eloquentiæ & literarum studiosus esset, cupidus erat Ciceronis, adeo vt cum reo vestem mutaret, ac reliquam iuuentutem ad idem faciundum impelleret. Induxit denique parentem, vt rediret cum Cicerone in gratiam. Iam Cæsar ex prouincia reuersus parabat consulatum petere. qui vt nouum inter Crassum & Pompeium dissidium

Spartacus à Crasso cæsus.

Crassus cum Pompeio consul.

* In Pompeio est, C. Aurelius

Crassi & Pompeij reconciliatio.

Crassi censura.

Crassus suspectus coniurationis Catilinariæ.

† Locus est mēdosus in Græco.

Crassus Ciceronis inimicus.

ſidium vidit, noluit adiuncto altero contrahere ſibi alterius odium, neque ſperabat neutro opitulante voti ſe fore compotem. quare reducere eos in gratiam molitus eſt, ſedulò admonens eos ſemetipſos euertere: Cicerones autem, Catulos, & Catones augere, qui nullo numero eſſent, ſi collatis in vnũ partibus & factionibus, vnis viribus reipubl. atque vno moderarentur conſilio. Quibus ſuaſu ſuo reconciliatis, potentiam contraxit & conflauit ex tribus inuictam. quæ ſenatum & populum conuulſit: neque mutua opera illos maiores, ſed per eos ſe effecit maximum. Nam extemplò vtriuſq; factionis ſuffragijs glorioſè eſt conſul declaratus. Cui conſulatum egregiè gerenti legiones decreuerũt, Galliamq́; tradiderunt, atque ita tanquàm in arce collocauerunt: rati, ſi prouinciam illi, quam erat ſortitus, firmarent: reliqua ſe nullo negocio inter ſe partituros. Pompeium quidem impulit eò immodica dominandi cupido. Craſſum verò cùm ad inueteratum morbum ſuum auaritiam nouam affectationem aſſumpſiſſet & æſtum ex Cæſaris victorijs trophæorum & triumphorum: quòd qui cæteris rebus antecelleret, illis foret inferior: non remiſit antè ſtudium neque conquieuit, quàm in fœdum exitium & clades recidit publicas. Nam cùm Lucam Cæſar ex Gallia veniſſet, frequẽteſq; Romani ad eum eſſent profecti: Pompeius quoq; & Craſſus priuatim cum eo collocuti ſtatuerunt acriùs ſummam rerum capeſſere, ac totam rempubl. ſui iuris facere: Cæſar vt in armis maneret, alias prouincias exercituſq; Pompeius & Craſſus caperent. Eò vna patebat via, alterius conſulatus petitio. cuius illos Cęſar candidatos adiuuare ſcribẽdo ad amicos & frequentes milites ad comitia mittendo debebat. Hac de re Craſſus & Pompeius ad vrbem regreſſi ilicò in ſuſpicionem venere, eratq; in omnium ore, nullius fuiſſe eos rei ſalutaris cauſa congreſſos. In ſenatu Marcellino & Domitio Pompeium interrogantibus, an petiturus conſulatum eſſet? Reſpondit, fortaſsis ſe petiturum, fortaſsis non. Inſtantibus illis ait, æquis ciuibus petiturum ſe, non petiturum iniquis. qui cùm ſuperbè viſus eſſet & arroganter reſpondiſſe: moderatiùs Craſſus dixit, ſi è republ. foret, honorem ſe petiturum: ſin minus, quieturum. Quare aliqui, quorum de numero fuit Domitius, animum ſumpſerunt ad conſulatum ambiendum. Verùm vbi hi candidati proceſſerunt, cæteri metu deterriti abiecerunt petitionem. Domitiũ Cato propinquũ & amicum ſuũ confirmauit, adhortans & incitans eum: vt, qui pro libertate publica propugnaret, ſpem ſequeretur ſuam. Neq; enim Pompeium vel Craſſum conſulatũ quęrere, ſed dominationem: neu id agi, vt magiſtratũ peterent, ſed vt prouincias & legiones raperent. Ita dicẽs hæc & ſentiens Cato, Domitium deduxit tantùm non vi in forum, multiq́; ſe ad illos aggregauerunt: nec pauci mirabantur, quid'nam iterum hi conſulatum peterent: quid iterum vnà: quid'ni cum alijs? Atqui multos dicebant eſſe non indignos, qui quidem conſulatum cum Craſſo & Pompeio caperent. Hinc timens Pompeij factio non temperauit à ſumma indignitate & violentia: ac præter alia locatis inſidijs Domitio, qui ante lucem in comitium cum alijs deſcendebat, ſeruum ei prælucentem occidit, multos vulnerauit, atq; inter hos Catonem. quibus fugatis & domo incluſis cõſules renunciati ſunt. Nec multo pòſt cincta denuò armis Domitij domo, Catone foro deiecto: & nonnullis, qui ſubſtiterunt ibi, interfectis prorogauerũt Cæſari in quinquennium prouincias, ſibi procurarunt prouincias Syriam & vtramq; Hiſpaniam. Sortientibus Syria Craſſo, Pompeio Hiſpaniæ obuenere. Sors fuit omnibus haud ingrata. quippe nolebat remotum plebs ab vrbe Pompeiũ, & vxoris Pompeius amore deperiẽs erat circa vrbem plerunq; commoraturus. Craſſus ſimul ac ſors exijt, exultans, Fortunam præ ſe tulit arbitrari ſe præſente accidiſſe ſibi ſplendidiorem nullam: vix vt apud alienos & vulgus temperaret ſibi. Apud interiores verò multa vana & inſolentia iuuenum more effunderet præter ætatem & ingenium ſuum, qui minimè glorioſus aut iactabundus per totã vitam fuiſſet. Tunc verò mirum in modum elatus & diſſolutus non Syriam nec Parthos metam deſtinabat ſuæ proſperitatis. verùm pro ludo habens Luculli contra Tigranem res geſtas & cõtra Mithridatem Pompeij, vſq; ad Bactros & Indos & Oceanũ proferebat ſpes ſuas. Atqui, quæ de imperio eius lata lex fuit, bellum Parthicum non complectebatur, ſed nouerant omnes geſtienti animo id affectare Craſſum, & Cæſar ex Gallia literis ardorem eius commendauit, inflammauitq; eum ad bellum. Quia verò Atteius tribunuſ plebis parabat profectionem eius interpellare, multiq; coibant indignantes, quòd pacatis & fœderatis gentibus bellum moturus proficiſceretur: timens Craſſus orauit Pompeium, vt ſibi præſtò eſſet & proſequeretur ſe. Erat enim magna eius ad plebẽ authoritas. Atq; in præſentia frequentes ad impediendum & conuitijs lacerandũ Craſſum paratos con-

Pompeij, Craſſi, & Cæſaris cõiunctio.

Pompeij ſuperbum reſpõſum: Craſſi verò, moderatum.

Põpeij & Craſſi ſecundus conſulatus. Craſſus Syriam ſortitur.

spectus ante Crassum placido intuitu ac vultu leniuit Pōpeius, vt silētio locū darēt ꝑ medios ꝓgredientibus.

Craſsi in Parthos expeditionem nititur Atteius impedire.

Atteius verò occurrit ei. ac primùm, ne proficisceret, verbis interdixit & testato denūciauit. Deinde viatori iussit manu corpori iniecta eū retinere. Alijs tribunis intercedentib. nō dimisit viator Crassum, et pręcurrit ad portā Atteius. Ibi focū accēdit. quò cùm ꝑuenisset Crassus: suffitibus iniectis factisq; libaminibus diras capiti eius atroces & horrēdas imprecatus est. adhæc immanes deos & tetros ibi inuocauit & appellauit. Has Romani arcanas & vetustas deuotiones ea prædita vi ferūt: vt nemo, aduersus quē cōceptæ sint, euitare illas queat, nec bene cedant etiā concipientibus eas. Vnde neq; qualibet de causa has, neq; inultos imprecari. Ac tūc quoq; Atteiū reprehenderūt. quod cuius reipubl. gratia Crasso infensus erat, deuotionibus eam tanta obstrinxisset religione.

Craſsi in Syriā profectio.

At Crassus Brundusiū peruenit. Pelago aūt etiamnū ex tēpestate turbido non expectauit: sed cōscendit, magnumq; numerum nauigiorū amisit. Reliquis copijs ꝓperauit pedestri itinere ꝑ Galatiā. Ibi cùm reperisset regē Diotarū, qui ætate iā grauis vrbem cōdebat: dicto incessit eum, ac: Duodecima hora, inqt, rex ædificare exordiris? Cui Galata ridēs: Atqui neq; tu, inquit, imperator admodū matutinus cōtendis in Parthos. Excesserat aūt annū Crassus sexagesimū, facie tamen apparebat q̄ ætate grandior. Adueniēti res primò ꝓ ipsius expectatione respondere. Etenim nullo negocio Euphratē

Craſſus Euphratem tranſit.

ponte iunxit, exercitū traduxit sine impedimento, oppidis multis Mesopotamię se vltrò dedētibus potitus est. Vni, cuius erat Apollonius tyrannus, vbi milites centū amisit, admouit signa, captamq; diripuit, & captiuos sub corona vēdidit: Zenodotiā Græci dicebant.

Craſſus Zenodotiam capit.

Qua capta cùm salutari se ab exercitu imperator sustinuisset: magnam subijt infamiam, abiectusq; est habitus, nec maiora sperare, successu qui tam se efferret tenui. Postquàm oppidis, quæ deditionem fecerant, imposuit præsidium, quod fuit peditum septē millium & mille equitum, retrò in Syriam hybernatum cessit. Ibi venientem ex Gallia à Cæsare excepit filium. qui donis militaribus ab illo ornatus mille delectos equites adduxit. In eo primò visus est impingere Crassus secundū expeditionem ipsam, in qua maximæ offensiones extitere: quòd cùm progrediendum vltrà & Babylon esset tentanda Seleuciaq; Parthis semper infestæ vrbes, spacium dederit hostibus ad se instruēdos. Deinde commorationes in Syria eius lacerauerūt quæstuarias potius quàm imperatorias. Non enim lustrauit exercitum, non instituit ad exercendos milites certamina: sed vectigalia tantùm supputauit, Deæ Hieropolitanæ thesaurū ponderibus & trutinis per multos dies examinauit, indicebat populis dynastisq; militū delectus, mox pecuniæ causa remittebat. His rebus malè audiuit & contemptui fuit. Omen primū ei offertur ab hac

Hieropolitana Dea.

Dea: quā Venerē alij, alij Iunonē, nōnulli eam, quę incunabula & semina omnib. ex humido præbuit, causam & naturā arbitrantur esse, & quę principiū omniū bonorū docuit mortales. Nam templo cùm excederēt, primus in foribus adolescens Crassus lapsus est, inde incurrēs in illū senex. Cùm iam ex hybernis legiones euocaret, adierūt eum Arsacis

Parthorum legati ad Craſſum

legati cū breui oratione. Ea hæc fuit: Si missus à populo Romano exercitus esset, gesturū illū implacabile & inexpiabile bellū. Sin patria inuita priuati Crassus quæstus gratia arma Parthis intulisset, & vrbes occupasset: acturū Arsacē moderatè, & Crassi misericordiā senectutis capturū, populoq; Romano remissurum milites: quos obsessos teneat potius, q̄ in præsidijs locatos. Ad ea Crasso iactāte Seleuciæ se responsum daturū: ex le-

Vagiſis dictum, oſtenſa manus vola.

gatis Vagises, q cæteros ætate anteibat, ridēs manus supinæ ostēsa vola: Hinc priùs, inquit, pili Crasse exoriētur, q̄ tu aspicias Seleuciā. Ita ad regē Hyrodē discessere, bellandum renūciantes. Ex oppidis Mesopotamiæ, vbi Romana præsidia erāt, euaserār quidam magno cum periculo. Hi nō leuia nunciauerunt, quòd nimirū ipsi hostiū ac prælia eorū oppida oppugnantiū spectassent: atq;, vt fieri solet, omnia in grauius extollentes, vbi instarent, nullū esse effugiū, nec fugiētes assequi vllū posse: tela inaudita, quæ oculorum aciē anteuerterent, & ante quàm conspiceretur is, qui emiserit, quicquid obuiū esset, penetrarent: arma cataphractorum partim ad omnia perrumpēda, partim ne vlli rei cederēt, fabricata. Ea audientes milites ceciderunt animis. Persuasi enim nihil Parthos præstare Armenijs, vel Cappadocibus, quibus agendis ferendis fatigatus Lucullus fuerat: difficillimum autem eo in bello rati longinquum iter fore hominumq; insectationē cominus nō pugnantiū, præter expectationē certamina & ingēs discrimē cernebāt proposita. Itaq; quidā etiā ex præfectis subsistendū Crasso censebāt, atq; ex integro de summa rerū cōsiliū aduocandū. In his quæstor erat Cassius. Aruspices quoq; nūciauerūt tectè Crasso nunq; litare victimas & dira semꝑ denunciare. Cęterùm neq; his auscultauit,

neq;

neq; vlli, qui aliud ꝙ ad maturandũ hortaretur. Imprimis erexit eum Armeniorum rex Artabazes, qui in caſtra ſex millibus equitũ venit. Dicebantur hi eſſe regis ſtipatores & ſatellites. Alia pollicebatur decem millia cataphractorum & x x x. millia peditum, qui ſumptui ei non forent. Suadebat autẽ Craſſo, per Armeniam vt irrueret in Parthiam. Omnia enim affatim ſe ſubminiſtraturũ exercitui, tutũ etiã iter fore: quòd montes frequentes & cõtinentes colles, regionemq; aſperam obiectã habituri eſſent equitatui, quo Parthi vno pollerent.

Artabazes rex Armeniæ in caſtra ad Craſſum venit.

At Craſſus collaudata modicè promptitudine eius & ſubſidij amplitudine ducturum ſe oſtendit per Meſopotamiam, vbi multos & egregios milites Romanos reliquiſſet. Ita diſceſsit Armenius. Traducente exercitũ iuxta Zeugma Craſſo crebra eruperunt & atrocia tonitrua: frequentia fulmina ex aduerſo exercitui emicauere: ventus cum atra nube & preſtere procelloſus in pontem eius temporariũ incumbẽs magna ex parte cõuulſit & dirupit eum. Locus item, vbi metaturus erat caſtra, bis eſt de cœlo tactus. Equus ex prætorijs inſigniter exornatus ablato vi rectore in flumine ſubmerſus atq; ex oculis eſt ablatus. Dicitur prima aquila cùm ſublata eſſet, retrò conuerſa fuiſſe. Adhæc accidit, poſtquàm tranſmiſit amnem, vt cùm militibus frumentũ metiretur, præberet ante omnia lentes & ſalem. quæ Romani habẽt pro feralibus, & defunctis apponuntur.

Præſtigia Craſſo facta.

Iam ipſi Craſſo èxcidit concionanti vox, quæ maiorem in modum cõſternauit exercitum. ſiquidem pontem dixit ſe reſciſſurũ, ne quis eorũ regrederetur. Ac cùm oportuiſſet, vbi aduertit dicti importunitatẽ, lenire id & declarare apud trepidos: ex pulcacia poſtmiſit.

Vox deficit Craſſum cõcionantem.

Poſtremò cùm luſtraret ſolenni ſacrificio exercitum, porrecta ei ab aruſpice exta exciderunt manibus. vnde vel maximè perculſam coronam cernens riſit, ac: Ea adfert ſenectus, inquit: verùm haudquaquã elabantur manibus meis arma. Hinc ſecundum flumen progreſſus eſt. Habebat ſub ſignis ſeptẽ legiones, equites paulo minus quatuor millia, leuis armatura æquabat equitatũ. Speculatores aliquot à cõtemplanda ex ſpecula regione reuerſi nullum hominẽ nunciauerunt vſquã comparere: incidiſſe verò in frequentiũ equorũ veſtigia ſe quaſi ad fugam retrocedentiũ. Vnde aucta Craſſo eſt ſpes, cœperuntq; milites Parthos vt manus nõ conſerturos cõtemnere. Caſsius tamen iterũ Craſſum conuenit monuitq;, maximè vt, dum aliquid de Parthis allatũ eſſet certi, in aliqua vrbiũ, in quibus præſidiũ habebat, reficeret exercitũ. Sin minus, vt ſecundum flumen Seleuciã ſigna moueret. Commeatus enim naues frumentarias facultatẽ ſuppeditaturas, ſimulq; caſtra ſecuturas: & præſtaturum amnẽ, ne circumueniri poſſent, ſed pari opportunitate ſemper dimicarent cum hoſtibus. Hæc voluentẽ adhuc & perpendentem Craſſum adit præfectus alæ Arabũ Ariamnes nomine, homo aſtutus & verſipellis. qui omnium, quæ ad exitium Craſsi coaceruauit fortuna, malorum maximũ fuit caput. Hunc aliqui, qui ſub Pompeio meruerant, meminerant munificentia Pompeij affectũ, habitumq; Romanorum cupidũ.

Craſſus decipitur ab Ariamne Arabe.

Verùm is fuerat tunc in Craſſum ex conſilio præfectorum regiorum ſubornatus & miſſus: vt comitans eum, quam remotiſsimè, ſi qua poſſet, à flumine & locis inæqualibus in vaſtũ campũ cõijceret, vbi cingi valeret equitatu. Quiduis enim ꝙ fronte cõcurrere malebãt cum Romanis. Barbarus ergo, vbi Craſſum acceſſit (& erat facundus) Pompeiũ extulit vt bene de ſe meritũ. Copias verò miratus Craſſi morã eius improbauit cunctantis & in apparatu occupati: quaſi armis, nõ manibus & pedibus opus eſſet habiturus in homines, qui iampridem pararent rebus ereptis pretioſiſsimis et corporibus ad Scythas vel Hyrcanos euolare. Et quidẽ ſi vel pugnandũ ſit, inquit, properandũ erat priuſquã reſumpto rex animo vires in vnum contraheret omnes. quãdo nunc quidẽ Surenas vobis et Sillaces obiecti ſunt, qui ab inſequẽdo ſunt vos moraturi. Ille verò apparet nuſquã. Ficta hęc erãt omnia. quippe Hyrodes bipertito ſtatim exercitu ipſe Armeniã vaſtabat Artuaſdem vlciſcens, Surenã Romanis immiſerat: nulla quidẽ, vt nõnulli autumãt, deſpiciẽtia. Neq; ẽm vt Craſſum dedignaret̃ aduerſariũ virũ inter Romanos primarium, cõueniebat, cum Artuaſde verò bellaret atq; Armeniorum præſidia expugnaret.

Surenas mittitur cõtra Craſſum.

verùm qui meo iudicio impensè timeret periculũ, ſpectator volebat eſſe & expectare euentũ, Surenam aũt priorem præmittere ad periclitandũ prælium & circũueniendos hoſtes. Neq; enim vulgaris vir Surenas erat: ſed opibus, genere, authoritate à rege ſecundus: virtute verò & cõſilio ſuæ ætatis Parthorũ primus, adhæc corporis ſtatura eminenti & venuſtate nemini comparandus. Solus ſemper iter faciebat mille camelis impedimenta eius portantibus, rhedasq; ſecum ducentas trahebat pellicum. Equites eum cataphracti mille, leuis armaturæ maior manus comitabatur. Equites in ſumma, qui eſſent clientes ſui & ſerui, non minus habebat decem millia. Præro-

Surenas qualis fuerit.

gatiua erat ei antiquitùs gentilitia, regi Parthorũ designato vt imponeret princeps diadema. Hunc ipsum Hyrodem reduxit exactum in Parthos, ac Seleuciam magnã in potestatem eius redegit, qui in murũ euasit primus, hostesq́ sua manu pepulit. Habebat id temporis annos nondũ natus triginta cõsilio atq́ prudentia primus. quibus artibus potissimùm euertit Crassum, ex audacia & cõfidentia primùm, per pauorem deinde & clades imposturis opportunũ. Tunc ergo barbarus, vbi impulit eum, à flumine abstractũ medijs duxit campis, via leni & facili initio, inde succedẽte alta arena nudisq́ & sitientibus campis, qui terminari nusquã oculis poterãt, odiosa. Nec tantùm sitis & itineris morositas torporem inducebat militibus, sed prębebat etiã prospectus tristitia horrorem stirpẽ nullam cõspicientibus, non riuũ, non montis superciliũ se summittentis, non virentẽ herbam: verùm teucrã fluxum quendã marinum vastæ arenæ exercitũ amplectentis. Erat iam vel hinc suspectus dolus. At vbi nuncij quoq́ ab Armenio Artuasde aduenerunt

Artuasdæ siue Artabazi ad Crassum legatio.

bello eum graui premi ruente in ipsum Hyrode, ideo mittere nõ posse illi auxilia: monere autem Crassum, maximè illuc vt se cõuertat, iunctis'q́ cum Armenijs copijs vnà decernant cum Hyrode. Quod si nõ placeat: ita semper incedat, & locum capiat castris, vt regiones declinet equitabiles, & montosas sequatur. Crassus præ stomacho & fatuitate nihil rescripsit, sed respondit, Armenijs se in præsentia nõ vacare: verùm pòst aditurũ eos,

Crassi peruicacia.

vt de Artuasdis proditione expetat pœnas. Porrò Cassius iterum fremuit, & Crassum quidem infensum sibi destitit monere, barbarũ verò seorsum increpauit, ac: Quis te malus genius, inqt, homo scelestissime ad nos adduxit? quibus medicamentis & præstigijs Crassum fascinasti, vt cõiecto in vastam & profundã solitudinem exercitu iter ingrediatur Arabi latronũ duci magis q̃ imperatori Romano consentaneũ? Barbarus, qui versipellis esset, suppliciter agens cõfirmauit illum, hortatusq́ est, vt paulisper adhuc sustineret. Milites verò simul subueniens & succurrens deridebat: Quid vos, num per Campaniam, inquit, iter facere putatis? fontes, riuos, vmbras, balnea scilicet & diuersoria quæritis? Non venit in mentem Arabum & Assyriorũ peragrare vos confiniũ? Ita Romanos barbarus deliniebat. qui prius, q̃ compertus doli esset, aufugit: nõ clam Crassum tamen: verùm & hoc ei persuaserat, exercitũ se hostium circumuenturũ & perturbaturum. Fama est Crassum illo die nõ, vt solenne Romanis imperatoribus est, paludamento purpu-

Crassus non paludatus, sed pullatus in pugnã procedit.

reo processisse amictũ, sed toga pulla, eamq́, vbi animaduertit, mutasse: signa autẽ quædam velut immobilia vix magno labore valuisse signiferos conuellere. quos Crassus irridens vrgebat iter, cogens agmen cursum æquare equitũ. quousq́ pauci speculatores accurrentes reliquos nunciauerũt ab hostibus occisos, se ægrè elapsos: hostes adesse ingenti multitudine & animo ad dimicandum. Ibi omnes perculsi sunt. Crassus planè obstupuit, ac præ properatione nõ satis sui cõpos instruxit aciẽ. Primùm ex Cassij sententia

Crassi acies contra Parthos.

raros ordines legionũ, ne circundarẽtur, quàm longissimè per campũ produxit. equites distribuit in cornua. Mox consiliũ mutauit, ac cõtractis copijs ancipitẽ aciem & profundam quadratamq́ fecit. Erãt in singulis lateribus duodenæ cohortes. Adiunxit cuiq́ cohorti alam equitũ. nequa pars equestri subsidio careret, sed concurreret vndequaq́ iuxtà obseptus. Alterũ cornu Cassio, alterum Crasso filio attribuit, ipse in media acie constitit. Ita processerunt ad riuũ, Balissus appellatur, nõ magnum nec largum, verùm in tanto squalore & æstu per viam reliquã laboriosam & sitientem, gratũ tamen eo tempore militibus. Ibi pleriq́ duces castra ponenda & pernoctandum censuerunt explorandumq́, quatenus fieri posset, quàm magnæ hostium copiæ essent & quemadmodum instructæ, inde prima luce in illos mouendum. At Crassus filio suo atq́ equitibus eius prælium cientibus fretus imperauit, vt in acie stantes, quibus liberet, cibum caperent & biberent. Prius quàm hoc per omnes ordine factum esset: processit non composito gradu, neque vt ad prælium interquiescens, sed propero & concitato agmine: quoad in conspectu fuere hostes qui neq́ numerosi, vt expectabat, neq́ pomposi visi Romanis sunt. Nam multitudinẽ post primã aciem occulterat Surenas, splendoremq́ armorũ texerat tunicis & sagis pelliceis, quibus edixerat, vt se velarẽt. Vbi appropinquauerũt, & signũ pugnæ

Crassi cum Parthis pugna.

Clauæ, pro tubis.

sublatum à duce est, primùm graui sonitu atq́ fremitu terribili compleuerunt campum. Neq́ enim cornibus aut tubis classicum canunt, sed clauas ex corio concauas æramentis intentas resonantibus pulsant vndiq́. Hæ fuscum clangorem & ditum edunt velut vlulatu beluino et tonitrui asperitate mistum. Ac rectè aduerterũt ab auditus sensu animum turbari maximè, eiusq́ ocyssimè cieri affectus, àc potissimùm de statu mentem deijci. Eo strepitu expauescentibus Romanis repentè abijciunt armorũ integumenta. Tum il-

li

li rutilare visi galeis loricisq; ex Margiano ferro factis coruscante & refulgente. Equi erant æreis & ferreis operti velamentis. Ipse eximia statura Surenas ac pulcherrimus venustatis mollitia opinionem nō æquans suæ virtutis: verùm erat potiùs ad Medorū morem fucata facie & coma redimitus discriminata, cùm cæteri Parthi etiam tum Scythico modo horrerent capillo incompto.

Surenæ Parthorum ducis forma.

Institerunt primùm infestis hastis antesignanos impellere & mouere. cæterùm vt altitudinē confertæ aciei & militū videre stabilitatem immobilitatemq;: gradum retulerūt. Dissipari aūt atq; dissoluere ordines cùm viderentur: prius quàm aduerterent Romani, vndiq; se ipsorū aciei circumfudere. Cùm verò leuem armaturā Crassus procurrere iussisset, haud longè sunt progressi: sed grandine sagittarū malè accepti & elanguescentes retrò se inter grauem armaturā receperunt, initiumq; tumultus & pauoris præbuerūt cernentibus vim & robur iaculorum arma lacerantium & iuxta omnia penetrantiū, siue dura arma siue molle foret corpus. At Parthi diuulserunt se, cœperuntq; eminus vndiq; sagittare, non exactè dirigentes tela. siquidem efficiebat Romanæ aciei spissitudo ac densitas, vt ne de industria quidē ictu possent aberrare. validasq; plagas & violentas incusserunt grandibus atq; firmis arcubus, qui ex tortuosa flexura impellebant magna vi telum. Erant iam hinc res afflictæ Romanorū. quando si ordines seruarent, cōuulnerabantur: et si conferre conarētur pedē, cùm nihilo magis læderent, pariter ipsi infestabantur. quippe fugiebant, atq; interim iaculabantur Parthi, atq; id faciunt secundū Scythas peritissimè. quod quidem egregium est commentum, dum pugnant ad euolandum, demendi fugæ turpitudinē.

Parthorum pugnandi mos.

Quousq; autem sperauerunt effusis telis temperaturos illos pugna aut ad manus venturos, pertulerunt Romani. Vt verò cognouerunt multos camelos illis præstò esse sagittis onustos, à quibus circumuecti primi sumebant, neq; vidit Crassus finē: obtorpuit, iussitq; per nuncios filio: eniteretur manum cum hostibus antè conserere, quàm eum circumuaderēt. Illum enim incursabat potissimùm, illiq; circunfundebat se hostiū cornu, vt auersum adorirentur. Igitur adolescēs mille trecentos equites, ex quibus adduxerat mille à Cæsare, sagittarios quingentos, & ex proximis scutatis octo cohortes orbe facto infestos duxit in hostē. Parthi, qui se circumfundebant, vel quod in compositam aciem incurrebant, vti dictitant nonnulli: vel artificio molientes, vt Publium quàm longissimè retraherent à patre, retrò fugerunt. Ille verò clamās terga hostes dare, subdit equo calcaria. Sequuntur eum Censorinus & Megabacchus, hic animi celsitudine et vi corporis insignis, ille senatoria dignitate & eloquentia clarus, Crassi sodales & æquales. qui cùm traherēnt secum equites, non concesserunt ijs pedites alacritate & spe elati: Vincere enim putabant se & consectari hostes.

Censorini & Megabacchi laus.

quoad perceperunt longè progressi dolū, circumagentibus se ijs, quos fugere putabant, & pluribus aduolantibus alijs. Itaq; substiterunt ibi, rati hostes cum ipsis paucis manus conserturos. Enimuerò cataphractos illi in fronte opposuerunt Romanis, reliquo equitatu incondito circumiecerunt eos, campumq; conturbantes cumulos arenæ ex imo excitauerunt, vnde ingens edita est pulueris vis, vt nec dispicere cōmodè Romani nec loqui valerent: volutati aūt in angusto atq; in se mutuò incurrentes configerentur caderentq; non facili neq; celeri morte: sed cōuulsione & dolore intolerabili cruciati iactatiq; inter iacula vulneribus immorerent. si verò eniterentur cuspides hamatas, quæ venas & neruos perruperant, elidere, lacerarent insuper & dilaniarent semet ipsi. Ita multis occumbentibus erant etiā superstites ad dimicandum inutiles.

Misera Romanorum contra Parthos pugna.

Cùm hortaretur eos Publius, in cataphractos vt darent impressionem: manus suas ostenderunt scutis affixas pedesq; traiectos & solo astrictos, vt neq; fugere neq; valerent præliari. Igitur concitatis equitibus ipse magna vi intulit se in hostes, dimicauitq; cum ijs. Cæterùm haudquaquā par erat certamen vel inferendis ictibus vel declinandis. Nam imbecillibus & breuibus lanceis cædebat loricas ex corio crudo cōfectas vel ferreas. cōtrà præbebat contorū ictibus expedita & nuda corpora Gallorū. His enī fidebat imprimis, horumq; virtute insignia facta edebat.

Gallorū virtus.

siquidē cōtos prehendebāt, hostesq; cōplexi deturbabāt ex equis armorū pondere immobiles. Cōplures equis suis relictis hostiū equos subeuntes ventres eorū fodiebant. Exiliebant illi præ dolore, obterentesq; simul sessores & hostes permiscuos emoriebantur. Præcipuè affligebat Gallos æstus & sitis, quorū vtriusq; ea gens est impatiētissima. Equi pleriq; perierūt in cōtos infestos admissi. quare coacti sunt ad pedites se recipere. Habebāt in medio Publiū vulneribus iam grauiter affectū. Cōspicati aūt in propinquo cliuū sabulosum, eò cōtenderūt: religatisq; in medio equis, foris se clypeis contegebant, atq; ita commodiùs putabāt protecturos se aduersus barbaros. verùm longè cecidit secus. Vbi enī in

plano

plano cōsistunt, præbēt aliquatenus in fronte collocati securitatē posterioribus. Ibi verò ex loci inæqualitate alij alijs editiores, prioribusq; posteriores excelsiores nō poterāt tela deuitare, sed omnes iuxtà figebātur mortē suam deplorantes ingloriam & ignauā. Erant cum Publio Græci duo, qui eo in tractu Carras colebant Hieronymus & Callimachus. Hi suadebant ei, vt cum ipsis subduceret se & confugeret * Ischnas oppidum partium Romanarum, quod non procul aberat. Verùm ille nullam ait tam acerbam occursuram sibi mortem, cuius ipse metu deserturus esset illos, qui sua causa occumberent: iussosq;, vt suam ipsi salutem expedirent, complexu dimisit eos. Mox quòd impotens manus esset telo traiecta, latus armigero præbuit & haurire iussit. Pari fato aiunt cecidisse Censorinum. Megabacchus semet ipse interemit, similiter nobilissimi quiq;. Residuos subeuntes barbari collem contis confodere pugnantes. Viui non amplius quingenti di cuntur in eorū potestatem venisse. Capite detruncato Publij cōtenderunt ilicò in Crassum. Eius res hoc in statu erant: Postquàm filio imperauit inuehere in Parthos, ac quispiam effusam acriter instante Publio fugam esse nunciasset, cerneret autem sibi obiectos non perinde instare, quòd plerisq; eorum illuc concurrissent: recepit aliquantulū animi, & conglobatum exercitum ad loca subuexa retraxit, mox regressurū à consectandis hostibus expectans filium. Qui missi fuerant à Publio, postquàm in discrimen venerat, primi à barbaris, in quos inciderunt, trucidati sunt: nouissimi, qui magno labore euaserant, actum esse nunciauerunt de Publio, nisi maturè & firmum subsidium ab ipso mitteretur. Crassus autem multis vno tempore distinebatur motibus, ac cōsilio iam nihil expediebat: verùm metu simul de summa rerum & filij desiderio incitatus ad ei succurrendum, instituit deniq; cum exercitu progredi. Interea supcruenerūt hostes clangore & victorialibus carminibus formidabiliores: simul crebra tympana iterum obstrepebāt Romanis alterius pugnæ expectantibus exordium. Qui Publij caput suffixum hasta ferebant, propiùs aduecti ostentabant id Romanis, ac per ludibriū parentes eius & gentem quærebāt. neq; enim oportere Crassi patris ignauissimi & fœdissimi tam fortem & virtute præstantem filium fuisse. Hoc spectaculum supra reliqua omnia acerba animos debilitauit & infregit Romanorū. Neq; enim ira ad vindictam, vt decuerat, sed horror tremorq; incessit cunctos. At Crassum ferūt in ea acerbitate supra quàm antè celsum animum præ se tulisse. Vociferabatur enim circumuectus ordines: Meus est milites priuatus hic luctus. Inclyta fortuna & gloria vrbis Romę in vestra consistit incolumitate integra & intacta. Quòd si quis meam quoq; vicem dolet omnium optimo filio orbati, id ira in hostes ostendat. Extorquete his exultationem, vindicate sæuitiam. Nolite obstupescere acceptis cladibus. Aliquid etiam perpetiendū magna affectātibus. Nec Lucullus Tigranem sine sanguine peruertit, nec Antiochum Scipio. Mille naues maiores nostri circa Siciliam amisere, in Italia multos imperatores & duces. quorū antè oppressus obstitit nemo, quò minus illi superarent ipsos victores. Neq; enim secūda fortuna res Romana, sed tolerantia & virtute asperis rebus obnitentiū ad tantas opes euasit. Dum hisce dictis eos excitat Crassus, raros animaduertit commoueri. Sed & cùm tollere imperasset eis clamorem: animū deiectum exercitus comperit, vbi languidū & tenuem & inæqualem edidere. A' barbaris verò clarus resonabat atq; animorum plenus. Cùm iam ad rem gerendā conuerteretur, equites ex latere obequitantes ingesserunt sagittas, antesignani contis Romanos in angustū coëgerunt: nisi qui, ne conficerentur sagittis, temerè in illos ausi sunt ruere. Atqui parū hi quidem hosti intulerunt detrimenti, verùm celeri fato sunt defuncti. quòd ampla vulnera & letalia ipsis ferro adactus infligeret crassus contus, qui subinde duos viros simul ipso impetu trāsuerberabat. Ita cùm essent præliati, appetente nocte receperunt se iactantes vnam noctem se Crasso largiri ad lugendum filium: nisi rectiùs saluti suæ consulens mauelit ire ad Arsacem quàm portari. Atque hi in propinquo pernoctantes magna in spe erant. At Romanos tristis nox excepit. qui nullam cogitationem sepeliendorum mortuorum, nec curæ vulneratorum & algore expirantium habebant rationem: sed complorabat semet quisque. Neque enim euadere se videbant posse, siue lucem ibi operirentur, siue in campum se noctu conijcerent vastum. Iam adferebant saucij perplexitatem, si auferrentur, fugæ celeritatem moraturi: sin relinquerentur, fugam vociferatione significaturi. Crassi verò, etsi omnium eum authorem existimarent, conspectum & vocem desiderabant tamen. Ille verò capite obuoluto in tenebras abdiderat se. vbi exemplum iacebat in vulgus fortunæ, sapientibus præcipitantiæ & ambitionis, cui non satis fuit, quòd esset in tam immenso hominum

Margin notes:

* Ichnas habet Appianus.

Publij Crassi filij cædes.

Crassi filij caput circunferūt Parthi.

Crassi ad milites oratio animi plena.

Parthorum in Crassum insultatio.

minum numero maximus: sed quòd infra duos duntaxat viros existimaretur, omnium se ducebat infimum. Ibi Octauius legatus eius & Cassius conati sunt alleuare & confirmare eum, qui cùm planè obtorpuisset: ipsi centuriones et manipulares conuocauerunt: atq; vbi in consilio visum est capiendam fugam, excitauerunt exercitum sine tuba, ac silentio primùm: mox relinqui se debilibus sentientibus ingẽs tumultus & confusio cum eiulatu & eomploratione occupauit castra. Inde perturbatio pauorq; sicut instantibus hostibus inuasit progredientes. Crebrò autem deflectendo, crebrò aciem struendo: sauciis, qui sequebantur, partim sustollendis partim deponendis morã interponebant: præter trecentos equites, quibuscum Ignatius nocte cõcubia peruenit Carras ad muros. Ibi latinè appellat excubias. Vbi exaudiere, iussit præfecto Coponio nunciari ingentẽ pugnam Crassum cum Parthis cõmisisse. Nihilo præterea addito, nec qui esset ipse, properauit ad vrbẽ Zeugma. Seruauit hic quidem suos, sed malè audiuit, quòd deseruisset imperatorẽ. Profuit Crasso tamen ea vox ad Coponium coniecta. Intelligens enim infaustam rem nunciantis tam properã & confusam esse orationem edixit, vt milites extemplò arma caperent: atq; vt primùm Crassum accepit venire, occurrẽs excepit eum, exercitumq; in vrbẽ deduxit. Parthi quanquàm fugã nocte senserunt, haud tamen sunt eos insecuti. Vt verò diluxit, in castra Romana profecti relictos nõ intra quatuor millia occuparunt cõtrucidaueruntq;. Multos in campo palantes exceperunt equitatu. Quatuor simul cohortes, quæ decesserãt de via, Varguntinus legatus adhuc nocte auulsit. Has in colle circumuecti pugnanres oppresserũt præter viginti milites. quos strictis gladijs per medios perrumpentes admirati, cesserunt eis, & locum dederunt euadendi lento gradu Carras. Porrò ad Surenã falsus perlatus rumor est Crassum cum primoribus euolasse: illos, qui Carras cõfluxissent, colluuiem miscellaneã esse nihili hominum. Existimãs igitur victoriæ fastigiũ sibi dè manibus elapsum, anceps tamen adhuc & volens rem ipsam cognoscere: quò vel subsisteret ibi & vrbem obsideret, vel Crassum consectaretur omissis Carrenis: summittit quendã ex ijs, quos secum habebat vtriusq; linguæ peritos, imperans ad mœnia vt latinè ipsum Crassum aut Cassium euocaret, colloqui Surenã cum ijs velle. Vbi dicta eius, qui ambas linguas callebat, sunt Crasso annunciata, accepit oblatum. Mox aduenerunt à barbaris Arabes: qui, quòd in castris ante prelium fuissent, probè noscebant de facie Crassum & Cassium. Hi conspecto ex muris Cassio nunciauerũt cupere Surenam pacisci cum ipsis fœdus & dare, si iungere amicitiam vellent cum rege, incolumitatem: modò excederent Mesopotamia. Id enim è re fore vtriusq; partis illum videre, nisi experiri vltima vellent. Quod vbi est Cassius amplexus, locumq; & tempus postulauit, quo Surenas & Crassus congressuri essent, præfiniri: ita facturos se fati regrediuntur. Surenas igitur, quòd implicatus Crassus obsidioni esset, exultans postero die admouit Parthos oppido vehementer insultantes Romanis imperantesq;, si cupiant inducias obtinere, vt Crassum & Cassium dederent sibi vinctos. Fremuerunt hi impositum sibi esse, mittendamq; longinquam & inanem subsidij Armeniorum spem Crasso dicentes fugam intenderunt. Id cùm nullum Carrenorum intelligere ante tempus oportuisset, intelligit ex Crasso perfidissimus omnium Andromachus, quem insuper delegit itineris ducem. Itaque nihil Parthos fefellit enunciante singula Andromacho. Quia verò Parthis de nocte pugnare nefas est & difficile, Crassus autem nocte mouit: ne multo serius insequerentur, machinans Andromachus, duxit eos alijs atque alijs vijs. Postremò in profundas paludes & loca fossis concisa deflexit iter laboriosum & cæcum sequentibus. Erant enim nonnulli, qui ex ambagibus & circumflexionibus Andromachi nihil sani conijcientes nollent eum sequi. Verùm Cassius retulit se Carras. Ducibus itineris (Arabes hi erant) vt operiretur monentibus eum, dum esset Scorpionem luna præteruecta: Atqui Sagittarium ego, inquit, magis quàm hunc exhorresco. Ita cum equitibus quingentis abripuit se in Assyriam. Alij fidos nacti duces loca montosa, quæ Sinnaca dicuntur, ceperunt peruenerunt'que ante lucem in tutum. Hi erant quinque millia, quibus vir fortis præerat Octauius. Crassum Andromachi insidijs implicatum in locis illis difficilibus & palude occupauit dies. Habebat secum cohortes legionariorum quatuor, equites planè paucos, & quinq; lictores. quibuscum magno labore tandem in viam peruenit incumbentibus iam hostibus. qui cùm non plus mille quingentos passus abesset, quò minùs se coniungeret cum Octauio: in alium collem confugit non perinde inequitabilem vel munitum, subiectum tamen Sinnacis, ac longo dorso per medium exporrecto campum cum illo commissum. Igitur erat in conspectu

Crassi fuga.

Viginti militum Romanorum virtus.

Andromachi in Crassum perfidia.

Cassij, in angustijs vrbanũ dictum.

spectu Octauij illius periculū. Princeps autem cum paucis decurrit Octauius ad opem ei ferendam. Mox reliqui semet ipsi insectantes aduolant: factaq́ impressione deijciunt ex cliuo hostes, ac Crassum in medio sepiunt, circumijciuntq́ eum scutis, nullum telum iactantes Parthis esse, quod antè attacturum corpus imperatoris esset, quàm ipsi pro eo propugnantes omnes occubuissent. Considerans ergo Parthos Surenas segniùs pugnare: & si nox ipsos oppressisset, tenuissentq́ Romani montes, planè fore eos explicatos: dolum nectit Crasso. Captiuos aliquot dimisit, qui Parthos in castris audiuerāt ex composito colloquentes, nolle bellum sibi regem cum Romanis internecinum, verùm amicitiam beneficio velle redintegrare benignè cum Crasso agendo. Simul sustinuerūt barbari prælium. Surenas autem cum principibus ad collem sensim aduectus neruum arcus remittit, dextram protendit, Crassum ad paciscendum inuitat, inuito rege ferens se virtutem & potentiam eius ipsis ostendisse, nunc lenitatem & benignitatem vltrò velle inducijs faciendis & salute concedenda abeuntibus ostendere. Verba Surenæ cæteri magno cum assensu audiuere, maioremq́ in modum erexerunt animos. At Crassus, qui nusquam non impostura eorum circumuentus impegisset, & mutationis repentinæ arbitraretur nullam subesse causam, nolebat auscultate, sed deliberabat. Cæterùm vbi milites conclamantes voluerunt, vt colloqueretur cum Surena, inde conuitia & probra ei ingesserunt: quòd obijceret se ad pugnandum cum illis, quibuscum congredi ipse inermibus non sustineret ad colloquium: tentauit primùm orare ac docere eos, si quod superesset diei, pertulissent, posse nocte ipsos ad loca montosa & aspera recipere se. Ostendit viam, hortatusq́ est, ne propinquæ salutis abijcerent spem. Vt verò infensi & armis concrepantes sunt ei comminati: exterritus pergit ad hostes, ac tantùm ait conuersus: Vos Octaui & Petroni & quotquot adestis præfecti Romani, itineris mei cernitis necessitatem, & testes estis indignè me & violenter tractari. Verùm cæteris mortalibus omnibus nunciate, vbi incolumes fueritis, deceptum ab hostibus Crassum, non à ciuibus deditum ad supplicium perisse. Non hæsit tamen illic Octauius, verùm descendentem de colle est comitatus. Lictores sequentes abegit Crassus. Primi ex barbaris occurrerunt duo semigræci, qui Crassum ex equis desilientes adorauerunt, ac Græcè appellantes dixerunt ei, vt certos præmitteret, quibus Surenas se comitesq́ suos inermes ostenderet & pacatos accedere. His cùm respondisset Crassus, si vel minimam vitę suę rationem haberet, non facturum se fuisse, ipsis vt committeret se: duos Roscios fratres misit percunctatum, super quibus conditionibus & quot conuenirent. quos extemplò correptos Surenas detinuit, atq́ cum primoribus equo aduectus: Quid hoc rei est, inquit, pedes Romanus imperator & nos equo vehimur? Simul iussit adduci ei equum. Cùm respondisset Crassus neq́ se peccare neq́ ipsum, quòd congrederentur more vterq́ patrio: iam tum Hyrodi regi cum Romanis ait fœdus & pacem esse: verùm ad leges scribendas progrediendum ad fluuium. Neque enim fœderum, inquit, vos Romani memores estis: porrexitq́ ei dexteram. Iubente Crasso equum adduci, negauit ille opus esse. Nam rex, inquit, hunc tibi donat. Simul admotus Crasso equus est aureis exornatus phaleris, stratoresq́ sustulerunt eum in equum & assectati sunt verberibus equum concitantes. Ibi Octauius primus arripuit frænum, & secundū illum vnus ex tribunis Petronius, mox reliqui circunfusi inhibere parauerunt equum, atque illos, qui ex vtraque parte vrgebant Crassum, retrahere. Tum impulsu secuto & tumultuatione, mox verberibus, stricto Octauius gladio occidit vnius barbari equisonem, alius Octauium, à tergo feriens. Petronius nō habebat scutum. Hic percussus in loricam resilijt ab equo illæsus. Crassum Parthus Pomaxæthres nomine interfecit. Id alij negant, alium autem asserunt percussorem fuisse, hunc verò iacentis caput & dexterā detruncasse. Cæterùm hæc coniectura potius quàm certa veritate feruntur. quando qui præsentes erant, partim pugnantes circa Crassum confossi sunt, partim confestim in collem recurrere. Hos Parthi secuti Crassum dixerunt pœnas exoluisse, reliquos Surenam iubere bono animo esse & descendere. Ita alij de colle digressi dediderunt se, alij nocte dilapsi sunt: quorum salui euaserunt omnino pauci. Cæteros Arabes venati assecutiq́ peremere. Summa interfectorum XX. millia dicitur fuisse: eorum, qui viui in potestatem hostium venerunt, decem millia. Caput Crassi & dexteram misit Surenas ad Hyrodem in Armeniam. Inde rumore per nuncios Seleuciæ disperso se Crassum viuum adducere, pompam quandam ridiculam instruxit, quam contumeliæ causa appellabat triumphum. siquidem qui in captiuis consimilimus Crassi erat, C. Pacianus amiculo barbarico velatus, doctusq́ Crassus

Militum Rom. pro Crasso imperatore, magnanimitas.

Crassi verba ad suos, dum ad mortē vaderet.

Surenæ dolus in Crassum.

Octauij cædes. Crassi cædes.

Cæsorum & captorū numerus.

Surenæ de Crasso triumphus.

sus & imperator vocari, insidens equo ducebatur. Eum tubicines & lictores quidam in camelis praecedebant. Dependebant ex virgis zonae & alligata securibus Romanorum recens desecta capita. Pone sequebantur Seleuciades meretrices cantrices vernilia multa & ridicula cantilenis in mollitiem & ignauiam Crassi modulantes. Hoc spectaculum publice fuit editum. Senatu coacto Seleucensium intulit lasciuos libros Aristidis, Milesiacos inscriptos. Neque fuit hoc commentitium. Fuerant enim in Roscij impedimentis reperti, praebueruntque Surenae argumentum multis modis suggillandi & eludendi Romanos: quòd nec in bello temperare ijs rebus & scriptis valerent. Atqui sapientem virum habuerunt Aesopum, cùm Surenam contemplarentur, Seleucenses: ante dependentem qui gerebat Milesiacarum manticam lasciuiarum, ponè verò Sybarim Parthicam trahebat tam multis pellicum curribus, viperas quodammodo & scytalas repraesentantem: quae partes praeferret conspicuas & anteriores saeuas & feras hastis, arcubus, equis: extremo aût agmine in scorta, crotala, cantus, lustra terminaret. Dignus quidem reprehensione Roscius: verùm impudentes Parthi, delicias qui reprehendebant Milesiacas, apud quos regnauerunt cōplures ex Milesijs & Ionicis nati meretricibus Arsacidae. Dum haec aguntur, composuerat iam pacem Hyrodes cum Artuasde Armenio, cuius sorore filio suo Pacoro desponsa agitabant inter se epulas & conuiuia, quae multis acroamatibus Graecis interpolabant. Nec erat linguę & literarum Hyrodes Graecarum rudis. Artuasdes etiam tragoedias scripsit. Orationes quoque & historias cōmentatus est, quarum adhuc extant quaedam. Vbi iam allatum caput Crassi ad fores fuit, nondū sublatae erant mensae, & tragoediarum actor Iason cognomine Trallianus recitabat ex Bacchis Euripideis Agauen. qui cùm placeret: ingrediens cōuiuium Sillaces, postquàm regem adorauit, proiecit in mediū caput Crassi. Ibi Parthis plausum cum clamore & gratulatione tollentibus, ministri Sillacem regis iussu inuitauerunt ad accubandum. Iason autem tradita vni de mimis Penthei persona corripuit caput Crassi, corporisque fanatica iactatione carmina illa cum furore & cantu pronunciauit:

Crassi caput ad Hyrodem allatum.

Ex monte ferimus nos recèns caesum
Ceruum bonam praedam domum.

Atque haec omnes oblectauerunt. Dum verò sequentes alterni versus ad chorum decantantur:

Cho. Quis occidit?
Ag. Meum decus est.

Ibi exsiliens Pomaxaethres, qui tunc coenabat, apprehendit caput, quasi sibi ista dicere, quàm illi, potiùs conueniret. Rex laetus donis eum de more auxit, Iasoni largitus est talentum. In huiuscemodi aiunt exodium Crassi expeditionem quasi tragoediam terminasse. Poenas tamen & crudelitate Hyrodes & periurio Surenas pependit dignas. Surenam enim breui pòst inuidia gloriae eius necauit Hyrodes. Hyrodi verò postquàm amisit acie à Romanis fusum Pacorum, implicito morbo, qui in hydropisim desijt, Phraates filius ad maturandam mortem aconitum dedit. Id venenum cùm morbus vicisset, atque vnà cum eo esset expulsum, corpus aût recreatum regis: ad celerrimam viam Phraates conuersus suffocauit eum.

Hyrodis & Surenae exitus infelix.

NICIAE CVM CRASSO COMPARATIO.



N collatione primùm Niciç opes cum Crassi comparatę opibus, acquisitionem habent inculpatiorem. Nemo alioqui quaestum probet ex metallis, quę ferè per facinorosos & barbaros, nonnullos etiā vinctos & fatigatos locis insalubribus pestilentibusque exercentur. Hic quaestus tamen si opponatur hastae Syllae & redempturis ex incendijs, longè eum dicas probiorem. Eas enim Crassus apertè vt agriculturam & foenus exercebat. Quae verò inficias ibat obiecta, sententiā suam in curia ipsum quaestui habere, socios expilare, passim mulierculis adulari, defensionem suscipere improborum: horum nihil Niciae est ne falsò quidem exprobratū vnquam. Imo verò quòd argentum donis profunderet ex timiditate in delatores, derisus est. Quae res indigna Pericle fortassis & Aristide fuisset, verùm necessaria illi, qui natura

Niciae & Crassi opes.

esset meticulosus. Quod etiam Lycurgus orator postea ad populum iactauit: cùm im- *Lycurgi dictũ.* properaretur ei, quòd sycophantam quendam redemisset: Gaudeo, inquit, quòd tam diu vestra republ. gesta priùs datæ pecuniæ arguar quàm captæ. Iam sumptibus Nicias ciuilior, qui fuit donis dijs dicandis, gymnasiarchijs, & choris prolixus exhibendis. Quæ verò Crassus absumpsit tam infinitę simul hominum multitudini epulo, inde tesseræ frumentaria præbenda: eorum Nicias nihil nisi portionem, annumeratis illis, quę impendit, possedit. vt mirum sit, si quem prætereat, improbitatem inæqualitatem quandam esse morum & dissonantiam: cùm cernat eos, qui turpiter quæsiuerunt, mox effun- *Niciæ & Crassi in Republ. acta.* dere benignè. Atque de diuitijs hactenus. Actiones in republ. Niciæ nulla versutia, nulla iniquitate vel violentia suffusæ sunt nec ferocia. Imo potiùs impositum fuit ei ab Alcibiade, atq; cũ populo agebat modestè. Crassi verò in variandis amicis & inimicis perfidiam animumq; fucatum accusant. Vi verò ne ipse quidem abnuebat consulatum petisse conductis hominibus, qui Catonem & Domitium violarent. Iam in comitijs prouincialibus multi vulnerati, ceciderunt quatuor. Ipse quod in narratione nos præterijt L. Annalio senatori populi Romani sibi aduersanti pugno os cecidit, expulitq; cruentũ. Atqui vt his violentus Crassus & tyrannicus: ita contra illius in republ. gerenda trepidatio & pauor, & quòd scelestissimis submittererse, imprimis sunt notanda. Crassus verò celsus hîc certè & magnanimus. qui, cùm non cum Cleonibus ei neq; cum Hyperbolis sanè certamen foret, sed cum Cæsaris splendore atq; tribus Pompeij triumphis: contendit cum vtroq; potentia, dignitate quidem certè censoria etiam Pompeiũ superauit. Decer enim eum, qui rempubl. gerit, in maximis rebus non si inuidiosæ sunt, respicere: sed *Eius qui rempubl. gerit, officium.* si præclaræ, atq; opum mole inumbrare inuidiam. Quòd si supra omnia securitatem & quietem sectaris, atq; Alcibiadem formidas in suggestu, Pyli Lacedæmonios, Perdiccã in Thracia: habet ocij ciuitas latum campum. in quo remotus de medio sedere queas, ac tibi ipse contexere tranquillitatis coronam, vt nonnulli sophistæ aiunt. Nam pacis quidẽ erat profectò diuinũ desideriũ, atq; bellum dirimere imprimis humana & ciuilis actio. cuius facti causa Niciæ nulla parte est æquiparandus Crassus, ne si ad mare quidem Caspium aut ad Oceanum Indicum terminos promouisset Romani imperij. Non debet tamen is, qui versatur in ciuitate sensum habente virtutis & pollentior est opibus, dare locum malis, nec magistratum priuatis, nec fidem suspectis. quod quidem admisit Nicias, qui Cleonem, cuius in ciuitate nihil eminebat præterquàm perfricta frons & vociferatio, prouexit ad imperium. Equidem non prædico Crassum, qui bello Spartacio celerius quàm tutius conferre properauit signa. quanquam animi laudis auidi erat vereri, ne decus sibi Pompeius aduentu suo eriperet, quomodo Metello Corinthum eripuerat *Niciæ timiditas.* Mommius. At Niciæ absurdum planè est factum & callidum. neq; enim cessit inimico gloriæ campo & prouincia, cuius appareret spes & facultas conficiendæ: sed cùm grande illa in expeditione periculum timeret, cõtentus fuit rebus suis in tuto collocatis rempubl. proijcere. Et quidem Themistocles, ne bello Persico vilis homo & turpis ductu *Themistoclis & Catonis virtus.* suo perderet rempubl. eum pecunia remouit à pratura. Cato autem tribunatum plebis, cùm implicitum eum videret maximis negocijs & periculis, reipubl. causa petiuit. Qui verò se Minoæ, Citheris, miseris Melesijs reseruat ducem: sin conserendæ cum Lacedæmonijs manus sint, chlamydem ponit: Cleonis autem imperitiæ & ferocitati tradit classem, milites, arma, prouinciã, quæ summum vsum requirat: non laudes hic negligit suas, sed patriæ securitatem & salutem. vnde pòst inuitus nolensq; bellum est cum Siculis gerere cõpulsus: quòd non vtilitatis publicæ, sed quietis & mollitiæ ratione rempubl. quã- *Niciæ integritas.* tum in se erat, Sicilia defraudaret. Illud tamen ingens est integritatis eius signum: quòd abhorrentem semper à bello atq; ducatum detrectantem non destiterint tanquam exercitatissimum & optimum designare. At inhians perpetuò prouinciæ non valuit eam Crassus consequi, nisi ex necessitate bello Seruili Pompeio & Metello & vtroq; Lucullo absentibus: licet id temporis summo in honore esset, & polleret plurimum. Nam meo quidem iudicio videbatur vel studiosis eius iuxta Comicum,

Vir cætera esse nisi in scuto ille maximus.

Quod nihil Romanis profuit ab illius expugnatis cupiditate prouinciæ atq; ambitione. *Niciæ & Crassi dissimilitudo.* Niciam enim Athenienses ad bellum repugnantem miserũt, Crassus in bellum Romanos duxit repugnantes: atq; huius causa respubl. ille reipubl. in calamitatem incidit. Veruntamen Niciam citiùs hinc commendes, quàm improbes Crassum. Ille enim peritia & consilijs motus prudentis ducis nõ est vnà cum ciuium spe in errorem detractus, verùm

desperauit

desperauit & diffisus est posse capi Siciliam: hic sicut ad rem prodiuem ruens bellũ Parthicum impegit. At grandia concupiuit, & Cæsare Occidentem, Gallos, Germanos, Britanniam subigente, ad Orientem ipse & Oceanum progredi Indicum, Asiamq́ in ditionem redigere: quæ Pompeius aggressus est, & quò contendit Lucullus. qui placidi viri atq; in omnes boni permanserunt: cùm eadem ac Crassus suscepissent, & idem haberẽt institutum. Nam Pompeium quoq;, cùm daretur ei prouincia, senatus impugnauit: ac Cæsar cæsis fugatisq́ Germanorum trecẽtis millibus, author Cato fuit, vt victis dederetur, ac violatę pacis in illius caput verterẽt vltio. Verùm populus salutem dicens Catoni in quindecim dies supplicationes decreuit, atq; in magna fuit gratulatione. Qui fuisset ergo eius animus, & quot dierum supplicationes decreuisset: ex Babylone si Crassus literas de victoria misisset: hinc progressus Mediam, Persidem, Hyrcanos, Susa, Bactra redegisset in formam prouinciarum? Nam si ius violandum est, vt ait Euripides: his, qui ocij sunt impatientes, neque frui præsentibus norunt bonis, non Scandia, nõ Mendæ excindendæ, nec profugi Aeginetæ, qui relicta patria auium modo in aliena regione delitescunt, captandi: sed magnum præmium quærendum iuris violandi: non facilè autem neque qualibet de causa vt res humilis & vilis iustitia negligenda. Enimuero qui Alexandri expeditionis impetum in cœlum ferunt, et Crassi obterunt: hi parũ rectè primordia æstimant ex nouissimis. Iam in ipsis gerendis bellis facta extant non pauca Niciæ præclara. quippe crebris prælijs hostes superauit, ac Syracusis parum abfuit quin potiretur: neque sua culpa offensauit in omnibus, sed valetudini eius partim & vrbanorum ciuium expensum feras inuidiæ. Crassus ob erratorum multitudinem locum fortunæ ad aliquid boni designandum reliquit nullum: vt mireris stoliditatem eius, non quòd à Parthorum sit viribus victa, verùm quòd felicitatẽ vicerit Romanorum. Quia verò præsagio Nicias nullo negligendo, alter omnibus contemnendis similiter perierunt: haud pronum quidem sit, neque certum de istis iudicare: benignius tamen in ijs est cum vetusta & recepta opinione per religionem peccare, quàm contra mores & peruicaciter. At in exitu minus reprehendendus Crassus. qui semet ipse non dedidit, non vinctus, non affectus contumelia fuit: verùm orantibus cessit amicis, ac contra ius gentium violatus ab hostibus fuit. Nicias turpis & ingloriæ salutis spe supplicem se præbens hostibus, mortem sibi effecit fœdiorem.

Ius violãdumne sit? &, quam ob rem.

Laus Niciæ à rebus gestis.

Crassus sua stultitia Romanorũ felicitatem labefactauit.

Crassi exitus, quàm Niciæ, laudabilior.

Q 2

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FREDERICO SECVNdo, Daniæ, Norvuegiæ, Gotthorum & Vuandalorum regi: duci Slesvuici, Holsatiæ, Stormariæ, & Dithmariæ, comiti in Oldenborg & Delmenhorst, &c. domino suo clementissimo Hermannus Cruserius S. P. D.



VIA non de nihilo Serenissime Rex Domine clementissime philosophus Plutarchus hos viros illustres describit, sed vt nobis proponat exempla, ad quæ tanquã ad normam principes & ij, qui præsunt reipubl. dirigant se & actiones suas: duæ veniunt in Pompeio consideranda virtutes. quæ eum, cum nec senator nec illustri familia esset, sed equestri, in summum gradum prouexerunt ciuitatis, moderata vita & fides morum. Quamuis enim patrimonium lautum habuerit & habere potuerit ex bellis gestis & subactis prouincijs opulentis, si ei libuisset, lautius: non abiecit tamen se in luxũ, verùm in moderato tenore perstitit splendoris: vt etiam libertus eius Demetrius domum habuerit quàm ille splendidiorem. Fides verò habita est ei tanta, vt dilexerint eum Romani supra priores & insecutos omnes. Eam fidem comparauit sibi: quòd existimatus fuerit habere coniunctam cum iustitia prudentiã. Nam hu fidem habemus, quos plus intelligere quàm nos arbitramur, & in quibus nulla est fraudis iniuriæq, suspicio. Nisi enim copulatã sibi intelligentia iustitiam habeat, non conciliat fidem. Multi fuerunt ingenio solertißimo, vt Lysander & Sylla, quibus non est tamen habita fides. Est itaq, imprimus elaborandum principi, vt sibi fides habeatur: & si hæc ei habeatur, vt tueatur eam, quòd sit ornamentum principis fides primum. quam semel si perdiderit, iam viuendum ei erit soli: quòd nemo sibi quicquã velit cum isto intercedere aut vllas rationes habere: sed refugiant & declinent eum. Vt vbi semel cespitauerit, non valeat inde resurgere. Populus Romanus, quòd constans esset in dictis & factis, neq, desereret socios: verùm in nouißima pericula subinde demitteret se pro ijs, multæ gentes multiq, reges dediderunt se in fidem eius atque amicitiam contrahere cum eo expetiuerunt. Contrà Athenienses, postquàm cœperunt fraude agere, nónne socij deseruerunt? Porrò sicut hæ fuerunt virtutes, cur diligeretur Pompeius, causæ: ita ambitio insatiabilis eius cùm ipsum perdidit, tum vniuersam rempubl. Romanam subuertit. Dum enim omnem aucupatur gloriam, neq, in eius communicationem admittit quemquam, ac victoriam delibat de Spartaco Craßi, dum intrudit se in victorias Luculli Ponticas & Armeniacas, ac præripere leuem ex piratis gloriolam Metello tentat, atq, vnus esse omnia, vnus facere omnia insistit: alienauit ab se optimum & prudentißimum quemq,. Vnde dum labascentem fulcire parat potentiam suã, adiunxit sibi C. Cæsarem, qui eum prostrauit. Itaq, miserrima omninò est ambitio honorumq, contentio: de qua præclarè apud Platonem est, simi liter facere eos, qui inter se contenderent, vter potiùs rempubl. administraret: vt si nautæ certarent, quis eorum potißimùm gubernaret: denique, præcepit, vt eos aduersarios existimemus, qui arma contrà ferant: non eos, qui suo iudicio tueri rempubl. velint. Quàm multos autẽ vidimus nostro æuo principes, qui, cùm prouincias amplißimas tenerent, nec ijs essent instructi artibus, eas vt regere rectè atq, ordine valerent, concu pierint tamen & per bella alienas? Cùm audisset Anaxagoram disserentem Alexander innumerabiles esse mundos, illachrymasse dicitur. Rogantibus, numquid accidisset lachrymis dignum: An non videor, inquit, meritò flere: quòd cùm mundi sint innumerabiles, nos nondum vnius domini facti sumus? Quid illo rege insanius, qui tantùm quemadmodum subiugandus orbis: non qui esset, quod domuisset, cõstituendum & regendum, perpendebat? Quantò parens tuus magis perhibendus? qui cùm legitimè vocatus esset ad regnum, id per totam vitam egit, quemadmodum componeret & ornaret ditiones suas, easq, bonis legibus regeret atq, in pace conseruaret. Hoc Maiestas tua quia habet exemplum domesticum, atq, ab eo est patre ad omnem virtutem sedulò instituta, cuius iam vestigia ingressa est, non expectant homines ab ea nisi summa. Quare sicut ego Serenißimo Regi Hispaniæ principi patriæ meæ exordium vitarum Plutarchi cõditorem vrbis Romæ Romulũ atq, authorem principatus Romani Iulium Cæsarem comparatosq, cum Romulo Thesea & Alexandrũ Magnum cum Cæsare nuncupaui: ita Maiestati tuæ exitiũ libertatis Romanæ Pompeium Magnũ & collatum cum eo Agesilaum, sub quo expirauit imperiũ apud Græcos Lacedæmoniorũ, præstantißimos tamen viros: itemq, Artaxerxẽ regem Persarum, Aratum, Galbam, & Othonem, qui concludunt vitas Plutarchi, quæ quidem extant, dedicaui: vt à nomine duorum maximorum & optimorum regum interpretatio mea sumat auspicium. Rogo autem Maiestatem tuam demisse, vt hoc meum studium & officium, quo eam veneror, ei sit gratum.

Hoc mihi dari beneficium non poterit maius.

Vale Serenißime Rex.

AGE-

Agesilaus.



Agesilai genus.

RCHIDAMVS Zeuxidami filius, qui magna gloria regnauit Lacedæmone, filium ex vxore probata fœmina Lampride Agim & multò minorem ex Eupolia Melisippidæ reliquit Agesilaum. Cùm regnum autem lege Agidi veniret, ac priuatam vitam Agesilaus putaretur acturus: disciplina institutus fuit illa viuendi, quæ Lacedæmone ἀγωγὴ vocatur, rigida quidem & ærumnosa, verùm erudiente ad parendum iuuentutem. Vnde Spartam ferunt à Simonide Damasimbroton nominatam: quòd maximè per assuetudinem parentes legibus ciues mansuetosq́, sicut equos mox à prima ætate domitos, redderet. Hoc vinculo soluit lex pueros, qui ad regnum educantur. Agesilao verò hoc suppeditauit singulare, quòd non rudis parendi accesserit ad imperandum. Quapropter præbuit se longè præ regibus omnibus cõmunem popularibus suis. quòd cum principali & regia indole popularitatem & humanitatem ex institutione coniunxisset.

Agesilai institutio.

Agesilai modestia.

In gregibus appellatis puerilium contuberniorum amatorem Lysandrum habuit, præcipue ingenij eius modestiam stupentem. Cùm enim obstinatissimus existeret in iuuenibus maximiq́ animi, & vbiq́ peteret principatũ, æstuq́ ac feruore præditus esset inexuperabili atque inuicto: facilitate tamen & placiditate is fuit, qui metu nihil, pudore imperata omnia faceret: plusq́ probris doleret, quàm grauaretur laboribus. Clauditatem eius tegebat corporis florentis decor: & quòd hanc facilè hilariterq́ ferret, primusq́ iocaretur & rideret semet ipse, id haud mediocris erat illius vitij emẽdatio. imo verò id laudis cupiditatem eius magis declarabat, quòd nulli labori vel operi succumberet ob clauditatem. Formæ eius imago non extat. Noluit enim id, & moriens interdixit, ne quis fingeret vel pingeret corporis sui effigiem. Dicitur autem pusillus fuisse & specie aspernanda. Cæterùm hilaritas eius et alacritas omnibus horis vrbanitasq́ aliena ab omni vel vocis vel vultus morositate & acerbitate amabiliorem eum ad senectutem vsq́ præbuit omnibus formosis. Archidamo verò, vt Theophrastus author est, mulctam dixerunt ephori, quòd paruam vxorem duxisset. Non enim reges dixerunt, sed regulos nobis gignet. Porrò Agide regnante Alcibiades exul ex Sicilia venit Lacedæmonẽ. Necdum in vrbe diu hæsetat, cùm stupri cum regis vxore Timæa fit suspectus, & filiolum ab ea editum negauit Agis agnoscere se, sed esse ait ex Alcibiade susceptum. Neq́ id Timæam Duris ait admodum ægrè tulisse, verùm susurrantem domi cum pedissequis suis Alcibiadem infantem, non Leontychidẽ nominauisse. Et verò ipsum quoq́ non libidine dixisse impulsum se consuetudinem habuisse cum Timæa, sed ambitione: vt apud Spartiatas obtineret stirps sua regnum. quare Agidis timore subduxit se Alcibiades Lacedæmone. Puer autem reliquo tempore suspectus Agidi fuit, neq́ iusti filij apud eum habuit locum: donec ægrotum cum lachrymis precans induxit, coram multis vt appellaret se filium. At defuncto Agide Lysander, qui iam pugna nauali deuicerat Athenienses, & plurimum Spartæ poterat, prouexit Agesilaum ad regnum, causatus non spectare id ad adulterinum Leontychidem. Simul frequentes alij ciues Agesilao virtutis causa, & quòd in contubernio suo eductus institutusq́ esset, studebant & cum eo faciebant. Sed Diopithes erat Spartæ vir fatidicus, qui veteres sortes tenebat, habebaturq́ in rebus diuinis sapiens & doctus. Hic nefas ostendit esse, quenquam regnare Lacedæmone claudum, atque oraculum in iudicio hoc recitauit:

Agesilaus claudus.

Agesilai forma.

Alcibiades stuprat regis Agidis vxorem.

Agesilaus opera Lysandri rex creatur.

Claudũ regnũ.

Tu quamuis animo tumeas ô Sparta superbo,
Te rectam pedibus prorsus circunspice, claudum
Ne lædat regnum. Longi te namq́ labores
Et subiti cingent, Martuq́ agitaberis vndis.

Ad ea respondit Lysander: si oraculum hoc magnopere Spartiatæ religioni haberent, vitandum ijs Leontychidem. Neq́ enim si is, qui offensasset pedem, regnaret, id Deum laborare: verùm si adulterinus & alienus foret ab Herculis gente, hoc claudum regnum esse. Agesilaus verò etiam Neptunum ostendit illegitimorũ natalium damnasse Leontychidem: quòd terræmotu Agim thalamo exegisset: inde mensibus plus decem post na

tum Leontychidem. Ita & hisce de causis rex renunciatus Agesilaus simul hæreditatem quoq; creuit Agidis reiecto vt adulterino Leontychide. Ille cùm propinquos Agidis maternos honestos homines videret, sed inopes: ad beneuolentiam & laudem pro inuidia & maleuolentia captandam, semissem his hæreditatis concessit. Vt autem Xenophon refert, quòd patriæ obtemperando plurimũ polleret, omnia vt ageret pro arbitrio,

Agesilai potentia.

id hinc fuit: Ephororum & senum tunc summa in ea repubI. erat authoritas, ex quibus superiorum annuus tãtùm magistratus est, senes perpetuò eo honore fruuntur, instituti ad licentiam refrænandam regum, vt in vita Lycurgi demonstrauimus. Vnde contentionẽ semper cum ijs & dissensionem iam inde antiquitùs reges çum regno hæreditariam accipiebant. Agesilaus verò alia incessit via, omissoq; cum illis certamine & offensione obseruabat eos, omnem ab his actionem auspicãs. Si accerseretur, ocyus quàm gradu properabat. Quoties in regio solio sedebat & responsa dabat, superuenientibus assurgebat ephoris. Vt quisq; lectus in senatum fuit, semper ei lænam & bouem donabat. Ex his, dum reuereri & extollere maiestatem videtur illorum magistratus, clàm opes suas augebat, ac regno amplitudinem adijciebat ex illorũ erga se beneuolentia permissam. Cum reliquis ciuibus ita se gessit, vt inculpatior inimicus quàm amicus esset. Inimicos enim non lędebat iniustè, amicis erat prętò in rebus etiam iniquis. Atq; inimicis, si quid rectè gessissent, erubescebat honorem non habere: amicos corripere in peccatis non sustinebat. Imo verò gloriabatur, his cùm succurreret & opitularetur in delinquendo. Obsequium enim in amicos ducebat turpe nullum. Aduersariorum rursus vel offendentium primus vicem dolendo, & si rogaretur, enixè fouẽdo alliciebat & demerebatur omnes.

Agesilaus rectior inimicus, quàm amicus.

Quod cùm ephori notarẽt, timentes illius potentiam mulctam ei irrogauerunt, adiecta causa, quòd communes ciues redderet proprios suos. siquidem vt opinantur physici, si contentionem & litem segreges ab vniuersitate, fore, vt corpora cœlestia consistant, omnium item generatio & motio conquiescant propter mutuum mundi cum his concentum: ita Laconicus legislator videtur virtutis facem reipubl. subiecisse ambitionẽ & concertationem, aliquod semper inter bonos certamen & pugnam machinans: illam verò mutuò conniuentem in non coarguendo gratiam, quæ iners sit & ignaua, parum rectè dici concordiam censens. Nempe vidisse id Homerum quoq; nonnulli arbitrantur: Neque enim facturum fuisse, vt Vlysse & Achille ad conuitia prouectis verborum asperitate lætum finxisset Agamemnonem, nisi magnopere censuisset reipubl. interesse mutuam principum æmulationem & dissensionem. Hoc tamen non ita simpliciter probes. quippe sunt noxiæ contentiones ciuitatibus, si sint immodicæ, grauiaq; pericula secum trahunt.

Contentiones principum, an vtiles sint reipubl.

Odyss. lib. 8.

Porrò cùm regnum Agesilaus modò iniisset, attulerunt aliqui ex Asia regem Persarum Lacedæmoniospararemagna classe mari expellere. Hic auens Lysander iterum in Asiam mitti & subuenire, quos ipse ciuitatũ rectores & dominos reliquerat, amicis: qui, quòd improbè respubl. & violenter administrarent, exigebantur necabanturq; à ciuibus: perpulit Agesilaum, eam expeditionem vt susciperet, transportatoq; exercitu & apparatu occupato barbari quàm remotissimè à Gręcia bellum gereret. Simul amicis scripsit in Asiam, missis Lacedæmonem legatis ducem postularent Agesilaum. Progressus igitur in concionem Agesilaus suscepit bellum, modò triginta sibi legatos & cõsiliarios Spartiatas adiungerent, delectorum libertinorum ex Ilotis manumissorum duo millia, & sociorum manum ad sex millia. Sciuerunt omnia incumbente Lysandro promptè, atq; Agesilaum confestim dimiserunt additis XXX. Spartiatis. inter quos mox fuit Lysander primus, non ob suam authoritatẽ modò & opes, verùm etiam ob coniunctionem Agesilai, cui regno maius existimabatur decus confecisse illam prouinciam.

Xenophon de Cyri expeditione.

Agesilai expeditio in Asiam.

Dum copiæ Geræstum conueniunt, profectus Aulidem est cum amicis Agesilaus, atq; ibi pernoctantem visus est quidam in somnis compellare: Totius Græciæ rex Lacedæmoniorum designatum ducem, quàm antehac Agamemnonem & nunc post illum te, neminẽ haud dubiè intelligis. Quando iam ijsdem pręces, cum ijsdem bellum facis, atq; ijsdem ex locis pergis ad bellum: debes immolare Deæ victimam, quam ille hic priùs quàm solueret, immolauit. Simul subijt cogitationem Agesilai virgo hostia, quam ex vatum respõsis pater immolauit. Haud fuit consternatus tamen: sed postquàm surrexit, exposuit amicis visum, ac Deam se ostendit veneraturũ hisce rebus, quæ gratæ Deæ forent existimandæ, non imitaturum illius ruditatem ducis. ac ceruam corona redimitam imperat victimam cædere aruspici suo, non illi, qui de more erat à Bœotijs delegatus. Quo nunciato Bœotarchæ excandescentes, per statores interdixerũt Agesilao, ne contra Bœotiorum

Agesilai somniũ Aulide.

leges

leges & morem sacra faceret. Illi cùm hoc nunciauere, tum coxas victimæ ex ara disiecere. Quod factum grauiter ferens soluit Agesilaus, fuitque Thebanis infensus, ac spe elanguit ominis causa velut in irritum casuris cœptis suis, neque debitum exitum expeditione habitura. Vt Ephesum appulit, mox fastigium apud Lysandrum ingens, potentiaque odiosa & grauis fuit, frequentantibus assiduè ianuam eius cœtibus, omnibus illum assectantibus & colentibus: quasi nomen apud Agesilaũ imperij & species ex lege esset, re uerà omnia in arbitrio essent Lysandri, atque ille omnia & posset & faceret. Nemo enim ex imperatoribus, qui missi in Asiam fuerunt, potentior fuit illo vel terribilior, neque maioribus beneficijs amicos alius affecit, vel magis afflixit inimicos. quorum adhuc recentium recordantes homines, præsertim verò simplicem & demissum in colloquijs Agesilaum popularemque videntes, in illo verò eandem acrimoniam, & asperitatē, & præcisa verba manere, submittebant prorsus ei se, atque vni auscultabant. Hinc primùm cæteri stomachati sunt Spartiatæ Lysandri se potiùs assectas quàm cõsiliarios esse regis. Deinde & Agesilaus ipse, quamuis nullo esset liuore aspersus, nec honoribus angeretur aliorum: quòd tamen perquàm gloriæ cupidus foret, neque ea cederet cuiquam, verebatur: ne si quid gestum prȩclarè esset, Lysandro id propter nominis ipsius celsitudinem ascriberetur. Itaque sic agit: Primùm consilijs illius repugnabat: & quæcunque vrgeret ille cœpta maximè, his omissis & repudiatis sequebatur alia. Deinde si qui cum precibus adirent se, quos præcipuè nixos sentiebat Lysandro, eos dimittebat inanes. In iudicijs perinde: quos ille insectaretur, his abeundum erat cum victoria: è diuerso, quibus aduertebatur studere, hi, præclarè agebatur, nisi insuper mulctarentur. Hæc cùm non fortuitò fierent, sed ex composito & ex æquo vbique: percepta Lysander causa non celauit de ea amicos suos, verùm demonstrauit sui causa ipsos haberi ludibrio: monuitque eos, irent & regem obseruarent atque illos, qui plus quàm ipse possent. Quæ facere & dicere cùm videretur ad conciliandam Agesilao inuidiam: quò magis ei insultaret, præfecit eum ille carnibus diuidendis, proiecitque multis audientibus hanc vocem: Eant nunc & colant meum carnium diuisorem. Id Lysander molestè ferens, ait ad illum: Nosti sanè Agesilae bene amicos premere. Noui, inquit, eos: plus me qui volunt posse. Cui Lysander: Enimuerò tu hoc, inquit, fortasse dixisti potius, quàm ego feci. Assigna mihi ordinem & locum, vbi citra inuidiam operam meam tibi præstem. Inde in Hellespontum legatur, & Mithridatem Persem ex Pharnabazi prouincia cum magna pecuniæ vi & equitibus ducentis ad Agesilaum adduxit. Haud deposuit tamen simultatem: verùm offensus iam de cætero deliberauit, quemadmodum duabus familijs regnũ extorqueret, atque in medium poneret omnibus Spartiatis. Ac videtur magnum motum ex hac offensione excitaturus fuisse, nisi antè per expeditionem in Bœotiam motã expirasset. Ita ambitiosa ingenia in rebuspubl. modum egressa, plus habent mali quàm boni. Nam si fuit Lysander, vt fuit, importunus: quòd ambitiosior esset quàm pro tempore: non ignorabat vtique tamen rationem commodiorem aliam corrigendi esse Agesilaus clari viri & gloriæ auiditate peccantis. Cæterùm videtur eadem animi impotentia neque imperatoris ille potestatem nouisse, neque hic inscitiam tulisse amici. At Tissaphernes in principio Agesilai timore fœdus icit, regem ei ciuitates Græcas immunes suis legibus permissurum. Pòst existimans satis se firmas copias habere, bellum parauit: quod Agesilaus accepit haud inuitus. Nam magna erat huius expectatio expeditionis, & turpe ducebat decem millia militum peruenisse duce Xenophonte ad mare: cùm quoties ipsi voluissent, toties profligassent regem: suum verò ducentis Lacedæmonios, qui terra marique imperarent, factum extare apud Græcos memorabile nullum. Itaque confestim, quo Tissaphernis iusto dolo vlcisceretur periurium, simulauit mouere se velle in Cariam. vbi cùm barbarus copias contraxisset, vasis conclamatis incursauit in Phrygiam. Ibi complures vrbes cepit, & ingentem prædam abegit: ostendens amicis fidem in fœdere fallere nihil aliud esse, quàm deos contemnere: hostium verò circumuentionem non cum iustitia modò, sed & cum magna laude & iucundo coniunctam esse compendio. Cùm esset autem ab equitatu inferior, & iecur esset sine capite inuentum: recepit se Ephesum, atque equitatum ibi conscripsit: edixit'que pecuniosis, si militiam detrectarent: vt pro se quisque equum & vicarium darent. Multi id fecerunt. Ita factum, breui vt Agesilaus pro vilibus peditibus frequentes haberet & fortes equites. Conduxerunt enim hi, qui abhorrebant à castris, cupidos belli, & qui nolebant equites esse, eos qui desiderabant. Quippe perhibendum dicebat ille

Lysandri gloria minuitur.

Agesilai cũ Lysādro simultas.

Ambitiosa ingenia in republ. perniciosa.

Agesilai res in Asia gestæ, & Tissaphernis perfidia.

Agesilai calliditas.

Agamemnonis equa Aethe dicta, de qua Homerus Iliad. lib. 23.

Agamemnonẽ esse, qui pro bona equa homini imbelli & diuiti militiæ vacationem dedisset. Cùm illius iussu captiui detractis vestibus sub corona venirẽt, vestiũ autẽ existerent cõplures emptores, corpora verò ex vmbratili vita cãdida & prorsus mollia deriderent, vbi nudata fuerũt, vt inutilia & vilia: afsistens Agesilaus: Hi sunt, inquit, quibuscũ dimicatis: illa, pro quib. dimicatis. Postq; maturũ fuit, vt iterũ in hosticũ agrũ irrumperet: prædixit in Lydiã se ducturũ, nõ iam circunscribens Tissaphernẽ: sed ille semet ipse Agesilao ob superiorẽ fallaciã nõ credens circunscripsit, Cariã tunc certè inuasurũ ratus inequitabilẽ, quòd longè infirmior esset equitatu. Vbi, vt denunciauerat, venit in campos subiectos Sardibus Agesilaus: coactus est Tissaphernes raptim eò subuenire, atq; equitatu incurrens multos, qui incõditè fines populabantur, concidit. At cùm voluisset secũ Agesilaus nondũ cõiunctũ esse cum hostibus peditatum, copias autẽ adesse suas omnes: maturauit cõfligere, mistisq; inter equitatũ cetratis, imperauit, vt admitterẽt, quã tum possent, equos, & cõcurrerent cum hostibus, ipse legiones propere induxit. Fugientium barbarorũ Græci tergis inhærẽtes castra eorũ cepere, multosq; trucidauere. Hoc prælium tanti momenti fuit, vt nõ modò liberè depopularentur regis ditionem, verùm etiam pœnas dantem Tissaphernem spectarẽt improbum hominem & nationi Græcæ infestissimum. siquidem misit confestim in eum rex Tithraustẽ, qui eum obtruncauit, & apud Agesilaum egit, vt pacto fœdere remearet domum, misitq; eam in rem legatos, pecuniam qui ei offerrent. Verùm respondit ille pacis penes ciuitatem suam arbitrium esse: se verò malle milites ditare, quàm ipsum ditescere, & haberi alioqui præclarum apud Grecos non dona, sed manubias referre ab hostibus. Quò Tithrausti tamen indulgeret, quòd Græcorum hostem puniuisset Tissaphernem, in Phrygiam inde signa mouit viatico accepto ab eo triginta talentorum. In itinere accepit à magistratibus vrbanis scytalam, qua delatum insuper ei classis imperium fuit. Hoc vnus omniũ obtinuit Agesilaus. qui cùm citra controuersiam maximus esset, omniumq; memoriæ suæ clarissimus, vt etiam testatus est Theopompus: voluit tamen ex virtute potius, quàm ex imperio gloriari. Atqui peccare est in eo visus, quòd præfecerit classi Pisandrum. qui, cùm seniores & prudentiores præ manu forent, non ducens publicæ vtilitatis rationẽ, sed propinquitatem honorans, atq; venditans se vxori, cuius erat Pisander frater, illi classis præfecturã permiserit. At motis in Pharnabazi prouinciam castris nõ solùm in omnium rerum affluentia egit, verùm ingentem etiam pecuniã coegit: progressusq; ad Paphlagoniã vsq;, regem Paphlagonum in se circumegit Cotyn, qui amicitiam eius virtutis & fidei ipsius causa appetijt. Spithridates autem, vt primùm à Pharnabazo desciuit ad Agesilaum, assiduus fuit profectionis & expeditionis eius comes. Erat huic venustissimus filius, cuius pueri etiamtum Agesilaus amore flagrabat, decora etiam filia virgo nubilis. Hanc impulit Cotyn Agesilaus, vt duceret: acceptisq; ab eo equitibus mille & cetratorũ duobus millib. retrò in Phrygiam recessit. Vastauit prouinciã Pharnabazi. qui cum non expectauit, neq; fidit præsidijs: sed trahẽs secũ plerasq; res suas pretiosas & charas vitabundus cessit castris modò huc modò illuc mutatis. quousq; cõsectatus Pharnabazũ Spithridates adiuncto Erippida Spartiate exuit eum castris, ac præda est omni potitus. Ibi acerbus interuersæ prędæ Erippidas scrutator, barbaros eam cogens reddere, omniaq; inspiciens & excutiens, asperauit Spithridatem, vt extemplò cum Paphlagonibus Sardeis discederet. Id Agesilao omnium dicitur fuisse molestissimum. Nam cùm dolebat, quòd strenuum virum Spithridatem & cum eo non modicam manum amisisset, tum pudebat eum notæ sordium & illiberalitatis. quibus non se solùm, sed & patriam semper studuerat præstare mundam. Extra hæc, quæ in propatulo erant, pueri illius instillatus amor eum pungebat non mediocriter. quamuis illo præsente tota animi contentione admodum validè eniteretur libidinem comprimere. Ac Megabate aliquando adeunte ad ipsum salutandum & osculandum, declinauit. Cùm autem erubescens ille desisteret id facere, ac procul deinceps salutaret eum: rursus indolescens & pœnitentia ductus, quòd refugisset osculum, fingebat Agesilaus mirari: quid nam causæ esset, quamobrem non salutaret se Megabates suauio? At tu, inquiunt, in causa es, familiares: qui non sustinuisti, sed fugisti & formidasti formosi illius complexum. Nam nunc quoque inducetur ille, osculum vt tibi offerat, modò ne tu deterrearis ignauia. Ibi cùm Agesilaus aliquandiu cogitabundus & tacitus constitisset: Haudquaquam est ille, inquit, à vobis inducendus. Ego enim illam de osculo pugnam iterum pugnare malim, quàm omnia, quæcunq; video, mihi fieri aurea. Is erat Megabate præsente. Ab eius verò

Agesilai de Tissapherne victoria.

Tissaphernes obtruncatus.

Agesilaus à Lacedemonijs etiã classi præficitur

Agesilaus exuit Pharnabazum castris.

Agesilai turpis amor.

rò diſceſſu adeo flagrauit: vt non auſim dicere, ſi iterum tranſitione facta in conſpectum eius veniſſet, an complexu eſſet illius temperaturus. Inde Pharnabazus colloquium eius petiuit. Congreſſum hoſpes vtriuſque Cyzicenus Apollophanes conciliauit. Prior in locum conſtitutũ venit Ageſilaus, ac ſub vmbra in altam herbã ſe abijciens præſtolatus eſt Pharnabazũ. qui, poſtquàm venit, villoſis mollibusque pellibus & verſicoloribus ſibi ſubſtratis tapetibus ita recumbentem erubeſcens Ageſilaum, etiam ipſe, licet veſte mira ſubtilitate & tinctura eſſet amictus, neglectim humi decubuit. Vbi inter ſe conſaluta uere, non defecit Pharnabazũ iuſta querimonia: quòd qui Lacedæmonijs bello Attico multa præſtitiſſet & grandia beneficia, nunc ab iiſdem ageretur ferretur. Hic cernens Ageſilaus, quos circa ſe habebat, Spartiatas caput in terram ex pudore demittẽtes & perplexos, quòd immeritò violatum viderent Pharnabazum: Nos Pharnabaze, inquit, & tunc amici regis vtebamur illius rebus familiariter, & nunc facti hoſtes hoſtiliter. Igitur te quoque cùm in mancipio conſpiciamus eſſe velle regis, iure per te illum infeſtamus. At quo ex die Græcorũ malueris ſocius & amicus quàm ſeruus regis eſſe, hanc ducito phalangem, arma, claſſem, atque nos omnes tuarũ eſſe poſſeſsionũ ſtipatores & libertatis, ſine qua nihil mortalibus honeſtũ vel expetendũ eſt. Inde Pharnabazus explicat ei mentem ſuã: Equidẽ, inquit, ſi ducẽ rex miſerit aliũ, in partibus veſtris ero. Sin autẽ imperiũ mihi credat, nullam ad vos repellendos & vexandos pro illo prætermittam induſtriam.

Ageſilai & Pharnabazi colloquium.

His dictis delectatus Ageſilaus eſt, dextramque illius complexus & conſurgens: Quàm velim Pharnabaze, inſit, is cùm ſis, amicus noſter potius eſſes quàm hoſtis. Digreſſo cum amicis Pharnabazo filius eius à tergo relictus ad Ageſilaum accurrit, arridensque Hoſpitem ego te, inquit, Ageſilae facio. Simul iaculum, quod manu tenebat, ei donat. Accepit illud Ageſilaus, incenſusque adoleſcentis ſpecie & comitate circumſpexit aſtantes, ecquis haberet quicquam, quo decorum & egregium adoleſcentem remuneraret. Vt equum aduertit * Adei ſcribæ phaleris exornatum, eas repentè detractas adoleſcenti donat, neque deſtitit in poſterum eius meminiſſe. Imo poſtmodũ quoque domo pulſum fratrum iniuria atque in Peloponneſum profugũ magna cura fouit, & verò etiam in amore præſtitit aliquando ei ſtudium ſuum. Amabat ille athletam adoleſcentem Athenis oriundum. Cùm is vaſtus eſſet horriduſque, atque ideo in periculo foret, ne Olympijs reijceretur: cõfugit ad Ageſilaum Perſes commendans ei adoleſcentem. Ille nolens vel hic ei deeſſe, vix id magno negocio obtinuit. Cætera enim integer erat & rectus. Pro amicis prætextum exiſtimabat eſſe nimiùm argutæ iuſtitiæ allegationem. Aſſcribitur ei epiſtola ad Idriea Carem huiuſcemodi: Niciam, ſi nihil admiſit, abſolue: ſin quid admiſit, nobis abſolue: omnino verò abſolue. Atque in amicorum cauſis Ageſilaus ferè is fuit. Nonnunquam tamen, ſi ex vſu eſſet, tempori ſe potiùs accommodabat. vt declarauit, cùm tumultuoſiùs caſtra moueret infirmum relinquens amicum. Nam cùm precibus ille abeuntis imploraret opẽ, auerſa facie: Vt arduũ eſt, inquit, ſimul miſerari & ſapere. Id Hieronymus philoſophus ſcriptum reliquit. Circumacto iam altero imperij anno ingens de Ageſilao ad regẽ perlata fama eſt, ac mirifica exiſtimatio eius continentiæ, candoris, & moderationis apud omnes erat. Tendebat enim, cùm iter faceret, ſolus in ſanctiſsimis delubris, ac quibus rebus paucos adhibemus arbitros, earũ deos faciebat inſpectores & teſtes. In tot militũ millibus nõ temerè torũ videres quàm Ageſilai obſoletiorem. Ita erat æſtus & algoris patiens, tanquam ſolus ad varietates anni à deo tẽperatas comparatus ferendas. Gratiſsimũ Aſiam incolentibus Græcis ſpectaculũ erat, cùm ſuperbi, intolerabiles, diuitijſque & delicijs diffluentes præfecti duceſque timerent & venerarentur hominẽ in obſoleta inambulantem læna, atque ad vnum ſe conciſum & Laconicũ componerent conuerterentque dictum. vt multis in mentem veniret Timothei verſum vſurpare,

Ageſilai dictum humanum.

** Idæi, habet Xenophon.*

Ageſilaus in amicos qualis.

Ageſilai Laconica pro amico epiſtola.

Ageſilai dictũ.

Ageſilai virtutes.

Timothei verſus.

Mars tyrannus, aurum Græcia non timet.

Mota Aſia & paſsim ad defectionem ſpectante cùm ciuitates ibi ordinaſſet, reſque publ. ſine cæde & exterminatione hominum rectè compoſuiſſet: ſtatuit progredi, ac reducto à mari Græco Marte de vita cum rege & de Ecbatanorum Suſorumque felicitate decertare: ac detrahere primùm ocium ei, ne ſedens bella diſpẽſaret Græcis, & corrumperet concionatores. Interea venit ad eum Epicydidas Lacon, qui Spartam bello implicatam graui annunciauit, accerſere ephoros ipſum iubereque, patriæ vt ferret opem,

Ageſilaus reuocatur ex Aſia.

Hem Græciam, tibi quæ paraſti barbaras
Clades.

Qui

Quî enim inuidiam istam coniurationemq; & conspiratione͂ Græcorum ciuilem appelles aliter? qui fortunam suam in sublime euolantem retraxerunt, armaq; in barbaros infesta & extorrem iam Græcia Martem iterum in viscera vertêre sua. Neq; enim equidem Corinthio suffragor Demarato, qui magna voluptate fraudatos ait Græcos, qui sedentem in Darij solio nõ conspexerant Alexandrũ. Imò profundere eos meritò lachrymas existimo debuisse, cùm animo reuoluerent Alexandro se & Macedonibus hæc reliquisse: qui duces in Leuctris, ad Coroneã, ad Corinthũ, in Arcadia absumpsere.

Agesilai erga ciuitatem suã obedientia.

Ab Agesilao tamen nihil est illo receptu gestum vel rectius vel excellẽtius, neq; exemplum extat obtemperantiæ & iustitiæ clarius. Vbi enim Annibal, cùm attritus iam Italia pelleretur, ægrè obsecundauit ad bellum domesticum ciuibus reuocantibus: Alexãder verò etiam derisit nunciatum Antipatri cum Agide conflictum iactans: Apparet amici, cùm Dariũ nos hîc vinceremus, quandã illic in Arcadia cõmissam muriũ pugnam: num Spartam ne meritò beatam dicas, cui tantum Agesilaus honorem, & verecũdiam legibus tribuerit? Qui simul atq; allata scytala est, tãta fortuna & opib. propositis, tantaq; spe dimissa atq; effusa duce ilicò decessit rudi opere, apud amicos sui desiderium relinquens, & egregie Demarati Phæacis filij dictum refellens, publicè Lacedæmonios, priuatim meliores esse Athenienses. quandoquidem cùm regem & imperatorem se optimum præstitit, tum meliorem etiam & iucundiorem in coniunctione præbuit amicum & familiarem.

Agesilai anigma.

Quia verò nummi Persici sagittario erant signati: deportãs exercitum, mille sagittarijs ait Asia se ab rege summoueri. Tot enim delatis Athenas & Thebas diuisisq; inter cõcionatores populi illi ad mouendũ Spartiatis bellum incensi sunt. Hellesponto transmisso dum permeat Thraciam, nemini fuit barbarorũ supplex. Missis ad singulos legatis quæsiuit, pacatam, an hostilem terram transiturus esset? Cæteri eum omnes receperunt & prosecuti sunt amicè. Illi, qui Tralles dicuntur, quos Xerxes quoq; redemerat, vti fama est, donis, transitus mercedem ab Agesilao poposcerunt centum argenti talenta totidemq; fœminas.

Agesilaus contemptis ac deceptus barbaris per fines eorum iter fecit.

Quos ludens ait: Quin ergo statim adfuerũt accepturi ea? Ita processit, illosq; signis collatis fudit, & multos occidit. Iisdem cum mandatis misit ad regem Macedonum legatos. qui cùm respõderet deliberare se velle: Deliberet ergo, inquit, nos interim transgrediemur. Huius admiratus & pauens rex audaciã, pacatè petiuit vt transiret. Thessalorum, quòd hostium socij essent, depopulatus est fines. Larissam Xenoclem & Scythem ad iungendam amicitiam legauit. quibus comprehensis & in custodiam datis cęteri infensi censebant debere Agesilaum cò conuertere agmen, & Larissam obsidere. At ille, cùm tãti facere negasset se vniuersam Thessaliam, vt alterutrum eorum amitteret, pactis inducijs recepit eos. Neq; fuit id fortassis mirum in Agesilao: qui allato nuncio illustrissimos viros prælio circa Corinthũ commisso occubuisse in acie, Spartiatas autẽ cecidisse perquàm paucos, multos verò ex hostibus: nullam lætitiam vel exultationem præ se tulit, sed ingenti edito gemitu: Heu Græciam, inquit, quæ tot viros ipsa perdidisti: quot si incolumes sint, profligare acie cunctos queant barbaros.

Talem sententiã habet Lucanus Pharsal. lib. 1.

Agesilaus fundit Pharsalos.

Prementibus autẽ eum & fatigantibus agmẽ Pharsalis, quingentis equitibus secũ impressionẽ dare iussit in eos. Fusis fugatisq; illis trophæum sub Narthacio excitauit. Eam victoriam fecit maximi: quòd equitatum ipse per se conscripsisset, atq; hoc solo plurimùm gloria equestri elatos superasset. Hîc Diphridas ephorus, qui Sparta missus occurrit ei, præcepit vt cõfestim Bœotiam incursaret. quod etsi facere maiore apparatu pòst instituerat, non putauit tamẽ obluctandũ magistratibus: verùm significauit suis eam adesse diẽ, ob quam ex Asia venissent: ac duas cohortes de exercitu, qui circa Corinthũ bellũ gerebat, euocauit. Lacedæmonij, qui domi erant, pronunciauerũt honoris eius causa per præconẽ: vt iuuenes, qui regi ferre vellẽt opem, nomina darent. Cùm alacres nomina omnes edidissent: magistratus delectos, quorum ætatem & robur maximè probabant, quinquaginta misere.

Solis defectus.

Pisander nauali prælio victus.

Agesilaus Thermopylis superatis & peragrata Phocide, quę pacata erat, vt primûm Bœotiã attigit, ac circa Chæroneã est castra metatus: simul solẽ deficere lunatamq; formã cõspexit reddere & Pisandri fatũ accepit à Pharnabazo & Conone apud Gnidũ nauali pręlio victi. Tulit sanè id cùm illius, tũ reip. causa acerbè. sed ne progredictibus ad pugnã militibus torpor & formido incesseret: illis, qui à mari venerãt, diuersa iussit nũciare, victoriã fuisse illo prælio nauali à Lacedęmonijs. Ipse procedẽs coronatus læti nũcij causa sacrificauit, portionesq; sacrificij misit amicis.

Agesilai pugna cum Thebanis.

Postq; peruenit Coroneã, atq; ibi simul hostes cõspexit & ipse cõspectus est: instruxit aciẽ, ac læuo cornu permisso Orchomenijs ipse dextrũ inuexit. Thebani dextrũ ipsi tenuerũt, sinistrũ Argiui. Illa acie author est Xenophon,

phon, qui ex Asia regressus interfuit conflictui, & ab Agesilao stetit, vt nunquā vlla alia, pugnatū acriter fuisse. Nec habuit primus concursus magnam conflictationem vel certamen. verùm Thebani Orchomenios extemplò auertere & Argiuos Agesilaus. Vtriq; verò, vt nunciatum est sinistra cornua laborare & dare terga, conuerterunt eò se. Hic cùm vincere extra aleam liceret ei, si cōcurrere fronte cū Thebanis supersedere, & prætereuntiū cædere terga libuisset: ob nimios animos & peruicaciam infestus in illos perrexit, quò eos funderet fugaretq;. Illi hunc non minus fortiter excipiunt, pugnaturq; tota acie acriter, sed multo acerrimè circa ipsum Agesilaum manipulo illo quinquagenario stipatum. cuius alacritas regi in loco fuisse videtur salutaris. Hic enim, quantumuis pugnaret strenuè, atq; pro eo se obijceret, illę sum quidem nō valuit seruare, sed saucium armis eius crebris lancearum & gladiorum ictibus traiectis ęgrè viuum sustulit: globoq; pro eo facto multos obtruncauit, multi ceciderunt vicissim ex hoc manipulo. Quia verò arduum erat Thebanos profligare, eò decurrere necesse habuerunt, quò noluerant initiò. quippe panderunt illis aciem, ac se dimouerunt. Inde vt transiere: minùs compositū iam insecuti sunt illorum agmen, atq; id adorti ex latere carpserunt, non tamē in fugam dedere. verùm Thebani ouantes victoria velut, quòd ad se pertineret, inuicti ad Helicona se receperunt. Agesilaus quantumuis multitudine vulnerum corpore affecto nō prius in tabernaculum contulit se, quàm ad aciem delatus mortuos vidisset in armis deportatos. Quotquot verò hostes ad fanum confugerunt, imperauit vt omnibus parceretur. Nam propè est Mineruæ Itoniæ fanum, & pro eo trophæū. quod Bœotij quondam Spartone ductore cùm fudissent ibidem Athenienses, interfecerantq; Tolmidem, erexerant. Prima luce Agesilaus ad tentandū, an certare Thebani haberent in animo, præcepit militibus, vt tanq; victores coronas sumerent, tibiæ canerent, excitarēt & adornarēt trophæū. Cæterùm vbi petierunt hostes, vt tollere mortuos liceret, dedit ijs inducias, cōstitutaq; eo modo victoria Delphos deportatus ad ludos Apollinares festū Apollini celebrauit, ac decimā partē de manubijs Asianis, quæ centū talentorū erat, sacrauit. Redux in patriā mox in oculis fuit ciuiū, ex vitaq; et victu suspiciēdus. neq; enim, vt plerìq; omnes imperatores, alius q̄ profectus erat, peregrè redijt, vel alienis motus ritibus fastidiuit & reiecit domesticos: sed perinde ac illi, nunquam qui transmeauerant Eurotam, patrios colens & amplectens non cœnam variauit, non balneum, non vxoris cultum, non ornatum armorum, non supellectilem: verùm fores quoq; reliquit adeo vetustas, vt has easdem diceres, quas adiecerat Aristodemus. Ac canathrum ait Xenophon nihilo fuisse illius filiæ quàm aliarum magnificentius. Canathra appellant gryphorum & tragelaphorum lignea simulachra, quibus puellas in pompa transferunt. Xenophon verò nomen Agesilai filiæ non reliquit scriptum. Stomachatur autem Dicæarchus, quòd neq; Agesilai filiam, neq; Epaminondæ cognoscamus genitricem. Nos verò in actis Laconicis Agesilai vxorem dictam Cleoram comperimus, filias Apoliam & Prolytam. Adhæc hastam eius in hanc diem seruatam Lacedæmone videas, quæ nihil ab alijs discedit. At verò cùm cerneret nonnullos ciues, quòd equos ad sacra certamina alerent, in pretio haberi & sibi placere: quò subijceret Græcorum oculis nullius virtutis esse, sed opum, sed sumptus illam victoriam: sororem suam impulit Cyriscam, vt currum conscenderet & Olympijs certaret. Xenophonti illi sapienti, quem secum magno in honore habebat, liberos suos suasit vt acciret & Lacedæmone educeret: quò pulcherrima disciplina imbuerentur parendi & imperandi. Defuncto Lysandro cùm factionē deprehendisset frequentem: quam ille, simul atq; ex Asia regressus fuerat, conflauerat in Agesilaum: studuit ostendere, qualis ille in vita ciuis fuisset. Ac cùm orationem legisset in volumine relictam, quam à Cleone Halicarnasseo scriptam habere memoriter statuerat Lysander in concione de rebus nouādis & reipubl. mutatione: instituit eam in publicum proferre. Quam vbi legit, quidam ex senibus, & veritus orationis neruos suasit, ne Lysandrum refoderet, sed potius vnà cum illo orationem defoderet: paruit acquieuitq;. Aduersarios suos in aperto quidem non lędebat: sed efficiebat, vt semper illorum aliqui duces & rectores mitterentur peregrè. quorum detegendo in potestate nequitiam & auaritiam, mox postulatis rursus opem ferendo & patrocinando, ex alienis necessarios sibi reddidit atq; ad se traxit, vt infestum haberet neminem. Nam rex alter Agesipolis, vt cuius exul parens esset, & ætate ipse adhuc immatura, ingenio quoq; leni modestoq; præditus, non admodum se in repubI. iactabat. quem tamē etiam sibi reddidit obnoxiū. Epulantur reges, cùm ad vrbem sunt, eodem in triclinio. qui autem teneri sciret Agesipolim

Agesilai virtus.

Mineruæ Itoniæ fanum.

Agesilai continentia.

Canathra, quæ dicantur.

Cleora, Agesilai vxor.

Apolia & Prolyta, Agesilai filiæ.

Xenophon, comes Agesilai.

Lysandri machinatio de regno Lacedæmoniorum transferendo.

Senis Spartani prudens consilium.

Agesilai ars in conciliandis sibi inimicis.

polim sicut se amoribus, sermonem asiduè de formosis adolescẽtibus inferebat, eodem illum impellebat, sociusq; erat ei in amore & adiutor. Sunt verò amores Laconici nulla cum turpitudine coniuncti: verùm magno cum pudore, honoris studio, & æmulatione virtutis, vt in Lycurgi historia exposuimus. Quare cùm plurimum in ciuitate posset, perfecit: vt præficeretur frater suus vterinus Teleutias classi, motaq; in Corinthios expeditione terra cepit longos muros & Teleutias ex mari. Cùm Argiuis, qui Corinthum id tẽporis tenebant, & Isthmia agebant, superuenisset: illos modò à sacris deo factis exegit omni relicto apparatu. Corinthiorum autem exulibus, qui aderant, orantibus eum vt ludis ipse præesset, † id abnuit: sed illis facientibus eos & celebrantibus remansit securitatis præstãdæ gratia. Pòst, vbi recepit se, instaurata ab Argiuis Isthmia sunt. vbi nonnulli denuò victores fuere: pars, qui antè victores fuerant, pòst inter victos relati. Vnde timiditatem suam manifestè prodere ait Agesilaus Argiuos. qui cùm rem tam augustam & præclaram censerent illorum ludorum arbitrium, dimicare de eo non sustinuissent. Ipse moderatum studium ducebat in ijs ponendũ, chorosq; & ludos patrios asiduitate sua, cõtentione, studio ornabat, neq; à puerorum vel virginum certamine se abducebat. quorum verò teneri alios stupore cernebat, ea simulabat nec nosse. Atq; tragœdiarum histrio Callipides, cuius inter Græcos celebre nomẽ & fama apud omnes ingẽs erat, aliquando occurrens primùm salutauit eum, deinde fastuosè inferens se ambulantibus ostentauit se, exorsurum ratus eum aliquam in se comitatem: postremò ait: Non me rex noscis? Ille eum respiciens respondit: Tu'ne Callipides es dicelictas ille? Ita Mimos vocant Lacedæmonij. Cùm inuitaretur ad audiendum quendam, qui luciniam imitabatur: detrectauit, ac: Ipsas, infit, audiui. Menecrates medicus, qui quòd in deploratis quibusdam morbis curandis habuisset successum, Iupiter appellabatur, odiosè vsurpauit eam appellationem, & verò ad illum sustinuit ad hunc modum scribere: Menecrates Iupiter regi Agesilao salutem. Huic rescripsit: Rex Agesilaus Menecrati sanitatem. Dum sedet in agro Corinthiaco, & fano Iunonis expugnato prædam aspicit milites egerentes: aderant ex Thebis legati ad agendum de pace. Hic, qui illam ciuitatem odisset, tunc verò etiam è re esse cẽseret ei insultare, disimulauit eos videre vel audire alloquentes se. Nec defuit ei diuina ira. Nam nondum digresi erant Thebani, cùm nunciatum ei est cohortem ab Iphicrate cæsam, quanta clade non fuerant longo interuallo icti. Multos enim fortes milites amiserũt fusos à leuibus armatos, atq; à mercenarijs Lacedæmonios. Exilijt ergo properè ad opem his ferendam Agesilaus. Vbi cognouit rem transactam: ad fanum Iunonis regressus accersiuit tunc Thebanos, eisq; dicendi potestatem fecit. Qui cùm reposita contumelia mentionem pacis nullam facerent, sed copiam peterent fieri sibi Corinthũ ingrediendi: indignatus Agesilaus respondit: Si vtiq; amicos vestros auetis ex ipsorum rebus secundis elatos aspicere, id vobis cras tutò licebit. Itaq; assumptis his postero die secum fines Corinthiorum euastauit, exercitumq; ipsi admouit vrbi. Ita legatis cùm ostendisset animũ non esse sua tuendi Corinthijs, dimisit eos. Inde receptis superstitibus ex illa cohorte Lacedæmonem exercitum reduxit. Castra ante lucem mouit, rursusq; post tenebras metatus est, ne inuidi & obtrectatores Arcades insultarent ipsis. Hinc in Achæorum gratiam exercitum cum ijs in Acarnaniam traduxit. vnde grandem prædam fecit, & Acarnanas acie fudit. Instantibus Achæis vt illic hybernans impediret, ne facere hostes valerent sementem: contrà ait se facturum. Impensius enim formidaturos illos bellum, si consitum agrum in æstatem haberent. quod euenit. Nam mota iterum in eos expeditione fecerunt cum Achæis pacem. Vt Conon & Pharnabazus classe regia mare obtinentes vastauere maritimam Laconiam, atq; vrbs Atheniensis muro septa est sumptum præbente Pharnabazo: visum Lacedæmonijs est pacificari cum rege, legaruntq; ad Teribazum Antalcidam, fœdisimè & teterrimè Asiaticos Græcos, pro quibus bellum gesserat Agesilaus, regi prodentes. Vnde contigit Agesilao, vt haudquaquam illius infamiæ ad eum contagio perueniret. siquidem erat eius Antalcidas inimicus, qui pacem hanc vel maximè vrsit: quòd bellum Agesilaũ amplificaret, illustraret, & supra omnes extolleret. Veruntamẽ ei, qui dixit sentire cũ Medis Lacedæmonios, respondit Agesilaus, imò Medos sentire cũ Lacedæmonijs. Abnuentibus pacem approbare minitans & denuncians arma, omnes compulit assentiri ijs, quæ rex postulauit, potisimùm Thebanorum causa: vt Bœotia immunis suis legibus permissa efficerentur debiliores. quod postea magis declarauit. Nam cùm rem perpetrasset indignã Phœbidas, qui Cadmiã tempore pacis & amicitiæ occupauit, omnes autem

Teleutias Agesilai frater classi præficitur.

† Annuisse, Xenophon ait.

Dicelictas Lacedemonij, mimos vocant.

Agesilai aliquot apophthegmata.

Agesilaus fundit Acarnanas.

Antalcidæ pax.

Phœbidas occupat Cadmiam.

autem Græci stomacharentur, & iniquè id ferrent Spartiatæ: præcipuè verò alieni qui erant ab Agesilao, rogarent infensi Phœbidam, cuius'nam hoc iussu fecisset, in illum torquentes suspicionem: non dubitauit defendens Phœbidam propalàm dicere, ipsum factum, quatenus ex vsu foret, spectandum. Nam quæ essent è republ. Lacedæmoniorum: ea, vt nemo mandet, debere vltrò fieri: quamuis iustitiam in omni sermone decerneret omnium principem virtutum. siquidem fortitudinis, vbi absit iustitia, nullum esse vsum. Quòd si omnes iusti essent, nihil requiri fortitudinem. Ad illos, qui ferebant, id Magno regi placere: Quid me ille est, inquit, maior, nisi sit iustior? rectè atque probè censens sicut regio modo iustitia excellentiam metiendam maioris. Quas ei composita pace Rex de hospitio & amicitia misit literas, non accepit, satis esse ferens amicitiam publicam: qua manente nihil opus fore priuata. Enimuero factis non semper tuebatur hanc opinionem, verùm abreptus frequenter ambitione & contentione, præsertim illa aduersus Thebanos, non modò Phœbidam seruauit: verùm etiam vt crimen in se reciperet, Cadmiam'que retineret imposito præsidio, induxit ciuitatem: regiminisq; ac reipubl. Archiæ & Leontidæ, per quos ingressus Phœbidas fuerat & occupauerat arcem, permitteret arbitrium. Quare fuit protinus quidem suspicio facinus illud factum esse Phœbidæ, consilium verò Agesilai. At ea, quæ insecuta sunt, crimen reddiderunt confessum. Vt enim præsidium Thebani expulere, ciuitatem'que asseruere in libertatem: insimulans illos, quòd Archiam & Leontidam interemissent reuerà tyrannos, verbo polemarchos, intulit ijs bellum: & Cleombrotus, qui iam defuncto Agesipolide regnabat, in Bœotiam cum legionibus missus est. Agesilaus enim ætatis prætextu, quòd à pubertate maior esset annis quadraginta, & militiæ vacationem lege haberet, illam defugit expeditionem: erubescens, qui paulo antè pro exulibus in Phliasios arma tulerat, nunc Thebanos videri tyrannorum gratia quatere. Erat Lacon quidam Sphodrias factionis Agesilao aduersæ Thespijs præfectus, vir haud iners aut degeneris animi, sed semper spei magis quàm mentis sanæ plenus. Hic ingens affectans nomen, & Phœbidam existimans ex illo in Thebanos facinore illustrem & celebrem euasisse, longè pulchrius & splendidius adductus est esse: ex inopinato si terra adortus ipse Piræeum occupauisset, ac mare Atheniensibus præcidisset. Hoc ferunt commentum Pelopidæ & Gelonis bœotarcharum fuisse. Submiserunt hi certos, qui facere se fingerent cum Lacedæmonijs. Illi Sphodriam celebrantes extollentesq; tanquam vnum tanto dignum opere incitauerunt & incenderunt eum ad rem suscipiendam prauam perinde atque illam & fœdam, verùm audacia & fortuna destitutam. siquidem dies eum in campo Thriasiò occupauit & illuxit. sperauerat autem tenebris aggredi Piræeum. Cæterùm vbi lumen ex templis quibusdam ab Eleusine conspexere milites, memorant eos horrore & pauore obtorpuisse. Excidit & illi animus, vbi iam non poterat esse clàm, rapta'que modica præda fœdè & deformiter recepit se Thespias. Hinc accusatores Athenis Spartam missi. verùm magistratus offenderunt accusatoribus in Sphodriam nihil opus habere, qui occupauerant eum rei capitalis arcessere. quod iudicium non est ausus ille expectare, quia iram formidabat ciuium, qui verecundia Atheniensium, ne affines viderentur illius iniuriæ, non minus se violatos simulabant. Erat Sphodriæ Cleonymus filius, cuius pueri etiamnum & formà florentis amore Agesilai filius Archidamus deperibat, ac cum illo tunc nimirum laborabat de patris periculo: sed adiuuare apertè & opem ferre, quòd ex aduersarijs esset Agesilai Sphodrias, non habebat. quem cùm Cleonymus adisset, precibus'que & lachrymis interpellasset, vt placaret Agesilaum: Illum enim præter cæteros esse ipsis formidabilem: tres aut quatuor dies verecundia & timore parentem tacitus assectatus est. Tandem instante iudicij die sustinuit exponere Agesilao Cleonymum supplicem sibi pro patre fuisse. Agesilaus licet eum amare sciret Archidamum, non prohibuit. quippe Cleonymus mox à puero spem de se siquis alius, præbuerat magnæ virtutis. Nullam tamen bonam vel benignam spem oranti dedit filio. tantùm consideraturum ostendit se, quid rectè & honestè facere posset: atque ita abscessit. Itaque verecundia Archidamus intermisit Cleonymum inuisere, quamuis id quotidiè facere creber soleret. Sic amici quoque Sphodriæ salutem eius magis pro deposita habuere. quoad ex Agesilai amicis Etymocles in colloquio quodam sententiam illis aperuit Agesilai: Factum enim illum quàm maximè improbare, alioqui strenuum virum habere Sphodriam ac ciuitatem cernere talium virorum desiderantem. Hac oratione vbique Agesilaus in

Agesilaus laudauit iustitiam.

Polemarchi Thebanorum.

Sphodrias conatur Piræeum occupare.

Sphodrias rei capitalis postulatus.

Sphodrias quomodo seruatus.

gratiam filij sui de iudicio vtebatur. Vnde mox studiū Cleonymus percepit Archidami, & necessarij Sphodriæ sumpto animo ei iam præstò fuere.

Agesilaus indulgens in liberos.

Fuit indulgens pater supra modū Agesilaus. de quo hūc ludum cōmemorant, cum paruis liberis in arundine quasi equitantem domi colludere solitum. Conspectus autē ab amico quopiam orauit necui id priùs enunciaret, quàm ipse liberorum pater foret. Absoluto Sphodria Atheniensibusq;, vbi rem intellexere, arma sumentibus laceratus est maiorem in modū Agesilaus probris. qui ob importunam & puerilem libidinem intercessisse iusto iudicio videretur, atq; ciuitatē tantis in Græcos admissis flagitijs alligasse.

Agesilai expeditio in Bœotiam.

Porrò collegam regni Cleombrotum quia minus propensum ad bellum cum Thebanis gerendum cernebat: mox lege, cuius nuper præsidio prætenderat vacationem, abiecta Bœotiam ipse incurrit, Bœotijsq; clades intulit & vicissim accepit. Hinc cùm vulnere aliquando fuisset affectus, Antalcidas: Næ tu præclaram, inquit, mercedē refers à Thebanis, qui inuitos & ignaros docuisti pugnare. Et profectò bellaciores ferunt tunc Thebanos quàm vnquam aliàs euasisse, compluribus Lacedæmoniorum in ipsos expeditionibus velut tritos. Quapropter in tribus retris appellatis interdixerat Lycurgus Priscus in eosdem identidē bellū moueri, ne bellare addiscerent illi. Flagrabat item apud socios Agesilaus inuidia. quòd nulla quidem publica offensa, sed felle quodam atq; ambitione euertere quæreret Thebanos. Fremebant autem nulla premente necessitate ita enecari se, qui huc atq; illuc singulis annis paucos tam multi sequerentur.

Agesilai callidū consilium ad sociorum detegendam imbecillitatem.

Hîc Agesilaum memorant ad detegendum eorum numerum hoc machinatum: Omnes socios iussit promiscuè considere, seorsum autem Lacedæmonios solos: inde pronunciari, vt figuli primi exurgerent. vbi hi consurrexere, mox excitauit fabros ærarios, hinc materiarios, pòst ædificatores, & reliquos per singula artificia. Ita cuncti propè socij surrexerunt, ex Lacedæmonijs nemo. quippe vetitum his fuit artem exercere & discere vilem. Ibi arridens Agesilaus: Videtis, inquit, socij, quantò nos quàm vos plures milites præbeamus?

Agesilaus in grauem morbū repentè incidit.

Megaræ, exercitum ex agro Thebano reducens, dum ad curiam in arcem scandit, conuulsione & ingenti cruciatu sanum crus eius correptū est, mox intumuit, & sanguine distensum apparuit, immanemq; excitauit inflammationē. Cùm medicus quidā Syracusius venā ei secuisset sub talo, dolores sedati sunt: cæterùm copioso manante & prorumpente sanguine, qui sisti nequibat, vehemens animi defectus, & pręceps inde periculū circunstetit Agesilaū. Suppressit tandē tamē medicus cursum sanguinis. Delatus autē Lacedæmonē Agesilaus perdiu imbecilla valetudine fuit, nec bello potuit interesse. Interea Spartiatæ identidē terra mariq; titubauere, multo maximè apud Leuctra, vbi primùm acie fusi fugatiq; à Thebanis sunt. Igitur omnibus placuit pacē in vniuersum cōponere, ac legati ex Græcia Lacedæmonē

Epaminondas Lacedæmonem missus legatus.

conuenere ad fœdus faciundum. inter quos Epaminondas fuit vir eruditione & sapientiæ studio clarus, verùm armorū haud dum dederat documentū. Hic omnes cernēs Agesilao se venditantes, solus grauitatē cum dicendi libertate retinuit: habuitq; orationē non pro solis Thebanis, sed pro tota Græcia communem, demonstrans bello increuisse Spartā, vnde reliqui erant afflicti cuncti: ac pacem cōsuluit, æquabilitate & iure vt componerent, ita demū fore eam constantem, si pares omnes essent. Cui cùm omnes Græcos Agesilaus aduerteret mirificè assentiri & aures præbere, percunctatus eum est:

Agesilai et Epaminōdæ de Bœotiæ libertate cōtentio.

verum'ne & æquū duceret Bœotiā immunē suis legibus esse? Vbi eum inuicē Epaminondas promptè & confidenter rogauit: num'ne & ipse censeret æquū Laconiā immunem suis legibus esse? exiliēs cum stomacho Agesilaus iussit expromere eum disertè, ecquid Bœonam liberam relinqueret? Cùm idem inuicē requisisset Epaminondas, ecquid Laconiam dimitteret liberam? vsq; adeo est exacerbatus Agesilaus: vt hac arrepta ansa confestim Thebanorū nomen expungeret ex fœdere indiceretq; ijs bellū. Cæteros Græcos icto fœdere domū iussit redire: & quæ emendari poterant, paci: incurabilia delegare bello. quando omnes excindere & dirimere cōtrouersias, operosum erat. Ad Cleombrotū autē, qui fortè id tēporis agebat cū exercitu in Phocide, ꝓperè mittūt ephori cum mandatis, exercitū in Thebanos duceret: circūmissisq; legatis sociorū delectū habuere. Erāt segnes illi quidē atq; à bello abhorrebant, nondū audebāt tamen recusare vel obluctari Lacedæmonijs. Cùm crebrò tetra ꝓdigia essent facta, sicut in Epaminondę historia demonstrauimus, & Prothous Lacon huic expeditioni aduersaretur: nō remisit Agesilaus tamē, sed vt bellū decerneretur, effecit sperās, cùm ipsi vniuersam haberēt immunē & liberā Græciā, ex fœdere autē exempti Thebani essent, locū expetendi ab ijs pœnas esse. Bellū illud plus ira consultrice fuisse quàm ratione susceptū temporum articuli indicant.

Si-

Lacedæmonij apud Leuctra cæsi.

Cleombrotus Lacedæmoniorum rex cæsus.

Siquidem die quartadecima mensis Schirrophorionis pactũ Lacedæmone fœdus est, Hecatombæonis quinta dierum interuallo viginti apud Leuctra cæsi sunt. vbi mille Lacedæmonij cecidere, & rex Cleombrotus, circaq́; eum Spartiatarum fortissimi quiq;. in quibus Cleonymum Sphodriæ aiunt illum formosum, cùm ter ante regis pedes concidisset, totiesq́; erexisset se, cum Thebanis pugnantem occubuisse. Hac ictis inexpectata clade Lacedæmonijs, & Thebanis secunda ad gloriam fortuna vsis, qualis certãtibus contra Græcos Græcis nulla obtigerat alia: nihilo minus commendares & admirareris victæ ciuitatis quàm victricis virtutem. quippe habere Xenophon ait bonorum virorum vel per vinum & ludum missas voces iocosq; aliquid memoratu dignum, & rectè dicit. Est verò non minus, imò magis operæpretium cõtemplari & perpendere bonorum virorum in dictis & factis teflante fortuna decoram constantiam.

Spartæ constantia.

Fortè festum diem agitabat ea ciuitas, & peregrinis referta erat. Nam ludi gymnici edebantur certantibus in theatro choris, cùm ex Leuctris nuncij cladis adsuerunt. Ibi ephori, quamuis ilicò perspicuum foret, actum de summa rerum & amissum esse imperium, neq; egredi chorum permisere, neq; formam immutari à ciuitate festi: verùm missis domum cęsorum ad propinquos nominibus ipsi ludos & certamen chororum curauerunt. Postridie manè cùm iam omnibus constaret, qui incolumes essent & qui occubuissent: defunctorum genitores affines & propinqui in forum descendere cõsalutantes inter se vultu exporrecto, animoq; erecto & hilari: superstitum, sicut in luctu cum fœminis domi se continuerunt. Si quem necessitas in publicum subigeret prodire, eum & habitu & voce et obtutu demissum videres cõtractumq́;.

Mulierum Spartanarum fortitudo.

Multò magis inter mulieres cernere & audire erat hanc, quæ saluum filium ex prælio expectabat, mœstam & tacitam: illas verò, quarum perisse dicebantur liberi, publicè in sacris ædibus versantes, hilariterq́; se mutuò & celso animo inuisentes. Verumenimuerò plebi, vt socij desciuere, victor'que Epaminondas & successu sublatus inuasurus expectabatur Peloponnesum, oracula recurrerunt in mentem de Agesilai claudıtate, atq; ingens perculit eam mœstitia religio'q;, quasi respub. ideo afflicta esset: quòd rectum regno deiecissent, claudũ verò luxatumq; legissent. quod deus ipsos imprimis erudierat perpendere & deuitare. verùm propter opes eius alias virtutemq; & nomen nõ modò rege & imperatore in re bellica, verùm etiã ciuiliũ difficultatũ vsi eo sunt medico & arbitro: cùm dubitarẽt illis, qui ex acie fugerãt, quos Tresantas, id est trepidãtes appellãt, ꝙ multi & potẽtes forẽt, veriti nequid nouarẽt, legitimas inurere ignominias.

Tresantes, id est, trepidantes.

Pœnæ ex acie fugientium apud Lacedæmonios.

Non tãtùm enim omnib. arcẽtur honoribus, sed & vxorẽ illorũ alicui collocare aut accipere probrosum est ab illo. Pulsandi eos quiuis, qui in eos inciderit, ius habet. Illi tolerãt squalidi & demissi circũmeantes in lænis pannosis colore insectis. Barbã partim radũt, partim ꝓmittunt. Tales proijcere multos in ciuitate, quæ nõ paucos quæreret milites, graue erat. Ita legislatorẽ Agesilaum creãt. Ille nulla litera nec adiecta nec detracta nec correcta in cõcionem Lacedæmoniorũ progressus, sinendũ ait leges illo die dormire, atq; ex eo vim suã recipere in posterũ. Itaq; simul & ciuitati leges, & ciuibus illis cõseruauit famã. qui vt pręsentẽ cõsternationẽ & mœstitiam iuuentuti detraheret, incursauit Arcadiã. Signa quidẽ enixè declinauit cõferre cum hostibus. sed oppidulum quoddam Mantineorũ cepit, finesq́; depopulatus erectiorẽ spe ac lætiorem reddidit ciuitatẽ quasi nõ vndequaq; deploratã.

Epaminondas Laconiã incursat septuaginta milibus militũ.

Sub hæc irrupit Epaminondas cũ socijs in Laconiã. Habebat sub signis armatos nõ minus quadraginta millia, frequẽtes etiã leuiũ armorũ & inermes prædandi causa sequebãtur castra: vt vniuersum agmen, quod inuasit in Laconiã, millia septuaginta efficeret. Spaciũ erat autẽ nõ minus sexcentorũ annorũ, ꝙ Lacedæmonem Dorij tenuerant. Toto hoc interuallo hostis tum primùm est in finibus eorũ conspectus. Antè ausus id fuerat nemo: sed integros atq; intactos incursantes igne populationibusque vsq; ad Eurotã & vrbẽ fœdauere: neq; arma cõtrà tulit quisquam. Neq; enim permisit Agesilaus cum tãtis, vt Pomponius tradidit, belli fluctibus & vndis Lacedæmonios luctari. verùm media & præcipua vrbis loca armis stipauit, Thebanorumq; minas & iactantiam tulit nominatim se sicut facẽ belli & horũ authorẽ malorũ lacessentiũ ac desolo iubentiũ decernere.

Pomponius historicus.

Laconum trepidatio.

Nec minus quàm hæc, obtundebãt Agesilaum vrbani tumultus, clamores, & discursus: cùm senes æstuarẽt præsenti fortuna, nec conquiescere fœminæ possent: sed prorsus amentes ad clamores & incendiũ hostile circunferrẽtur. Mordebat insuper eum gloriæ suæ macula. quòd quam ciuitatem acceperat maximam & potentissimam, eius aspiceret cõtractã dignationẽ & magniloquentiã repressam, qua ipse quoq; vsus fuerat subinde: cùm gloriaretur fœminã Lacænã fumũ non vidisse hostilẽ. Fertur

Antalcidas quoq; Atheniensi quodã de virtute secũ ambigenti, cùm dixisset ille: Atqui nos sæpè à Cæphiso vos fugauimus: occurrisse: Nos verò ab Eurota vos nunquam. Argiuo itẽ respondit quidã ex obscurioribus Spartiatis, cùm ille dixisset: Multi in Argolide vestrates iacẽt: At vestras in Laconia iacet nemo. Tunc Antalcidã, qui ephorus erat, fama est liberos præ metu clàm in Cytherã deportasse. At Agesilaus, cùm aggrederentur amnẽ transmittere hostes atq; ad vrbẽ perrũpere, desertis cæteris partib. pro medijs & editioribus instruxit aciẽ. Eurotas tunc ob præcedẽtes niues longe copiosissimã vim aquę vehebat, vndaq; Thebanis ex gelu q̃ ex asperitate molestior duriorq; erat transitu. Incedentem in prima acie ostenderunt quidam Epaminondam Agesilao. qui, vt fama tenet, perdiu illũ intuitus, aciemq; ab eo nusquã deflectẽs, hoc vnum dixit: O hominem magnificũ. Cùm contenderet autẽ in vrbe Epaminondas pugnã conserere & trophæum excitare: non valuit elicere neq; excitare Agesilaũ. Itaq; mouit retrò ab vrbe exercitum, & agrum depopulatus est. Lacedæmone verò quidã iampridẽ peruersi & tetri homines ad ducentos globo facto occupant Hissorion (Dianæ id templũ est) munitum & firmũ locũ. In quos irruere cùm extẽplò Lacedæmonij vellent: veritus Agesilaus seditionẽ imperat reliquis, vt quiescant. Ipse pallio amictus & vno comitatus seruo accedit clamans, secus eos edictum accepisse. Neq; enim huc coire neq; omnes se iussisse: sed partim illuc, ostendens aliũ locũ, partim aliã in partem vrbis. Quo audito læti, fallere rati, ac distracti ad loca, quæ ille demonstrauerat, discedunt. Hissorio Agesilaus ilicò accitos alios imposuit. Ex illis, qui cõspirauerant, ad quindecim corripuit & nocte necauit. Maior inde detecta coniuratio & conciliabulum ciuium Spartiatarum ad res nouandas clàm in certas ædes coeuntium. quos & iudicio perse qui tanto in motu, & conniuere insidiãtibus anceps erat. quare deliberatione cum ephoris habita Agesilaus & hos quoq; indicta causa occidit. cùm supplicium de Spartiate ante eam diem nisi audito nullo sumptum fuisset. Quia verò multi accolæ & Ilotæ quos centuriauerant in ordines militares, ex vrbe transfugiebãt ad hostes, quod quidem consternationis magnæ erat causa: appa ritoribus suis præcepit, vt toros diluculo adirent, atq; arma eorum, qui transfugerant, auferrent reconderentq;, quò numerus in occulto esset. Signa mouisse ex Laconia Thebanos alij hyeme superueniente compulsos & incipientibus inconditè digredi & dilabi Arcadibus asserunt: pars tres solidos menses fuisse illic moratos, finesq; penè omnes euastasse. Theopompus author est, cùm iam bœotarchæ moliri inde cõstituissent, Phrixum Spartiatem eos adisse, mercedemq; ab Agesilao deportandi exercitus decem talenta attulisse. ita exequentibus iampridem deliberata suppeditatum insuper ab hostibus viaticum. Id ego haud scio, qua ratione fefellerit alios, solus autem resciuerit Theopompus. Enimuero tunc incolumem stetisse Spartam omnes asscribendum fatentur Agesilao: quòd ab insitis sibi motibus discedens peruicacia & ambitione securitati studuerit. potentiam tamen atq; authoritatẽ ciuitatis nequiuit ex illa ruina excitare: sed sicut corporis salubris, quod victu nimiũ exquisito & exacto est assiduè vsum, vnũ peccatum & momentum felicitatẽ ciuitatis totã inclinauit: neq; immeritò. siquidẽ reipubl. ad ocium & virtutẽ & concordiã optimè institutę quia imperia & potentatus adhibuerant violentos, quorũ nullo arbitratus erat opus esse ciuitati ad beatã vitam Lycurgus, collapsi sunt. Porrò ipse quidem ob grauem iam ætatem Agesilaus belli munera abdicauerat. Filius eius Archidamus accepto ex Sicilia à tyranno auxilio Arcadas victoria illa appellata incruenta profligauit. Nam nemine de suis desiderato magnã stragem dedit hostiũ. Detexit præcipuè hæc victoria ciuitatis illius imbecillitatem. antè enim vsqueadeo vsitatum ducebant & competens ipsis opus vincere hostes, vt nec immolarẽt victoriæ causa in vrbe dijs præterquam gallum gallinaceum, nec gloriarentur milites, nec exultarent qui audiebãt. Imo verò commissa ad Mantineã pugna, quam descripsit Thucydides, primo victoriæ nuncio magistratus, quòd læta attulisset, carnes ex conuiuio, pręterea nihil misere. At hoc nunciato conflictu ad Archidami reditum se cõtinuit nemo: sed princeps pater manantibus gaudio lachrymis obuiam ei processit, & secundum illum magistratus. Senes mulieresq; frequentes ad amnẽ descenderũt manus ad cœlũ porrigentes, dcosq; cientes, quasi indignas maculas eluisset Sparta, clarumq; denuo lumen oculis hauriret. quando ante eam diem referunt nec viros sustinuisse vxores suas contueri offensionum suarum rubore. Cùm restitueret Epaminondas Messenen, confluerentq; ad eam vndiq; veteres ciues: decernere prælio non audebant, neq; valebant prohibere. Indignabantur verò, & infensi Agesilao erant: quòd cùm regionem ne amplitudine Laconia angustiorem,

Dicta aliquot acuta.

Coniurationes Lacedæmone sub Agesilao. Hissorion Dianæ templum.

Thebanorũ ex Laconia recessus.

Agesilaus Spartam cõseruauit.

Archidamus fundit Arcadas.

Lacedæmonij non soliti exultare obtenta victoria.

Messene restituitur ab Epaminonda.

rem, & verò etiã longè totius Græciæ felicitate primã, quam tenuerant & tanto vsurpauerant spacio, eius regno amisissent. Atq; hinc oblatam à Thebanis pacem non accepit Agesilaus. Qui cùm permittere verbo agrũ illũ re obtinentibus nollet, sed de eo altercaretur: cùm illũ non recepit, tum Lacedæmonem insuper penè amisit arte bellica circumuentus.

Epaminondæ secunda in Spartam expeditio.

Postquàm enim Mantinæi iterũ à Thebanis defecerunt & acciuerũt Lacedæmonios: Epaminondas, vbi Agesilaũ resciuit cum infesto exercitu ab vrbe profectũ accedere, imprudentibus Mantineis nocte ex Tegea vasis cõclamatis in ipsam mouit Lacedæmonẽ. ac nihil propius factũ est, ꝙ vt præterlatus alia via Agesilaũ vacuã caperet vrbem. Verùm cùm Euthymus Thespiensis, vt Callisthenes tradit: vt Xenophõ, Cretensis quidã Agesilao rem enunciasset, præmisso ꝓperè equite significauit rem ciuibus, nec multo pòst ipse est vrbẽ ingressus. Post aliquantò Thebani superato Eurota vrbẽ oppugnauere, fortissimè & supra ætatẽ ꝓpugnante Agesilao.

Agesilaus reijcit Epaminondam à Lacedæmone.

Neq; enim securitati vt antè & cautioni videbat locum esse, sed magis desperationi & audaciæ. quibus superiori tẽpore nunq; fretus vel vsus, his in præsentia solis ꝓpulsauit periculũ, atq; erepta ex Epaminondæ manibus vrbe, trophæoq; excitato pueris & fœminis ostendit optima nutrimentorũ præmia patriæ Lacedæmonios persoluere, inter primos insigniter certantẽ Archidamũ: q animi vi & corporis agilitate citatè per vias eò, vbi laborabatur in pugna, ꝓuolauit, omnibusq; locis hosti cũ paucis se obiecit.

Archidami fortitudo.

Isadæ Spartiatæ fortitudo.

Isadã Phœbidæ etiã hostibus, nedũ ciuib. præclarũ aiunt visum & admirandũ spectaculũ. quippe corporis erat eximia forma & proceritate: ætate, qua gratissimè efflorescũt homines, cùm ex pueris transeũt in viros. Nudus aũt, quib. tegeret se, tum armis tũ vestibus, cùm vnxisset corpus oleo, vna manu lanceã, altera gladiũ tenẽs proiecit se in publicũ. Via per medios facta pugnantes cõiecit se inter hostes obuium quemq; feriens & prosternẽs. vulneratus fuit à nemine, siue deus ob virtutẽ tutelam eius egit, siue amplior homine & augustior est visus. Huius rei gratia ephoros fama est corona eum donasse, mox quòd sine armis fuisset decertare ausus, mille drachmarũ mulctã ei dixisse.

Epaminondæ cædes.

Machæriones, qui.

Paucis pòst diebus ad Mantineã dimicatũ est. Ibi Epaminondã, dum prima iam acie fusa instat atq; vrget consectationẽ hostiũ, Anticrates Lacõ excipiens lancea, vt scriptũ reliquit Dioscorides, ferit. verùm Lacedæmonij Machærionas etiã hac ætate Anticratis nepotes nominant, ꝙ percusserit illum machæra. Adeo enim eum suspexere & amplexi sunt viui formidine Epaminondæ, vt honores illi ac præmia decernerent, & stirpi eius immunitatem: quam nostra quoq; memoria Callicratides obtinet vnus ex Anticratis sobole. Sub prælium & letum Epaminondæ pace inter Græcos sancita à iureiurando Agesilaus Messenios, quasi oppido carerent, summouit. quos vbi cæteri omnes admisere, & sacramentum ab ijs accepere: discesserunt à fœdere Lacedæmonij, soliq; in armis spe Messenen recipiendi mansere.

Agesilaus belli cupidus.

Quare violento ingenio & præfracto habitus est & belli insatiabili cupiditate Agesilaus. qui commune fœdus omnibus neruis interpellaret prolataretq;: ex altera parte ob rei pecuniariæ difficultatẽ sollicitare amicos vrbanos, æs alienum accipere, & cogere à ciuibus necesse haberet pecuniam. cùm oportuisset illis se malis extricare, quãdo eò tempus reciderat: nec cùm totum imperium, quod fuerat tam grande terra mariq;, vrbesq́ue de manibus emisisset, de possessionibus & vectigalibus discruciari Messenicis.

Agesilai in Aegyptum profectio & cum Tacho cõiunctio, improbata.

Longè grauiùs improbatus est, quòd duci Aegyptio se Tacho dedidisset. Indignum enim censuerunt illũ virum, qui totius Græciæ numerabatur primus, laudibusq; suis orbem terræ impleuerat, homini barbaro, qui defecerat à rege, corpus suum commodare, nomenq; & gloriã addicere argento, munus obeuntem mercenarij ac militum ducis conductitiorum. Si enim ille, qui annis maior octoginta erat & corpore vulneribus conciso, honestã illam denuò pro Græciæ libertate & inclytam suscepisset prouinciam: haud vacaret vndequaq; reprehensione ætatis tempus atq; ambitio eius. Honesti enim etiam tempus congruum & ætatem decet esse. Quinimò distant à turpibus honesta modo. Horum tamen morabatur Agesilaum nihil: neq; præter dignitatem vllum munus publicũ, at socordem domi vitam exigere & residem expectare mortem, id potiùs arbitrabatur se indignum. Itaq; eo stipendio, quòd sibi miserat Tachus, mercenarium militem conscripsit: cõpletisq; nauibus atq; adiunctis consiliarijs Spartiatis vt antè triginta vela fecit. Vt in Aegyptum est delatus: mox principes præfectorum & procuratorum regiorũ ei honoris causa occurrerunt descendenti. Fuit item aliorum Aegyptiorum ob Agesilai nomen & claritudinem ingens studium & expectatio, concurreruntq; ad eum spectandum cuncti. Vt splendorem vel apparatum circa eum nullum conspexere, tantum senem in herba ad littus decumben-

Agesilaus ab Aegyptijs irridetur.

Agesilaus deliciarum contemptor.

tem, incomptum corpore & pusillum, horrido & obsoleto amictum pallio: libuit illis irridere eum & illudere, atque dicere hanc illā fabulā esse, parturire montem, mox murē nasci. Multò magis insulsitatē eius sunt mirati, cùm hospitalibus muneribus allatis & adductis farinam, vitulos, & anseres accepit: bellaria, cupedias, vnguenta reiecit. Cùm illi instarent precarenturque, vt admitteret ea: ad Ilotas ferri ea atque his iussit dari. Papyro coronaria tamen delectatum ob coronarum simplicitatem scribit Theophrastus, eamque in discessu petisse & accepisse ab rege. Ibi, postquàm cum Tacho se in belli apparatu occupato coniunxit: non pro spe sua totius exercitus ad eum delatus ducatus est, sed mercenariorū tantùm: classi autē Chabrias Atheniensis est præfectus, summæ verò rerū ipse præfuit Tachus. Id primùm Agesilaū torsit. Deinde reliqua Aegyptij insolentia & vanitate fatigatus ferre cogebatur, ac comitatus est nauigantē in Phœniciā præter dignitatē suam & ingenium obsecundans illi atque imperans sibi, dum est ei oblata occasio.

Agesilaus qua occasione à Tacho desciuerit.

Nectanabis enim Tachi patruelis, qui partem copiarū ductabat, defecit ab eo, ac rex ab Aegyptijs renunciatus missis ad Agesilaum legatis petijt, vt sibi veniret auxilio. Idem egit apud Chabriam, magna præmia vtrique ostendens. Ea cùm Tachus odoratus præberet se illis supplicem: Chabrias Agesilaum consulendo & leniendo retinere in amicitia Tachi studuit. Cui Agesilaus: Tibi Chabria, inquit, qui sponte tua huc venisti, tuo vtendi consilio facultas est. Ego à patria datus sum Aegyptijs dux. Quare improbè fecero, si ad quos missus socius sum, hos impugnem: nisi aliud imperet patria. Ita fatus certos ablegauit, qui Tachum insectarentur & commendarent Nectanabim. Miserūt illi quoque oratum Lacedæmonios, hic vt iampridem socius & amicus, ille vt studiosum se & promptiorem erga ciuitatem Lacedæmoniorū præbiturus. Lacedæmonij auditis Aegyptijs propalàm responderunt Agesilao eam rem curæ fore. cæterùm illi per literas mandauerunt, ageret quod è republ. foret. Ita abductis mercede militantibus transijt à Tacho ad Nectanabim, absurdo & indigno facinori commodum prætexens patriæ. quando hoc quidem velamento detracto nomen istius facti verissimum erat proditio. Lacedæmonij autem primam honesti partem reipubl. rationibus tribuentes neque discunt neque sciūt quicquam iusti, nisi quod amplificaturum Spartam putāt. Ita desertus à mercenario milite Tachus fugæ se mandauit. Inde alius Mendesius rex designatus insurrexit in Nectanabim, contractisque centum hominum millibus infestus imminebat. Agesilaus, cùm Nectanabis eum confirmaret, allegaretque numerosos quidem hostes esse, sed collectitios & opifices, atque vt tyrones floccipendendos: At non horum numerum, inquit, horreo: verùm ruditatem & inscitiam, vt quæ imposturis non sit opportuna. quippe dolos hos, qui suspicaces & præuidentes moliuntur occurrere, præter opinionem circumueniunt.

Qui maximè obnoxij sint dolis, & qui non.

Nihil qui præuidet, neque suspicatur: hic non dat captanti ansam: sicut nec luctanti momentum ille, qui stat immotus. Hinc Mendesius quoque per legatos Agesilaum sollicitauit. Vnde cœpit Nectanabis metuere. Atque vbi ille quàm primùm fuit author, vt prælio decernerer, nec diuturnitate cum hominibus bellaret: qui essent quidem belli rudes, sed multitudine circumuenire, circumuallare, præuertere multa & antecapere valerent: multò magis eum suspectans & formidans in vrbem secessit firmis & amplis loricatam mœnibus. Indignatus est Agesilaus fidem sibi non haberi, idque tulit molestè: sed quia erubescebat alteram de integro defectionem inire & re nulla gesta discedere, secutus illum est & cum eo inclusit se muris. Ingruentibus hostibus, vrbemque circumuallantibus, timens denuò obsidionem Aegyptius statuit prælio decernere. Idem flagitantes habebat Græcos. quia difficultas annonæ in oppido erat. Quod vbi non permisit Agesilaus, sed impediuit: multò iam peius quàm nuper apud Aegyptios audiuit, ac proditor regis appellatus est. Ferebat iam æquiore animo calumnias, intentusque in occasionem erat doli nectendi.

Agesilai in Aegyptios strategema.

Is fuit huiuscemodi: Fossam hostes foris altam circunducebant muro, vt vndequaque eos includerent. Vbi fossæ in se recurrentis & ambientis in orbem oppidum penè coniunctæ extremitates fuerunt, expectauit tenebras: iussisque arma capere Græcis profectus ad Aegyptiū: Tempus adolescens, inquit, salutis hoc est. quod ego, ne corrumperem id, non ante declaraui, quàm venisset. Quia verò ipsi nobis hostes suis manibus securitatem parauerūt tanta ducta fossa: cuius quod est absolutum, illorum est multitudini obstaculo, intermissum copiā faciet pari numero & iusto modo cum ijs dimicandi. Age nunc, præsta te virū fortē, nosque cursu sequēs serua temetipsum & exercitū. Neque enim frons nos sustinebit hostium, & cæteri impediti fossa nō lædent. Nectanabis igitur solertiam Agesilai admiratus est: atque inter media Græcorum arma

sese

ſeſe collocans in hoſtes ruit, pepulitꝙ facilè eos, qui ipſum exciperent. Vt ſemel fidem accepit apud Nectanabim Ageſilaus eadem fallacia tanquam lucta hoſtes adortus eſt. Modò enim ſubterfugiens attrahensꝙ illos, modò infeſtis ſignis huc illuc mouens, colluuiem eam coniecit in molem, quæ altas habebat inciles, quibus ex vtraꝙ parte præterfluebat aqua. Huius obſtructo medio & fronte aciei ſuæ occupato æquauit numero hoſtes, qui manus erant conſerturi, ademitꝙ eis circumcurrendi & circunfundendi ſe facultatem. Itaꝙ cùm non diu reſtitiſſent, profligati ſunt. Multi cecidere. Alij fuga diſperſi & dilapſi. Ex eo Aegyptij res in bono & ſtabili ad ſecuritatem ſtatu fuere. Contendit hic ab Ageſilao amice & ambitioſè, vt ſubſiſteret ibi, ſecumꝙ hybernaret. Verùm feſtinauit ille ad bellum domeſticum, certus rempubl. ſuam ærarij inopia laborare, & externum militem alere. Igitur honorificè & munificè illum proſecutus præter alios honores & munera ad bellum domeſticum argenti ducenta triginta talenta ei donauit. Porrò tempeſtate per hyemem orta cùm terram iam nauibus teneret, in ora Africæ delatus ad locum deſertum, quem Menelai portū nuncupant, deceſsit: poſtquàm annos vixit quatuor & octoginta, Lacedæmone regnaſſet vnum ſupra quadraginta. ex quibus amplius triginta maximus & potentiſsimus fuit, totiusꝙ penè Græciæ imperator & rex vſꝙ ad pugnam Leuctricam habitus. Moris erat Laconici aliorum peregrè defunctorum ibidem corpora funerare & relinquere, ſed regum domum referre. At comites Ageſilai Spartiatæ mellis penuria cadauer eius cera conditum Lacedæmonem reportauerunt. Filius eius Archelaüs accepit regnum. quod ſtirpi permanſit ad Agim vſꝙ. quem parantem vetera reducere inſtituta quintum ab Ageſilao Leonidas interemit.

Nectanabis regis in Ageſilaū liberalitas.

Ageſilai mors.

Ageſilai cadauer cera conditum, mellis defectu.

Pompeius.



OPVLI Romani mox à primo eundem in Pompeium animum apparet fuiſſe, qui in Herculem apud Aeſchylum fuit Promethei. cuius ab eo conſeruati hæc verba ſunt:

Hoſtis patris gnatus mihi chariſsimus.

Neꝙ enim odium extitit populi Romani aduerſus ducem alium adeo graue & ſæuum, vt aduerſus parentem Pompeij Strabonem. cuius pauentes in armis vim (fuit enim bellator fortiſsimus) poſtquàm fulmine ictus expirauit, corpus eius, dum exportatur, ex lecto detraxere atꝙ omni ignominia affecere. Neꝙ ſtudium verſa vice ardentius vel maturius ortū, vel vnà cum ſucceſsibus eius effloreſcens, vel comitans collapſum Romanorum quàm Pompeius fidelius habuit vllus. Odij cauſa illi vnà inexplebilis pecuniæ cupiditas fuit: huic, cur diligeretur, multæ: vitæ temperantia, rei militaris ſcientia, facundia in dicendo, fides morum, comitas in conueniendo: qui nemine minus importunè rogabat, vel hilarius largiebatur roganti. Oſtendebat enim in dandis beneficijs ſerenitatem & grauitatē in accipiendis. Vultu initiò præditus fuit non mediocriter gratioſo, qui præueniebat eius orationem. Nam Veneres eius grauitatis erant cum humanitate coniunctæ plenæ, atꝙ in vigore floreꝙ iuuentutis ſenilis elucebat & regia maieſtas. Iam modicè ſurrecta coma, oculorumque lenis modulatio reddebat faciei eius vſurpatā magis ſermonibus quàm repræſentatam cum Alexādri regis ſtatuis ſimilitudinem. ob quam nomen etiam multis ei Alexandri in principio tribuentibus non defugit id Pompeius. Vnde appellabant quidam eum iam per ludibrium Alexandrum. Quapropter L. Philippus vir conſularis agens pro eo nihil ait facere ſe abſurdi, quòd Philippus cùm eſſet, cupidus foret Alexandri. Floram meretricem aiunt natu iam grandiorem ferè ſemper commemorātem ſuam cum Pompeio conſuetudinem dicere ſolitam, non potuiſſe ſe ab illius cōcubitu ſine aculeo diſcedere: narraſſe præterea Floram ſui deſiderio familiarem Pompeij Geminium flagraſſe multumꝙ ipſam attentando fatigaſſe: cùm negaſſet Pompeij cauſa ſe eum admiſſuram, egiſſe cum illo Geminiū: ac conceſsiſſe quidem id Geminio Pompeiū, verùm nunꝙ poſtea ipſam, quamuis amare videret, attigiſſe vel conueniſſe. Id ſe nō meretricia leuitate tuliſſe, verùm ex mœrore & deſiderio perdiu ægrotaſſe. Et quidē Florā referūt vſꝙ adeo floruiſſe ac fuiſſe celebratā; vt Cecilius Metellus, cùm ſignis & tabu-

Pompeij pater Romæ odio habitus.

Romanorum in Pompeiū amor.

Pompeij forma.

Flora meretrix dilexit Pompeium.

Floræ meretricis forma.

lis pictis ædē Castoris exornaret, vnà illius pictam imaginē ob venustatē ibi dedicaret. Pompeius etiā liberti sui vxorem Demetrij, qui apud ipsum polluit plurimū, & ad millies HS. in censu reliquit, præter ingenium suum nec benignè nec liberaliter habuit, metuens ne incomparabili eius formæ & decantatæ elegantiæ haberetur obnoxius. qui licet tam anxiè & procul circumspectus fuit & suspensus, non effugit tamen iniquorum hac in re insectationem, verùm vxorum causa laceratus est multa de publico ambitione in illas condonare & largiri. In victu quàm facilis & communis fuerit, etiam hoc refertur dicto: Medicus valetudine tentato & cibum fastidienti turdo vesci imperauit. quem cùm non inuenirent venalem: quòd intempestiuum esset, quidam autem subijceret inuenturos apud Lucullum, vbi per totum annum alerentur: Et nisi, inquit, luxuria difflueret Lucullus, Pompeius non viueret? Ita salutem dicens medico vsus est cibo parabili. Sed hæc infrà. Cùm sub patre, qui bellum gerebat contra Cinnam, adhuc admodum adolescens mereret, L. quodam Terentio vtebatur familiari & contubernali. Hic pecunia à Cinna redemptus susceperat Pompeium occidendum, alij inflammandū ducis tabernaculum. Ea re Pompeio super cœnam nunciata nihil perculsus, sed largiore etiam vino vsus est, atque in Terentium profusus hilariùs. Vbi cubitum discessit: subduxit se clàm tentorio, ac munito statione patre, quieti se dedit. Terentius, vt res matura visa, districto ense surrexit, accedensq; ad torum Pompeij quasi somno strati multos in stragula dedit ictus. Hinc ingens motus ducis odio exortus & ardor ad defectionē militum tentoria reuellentium & arma capientium. Dux tumultus terrore nō est progressus. Pompeius verò conijcit se in medium illorum & supplex eos cum lachrymis est deprecatus. Postremò pro porta castrorum abiecit se in os, atque ibi iacuit obstaculo plorans, & exeuntibus iubens, vt conculcarent se. Ita verecundia quisque deterritus recessit, omnesq; octingentis exceptis mutauerunt animum, atque cum duce in gratiam redière. Sub recentem Strabonis decessum Pompeius nomine eius peculatus postulatus pecuniam publicam maximè ex parte deprehendit, atq; ab vno libertorum suorum auersam Alexādro in iudicio probauit. At plagas & libros eum Asculi captos obiectum fuit habere. Acceperat quidem ea expugnato Asculo à parente, sed amiserat: quòd ea satellites Cinnæ, cùm in vrbem ille rediret, impetu in ipsius domum facto diripuissent. Huius iudicij non paucas habuit cum accusatore prolusiones. in quibus acrem se & supra ætatem constantem probans tantum nomen & fauorem comparauit: vt prætor Antistius eius iudicij quæsitor Pompeium in oculis ferret, filiamq; suam ei nuptum offerret, deq; ea re ageret cum amicis eius. quam conditionem accepit Pompeius. Quamuis autem facta in arcano essent sponsalia, non fefellit res tamen propter studium in eum Antistij plebem. Tandem cùm sententiam, qua iudices Pompeium absoluerant, pronunciasset: populus quasi signo dato acclamauit illud, quod de more antiquitùs in nuptijs acclamari solet, Talasio. cuius moris hanc referunt originem: Cùm Sabinorum filias, quæ Romam ad spectaculum ludorum commeauerant, primores virtute Romani ad connubium raperent: abduxerunt ignobiles quidam caprarij & bubulci puellam elegantem & proceram. Hi, ne eam aliquis occurrens ex principibus eriperet sibi, inter currendum Talasio clamauerunt. Erat autem ex probis & claris Talasius. Vnde qui audiuerunt nomen, applauserunt conclamaueruntq; quasi congratulantes & comprobantes. Inde aiunt (quia feliciter cessere Talasio hæ nuptiæ) plausum hunc ducentibus vxorem dari per ludum solere. Hæc mihi historia ex ijs, quæ referuntur de Talasio, propior vero videtur. Paucis pòst diebus Antistiam sibi Pompeius matrimonio adiunxit. Postquàm ad Cinnam in castra profectus ex crimine quodam & calumnia metuere sibi cœpit, citòq; se inde subduxit: cùm nusquam compareret, per castra rumor & sermo peruasit, interfectum à Cinna adolescentem esse. Hinc iampridem illum grauati & infensi impressionem in eum fecere. Ille fugiens & occupatus à quodam manipulidu ctore, qui stricto ense insequebatur eum, submisit se huic ad genua, eique sigillum suum magni pretij obtulit. Ille cùm eum increpasset perquàm insolenter: At ego non ad sponsionem signandam adsum, sed ad nefarium & sceleratum tyrānum puniendum: eum obtruncauit. Ad hunc modum sublato Cinna imperium suscepit & administrauit longè illo tyrannus vecordior Carbo. Iam aduenerat Sylla ob præsentia mala desideratus à plerisque omnibus, qui non mediocre bonum domini mutationem ducebant. Eo reciderat miseriarum ciuitas, vt libertatis desperatione seruitutem quærerent quàm lenissimam. Agebat id temporis in Piceno Italiæ Pompeius. Habebat quidem

Pompeij in victu facilitas.

L. Terentij in Pompeiū proditio.

Pompeius peculatus postulatus.

Talasio, vt clamarēt in nuptijs Romani, causa.

Pompeius Antistiam ducit.

Cinnæ cædes.

Pompeij primus ducatus sub Sylla.

quidem illic etiam prædia, verùm magis, quòd municipijs duceretur, quæ familiæ ipsius studiosa & cupida erant. Qui vt clarissimos & optimos quosque vidit relictis fortunis suis vndique tanquam in portum in Syllæ castra concurrentes: noluit ipse sicut profugus, vel vacuus, vel auxilij indigus: sed cum beneficio splendidè ac cum manu ad illum proficisci. Itaque solicitauit mouit'que Picentes. qui propenso animo se ei dederunt, reiecerunt'que missos à Carbone. Cùm Vindius quidam iactasset Pompeium ex ludo inter illos subitò concionatorem emicare: vsque eò exarserunt, vt statim impetu facto Vindium trucidauerint. Hinc Pompeius annos natus tres & viginti capessens imperium tribunali in foro Auximi magnæ vrbis excitato principibus ibi duobus fratribus Ventidijs res ad Carbonem trahentibus edicto excedere vrbe imperauit, tum delectum habuit, manipulorum ordinumq; ductores sigillatim ordine constituit.

Pompeius annos tres & viginti natus capessit imperium.

Inde circumiecta oppida eodem consilio adijt. Fugientibus & cedentibus omnibus, qui à Carbone stabãt: alijs ei se libenter adiungentibus, breui spatio tres integras legiones conscripsit: commeatum, iumenta & vehicula portandis impedimentis, omniaq; necessaria expediuit. Tum ad Syllam iter intendit, non raptim, nec latibula quærens: sed lentis itineribus hostes premens, & quamcunque adibat Italiæ partem, eam retrahere tentans à Carbone. In eum tres vnà hostium duces, Carinna, Cœlius, & Brutus sunt coorti, non à fronte omnes neque eadem ex parte: sed exercitibus tribus vndique circunfusi tanquam semel obtrituri eum. Nec expauit ideo, sed cunctis in vnum contractis copijs in vnum Bruti exercitum impetum conuertit: equitesq;, in quibus ipse erat, ante signa collocauit. Pariter ab hostibus infestus euectus est Gallicus equitatus. cuius primum & valentissimum occupauit cominus lancea ferire & prosternere. Tum terga dantes peditatum quoque conturbauerunt. Ita omnes in fugam effusi. Hinc duces inter se distracti, & quo quemque sors tulit, sunt dilapsi.

Pompeij de Marianis victoriæ.

Pompeio oppida se adiunxerunt tanquàm metu diuulsis hostibus. Mox consule eum petente Scipione, priusquàm intra pilorum iactum venissent acies, Scipionis milites salutauerunt milites Pompeij, ac transitionem fecerunt. Scipio cepit fugam. Ab ipso deniq; Carbone ad Arsiam amnem multas turmas equitum immissas fortiter excepit, profligatosq; in loca iniqua et inequitabilia terga eorum cædens omnes redegit. qui salutem nullo modo explicari videntes posse: dediderunt se ei cum armis & equis. Nondum hæc nunciata Syllæ fuerant. Ad primos nuncios & rumores illi timens à tam multis et tantis circumuento hostium ducibus properè suppetias iuit. Eum appropinquare Pompeius certior factus, legatis imperat, vt exercitum arment & instruant: quo quàm pulcherrimam speciem præbeat imperatori. quippe magnos expectabat ab eo honores, assecutus est autem maiores.

Pompeius coniungit se Syllæ.

Nam vt eum vidit Sylla accedentem, & exercitum præstò delecta insignem iuuẽtute, tantisq; rebus perpetratis elatum & erectum: desilijt ex equo. Salutatus, vt par erat, imperator Pompeium vicissim imperatorem salutauit. quod expectauerat nemo: vt iuueni & nondum in senatum allecto hoc nomen, de quo cum Scipionibus & Marijs bello certabat, esset participaturus Sylla.

Pompeius à Sylla appellatus imperator.

Primæ comitati cætera consentanea fuere. Adeunti assurgebat Pompeio & caput adaperiebat. quæ non temerè deferre eum cerneres alteri, quamuis multi cum eo & egregij viri essent. Nihil est tamen his inflatus Pompeius. verùm cùm ab eo mitteretur in Galliam, quam obtinens Metellus nihil videbatur dignum viribus ijs, quæ ibi erant, efficere: non rectè neque ordine dixit maiori natu & dignitate præcellenti extorqueri ab se prouinciam. Sin peteret & vellet Metellus, vt auxilium & opem ei ferret, paratum se esse.

Pompeius suppetias fert Metello in Galliam.

Approbante id Metello & per literas, vt veniret, contendente irruptionem in Galliam fecit. vbi cùm ipse per se edidit facta mirifica, tum bellicum Metelli vigorem ardoremq; à senio iam marcescentem denuò excitauit & inflammauit: quomodo fusum & candens æs, si concreto & gelido circumfusum sit magis quàm ignis dicitur id dissoluere & colliquefacere. Sed enim vt athletæ primatum inter alios tenentis, qui ex omnibus certaminibus semper claram reportauit palmam, non numerant pueriles victorias, neque eas literis mandant: ita quas tum res Pompeius gessit, quantumuis per se eximias, insequentium frequentia & magnitudine certaminum bellorùmque obrutas veremur attingere. ne prioribus diu immorati maxima & potissima, ex quibus ingenium & mores eius elucescunt, non assequamur facta.

Pompeij victoriæ innumerabiles.

Postquàm ergo rerum in Italia Sylla potitus atque dictator est dictus: cæteros remunerauit legatos & duces suos, opibus augens eos, ad honores prouehens, largiensq; cumulatè & liberaliter ea, quæ quisq; postulabat: Pompeium verò ob virtutem

suspi-

suspiciens, magnumq; ducens rationibus suis præsidium elaborauit quouis modo eum propinquitate sibi conglutinare. Comprobante id vxore eius Metella induxerunt Pōpeium,

Pompeius dimissa Antistia Aemiliā ducit Syllę filiam.

vt dimissa Antistia priuignam Syllæ Aemiliam Metella & Scauro genitam duceret vxorem, quæ alteri iam nupta vterum tunc gerebat. Fuerunt tyrannicæ hæ atque Syllæ potiùs temporibus, quàm Pompeij congruentes moribus nuptiæ: dum grauida Aemilia ab altero ad illum abstrahitur, & expellitur Antistia ignominiosè misereq;: vt quæ patre quoque nuper viri causa orbata esset.

Antistij cædes.

Antistius enim, quòd Pompeij causa stare ab Sylla putaretur, fuit in curia interemptus. Mater eius hoc vidēs mortem sibi vltrò consciuit. Ita hæc quoq; istarum nuptiarum tragœdiæ accessit calamitas, & verò etiam mox parientis apud Pompeiū interitus Aemiliæ. Inde nunciatur Syllæ Perpennam Siciliam tenere, atq; aduersarum partium reliquijs præbere illam insulam receptaculum: suspensum ibidem cum classe Carbonem, & Domitium inuasisse Africā, aliosq; frequentes claros exules, qui proscriptionem fuga anteuerterant, eò contendere.

Pompeius à Sylla in Siciliā missus.

In hos Pompeius magnis copijs missus. Perpenna statim ei Sicilia cessit. vbi afflictas ciuitates Pompeius recreauit, omnibusq; præstitit se humanum extra Mamertinos Messanæ. Detrectantibus enim tribunal suum & iurisdictionem, à qua contendebant veteri populi Romani formula se esse exemptos: Non desinetis nobis, inquit, gladio accinctis citare leges? Adhęc visus est parum humaniter Carbonis miserijs insultasse. Si enim necessitas ei erat, vt erat fortassis, illius interficiēdi imposita: statim, vbi ceperat eum, oportebat: & esset illi, qui iusserat, ascriptum.

Carbonis cædes

At hic vinctum produxit virum, qui ter Romanus consul fuerat, ac de eo pro tribunali posito ipse sedens quæstionem habuit indignante & grauiter ferente corona. Inde abduci iussit eum & trucidari. Abductum aiunt, vt vidit gladium stringi, locum & spacium breue ad exonerandam concedi aluum flagitasse.

Q. Valerij cædes.

Addit C. Oppius Cæsaris familiaris sæuum Pompeium etiam in Q. Valerium extitisse: cùm enim sciret humanitatis & literarum inter paucos studiosum Valerium, vt actus ad ipsum est, seduxisse illum & deambulasse vnà: vbi accepit & didicit ab eo, quæ cupiebat, imperasse lictoribus, vt ilicò auferrent eum & interficerent. Cæterùm Oppio, cùm de Cæsaris hostibus vel inimicis agit, non temerè adiungenda fides est. Pompeius verò in Syllæ hostes, quorum prima dignitas erat, & apertè capiebantur, necesse habuit animaduertere. Cæteris, quotquot licuit, conniuit latentibus, nonnullorum etiam fugam adiuuit. Cùm Himerenses, qui in hostium partibus steterant, deliberatum haberet punire:

Sthenis liberè dictum.

Sthenis multitudinis dux postulata dicendi potestate: iniquè facturum Pompeium ait, si misso facto authore plecteret insontes. Quærente Pompeio quem'nam authorē iactaret? semetipsum nominauit Sthenis, qui ciues sui studiosos induxisset, alienos coëgisset. Delectatus libera illius oratione & fidentia Pompeius hunc primùm, deinde alios omnes crimine liberauit. Milites cùm acciperet in itinere flagitia committere, gladios eorum obsignauit. qui signū amouisset, in eum consuluit. Dum hæc in Sicilia gerit & administrat, senatusconsultum & ab Sylla accepit literas: quibus præcipiebatur ei, in Africam vt traijceret, & Domitiū acriter bello persequeretur. Coëgerat ille longè maiorem manum, quàm non ita pridem ex Africa Marius in Italiam transportauerat, rem'que publ. Romanam miscuerat totam ex exule factus tyrannus.

Pompeij in Africam sub Sylla cōtra Domitium expeditio.

Pompeius ergo omnibus nauiret comparatis Siciliæ Memmium, qui sororem suam in matrimonio habebat, pręfecit. Ipse soluit longis nauibus centum viginti: onerarijs, quibus commeatus, tela, stipendiū, tormenta portauit, octingentis. Vt decurrit parte classis Vticam, parte Carthaginem: sęptem millia ab hostibus defecere atq; ad eum transiere. Habebat ipse sub signis sex completas legiones. Ibi ei proditum est memoriæ rem accidisse ridiculam. Inciderant milites aliquot, vt fertur, in thesaurum, ac magna vi argenti erant potiti. Re vulgata locum eum alij omnes existimauerūt argenti plenum esse per superiores Pœnorum clades ibi reconditi. Nihil igitur vti Pompeius militibus potuit per multos dies thesauros scrutantibus: sed obambulauit ridens, cùm contemplaretur tot millia in fodiendo & vertendo campum occupata, quoad deposita spe dixerūt Pompeio: duceret quò liberet, satis se pœnarum dedisse stultitiæ suæ.

Pompeius Domitiū cum exercitu concidit.

Stabat cum infesta acie Domitius, atque conuallem prætentam habebat transitu arduam & asperam. Ibi largus cum vento imber diluculò exorsus occupauit eos. Ita Domitius illo die non expectans prælium vasa conclamari iussit. Id suum rempus Pompeius ratus, raptim agmine facto transmisit conuallem. Illi incompositi & tumultuantes, neque vnà omnes neque pariter impressionem excepere, veritusq; circumagens se procellam incus-

sit

sit illis aduersam. Turbauit autem tempestas Romanos quoq; non satis inter se conspicientes, atq; ipse non agnitus penè interijt Pompeius: quòd quærenti signum militi tardiùs responderit. Fusis magna strage hostibus (feruntur enim ex viginti millibus effugisse solùm tria millia) Pompeium exercitus imperatorem consalutauit. Quo negante eum honorem se agnoscere, dum starent hostium erecta castra: si ea se appellatione dignarentur, priùs illa conuellenda. Igitur ruunt ad vallum. Pompeius prioris casus metu sine galea præliatur, castra expugnantur, cadit Domitius: vrbes partim extemplò in deditionem concedunt, partim expugnantur. Capit etiam regem Iarbam Domitij socium, cuius regnum Hiempsali permittit.

Pompeius capit regem Iarbam.

Vtens secunda fortuna & exercitus virtute Numidiam inijt, multorumq; dierum iter prouectus omnibus, qua transijt, subiugatis: & Romani imperij timore, qui apud barbaros iam obliteratus erat, denuò firmato & terribili reddito: nec feras ait Africam incolentes ignaras virtutis & felicitatis Romanæ relinquendas. Itaque in leonum & elephantorum venationem paucos insumpsit dies. omnibus, vt aiunt, quadraginta, annum tunc agens quartum & vigesimum hostes oppresit, Africam subegit, regna regumq; negocia composuit. Regresso Vticam literæ ab Sylla redduntur imperante, vt reliquum exercitum dimittat, atque vna cum legione præstoletur ibi successorem. Ea res occultè torsit & grauiter momordit Pompeium.

Militũ in Pompeium amor.

Exercitus verò apertè fremuit, atque orante Pompeio, vt in Italiam proficiscerentur, & Syllam insectati sunt, & illum negauerunt se relicturos, monueruntq; ne crederet tyranno. Hos Pompeius mollire primùm & lenire enisus est. Vbi nihil profecit, digressus de tribunali in tabernaculum se lachrymabundus recepit. Illi eum corripiunt, atq; in tribunali reponunt: magnaq; diei pars consumpta est his commonentibus, vt maneret & imperaret: illo rogante, vt obtemperarent nec mouerent seditionem. quousque instantibus his & clamore insurgentibus iurauit, si pergerent vrgere, se ipsum interfecturum, vixq; sic sedati sunt. Ad Syllam primùm allatum est Pompeium defecisse. Ibi iactauit ille apud amicos, esse omnino in fatis sibi, in senectute vt colluctaretur cum pueris. propterea quòd etiam Marius ei admodum adolescens plurimum negocij exhibuisset, atq; in extremum adduxisset discrimen. Pòst allato vero nuncio, cùm omnes mortales animaduerteret ad excipiendum benignè Pompeium & procedendum obuiàm effusos, tetendit eos vincere, progressusq; prodijt illi obuiàm, ac complexus eum animo propensissimo, Magnum alta voce appellauit, astantibusq; hoc nomine eum iussit salutare.

Pompeius à Sylla Magnus appellatus.

Alij in Africa primùm ferunt ita ei fuisse ab vniuerso exercitu acclamatum, sed fuisse eam ratam appellationem, vbi fuit ab Sylla comprobata. Omnium ipse tamen nouissimus diuq; pòst proconsul in Hispaniam contra Sertorium missus nominis inuidia ob consuetudinem iam abolita cœpit in epistolis & edictis se Magnum Pompeiũ scribere. Vnde meritò commendes & in admiratione habeas priscos Romanos, qui eiuscemodi appellationibus & vocabulis non bellicas modò & militares remunerauerint palmas, verùm etiam actiones & artes vrbanas.

Maximi, à populo Rom. duo dicti.

Duos populus Maximos dixit: Valerium, quòd dissidentem ab se senatum in concordiam secum reduxisset: Fabium Rutilianum, quòd locupletes nonnullos libertinæ stirpis in senatũ allectos eo ordine mouisset. Inde triumphum petenti negauit Sylla. siquidem consuli vel prętori tantùm eum, nemini præterea per legem permitti. Quamobrem Scipionẽ superiorem, qui maioribus & nobilioribus certaminibus Pœnos vicerat in Hispania, quòd nec consul esset nec prætor, non postulauisse triumphũ. Quòd si Pompeius penè adhuc imberbis qui senator propter ætatem non sit, triumphans in vrbem inuehatur: inuidiosum planè & sibi imperium & illi fore honorem. Hæc apud Pompeium Sylla allegauit, non permissurum se ostendens ei triumphum, sed si pergeret contendere, repugnaturum & intercessurum. Enimuerò nihil trepidauit ideo Pompeius, verùm reputãdum prædicauit Syllæ, Plures solem orientem quàm occidentem adorare: innuens suam increscere, illius decrescere potentiam. Id Sylla non satis intellexit: sed cùm videret eos, qui audiuerant, vultu & gestu obstupefactos, rogauit, quid dictum esset? Vbi accepit, Pompeij audacia defixus bis deinceps exclamauit, Triumphet, triumphet.

Pompeius nondũ senator contra legem triũphat.

Multis indignantibus & stomachantibus, quò magis, vt dictitant, eos pungeret Pompeius: aggressus est curru elephantis iuncto vrbem inire. Complures enim de rege Iarba captos ex Africa adduxerat. sed quia erat angustior porta, destitit & transijt ad equos. Cùm milites præmia nõ pro spe sua cõsecuti interpellare triumphũ & obstrepere ei vellent: non morari dixit se, verùm citiùs dimissurũ triumphũ, quàm ipsis assentaturũ. Hîc Seruilius vir illustris, qui imprimis fuerat triũpho Pompeij aduer-

aduersatus: Nunc, inquit, Pompeium video & Magnum verè & triumpho dignū. Non ambigitur, vt in amplissimum ordinem cooptaretur, facilè eum obtinere, si voluisset, potuisse. cæterùm non institit, vt perhibent, gloriam ex re inaudita captans. Neque enim fuisset mirum, si senator ante ætatē factus Pompeius esset: sed supra splendorē omnem, quòd triumpharet nondum senator. Id etiam studium plebis ei maiorem in modum cōciliauit. siquidem gratum populo fuit, quòd à triumpho inter equites censeretur. At Sylla premebatur, cernens in quantum gloriæ & potentiæ insurgeret. cæterùm impedire erubescens quieuit, extra quam cum vi & se inuito Lepidi petitionem adiuuit, illumq́ prouexit ad consulatum, populi ei studiū sua gratia adiungens. Digredientem cum magna frequentia Sylla cernens per forum: Video te adolescens, inquit, sublatum victoria. Egregium verò et præclarum factum Catulo omnium optimo et eterrimum omnium Lepidum te populum impellente consulem renunciatum priorem fuisse. Tu tamen modò caue dormias, sed intende rebus tuis. Aduersariū enim te reddidisti valentiorem.

Pompeij fauore Lepidus consul creatur.

Sylla à Pompeio alienatus.

Declarauit autem non obscurè Sylla alienum à Pompeio animum testamenti sui tabulis. quippe cæteris amicis legatum reliquit, liberisq́ tutores nuncupans Pompeium prorsus præterijt. quod hic tamen perquàm tulit moderatè & ciuiliter. Atq; vbi cum nonnullis alijs Lepidus obstitit, ne corpus illius in comitio funeraretur, nec publicè efferretur: auxilio fuit, decusq́ & securitatem præstitit exequijs.

Lepidus resuscitat bellū ciuile.

Postquàm mox sub excessum Syllæ illa vaticinia in lucem prodiere, & intrudens se in illius dominationem Lepidus, nulla circuitione vsus est vel simulatione, sed repentè arma cœpit: exulceratasq́ iamdudum & Syllæ elapsas partium reliquias excitauit de integro, atq; his se succinxit: collega autem eius Catulus, ad quem aggregauit se integra & sanior pars senatus populiq́, modestiæ ac iustitiæ existimatione in ciuitate id temporis præcellebat: verùm rector togæ accommodatior habebatur quàm castris: rebus ipsis Pompeium requirentibus non diu ille suspensus fuit, quò se conuerteret, sed adiunxit se optimatibus, ac dux exercitus est contra Lepidum designatus. Ille iam magnam Italiæ partem subegerat, & duce Bruto obtinebat exercitu Galliam cisalpinam. Pompeius reliqua quidē suo conspectu facilè oppressit. verùm Mutinæ in Gallia perdiu castra collata Bruti castris habuit. Interea Lepidus Romam ruit, & mœnibus assidens secundū consulatum postulauit magna colluuie territans populum. Hanc formidinem allatæ à Pompeio literæ discussere, bellum sine certamine esse perpetratum. Brutus enim, quia vel exercitum ipse tradidit, vel transitionem ille cùm faceret, proditus fuit: vitam suam in Pompeij permisit fidem: acceptisq́ equitibus, qui se comitarentur, in oppidulum quoddā Galliæ circumpadanæ recessit. vbi postero die immisso per Pompeium Geminio est interfectus.

Brutus pater à Pompeio occisus.

Qua de causa vehemēter est laceratus Pompeius. qui enim mox ab initio transitionis scripserat ad senatum Brutum vltrò ad se transgressum, misit denuò alteras literas, quibus insectatus est interemptum. Huius Brutus, qui cum Cassio Cæsarem occidit, filius fuit, vir patris neq; in bello gerendo neq; in morte similis, vt in illius historia explicuimus.

Lepidi mors.

Porrò Lepidus confestim Italia eiectus profugit in Sardiniā. vbi morbo correptus expirauit, fractus animo non ob res perditas, vt autumant: sed cùm esset nactus epistolium, ex quo stuprum vxoris comperit.

Sertorij in Hispania virtus.

Lepidi longè dissimilis Hispaniam tenebat Sertorius, ac Romanis terribilis impendebat. ad quem sicut extremum bellorum morbum hostes domestici confluxerant. Hic multos iam inferioris ordinis duces interemerat. tunc verò cum Metello Pio colluctabatur claro illo quidem & strenuo viro: sed qui segniùs ob senium articulos belli vrgere, lentiusq́ videretur instare rebus, quę torrente pernicitate rapiebantur Sertorij. qui proiecta audacia & latrocinantis potiùs more cum illo agebat, insidijsq́ & circumcursitationibus virum perstringebat certaminum athletam legitimorum atq; exercitus statarij & grauis ducem. Eò Pompeius, quòd exercitum haberet sibi permissum, enitebatur vt ad opem Metello ferendam mitteretur. Nec quamuis præcepit Catulus, dimisit exercitum: sed hæsit in armis circa vrbem, semper habens, quid prætexeret: donec L. Philippo referente illam prouinciam ei decreuere. Quo tempore aiunt rogante quodam in senatu & mirante, Pompeium an pro consule Philippus esset in Hispaniam missurus: Non tantùm, inquit, pro consule Philippus, sed pro consulibus, notans ambos illius anni consules nullo numero esse.

Pompeij in Hispaniam contra Sertorium expeditio.

Vt Hispaniam attigit Pompeius, & vti solet, ad noui imperatoris famam noua spe homines erexit, ac quæ non arcta fide cum Sertorio coierant gentes, motæ sunt & transiuerunt. Arrogantes sermones de Pompeio Sertorius dissipauit, & per ludibrium ferula iactauit se & loro puerum hunc castigaturū, nisi anum illam

forma-

formidaret, Metellum significans. Reuera tamen vehementer cauens & timens Pompeium bellum gerebat circunspectiùs. Etenim Metellus, quod nemo expectasset, admodum delicijs diffluens solutè viuebat, magnaq; extiterat apud eum & repentina ad fastum luxumq; mutatio. Ita ea quoq; res singularem Pompeio cum laude beneuolentiā adiungebat: quòd vitæ frugalitatem intenderet. in quo non magnoperè tamen elaborādum habuit. siquidem sua sponte temperans erat & moderatus in libidinibus.

Metelli deliciæ & fastus.

Cùm autem varia belli forma esset: nihil Pompeium magis pupugit, quàm cùm Lauronem expugnauit Sertorius. quippe cinctum ratus, cùm insuper esset certa magniloquentia vsus, semetipsum conspexit subitò vndiq; circumuentum: atq; ideo non ausus se mouere oppidum illud sub oculis suis aspexit inflammari.

Pompeio inspectāte expugnauit Sertorius Lauronem.

At Herennium & Perpennam viros militares, qui ad Sertorium confugerant, huiusq; legatos fudit circa Valentiam, occidit amplius decem millia militum. Hoc facto elatus & inflatus in ipsum mouit Sertorium, ne in societatem victoriæ veniret Metellus.

Pompeius Herennium et Perpennam fundit.

Ad Sucronem amnem præcipite iam in vesperum die signis collatis concurrere, veriti ne superueniret Metellus: hic, quò solus: ille, quò cum solo dimicaret: sed prælium incerta victoria diremptum est. Vtriusq; enim alterum cornu vicit. Inter duces tamen laus penes Sertorium maior fuit. quippe hic fudit fugauitq; oppositum sibi cornu. In Pompeium verò vir vastus equitem pedes cum impetu intulit se. Vbi congressi sunt & pedem contulere, ensium ictus in vtriusque manum defluxere, sed impari modo. Pompeius tantummodò vulnus accepit, & illi manum detruncauit. Cùm in eum complures coorirentur, suis iam terga dantibus præter spem euasit.

Pompeij et Sertorij conflictus.

Pompeius à Sertorio fugatus.

Hostes equum eius comprehenderunt aureis phaleris & ornatu exquisito instructum. Dum hæc partiuntur, atque de his digladiantur inter se, amiserunt è manibus Pompeium. Prima luce vterque victoriæ obtinendæ causa instruxit ex integro aciem. verùm quia superuenit Metellus, Sertorius dissipato exercitu digressus est. Ita enim dilabebantur milites illius confluebantq;: vt crebrò Sertorius palaretur solus, crebrò rursus instar torrentis repentè intumescēs centum quinquaginta armatorum millibus ingrueret. At Pompeius, vt secundum prælium Metello obuiàm processit, atque in conspectu vtrinque fuerunt, honoris Metelli causa dignitate prioris summitti fasces iussit. Id prohibuit ille, præbuitq; cætera moderatum se Pompeio, neq; vllam sibi vt consulari & ætate maiori sumpsit prærogatiuam: nisi quòd signum, cùm vnis in castris tenderent, toti exercitui daretur à Metello. Nam castra ferè separata habebant.

Pompeij et Metelli modestia.

Dirimebat enim & distrahebat eos hostis anceps & mirus artifex in breui momento diuersis locis se ostendendi ab alijsq; ad alia certamina traducendi. Deniq; commeatum intercipiendo, agros fœdando, mare infestum habendo vtrumque ex ipsorum in Hispania prouincia, expulit coegitq; necessariorum angustijs in prouincias refugere alienas. Pompeius, qui maximam facultatum suarum partem in bellum impenderat & erogauerat, pecuniam postulauit à senatu addens, ni mitterent, deportaturum se in Italiam exercitum. Id temporis consul Lucullus erat, à Pompeio alienus. qui ambiens bellum Mithridaticum effecit, vt ei maturè stipendium mitteretur. Timebat prætextum cupienti Pompeio dare Sertorium omittendi, & conuertendi se in Mithridatem illustrem ad gloriam facilemq;, vt apparebat, aduersarium. Interea circumuentus ab amicis Sertorius interficitur. quorum summus Perpenna coryphæus illius facta exprimere aggressus est, ijsdem succinctus copijs & apparatu: at quod pariter moderaretur illis, consilium defecit eum. Perpennam cōfestim persequens Pompeius, & in rebus gerendis nutantem intelligens escam ei decem cohortes obiecit, quibus iussit se spargere per campum. Eò cùm ille se vertisset captaretq; hanc prædam, repentè incurrens prælium commisit, ac fuso fugatoq; illius exercitu plerique duces in acie occubuere. Perpennam ad se pertractum occidit, non ingratus nec immemor, vt quidam exprobrant, in Sicilia actorum: sed magna ratione & salubri toti reipubl. consilio. siquidem Perpenna cùm literas Sertorij in potestate haberet, epistolas protulit potentissimorum in vrbe virorum, qui præsentē rerum statum mouere & versare rempubl. cupientes Sertorium acciebant in Italiam.

Pompeius Perpennam vincit & occidit.

Quæ timens Pompeius, ne maiora, quàm restincta erant, excitarent bella, Perpennam necauit, & literas ne inspectas quidem concremauit. Inde tantisper in Hispania moratus, dum grauissimos tumultus sedasset, vlceraq; tractasset & composuisset maximè tumentia: exercitum in Italiam reduxit, auspicatò superueniens bello seruili, quod tum maximè vigebat. Quapropter dux belli illius Crassus maturauit præceps pugnæ aleam, victorq; fuit trecentis supra duodecim millia cæsis. Verumtamen fortuna etiam hoc de-

Pompeius literas Sertorij concremat: idem fecit Cæsar victo Pompeio.

Pompeius reliquias fugitiuorum delet.

cus ex parte ad Pompeium trahente quinque millia, quæ ex acie fugerant, in eum sunt delata. Quibus semel deletis occupauit ad senatum scribere Crassum gladiatores acie fudisse, se verò bellum radicitùs planè extirpasse. Atque hæc secundo populo Romano illius studioso audiebantur & dicebantur. Hispaniam verò & Sertorium ne per iocum quidem alteri quisquam nisi Pompeij virtuti in totum asscribat. In tanto Pompeij honore & expectatione inerat quædam suspicio & metus tamen non dimissurum eum exercitum, sed armis & dominatu apertè ad Syllæ perrecturum actiones. quare non pauciores timore adducti quàm beneuolentia redeunti salutandi causa prodierunt obuiàm.

Pompeius popularis.

Quam opinionem cùm amolitus esset Pompeius declarans à triumpho exercitum se dimissurum: vnum reliquum inuidis erat vellicare, quòd populum magis quàm senatum coleret: & cùm Sylla tribunos plebis sustulisset, restituere eos plebi & indulgere ei in animo haberet. quod verum erat. Nihil enim populus Romanus insaniore cupiditate prosecutus est, neque vllum magistratum recuperare atque eum desiderauit ardentiùs: vt Pompeius pro magna felicitate reputaret illius actionis occasionem. quòd beneficiũ reperturum non putaret se aliud, hoc si alius præripuisset sibi, quò ciuium repensaret fauorem. Igitur decreto ei altero triumpho & consulatu non perinde suspiciendus & magnus est habitus. verùm illud pro insigni habuerunt eius splendoris, quòd omnium eo tempore rempubl. gerentium opulentissimus, eloquentissimus, maximus, ipsiusq; despiciens Pompeij atque omnium aliorum non antè consulatum petere ausus esset Crassus, quàm Pompeium rogasset. Et sanè placuit id Pompeio, qui iam pridem eum aliquo officio & obsequio auebat prouocare: populumq; enixè prensauit orauitq;, ostendens haud minorem gratiam se collegæ quàm sui honoris gratia ei habiturum. Verumenimuerò declarati consules vbique dissenserunt occurfaruntq; sibi mutuò. In curia plus Crassus pollebat, ad populum multũ poterat Pompeius. Nam tribunos plebis ei reddidit, permisitq; vt iudicia iterum lege transferrentur ad equites. Gratissimum verò spectaculum populo se ipse præbuit, cùm militiæ vacationem postularet. Mos est equitibus Romanis, vbi legitimum tempus stipendiorum expleuerũt, vt equum in forum ad censores adducant: enumeratisq; singulis ducibus & imperatoribus, sub quibus meruerũt, acreddita militiæ ratione petant vacationem. Ibi & honos habetur & ignominia pro cuiusque vita acta. Sedebant tunc pro tribunali magna grauitate censores Gellius & Catulus, & transuehebant equites. Pompeius autem conspiciebatur supernè in forum descendens. Erat alijs quidem magistratus insignibus ornatus, sed equum manu trahebat. Vt propè accessit & cognitus est, lictoribus viam sibi facere iussis equum admouit rostris. Stetit populus stupore & silentio defixus. Censores verò ex ea specie simul verecundia & gaudium occupauerunt. Inde maior natu interrogauit eum: Quæro ex te Magne Pompei, ecquid omnia stipendia impleueris? Cui Pompeius alta voce: Omnia impleui, inquit, & meipso imperatore. Quod audiens populus conclamauit, neque sedari præ lætitia clamor poterat: sed consurgentes censores domum eum deduxerunt populo prosequenti & applaudenti gratificantes. Instante iam consulatus exitu, ac dissidio cum Crasso eius inualescente quidam C. Aurelius ex equestri ordine, qui procul à negocijs ætatem egerat, cùm haberetur concio, rostra conscendit. Progressus ait Iouem sibi in somnis oblatum iussisse consulibus nunciare: vt prius quàm magistratu abirent, redirent in gratiam. His dictis stetit tacitus Pompeius. Ibi Crassus prior dexteram porrigens, & eum appellans: Nihil, inquit, me indignum facere Quirites, neque abiectum reor, qui prior concedo Pompeio: quem vos adhuc imberbem appellare Magnum, & necdum senatori duos triumphos non dubitastis decernere. Hinc reconciliati deposuerunt magistratum. Et Crassus quidem in pristino vitæ curriculo perstitit: Pompeius verò aduocationes plerunq; defugiebat, & forum pedetentim relinquebat, rarusq; prodibat in publicum, atq; id semper magno cum comitatu. Neq; facile exinde erat sine frequentia eum vel conuenire vel videre: sed delectabatur cum multis & magno comitatu se ostendere, quò venerationem inde & maiestatẽ præsentiæ suæ conciliaret, ratus à colloquijs & consuetudine cum plebe seruandam dignitatem suam illibatam. quippe vita togata illis, qui per arma creuerunt, atq; à populari abhorrent æquabilitate, ad contemptum est lubrica. Volunt vt illic, ita hîc quoq; primum locum tenere. At illic qui sunt inferiores, ijs hîc certè non exuperare durum est. Vnde illum in castris & triumphis splendidum vbi in foro tenent, domant & premunt. Manus danti & cedenti castrensem honorem & potentiam ab inuidia relinquunt intactam. Id breui pòst res ipsa comproba-

Pompeij & Crassi primus consulatus. *Pompeius vt eques Rom. vacationem militiæ petit.* *Pompeius censuræ se subijcit.* *Pompeius & Crassus redeunt in gratiam.* *Pompeij iactantia et ostentatio.*

uit,

uit. siquidem piratarum potentia primùm ex Cilicia erupit, originemque habuit audacem & occultam. animos verò & confidentiam bello Mithridatico ceperunt, obsequijs regijs accommodantes se. Deinde dum bellis ciuilibus Romani ante portas vrbis concurrunt, vacuum custodibus mare sensim illexit illos & incitauit: vt non iam nauigantibus modò essent infesti, sed & insulas & oppida maritima vastarent. Iam pecuniosi etiam, natalibus clari, viri prudentia præcellere habiti naues prædatorias conscendebant & societati nomina dabant, quasi ea res laudem adderet & gloriam. Adhæc erant ijs multis locis naualia, portus piratici, & speculæ munitæ Pharique. Classes incursitabant nõ solùm delecta militum classiariorum & sociorum naualium iuuentute, gubernatorum arte, nauium pernicitate & agilitate ad munus suum instructæ: verùm etiam supra eorum terrorem inuidiosus stimulabat fastus. Auratis stylidibus, purpureis cortinis, remis inargentatis quasi sceleribus gestiebant gloriabanturque. Tibiæ, cantus, compotationes per omnia littora, principũ in captiuitatem raptus, vrbium redemptiones captarum suggillatio erant Romani imperij. Erant nauigia prædatoria supra mille, capta ab illis oppida quadringenta. Inuiolata & intacta ante id fana adorti expilarunt Clarium, Didymęum, Samothracium, Telluris Hermione templum, Aesculapij Epidauri: in Isthmo, Tenaro, Calauria Neptuni: Apollinis in Actio & Leucade: Iunonis Sami, Argis, in Leucadio. Peregrina sacra illa, quę peraguntur in Olympo, faciebant & mysteria quædam peragebant arcana. quorum Solis, Mithrem dicunt, etiam hac memoria mansere primùm ab illis monstrata. Maiorem in modum Romanis insultantes etiam vias eorum excensione facta infestabant & villas maritimas excindebant. Corripuerunt aliquando etiam duos prætores Sextilium & Bellinum prætextatos, accensosque & lictores cum illis ipsis abduxere. Capta fuit Antonij viri triumphalis filia rus proficiscens, & grandi pecunia redempta. Quod autem omnium fuit contumeliosissimum: vbi quis captus ciuem Romanum se esse clamauit, & nomen edidit: perculsos se fingentes trepidare, femora percutere, & genibus eius accidere, supplicesque vt veniã daret, precari. Ille abiectos bona fide & supplices arbitrari. Tum alij calceos ei inducere, alij toga velare: ne vltrà scilicet ignoraretur. Vbi ad eum modum diu hominem illuserant & deriserant, postremò admotis medio in salo scalis descendere & abire illæsum iubebant. Qui nollet, hunc ipsi præcipitatum demergebant. Hæc manus mare nostrum habebat infestum penè totum, prohibebatque nauigationem, & commercia emouebat. Id potissimùm pressos Romanos rei frumentariæ angustijs et magnam famem timentes impulit, vt ad vindicandum à piratis mare mitterent Pompeium. Legem Gabinius Pompeij familiaris rogauit, quæ non classis, sed planè in omnes mortales imperium & arbitrium concedebat liberum. Dabat enim ei imperium ea lex omnis intra columnas Herculis maris, cõtinentis totius ad quinquaginta à mari millia passuum. Hoc spacium Romani orbis plagæ sanè quàm paucæ excludebant. verùm id maximas gentes, potentissimosque reges complectebatur. Præterea permisit ei ex senatu deligere sexdecim legatos, quibus singulas prouincias demandaret. Argenti ex ærario & à publicanis, quantum liberet, nauesque ducentas sumere: militum sociorumque naualium, quantum visum esset, conscribere. Eam legem vbi recitata est, populus magno studio comprobauit. principibus verò senatus & potentissimis supra inuidiam quidem visa est, sed formidolosa illa immensa & infinita potestas. Itaque impugnauerunt legem Cæsare excepto. Hic legi suffragatus est, haudquaquam in Pompeij gratiam, verùm quò populum subiret atque in se circumageret. Cæteri acerbè lacerabant Pompeium. Alter consulum, qui ad illum dixit, Romuli vestigia sectantem non declinaturum illius exitum, ferè à multitudine discerptus est. Procedente ad dicendum contra legem Catulo magnum silentium tenuit reuerentia eius populus. Postquàm hic multis Pompeij laudibus candidè commemoratis suasit, vt parcerent ei, nec periculis & bellis alijs ex alijs talem virum obijcerent: Aut quem nam, inquit, habituri estis alium, hunc si amiseritis? Omnes vna voce succlamauerunt: Te. Ita Catulus, vbi nihil profecit, destitit. Roscio incipienti dicere nemo præbuit aures. tum ille digitis significauit, ne solum, sed addito collega designarent Pompeium. Ibi offensum populum adeo ferunt succlamasse, vt superuolitans foro coruus caligine captus atque in turbam sit delapsus. Vnde non probo aeris scissura & diuisione multùm agitati labascere aues, quæ decidũt: sed vocis percussas ictu, cùm effusè & violenter missa motum fluctusque excitauerit in aere. Atque tunc dimissa est concio. Quo die ituri in suffragia erant, Pompeius clàm rus profectus est. Nunciato legem esse perlatam, vt frequentiæ occurrentium inuidiam de-

Piratici belli initium.

Piratarum potentia & insolentia.

Piratarum sacrilegia.

Piratarũ in Romanos à se captos, ludibria.

Gabinij lex de imperio Pompeij contra piratas.

Ad populi Ro. clamorem, cecidit coruus.

clinaret, nocte ingressus est vrbem. Vbi diluxit, progressus in publicum sacrificauit: aduocataque concione præter illa, quæ fuerant ei lege concessa, multa obtinuit, geminauitque pene apparatum. Siquidem naues quingentas compleuit, peditum centum viginti millia, equitum quinque millia conscripsit. prætorios, & qui cum imperio fuerant, ex senatu viginti quatuor legatos delegit, quæstores additi ei duo. Mox pretia venalium laxata lætæ plebi sermones præbuere, ipso nomine Pompeij debellatum. Porrò partitus maria & interioris pelagi in tredecim sortes spacium, certum cuique nauium numerum & ducem attribuit, dispersasque quoquouersum manu incidentes cateruatim circumueniens piraticas naues, confestim euerriculauit eas atque in portus detraxit. Qui maturauerant distrahere se & euadere, hi in Ciliciam sicut aluearium vndique delati abdiderunt se: in quos ipse nauibus sexaginta præstantissimis contendit. Nec antè tamen intendit in illos cursum, quàm latronum citerioribus globis vndequaque mare Tuscum, Africum, Sardoum, Corsicum, Siculum diebus solùm quadraginta impigro suo labore & studio enixo legatorum expurgasset. Romæ cùm consul Piso ira & liuore apparatum eius labefactaret, & dimitteret classicos: circummisit classem Brundusium, ipse per Hetruriam Romam perrexit. Quo nunciato obuiàm effusi omnes sunt, quasi non paulò antè eum emisissent. Faciebat inexpectata conuersionis celeritas gratulationem foro omnium rerum copia superfluente. Vnde abrogatus penè est Pisoni consulatus. Habebat ea de re rogationem Gabinius iam conscriptam. cæterùm interpellauit & id Pompeius. atque vbi reliqua cum moderatione ad populum retulit, impetrauitque quæ desiderabat, Brundusium profectus soluit. Cùm tempore vrgeretur, vrbesque properans præteruehe retur: non est prætergressus tamen Athenas. Eò profectus dijs sacrificauit, ac cùm populum appellasset, mox discedens monasticha in laudem suam scripta legit, vnum intra portam:

Pompeij apparatus contra piratas.

Pompeij in Pisonem humanitas.

Quatenus te hominem putas, verè deus sis hactenus.

Alterum extra:

Præstolati te, venerati, vidimus, prosequimur.

Quoniam verò in quosdam ex ijs, quæ conglobata adhuc vagabantur in mari, prædonum examinibus supplices clementer consuluerat, acceptisque in deditionem nauibus et hominibus nulla re læserat eos: alij spe gratiæ concepta legatos refugerunt, & Pompeio se cum liberis & coniugibus deditum iuere. Ille omnibus his pepercit, & præcipue horum opera delitescentes adhuc, quòd atrocissimorum scelerum sibi conscij essent, indagauit ac cepit. Maxima pars horum & præualentissima proles suas, opes, & inutilem turbam in arcibus & oppidulis munitis ad montem Taurum seposuerant. Ipsi nauibus cõpletis ad Coracesion Ciliciæ instantem excepere Pompeium atque acie fusi mox obsessi sunt. Postremò missis caduceatoribus se, oppidaque, & insulas, quæ septa præsidijs tenebant expugnatu aspera atque inaccessa in deditionem eius permisere. Ita debellatum est, & prædonum manus vndique mari nõ maiore quàm trium mensium spacio exactæ. Naues complures alias, rostratas nonaginta accepit. Ipsos prædones plus viginti millia neque interficere statuit: neque vt dissiparentur, aut coirent de integro inopes & bellatores multi, sinere existimauit securum. Reputans autem hominem natura neque nasci neque esse indomitum animal vel ferum: sed efferari, si vitijs se præter naturam dederit: consuetudine verò locorumque & vitæ commutationibus cicurari, vel beluas victus vsu mitioris feritatem & sæuitiam deponere: deliberauit illos à mari in continentem transferre, & vita tingere humaniore, assuescentes vrbes & agros colere. Hos ergò partim exigua & minùs frequentia Ciliciæ oppida acceperunt atque in corpus suum contribuerunt agro aucta. Soliorum vrbem nuper ab Armeniorum rege desolatam Tigranes instaurans complures ibi collocauit. Multis etiam sedes dedit Dymæ in Achaia, quæ id temporis orba ciuibus erat, agrumque possidebat latum & opimum. Atque hæc quidem inuidi vellicabant. Illud verò, quod in Metellum perpetrauit in Creta, ne summi quidem amici probabant. Metellus enim illius gentilis, qui Pompeij in Hispania collega fuerat, prætor erat in Cretam priùs missus, quàm designata hæc prouincia Pompeio. Is secundum illum in Cilicia, alter fons erat piratarum, multosque illic deprehensos cepit atque interfecit. Superantes adhuc, qui circunsedebantur, caduceatoribus missis Pompeium in insulam accierunt vt illius prouinciæ partem atque incidentem in præscriptum à mari modum. Ille precibus eorum admissis interdixit Metello per literas bello. Insuper scripsit ciuitatibus, ne Metello dicto essent audientes, vnum'que ex legatis suis misit

Pompeij de piratis victoria.

Homines qua ratione domandi.

Pompeij factum contra Metellum improbatū.

L. Octauium, qui cùm obsessis includens se muris, atque cum his arma socians non modò odiosum & inuidiosum, verùm ridiculum quoque Pompeium reddidit: qui inuidia in Metellum & æmulatione hominibus nefarijs & impijs nomen suum accommodabat & velut amuletum appendebat authoritatem. Nam neque Achillem viri functum officio dixerunt, sed adolescentuli planè stolidi & animi ad gloriam impotentis: qui abnueret alijs & vetaret petere Hectorem:

Achillis improbatum factum. Iliad. 22

Ne decus auferret belli, si vulnera quisquam
Inflixisset ei, ferret verò ipse secundas.

Pompeium verò etiam conseruare armis instituisse hostes publicos tuerique, quò detraheret post labores exantlatos multos prætori triumphum. Haud cessit ei Metellus tamen: verùm piratas expugnauit sumpsitque de ijs supplicium. Octauium multis contumelijs & probris in castris affectum dimisit. Postquàm bellum piraticum patratum esse Romam est allatum, vacuumque negocijs Pompeium vrbes visere: vnus tribunorum plebis Manilius legẽ rogauit, qua legiones & prouincias, quas Lucullus habebat, dabat Pompeio. Addebat Bithyniam, quam Glabrio obtinebat: vt ille bellum cum Mithridate & Tigrane regibus gereret, retineretque classem & imperium maritimum, vt ab initio acceperat. Hoc erat vni semel subijcere totum imperium Romanum. Quas enim videbatur prouincias priore lege non obtinere, Phrygiam, Lycaoniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, superiorem Colchidem, Armeniam: hæ adijciebantur cum exercitibus & viribus, quibus Mithridatem & Tigranem deuicerat Lucullus. Cæterùm Luculli, qui magis rerum gestarum gloria & triumphi honore spoliabatur, quàm successorem accipiebat belli, quamuis affici iniuria illum atque ingratitudine putarent, minorem rationem ducebant optimates: Pompeij verò potentiam iniquè ferentes tanquam exorientem dominationem, cohortabantur concitabantque se mutuò, vt legi manum inijcerent, nec libertatem proijcerent. Instante rogationis die conciderunt populi metu animi eorum obticueruntque populi metu reliqui. Catulus solus legem grauiter dissuasit, atque populum increpauit. qui neminem cùm permoueret, senatum monuit identidem ex rostris vociferatus montem & rupem sicut maiores quærerent, ex quo refugio libertatem tuerētur.

Pompeius successor Lucullo datus.

Catuli in dissuadenda lege Manilia, pertinacia.

At lex omnium tribuum, vt fama est, suffragijs est perrogata, absentisque Pompeij permissa arbitrio sunt penè omnia, quæ armis & bello subacta ciuitate obtinuerat Sylla. Ille acceptis ea de re literis, nunciatoque plebiscito dicitur amicis astantibus & congratulantibus frontem cōtraxisse, ac femur percusisse, dixisseque, quasi molestè iam ferens & pertæsus imperij suscipiendi: Heu infinita certamina: quàm præstabat vnum fuisse de plebe, si nunquam finis erit bellandi, neque hac deposita inuidia ruri cum coniuge agam? Ea cùm diceret, ne per quidem familiares ferebant dissimulantiam eius, gnari eum, qui ambitionis atque imperandi cupiditatis simultatem cum Lucullo haberet igniculos, magis exultare. nempe eum etiam ipsa facta citò detexere. siquidem propositis vbique edictis milites reuocauit ad se, dynastasque & reges pacatos euocauit, prouinciamque ingressus ex actis Luculli immotum reliquit nihil. Imò pœnas etiam multis remisit, præmia ademit, hoc denique summo egit studio, vt admiratoribus illius demonstraret, nullius rei esse ei authoritatem. Quo per amicos expostulante cum eo visum est in colloquium venire.

Pompeij & Luculli dissensiones.

Congressi sunt in Galatia. Vt maximorum imperatorum & maximis rebus gestis laureatos fasces lictores gerentes inter se occurrere. sed veniebat ex regione Lucullus virenti & vmbrosa: Pompeius diu per nudam & rigentem iter fecerat. Igitur contemplati Luculli lictores retorridas Pompeij laureas marcidasque planè, ex recentibus suis participantes exornauerunt & redimiuerunt illius fasces. quod in omen vertere, Luculli victoriarum præmia & ornamenta Pompeium ablaturum. Erat Lucullus consulatus ordine & ætate prior, verùm amplitudo duobus triumphis maior Pompeij. Verumtamen primus eorum congressus inuicem res alterius gestas in cœlum ferentium ac de victorijs gratulantium quammaximè ciuilis fuit & comis. At in colloquio nulla modestia vsi vel moderatione, imò inter se vicissim inuecti sunt, hic in Luculli auaritiam, in ambitionem ille Pompeij, vt ab amicis ægrè dirempti fuerint. Hinc Lucullus in Galatia diuisit pro arbitrio captum de hostibus agrum, & dona alia dedit. Pompeius paulo longiùs castris positis interdixit, nequis ei pareret, milites abstraxit ab eo omnes præter mille sexcentos. quos ob contumaciā sibi inutiles & Lucullo ducebat infensos. Ad hæc palàm obtrectās rebus gestis eius, cum tragœdijs iactabat & vmbris regijs bellum à Lucullo gestum: sibi

Pompeij & Luculli congressus in Galatia.

Pompeij & Luculli contentio.

aduersus germanas & eruditas vires relictum certamen, ad scuta, gladios, equos refugiente Mithridate. Lucullus vlciscens se pergere Pompeium ait ad luctandum cum belli simulachris & vmbra, alienis cadaueribus solitum vt ignauã auem inuolare, & reliquias laniare bellorum. Ita titulum sibi Sertorij, Lepidi, belli Spartacij asscripsisse: cùm hoc Crassi decus, illud Catuli, primum esset Metelli. Vnde haud mirari se, quòd laudis bellorum Armeniacorum Ponticorumq; succidaneum se inferret, homo in triumphum de fugitiuis quouis modo intrudere se machinatus. Inde decessit Lucullus.

Pompeij expeditio in Mithridatem.

Pompeius totius classis stationibus, quod inter Phœniciam & Bosphorum est mare amplexus mouit ipse in Mithridatem. Habebat ille peditum XXX. millia in phalangem decuriatorum, equitum millia duo: verùm aciem non audebat. Ac primùm cùm montem validum & munitum, in quo castra habuerat, quasi aridum reliquisset: eum ipsum occupauit Pompeius, atque ex fruticum indole locorumq; conuexitate coniiciens subesse ibi fontes, imperauit puteos passim deprimi, fuitq; in castris statim aquæ affluentia: vt miraretur tam diu id Mithridatem fugisse. Deinde munitionibus cinxit & circumuallauit eum. Ille dies quinq; & quadraginta obsessus, cum firmissimis copijs, cùm inutiles & ægrotos occidisset, clam consciuit fugam. Mox tamen eum circa Euphratem adeptus Pompeius castra castris eius contulit: metuensq; ne anteuerteret Euphratem transmittere, intempesta nocte instructas copias in hostem duxit.

Mithridatis somnium.

Quo tempore fama fert vidisse Mithridatem in somnis speciem, quæ futura ei prænunciaret. Videbatur sibi in mari Pontico secundo nauigare vento, Bosphorumq; iam prospicere & comiter vnà vectos affari, vt qui certa & indubitata incolumitate gaudeat: verùm repentè ab omnibus se reperisse desertum ac fragmento exiguo nauigij iactari. His occupatum motibus & imaginibus assistentes amici excitauere, Pompeium nunciantes adesse. Pugnandum igitur necessariò pro vallo erat, eductisq; copijs struxerunt duces aciem. Quos parare se vbi Pompeius animaduertit: dubitauit per tenebras discrimen prælij subire. tantùm circunfundendos, ne fugerēt, arbitratus est, ac sub lucem exercitu suo, qui firmior erat, aggrediendos. At maiores natu ordinum ductores precando & adhortando concitauerunt eum. Neq; enim prorsus cæca nox erat, sed luna præcipitans satis clarum corporum aspectum adhuc præbebat. quod imprimis elusit regios. Siquidem incurrentes Romani auersam habebant lunam. Luna autem in occasum decliui vmbræ longè corpora præcurrentes incumbebant hostibus, qui non valebant interuallum exactè cognoscere: sed, vt si ad manus ventum esset, hastis incassum emissis neminem attigere.

Pompeius Mithridatē fundit.

Quo animaduerso Romani cum clamore inuehuntur, hostesq; consistere vltrà non audentes, sed perculsos et pedem referentes cædunt. Ita longè plus decem millia cecidere, & castra capta sunt. Ipse Mithridates initiò octingentorum equitum cuneo per Romanos erupit. Mox cæteris dilapsis solus relictus cum tribus est.

Hypsicratia Mithridatis pellex.

in quibus Hypsicratia fuit pellex. quæ semper quidem virilis audaciæ fuerat, quare Hypsicratem eam rex appellauit. Tunc verò veste amicta virili Persica & equo vecta nec corpore ex fugæ prolixitate fatiscere visa est, nec curando regis corpore & equo est fatigata: vsq; dum ad arcem Inora ventum est, vbi regia pecunia & thesauri erant cumulata. Inde sumpsit Mithridates vestes pretiosas, quas confluentibus ad ipsum ex fuga distribuit. Præterea letale virus cuiq; amicorũ ferendum secum dedit, ne quis in manus hostiles veniret inuitus. Inde in Armeniam ad Tigranē cōtendit. Quod ille cùm ei interdiceret, ac centũ talenta in caput eius pronũciasset: præteritis Euphratis fontibus intendit per Colchidem fugã.

Araxes fluuius.

At Pompeius Armeniã accersitus à minore Tigrane ingressus est. Desciuerat iam hic à parente, Pompeioq; ad Araxem amnem occurrit. Is oritur ex ijsdem, quibus Euphrates locis: sed deflectens ad orientem in mare Caspium effunditur. Dum hi vnà progrediuntur, vrbesq; in fidem recipiũt: rex Tigranes nuper ab Lucullo obtritus, quòd mitem animo ac placidum Pompeiũ accepisset esse, præsidium in regia accepit, atque ipse cum amicis & necessarijs ad deditionem faciendam perrexit.

Pompeio Tigranes se dedit.

Vbi equo est ad castra aduectus: præstò ei fuerunt duo Pompeij lictores, ac descendere ei ex equo pedibusq; iusserunt incedere. Neminem enim mortalium in castris Romanis vnquã visum, qui equo insideret. Obtemperauit in eo Tigranes, gladiumq; discinxit tradiditq; eis.

Tigranes diadema ad pedes Pōpeij deponit.

Vt deniq; ad Pompeium peruenit: detraxit capiti citarin, quam instituit ad pedes eius deponere, & abijciēs se omniũ fœdissimè ad genua eius procumbere. Cæterùm anteuertit Pompeius, apprehensaq; dextera sustulit eum, & sedere iussit ad latus suũ, ex altero filiũ. Tum cætera Lucullo ostendit imputanda. Ab illo enim Syria, Phœnicia, Cilicia, Galatia, Sophene ipsos exutos, quæ hactenus retinuissent, ca se relicturum ipsis,

ipsis. Iniuriarũ illatarum mulctã sex millia talentûm penderent, Sophenes regnum filius haberet. Has conditiones Tigranes approbans, lætusq; quòd esset ab Romanis rex appellatus, pollicitus est semiminas argenti se in milites daturum, centurioni minas decem, tribuno talentum. Id filius eius ægrè tulit, vocatusq; ad cœnam respondit facilè se carere Pompeio, qui tales honores sibi haberet. Nam alium se ex Romanis inuenturum. Inde in vincula coniectus atque ad triumphum seruatus est.

Tigranis filius vinctus.

Haud multo pòst Parthus Phraates legatos misit adolescentem vt generum suum repetitum & postulatum, vt imperiorum Euphrates terminus esset. Pompeius responsum dedit Tigranem in patris potius quàm soceri iure esse: termino autem se vsurum iusto.

Parthorum legati ad Pompeium missi.

Relicto ad præsidium Armeniæ Afranio per gentes Caucasum circuncolentes necessariò contra Mithridatem iter intendit. Maximæ nationes Albani & Iberes sunt. Iberes ad montem Moschium & Pontum pertinent. Albani vergunt ad Orientem & mare Caspium.

Iberes, qui. Albani, qui.

Hi primò petenti Pompeio transitum dedere. Cæterùm eo in tractu bruma occupato exercitu & instantibus Saturnalibus aggressi sunt ijsdem diebus non minus quadraginta millia barbarorum Cyrnum fluuium transmeare. Oritur ille ex montibus Ibericis auctusq; delabente ex Armenia Araxe duodecim ostijs in mare Caspium sese effundit. Alij cõmitti cum eo Araxem negant, sed solùm prope eum euolui in idem pelagus.

Cyrnus flumen, quem Cyrum Plin. appellat.

Hostes Pompeius, licet transitum eorum impedire potuisset, permisit per ocium traijcere. Inde illatis signis ingentem numerũ eorum fudit fugauitq;. Regi supplici, qui legatos ad ipsum misit, dedit veniam, ictoq; fœdere in Iberas mouit nec numero paucio res & alijs bellicosiores, maioremque in modum cupidos de Mithridate bene mereri ac propulsare Pompeium.

Pompeius Albanos fundit.

quippe neque Medis neque Persis paruerant Iberes. Declinauerunt Macedonum quoque imperium. quòd raptim Alexander Hyrcania excesserit. Quibus pariter ingenti prælio profligatis, in quo nouem millia occubuere, capti amplius decem millia, regionem Colchicam inijt.

Pompeius Iberas fundit.

Ad Phasim ei Seruilius cum classe, qua tuebatur Pontum, occurrit. Ac Mithridatis insectatio, qui in gentes Bosphori & Mœotidis accolas abdiderat se, magnas præbuit Pompeio perplexitates, atq; Albanos allatum est denuò defecisse. in quos ira & peruicaci vlciscendi ardore stimulatus vertit, Cyrnumq; iterum ingenti difficultate & periculo transmisit.

Albanorum defectio à Pompeio.

Eum magno spacio vallauerant barbari palis. Hîc cùm eum longa, arida, & aspera via exciperet, decem millia vtrium aqua impleuit, atque ita in hostem duxit. Offendit ad amnem Abanta peditum millia sexaginta, equitum duodecim millia in acie instructa, magna ex parte malè & ferinis tergoribus armatorum. quos regis frater Cosis nomine ductabat. Hic, cùm signa collata essent, in ipsum inuectus Pompeiũ percussit iaculo loricæ eius cõmissuram. Pompeius illum hasta transfixit & occidit.

Pompeius Cosim regis Albanorum fratrem occidit.

In hac pugna Amazones à montibus Thermodonti fluuio accubantibus profectæ auxilio venisse pethibentur barbaris. quippe à prælio, dum spolia barbarorum legunt Romani, peltas Amazonicas cothurnosq; repe rere: corpus verò muliebre reperere nullum.

Amazones.

Caucasum incolunt, qua ad mare Hyrcanum spectat, non conterminæ Albanis, sed interueniunt Gelæ & Leges. Cum his menses binos quoque anno ad amnem Thermodontẽ congrediuntur & concumbunt. Inde digressæ seorsum degunt.

Gelæ, & Leges, populi.

Pompeius cùm secundum pugnã gestirer Hyrcaniã & mare Caspiũ visere: à pernicialium serpentiũ vi, cùm abesset trium dierũ itinere deterritus diuertit in Armeniã minorem. Elymęorum & Medorũ regibus, qui legatos ad eum miserunt, benignè rescripsit. Parthum Gordyenen incursantẽ, & Tigranis subditos vastantẽ misso cum exercitu Afranio expulit insectatusq; est vsq; ad Arbelitin. Ex omnibus Mithridatis pellicibus, quæ attractæ ad eum fuere, nullam attigit: omnes ad parentes & propinquos remisit. Nã ducũ ferè & dynastarũ filiæ cõiugesq; erãt. Stratonice verò, quæ apud eum summæ erat authoritatis opulẽtissimaq; arcẽ seruabat, cantoris cuiusdam, vti fama est, nõ abundantis & senis fuit filia.

Stratonice Mithridatis pellex

Adeo hæc repentè psallẽs in conuiuio cepit Mithridatẽ, vt cum ea ilicò cubitũ discederet, senemq; ablegaret molestè ferẽtem, quòd ne appellasset quidẽ se benignè. Vt tamen sub diluculo expergefactus domi conspexit aureis & argenteis poculis refertas mensas, frequentẽ famulitij turbã, eunuchos & pueros, qui sibi exquisita pallia offerrent, atq; in vestibulo stantẽ equũ exornatũ, sicut regis amicis solet: derisui & ludibrio se haberi ratus, efferre se ostio voluit. verùm retinẽtibus eum ministris expõnentibusq; diuitis nuper defuncti opimã hęreditatem ei à rege donari, atq; tenues has primitias & documenta esse reliquorũ bonorum & possessionũ: ita vix tandẽ his fidẽ habens purpurã induit, insiliensq; in equũ per vrbẽ vectus est cla-

mitans: Mea hæc omnia sunt. Ad deridentes ipsum, non hoc ait esse mirum, sed quòd gaudij impotens obuios non incesseret lapidibus. His natalibus & sanguine fuit Stratonice.

Pompeij abstinentia.

Ea Pompeio & arcem tradidit, & multa munera obtulit. ex quibus ille, quæ ornatum templis & triumpho existimabat præbitura splendorē, sola accepit: reliquis Stratonicen se iussit oblectare. Perinde cùm rex Iberum lectum, mensam, & sellam ei omnia aurea misisset, precareturque ea vt acciperet: hæc quoque quæstoribus, vt referrent in tabulas publicas, tradidit. In arce, quod dicebatur Cœnon, arcana monumenta Pompeius Mithridatis nactus est, nec ea inuitus legit, quòd clarè illius sensum patefacerent.

Mithridatis cōmentarij.

Erant commentarij, ex quibus veneno cùm alios complures tum filium comperit eum Ariarathem sustulisse, præterea Sardianum Alcæum: quòd in ludis ipsum aurigando antecelluisset. Significationes item perscriptæ erant somniorum, quæ partim ipse, partim nonnullæ coniugum eius viderant. Adhæc Monimes ad eum, & ad hanc illius lasciuæ epistolæ.

Rutilius historiographus.

Theophanes etiam Rutilij inuentam prodit orationem, qua eum ad ciuium Romanorum cędem in Asia inflammauit. quod rectè plerique à Theophane conijciunt malitiosè confictum, qui nihil sui Rutilium similem prosequeretur odio. Probabile etiā sit Pompeij causa, cuius patrem hominem teterrimum ostēdit in historijs Rutilius. Hinc

Pompeij peccatum.

Amisum profectus Pompeius est, vbi ambitione impulsus rem designauit inuidiosam. Qui enim acerbè Lucullum vellicauerat, quòd hoste viuo prouincias composuisset, præmia'que & honores esset dilargitus, quæ facere patrato & confecto bello solent victores: ipse dominante in Bosphoro Mithridate, qui contraxerat manum haud contemnendam, quasi omnibus confectis eadem egit, prouincias ordinauit, & dona contulit. Multi duces, dynastæ, reges . . tiam duodecim ad eum conuenerunt barbari. Vnde nec Parthum rescribens voluit in aliorum gratiam regem tegum sicut cæteri appellare. Tenebat autem eum desiderium & cupiditas Syriæ recipiendæ, atque per Arabiam penetrandi ad mare rubrum: vt ad Oceanum, quo orbis terræ vndique cingitur, perueniret victor. Etenim in Africa victoriam vsque ad Oceanum princeps protulerat. Iam in Hispania iterum imperium Romanum mari terminauerat Atlantico. Tertiò conficiendis modò Albanis penè attigerat mare Hyrcanum. Igitur, quò expeditionis suæ committeret mari rubro orbem, signa mouit. Quippe Mithridatis alioquin arduam videbat capturam, eum'que in fuga quàm certamine grauiorem.

Pompeij in Syriam expeditio.

Itaque validiorem hostem fatus relicturum se ei famem, stationes nauium disposuit contra nauigantes in Bosphorum mercatores, pœnam'que captis capitalem indixit, ac trahens secum magnam exercitus manum iter est ingressus. Ibi incidit in cadauera etiamnum inhumata illorum, qui duce Triario improsperè cum Mithridate pugnauerant ceciderant'que. Hos splendidè & magnificè omnes tumulauit. quod neglectum militum animos imprimis putatur ab Lucullo abalienasse. Subiugatis

Pompeius Syriā in formam prouinciæ redigit.

per Afranium Arabibus, qui Amanum accolunt, descendit in Syriam. quam vt iusto rege vacantem in formam prouinciæ redegit, possessionem'que fecit populi Romani, Iudæam subegit, regem'que Aristobulum cepit. Vrbes alias condidit, alias fecit immunes puniens earum tyrannos. Plurimum temporis in iure dicendo posuit vrbium & regum controuersias disceptans. Quò non adiret ipse, amicos misit. Ita Armenijs & Parthis, qui de certa regione ambigentes causam eius notioni permiserant, tres iudices & arbitros misit. Ingens enim nomen erat eius potentiæ, nec virtutis & mansuetudinis minus. quo pleraque amicorum & familiarium suorum velabat admissa, minimè factus ad coërcendos aut puniendos facinorosos, verùm sese eum præbebat adeuntibus, vt illorum ferrent æquo animo auaritiam & acerbitatem.

Demetrij Pompeij liberti potētia et insolentia.

Plurimum apud eum libertus poterat Demetrius, non insipiens cætera iuuenis, sed insolenter fortuna vtens. de quo hoc refertur: Cato philosophus iuuenis tum quidem, sed magnæ iam opinionis & animi Antiochiam absente Pompeio ad visendam perrexit vrbem. Iter perpetuò faciebat more suo pedibus. Amici, qui comitabantur eum, vectabantur equis. Hic contemplatus pro porta vitorum turbam in vestibus candidis, atque ex vno latere viæ adultos, ex altero pueros discretos stomachatus est, ratus honoris sui & officij causa hæc, quæ non morabatur, facta: amicos tamen ad pedes digredi & secum iussit incedere. Cùm propè venissent: occurrit ijs cum

Catonis exclamatio in Demetrium libertum.

corona & virga designator, qui omnia illa componebat, quærens de ipsis: vbi Demetrium reliquissent, & quando esset adfuturus? Ibi Catonis amicis in risum effusis Cato ait: O'miseram ciuitatem, neque alio dato responso præterijt. Sed tamen

men minùs apud alios inuidiosum hunc Demetrium ipse efficiebat Pompeius. qui illius in se insolentiam non ægrè ferebat. Memorant enim operiente in conuiuijs atq; excipiente alios Pompeio subinde illũ iam accubuisse fastuosè aures & caput habens toga obtecta. Nondum in Italiam reuersus amœnissima suburbana Romæ comparauerat. Pulcherrima gymnasia, hortiq; pretiosissimi erant, qui Demetrij dicebantur. cùm vsque ad tertium triumphum Pompeius modicam & ciuilem domum haberet. Pòst populo Romano eximium illud & celebratum theatrum extruxit, & iuxtà velut appendicem ædificauit domum priore splendidiorem, sed ne hãc quidem inuidiosam: vt ille, qui dominus eius post Pompeium fuit, eam ingressus obstupesceret & quæreret, vbi nam Pompeius Magnus cœnasset? Atq; hæc ita referuntur. Rex Arabiæ Petreæ contemptis antè Romanis armis, tunc magno metu perculsus dicto audientem scripsit se ei fore & imperata facturum. Quò magis autem huius consilium Pompeius exploraret, mouit Petram. quæ expeditio apud multitudinem castrensem non carebat reprehensione. Declinationem enim putabant eam insequendi Mithridatis, atque in illum vertenda arma censebant veterem hostem, qui iam bellum instaurabat & parabat, vt annunciabatur, per Scythiam & Pannoniam cum exercitu inuadere Italiam. At Pompeius pronius sibi factu existimans vires opprimere bellũ gerentis, quàm corpus capere fugientis: cùm non esset ei consilium nequicquam sese fatigare in persequendo illo, alias belli digressiones fecit & tempus duxit. At dissoluit fortuna eum nodum. Cùm iam non procul à Petra abesset, atq; adeo illo die iam esset castra metatus, corpusq; circa vallum ex equo exerceret: tabellarij accurrerunt ex Ponto lætum nuncium afferentes. Id statim lancearum cuspidibus demonstrant, quas lauri frondibus exornant. His conspectis milites ad Pompeium concurrerunt. Cùm perficere vellet ille exercitationem, vociferantibus & precantibus illis desilijt ex equo, literisq; acceptis progressus est. Non erat ibi suggestus, neque dum erectus fuerat castrensis, quem faciunt grandibus cespitibus excisis & accumulatis. tunc verò nimia properatione & studio cõgestis iumentorũ clitellis tumulũ excitauere. Eò postquam conscendit Pompeius nunciauit ijs Mithridatẽ decessisse. qui quòd secessisset ab ipso Pharnaces filius, manus sibi ipse intulerat. Omnia illic Pharnacẽ occupasse, eaq; sibi & Romanis scripsisse facere. Inde exercitus haud immeritò quasi in Mithridatis corpore sexcentis extinctis hostibus ouans conuertit se ad sacrificandũ & conuiuia. Pompeius imposita factis suis & expeditionibus, quam haud ita expectauerat facilem, coronide extemplò signa retrò ex Arabia mouit. Prouincias intermedias cursim emensus Amisum peruenit, inuenitq; multa dona à Pharnace allata, multa corpora ex familia regia, ipsum etiam Mithridatis cadauer nõ admodum ex facie cognitũ. Nam cerebrum, qui corpus curauerant, omiserant macerare: verùm agnouerunt eum ex cicatricibus, qui id spectaculi desiderabant. Nam ipse non sustinuit id videre Pompeius, verùm auertens deorum inuidiam Sinopen amandauit. Vestem, qua amicire solitus erat se, armorumq; molem & splendorem miratus est. At gladij vaginam, quæ constiterat talentis quadringentis Publius furatus venundedit Ariarathi. Citarin Caius Mithridatis collactaneus Fausto Syllæ filio petenti occultè dedit operis mirifici. quod in præsentia Pompeium fefellit. At Pharnaces, cùm pòst resciuisset, in illos, qui ea auerterant, animaduertit. Ordinata & composita prouincia tum fecit maiore pompa iter. Namque postquàm peruenit Mitylenen, ciuitatem immunitate Theophanis gratia donauit, institutum que à maioribus poëtarum certamen, quod vnum habebat argumentum ipsius res gestas, spectauit. Delectatus theatro, delineauit effigiem & figuram eius, quò Romæ simile excitaret grandius & excellentius. Rhodum profectus omnes sophistas audiuit, donauit que singulis talentum. Posidonius etiam descripsit disputationem, quam illo audiente habuit contra Hermagoram Rhetorem de quæstione generali. Par extitit Athenis aduersus philosophos Pompeij munificentia. Ciuitati ad vrbis instaurationem quinquaginta talenta largitus sperabat omnium mortalium se in Italiam splendidissimum rediturum, desiderabat que videri domesticis desiderantibus. At deus, cui curæ est fortunæ splendori & magnificentiæ semper aliquam admiscere mali portionem, hoc clàm domi iampridem struxerat parans ei tristiorem regressum. Mutia enim eo absente gesserat se libidinosè. quamdiu procul Pompeius fuit, contempsit sermonem: vbi appropinquauit Italiæ, ac vacua mente scilicet delata versauit, nuncium ei remisit. Quamobrem autem repudiauerit eam, neque tunc scripsit, neque postea verbo prodidit: verùm causa relata est in

Pompeio rex Arabiæ Petreæ se dedit.

Mithridatis mors.

Vaginæ gladij Mithridatis æstimatio.

Pompeij ex Asia reditus.

Pompeius Mutiam vxorem repudiat.

epistolis Ciceronis. Porrò rumores de Pompeio varij præcurrerunt, & ingens tumultus fuit quasi exercitum Pompeio vrbi admoturo & dominatum sibi firmaturo. Crassus sanè, vel quòd reuera id formidaret: vel quòd videbatur verisimilius, vt calumniæ fidem faceret atque inuidiam excitaret Pompeio acerbiorem, subduxit se cum liberis & fortunis ex vrbe. Igitur Pompeius simul atque attigit Italiam, aduocatis ad concionem militibus conuenientem tempori orationem habuit, ac benignè eos prosecutus iussit, vt in patriam se quisque reciperet, domumq́ue rediret. admonuit autem vt ad triumphum suum adessent. Ita soluto exercitu, cùm id vbique percrebuisset, res mirifica accidit. siquidem ciuitates Pompeium Magnum cernentes inermem & cum paucis necessarijs sicut ex alia profectione transeuntem, effusæ magno studio ac prosequẽtes Romam eum maiore frequentia reduxerunt: vt si quid mouere vel nouare cogitaret, nihil tum requireret exercitum suum. Quando verò ante triumphum vetitum lege erat ingredi vrbem: misit ad senatum petitum, vt comitia consularia proferrent, ac sibi hoc darent beneficij, quò Pisonis petitionem commendare sua præsentia posset. Cæterùm renitente Catone non obtinuit, quod postulauerat. Catonis autem admiratus libertatem & vim, quibus solus apertè pro legibus vtebatur, affectauit omninò illum sibi adiungere: atque ex duabus fratris & sororis filiabus, quas habebat Cato, vnam ipse sibi nuptijs copulare, alteram collocare cupiuit filio. At quia Cato id, quod attentabat Pompeius, suspectum habebat, tanquam ad corrumpendū se spectaret labefaciendumq́ue per necessitatem: soror eius & vxor ægrè ferebant, quòd affinitatem repudiaret Pompeij Magni. Interea quærens Pompeius Afranium consulem facere nummos pro eo in tribus pronunciauit, atq́ue ad eos accipiendos venerunt in hortos Pompeij. Vnde re euulgata fuit aduerso rumore Pompeius: qui quem magistratum ob res præclarè gestas fuerat vt maximum præmium adeptus, eum non valentibus virtute assequi proponeret venalem. Atqui mulieribus Cato: In harum veniendum, inquit, nobis erat communionem macularum, si necessitudinem contraxissemus cum Pompeio. Quod vbi audiuerunt: agnouere rectiùs eum quàm se, quid deceret, expendere. Triumphi quamuis in duos diuisi dies non cepit tempus magnitudinem: sed apparatus magna pars, quæ ad decorandum & exornandum alium triumphum satis suppeditasset, non fuit spectata. Titulis præcedentibus gentes, de quibus triumphabat, significatæ. Hæ fuerũt, Pontus, Armenia, Cappadocia, Paphlagonia, Media, Colchis, Iberia, Albania, Syria, Cilicia, Mesopotamia, præterea quæ circa Phœniciam & Palestinam incolunt gentes, Iudæa, Arabia: Piratæ terra mariq́ue debellati. In his captæ arces non minus mille, vrbes non infra nongentas, naues octingentæ piraticæ, frequentatæ cultoribus vrbes, quæ fuerant desolatæ, vndequadraginta. Adhęc tabulis ostensum vniuersa populi Romani vectigalia ante id bellum bis millies fuisse: ex ijs verò, quę populo Romano ipse quæsitis addidisset, redire ter millies quadringenties. In ærarium retulit vasa, aurum argentumq́ue signatum ad viginti millia talentûm, præter ea quæ diuisa sunt militibus. quorum qui minimum accepit, pro rata mille & quingentos denarios tulit. Captiui in triumpho ducti extra archipiratas Tigranis Armenij filius cum coniuge & filia, ipsius Tigranis vxor Zosime, Iudæorum rex Aristobulus, adhæc Mithridatis soror cum quinque filijs & Scythicæ mulieres. Iam Albanorum & Iberum obsides, & Commaginorum regis. Trophæa permulta numero omnibus paria pugnis. quibus aut ipse aut per legatos palmam tulerat. Quod autem excellentissimum ad gloriam eius erat, & quod nemo vnquam obtinuerat Romanorum, tertium triumphum ex tertia parte orbis duxit. Nam tres etiam antè alij egerant. Ille primo ex Africa, altero ex Europa, tertio hoc ex Asia ducto, quasi de orbe terræ tribus triumphis inuectus est visus. Aetate tunc erat, vt illi volunt, qui in omnibus cum Alexandro illum contendunt & conferunt, quatuor & triginta annis minor, reuerà attingebat quadragesimum. qui vtinam tum vitam deposuisset, quoad fortunam habuit Alexandri. Vlterius tempus plenas inuidiæ attulit ei prosperitates & acerbissima infortunia. Quam enim meritis suis obtinebat in vrbe potentiã, hac pro alijs abutendo, quantum illis cõciliabat opum, tantum suam imminuens gloriam, imprudens potentiæ suæ vim & molem euertit. Atque vt firmissimæ vrbium partes & loca, vbi hostem acceperunt, illis suum adijciunt robur: ita per Pompeij opes sublatus in rempubl. Cæsar, quibus viribus aduersus alios pollebat, ijsdem ipsum euertit & prostrauit. Ea ad hunc modum gesta sunt: Lucullum, vbi ex Asia remeauit, omni genere iniuriæ à Pompeio affectum & statim senatus honorificè excepit, & Pompeio iam præsente monendo excitauit, vt authoritatem suam

Pompeius ex Asia reuersus exercitū dimittit.

Pompeij celebris ex Asia ad vrbem reditus.

Pompeij affinitatem reijcit Cato.

Pompeij tertius triumphus.

Captiui in triumphum tertiū Pompeij adducti.

Pompeij fortunæ & gloriæ conuersio.

suam accommodaret ad rempubl. capessendam. Elanguerat & obtorpuerat quidem ille de cætero industria, atq; ocij voluptatibus diuitijsq; fruendis dediderat se. In Pompeium verò confestim insurgens atq; acriter eum adortus decreta sua, quæ aboleuerat ille, obtinuit & plus in senatu potuit adiuuante Catone. Ita explosus & iactatus Pompeius necesse habuit ad tribunos plebis confugere atq; applicare se ad adolescentulos, quorũ pestilentissimus & audacissimus eum Clodius recepit & obnoxium reddidit populo. quem indignis modis volutatum in foro tenens & circunducens adhibuit rogationum, quas ad demerendam & illiciendam plebem ferebat, authorem: ac mercedem insuper poposcit, quasi non macularet eum, sed beneficijs afficeret, quam accepit pòst: vt amicum & eum, qui multas pro ipsius dignitate susceperat actiones, proderet Ciceronẽ. quem in periculum vocatum & opem petentem ab ipso ne in conspectum quidem admisit, sed villa exclusit venientes, & alio ostio extulit se. Ita Cicero iudicij metu vrbe cessit.

Pompeius coniungit se Clodio

Eadem tempestate reuersus ex prouincia Cæsar negocium suscepit, quod in præsentia magnum ei fauorem & in posterum addidit opes ingentes, Pompeium verò & rempubl. perdidit. Petebat primum consulatum. Considerans autem in Crassi à Pompeio alienatione, si ad alterum se applicasset, alterum habiturum se inimicum, ad ambos reconciliandos conuertit animum, rem præclaram alioquin & ciuilem, sed ex causa praua cauteq; ab illo & insidiosè commẽtatam. quippe vires reipubl. quæ sicut in naui propensiones ad æquilibrium redigebant, vbi coiere & vnitæ sunt, quod quidem eam oppressit & euertit funditùs, inexuperabile reddiderunt momentum. Vnde Cato eos, qui ab insecuto Pompeij cum Cæsare dissidio rempubl. prædicabant profligatam, errare dicebat: qui reprehenderent nouissima. Neq; enim dissensionem vel simultatem, sed coitionem eorum & consensionem primum reipubl. vulnus & maximũ fuisse. quippe consul Cæsar est designatus, isq; mox blandiens inopi & egenæ multitudini legem de colonijs deducendis & legem agrariam tulit, magistratus sui excedens maiestatem, consulatumq; quodam modo in tribunatum plebis vertens. Repugnante collega eius Bibulo, Catone autem ad fortissimè Bibulo succurrendum parato Cæsar Pompeium propalàm in rostra adduxit, eumq; rogauit nominatim, probaret ne leges suas? Quo annuẽte: Nõ igitur, inquit, si quis vim legibus adferat, ad populum auxilio eris? Maximè, inquit Pompeius, contra gladios minitantes adero cum gladio & scuto. Eo Pompeiũ nihil ad eam diem neq; dixisse neque fecisse existimauerunt odiosius. Excusabant amici eius excidisse illi ex improuiso id verbum. at rebus illis, quæ consecutæ sunt, ostendit iam totum se contulisse ad Cæsaris nutum.

Pompeium & Crassum reconciliat Cæsar.

Lex agraria à Cæsare lata.

Iuliam enim Cæsaris filiam Cæpioni pactam & nuptuꝛam intra paucos dies nemine expectante duxit. Ad lenicndam verò Cæpionis iram filiam suam despondit ei Fausto Syllæ filio antè destinatam. Ipse Cæsar Calpurniam Pisonis matrimonio sibi iunxit. Inde Pompeius vrbem militibus compleuit, remq; publ. vi totam occupauit. quippe consulem Bibulum, qui cum Lucullo & Catone in forum descendebat, repente adorti fasces fregere. Quidam cophinum stercoris plenũ in ipsius caput Bibuli effudit. Duo tribuni, qui Bibulum deducebant, vulnerati sunt. Ita aduersarijs foro eiectis lex perlata agraria est. Hac delinitus esca populus hinc ad omnia illis paruit, neque intercessionem est moratus magnopere: verùm obnoxiæ sciuit rogationes. Ita comprobata acta sunt Pompeij, de quibus Lucullus altercabatur. Cæsari Gallia cisalpina & transalpina cum Illyrico in quinquennium atque quatuor legiones decreta. Consules in proximum annum fecere Pisonem Cæsaris socerum & Gabiniũ principem inter Pompeij adulatores.

Pompeius Iuliã Cæsaris filiam ducit.

Pompeio adiutore Cæsar Bibulum foro eijcit.

Cæsari Gallia et Illyricum decreta.

Dum hæc aguntur, abditus domi Bibulus non prodijt octo consulatus sui menses in publicum, edicta tantùm proposuit maledictorum & probrorum in ambos plena. Cato quasi lymphatus & numine afflatus denunciauit in curia, quæ reipubl. & Pompeio impenderent. Lucullus elanguescens quieuit vt deinceps ad rempubl. non opportunus. Quo quidem tempore ait Pompeius: Seni indulgere luxui quàm rempubl. gerere esse intempestiuius. Breui tamen ipse quoq; vxoris iuuenculæ emollitus est amore, ac ferè assiduus cum ea ruri & in hortis egit. Postmisit etiam negocia forensia. vnde Clodius, qui tribunus plebis tum erat, eius contemptu accinxit se ad audacissima quæq;. Postquàm enim Ciceronem exegit, & Catonẽ belli gerendi colore ablegauit in Cyprum, Cæsare in Galliã profecto: populum autem sibi omnia instituenti ad ipsius libidinem videt addictum, confestim instituit quædam Pompeij acta rescindere. Tigranem captum carcere extraxit, quem secum ducebat, amicis Pompeij iudicia dictabat, quò periculum in illis faceret Pompeij potentiæ. Deniq;

Clodius Pompeium adoritur.

Pompeius acerbè à Clodio notatus.

nicq; cùm hic ad causam quampiam accessisset: parentem habens colluuiem hominum proiectæ petulantiæ & dissolutionis, atque ipse loco consistens conspecto ita quæsiuit: Quis est imperator proteruus? quis vir virum quærit? quis vno digito caput scalpit? Illi vt chorus alternos versus concinens concutiente togam illo ad singula magno clamore responderunt: Pompeius. Pungebant hæc quidem Pompeium conuitiorum insolentem atque huiuscemodi rudem pugnæ: sed magis mordebatur, senatui cùm sentiret insectationem sui gratam esse pœnas pendentis proditi Ciceronis. Cùm verò conflictus in foro esset vsq; ad vulnera progressus, & Clodij seruus in turba per circunstantes prorepens cum gladio est deprehensus: hoc sumpto prætextu, formidans alioqui Clodij insolentiam & contumelias, deinceps dum tribunatu abisset, abstinuit foro & domi continuit se, cum amicis agitans, qua ratione indignationem in se senatus & optimatiũ restingueret. Suadenti Culleoni, vt Iuliam repudiaret, atque à Cæsaris amicitia transiret ad senatum, non paruit. Qui verò consuluerunt, vt infestissimum Clodio & senatui charissimum ab exilio reduceret Ciceronem, his assensus est: deducensq; in forum magna manu supplicem illius fratrem multo sanguine ibi fuso ac nonnullis interfectis superauit Clodium. Reuocatus lege Cicero mox placauit Pompeio senatum, defendensq; legem frumentariam, denuò imperij Romani terra mariq; dedit Pompeio quodam modo arbitrium. quippe in illius nutu erant portus, emporia, frugum commercia, breui nauigantium & agricolarum negocia. At Clodius non propter annonæ angustias legem latam: sed vt lex ferretur, annonæ angustias illatas criminabatur, quò Pompeius quasi ex animi defectu marcescentes vires nouo imperio repararet & colligeret. Alij Lentuli Spinteris consulis hoc fuisse volunt commentum: qui maiore imperio astrinxit Pompeium, vt ipse regi Ptolemæo mitteretur auxilio. Et verò etiam tulit Canidius tribunus plebis legem, vt sine exercitu Pompeius duobus lictoribus comitatus regem cum Alexandrinis in gratiam reduceret. Quæ lex nõ videbatur displicere Pompeio. verùm eam senatus honesta specie explosit præ se ferens ei timere. Inuenti sunt autem libelli per forum & in curia disseminati. quibus significabatur Ptolemæum pro Spintere dari Pompeium sibi ducem petere. Iam Timæus sine causa Ptolemæum & nulla compulsum necessitate discessisse demonstrat, ac Theophanis suasu Pompeio quæstus occasionem & nouorum bellorum materiam parantis Aegyptum reliquisse. Cæterùm hoc non ita facit Theophanis improbitas probabile, vt incredibile nulla maligna vel illiberali suffusum Pompeij ingenium. Procurationi & administrationi præpositus frumentariæ dimisit quoquouersum legatos & amicos. In Siciliam, Sardiniam, & Africam ipse profectus frumentum congessit. Soluturus ex portu, vento vehemente in salum incumbente dubitantibusq; gubernatoribus soluere conscendit primus, imperansq; vt anchoras molirentur, exclamauit: Nauigare necesse est, viuere non est. Ea audacia & alacritate & secunda fortuna vsus frumento emporia, nauibus mare compleuit: vt peregrinis quoq; sufficeret illius affluentia apparatus, atque redundaret sicut ex fonte ad omnes. Interea Cæsarem bella Gallica euexere. qui cùm remotissimè ab vrbe abesse, & Belgis, Sueuis, Britannisq; putaretur implicatus: clàm astutia sua medio in populo & præcipuis rebus Pompeij potentiam labefactabat. siquidẽ vires militares velut corpus induens non in barbaros, verùm sicut in aucupijs & venationibus certando cum illis subigebat exercitationibus has, inuictasq; & tremendas reddebat. Aurum, argentum, reliquamque prædam & opes ex tot hostibus superfluentia in vrbem mittendo, labefactandoq; largitionibus & præbendo ædilibus, prætoribus, consulibus, atque horum coniugibus auctorabat sibi complures. Itaque ad eum, postquàm Alpes transmisit, Lucæ hybernantem cùm ingens virorum simul & mulierum certatim confluxit agmen: tum senatores, inter quos Pompeius & Crassus fuere, ducenti. Conspecti fuerunt pro Cæsaris foribus proconsulum & prætorum centum viginti fasces. Ille alios omnes spe & nummis satiatos dimisit. Crassus verò & Pompeius cum eo pacti sunt, illi vt consulatum peterẽt, Cęsar ad comitia frequentes milites suffragãdi causa mitteret. Si designati essent, quamprimùm vt curarent prouincias & legiones sibi decerni, Cæsari verò suas prorogari in quinquennium. Hæc vbi peruulgata fuere, tulerunt molestè principes. Marcellinus in concione vtrumque coràm rogauit, an petituri essent consulatum? Ad quod à populo respondere iussi, primus Pompeius dixit, fortasse petiturum se, fortasse non petiturũ: ciuilius Crassus, id facturum ait se, quod è republ. duceret fore. Exagitante Pompeium Marcellino & acriter dicere viso Pompeius omnium dixit iniquissimum esse Marcellinum

Lex frumentaria lata de Pompeij imperio.

Ptolemæi regis Aegypti reductio.

Pompeij procuratio frumentaria.

Cæsaris incrementũ in Gallia

Concursus ad Cæsarem Lucæ hybernantem.

num, qui gratiam non haberet, quòd disertus ex muto per ipsum factus esset, & antè famelicus nunc quotidie vomeret. At alijs à consulatus petitione temperantibus L. Domitium Cato perpulit & excitauit, ne flaccesceret. Neque enim de consulatu, sed esse cum tyrannis ait de libertate certamen. Hic Pompeij factio vim Catonis timens, ne vniuerso succinctus senatu abduceret & immutaret sanam populi partem, haud permisit, vt in forum descenderet Domitius: verùm immissis armatis prælucentem seruum interfecit, alios in fugam vertit: nouissimus discessit Cato vulneratus, dum Domitium defendit, in dextero cubito. Ea via consulatum consecuti nihilo egerunt cætera modestiùs. sed primùm instituente creare prætorem Catonem populo & suffragia ineunte Pompeius auspicia causatus concionem dimisit, Antiam verò & Vatinium largitione corruptis tribubus renunciauerunt. Hinc legibus per Trebonium tribunum plebis latis adiecerunt Cæsari, vt conuenerat, quinquennij cumulum. Crasso Syriam & bellum Parthicum decreuere: ipsi Pompeio omnem Africam, vtramque Hispaniam & quatuor legiones. quarum roganti Cæsari duas ad bellum Gallicum commodauit. At Crassus relicto magistratus munere in prouinciam est profectus. Pompeius cùm theatrum, quod extruxerat, dedicaret: ludos gymnicos & musicos, ferarumque venationes edidit: in quibus quingenti leones sunt occisi. Nouissimam elephantorum pugnam terribilissimum spectaculum exhibuit. Hinc admiratione & gratia collecta, ex altera parte inuidiam incurrit non minorem: quòd legatis amicis exercitus & prouincias tradidisset, cùm interim ipse in Italia diuersoria amœna obiret, & cum coniuge viueret: vel quia illam amabat, vel quia relinquere non sustinebat amantem. Nam ea quoque fama est, celebratusque fuit illius in virum amor: non quòd propter ætatis florem Pompeij desiderio flagraret: verùm in causa videtur illius continentia fuisse vnam cognoscentis vxorem: & seueritas non cum austera, sed iucunda coniuncta conuersatione, quæ duceret imprimis mulieres: nisi meretrix damnanda Flora falsi testimonij sit. Porrò in comitijs Aedilitijs quia nonnulli ad manus venerunt, & circa illum non pauci fuerunt occîsi, cruore respersus mutauit vestes. Cùm ingens cieretur tumultus, & cursitatio fieret domum à seruis vestes ferentibus: fortè vterum Iulia gestans cõspecta toga, quæ cruore erat respersa, defecit, & ægrè recreata est. Ex illa turbatione & motu abortijt. Vnde ne illi quidem, qui maximè improbabant coniunctionem cum Cæsare Pompeij, reprehendebant in eo vxoris amorem. At cùm iterum prægnans esset, filiam enixa ex puerperij doloribus expirauit. Nec multos dies superstes partus fuit. Parauerat omnia Pompeius ad efferendam eam in Albano. verùm coegit eum populus, vt eam in campo Martio funeraret, magis miseratione iuuenculæ, quàm Pompeij aut Cæsaris gratia, atque ex illis ipsis maiorem honoris partem visus populus absenti tribuisse Cæsari, quàm Pompeio præsenti. Iam ilicò fluctuauit ciuitas, omniaque procellarum & seditiosorum sermonũ plena fuerunt: vt ea, quæ antè tegebat magis quàm coercebat illorum dominandi cupiditatem, sublata necessitudo est. Nec multo pòst Crassum nunciatur apud Parthos perisse. Ita id obstaculum magnum, ne bellum ciuile cõmitteretur, amotum fuit. Quia enim ambo eum metuebant, continebat se quouis modo alter aduersus alterum in officio. Postquàm verò fortuna abstulit athletam, qui in victorem assurgere integer potuisset, iam dicere comicum hoc licuit:

Pompeij violentia in obtinendo secundo consulatu.

Pompeij et Crassi secundus consulatus.

Prouinciarum partitio inter Pompeium, Cæsarem, & Crassum.

Ludi à Pompeio editi.

Iuliæ Cæsaris filiæ mors.

Dissensionis inter Pompeium & Cæsarem initium.

Vt alter vngit scilicet se in alterum
Fricatque palmas puluere.

Adeo est exigua res fortuna ad humanum ingeniũ. Neque enim satiat eius cupiditatem, vbi tam vastum imperium, & spacium regionum tam laxum duorum virorũ cupidinem non refrænauit. Sed cùm audirent & legerent:

Omnia sunt partita dijs, sortitur honorem
Quisque tamen proprium: Iliad. 15.

sibi non censebant Romanum imperium duobus fore satis. Atqui Pompeius tunc in concione dixit omnia imperia prius se, quàm expectasset, accepisse: deposuisse citius, quàm esset expectatum. Et hercule testes habebat exercituum dimissiones. Tunc verò quòd non relicturum arbitraretur Cæsarem exercitum, quæsiuit vrbanis imperijs se contra illum munire. Nihil præterea nouauit. Neque diffidere voluit videri illi, sed despicere potiùs eum & contemnere. At vbi magistratus non dispensari vidit ex sententia

sua, quòd pecunia ciues corrumperentur: effecit, vt ad interregnũ deueniretur. Ibi mentio protinus increbuit dictatoris, quam Lucilius tribunus plebis proponere princeps ausus fuit, suadens populo, vt dictatorem Pompeium crearet. Cui insectante eum Catone penè abrogatus est tribunatus. Multi autẽ Pompeij amici obtulerũt se excusantes eum, nec quærere illum magistratum nec velle. Cùm illũ Cato laudibus extulisset, atq; ad suscipiendam curam, quò respubl. in ordinem suũ restitueretur, esset adhortatus: tunc rubore inductus, id curæ habuit. Creati consules Domitius & Messala. Pòst cùm iterum incurrisset interregnum, pluresq; iam pertinaciùs dictatoris mentionem inferrent: veritus Cato, ne id exprimerent: deliberauit legitimum aliquẽ magistratũ Pompeio permittere: quò eum ab immodico illo & tyrãnico deflecteret.

Patrum de Pompeij honore dissensio.

Ac Bibulus Pompeij inimicus in senatu princeps pro sententia dixit Pompeiũ solum consulem designandũ. Aut enim exemptum iri rempubl. præsenti confusione, aut optimo seruituram. Quæ noua cùm viderentur propter authorem: exurrexit Cato, præbuitq; expectationem, quasi oppugnaturus esset eam sententiam. Facto silentio propositam sententiam ait non fuisse se primum dicturum, sed pronunciatam ab alio censere sequendam: quemlibet magistratum præstare interregno & Pompeio arbitrari se neminẽ in tantis procellis meliùs imperaturum. In eam sentẽtiam pedibus est itum, & senatusconsultum factum: vt Pompeius consul designaretur, & solus magistratum gereret: qui si collegam desideraret, allegeret, sed non ante duos menses, quem probasset.

Pompeius solus consul.

Ita creatus & renunciatus per Sulpitium interregem consul benignè Catonem appellauit, magnasq; gratias dixit se agere, atq; orauit eum, vt priuatim consilio sibi adesset. Cato verò nihil ait esse, quod Pompeius sibi gratias ageret. neq; enim illius causa se eam sententiam, sed reipubl. prompsisse. Consilium suum ei seorsum non defuturum, si peteret: si non peteret, publicè se, quod videretur, dicturum. Atque is Cato vbiq; fuit.

Pompeius ducit Corneliam.
Corneliæ dotes.

Pompeius vrbem ingressus vxorem duxit Corneliam Metelli Scipionis filiam non virginem, sed viduam nuper relictam à Publio Crassi filio, cui collocata virgo fuerat, apud Parthos interfecto. Ei præter ætatis florem multæ Veneres inerant. Nam literis, lyra, musica, & geometria erat exculta, præceptisq; non sine fructu imbuta philosophicis. His accedebat morum grauitas ab omni acerbitate & curiositate aliena: quibus scilicet illæ disciplinæ imbuũt iuuenculas. Pater genere & existimatione non pœnitendus. Verumtamen non placebant quibusdam intempestiuæ hæ nuptiæ. quippe erat Corneliæ Pompeij filio maturius matrimonium. Honesti verò viri Pompeium existimabant rempubl. deposuisse ijs iactatam fortunis, quarum elegerat ipsum medicũ, atq; vni se commiserat. cùm interim ille coronatus sacra nuptialia faceret: qui illum deberet pro calamitate ducere consulatum. qui, si floreret patria, non ita præter morem concessus esset.

Pompeius ambitus iudicia constituit.

Hinc ambitus iudicijs incubuit, legesq; tulit, quibus iudicia constituerentur. vbi cætera seuerè & integrè dispensauit, securitatemq; simul & ordinem silentiumq; præsidens cum cohorte iudicijs præbuit. At socero eius Scipione causam dicente sexaginta & trecentos iudices domum accersitos orauit, vt illum eriperent. quare accusator iudices videns Scipionem ex foro prosequentes causam reliquit. Hinc denuò contraxit infamiam: multoq; magis, quòd laudari cùm reos lege vetuisset, ipse ad laudandum Plancum progressus sit. Cato, qui iudex erat, aures manibus obstruens negauit honestè se laudationem contra legem audire. Vnde Cato, antequàm sententiam ferret, reiectus est. Cæteris tamen Plancus cum macula est Pompeij damnatus. Etenim pòst paucis diebus Hypsæus vir consularis, qui in iudicium erat vocatus, cùm expectasset Pompeium à balneo ad cœnam euntem, accidit supplex genibus eius. At ille præterijt hunc contumeliosè, nihil eum dicens agere aliud, quàm quòd conuiuium suum corrumperet. Hæc fuit varietas eius reprehensa. Cætera rectè atque ordine omnia composuit, socerumque in reliquos quinque menses collegam sibi cooptauit.

Pompeio prouinciæ prorogatæ.

Prorogatæ quoque ei sunt in aliud quadriennium prouinciæ, & annuum ducenties quadragies in stipendium attributum. Ea capta Cæsaris amici occasione postulauerunt, vt illius quoque, qui pro republica tot certamina decertabat, aliqua haberetur ratio. Meritum enim, vt aut alterum consulatum obtineret, aut prouincia prorogaretur ei: nequis successor alius laborum eius auferret gloriam, verùm ipse, qui bellum patrauerat, per ocium frueretur prouincia atque honoris præmia assequeretur. Exorta de his altercatione Pompeius quasi Cæsaris causa propter amicitiam amoliens inuidiam, literas habere se Cęsaris demonstrauit: quibus petere eum successorem, et dimittere exercitum velle. Par esse tamen comitijs consularibus absentis

haberi

haberi rationem. Ibi cùm repugnans censeret Cato, vt Cæsar priuatus & armis positis beneficium à ciuibus p ceteret: non contendit Pompeius, sed victum se simulauit. Quare maiorem suspicionem mouit sui in Cæsarem animi. Praeterea quas illi mutuò dederat legiones, belli Parthici prætextu repetitum misit. Ille verò quamuis sciret, quamobrem repeteret milites, remisit tamen liberaliter donatos. Hinc Pompeius ancipiti morbo Neapoli conflictatus conualuit. Neapolitani authore Praxagora pro incolumitate eius sacrificauere. Quos secutis vicinis, eaq; re totam peruagante Italiam ciuitates tam paruæ quàm magnæ ferias per multos dies egere. Obuiàm vndique procedentes nullus capiebat locus: sed viæ, vici, portus epulantibus & sacra facientibus erant referti. Multi etiam coronati cum facibus excipiebant eum, atque in deducendo floribus conspergebant. Ac fuit illa deductio & illud iter spectaculum pulcherrimum splendidissimumq; quod tamen ex præcipuis, vnde ortum bellum est, vna fuit causa. Spiritus enim illum incessere tanti, vt superarent cum gratulationis magnitudine rerum ipsarum reputationem: abiectaq;, quæ omnes eius successus & facta in tutum collocauerat, cautione nimiam sumpsit audaciam & contemptum Cæsaris virium: quasi neq; armis in eum neque grauiore mole opus esset habiturus: sed longè faciliùs eum, quàm euexisset, deiecturus. Adhæc ex Gallia regressus Appius est cum legionibus, quas commodatò dederat Cæsari: multumq; res illic gestas eleuauit, & Cæsari detraxit. Pompeium dicebat vires suas & authoritatem ignorare, qui armis alijs se contra Cæsarem sepiret: cùm suis ipsum legionibus esset confecturus, vt primùm venisset in earum conspectum. Tanto eas odio in Cæsarem & Pompeij desiderio teneri. Vsqueadeo autem inflatus animo Pompeius fuit, eoq; securitatis euasit ex confidentia, vt etiam timentes bellum rideret: atque illos, qui dicebant, si moueret Cæsar ad vrbem, non videre se copias, quibus illi resisterent: arridens vultu remisso iussit bono animo esse: Vbi enim Italiæ, inquit, ego pede tellurem pulsauero, copiæ peditum & equitum prodibunt. Iam Cæsar quoque acriùs rei incumbebat, neque longè deinceps abducebat se ab Italia. In vrbem milites assiduè mittebat ad comitia, multos ex magistratibus nummis sibi parabat & redimebat: in quibus consul fuit Paulus, qui ad partes eius trecenties sexagies HS. pretio desciuit: & Curio tribunus plebis immenso ære alieno ab eo liberatus, simulq; M. Antonius ob Curionis amicitiam ijsdem obstrictus nominibus. Compertum est vnum ex missis à Cæsare centurionibus pro curia stantem, cùm audiret negari à senatu Cæsari prouinciæ prorogationem, gladium manu concussisse ac dixisse: Atqui hic dabit. Ac quæ agebantur, & parabãtur, eò spectabãt. Ac Curionis petitiones & postulata pro Cæsare plausibiliora apparebãt. quippe alterutrum postulabat, vt aut à Pompeio quoq; repeterent, aut ne auferrent Cæsari exercitum. Aut enim, si priuati facti essent, in officio: aut si manerent pares, in sua vtrumq; sorte conquieturum. Qui alterũ debilitaret, eum quam metuat potentiam, geminate. Sub his consule Marcello Cæsarem latronem appellante, & ni arma posuisset, hostem declarandum censente, Curio tamen cum Antonio & Pisone institit, vt senatus rem disquireret. Nam discessionem facere iussit eos: qui censebant, vt discederet ab armis Cæsar & imperium retineret Pompeius: atq; in eam partem pleriq; dis cessere. Iterum cùm iuberet discessionem fieri, quibus ambos placeret arma deponere, & neutrum cum imperio esse: Pompeio duo & viginti duntaxat, Curioni omnes reliqui accessere. Ibi ille tanquam victor elatus gaudio prosilijt in cõcionem, plausuq; illic & floribus in eum congestis exceptus est. Non intererat senatui Pompeius. quippe exercitibus qui præsunt, non ingrediuntur vrbem. Marcellus exiliens negauit verba se in curia auditurũ: sed cùm decem legiones videat Alpes iam superantes progredi, se quoq; missurum, qui pro patria illis se obijciat. Mox vestes sicut in publico luctum utauere. Marcellus autem medio foro ad Pompeium sequente senatu perrexit, atq; apud eum consistens: Iubeo tibi Pompei, inquit, patriæ succurrere, atq; vti paratis copijs & conscribere alias. Eadem dixit Lentulus alter consulum designatorum. Instituente delectum habere Pompeio, alij ad nomina non respondebant, alij infrequentes conueniebant segniter, complures reconciliationem clamabant. Recitauit enim in concione inuito senatu Antonius epistolam quandam, quæ Cæsaris blanda ad populum postulata continebat. Petebat, vt prouincijs ambo relictis & exercitibus dimissis in potestate populi essent, & factorum redderent rationes. Lentulus iam consul senatum non habebat. Cicero ex Cilicia modò reuersus de reditu in gratiam tractabat: vt cederet Cęsar Gallia, dimitteret omnem reliquũ exercitũ retentisq; duabus legionibus & Illyrico secundũ consulatũ expe

Pompeius legiones à Cæsare repetit.

Pompeij morbus Neapoli.

Pompeius Cæsarem contemnit.

Pompeij arrogans dictum.

Paulus consul à Cæsare corruptus.

Curio & Antonius tribuni à Cæsare corrupti.

Curionis actiones pro Cæsare.

Pompeij delectus contra Cæsarem.

Cicero de reconciliatione inter Cæsarē & Pompeium agit.

ctaret. Fremente Pompeio inducti sunt Cæsaris amici, alteram legionem vt relinqueret Cæsar. Cùm aduersaretur Lentulus, & Cato denuò offendere clusum Pompeium clamaret: non habuit reconciliatio exitum.

Cæsar Ariminũ occupat.

Interea Cæsarem nunciatum est Ariminũ magnam Italiæ vrbem occupasse, atq; planè cum omnibus copijs Romã contendere. Id verum non erat. Neq; enim cum pluribus quàm equitibus trecentis & peditum quinq; milibus progrediebatur. Reliquas copias, quæ erant trans Alpes, non expectauerat: quò subitò perculsos & nec expectantes obrueret potius, quàm daret eis ad instruẽdos se ad bellum spacium.

Cæsar Rubiconem transit.

Nam vt ad Rubiconem venit, qui terminus erat prouinciæ, quã obtinebat: substitit cunctatusq; est, reputans secum cœpti magnitudinem. Deinde sicut qui in vastam altitudinem præcipitant se ex abrupto loco, conniuens mente atq; obtegens oculos ad periculum, cùm hoc tantùm ad præsentes verbis Græcis exclamasset, ἀνεῤῥίφθω κύβος, id est, iacta esto alea: traiecit exercitum.

Iacta est alea, Cæsaris dictum.

Vt primùm rumor accidit, atq; ciuitatem tumultus cum stupore metusq; vt nunquam antè occupauit: patres concurrerunt confestim ad Pompeium, eòdem conuenerunt magistratus. Quærente Tullo de exercitu & copijs, vbi cum cunctatione quadam titubans dixit Pompeius, paratos habere se illos, qui à Cæsare venerant: arbitrari etiam illos, qui dudum conscripti fuerant, breui coacturum ad triginta millia: Ibi Tullus cùm exclamasset, elusisti nos Pompei: legatos censuit ad Cæsarẽ mittendos. Fauonius vir alioqui non malus, peruicacia autem & linguæ procacitate crebrò putans libertatem æmulari se Catonis, dixit Pompeio, vt terram pulsaret pede ad euocandas quas promiserat copias. Tulit ille importunitatem hanc leniter. Cùm verò subiecit illi Cato ea, quæ ab initio prędixerat ei de Cæsare: respondit plus diuinasse Catonem, se fecisse amicius. Censuit autem Cato imperatorem Pompeium cum libera potestate creandum, adijciens eorumdem esse magna facere mala & comprimere. Mox in Siciliam profectus est: quòd eam prouinciam esset sortitus: sicut cæterorum quisq; in eam, quæ sibi euenerat.

Tumultus in vrbe sub aduentũ Cæsaris.

Cùm esset Italia penè omnis erecta, res erat perplexa. Nam illi, qui extra vrbem erant, fuga deferebantur vndequaq; in vrbem. Qui vrbem colebant, cedebant ipsi & relinquebant eam quæ tanta in tempestate ac tumultu quod in turba vsui esset, imbelle habebat: quod autem contumax, validum & intractabile magistratibus. Neq; enim discuti metus poterat, neq; suis consilijs vti sinebant Pompeium: sed quo esset quisq; motu ictus, vel timore vel dolore vel hæsitatione, ea illũ obruebat. ac consilia eodem die approbabant cõtraria, neq; quicquam ille de hostibus certi audire valebat: quòd multi leuiter quiduis nunciarent succenserentq; fidem non habenti. Itaq; tumultum decreuit, ac senatu se sequi iusso, denunciatoq;, si quis remansisset Romæ, eum se pro Iuliano habiturum, sub tenebras vrbem reliquit.

Pompeius vrbẽ relinquit.

Consules non mactatis solennibus ante bellum victimis fugere. Fuit autem ob hominum erga se in ipso rerum discrimine beneuolentiam felix Pompeius: quòd quamuis belli rationem multi culparent, nemo odisset tamẽ ducem: sed plures inuenirentur, qui deserere Pompeium non potuere, quàm qui fugerunt causa libertatis.

Cæsar vrbẽ ingreditur fugiente Pompeio.

Paulo pòst ingressus Cæsar vrbẽ, atq; ea potitus, cum alijs egit benignè eosq; placauit. Vni tribuno plebis Metello interdicenti, ne pecuniam ex ærario sumeret, necẽ denunciauit, minisq; orationẽ addidit asperiorem. Ait enim non tam factu id sibi, quàm dictu difficile esse. Ita permoto Metello, acceprisq; quibus haberet opus, Pompeiũ persecutus est, pellere eum Italia maturans antè, q̃ subueniret ei exercitus Hispaniensis. Ille occupato Brundusio facultatẽ nactus nauiũ cõsules iussit extemplò cõscendere, atq; cum his triginta cohortes præmisit Dyrrachiũ. Socerũ Scipionẽ & Cneiũ filiũ ad parandã classem misit in Syriam. Ipse portas obstruit, expeditissimos milites in muris collocat, Brundusinis domi se continere iubet: fossas tota vrbe perducit per vias, eas stipitibus præacutis implet præter duas, quib. ad mare descendit.

Pompeius Italiã relinquit.

Tertio die iam omnes per ociũ conscenderãt. Illos, qui erãt in muris pro statione collocati, repentè signo dato velociter decurrentes recipit ac transmittit. Cæsar vt cõspexit muros nudatos, fugã sentiens, dum insequitur, penè in stipites & fossas incurrit. Cæterũ Brundusinorũ monitu vrbe declinata & flexa omnes vidit in aliũ euectos præter duo nauigia, in quibus milites pauci erant. Pompeij quidem discessum alij inter optima consilia bellica numerant: ipse verò Cæsar mirabatur: q̃, qui munitam insideret vrbem, copias Hispanienses expectaret, mariq; polleret, reliquisset & excessisset Italia.

Pompeium reprehendit Cicero.

Reprehendit etiã Cicero, quòd Themistoclis consilium nõ Periclis imitatus esset: cùm res his forent, nõ illis consimiles. Ipse re ostendit Cæsar magnopere se tempus formidare. Numerium enim Pompeij amicũ, quem captũ habebat, misit Brundusiũ, pacem æquis con

ditioni-

ditionibus petens. At Numerius Pompeium secutus est. Inde Cæsar diebus sexaginta tota Italia sine sanguine potitus cupiebat quidem e vestigiò Pompeiũ insequi: sed quòd copiam non haberet nauium, in Hispaniam deflexit, quo illas copias adiungeret sibi. Interea Pompeius magnas vires cõtraxit. Classis erat omnino incomparabilis, siquidem naues erant ei bello aptæ quingentæ, Liburnicarũ & speculatoriarum immensus numerus. Equitum Romanorum & Italicorũ flos ad septem millia genere, opibus, & animis præstantes. Peditatũ collectitiũ & tyronem exercebat ad Berœam sedens nõ segnis, sed sicut iuuenis exercitationes obibat. Magnum enim erat ad animos excitandos momentum Pompeium Magnũ videre annos duodesexaginta natum in armis certantem pedi- tem, inde in equo rursus, ac gladium citato equo facilè stringentem, iterumq; cõdentem expeditè: in iaculando nõ artem modò, sed lacertos etiam ostendentẽ spacio, quod multi iuuenes non excedebant. Iam conferebant se ad eum reges gentium dynastæq;. Principum Romanorũ numerus, qui cum eo erat, speciem senatus præbebat. Accessit ad eum & Labienus relicto Cæsare, quicum amicitia cõiunctus fuerat & in Gallia militauerat. Brutus item filius Bruti eius, qui necatus in Gallia fuerat, magni vir animi. qui ante eam diem Pompeium vt patris sui interfectorem non appellauerat vel salutauerat, tunc verò vt libertatis Romanæ defensorem est secutus. Cicero licet diuersa scripserat & delibera- uerat, erubuit tamen non censeri in numero eorũ, qui pro patria se in periculum demiserant. Venit in Macedoniam & Tigius Sextius ætate vir exacta, & altero crure claudus, quem cæteris ridentibus & illudentibus simul atq; conspexit eum Pompeius, assurrexit & occurrit ei pro magno testimonio habẽs: quòd vel ætate & viribus impotentes secum mallent discrimen adire, quàm securitatem amplecti. Postquàm verò coacto senatu decreuerunt ex Catonis sententia, ne quis ciuis Romanus nisi in acie occideretur, neque oppidum pacatum populo Romano diriperetur: tum multò maiorem fauorẽ Pompeij partes habuere. Etenim quibus nihil negocij cum bello erat, quòd longè essent positi, aut negligerentur ob imbecillitatẽ: studio certè assentiebantur ei, verbisq; se pro iusta causa associabant, dijs hominibusq; hostem arbitrantibus eum, qui victoriam non optaret Pompeio. Cæsar præbuit item se in victoria benignum. qui captis in Hispania & deuictis Pompeij legionibus dimisit duces, militibusq; vsus est. Hic Alpibus denuò traiectis Brundusium circa solstitium brumale venit, transmissoq; pelago Oricum peruasit per hostium stationes. † Iubium Pompeij familiarem, quem in potestate habebat secum, destinauit ad eum: vt ambo congressi die tertio omnes exercitus dimitterẽt, reconciliataq; amicitia & dato iureiurando redirent in Italiam. Eas Pompeius nouas insidias putauit esse. Itaq; raptim descendit ad mare: præsidia & loca occupauit, vbi sedes admodum munitas pedestres copiæ haberent, naualiaq; & portus opportuni essent per mare commeantibus: vt omnis esset ventus Pompeio secũdus, commeatumq; vel milites vel stipendium adueheret. Cæsar difficultatibus terra mariq; circumuentus quærebat necessariò pugnam, adoriensq; munimenta atq; assiduè lacessens eum, leuibus certaminibus plerunq; victor & superior fuit. Semel penè fuit oppressus & exercitum amisit. Quo tempore Pompeius, qui egregia pugna omnes pepulerat, interfecerat duo millia, instare vnaq; cum fugientibus in castra eorum irrumpere non valuit aut timuit. Vnde dixit apud amicos Cæsar, Victoriam fuisse eo die penes hostem futuram, si vincere sciuisset. Ea re sublati properauere Pompeiani acie decernere. At Pompeius quamuis ad absentes reges, duces, & ciuitates vt victor scriberet, aleam trepidauit tamẽ pugnæ, temporis longinquitate ac difficultatibus necessariorum oppressurum se ratus inuictos armis viros, ac diu iam vnà vincere assuetos: qui ad alia militiæ munera, ad vagandum, transferenda castra, fossas ducendas, munimenta excitanda præ senio fatiscentes manus quàm primùm conserere & confligere properabant. Pompeius verò antè suadendo adduxerat suos, vt quiescerent. Verùm vt secundum pugnam illam rerum necessariarum angustijs Cæsar compulsus contendit per Athamaniam in Thessaliam: haud poterant iam vltrà illorum spiritus frænari, sed fugere vociferantes Cæsarem, alij persequendum & instandum, alij censuerunt transmittendum in Italiam, alij ministros necessarios'que Romam miserunt, ad propinqua foro ædificia quasi mox honores petituri occupanda. Multi ad Corneliam Lesbum nauigauerunt gratulatum debellatum esse. Eò enim Pompeius clàm extra tumultum miserat illam. Porrò senatu coacto censuit Afranius apprehendendam Italiam. Hoc enim belli maximum præmium esse: cuius potentibus mox accessuram Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Hispaniã, Galliam omnẽ: deniq;,

Pompeij in Græcia apparatus.

Labienus ad Pompeium à Cæsare deficit.

Cicero sequitur Pompeium.

Cæsaris clementia.

† Cæsar nominat eum Vibullium Rufum.

Pompeius fugat Cæsarem.

Encomium ante victoriam.

cuius primā esset ratio porrigentē Pompeio manus ex tam propinquo turpe esse patriā pari ludibrio haberi seruireq́ue tyrannorū mancipijs & adulatoribus. Cæterum ipse Pompeius neq; vel ad gloriam sibi putabat honestū, cùm fortuna præberet ei insequēdi facultatem, iterum fugere Cæsarē, vt se ille insectaretur: neq; fas deserere Scipionem & dispersos per Græciā & Thessaliā consulares: qui mox in potestate Cęsaris cum argento & magnis copijs futuri erāt. Vrbi maximè se cōsulere, si de ea certent quàm remotissimè: quò expers & exors malorum expectet victorē. His decretis Cæsarē insequitur, pugna certum habens abstinere, tantùm circunsedere eum & rerū necessariarū atterere angustijs propè adhærens. Etenim cùm hæc aliàs existimauit conducere, tum sermo quidam ad eū est allatus, qui iactabatur inter equites, vt primùm fudissent Cæsarē, mox hunc quoq; in ordinem cogendum. Nonnulli ferunt à Pompeio ideo quoq; nulla in re adhibitū grauiore Catonem: sed cùm Cæsarem consectaretur, impedimentis eum apud mare præfecisse: quòd vereretur, ne sublato Cæsare abdicare se quoq; ilicò cogeret imperio. Dum ita Cæsarem sensim subsequitur: impetiuerunt eum criminibus & obtrectationibus, nō Cæsarē ipsius artibus, sed patriam & senatū circumuenire: quò semper cum imperio sit, neq; vnquam desistat illis, qui deberent orbē terræ regere, pro assectis & satellitibus vti. Domitius Aenobarba eum perpetuò Agamemnonem appellans & regem regum, inuidiam ei conflabat. Nec minus erant Fauonij importuna cauilla, quàm aliorum liberè emissæ intempestiuæ voces. Quirites, clamabat ille, toto hoc anno non vesceminì ficubus Tusculanis. L. Afranius, qui exercitus Hispaniēses amiserat, proditionis nota aspersus, cùm Pompeiū tunc detrectantē cerneret certamē, demirari se dicebat accusatores suos, cur non ad dimicandum cum prouinciarum mercatore procederent. His & huiuscemodi multis dictis virum impotentem gloriæ & ruboris erga amicos impulerunt Pompeium, vt relictis consilijs optimis suis ipsorum obsecūdaret spei & motibus. quod nec nauigij gubernatorem, nedum tot gentium & tantarum copiarum conueniebat summum imperatorem admittere. At hic, qui commendabat eos, qui nunquam indulgerent cupiditatibus ægrorum, medicos, ipse parti exercitus ægræ concessit, veritus ad salutem eius acerbus esse. Qui enim sanos illos dicas homines, quorum partim cōsulatus & præturas in castris deambulantes ambirent: Lentulo, Domitio, Scipioni de sacerdotio Cæsaris rixę, contentiones, & prensationes essent: quasi Armenius Tigranes aut Nabatæorum rex collata ipsis castra haberet: non autem Cæsar ille & legiones, quæ mille vrbes expugnauerant, gentes subegerant amplius trecentas, cum Germanis & Gallis inuicti pugnis inenumerabilibus conflixerant, hominum decies centena millia ceperant, totidem signis collatis fusos occiderant? Attamen instantes & tumultuantes, postquàm in campos Pharsalicos est descensum, coëgerunt Pompeium, vt concilium aduocaret. Ibi Labienus præfectus equitum exurgens princeps iurauit, nisi profligatis hostibus non excessurum se prælio. Idem omnes iurauerūt. Nocte visum Pompeio est in somnis theatrum ingresso sibi populū plaudere, templumq́ue se Veneris Victricis multis spolijs exornare. Hæc visio partim erexit eum, partim solicitauit nonnihil metuentē, ne Cæsaris familiæ Venerem contingenti accederet ab se decus & claritas: atq; exciuerunt eum Panici quidam terrores ex somno. Quarta vigilia supra Cæsaris castra, vbi omnia quieta erant, ingens effulsit lumen. Ex eo fax accensa flammea in Pompeij est castra delata. Ipse se Cæsar hoc, dum excubias circumiret, ait vidisse. Primo diluculo cùm castra mouere ante lucem statuisset: detendentibus tentoria militibus, iumentaq́ue & seruitia præmittentibus accurrentes exploratores nunciauerunt in castris hostium se multa arma vidisse huc illuc ferri, motum'que & tumultum ibi hominum esse ad pugnam accingentium se. Mox alij adfuerunt, qui referrent primam aciem iam instructam. Ibi Cæsar, cùm dixisset adesse expectatam diem, qua cum viris essent, non cum fame & inopia dimicaturi: iussit confestim sagum purpureum pro prætorio proponi. Id enim apud Romanos est signum pugnæ. Quo conspecto iubilantes milites omissis tentorijs ad arma concurrere, instruentibusq; aciem ordinum ductoribus iuit quisq; in chori modum sine tumultu peritè & silentio in ordinem suum. Fuit in dextero cornu Pompeius Antonio oppositus. In media acie socerum suum Scipionem cōtra L. Albinum locauerat. Sinistrum L. Domitius tenuit. Id firmauit equitum multitudine. Eò enim traducti omnes fuere: quò Cæsarem impellerent & conciderent legionem decimam, quæ habebatur longè fortissima, in qua consistere Cæsar cùm dimicaret, solebat. Animaduertens Cæsar tanto septum equitatu sinistrum hostiū cornu, metuensq; armorū splendorem sex cohortes ex secun-

Pompeius Cæsarem insequitur in Thessaliam.

Pompeius carpitur à suis.

Pompeij somnium ante aciem Pharsalicam.

Pharsalica acies

Cæsaris in acie Pharsalica stra-

tegema.

secunda acie detraxit, ac pone decumanos collocauit: præcepitq́; quieti vt consisterent, ne perciperet eos hostis: vbi inueherent equites, per principia procurrerent, nec pila emitterent, vt solent fortissimi ad gladios stringendos properantes: verùm superiora peterent, hostiumq́; oculos & faciem ferirent conuulnerarentq́;, haud substituros cum fuco suo pulchellos istos & floridos salatores, neque facturos, vt contra appetens oculos ferrum intuerentur. Dum hæc agit Cæsar, Pompeius ex equo aciem contemplatus vt hostes vidit cõsistentes & signum in ordinibus suis expectantes: contrà suos maxima ex parte non tranquillos, sed imperitia fluctuantes tumultuantes'que: timuit ne mox commisso prælio prorsus distraherentur. Itaq; imperat antesignanis, vt in procinctu atque in vestigio starent, atq; sic exciperent hostem. Id cõsilium reprehendit Cæsar. quippe eum ictuum ostendit ex incursu vehementiam remisisse: ac dum infestũ aufert impetum, qui inprimis milites in concurrendo cum hostibus ardore & alacritate implet, cum clamoreq́; & cursu incitat: languorem & teporem induxisse suis. Cæsar sub signis viginti duo millia habebat, Pompeius paulò amplius altero tanto. Signo pugnæ vtrinq; dato, incipientibusq́; concinere tubis, quisq; ex vulgo ea, quæ ad se pertinebant, volucbat. Pauci Romani ex optimatibus & Græci nonnulli præsentes extra aciem, vbi ante oculos fuit discrimen, expendebant: ambitio & concertatio quò deduxisset imperium.

Pharsalica pugna.

Arma cognata, acies germanæ, communia signa, vniusq́; ciuitatis flos tantus & vires secum collidebantur, demonstrantes naturam humanam, vbi commota est, quàm cæca sit & furiosa. Nam regere si cupiuissent & frui partis: quod indole optimum præstantissimumq́; erat terra mariq;, id habebant pacatum. Quòd si quid trophæorum & triumphorum desiderio concedere voluissent, bella Parthica & Germanica satiare vel sitientes valuissent. Supererat etiam ingens Scythia opus & India, et prætextus ad hęc haud inhonestus immodicæ cupiditatis velle domare barbaros. Quis enim aut Scytharum equus, aut quæ sagittæ Parthorum, aut Indorum opes septuaginta millium Romanorum militum sustinuissent Pompeio & Cæsare ducibus impressionem? quorum priùs nomen audierant quàm Romanorũ. Adeo horridas, versutas, & feras nationes victorijs suis peragrârant. Hi signis tunc concurrerunt, nec gloriæ suæ, cuius causa vexabant patriam, rationem habentes, qui dicti ad eam diem inuicti fuerant. Nam illa inita affinitas, Iuliæ illecebræ, atq; illæ nuptiæ, insidiosa ab initio fuerant & suspecta necessitudinis vtilitatis gratia contractæ pignora, nec germanæ amicitiæ consortium habuerunt.

C. Crastini centurionis Iuliani fortitudo.

Vt igitur campi Pharsalici viris, armis, equis completi sunt, & signa vtrinq; concinuere: primus ex Cęsaris acie procurrens C. Crastinus, qui centum viginti militum manipulum ducebat, pollicitus est Cęsari magnificè. Nam primum progrediẽs Cęsar castris aspexit, appellansq́; rogauit, quid spei de pugna haberet? Ille porrecta dextera exclamauit: Pręclaram victoriam Cæsar reportabis. Me autem hodie aut viuum aut mortuum laudabis. Horum dictorum memor erupit, multisq́; eum sequentibus in medios incurrit hostes. Statim gladijs res geri cœpta. Ibi multis interfectis instantem & per antesignanos perrumpentem excipiens quidam gladio per os traiecit, vt mucro transfixus emineret sub occipite. Occiso Crastino hac parte pugnabatur æquo Marte. Dexterũ cornu Pompeius tardiùs induxit, circumspectansq́; alterum, & equitum pugnam expectans morabatur. Iam illi ad cingendũ Cæsarem & equites eius paucos, qui in fronte erant locati, in peditum aciem conijciendos porrigebant alas. Ibi signo à Cæsare dato recepit se equitatus, & cohortes subsidiarię aduersus circuitionem locatæ tria millia hostibus occurrerunt, obijcientes'que se equis, vti præceptum erat, erectis pilis ora eorum foderunt.

Pompeij equitatus fugatur à Cæsare.

Illi vt omnis pugnæ rudes, & qui talem neque expectauerant, neque præmeditati fuerant, abiecto animo non sustinuerunt oculos suos & ora cædi: sed auersi oculos'que manibus integentes turpiter in fugam se effudere. Iuliani fugientibus omissis pedites sunt adorti, qua maximè nudatum equitatu cornu circundari & cingi poterat. His ex latere eos inuadentibus, simulq́; decima legione in frontem incurrente pedem retulere atq; cessere: cùm cernerent, qua re circumuenturos se sperauerant hostes, eam in se recidere.

Pompeij fuga in campis Pharsalicis.

Quibus pulsis, vt vidit puluerem Pompeius, et fugam coniecit equitatus: quo animo fuerit, difficile est dictu: sed dementi maximè similis & attonito mente, neq; Magnũ se Pompeium esse cogitans, neminemq́; allocutus, recepit se sensim in castra. in quem bene quadrabant hi versus,

At pater in curru residens sublimis eburno
Iuppiter Aiaci terrorem influxit. at ille

Homeri sunt, Iliad. λ.

Attonitus scutum septeno tergore vinctum
Ex acie timidus fugiens in terga reflexit.

Ita prætorium ingressus tacitus sedit, dum magna manus tergis fugientium inhærens vno agmine in castra irrupere. Tunc vna hac voce missa: Etiam in castra: præterea nihil locutus surrexit, sumptaq; veste præsenti fortunæ conueniente clàm castris excessit. Terga dederunt & cæteræ legiones eius. Magna cædes tentoria custodientium & seruitiorum edita. Militum sex millia tantùm cecidisse ait Asinius Pollio, qui eo in prælio à partibus fuit Cæsaris.

Castrorum Pompeij luxus.

Captis castris amentiam & leuitatem hostium contemplati sunt. si quidem tabernacula erant myrto omnia redimita & stragulis pictis exornata. Instructæ poculis mensæ, & crateres vini expositi, paratusq; & cultus sacrificantium & festos dies agentium potius quàm ad prælium se armantium. Ita spe occæcati inanisq; pleni fiduciæ ad pugnam processerant. At Pompeius paulùm extra vallum progressus equum dimisit. Paucis eum comitantibus vbi nemo est insecutus, abiuit sedato gradu voluens cogitationes, quales versare verisimile est virum annos quatuor & triginta omnes vincere & superare assuetum, cladem autem & fugam tum primùm in senectute sentientem, atque agitantem secum, ex quàm multis collectā certaminibus & bellis abiecisset vna hora gloriam & opes: per quas paulo antè tam multis armis, equis, classibus stipatus discedit, nunc vsqueadeo humilis & astrictus, vt hostes lateat ipsum inuestigantes.

Pompeij calamitas.

Præterita Larissa vt venit in Tempe, siti pressus abiecit se in os & bibit ex flumine. Inde surgens Tempe peragrauit, dum peruenit ad mare. Ibi quod noctis supeterat, in tuguriolo piscatorio quieuit. Circa diluculum nauem fluuiatilem conscendit, acceptisq; comitibus, qui liberæ conditionis erant, seruisq; ad Cæsarem absq; timore ire iussis: cùm terram legeret, nauem conspexit prægrandem onerariam, quæ vela factura erat. Nauclerum habebat ciuem Romanum, cui non magnus vsus intercesserat cum Pompeio, sed nouerat eum de facie, Petitium nomine.

Petitij naucleri somnium.

Huic fortè proxima nocte in somnijs oblatus Pompeius fuerat, non qualem contemplatus erat frequenter, verùm abiectus & mœstus secum colloquens. Vt solent tantis de rebus homines ociosi confabulari, hæc narrabat tum vectoribus. Ibi repentè nauta quidam videre ait se nauem fluuiatilē remis à tergo agi, hominesq; nonnullos vestibus signum dantes ac manus ad ipsos porrigentes. Petitius intentis oculis mox agnouit Pompeiū, qualem in somnis viderat: afflictoq; capite nautis iussit cymbam admittere, dexteramq; porrexit & appellauit Pompeium perspiciens ex habitu fortunæ eius cōuersionem. Vnde nullis expectatis precibus vel oratione, sed receptis cum eo omnibus, quos voluit (ambo Lentuli erant & Fauonius) in altū est prouectus. Mox regem Deiotarum videntes ex terra ad ipsos properantem, cum quoq; accepere. Cùm tempus cœnæ instaret, parasset autem ex præsentibus copijs Nauclerus: cernens Pompeium Fauonius seruorum penuria semetipsum lauantē, accurrit abluitq; & vnxit eum: nec destitit deinceps curare & inseruire ei, vt dominis serui, vsq; ad pedum lauationem & cœnam parandam. Vnde cùm cerneret quidam illius ministerij simplicem & minimè fucatum candorem, ait:

Pompeio Fauonius in fuga seruit.

Sententia.

Papæ decent vt omnia egregios viros.

Ita præuectus Amphipolim, inde Mitylenen transmisit, vt ibi Corneliam & filium acciperet. Postquàm ad littus insulæ applicuit, nuncium misit in oppidum nō pro expectatione Corneliæ: quæ ex nuncijs & scriptis ad gratiam ex decreto ad Dyrrachium bello vnum sperabat reliquum esse Cæsaris consectationem. Ea in mente illam offendens nūcius non sustinuit eam salutare: verùm pleraq; ac maxima mala lachrymis magis quàm voce exprimens monet eam, vt maturet: modò aspicere Pompeium in vna & aliena naui velit. Quibus nunciatis illa abiecit se in terram, diuq; dementis statu dimota & muta iacuit. Vix tandem recepta mente intelligens non esse lamentationum & lachrymarum tempus ad mare media vrbe decurrit. Procedente ei obuiàm Pompeio, exanimatamq; atque in ipsum se reijcientem complexo: Video te, inquit, iactari vir non pro tua fortuna, sed mea, vna huc eiectum scapha: qui ante Corneliæ nuptias quingentis nauibus hoc mari es prouectus. Quid me videre voluisti, nec duræ reliquisti sorti, quæ tanta te quoque obrui calamitate? Quàm sim mulier fortunata, si ante nunciatam Publij, cui virgo nupseram, apud Parthos cædem expirassem: ac sapiens, si eo defuncto vitam, vt instituteram, profudissem? Atqui seruata sum, vt essem & Magno Pompeio cladi. Sic fatam perhibent Corneliam, ac Pompeium respondisse: Tu verò vnam

Corneliæ mœror ob Pompeij cladem.

nosti Cornelia fortunam secundam, quæ tibi quoque forsitan imposuit, quòd solito diutius me sit comitata. Cæterùm hæc nobis, qui nati homines sumus, sunt ferenda, iterum'que periclitanda sors. Neque enim abijcienda spes est illa recuperandi ei, huc qui ex illis recidit. Tum illa afferri ex oppido res suas iussit, euocauit'que ancillas. Mitylenæis Pompeium salutantibus & inuitantibus in oppidum abnuit: atque monuit illos, victori vt parêrent, bonoq; essent animo. Nam clementem & benignum Cæsarem esse. Tum ad Cratippum philosophum conuersus (ille enim ex vrbe ad eum visendum descenderat) conquestus est, & cum eo disputauit nonnihil de prouidentia. Assensus Cratippus est, traduxitq; eum ad spem meliorem, ne acerbus vel importunus foret repugnando. Nam quæsiuisset tandem Pompeius de prouidentia aliquid. Ille demonstrasset propter peruersam rempubl. rebus principatu vnius opus esse. Quæsisset præterea: Quî & quo Pompei signo credamus, si Cæsarem vicisses, rectius te quàm illum fortuna vsurum fuisse? Verùm res diuinæ suo ordini relinquendæ. Accepta coniuge & amicis nauigauit sequẽs portus necessarios, vbi aquare & accipere poterat necessaria. Primum oppidum iniit Attaliã Pamphiliæ. Ibi ei nonnullæ naues ex Cilicia occurrere, milites'q; contracti ad eum sunt, atq; rursus sexaginta ordinis senatorij ad eum conuenere. Cùm acciperet classem adhuc saluam esse, & Catonem magna vi militum ex fuga collecta in Africam traiecisse: conquestus est semet ipse increpitans: quòd adactus pedestribus copijs confligere, & firmioribus citra controuersiam viribus nusquam vsus esset, nec classe cinxisset se: vbi si terra cespitasset, ilicò ad manum par haberet maritimum robur & vires tam ingentes. Neque enim fuit peccatum Pompeij maius, neq; consilium callidius Cæsaris: quàm quòd tam procul ab subsidio nautico prælium retraxerit. Verùm quia ex præsentibus facultatibus mouere aliquid & tentare necesse habebat, legatos misit ad vrbes. Ab alijs circumuectus ipse argentum postulabat & naues complebat. Sed quia velocitatem & celeritatem extimescebat hostis, ne superueniens ante apparatum opprimeret se: circumspiciebat in præsentia confugium & receptum. Prouinciam deliberans nullam se tueri videbat posse. Ex regnis Parthicum censuit pollentissimum tum ad ipsos excipiendos in præsenti & tegendos infirmos, tum ad confirmandos iterum & magnis viribus stipandos. Alij in Africam & ad Iubam animum conuertebant. Verùm Theophani Lesbio insanum videbatur, Aegypto quæ trium dierum iter abesset, relicta & Ptolemæo ætate adulto, atq; amicitiæ causa & beneficiorũ apud patrem collocatorum ei obstricto Parthis se subijcere infidissimę genti: & cùm viri Romani soceri quõdam sui nollet secundarius esse et primus aliorum, neq; moderationem experiri illius: arbitrio se permittere Arsacis, qui ne in Crasso quidem potuisset ius habere viuente: & mulierem iuuenem ex Scipionis familia ad barbaros, qui licentiam dirigant libidine & lasciuia, deportare.. quæ vt nullam iniuriam accipiat, attamen putari accepisse, cùm in manu fuerit eorum, qui facere possent, indignum esse. Vnum hoc, vti ferunt, ab itinere versus Euphratẽ auertit eum: si quod tamen Pompeij consiliũ & non fatum hac eum duxit via. Vt igitur ea sententia obtinuit fugiendũ esse in Aegyptum: cõscensa Seleucide triremi ex Cypro cum vxore soluit. Alij, pars in nauibus lõgis, alij in onerarijs eum comitati sunt. Pelagus tutò transmisit. Cùm aũt Ptolemæum accepisset Pelusij cum exercitu sedere & bellum gerere cum sorore sua: eò decurrit. Præmittit certum, qui aduentũ suum regi supplicibus verbis nunciet. Erat admodum adolescens Ptolemæus. qui in regni procuratione erat * Pothinus, consilium coëgit eorum, qui summam obtinebant authoritatem. Plurimum autem poterant, quos ille volebat. Hic iussit, vt suam quisq; expromeret sententiam. Iam erat miserum de Pompeio Magno consultare Pothinum eunuchum, Theodotum Chium mercenarium Rethoricorum magistrum ascitum, & Aegyptium Achillam. Hi enim inter cubicularios & nutritios alios erant principes cõsilij. Istius decretum cõsessus Pompeius in anchoris procul à terra stans operiebatur, quem incolumitatis gratiã Cæsari indignum erat debere. Aliorum eatenus discrepauerunt sententię, quatenus hi reijciendum, alij vocandum & recipiendum censebant. At Theodotus facundiam & declamandi ostentans facultatem neutrum esse ostendit explicatum: sed si recepissent eum, hostem Cæsarem ipsos habituros & Pompeium dominum: sin abegissent, in culpa futuros apud Pompeium, quòd ipsum repulerint: apud Cæsarem, quòd non sint persecuti. Optimum ergo factu esse, vt accitũ interficiant. siquidem & illi rem gratã facturos, neq; hunc formidaturos. Adiecisse aiunt arridentem, mortuum non mordere. Postq; in eam sententiam itum est, rem exequendã delegauerunt Achillæ. Hic Septimium quendam,

qui

Cratippi philosophi cum Pompeio victo, de prouidentia disputatio.

Pompeij fuga in Aegyptum.

Pompeij peccatum grauissimũ, & callidissimũ consilium Cæsaris.

† Comment. Cæsaris Photinum habent.

Aegyptiorũ deliberatio de recipiendo Pompeio.

Mortuos non mordere.

qui ordinem quondam duxerat sub Pompeio, Saluiumq; alterum centuriorem, præterea tres vel quatuor ministros assumpsit, atq; ita ad nauem Pompeij prouectus est. Fortè omnes primores eorum, qui Pompeium comitabantur, conscenderant ad eum: vt, quid ageretur, conspicerent. Vt videre non regium, nec splendidum, nec Theophanis cōgruentem spei receptum: sed naui vna piscatoria paucos homines venire: suspectum eum contemptum habuerunt, monuerunt'que Pompeium, dum extra telorum iactum essent, retrorsum vt in salutem ageret nauem. Interea appropinquante nauicula prior assurrexit Septimius, ac latinè Pompeium imperatorem appellauit. Achillas verbis Græcis salute data hortatus est eum, vt in nauiculam suam transiret: vadosum prædicans mare esse, nec triremis patiens, quòd breuia sabulosa haberet. Simul naues aliquot regiæ compleri conspiciebantur, & littus tenebant armati: vt nec elabi se, si mutarent consiliū, viderent posse. Accedebat, quòd percussoribus diffidentiam ipsam præbituri essent iniuriæ colorem. Salutata ergo Cornelia, quæ exitum eius iam antè deplorabat, duos centuriones, ex libertis vnum Philippum, & seruum Scynem nomine præ se in nauiculā iussit descendere. Porrigente dexteram ei ex nauicula Achilla ad vxorem & filium conuersus Sophoclis iambica pronunciauit:

Vt acceptus in Aegypto Pompeius.

Sophoclis dictū verissimum.

Quisquis domum elatam tyranni accesserit,
Fit illius seruus, licet liber venit.

His postremùm cùm suos esset affatus, ingressus est. Satis amplo interuallo inter terram & triremem vbi nemo eorum, qui in nauicula erant, hilariter est Pompeium allocutus: intuitus Septimium: Ecquid te, inquit, ego commilitonem quondam meum agnosco? Ille tantùm capite annuit, non est affatus nec benignitatem ei ostendit vllam. Cùm iterum iam immobiles silerent: tenens Pompeius in paruo libello conscriptam ab se Græcam orationem, qua vti apud Ptolemæum statuerat, eam cœpit legere. Postquàm terræ appropinquauerūt: Cornelia cum amicis ex naui anxia speculabatur euentum, cœpitq; sustollere animos: quòd ad descensionem multos ex regijs cerneret honoris & recipiendi eius gratia concurrentes. Ibi Pompeium, qui Philippum manu prehendit, quo surgeret commodiùs, Septimius primus à tergo traiecit. Inde secundum eum Saluius, mox Achillas enses strinxerunt. Ille ambabus manibus faciem toga intexit, nec quicquam indignū se locutus est nec fecit: tantùm suspirio edito patienter ictus excepit. Annos natus vndesexaginta postridie natalium suorum fato functus est. Illi, qui in nauibus erant, vbi cædem spectauerunt, gemitum edidere ex littore exauditum, anchorisq; properè solutis fugæ se mandauere. Benignus autem ventorum ex mari afflatus fugam eorum adiuuit. Vnde molientes persequi eos Aegyptij destitere. Caput Pompeij desecuerunt. Truncum è nauicula nudum proiecerunt reliqueruntq; spectare id cupientibus. Philippus, dum satiārunt oculos, remansit apud eum. Inde aqua marina abluit corpus, ac tunicula quadam sua inuoluit. Cùm nihil aliud ad manum esset, circumspiciens littus reperit paruulæ nauiculæ piscatoriæ marcidas quidem reliquias: sed quæ sufficerent ad rogū cadaueri nudo nec eo integro. Has congerenti & componenti quidam iam graui ætate ciuis Romanus assistens, qui prima stipendia iuuenis sub Pompeio fecerat: Tu, inquit, quis hominum es, qui Magnum Pompeium funerare paras? Qui vbi respōdit libertum eius esse: Atqui hoc decus, inquit, non apud vnum te residebit. Admitte me quasi pij lucri consortem, ne vndequaq; de hac conquerar peregrinitate, pro multis molestijs id certè nactus: vt manibus meis contingam & cooperiam summum populi Romani imperatorem. Ita funeratus est Pompeius. Postero die L. Lentulus huius rei ignarus ex Cypro aduectus & littus legēs, vt funeris pyram vidit atq; assistentem Philippum necdum satis eum agnitum: Quis hîc, inquit, fato functus iacet? Ac aliquantulo interposito spacio suspirans: Fortassis tu, inquit, Magne Pompei. Paulo pòst egressum ex naui comprehenderunt necaueruntq;. Hic exitus Pompeij fuit. Haud multo pòst in Aegyptum ita perculsam Cæsar veniens eum, qui caput Pompeij sibi obtulit, vt detestabilem auersatus est. Anulum eius accipiens illachrymauit. Insculptus leo erat ensem tenens. Achillam autem & Pothinum interfecit. Ipse rex in conflictu oppressus circa fluuium nunquā postea comparuit. Rhetor Theodotus Cæsaris vltionem declinauit. Nam profugus ex Aegypto palatus est abiectus & execrabilis. Eum M. Brutus interfecto Cæsare Asiam obtinens, repertum ibi atq; omni cruciatus genere affectum necauit. Pompeij reliquiæ relatæ ad Corneliam sunt, easq; illa in Albano humauit.

Pompeij cædes.

Pompeij funus.

L. Lentuli cædes.

Cæsaris humanitas.

Pōpeij anulus.

Pompeij interfectorum punitio.

Pompeij sepultura.

AGE-

AGESILAI CVM POMPEIO COMPARATIO.



Pompeius et Agesilaus quomodo sibi potentiam compararint.

ENARRATA vtriusque vita delibemus comparemusque discrimina. Sunt ea hæc. Primùm Pompeius iustissima ratione ad potentiam & gloriam euolauit sua industria, multisque & grandibus factis vindicans tâ tyrannis Italiam Syllæ præstò fuit. Agesilaus verò videtur ad regnum peruenisse non nisi violato diuino & humano iure: qui pro adulterino Leontychidem damnauit: cùm illum iustum filium frater eius appellasset, oraculumque elusit de claudidate. Deinde Pompeius Syllam & viuum perpetuò coluit, & defuncti funerauit represso Lepido corpus, filioque eius Fausto filiam suam nuptum dedit. At Agesilaus Lysandrum ex leui occasione proiecit atque indignissimè habuit. Et quidem non minora Sylla accepit à Pompeio, quàm apud eum collocauit beneficia. Agesilaum Lysander & Lacedæmoniorum regem & Græciæ fecit ducem. Tertiò reipubl. & iuris violationes à Pompeio sunt ob necessitudinem admissæ. quippe plerisque in peccatis socius affinibus fuit Cæsari & Scipioni. Agesilaus dignum ob illatam Atheniensibus iniuriam supplicio Sphodriam filij sui indulgens amori eripuit. Phœbidæ, qui contra fœdus violauerat Thebanos, non obscurè ob ipsum facinus libenter præstò fuit. Breui quæcunque vulnera reipubl. Romanæ per ruborem vel ignorantiam à Pompeio insimulauerunt inflicta: hæc ira & pertinacia inflixit Lacedæmonijs Agesilaus, qui bello Bœotico facem subdidit. Quòd si fortuna est aliqua vtriusque offensis accommodanda: insperata Romanis Pompeij fuit, Agesilaus verò audientes & præscios non permisit Lacedæmonios claudum regnum deuitare. Etenim si millies constitisset alienum Leontychidem & adulterinum esse: non deesset Eurytiondis tamen facultas germanum aliquem & rectum regem Spartę suppeditandi, nisi Agesilai causa vaticinio obstruxisset Lysander. At quale in hæsitatione de illis, qui ex acie fugerant, adhibuit Agesilaus, qui mox post cladem Leuctricam leges illo die silere iussit, non extat commentum ciuile, neque habemus vllum Pompeij simile. Imo ediuerso hic, dum potentiam suam amicis venditat, neque quas ipse tulerat leges, eas sibi duxit tuendas. Ille exprimente necessitate, vt leges ob salutem ciuium conuelleret, inuenit rationẽ: quemadmodum illis nihil obstarent: nec, ne obstarent, conuellerentur. Illud etiam numero factum virtutis ciuilis incomparabile Agesilai: quòd simul atque accepit scytalam, bellum Asianum reliquerit. Non enim, vt Pompeius, quibus rebus se magnum effecit, ijs auxit rempubl. verùm vtilitatem spectans patriæ tantam deposuit potentiam & decus, quantam vel antè vel pòst, cùm ab Alexandro discessisti, habuit nemo.

Agesilai & Pompeij peccata.

Pompeij & Agesilai res bello gestæ.

Vt igitur exordium aliud sumamus. In expeditionibus et rebus bello gestis trophæorum multitudine, exercituum quos duxit Pompeius, magnitudine & numero præliorum, quibus victoriam retulit, ne Xenophontem quidem arbitrer Agesilai victorias collaturũ eis fuisse. cui propter cæteras virtutes tanquam singulare præmium & scribere, quod placeret, & dicere fuit de illo concessum. Equidem etiam moderatione in hostes alterum alteri censeo pręstare. Hic enim cùm subiugare Thebas & Messenen desolare pararet, alteram caput, integram alteram totius patriæ vrbem, Lacedæmonem penè amisit, amisit certè imperium. Ille & piratis vitam mutantibus suam oppida dedit, regemque Armeniorum Tigranem, quem potuerat in triumpho ducere, socium fecit, vni diei præferens æternitatem.

Lacedæmoniorum imperium, ab Agesilao amissum.

Quòd si tamẽ summis est & præcipuis bellicis factis & consilijs attribuendus imperatoriæ virtutis primatus, multum Lacon Romano eminet. Nam primùm non deseruit neque reliquit vrbem, quando septuaginta millibus hostis inuasit, paucis ipse armatis septus & nuper apud Leuctra fusis. Pompeius simul atque Cæsar quinque millibus trecentis vnum occupauit Italiæ oppidum, excessit præ metu vrbe, aut tam paucis cedens ignauè, aut plures falsò conijciens: exportatisque liberis suis et coniuge, alijs autem ciuium destitutis fugæ se mandauit: cùm aut pugnandũ pro patria esset, aut pax à fortiore accipienda. quippe ciuis ille erat & necessarius eius. Nunc cui prouinciã prorogare & consulatũ in tolerandum ducebat decernere, huic facultatem dedit vrbe potito ad Metellũ dicendi se & illũ pro captiuo suo habere & reliquos omnes. Quod ergo officiũ boni imperatoris primũ est, vt fortior ad dimicandũ hostes cõpellat, & infirmior copijs ne compellatur: id præstãdo seruauit se perpetuò Agesilaus inuictũ. A Põpeio Cæsar, qua re erat inferior, inde

Pompeij peccatum in vrbe deserenda.

Boni imperatoris officium.

inde declinauit, ne incommodum acciperet: vbi præſtabat, coëgit ſigna terreſtribus copijs de ſumma rerum conferentem impingere: protinusq; potitus eo facto eſt pecunia, commeatibus, mari: quæ illi citra prælium ſuppetebant. Quæ autem prætenditur hîc ſatisfactio, ea maximum eſt tanti ducis crimē. Nouitium enim imperatorem ſtrepitu & occlamationibus in mollitiem & timiditatem conſternatum tutiſsima relinquere conſilia, non ſit ſanè nouum, ſed condonandum: Pompeium verò Magnum, cuius populus Romanus caſtra patriam, prætorium curiam, perfugas et proditores vocabant illos, qui Romæ rempubl. præturam, conſulatum gerebant: quem nullius cognouerant militem, ſed eum, qui omnia ſtipendia fortiſsimè ſub ſe ipſo compleuerat imperatore, quis ferat Fauonij & Domitij dicterijs, & ne Agamemnon appellaretur, tantùm non expugnatum, vt de imperio & libertate aleam iaceret? Qui ſi tantummodò infamiam præſentem ſpectaret: initiò debebat obſiſtens pro vrbe certare, et non in fuga illa iactans Themiſtoclis ſe æmulari conſilium, poſtea cunctationem in Theſſalia illam ante prælium ducere turpem. Neq; enim iſtud ſtadium eis & theatrum ad certandum de imperio deus aſsignauerat campum Pharſalicum. Neque excitatus per præconem fuit, vt ad pugnandum deſcenderet, aut alteri relinqueret coronam. ſed multos campos, infinitas vrbes, & vniuerſam terram maritimæ copiæ præbebant: ſi veſtigijs inſiſtere Maximi, Marij, Luculli, & ipſius voluiſſet Ageſilai: qui non minores tumultus Lacedæmone ſuſtinuit prouocantibus eum ad pugnandum pro agro Thebanis. Multas pertulit etiam in Aegypto calumnias & obtrectationes ob regis imprudentiam, cùm ſuaderet ei, vt quieſceret: vtens autem ex ſententia ſua optimis conſilijs non modò Aegyptios conſeruauit inuitos, neq; Spartam ſolùm in tanto motu ſtantem perpetuò tenuit, verùm etiam trophæum in vrbe excitauit de Thebanis: præſtititq; ex eo, quòd tunc cum ſua importunitate non perierint, vt etiam denuò victoriam potuerint obtinere. Vnde Ageſilaus ab illis, qui inſtiterant ei, pòſt conſeruatis collaudatus eſt. At Pompeius, qui aliorum cauſa titubauit, eos ipſos, quibus obtemperauerat, habuit accuſatores: licet à ſocero Scipione fuiſſe ferant eum deceptum. ſiquidem quò pecuniam maiore ex parte, quam deportauerat ex Aſia, interuerteret & ſupprimeret, eum quaſi deficiente ſtipendio Pompeium incitaſſe ad maturandam pugnam. Quod vt verum ſit, non debebat eo dux in errorem induci, neque tam leuiter eluſus ſummam rerum in præcipitem caſum dare. Atq; in his quidem ita vtrumque poſſumus in comparando contemplari. Iam in Aegyptum Pompeius neceſſariò nauigauit fugiens: alter neque honeſtè neque neceſſariò pecuniæ cauſa: quò mouere Græcis poſſet bellum ſubſidio mercedis, quam ex ductu ſuo erat à barbaris accepturus. Deinde quamobrem Aegyptios Pompeij nomine inſectamur, hac de cauſa criminantur Aegyptij Ageſilaum. Ille eſt enim, qui ijs credebat, violatus: hic, cui fides habebatur, eos deſtituit & deſciuit ad illos: qui cum his, quibus primùm venerat ſuppetias, bellum gerebant.

Pompeius, Fauonij & Domitij dicterijs impulſus, patriam deſerit.

Ageſilaus Pompeio conſtantior.

Pompeij in Aegyptum fuga excuſatur.

REVE.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO ANTONIO A' GRANVELLA, S.R.E. Cardinali amplissimo, Archiepiscopo Mechliniensi, &c. regis Hispaniæ consiliario, omnisq; eruditionis Mœcenati, domino suo colendissimo, Hermannus Cruserius S. P. D.



EXPLICANTI mihi latinè, amplissime Pater, scriptam à Plutarcho Græcè vitam M. Catonis philosophi, qui dictus Vticensis fuit, venit in mentem mirari: quid in causa sit, vt cùm præsunt reipubl. indocti & improbi, res cedant eis ferè ex sententia: cùm docti & probi, his omnes reflent venti. Quando enim viam his & rationē, quemadmodum gubernandum sit, eruditio mōstrat, & probitas suę gerit egregiam voluntatem ad rectè agendum: quî fieri posset, nisi comprobare velimus omnia fieri temeritate aliqua & nulla prouidentia, vt nō decurrant eò, quò intenderint? Contrà illi, quibus nulla est ars, & animus malus, quî cursum queant tenere vllum? An hoc dicemus, ciues & populares, quorum pars maxima non solùm abest à virtute & literis, verùm etiam odit eas, reniti excellentibus honestate & doctrina viris, sui verò similibus hominibus tetris atq; inertibus obsecundare atque ad hos se aggregare? An potiùs hoc ideo euenire, (quoniam non omnium conatus irriti virorum proborum rempubl. tractantium fuere) quòd aliqui lineam virtutis sequentes nimiùm directam, nolunt vllo modo se inflectere & accommodare nonnihil mores & instituta sua ad gustum ac stomachum eorum, quibus præsunt? Hoc áccidit præcipuè M. Catoni. qui quamuis literis esset excultissimus, omniq; virtute ornatissimus: quia nimiùm fuit rigidus, atq; placita Stoica sua vbiq; vt diagramma mathematicum sequebatur: sicut vinum austerum, quamuis maturum & salubre, ingratus fuit, neque palato populi Romani sapuit. Equidem sic existimo, qui rempubl. instituit capessere, huncantè cognoscere primùm mores suorum debere, deinde facultates expendere suas: vt si præsidia in se reperiat ea, quæ prodesse reipubl. queant, atque hæc posse se ad modos temperare ciuium, tum accedat bonis auibus. Quòdsi abhorrens ingenium suum à lenitate & moderatione reperiat, neque valere se in loco inuertere, eum nimirum consultiùs facturum, si à republ. abstineat, vt sibi viuat & Musis. Tales enim qui sunt, etiam lædunt subinde rempubl. nedum ei prosint: vt in M. Catone videmus. qui cùm nusquam se mutare, nihil dare vellet populo, nihil dissimulatione transmittere in Pompeio: effecit, vt & populus Romanus respueret ipsum atque alienaret ab eo se Pompeius adiungeretq; ad rationes Cæsaris: quare euersa respubl. est Romana. Cato enim, dum regere tanquam in republ. vt ait Cicero, Platonis voluit, non cogitans versari se in Romuli fæce: neque conniuere in leuibus Pompeij vitijs, non valuit occurrere grauissimis. Atqui quisquis moderari reipubl. intendit: hic assentiatur oportet temporibus, neque in vna sententia conuersis rebus permaneat, neque reluctetur semper, sed aliquando cedat. Nunquam enim præstantibus in republ. viris laudata est in vna sententia perpetua permansio. sed vt in nauigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas: cùm verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potiùs, quàm eo commutato, quò velis, tandem peruenire: sic cùm efficere in administranda republ. quod intendimus, regia via non possimus, circuitione vti & ambitu debemus: neque idem semper facere & dicere, sed idem semper spectare. Atque vt sol non directè contrario ac cœlum cursu rapitur, sed meatu fertur obliquo & leni, atque ita mundum temperat decentissimè: ita si infesta fronte concurrere cum dissentiente populo instituas, sæpenumerò nequicquam sudaueris, & laborem susceperis inanem. Vbi si quædam eius libidini indulgeas, in maximis eum, quò voles, duces: non aliter atque qui delabentem lapidem concedente & submissa manu excipiat, nihil hic offenderit se: vbi si eam obijciat decidenti aduersam, grauiter lædatur. Hæc ars defecit virum alioqui summum & excellentissimum Catonem. quam si ad virtutes eximias reliquas suas adiunxisset: facilè potuisset ruentem rempubl. Romanam constituere, moresq; ciuitatis perditos corrigere. Quia verò actiones tuæ, Reuerendissime Præsul, item ac Catonis in tempora corrupta & mores inciderunt labefactatos: existimaui illius viri inclyti simul & comparati cum eo Phocionis non rudis reipubl. administratoris vitas tuo nomini dicare: atque id eò præsertim, quòd præter reliquas præcellentes virtutes eam, qua destitutus Cato fuit, indulgentiam & comitatem actionesq; temporibus & moribus accommodandas egregiè te prudentissimus erudierit pater. Quòdsi tu pro singulari tua eruditione & humanitate operam, quam posui in traducendis vitis Plutarchi, comprobaueris, satis magnum fructum ceperim ex laboribus meis. Vale Reuerendissime Pater.

PROOEMIVM IN PHOCIONEM ET CATONEM MINOREM.

Demadis arrogans dictum.



EMADES Orator, quia ad Macedonum & Antipatri nutum rempubl. gerebat, Athenis pollens: cùm multas leges rogare multaq; dicere cogeretur præter ciuitatis dignitatem & morem: ignoscendum dicebat sibi esse, quòd naufragia ciuitatis gubernaret. Fuit hoc dictum arrogantius, traductum tamen ad Phocionis in republ. actiones verum dicas. quippe erat ipse naufragium reipubl. Demades, qui ita insolenter & vixit & rempubl. administrauit: vt de illo diceret Antipater iam sene, ex eo sicut hostia immolata linguam modò & ventrem superesse. At Phocionis virtutem, quæ grauem aduersariam erat & violentam temporum sæuitiam sortita, fortuna Græciæ languidam & obscuram reddidit ad gloriam. Neq; enim audiendus Sophocles est, qui imbecillem virtutem facit hisce carminibus:

In Antigona, verba sunt Ismeniæ ad Creontem.

Non mens eo statu remanet, quo floruit,
O rex in hisce, quos malorum pondera
Grauiter premunt, sed linquit afflictissimos.

Virtutis & fortunæ vis.

Tantam verò infestæ bonis viris attribuas vim fortunæ, quatenus pro merito honore & gratia infamiam nonnullis & probra referens fidem infirmat virtuti. Et quidem putantur insolescere magis in bonos populi, cùm lætas res suas existimãt, rebus magnis & potentia exultantes. Verùm diuersum áccidit. siquidem clades amaros mores iritabilesq; & præcipites reddunt in iram: adhæc aures difficiles atque morosas, quæ quouis dicto & verbo acri exacerbentur. Iam peccantes qui castigat, exprobrare videtur calamitates: & despicere, qui liberè loquitur. Atque vt corporis mel vulnera & vlcera pungit: ita frequenter vera & cordata oratio, nisi lenis sit & blanda, mordet ac stimulat afflictos. quanobrem dulce poëta μειλίχιος vocauit, quasi animo cedens nec repugnans vel renitens tumenti. Nam vt oculo inflammato opacus & fuscus gratissimus color est, splendidus verò & lucidus asperat eum: haud secus rebus obruta ciuitas asperis timet refugitq; ob imbecillitatem, cùm maximè opus habeat, rebus eò prolapsis, vt excitari nequeat ab offensa, veritatem audire. Quapropter versatur prorsus in lubrico ea respubl. quippe vnà secum blandientē auribus perdit, & acerbum perdit antè. Vt igitur prædicant solem mathematici non eodem ac cœlum motu volui, neque prorsus aduerso tamen & opposito: sed obliquam atque leuiter inflexam cursus formam tenendo lentum, flexibilem: & sequacem efficere anfractum, quo vniuersitas constat, atque optimam accipit temperaturam. In republ. item nimiùm directus, & per omnia populi voluntati reluctans ingratus est tenor & rigidus: vt contrà lubricus & procliuis, qui peccãtes sequitur, cùm eò videat inclinare populum. Illa verò, quæ parentibus concedit indulgetq;, inde exigit, quod fructiferum est, administratio & moderatio hominum in multis modestè atque vtiliter, nisi vbique imperiosè & violenter agantur: obtemperantium salutaris quidem est, verùm ardua eam, quæ ægrè cum lenitate temperatur, retinens grauitatem. Quæ cum hac si temperata fuerit, ea demum modulorum sit omnium & concentuum maximè concinna & delectabilis temperatura: qua mundum quoque perhibent Deum regere: non violentia, sed lepôre & ratione inducendo leniens necessitatem. Hæc Catoni minori vsu venere. neque enim blandis hic vel gratis plebi moribus præditus fuit, neque floruit in republ. obsequijs: sed ait eum Cicero quasi in republ. Platonis, non in Romuli fæce ageret, consulatus repulsam tulisse. Mihi verò videtur idem illi, quod fructibus accidisse intempestiuè prouenientibus. Vt enim hos contemplamur libenter miramur'que, nec vtimur tamen: ita mores antiqui Catonis in ciuitate corrupta & deprauata consuetudine existentes laudem quidem habuerunt & gloriam grandem, vsui tamen propter pondus & fastigium à præsenti abhorrens seculo virtutis non fuerunt consentanei. Etenim haud præcipite iam patria, vt Phocion, magna tamen tempestate & fluctibus iactata, vela & rudentes vt tractare & assistere posset potentioribus rempubl. gerēs: cùm à clauo esset & gubernaculo summotus, certamen exhibuit tamē fortunæ durum. quippe subiugauit illa quidem & prostrauit rempubl. per alios, verùm ægrè & tardè longoq; spacio, cùm victoria penes rempubl. penè fuisset per Catonem et Catonis virtutem: cum

Oratio qualis esse debeat. Dulce quid Homero. Sæpè in Odyß.

Respubl. quomodo moderãda, similitudine magnifica demonstratur.

Ciceronis de Catone & republ. Rom. dictũ, ad Atticum lib. 2. epist. 1.

qua

qua Phocionis conferimus non communibus similitudinibus vt bonorum & reipubl. tractandæ peritorum virorum: Nempe est & fortitudinis cum fortitudine discrimen, ceu eius, quæ Alcibiadis fuit, cum illa, quæ Epaminondæ: & cum prudentia prudentiæ, velut Themistoclis cum Aristidis: iustitiæ item cum iustitia, vt Numæ cum Agesilai. At horum virorum virtutes vsque ad extremas & indiuiduas differentias eundem characterem, effigiem, colorem morum communem præferunt impressum, quasi temperata pari modo cum austeritate humanitate, & cum cautione fortitudine: pro alijs sollicitudine, pro semetipsis securitate: turpitudinis fuga cum firmitate iustitiæ similiter in vtroque coaptata. vt ad discernendum & eruendū, quatenus discrepent, arguta opus sit tanquam instrumento oratione.

Fortitudo à fortitudine quomodo differt.

Phocion.



C Catonis quidem in confesso est clarum genus, vt pòst dicetur, fuisse: Phocionem verò auguramur loci fuisse non omninò obscuri & abiecti. Neque enim, si fuisset ei, vt Idomeneus autumat, pater artifex cochlearius: qui sexcēta collegit & obiecit ei conuitia, generis nouitatem Glaucippus Hyperidis filius prætermisisset: neque mores adeò liberales & honestos vel institutionem sortitus esset. qui Platonis admodum adolescens & pòst Xenocratis fuit in Academia auditor, studiorumque à prima ætate sectator optimorum. Siquidem neque ridentem neque plorantem quisquam Atheniensium temerè Phocionem vidit, neque in balneo publico lauantem, vt tradit Duris: neque extra pallium, cùm amictus esset, manum eius exertam. Nam peregrè quidem atque in bello sine calceis semper nudusque incedebat, nisi gelu immodicum esset & intolerabile: vt milites per iocum pro grauis brumæ nota haberent, vbi esset vestibus Phocion opertus. Quamuis autem moribus esset mansuetissimis facilimis'que, vultum tamen morosum & tetricum repræsentabat. vnde nemo facilè eum alienior conuenit solus. Itaque cùm Chares aliquando supercilia eius perstringeret, arrideretque populus Atheniensis: Nihil hoc vobis, inquit, mœroris intulit supercilium: at horum risus multas ciuitati lachrymas inuexit. Perinde oratio quoque fuit Phocionis vtilibus sententijs & consilijs salubris, coniuncta cum imperiosa, austera, & tristi breuitate. quippe, vt Zeno ait, mente tinctum proferre philosophum sermonem debere: pari modo habuit Phocionis oratio plurimum in concisa dictione sententiæ. quò apparet Spettium Polyeuctum respexisse, cùm diceret oratorem esse Demosthenem optimum, sed in dicendo acutissimum Phocionem. Quomodo enim habet monetæ æstimatio exigua in mole maximum valorem, sic huius orationis vim censebat verbis paucis multa significare. Et verò ipsum etiam ferunt Phocionem aliquando completo theatro sub scena inambulasse cogitabundum. Vbi cùm amicus quidam diceret ei: Videris aliquid Phocion tecum meditari. Sanè verò, inquit, meditor: an quid de oratione, quam habiturus ad populum Atheniensem sum, queā resecare. Demosthenes magnoperè cōtemnebat cæteros oratores: at cùm ad dicendum Phocion surgeret, solebat ad amicos dicere summissè: Orationum mearum securis adest. Cæterùm hoc sit fortassis ad mores eius referendum. quando viri boni vel verbum vel nutus solus mille instar sit sententiarum & ambituum verborum. Porrò adolescens sub duce meruit Chabria, eum'que est assectatus, à quo fuit in scientia militari institutus egregiè. Nonnihil vicissim illius ingenium correxit varium & impotens. Nam cùm segnis aliàs Chabrias & tardus esset, ipsis in certaminibus gliscebat & exardescebat animo, atque cum ferocissimis proruebat præcipitantiùs. quomodo sanè in Chio quoque vitam proiecit, cùm triremi sua ante cæteros prouectus descensionem vrgeret. At Phocion iuxtà cautum & impigrum præbens se, quà cunctationem excitabat Chabriæ, quà contra calorem impetus intempestiuum detrahebat. Vnde candidus & probus Chabrias dilexit eum, ad negocia'que & imperia prouexit celebrans apud Græcos, eius'que arduis in rebus vsus est opera, atque ex pugna nauali apud Naxum insigne nomen & gloriam Phocioni conciliauit. Nam

Phocionis genus.

Phocionis mores.

Phocionis oratio.

Oratio, quæ optima.

Phocionis prima militia.

Chabriæ et Phocionis victoria ad Naxum.

permisit ei læuum cornu, in quo acre certamen Mars habuit, & citò decreuit. Prima illa pugna ciuitas Atheniensis per se sola, postquàm capta fuit, conflixit cum Græcis, victrix'que Chabriam mirificè complexa est, & Phocionem vt virum æstimauit imperio dignum. Parta victoria est magnis mysterijs. cuius causa decimosexto die mensis Boëdromionis dabat populo Atheniensi quotannis Chabrias vini congiarium. Hinc fertur, cùm mitteretur à Chabria ad tributum ab insulis exigendum, ac naues viginti acciperet, dixisse: Si ad bellum gerendum mitteretur, maiore classe opus esse: sin verò vt ad socios, sufficere nauem vnam. Itaque sua naui profectum, allocutumq́ ciuitates, & congressum cum magistratibus humaniter & apertè, decurrisse cum frequentibus nauibus quas socij Atheniensibus cum stipendio misere.

Phocion quomodo Chabriam coluerit.

Non autem viuum modò constanter obseruauit & coluit Chabriam, verùm etiam defuncti propinquorum magnam curam gessit, & filium Ctesippum affectauit bonum virum reddere. quem licet vecordem videret & contumacem, non destitit tamen emendare & tegere eius vitia. Semel tantùm dicitur, cùm obtunderet ipsum in quodam bello adolescens, fatigaretq́ importunis quæstionibus & interrogationibus quasi castigans atque imperatoris munus eum docere instituens, dixisse: O Chabria, Chabria, magnam sanè tibi refero amicitiæ gratiam, qui filiū feram tuum.

Phocion quomodo rempubl. gesserit.

Cùm videret eos, qui id temporis rempubl. gerebant partitos quasi sorte bellicam & forensem administrationem, partim in concionibus dicere & rogationes promulgare tantùm: ex quibus Eubulus, Aristophon, Demosthenes, Lycurgus, Hyperides erant: Diopithem verò, Menesthea, Leosthenem, & Chareta imperando & bello gerendo opes quærere: institutum visum est ei Periclis, Aristidis, & Solonis tanquàm integrum atq́ ex ambobus concinnatum referre & imitari. Namq́ visus est illorum virorum quisq́, vt Archilochi verba vsurpem,

Vtrumq́, & Martis confidens esse satelles,
Musarumq́, artes nosse adamare pias.

Ac Mineruam ipsam bellatricem simul & ciuilium artium peritam esse et appellari videbat. Cùm ita se comparasset: semper quidem procurauit pacem & ocium, bella verò gessit plurima omnium non suorum tantùm æqualium, sed & priorum, non prensans neque ambiens eas prouincias: sed neque defugiens tamen neque declinans, vbi vsus vocauit eum reipubl. Constat enim eum quinque & quadraginta cepisse præturas, cùm comitijs ne semel quidem interfuisset, sed absens semper electus & accersitus esset. Itaque mirabantur insipientes populum: quòd cùm plurimùm Phocion in eum incurreret, neque vnquàm quicquam vel dixisset vel egisset populariter: sicut reges censent vti adulatoribus debere, post lotas manus: vteretur populus hic concionatoribus facetioribus & blandioribus per ludum: ad imperia sobrius semper & sedulus seuerissimum vocaret ac sapientissimum ciuem eum'que, solus vel præ alijs qui nutibus & libidinibus suis reluctabatur.

Phocionis dicta præclara.

Quippe cùm esset oraculum Delphicum recitatum, cæteris consentientibus Atheniensibus vnum dissentire à ciuitate ciuem: progressus Phocion liberare se eos ait solicitudine: se, quem quærerent, esse. Sibi enim eorum, quæ agerentur, vnì placere nihil. Cùm aliquando sententia dicta in concione celebraretur, orationem'que suam pariter videret ab omnibus approbari, conuersus ad amicos dixit: Numquid imprudenti mihi excidit mali? Flagitante congiarium ad sacrificium quoddam populo Atheniense, alijs'que præbentibus identidem appellatus ait: Hosce poscite diuites. Me verò puderet, vobis si largirer, huic non soluerem, monstrans Calliclem fœneratorem. Vbi non cessarunt vociferari & increpare eum probris, hanc narrauit eis fabulam: Quidam ignauus homo parabat ad bellum proficisci. Crocientibus autem coruis posuit arma tenuit'que se domi. Mox recipiens ea instituit pergere. Illis denuò crocientibus substitit & tandem ait: Etsi vos quàm maximè crociuistis, non gustabitis me tamen. Alio tempore iubentibus Atheniensibus, vt moueret in hostes: vbi renuit, timidum mollem'que appellantibus: Neque vos, inquit, facere me audacem potestis, neque vos ego timidos. Attamen nouimus nos inter nos. Cùm dubijs temporibus perquàm ageret cum eo populus asperè atque imperij rationes reposceret: Seruemini quæso, inquit, priùs. Cùm in bello essent abiecti & trepidi, pace verò facta ferocirent, ac conuitijs incesserent Phocionem, quasi eripuisset ipsis victoriam: felices estis, infit, ducem qui habeatis vos cognoscentem: alioquin iamdudum perijssetis. Cum Bœotijs vbi de agro volueré non iudicio sed bello disceptare: consuluit, vt verbis, quibus præstarent

statent: non quibus essent inferiores; armis cum ijs digladiarentur. Cùm aliquando sententiam eius non probarent, neque eum sustinerent audire: Me vos, inquit, quæ non probo, cogere, vt faciam, valetis: dicere, quæ non probo, præter sententiam non cogetis. Ex aduersarijs eius in republ. oratoribus cùm Demosthenes dixisset: Interficiet te populus Atheniensis Phocion, si insanire cœperit: Respondit, Te verò, si sapuerit. Polyeuctum Sphettium cùm videret per æstum authorem populo Atheniensi esse mouendi Philippo belli, inde anhelantem multùm & sudantem vtpote præpinguem, atque crebrò aquam sorbentem: Debetis scilicet, inquit, ex huius sententia bellum sciscere. quem in lorica & clypeo quid censetis facturum instantibus hostibus: cùm inter dicendum apud vos ea, quæ commentatus est, penè suffocetur? Cùm multa ei exprobraret in concione Lycurgus, præter cætera: quòd deposcenti decem ciues Alexandro, fuisset author, vt dederentur: ait, Multa ego his recta & salutaria consilia dedi, verùm non parent mihi. Erat Archibiades quidam, quem Laconistam appellabant, immensa promissa barba ac læna semper amictus tetricus'que. Hunc in curia Phocion acclamationibus iactatus testem dictis suis & suffragatorem aduocauit. qui vt exurgens, quæ accepta forent, consuluit Atheniensibus, apprehensa barba eius: Quin igitur Archibiade, inquit, tondes barbam? Cùm Aristogiton Sycophanta, qui in concionibus bellicosus erat, populum'que ad arma incenderat, in delectu accederet baculo innixus & crure obligato: conspicatus procul eum ex suggestu Phocion exclamauit: Scribe etiam Aristogitonem claudum & improbum. vt mirum sit, qui & vnde vir adeò asper & tristis cognomen inuenerit Boni. Cæterùm est meo iudicio arduum, haud impossibile tamen, vt vinum, sic hominem eundem dulcem pariter & austerum esse: sicut alij è diuerso in specie dulces, ingratissimi vsu sunt & nocentissimi. Et quidem Hyperidem memorant aliquando in concione dixisse: Nolite Athenienses aduertere solùm, an amarus, sed an gratis sim amarus. quasi illos tantùm, qui auaritia importuni & odiosi sunt: non autem hos potiùs, qui ad impotentiam & inuidiam vel iram vel contentionem abutuntur potentia, populus timeat & execretur. At Phocion inimicum ex ciuibus neminem afflixit, ac ne pro inimico quidem habuit: sed quantum res postulabat, tantum vt aduersus obsistentes suis pro bono publico actionibus luctaretur, horridus erat, pertinax, & implacabilis. Omnibus in cæteris placidum se communem'que & humanum præbebat, lapsis'que ferebat opem, atque periclitantibus aduocatus aderat aduersarijs. Exprobrantibus ei amicis, quòd turpem hominem defendisset: probos ait non indigere auxilio. Aristogitoni Sycophantæ post damnationem ipsum per amicos precato, vt ad se veniret, morem gessit, atque ad carcerem perrexit. Retinentibus eum amicis: Sinite quæso, inquit. vbi enim congrediare cum Aristogitone libentiùs? Porrò socij Atheniensium & insulares classes eorum duce missas alio pro hostibus habebant, muros sepiebant, portus obstruebant: pecora, seruitia, coniuges, liberos in vrbes ex agris deportabant. Sin imperator Phocion esset, nauibus suis longè occurrebant coronati & gratulabundi, deducebantque eum ad se. Cùm irreperet in Eubœam Philippus, eo'que exercitum ex Macedonia traduceret, atque oppida solicitaret per tyrannos: implorante opem Atheniensium Plutarcho Eretriensi, orante'que, insulam vt eriperet ex faucibus Macedonum: Phocion parua manu dux missus est, quòd incolas sperarent promptè ad eum concursuros. Qui omnia cùm offendisset proditorum plena, affecta, & largitione constuprata: in periculum adductus ingens est: occupato que tumulo quodam, qui caua valle à campo est circa Tamynas diremptus: in eo, quod firmissimum erat in exercitu, continuit & coërcuit. De incompositis, garrulis, & ignauis, qui ex castris aufugiebant & signa relinquebant, monuit duces nihil esse laborandum. quippe ob licentiam fore eos in exercitu inutiles, & obfuturos dimicantibus: domi verò horum sibi conscios minùs insectaturos ipsos neque multum calumniaturos. Vt infesti adfuere hostes, iussis suis sub armis consistere, quoad immolauisset, protraxit tempus diutiùs, vel quòd non litaret, vel quò hostes propiùs alliceret. Quapropter ratus primùm metu illum trepidare & obtorpescere Plutarchus, procurrit cum milite conductitio. Deinde conspicati id equites non continuerunt se, sed ilicò admiserunt equos in hostem, inconditique & effusi proruerunt ex castris. Dum cæduntur primi, omnes disiecti sunt, & fugam cepit Plutarchus. Pars hostium val-

Aristogiton sycophanta.

Phocion Bonus cognomine dictus. Vide Aemil. Probum.

Phocion gratus socijs.

Phocionis in Eubœam expeditio.

lum adorti excindere moliebantur & perrumpere tanquam omnibus fusis. Interea perpetrato sacro erumpentes castris Athenienses partim extemplò auertunt, & in fugam effusos apud vallum plurimos concidunt. Phocion phalangem in occasionem stare intentam imperat, colligere'que simul & recipere eos, qui in fugam antè dissipati fuerant. Ipse cum delectis incurrit in hostes, commissa'que acri pugna omnes impigrè & strenuè certauerunt. Thallus Cineæ & Glaucus Polymedis apud ipsum locati ducem præter cæteros dimicauerunt fortiter, & verò etiam Cleophanes insignem virum eo in prælio præstitit. Hic equites ex fuga reuocans, clamans & adhortans, vt periclitanti succurrerent imperatori: effecit, vt reuersi victoriam peditum confirmarent. Hinc Plutarchum exegit Eretria, & Zaretra opportunissimam arcem cepit, qua maximè coarctatur laxitas insulæ, quæ in angustam ceruicem vtrinque astringitur pelago. Græcos capi non permisit oratorum Atheniensium metu, ne populum ad secus in eos consulendum inflammarent. Postquàm rebus hisce gestis domum se Phocion recepit: mox desiderauerunt eius humanitatem & iustitiam socij, mox etiam populus Atheniensis peritiam eius & virtutem animaduertit. siquidem successor eius Molossus ita gessit bellum, vt etiam ipse in hostium potestatem viuus venerit. Vnde grandia Philippus spe complexus in Hellespontum cum omnibus copijs mouit ad occupandum simul Chersonnesum, Perinthum, & Byzantium. Parantibus suppetias ferre Atheniensibus contenderunt oratores, vt dux mitteretur Chares. qui eò profectus nihil copijs suis gessit dignum, neque acceperunt classem ciuitates: sed omnibus suspectus palabatur pecuniam cogens ab socijs, & ab hostibus contemptus. Populus verò, cùm esset ab oratoribus incensus, indignatus est, pœnituit'que eum summissæ Byzantinis opis. Ibi exurgens Phocion concionatus est: Iniquum esse diffidentibus succensere socijs, sed succensendum insidis ducibus. Hi enim vos reddunt, inquit, formidabiles, quantumuis citra vos incolumibus esse non valentibus. Hac permotus oratione populus mutauit sententiam, atque illum ipsum alia manu socijs iussit subuenire in Hellespontum: quod ad conseruandum Byzantium maximi fuit momenti. Erat nomen iam inclytum Phocionis. Vt verò etiam Cleon Byzantinorum virtute primus, Phocionis'que pridem in Academia familiaris apud ciuitatem pro eo intercessit, non passi sunt cum extra mœnia quamuis cupientem metari castra: verùm patefactis portis acceperunt eum, domum'que ad se duxerunt Athenienses. qui non solùm integros se in hospitijs & abstinentes, sed & promptissimos in prælijs sese ob fidem sibi habitam exhibuere. Ita Hellesponto tunc pulsus Philippus est & despectus, qui esse inuictus ac formidabilis videbatur. Ademit insuper Phocion ei aliquot naues, oppida'que, quibus ille præsidium imposuerat, recepit. Ad hæc crebras descensiones faciens fines eius populatus est & vastauit: quoad ab ijs, qui subuenerunt, vulneratus abscessit. Implorantibus clàm Atheniensium opem Megarensibus timens Bœotios Phocion, ne si præscissent, anteuerterent suppetias, summo mane concionem aduocauit: expositis'que populo Megarensium postulatis, vbi ea sciuere, signo tuba dato extemplò à concione eos, cùm tantùm arma sumpsissent, eduxit. Receptus à Megarensibus cupidè Nisæam muniuit, ac brachia duo interiecto inter vrbem & nauale spacio duxit, eam'que mari commisit. Ita parum iam de hostibus per terram solicita adhæsit Atheniensibus. Cùm iam indixissent bellum apertè Philippo, alij autem per absentiam eius duces belli creati essent: simul atque ab insulis domum est regressus, ante omnia suasit populo, cùm pacem Philippus cuperet formidaret'que impensè periculum, vt fœdus acciperent. Ac cùm quidam ei ex illis, qui iactare se in foro circa subsellia iudicum & quadruplaturam assueuerant facere, oblatraret diceret'que: Tu'ne audes Phocion arma iam manibus tenentem reuocare populum Atheniensem? Ego verò, inquit: id'que certus, bello me tibi, pace mihi te imperaturum. Vbi non flexit populum, sed Demosthenis valuerunt consilia, vt ab Attica quàm remotissimè Athenienses signa conferrent: Ne dispiciamus sodes, inquit, vbi dimicemus, verùm quemadmodum vincamus: ita demum longinquum erit bellum. Victis omnia atrocia semper propinqua sunt. Superatis Atheniensibus, turbatoribus'que & nouatoribus vrbanis Charidemum in suggestum trahentibus atque postulantibus, vt hic præficeretur exercitui: exterriti optimates, senatum'que Areopagi in concionem adducentes ægrè precibus & lachrymis impetrauerunt, vt rempubl. permitterent Phocioni. Cen-

Phocionis victoria in Eubœa.

Phocionis virtutes, aliena ignauia illustratæ.

Phocion seruat Byzantium.

Phocion eijcit Philippum Hellesponto.

Phocion Atheniensibus coniungit Megarenses.

fuit hic leges & conditiones amplectendas humanas, quas dixerat Philippus. Sed postquàm rogationem Demades tulit, vt ciuitas in societatem veniret pacis communis & conuentus Græciæ: intercessit, ni priùs cognoscerent, quas conditiones postularet à Græcis Philippus. Cuius cùm temporibus aduersantibus non obtinuisset sententia: Athenienses autem ilicò videret pœnitentia ductos, quòd naues & equites præbendi Philippo essent: Hæc, inquit, timens refragabar. Verùm quando ita estis pacti: non debetis grauiter ferre neque animum despondere, memores etiam maiores vestros nunc imperasse nunc paruisse, atque vtrunq; hoc rectè & ordine exequentes remp. ac Græciam conseruasse. Philippo defuncto immolare ob lætum nuncium prohibuit populum. quippe abiecti animi esse, malis exultare alienis: atq; exercitum, qui cum ipsis ad Chæroneam cõflixerat, vno tantùm homine ait esse diminutum. Demosthene autem Alexandrum arrodẽte Thebis iam exercitũ admouentem, dixit:

Malis alienis exultare, abiecti animi esse.

Homerus Odyss. lib. 9.

Cur miser intendis regem irritare ferocem,

& insignis gloriæ cupidum? Quò conaris tanto propinquo incendio præcipitare rempublicam? Atqui ne volentibus quidem perire his conniuebimus, qui propterea suscepimus ducatum. Vt euersæ Thebæ sunt, cùm Alexander Demosthenem, Lycurgum, Hyperidem, & Charidemum exposceret, coniiceret autem in illum concio oculos, crebrò eum excitans: exurrexit, atque vnum ex amicis, quo supra cæteros assiduè vtebatur, cui fidebat, & quem charum habebat, iuxta se statuens: Huc, inquit, rempublicam isti deduxerunt: vt equidem, si vel Nicoclem hunc quis deposcat, eum iussurus sim dedi. Nam ipse vitam pro omnibus vobis profundere felicitatem ducam meam. Miseret verò me, inquit, Athenienses Thebanorum quoq;, qui huc confugère: verùm sufficit Græcis Thebas lugere. Quare præstat, vt pro vtrisq; agamus & deprecemur victores, quàm vt præliemur. Ac primum plebiscitum perhibent Alexandrum, postquam fuit ei oblatum, proiecisse auersatumq; legatos recessisse. Alterum à Phocione allatum accepit, vbi de maioribus natu audiuit Philippum quoq; habuisse hunc virum in honore. Nec orationem modò & preces eius admisit, sed audiuit etiam consilium. Suasit ei Phocion, si ocium expeteret, vt poneret arma: sin gloriam, à Græcis versa transferret ea in barbaros. Ac multis dextrè pro Alexandri ingenio & mente dictis vsq;adeò eum inclinauit & demulsit: vt ille diceret, Atheniensibus aduertendum rebus animum esse, quando siquid se factum esset, pertineret ad eos imperium. Priuatim verò cum Phocione iure amicitiæ & hospitij inito prouexit illum eo honoris, quem pauci, qui nunquàm discedebant ab ipso, haberent. Refert Duris, postquàm euasit ingens, & Darium profligauit, ex epistolis detraxisse eum, Salutem: nisi cùm scriberet Phocioni. Huic vni sicut Antipatro Salutem in capite asscribebat. Idem Chares scriptum reliquit. Nam de pecunia quidem in confesso est, dono ei misisse ex Asia Alexandrũ centum talenta. His Athenas deportatis, quæsiuit ex ministris eius Phocion: qua de causa in multis Atheniensibus tantum munus soli sibi Alexãder largiretur? Vbi responderunt illi: Quòd te existimet vnum virum bonum & honestum. Ergo sinat me, inquit Phocion, talis vt & habear & sim. Qui vt domum eum secuti insignem aduerterunt frugalitatem eius, vxorem pinsentem, & Phocion ipse hausta ex puteo aqua pedes lauit: magis ac magis institerunt stomachatiq; sunt, turpe allegantes esse regis amicum tam viuere duriter. Ibi conspiciens inopem senem Phocion in obsoleta læna prætereuntem rogauit, num eo se arbitrarentur deteriorẽ? Bona verba, inquiunt illi. Atqui hic, inquit, ex re minore viuit, & est contentus. Breui, aut si minus vtar, inquit, pecunia hac, nequicquam tantum auri possidebo: aut si vtar, me ipsum iuxtà atque illum in calumniam coniiciam ad populum. Ita reportata ex Athenis pecunia est: ostenditq; Græcis ille, locupletiorem tantam summam dante esse non indigentem eius. At cùm Alexander offensus scripsisset ad Phocionem iterum, non habere se pro amicis eos, qui nihil ab se vellent accipere: nummos Phocion ne sic quidem cepit: postulauit autem, vt Echecratidem Rhetorem & Imbrium Athenodorum, præterea Rhodios duos Demaratum & Spartonem certis de criminibus comprehensos & Sardibus vinctos liberaret. Eos Alexãder extẽplò soluit, Craterumq; in Macedoniã mittens ex oppidis quatuor Asiæ Cio, Gergitho, Mylasis, Elæa vnũ iussit, quod eligeret, vt traderet Phocioni. ac multo vehemẽtius institit, indignè laturũ ostendẽs se, ni acciperet. Cæterùm nec accepit Phocion, & breui Alexander decessit. Phocionis ædes etiam hac memoria in vico Melita visuntur laminis ornatæ æreis, cætera tenues & modicæ. Vxorum, quas

Phocion ab Alexandro Magno honoratus.

Alexãder à Phocione Atheniensibus placatus.

Phocionis abstinentia.

Phocionis domus.

Phocionis vxores.

duxit, de priore nihil memoriæ proditum est, extraquàm Cephisodotum plastem eius fratrem fuisse: altera non minùs castitatis nomine & frugalitatis fuit Athenis celebrata, quàm ob probitatem Phocion. Spectantibus autem aliquando nouos tragœdos Atheniensibus histrio, qui proditurus erat in scenam, personam poposcit choragum reginæ ac multas eximie cultas pedissequas. Non præbente illo stomachabatur, tenebat'que suspensum theatrum progredi abnuens. At choragus Melanthius propellens eum in medium clamauit: Non cernis Phocionis vxorem vnà cum ancilla semper incedentem? Tu verò insolens es peruertis'que mulieres. Hanc vocem exauditam excepit theatrum ingenti plausu & strepitu. Ipsa vxor, cùm hospita quædam ei Ionica aureum gemmis'que distinctum mundum cum monilibus & torquibus ostendisset: Mihi, inquit, Phocion mundus est vigesimum iam annum dux Atheniensis.

Phocionis filius qualis.

Filio cupienti desultorem certare Panathenæis concessit, non victoriæ appetens, sed quò corpore exercitatus & meditatus euaderet melior. Fuit enim alioqui vinosus & dissolutus adolescens. Victori multis petentibus epulum victoriale præbere, reiecit Phocion cæteros, atque vni hanc munificentiam concessit. Vt venit ad conuiuium, & cùm alium aduertit fastuosum paratum, tum pedum lauacra ex vino cum aromatibus conuiuis oblata, appellato filio: Non compesces, inquit, amicum nostrum Phoce, quò minus victoriam deformet tuam? Quò autem filium semel ex illa vita extraheret, abduxit eum Lacedæmonem, & in contubernium dedit adolescentium, qui patria disciplina instituebantur. Id offendit populum Atheniensem, quasi Phocion instituta despiceret & fastidiret domestica. Cui cùm dixisset Demades: Quin inducimus Phocion populum Atheniensem, vt instituta Laconica recipiat? Quòd si mihi author sis, præstò sum ad ferendam & suadendam legem. Tibi verò, inquit, admodum conueniat tantoperè vnguentum redolenti & chlamydem istam gerenti de conuiuijs Laconicis consulere populo Atheniensi & Lycurgum laudare. Cùm mandasset per literas Alexander, vt naues mitterent sibi, obsisterent autem oratores, senatus verò Phocionem sententiam rogaret: Censeo igitur, inquit, vt vel armis vincatis, vel victoribus sitis amici. Aggredienti aliquando Pytheæ primùm concionem Athenis habere homini iam loquaci & audaci: Non silebis, inquit, idque cùm nouitius in populo sis?

Harpali contemnit pecuniam Phocion.

Postquàm Harpalus cum magna vi pecuniæ Alexandrum profugiens Atticam ex Asia appulit, & concionalium hirudinum fuit certatim concursatio operas suas ei venditantium: modicam his ille ex multis obtulit & obiecit escam: Phocioni verò per internuncios septingenta talenta obtulit, cætera'que omnia & cum omnibus semetipsum fidei eius vnius commisit. Cùm respondisset asperè Phocion, haud impunè Harpalum laturum, si pergeret ciuitatem redimere: ita in præsentia quieuit mœstus. Paulo pòst cùm haberet populus Atheniensis de ipso consilium: aduertit illos, qui ab se nummos acceperant, factos sibi aduersarios, ne detegerentur, oppugnare se: Phocionem verò, qui se abstinuerat, cum bono publico simul aliquam etiam salutis suæ habere rationem. Igitur denuò incumbens, captauit eum enixè. verùm omnibus circumspectis aduertit eum vt arcem, auro vndique inexpugnabilem. Cum Charicle verò eius genero consuetudinem & amicitiam contrahens: quòd crederet illi omnia, eoque in omnibus vteretur, coniecit eum in prauam suspicionem. Sed & Pythonicæ meretrici defunctæ, quã adamauerat, filiamque ex ea sustulerat, cùm Harpalus monumentum sumptuosum locare vellet faciendum, eius rei demandauit Charicli curam. Hoc ministerium per se turpe fœdauit insuper sepulchrum absolutum. Extat enim & hac ætate in Hermio, quà Athenis Eleusina itur: neque in eo triginta talenta, quantam summam expensam tulisse in id opus Harpalo autumant Chariclem, comparent. Et verò etiam post Harpali fata educta à Charicle & Phocione puella est & accuratè habita.

Phocion generum in mala causa defendere renuit.

Vocato tamen in crimẽ Harpali causa Charicle, oranteque Phocionem, vt præstò esset sibi, & in iudicio assisteret: renuit dicens: Ego te Charicle ad omnia honesta generũ asciui. Cùm Asclepiades Hipparchi Athenas princeps mortem Alexandri nunciauisset, negauit ei Demades credendum. Iampridem enim cadaueris fœtorem totum orbem fuisse occupaturum. Cernens verò populum Phocion ad res nouas propẽsum, conabatur eum placare & frænũ imponere:

Phocionis dicta quædam.

verùm cùm multi in suggestum prosilirent clamarentque vera Asclepiadem attulisse & fato functum Alexandrum: Igitur si hodiè, inquit, mortuus est, & cras erit & perhendie mortuus. Itaque poteritis per otium & tutiùs deliberare. Postquàm autem Leosthenes ciuitatẽ præcipitem

tem

tem in bellum * Græcum dictum egit, atque indignante Phocione quæsiuit per ludibrium: quid'nam suo annorum adeo multorum imperio reipublicæ profuisset? Non parum verò, inquit, quòd ciues in proprijs sepulchris sunt humati. Cùm ferociret & insolesceret Leosthenes ad populum, Phocion: Oratio tua, inquit, adolescens cupressorum similis est. Hæ enim grandes sunt & excelsæ, sed non ferunt fructum. Vbi adortus eum Hyperides quæsiuit: Quando igitur consules Phocion populo Atheniensi, vt arma capiat? Cùm iuuentutem, inquit, videro seruare ordines velle, diuites conferre, oratores ærarium non expilare. Cùm multi copias ab Leosthene conscriptas stuperent, rogarent'que Phocionem, quemadmodum instructas putaret: Rectè, infit, ad stadium: at dolichon exhorresco belli: quòd neque stipendium ciuitati aliud, neque naues, neque milites sint. Astipulata est autem ei res ipsa. Primùm enim rebus gestis Leosthenes, superatis acie Bœotijs & intra Lamiæ mœnia redacto Antipatro splendidus effloruit. Quo tempore ciuitatem memorant magnifica gustata spe quotidiè ex lætis nuncijs festos dies egisse, atque dijs honorem habuisse: Phocionem verò ad illos, qui se redarguere ipsum putantes posse requirebant: num hæc non optaret se fecisse? Omnino sanè, dixisse, verùm consuluisse illa. Alijs rursus super alia lætis nuncijs ex castris scriptis & allatis dixisse: Quando tandem desinemus vincere? Cùm defuncto Leosthene verentes aliqui, ne dux ad exercitum Phocion missus bellum transigeret, hominem quendam subornassent obscurum, qui exurgens in concione diceret, quòd amicus & condiscipulus esset Phocionis, monerese, vt parcerent ei reseruarent'que, cùm parem non haberent alium: Antiphilum autem exercitui præficerent: atque id populus probaret: progressus Phocion demonstrauit, neque se vnquàm istius condiscipulum, neque aliàs notum vel familiarem fuisse. verùm nunc, inquit, ex hodierno die amicitiam & necessitudinem ineo tecum: quandoquidem quæ è re mea sint, consuluisti. Molientibus bellum in Bœotios Atheniensibus primùm repugnauit, monentibus'que amicis occisuros ipsum Athenienses, si eos pergeret offendere: Iniuria, inquit, si quod è republica est, faciam: sin secus, iure. Vbi eos videt nihilò remissiores, sed obstrepentes sibi: pronunciare iussit præconi, vt Athenienses omnes, qui à pubertate intra sexaginta annos essent, cum quinque dierum cibarijs confestim se à concione sequerentur. Ibi magna turba excitata vociferantibus'que & exilientibus natu grandioribus: Quid hoc rei est, inquit? Ego dux annos natus octoginta vobiscum ero. Ea oratione repressit & reflexit illos in præsentia. Cùm verò ora maritima à Micione, qui ingenti manu Macedonum & mercenariorum in Ramnunta descenderat, ager'que vastaretur: eduxit in eum exercitum Atheniensium. Ibi alio atque alio hinc inde accurrentibus inferentibus'que se in partes ducis, & monentibus: vt illic tumulum occuparet, illic equitatum circummitteret, hic subsidiarios inter principia locaret: Papæ, inquit, quàm multos duces, paucos video milites? Vbi peditum aciem instruxit: quidam longè ante signa prouectus, mox timore perculsus occurrentis sibi hostis retrò ad ordinem suum recepit se: ibi: Non te pudet, inquit, adolescens duos deseruisse ordines? & quo positus à duce fueras, & iterum, vbi temet collocasti ipse. Hostes adortus fudit fugauit'que eos. Ipsum Micionem cum multis interfecit. Porrò Græcorum exercitus in Thessalia iunctos cum Antipatro Leonatum Macedonasq́, qui ex Asia venerant, acie fudit: vbi pedites Antiphilus, Menon Thessalus equites duxit. quo in prælio cecidit Leonatus. Post paulò cùm Craterus magnis copijs ex Asia venisset, signis iterum apud Cranona collatis cæsi sunt Græci, non magnam cladem tamen accepere, nec multi cecidere. At contumacia aduersus duces lenes & iuuenes, simul'que solicitante ciuitates eorum Antipatro dilapsi fœdissimè libertatem prodidere. Ibi cùm signa confestim moueret Antipater Athenas, Demosthenes & Hyperides cesserunt vrbe. Demades, qui nullam partem eius, quanti lis ei æstimata fuerat, poterat soluere, (quippe damnatus fuerat, quòd rogationes septem promulgauisset aduersus legum interdicta) & notatus infamia prohibebatur concionem habere. Tunc verò potestate facta legem rogauit, vt legati cum libera potestate ad Antipatrum mitterentur de pace. Verente id populo, Phocionem'que accersente, atque fidem illi vni se testante habere: Atqui si consilijs, inquit, paruissetis meis, nunc hisce de rebus non consuleremus. Ita lege perlata missus est ad Antipatrum, qui habebat in Cadmia statiua paratus mox in terram Atticam mouere. Primùm postulauit hoc, vt illis in castris

* Lamiacũ bellum intelligit.

Phocion pacem consulit.

Phocionis constantia. Val. Maximus lib. 3. ca. 8

Phocionis de Macedonibus victoria.

Græci victi ab Antipatro.

Phocion legatus ad Antipatrum de pace.

manens

manens pacem sanciret. Vbi Craterus iniqua fremuit ab ipsis Phocionem postulare, vt considentes ibi sociorum & amicorum fines vexarent, cùm deprædari liceret hostiles: apprehensa Antipater dextera eius: Dandum, inquit, Phocioni hoc est beneficium. De cæteris imperauit, vt Athenienses ipsis permitterent, sicut Lamiæ Leostheni voluerant ipsum. Itaque vt reuersus in vrbem est Phocion, & compulsi necessitate Athenienses id comprobauerunt: profectus iterum Thebas est adiuncto ab Atheniensibus inter legatos cæteros Xenocrate philosopho.

Xenocratis autoritas.

Tantum enim virtutis Xenocratis erat nomen apud omnes & opinio & celebritas, insolentiam vel feritatem vel excandescentiam vt existere in animo humano existimarent nullam, cui non ex solo Xenocratis aspectu rubor aliquis & reuerentia eius subiret.

Xenocrates contemptus ab Antipatro.

Enimuerò euenit ob improbitatem Antipatri & virtutis odium secus. Nam primùm complexus alios non salutauit Xenocratem. Vnde dixisse aiunt illum, rectè facere Antipatrum: qui indignitatis causa, qua ciuitatem Atheniensem statuerat afficere, vnum se erubesceret. Deinde dicere exorsum non ferens, sed interpellans infensus orationẽ eius præcidit.

Pacis conditiones ab Antipatro Atheniensibus præscriptæ

Cùm verò disseruisset Phocion, respondit amicitiam & fœdus se cum populo Atheniense facturum his conditionibus: vt Demosthenem & Hyperidem sibi dederent, rempubl. more veteri ex censu tractarent, præsidium in Munichia acciperent, præterea impensas belli & mulctã penderent. Has conditiones præter Xenocratem alij legati vt benignas læti accepere. Ille enim moderatè ait Antipatrũ vt cum seruis, vt cum liberis duriter egisse. Phocione autẽ præsidiũ detrectante & deprecante fertur Antipater dixisse: Omnia Phocion parati sumus tibi indulgere exceptis ijs, quæ & te & nos perdent. Alij non ita, sed interrogasse autumant Antipatrum: vellet'ne Phociõ, si præsidium remisisset Atheniensibus, sponsor esse, fœderi ciuitatem staturam, neq; quicquã molituram noui? Tacente & cunctante illo Callimedonta Carabum audacem hominem & liberis populis infestum exilisse cum hisce dictis: Quid si hic deliret Antipater, tu credes ei & à consilijs discedes tuis?

Athenienses accipiunt in Munichia præsidiũ

Ita præsidium Athenienses Macedonum acceperunt, et Menyllum ducem modestum virũ & Phocionis necessarium, quod imperium superbum visum est, & contumeliosæ licentiæ potiùs ostentatio, quàm vtilitatis causa occupatio. Non parum autem exaggerauit ipse articulus calamitatem. quippe die mensis Boedromionis vigesimo præsidium ingressum est mysteriorum solennibus, quo die Iacchum ex vrbe Eleusina deducunt. Itaq; confuso sacro multi reputauerunt & vetera festa & recentia. Olim enim secundissimis rebus spectra visa & auditas voces hac celebritate cum stupore & tremore hostium, nunc ijsdem sacris acerbissimos Græciæ casus deos aspicere, polluiq; sacratissimum tempus ijsq; acceptissimum, à quo nomen maximæ clades trahant.

Præsagia cladis Atheniensium.

Siquidem paucis antè annis sortes dederant ciuitati Atheniensi Dodonides, vt promontoria Dianæ custodirent, ne occuparent ea extranei. Tunc circa dies illos fasciæ, quibus mysticos lectos rediminunt, tinctæ colorem retulerunt pro puniceo pallidum & luridum. Et quod miraculum faciebat, priuata omnia, quæ vnà fuerunt infecta, colorem conuenientem accepere. Mystam porcellum lauantẽ cetus in liquido portu corripuit, imasq; corporis partes ad ventrem vsq; deuorauit: portendente illis clarè deo spoliatos parte vrbis ima & mari adiecta supernam seruaturos. Ac præsidium quidem obsistente Menyllo nihil ciues offendit. qui verò ob egestatem non fuerunt censi inter ciues, quorum fuit numerus supra duodecim millia: hi partim, si qui remanebant, magna iniuria & infamia videbantur affici: partim, qui idcircò excesserant vrbe atq; in Thraciam transmigrauerant, vbi eis Antipater agrum & oppidum dedit, similes apparebant expugnatis & exterminatis.

Antipatri crudelitas.

Iam Demosthenis in Calauria, & apud Cleonas Hyperidis fatum, de quibus alijs locis tractauimus, tantùm non amorem & desiderium subiecit Atheniensibus Alexandri & Philippi. Atq; id quod interfecto postmodum Antigono eiusq; interfectoribus homines exagitare & fatigare occipientibus rusticus quidam agrum in Phrygia fodiẽs, cùm rogaretur à quopiam, quid ageret? suspirans: Antigonum, inquit, quæro. Hoc, inquam, multis subijt dicere in memoriam illorum regum reuocantibus animum, quàm celsum, generosum, simulq; placabilem habuissent: non sicut Antipater. qui priuati persona & chlamydis vilitate & vitæ frugalitate licentiam dissimulans durior erat illis, quos opprimebat, teter dominus & tyrannus. At tamen Phocion cùm multos precibus apud Antipatrum exilio liberauit, tum exulibus impetrauit: ne sicut reliqui, qui erant trans montes Ceraunios & Tænarum summoti, extorres essent Græcia: sed sedes collocare in Peloponneso possent, ex quibus Agonides Sycophanta fuit. Curam gerens placidè & legitimè eorum, qui in vrbe erant,

rant, bonos & modestos retinebat in magistratibus perpetuò. Curiosos & nouarum rerum cupidos eo ipso, quòd in honoribus non forent, nec sollicitare possent statum ciuitatis, conglaciantes docuit libenter rusticari & agros colere. Xenocratem cùm videret pensionem vt inquilinum pendere, instituit eum in ciuitatem asscribere. Quod ille abnuit, nolle se dicens in ciuitatem accipi eam, pro qua legatus fuerat, ne esset libera. Munus Phocioni Menyllo & nummos offerenti respondit, neque ipsum Alexandro præstantiorem, neque meliorem esse causam, quare nunc caperet, qui tunc non accepisset. At vt Phoco filio saltem caperet rogante Menyllo: Phoco, inquit, si mutata vita ad frugem redeat, sufficiet patrimonium. Nam vt nunc se gerit, nihil ei satis sit. Antipatro verò respondit asperiùs aliquid ab ipso contendenti minùs honestum: Nempe non valet, inquit, Antipater me simul amico vti & adulatore. Ipsum referunt dixisse Antipatrum, duos sibi esse Athenis amicos Phocionem & Demadem: alterum horum, vt quicquam capiat, non posse inducere, alterum non implere. Et sanè paupertate Phocion vt virtute gloriabatur: in qua licet toties dux Atheniensium fuisset & regum vsus amicitia, consenuit. Demades verò diuitijs sibi placebat, vel per nefas. quippe cùm Athenis id temporis lege cautum esset, ne saltaret peregrinus, aut mille drachmas Choragus mulctam solueret: omnes peregrinos saltatores centum numero exhibuit, simul'que mulctam pro singulis in theatrum attulit millenas drachmas. Demeæ filio vxorem despondens: Cùm ego, inquit, matrem tuam fili ducerem, ne vicinus quidem sensit. Ad tuarum verò nuptiarum sumptus conferunt etiam reges & dynastæ. Cùm Phocionem obtunderent Athenienses, vt Antipatrum induceret ad remouendum præsidium: vel quòd non speraret se eum adducturum, vel quia modestiorem populum videbat & moderatiùs agentem ob metum: semper reiecit illam legationem, sed pecuniæ exactionem vt produceret & prorogaret, perpulit Antipatrum. Ita Demadem relicto eo rogauerunt. qui rem suscepit libenter: trahens'que filium secum perrexit in Macedoniam, diuinitùs haud dubiè illuc attractus eo articulo: quo Antipater iam morbo tenebatur, & Cassander rerum potitus, epistolam reperit Demadis in Asiam ad † Antigonum exaratam: qua illum incitauit ad imperium Græciæ Macedoniæq; asserendum, quod ex vetere & marcido stamine suspensum esset. Ita enim in Antipatrum erat cauillatus. quem vt Cassander conspexit aduenisse, prehendit eum. Ac primùm admotum ei filium interfecit, vt cruorem pater acciperet sinu, eoq; commacularetur: deinde ingratitudine & proditione ei acerbè exprobrata, probris laceratum interemit. Antipatro autem, cùm ducem creasset Polyperchontem & Cassandrum tribunum militum, defuncto mox properãs Cassander occupare dominatum Nicanorem properè mittit præfecturæ Menyllo successorem, iubetq; ei, antequàm Antipatri excessus vulgetur, accipere Munychiam. Eo facto cùm paulo pòst nunciatus Atheniensibus esset Antipatri exitus, in crimen Phocion vocatus est, obiectumq; ei: quòd cùm esset ea de re factus certior, Nicanoris gratia reticuisset. Enimuerò nihil hic ista est moratus: sed agendo cum Nicanore & colloquendo cùm alijs in rebus facilem eum Atheniensibus & benignum præbuit, tum vt munus quoddam præberet, sumptumq; subiret ludis edendis, induxit. Inter hæc Polyperchon regis curæ præpositus ad circumueniendum Cassandrum scripsit Atheniensibus literas: quibus continebatur regem eis rempubl. popularem restituere, iuberéq; vt omnes Athenienses pristinis legibus agerent. Insidiæ hæ erant in Phocionem. nam cùm traducere ad se studeret ciuitatem illam Polyperchon: nisi Phocione exterminato, vt postea te declarauit, nihil se sperabat effecturum. Expulsum autem iri eum, simul atque illi, qui ex ciuium albo fuerant erasi, reipublicæ superfusi essent tractandæ, iterumq; occupassent concionatores suggestum, & calumnias ei suffunderent. Cùm motus hinc Athenis aliquis exsisteret, cupiens appellare Nicanor Athenienses, senatu in Piræeo aduocato accessit, corpus'que suum eredidit Phocionis fidei. quem cùm regionis extra vrbem dux Dercyllus comprehendere conatus esset: id olfaciens ille subduxit se, statim'que præ se tulit vindictam se de ciuitate persecuturum. Phocion autem, cùm culparetur, quòd dimisisset illum nec retinuisset, negauit diffidere se Nicanori, vel quicquam ab eo expectare mali. Sin secus foret, malle se omnibus innotescere iniuriam accipere quàm facere. Hoc ab eo de se ipso videatur æstimanti probè & fortiter dictum. At qui salutem patriæ in præcipitem casum adducit, atque is dux & magistratus: haud scio an'ne maius violet & antiquius erga ciues ius. Neque enim

Phocionis dona Menylli respuentis, dicta præclara.

Phocion amauit paupertatem.

Demadis oratoris insolentia.

† In Demosthene dicit, ad Perdiccam.

Demadis miserabilis exitus.

Polyperchontis in Phocionem insidiæ.

Accipere, quàm facere, præstat iniuriam.

enim allegari illud potest: timētem, ne ciuitatem implicaret bello, ab Nicanore abstinuisse Phocionem: prætexuisse autem fidem & ius, quò verecundia adductus contineret se ille, neq; populum Atheniensem violaret. Sed apparet reuerà fidem ei infixam validam fuisse Nicanoris. quem multis deferentibus criminantibusq; Piræeū captare, mercenarium militem Salamina transportare, & corrumpere nonnullos Piræeum incolentes: non admisit crimina, neque habuit eis fidem. Imò etiam, cùm rogationem Philomedes Lamprensis promulgasset, vt omnes Athenienses arma caperent, & duci Phocioni parerent: indormiuit, quoad armis Nicanor ex Munychia motis cœpit circumuallare Piræeum. Dum ea geruntur, insurrexit in Phocionem ciuitas: & cùm exercitum Atheniensium educere vellet, non paruerunt ei.

Alexander Polyperchontis filius, insidiatur Atheniensibus.

Iam filius Polyperchontis aderat Alexander cum copijs, verbo contra Nicanorem populo Atheniensi suppetias venturus: re vrbem si facultas daretur, dissensione intestina flagrātem occupaturus. quippe exules, qui cum eo irruperunt, confestim tenuerūt vrbem, peregrinisq; & fæce ciuitatis ad illos se aggregantibus concio concurrit confusa & incondita: in qua Phocioni imperio abrogato alios creauerunt duces. quod, nisi colloqui cum Nicanore Alexander solus iuxta mœnia visus esset, idemq; facientes subinde suspicionem mouissent Atheniensibus, haud declinasset ciuitas periculum.

Phocionis accusatio.

Vt Agnonides orator confestim adortus est Phocionem, insimulauit'que factionem eius proditionis: Callimedon & Pericles trepidantes cesserūt vrbe. Phocion autem & qui apud eum remanserunt amici, concesserunt ad Polyperchontem: quos Phocionis gratia comitati sunt Platæensis Solon & Dinarchus Corinthius Polyperchontis necessarij & familiares habiti. Hi complures dies Elateæ propter Dinarchi aduersam valetudinem morati sunt. Interea populus suasore Agnonide, scripta que ab Archestrato rogatione legationem misit ad accusandum Phocionem. Vtrique sub idem tempus adierūt Polyperchontem, qui iter faciebat cum rege circa vicum Phocidis Pharygas iuxta montem Acrorion situm, quem nunc Galaten appellant.

Polyperchō Dinarchum necari iubet.

Ibi Polyperchon, posita aurea testudine, collocatisq; sub ea rege & amicis, maturans Dinarchum statim arripi iussit, & excruciatum necari. Inde dedit Atheniensibus audientiam. qui vt ex mutuis accusationibus complerunt tumultu & clamore consilium, accedens autem Agnonides ait: Conijcite nos vnam in caueam omnes, atque Athenas ad causam dicendam remittite. Arrisit rex: at corona Macedonum militumq; mercenariorum feriantium auebat eos audire. Itaque annuerunt legatis, accusationem vt ibi instituerent. Nihil erat æqui: sed dicenti Phocioni crebrò obstrepuit Polyperchon. deniq; percussa baculo tellure reiecit eum & silentium indixit. Cùm Hegemon testem sui erga populum studij Polyperchontem nominasset, Polyperchon verò respondisset infensius: Desine me apud regem onerare mendacijs: exiliens rex Hegemonem cōtendit lancea ferire. Verùm Polyperchon eum citò amplexus est, atque ita dimissum est cōsilium. At Phocione illisq;, qui circa eum erant, custodia septis quotquot eius amici non propè assistebant, vbi hoc viderunt, capite obuelato fuga salutem quæsiuere.

Phocion Athenas mittitur ad causam dicendā.

Reduxit illos Athenas Clitus, verbo ad causam dicendam, reuerà capitis damnatos. Species fuit perquàm tristis vecturæ. Plaustris vecti per Ceramicum fuerunt ad theatrum. Eò adductos Clitus custodiuit, quoad Archontes concionem aduocauerunt, non seruis, non peregrinis, nō famosis remotis: sed omnibus viris & fœminis suggestu ac theatro patefacto. Vt verò epistola lecta est regis, qui scripsit constare sibi hos proditores esse: verùm illis qui liberi iam & suis legibus immunes essent, permittere se iudicium: & reos introduxit Clitus: optimates ciuitatis Phocione conspecto rubore perfusi sunt, capiteq; deiecto lachrymas profuderunt. Vnus autem exurgens dicere est ausus, cùm tanti iudicij populo rex potestatem permiserit, debere seruos & peregrinos concione summoueri.

Plebis Atheniensis in Phociōē furor.

Non ferente id plebe, sed vociferante lapidibus cooperiendos eos, qui paucorum foucant potentiam, populiq; hostes, nemo vltrà verba facere tentauit pro Phocione. Ille vix tandem auditus: Vtrùm, inquit, iure nos, an per iniuriam statuistis interficere? Respondentibus quibusdam, Iure: Hoc qui cognoscetis, inquit, nisi audiueritis? Cùm nihilo magis aures præberent, accedens propiùs: Ego, inquit, fateor peccasse me, atque ob actiones meas rei capitalis me iudico. verùm hos Athenienses, qui nihil commiserunt, quamobrem necabitis? Respondente multitudine: quia amici tui sunt: abscedens Phocion conticuit. Ibi Agnonides recitauit plebiscitū, quod habebat scriptum: ex quo laturi erant suffragia, an deliquisse viderentur. Si damnati essent, sumendum erat de ijs supplicium. Recitato plebiscito postulauerunt quidam, adderetur, vt Phocion

ante

Atheniensium in Phocionē crudelitas.

ante supplicium tormentis laceraretur, inferriq; rotam & tortores iusserunt acciri. At Agnonides etiam Clitum videns indignantem, eamq; rem barbaricam censens & tetram; Vbi Callimedontem, inquit, verberonem Athenienses tenuerimus, eum tum excarnificemus. De Phocione nihil ego fero eiuscemodi. Hîc probus quidam vir succlamauit: Rectè tu sanè. Nam Phocionem si torserimus, tibi quid faciamus? Comprobato plebiscito populoq; in suffragia misso nemo sedens, sed exurgentes omnes, pleriq; & corona ti damnauerunt illos rei capitalis. Erant cum Phocione Nicocles, Thudippus, Hegemon, Pythocles. Insuper Demetrium Phalereum, Callimedontem, Chariclem, nonnullosq; alios capitis absentes damnauerunt. Postquàm igitur dimissa concione illos ad carcerem duxerunt, alij complectentibus eos amicis & familiaribus eiulantes & lamentantes ibant. At Phocionis vultum cùm talem viderent, sicut cùm dux solet à concione deduci, stupebant imperterritum & excelsum animum eius. Inimici verò prætercurrentes incessebant eum conuitijs. Vnus etiam inspuit in eum. Ibi Phocionem fama est conuersum ad archontas dixisse: Nemo huius reprimet petulantiā? Cùm Thudippus in carcere cicutam cerneret teri, questus est & deplorauit calamitatem suam: quòd iniuste cum Phocione occideretur: & tu non præclarè agi, inquit, putas tecum, quòd sustolaris cum Phocione? Rogante quodam amico, num quid ad filiū vellet Phocum? Maximè, inquit, iubeo, vt iniuriarum populi Atheniensis obliuiscatur. Nicocle, qui amicus eius fidisimus erat, rogante sibi vt permitteret priori venenum haurire: Hæc quidem, inquit, grauis mihi Nicocle & dura est petitio. verùm quia nihil tibi per omnem vitam denegaui aliud, hoc quoq; largior. Vbi biberunt iam omnes, defecit venenum, & carnifex aliud negauit se triturum, nisi duodecim drachmæ essent sibi numeratæ, quanti denarij pondus veniebat. Cùm intercederet mora & tempus traheretur: Phocion accersito quodam amico, ait: an'ne gratis quidem mori Athenis liceret? petijtq;, vt carnifici illud æris daret. Dies erat mensis Munichionis nonusdecimus, ac pompam Ioui agentes præteruehebantur equites: quorum alij coronas detraxerunt, alij fusis lachrymis fores carceris respexerunt. Existimauerunt illi, qui non prorsus erant immanes peruersiq; ira atq; inuidia animo rem maximè detestandam: quòd non sustinuisset illo die, neq; à cæde publica solenne agens abstinuisset ciuitas. Atqui, quasi minus rectè ludos egissent, visum inimicis est, vt etiam corpus extra fines projceretur Phocionis, ac nequis Atheniensis rogum funeri incenderet. Quamobrem nemo amicorum corpus fuit ausus attingere. Conopion quidam tali assuetus ministerio operam locare exportatum vltra Eleusina cadauer igni ex æde mulieris Megaricæ sumpto cōbussit. Ibi mulier Megarica cum ancillis assistens tumulum honorarium aggessit, atq; inferias dedit Phocioni. Ossa in sinu collegit, eaq; nocte domum deportata defodit apud focū cum his verbis: Apud vos optimi penates has boni viri reliquias depono. Eas vos, cùm Athenienses ad mentem redierint, patrio reddite sepulchro. Et sanè breui interuallo rebus docti Athenienses, qualem moderationis & iustitiæ præsidem custodemq; amisissent, statuam ei ex ære posuere, & ossa publicè extulere. Accusatores, Agnonidem rei capitalis damnauerunt necaueruntq;: Epicurum & Demophilum ex vrbe profugos Phocionis filius consectatus est, pœnasq; ab eis exegit. Hunc ferunt nec aliàs probum virum fuisse, & cùm adamaret puellam, quæ apud lenonem alebatur, fortè Theodori Athei disputationi interfuisse in Lyceo habitæ huiuscemodi: Si dilectum redimere turpe non est, nec dilectam item: quòd si non amicum, nec amicam. Hac disputatione ad libidinem suam accommodata vt præclara redemisse eum meretricem. At hoc quod commissum in Phocionem fuit, illam in Socratem noxam denuò refricuit apud Græcos: quòd germanisimum huic illud admissum peccatum & vulnus appareret à ciuitate acceptum.

Phocion rei capitalis damnatus.

Phocionis damnati constantia.

Phocioni ne gratis quidem mori licuit.

Phocionis funus.

Vltio mortis Phocionis.

Cato Minor.

Catonis genus.



CATONIS Natales claritatis incunabula & gloriæ à proauo acceperunt viro Romæ ob virtutem clarißimo & potentißimo, vt in vita illius recensuimus. Relictus est hic cum fratre Cæpione & Porcia sorore parentibus orbus. Fuit præterea Catonis Seruilia soror vterina.

Liuius Drusus.

Omnes hi apud Liuium Drusum auunculum ac principem tunc ciuitatis educti fuere. Etenim fuit ille disertißimus & cętera vir comprimis bonus, ac si quis alius Romanorum, prudens.

Catonis mores.

Fama est à prima statim ætate mores Catonem voce, vultu & per ludum præ se tulisse vbique inflexibiles, infractos, & stabiles. quippe habebant neruos impulsus eius supra ætatem vehementes, erat'que cum adulatoribus asper & horridus, tum magis obnitebatur terrentibus. A risu tam alienus, rarò vt ad leuem risum deduceret supercilia. Non præceps neque procliuis ad iram. Vbi verò exarsit, placatu difficilis. Vt igitur literis admotus est, stupidus erat ad percipiendum & tardus.

Cur memoria minus valent sagaces.

At quod semel percepisset, id retinebat neque dabat obliuioni. Quod alioquin est natura comparatum, vt memoria minus valeant sagaces: valeant autem, qui cum labore & sudore arripuerunt. quippe existit vnaquæque disciplinæ comprehensio quasi fax animi. Atque apparet Catonem, quòd ægrè induceretur, difficiliùs arripuisse literas. Nam profectò patitur aliquid, qui discit: & persuaderi citiùs solent, qui minus valent reluctari. Quare persuadentur faciliùs iuuenes quàm senes, ægri quàm sani. Denique in quibus hæsitatio est imbecillima, ibi facillimum est, quod suggeritur. Magistro tamen Catonem dicto audientem perhibent fuisse & fecisse, quicquid ille iuberet: sed causam requisisse singulorum & rationem percunctatum.

Sarpedo præceptor Catonis.

† Val. Max. habet Q. Popedius.

Erat namque præceptor eius vrbanus, promptior'que ad inducendum ratione quàm pugno, Sarpedo nomine. Catone etiamnum puero socij populi Romani de ciuitate Romana obtinenda agebant, & † Silo Popedius insignis bello vir maxima'que authoritate, atque Drusi amicus complures dies diuertit apud eum. Interea factus pueris familiaris: Facite, inquit, vt auunculum pro nobis oretis, quò adiutor nobis in assequenda ciuitate sit.

Catonis austeritas.

Ac Cæpio arridens annuit. Cùm Cato nihil responderet, & intentis oculis intueretur hospites rigidè, Popedius: Tu verò, inquit, quid respondes adolescens, vis'ne hospitibus apud auunculum sicut frater præstò esse? Obmutescente Catone, silentioq; & vultu præ se ferente petitionem abnuere: sustollens eum Popedius quasi de fenestra præcipitaturus promittere iussit, alioqui ipsum deiecturum se minatus est: simul'que voce est asperiore visus, & suspensum corpus identidem ex fenestra librauit. Quod vbi ita diu Cato sustinuit intrepidus & imperterritus:

Catonis pueri mira constantia.

Popedius eo deposito summissè ait ad amicos: Quantum Italiæ promittit hic puer boni? qui si vir sit, ne vnum quidem suffragium opinor in populo ferremus. Alio tempore cùm propinquus quidam Catonis inter alios pueros ipsum quoque ad cœnam natalibus suis vocasset, feriantes in parte quadam ædium colludebant inter se promiscuè iuniores & maiores. Ludus erat iudicia, accusationes, & abductiones damnatorum. Ex iudicatis pueris vnus facie speciosa à maiore puero ductus in cubiculum & vinctus appellauit Catonem. Mox Cato re intellecta perrexit ad fores, repulsaq; statione & obsistentibus eduxit puerum, atque ira percitus recepit se domum, comitati'que sunt eum pueri cæteri. Vsqueò autem celebris erat, vt cùm esset

Syllæ in Catonē puerum amor.

Sylla certamen sacrum equestre puerorum, quam Troiam nominant, editurus: & contractis nobilibus pueris duos designasset duces eorum, quorum pueri alterum matris causa acceperūt: (Nam Metellæ erat vxoris Syllæ filius) Alterū non admiserunt, quamuis Pompeij fratris filius esset Sextus nomine, neq; exercere se sub eo neq; sequi eum sustinuerunt. Percunctante Sylla, quem vellent, omnes alta voce postulauerunt Catonē, submittens'que se ipse Sextus Catoni id decus concessit vt præstantiori. Erat eorum Sylla amicus paternus. Vnde eos aliquando accersebat admittebatq; ad colloquium. quam familiaritatem tribuebat ob maiestatem & fastigium imperij, quod obtinebat, &

Catonis pueri in tyrannum odium.

potentiæ perquàm paucis. Quod Sarpedo magnum ducens iuxtà ad honorem & ad securitatem, Catonem ducebat assiduè salutandi Syllæ causa domum eius: quæ ob multos, qui ducebantur & torquebantur, nihil à carnificina abhorrebat. Annum agebat

tunc

tunc Cato quartumdecimum. Is multorum, qui illustres viri dicebantur, capita efferri videns, & præsentes occultè ingemiscentes, rogauit magistrum, eum hominem cur interficeret nemo? Subijciente illo: Nempe timent, puer, eum magis quàm oderũt. Quin igitur, inquit, mihi gladium dedisti, vt eo interempto asseruerim ex seruitute patriam? His verbis auditis Sarpedo obtutumq; eius & vultum iræ atque ardoris plenum considerans vsqueadeo metuit, vt deinceps attenderet & obseruaret diligenter, ne quò se præcipitantiùs demitteret ille. Cùm adhuc admodum puer esset, responsum dedit exquirentibus, quem maximè amaret? fratrem. quem secũdum? æquè fratrem: & tertium, quousque eodem subinde repetito responso destitit alter à percunctando.

Catonis in fratrem amor.

Vbi adoleuit, confirmauit etiam atque etiam eam beneuolentiam in fratrem. siquidem annos natus viginti sine Cæpione nunquam cœnauerat, non peregrè profectus, non in forum progressus fuerat. verùm vnguentum sumente illo repellebat id, cæteraq; restrictam vitã & rigidam tenebat. Ac Cæpio, cùm frugalitas eius & moderatio extolleretur, fatebatur talem se esse, si cum alijs cõtenderetur. at vbi cum Catonis vita, inquit, comparo meam, nihil mihi ipse videor à Sippio differre, nominans quendam decantati luxus & mollitiæ. Cato autem postquàm sacerdos Apollinis est factus, mutato domicilio, partitus patris hæreditatem, ex qua portio fuit eius centum & viginti talentûm, vitam impendio magis astrinxit: atque Antipatro Tyrio Stoicæ sectæ philosopho in contubernium allecto incubuit potissimùm ethicis & politicis præceptis, atque ad omne genus virtutum quasi afflatu aliquo lymphatus est raptus.

Antipater Stoicus, Catonis præceptor.

Supra cætera officia iustitiam amplexus est rigidam & inflexam ad benignitatem vel gratiam. Excoluit etiam dicendi in concione facultatem, volens in politica philosophia tanquam ampla ciuitate etiam vires quasdam obiter ali bellicas. Haud præsentibus alijs tamen exercuit se, neque quisquam audiuit declamantem: sed & amico dicenti, Homines silentium tuum Cato reprehendunt: Modò, inquit, ne vitam. Tunc ad dicendum accingar, cùm non dicturus sim silentio digna. Basilicam, quæ Porcia dicitur, dedicauerat in censura Cato Maior. In ea tribuni plebis dare audientiam soliti, cùm columna subsellijs officere videretur, eam deliberauerant remouere vel traijcere. Id Catonem primùm protraxit in forum inuitum.

Catonis actio pro basilica Porcia.

Nam obiecit se illis, mirificumq; dedit eloquentiæ pariter & animorum specimen. Etenim nihil oratio eius iuuenile, nihil fucatum habebat: sed erat elata, plena, & aspera. Vrbanitas tamen aures mulcens sententiarum distinguebat breuitatem: moresq; eius in oratione elucentes condimentum quoddam & mel seueritati præbebant non iniucundũ. Vox satis erat canora & sufficiens, vt à tanto populo exaudiretur. Vires & latera firmissima habebat & indefatigata. Nam subinde cùm integrum diem diceret, non est confectus. Cùm eam causam obtinuisset, reduxit se ad silentium de integro & ad commentationem. Corpus validis exercitationibus subigebat, assuefaciens se ad æstum & niuem aperto capite ferendã, atque ad iter omnibus anni temporibus pedibus faciẽdum. Amici, qui eum comitabantur, vtebantur equis: ac sæpe modò huic, modò illi vicissim adiungebat se Cato colloquens cum vehentibus ipse pedibus ingrediens.

Catonis exercitatio.

Adhæc incredibili erat in morbis tolerantia cum continentia. Febricitans enim solus secum diem traducebat nemine admisso, quoad firmam alleuationem & conuersionem sentiret morbi. In cœnis sortem mittebat de portionibus. Si sors ipsum destituisset, amicis vt primã tolleret, instantibus: parum id air conuenire inuita Venere. Initiò semel tantùm cùm bibisset super cœnam, digrediebatur. verùm progressu ætatis maximè dedidit se potui, ac subinde in vino vsque ad diluculum transegit.

Catonis potationes.

Prætendebant hîc rempubl. amici & publica negocia, in quibus totos dies districtum & prohibitum philosophiæ vacare Catonem noctu atq; inter pocula ferere cum philosophis colloquia. Quapropter cùm Memmius quidam diceret in cœtu totas commessari noctes Catonẽ, subijciens Cicero: Sed illud non addis, inquit, totos dies eum alea ludere.

Ciceronis de Catone dictum.

Breui ab illius temporis moribus & studijs diuersam censens Cato viam capiendam tanquam corruptis & magnam requirentibus correctionem: cùm purpuram videret affatim rubore fulgentem & saturam in pretio esse, ipse ferebat nigrã. Crebrò sine calceis & tunica procedebat à prandio in publicum: non quòd gloriam ex hac nouitate aucuparetur, sed quò assuefaceret sese ob solam turpitudinem erubescere & infamias contemnere reliquas. Cùm hæreditas ei venisset patruelis Catonis centum talentûm, redegit eam in argentum: & cui opus erat ex amicis, mutuò dabat sine fœnore. Alij prædia quoque & seruitia eius concedentis & authoritatem accommodantis ærario oppignerabant. Vbi iam ætatem suam connu-

Catonis matrimonia.

bio putauit maturam, nullius consuetudine mulieris vso desponsa fuit Lepida Scipioni Metello antè pacta, quæ sponsalibus diremptis tunc sui iuris erat. Cæterùm quòd pœnitentia Scipionẽ ante nuptias subiisset, omnia molitus duxit eam. Qua re incensus vehementer est & exarsit Cato, voluitq́ id iudicio persequi: sed retentus ab amicis ira & iuuentute consultricibus ad iambica se conuertit, multisq́ probris Scipionem proscidit. Felle in eo scripto vsus est Archilochi, relicta eius lasciuia & nugis puerilibus. Inde Attiliam Sorani filiam matrimonio sibi coniungit: cum qua prima concubuit, verùm non cum sola, vt Scipionis familiaris Lælius. cæterùm felicior ille longo, quo vixit tempore vnam, quam primam duxerat, cognouit mulierem.

Lelij matrimonium.

Catonis militia.

Bello seruili conflato, quod Spartacium vocauerunt, præerat exercitui Gellius. Eo in bello voluntaria stipendia Cato fecit fratris causa Cæpionis, qui tribunus militum erat. Atque explicare, quantam cupiebat, alacritatem & exercitationem virtutis, quòd dux gereret rem imperitè, nequiuit. Dum tamen in magna militum illorum ignauia & luxu præstitit disciplinam, atque vbi vsus quæreret, virtutem omnibusq́ in rebus audaciam & prudentiam: nihil concedere existimatus est veteri Catoni. vnde Gellius præmia ei & eximios honores tribuit: quos ille non accepit neque admisit, nihil gestum ferens honoribus dignum. hinc peruersus habitus est. Lege lata ne candidati nomenclatores haberent, tribunatum militum petens † solus legi paruit, & per se elaborauit salutare atq́ appellare ciues. Quamobrem non caruit inuidia vel apud eos ipsos, qui eum commendabãt: quòd quò magis laudabilia studia, quæ sectabatur, considerarent: hoc grauarentur magis eorum, quam non valerent imitari, excellentiam.

† Cic. pro Murena dicit eum nomẽclatorem habuisse.

Catonis tribunatus militum.

Tribunus militum creatus in Macedoniam missus est ad Rubrium prætorem. Hic ferunt vxore Catonis mœrore pressa & flente cùm vnus ex amicis eius Munatius dixisset: Bono animo es Attilia, hunc ego custodiam tibi: Sanè quidem, dixisse Catonem: progressumq́ iter vnius diei statim à cœna dixisse: Age Munati, vt præstes Attiliæ promissa, neque die vel nocte abscedas à me. Inde duos lectos eodem in cubiculo iussit sterni, vt ibi dormiret Munatius: atque ita fuisse illum per iocum à Catone asseruatum. Comitabantur eum serui quindecim, duo liberti & quatuor amici. quibus equo vectis ipse pedibus incedens applicabat se vicissim cuiq́ colloquebaturq́. Vt in castra venit, ex pluribus legionibus vni à prætore præfectus suam vnius virtutem exiguum opus nec regium ducebat explicare, sed milites sui reddere similes maximè enitens non formidinem detraxit imperio, sed adiecit admonitionem per rationem: qua singula probans ijs docensq́ adiuncto honore & pœna difficile erat dicere quietiores, an bellicosiores, an alacriores, an iustiores milites reddiderit. Adeo præbuerunt se hostibus formidabiles, mansuetos socijs, timidos ad malum, & acres ad laudem. Vnde quod minimè Cato morabatur, id est imprimis assecutus, gloriam & beneuolentiam, & eximium honorem, & studium militum. Nam quæ alijs imperabat, ea quia vltrò præstabat ipse, vestitu autem & victu itineris que labore comparabat se illis magis quàm ducibus: grauitate verò, prudentia, facundia omnibus anteeellebat, qui nomen obtinebant imperatorum & ducum: simul his artibus deuinxit clàm sibi animos eorum. quippe germanus virtutis amor non influit, nisi per summum imprimentis eum studium & reuerenntiam. Sine amore qui celebrant bonos, eorum gloriam reuerentur, non suspiciunt neque imitantur virtutem.

Cato milites ad virtutem quo modo excitauerit.

Amor virtutis, vnde veniat.

Athenodorus Stoicus Catoni familiaris.

Athenodorum autem cùm intellexisset Cordylionem cognomine in Stoica disciplina excellentem apud Pergamum agere ætate iam prouectum, qui pertinacissimè omnium imperatorum regum que vsum & amicitiam repulerat: nihil arbitrabatur se nuncijs & literis apud eum effecturum. verùm quòd in duos menses ius haberet liberæ legationis, in Asiam est ad eum profectus, confidens virtutibus suis non frustratum iri se prẹda. Collocutus cum eo expugnatum & de proposito deiectum deduxit in castra, ouans & glorians vt re præclarissima capta & splendidiore gentibus regnisq́, quæ Pompeius tunc & Lucullus armis circumuolantes subiugabant.

Catonis frater moritur.

Catonis in fratris morte luctus.

Interea dum in militia agit, frater eius Asiam petens Aeni in Thracia in morbum incidit. de quo confestim factus est per literas Cato certior. Cùm autem grauis in mari tempestas sæuiret, neque esset ad manum amplior nauis: in exigua oneraria cum duobus tantùm amicis & tribus seruis ex Thessalonica soluit. Penè haustus insperata quadam fortuna incolumis euasit Cæpione modò defuncto. Visus est autem animo imbecilliore casum quàm pro philosopho tulisse, non lamentationibus solùm & cadaueris amplexibus mœrorisq́ magnitudine: verùm etiam sumptu funeris, odorum magnificentia, & vestibus pretiosis cum cadauere crematis, ac monumento poli-

to ex Thasio marmore, quod constitit octo talentis, in Aeniorum foro locato. Hæc enim in cætera Catonis moderatione vellicabant quidam, non animaduertentes, quantum in illius aduersus voluptates, terrores, & impudentes preces horriditate & asperitate inesset lenitatis & pietatis. Multa verò ei ad funus ciuitates & dynastæ honoris defuncti causa miserunt: ex quibus pecuniam ille à nemine, sed odores & ornamenta accepit reddito mittentibus pretio. Cuius hæreditate sibi & illius filiæ delata nihil eorum, quæ in funus impendit, repetijt in partitione. Quæ cùm fecisset & faceret, inuentus est tamen, qui scriberet, quò aurum conflatum inuestigaret, in cerniculo cribrasse eum & colasse mortui cineres. Ita non gladio solùm, verùm etiam stylo putauit impune sibi, quod liberet, facere. Expleta militia Catonis non votis eum, quod translatitium erat, neque præconijs: sed lachrymis complexibus'que prosecuti sunt, substernentes in via, qua pergebat vestes, manus'que eius deosculantes: quæ vix paucis imperatoribus præstabant illius temporis Romani milites. Cùm in animo haberet prius, quàm ad rempubl. accederet, peragrare & visere Asiam, mores'que & instituta atque vires cuiusque prouinciæ contemplari: simul Deiotaro Galatarum regi ob ius hospitij & amicitiam paternam, vt inuiseret se, oranti non abnuere: hoc modo instituit iter suum: Præmittebat lucis principio, quò diuertere intenderat, pistorem & coquum. Illi perquàm modestè & sedatè oppidum ingressi, si nullum ibi amicum paternum aut notum haberet, parabant ei in diuersorio publico cibum, neque erant vlli importuni: si diuersorium non esset, tum demum magistratibus aditis hospitium accipiebant contenti attributo. Sæpè his pro vanis habitis despectisq́; , quia non exigebant hoc à magistratibus strepitu vel minis, superueniebat Cato nulla dum re parata. Magis autem ipse contemnebatur, vbi fuit conspectus, præbebat'que super sarcinas tacitus sedens imaginem hominis abiecti & trepidi. Verumtamen accersitis aliquando magistratibus dicere solebat: Deponite improbi homines hanc inhospitalitatem. Non omnes ad vos venient Catones. Hebetate comitate licentiam eorum, qui occasionem quærunt: vi vt capiant, quasi non impetrent à volentibus. In Syria etiam rem ridiculam ei fama est accidisse. Antiochiam petens extra portam cateruam hominum spectauit ex vtraque parte viæ digestorum. Inter quos in chlamydibus stabant decorè seorsum adulti, seorsum pueri. Candidas vestes aliqui & coronas gerebant. Sacerdotes hi deorum erant & magistratus. Ratus omninò Cato honorandi & excipiendi sui causa ea à ciuitate institui stomachatus est in suos, quos præmiserat, quòd id non prohibuissent: iussitq́; amicos descendere, atque incessit cum ijs pedes. Vt propè ventum est: ille, qui omnia ista adornabat & turbam componebat, vir ætate iam prouectiore virgam & coronam manu tenens obtulit se præ alijs Catoni, ac ne salute quidem data quæsiuit: vbi Demetrium reliquissent, & quando esset adfuturus? Pompeij erat Demetrius libertus. Omnibus autem tunc propè mortalibus in Pompeium oculos defigentibus colebatur, quòd multum posset apud eum, supra dignitatem suam. Ibi cœperunt amici Catonis vsque adeò cachinnari, vt interea dum transirent per cœtum, non possent se colligere. Cato verò tunc oppidò confusus: O' miseram, inquit, ciuitatem. Nihil præterea locutus est. Pôst autem, quoties id narrabat vel meminerat, solebat ipse quoque ridere. Verùm castigauit ipse Pompeius eos, qui per inscitiam inofficiosi in Catonem fuissent. Vt enim Ephesò ad eum salutandum ætate maiorem, dignitate'que præcellentem, & maximorum tunc ducem exercituum profectus est: conspiciens hunc Pompeius non tenuit se loco, neque permisit, vt sedentem adiret se: sed tanquam ex primoribus alicui exiliens processit ei obuiàm, dexteramq́; porrexit, & multis laudibus statim in amplectendo & salutando præsente, pluribus etiam digressi virtutē tulit. Vnde inflexi omnes, animoq́; iam ad Catonem conuerso habebant eum in admiratione ex ijsdem, ex quibus fastidiebatur pridem, cùm lenitatem & animi celsitudinem eius considerarent. Namque Pompeij in eum studium non obscurum erat suspicientis eum potius quàm diligentis esse: verùm aduerterunt honorasse præsentem, & gauisum fuisse discedente. quippe alios iuuenes, qui ad eum commeabant, hos inuitùs & desiderans eorum consuetudinem retinebat eos. à Catone nihil contendit eiusce modi, sed quasi non haberet illo præsente liberum imperium, dimisit eum libenter: cui penè soli eorum, qui Romam nauigabant, liberos suos & vxorem commendauit, alioquin propinquitate ei coniunctos. Hinc celebris opinio & studium certatim erga eum ciuitatum extitit, cœnæ etiam & inuitationes in quibus attendere sibi iussit amicos, num Gurionis dictum impru

Videtur Cæsarē perstringere, qui Anticatonē librum scripsit.

Catonis peregrinatio in Asiam.

Catonis modestia.

Catoni ridicula res oblata.

Catoni habitus in Asia à Pompeio honos.

Catonem Pompeius magis suspiciebat, quàm amabat.

dens comprobasset. Curio enim Catonis amicus & familiaris austeritate eius offensus quæsiuit de eo, statuisset'ne post completa stipendia Asiam visere? Annuente illo: Bene est, inquit Curio. Iucundior enim illinc reuerteris & mansuetior. Nam eo est verbo vsus.

Catonis profectio ad Deiotarum, et abstinentia.
Strabo lib. 12.

Porrò Deiotarus iam grauis annis acciuit Catonem, vt liberos suos & domum ei commendaret. quem postquàm aduenit, varia dona ei offerens, instansq; atq; enixè rogans, vt acciperet, adeo exacerbauit: vt vesperi cùm venisset & ibi pernoctasset, postridie abierit tertia hora. Progressus tamen vnius diei iter offendit Pesinunte plura etiam prioribus, quę ipsum manebant dona literasq; regis: quibus orabat eum, ne ea repudiaret. Sin abhorreret, at permitteret ea amicis, qui omninò ipsius causa beneficijs forēt digni: pręsertim quòd non perinde haberet lautum patrimonium Cato. verùm ne his quidem indulsit, quantumvis nonnullos amicos flecti perciperet & conqueri. Cæterùm nulli nundinationi defuturum demonstrauit prætextum: Amicos verò in consortium venturos eorum, quæ honestè & iustè possideret: atq; ita dona Deiotaro remisit. Vela facturus Brundusium, cùm consulerēt amici, vt Cæpionis reliquias alio in nauigio collocaret, animam se prius quàm has respondit relicturum, atque ita soluit. Et sanè maximo fortè cum periculo, cùm alij cursu mediocri vterentur, dicitur traiecisse. Reuersus ad vrbem tempus traducebat perpetuò domi Athenodoro aut amicis in foro vacans.

Catonis questura.

Cùm petere quęsturam legitimè posset, non antè accessit ad petendū, quàm leges perlegisset quæstorias singulaq; ex peritis inuestigasset, & summatim vim esset complexus muneris illius. Vnde simul atq; factus quæstor est, multa in ministris ærarij & scribis nouauit. qui cùm perpetuò acta publica & leges tractarent, nouos'que quæstores acciperent planè indigentes ob imperitiam & inscitiam aliorum doctorum & magistrorum, non cedebant illis authoritate, sed erant ipsi quæstores: donec Cato strenuè negocium capessens non satis habuit nomen & honorem tenere tunc officij, sed mentem etiam, animos, & verba, scribis vti sicut erant, sicut ministris voluit, hinc scelera eorum coarguens, hinc peccantes ignorantia docens. qui vt fuerunt impudentes, alijs'que surrepentes assentationibus illi reluctabantur: principem inter eos admissæ in hæreditate fraudis conuictum exegit ærario. Alteri testamenti subiecti formulam intendit:

Luctatius Catulus, qualis vir fuerit.

cuius defensioni Luctatius Catulus censor obtulit se magnæ vir ob illum magistratum authoritatis, sed ob virtutem maximæ: quòd omnibus ciuibus iustitia & vitæ integritate præcelleret. Erat hic Catonis quoque vitæ eius nomine laudator & familiaris. Cui, cùm eripere iure non valeret, precibus suis condonari reum postulanti non concessit Cato. Cùm ille magis magis'que contenderet: Turpe, inquir, tibi Catule est censori, qui vitas nostras probare debes, à ministris nostris de gradu dimoueri. Hac à Catone missa voce Catulus intuitu suo repositurum se præferebat aliquid, nihil respondit tamen: sed siue ira siue pudore tacitus atque deprehensus abscessit. At ille non est damnatus tamen: verùm cùm vna sententia superarent liberatorias damnatoriæ, neque ex collegis Catonis M. Lollius iudicio propter aduersam valetudinem interesset: ad hunc allegauit Catulus orans, vt reum subleuaret. qui lectica post iudicium aduectus liberauit eum sententia sua. Non est vsus tamen Cato illo scriba, neque salarium ei soluit, neque prorsus vllam habuit Lollij sententiæ rationem. Ita depressis & subactis scribis, tabulis publicis ex arbitrio suo vsus breui tempore ærarium curia reddidit augustius, ferebant'que & sentiebant omnes consularem amplitudinem adiunctam à

Cato questurā cumulat dignitate.

Catone quæsturæ. Nam cùm primùm nomina vetera multa ærarij comperisset, & ærarium multorum æs alienum habere: effecit simul, vt nec à quoquam respubl. fraudaretur, nec illa fraudaret quenquam: ab his rigidè & acerbè exigendo, illis citò & promptè soluendo: vt reuereretur eum populus, cùm cerneret illos, qui existimabant se decocturos, dependere: & his, qui nihil expectabant, satisfieri. Deinde cùm tabulas publicas non ritè referrent, & falsa senatusconsulta solerent superiores gratia & precibus recipere, nihil eum simile fefellit: sed de vno senatus decreto, an ratum esset, cùm hæsitaret, multis astipulantibus non habuit fidem, neque retulit id ad ærarium prius, quàm præsentes consules iurassent. Cùm multi essent, quibus dictator Sylla, quòd comprehensos ciues ex secunda proscriptione sua interfecissent, in capita duodecies millenos denarios largitus fuerat: hos cuncti vt nefarios ac detestabiles oderant, vlcisci tamen audebat nemo.

Cato Syllanos vlciscitur homicidas.

At Cato singulos accersiuit, qui pecuniam publicam iniustè tenebant, eam'que exegit, acerbè & cum ratione eis facti atrocitatem & fœditatem improperans. Ad hunc modum ab eo accepti mox affi-

nes

nes erant cædis, & quodam modo præiudicio iugulati abripiebantur ad iudices, pœnas'que pendebant, omnibus exultantibus, existimantibus'que ea re illam deleri tyrannidem, Syllamq; ipsum se supplicium videre persoluentem. Plebem etiam assidua sua atque indefatigata diligentia cepit. quippe nemo ex collegio ad ærarium ventitabat prior, neque posterior abscedebat. Nullam concionem vel senatum præter misit, metuens & obseruans eos, qui leuiter & ambitiose debitorum & vectigalium remissiones & condonationes quibusuis decernebant. Cùm iam ab sycophantis ærarium repurgasset, nullum'que ijs reliquisset ad id accessum, atque ære repleuisset: docuit posse rempub. citra vllius iniuriam esse locupletem. Initiò fuit quibusdam collegis grauis & odiosus: sed postmodum ab ijsdem dilectus, quòd offensiones, quas incurrebant, eo quòd pecuniam publicam non largiebantur neque perperàm iudicabant, ipse subiret pro omnibus: permitteretq; ijs apud illos, qui orabant ipsos & instabant, excusationem adferre, effici non posse inuito Catone. Nouissimo quæsturæ die domum à cunctis propè ciuibus deductus audiuit Marcellum multos familiares & potentes in ærario supplices circumsistere contendere'que, vt largitionem pecuniæ quandam in tabulas referret vt debitam. Erat Catonis Marcellus à pueritia amicus, & laudatissimè cum eo quæsturam administrabat: verùm solus cùm esset, flectebatur rubore à precantibus, & procliuis ad omnem erat beneficentiam. Igitur Cato confestim conuertit se eò, Marcellumq; offendens perscripsisse expugnatum illam largitionem, tabulis postulatis hanc muto assistente illo induxit: eamq; rem executus deduxit illum ex ærario domum. qui neque tunc neq; postea cum eo hac de re expostulauit, sed familiaritatem eius & amicitiam coluit perpetuò.

Catonis quæsturæ exitus, celebris.

At enim nec post quàm quæstura abijt, à statione decessit ærarij: sed serui eius quotidie agebant ibi acta describentes. Ipse codices, quibus rationes procurationis publicæ pecuniæ descriptæ ab Syllæ tempore ribus vsque ad quæsturam suam erant, comparatos quinque talentis semper in manibus terebat. Curiam ingrediebatur primus, postremus digrediebatur. Cùm frequenter cæteri coirent segniter, sedens legebat submissè prætensa libro toga. Nunquam, cùm senatus haberetur, aberat.

Catonis diligentia & integritas in rep.

Cùm postea videret eum Pompeius in studijs iniquis suis rigidum semper & inflexibilem aduersarium, moliebatur eum amicorum quorundam defensionibus vel arbitrijs vel negocijs extra curiam distrahere. qui citò animaduersis insidijs præcidit semel omnibus, cùm senatus ageretur, vlli se alteri rei dare. Cùm enim neque gloriæ causa vel auaritię, neque casu & fortuitò, vt alij nonnulli, esset ad rempub. capessendam delatus, sed eam actionem vt munus boni viri proprium elegisset: acriorem reipub. curam sibi quàm api fauo ducebat intendendam.

Catonis in rep. capessenda, propositum.

Nempe etiam prouincialia negocia, decreta, iudicia, & acta potissima curauit per amicos, quos passim habebat, ad se transmitti. Cùm aliquando Clodio tribuno plebis obuiàm isset mouenti & molienti magnarum initia nouationum, sacerdotes'que & virgines Vestales ad populum calumnianti: inter quas Fabia Terentia, Ciceronis vxoris soror in periculum fuit vocata: Clodium inuoluit infamia, atque cedere vrbe coegit. Cui cùm ageret Cicero gratias: Reipub. inquit, agenda est: quòd eius causa omnia ageret & faceret. Hinc ingens adeptus est nomen.

Cato Clodium cogit vrbe cedere.

Vnde orator quidam, cùm proferretur in iudicio vnum testimonium, ad iudices ait: Vni testi ne Catoni quidem standum esse. Et vulgus iam de incredibilibus & absonis velut prouerbio quodam dicebat hoc: Ne si Cato quidem author sit, esse probabile.

Catonis authoritas, & fides.

Cùm homo quidam perditus & sumptuosus orationem in senatu de frugalitate & continentia haberet, exurgens Amnæus: Quis, inquit, te bone vir ferat cœnantem vt Crassus, ædificantem vt Lucullus, concionantem nobis vt Cato? Iam alios quoque turpes & nullius frugi, oratione autem seueros & austeros per risum Catones appellabant. Cùm incitaretur à multis ad ambiendum tribunatum plebis: alienum existimauit magnæ potestatis & magistratus sicut validi vim medicamenti in rebus exhaurire non necessarijs. Quòd autem eadem tempestate vacatio esset negociorum publicorum, deportans secum libros & philosophos ad prædia sua profectus est in Lucaniam, vbi villas non inamœnas habebat.

Catonis in villam proficiscentis comites, philosophi.

Hinc multis in itinere iumentis, impedimentis, & ministris occurrens, audito Metellum Nepotem Romam ad petendum tribunatū plebis contendere, restitit cogitabundus, ac mox conuertere suis retrò iter præcepit. Stupentibus amicis: Nescitis, inquit, ob stoliditatē Metellū sua sponte formidabilem esse, & nunc adesse ex Pompeij sententia, atq; instar fulminis in rempub. casurum, omniaq; perturbaturum. Non est igitur in præsentia nec feriandi

nec rusticandi locus: verùm reprimendus iste est mihi, aut pro libertate pugnanti honestè cadendum. Monitu amicorum tamen profectus ad prædia sua est: & cùm non diu esset ibi commoratus, regressus est ad vrbem. Vesperi ingressus ilicò summo mane in forum ad petendum tribunatum descendit, velut aduersarius futurus Metello.

Tribunatus plebis potestas.

Habet enim magistratus ille vim in intercedendo potius quàm in agendo: & vbi reliqui vno dempto quid decreuerunt omnes, is obtinet, qui aduersatur & intercedit. Primùm pauci amici Catonem deduxerunt. vt verò consilium eius palàm factum est: breui frequentes boni viri & familiares eius concurrerunt acuerunt'que eum & incitauerunt quasi non accipientem beneficium, sed summum patriæ & optimatibus dantem: quòd cùm sæpè tribuno esse ei licuisset citra negocium, noluisset: nunc autem pro libertate & republ. non sine discrimine descenderet decertaturus. Fama est Catonem, cùm multi illius studio & fauore ad eum ruerent, ægrè ob frequentiam potuisse in forum euadere.

Catonis tribunatus.

Tribunus creatus cum aliјs & cum Metello, vbi aduertit comitia consularia venalia esse, populum castigauit, ac finita oratione iurauit: qui dedisset nummos, qui ille cunque foret, eius se nomen delaturum vno ob propinquitatem excepto Syllano, qui sororem eius Seruiliam habebat in matrimonio: quapropter hunc prætermisit. At L. Murenam, quòd per largitionem obtinuisset, vt consul fieret cum Syllano, accusauit. Cùm autem lege quadam reus apponere accusatori posset custodem, nequid clàm compararet & instrueret ad accusationem: qui adiunctus à Murena assectator & obseruator fuerat, vbi nihil insidiosè, nihil improbè struentem: sed candidè & benignè viam ingredientem eum accusandi apertam & veram conspexit: vsqueeò spiritus eius & grauitatem est admiratus, vt in foro adiret Catonem, domumq; eius ventitaret: & cùm rogasset, ecquid eo die acturus de accusatione esset: si negaret, habita ei fide abscederet.

Cicero defendit Murenam à Catone accusatum.

Cùm accusatio institueretur, Cicero tunc consul & Murenæ defensor multum ex Catonis persona Stoicos philosophos & præcepta hæc paradoxa, quæ appellant, irridens atque illudens risum mouit iudicibus. Ac Catonem, arridentem aiunt ad astantes dixisse: Dij boni, quàm ridiculum consulem habemus? Absolutus Murena non vt improbus & stolidus homo egit cum Catone. quippe consilio eius consul grauissimis in rebus vsus, perpetuo'que eum veneratus est, & consilia eius in administrando magistratu secutus. In causa ipse erat Cato vsque ad rostra & subsellia durus atque terribilis pro iustitia, inde beneuolum se & humanum præbebat omnibus. Prius quàm iniret tribunatum consule Cicerone: cùm aliјs multis illius magistratum contentionibus erexit, tum actionibus aduersus Catilinam maximis & pulcherrimis imposuit fastigium.

Catilinæ coniuratio.

Namque ipse quidem Catilina, qui funestam & perniciosam mutationem imperio Romano moliebatur, miscebat'que vnà seditiones & bella, à Cicerone detectus vrbe profugerat. Lentulus verò & Cethegus, & cum ijs frequentes alij coniuratione inita, Catilinæ'que timiditate ac nimis anxia cura cœptorum increpita ipsi totam vrbem inflammare, imperium'que nationum rebellionibus externis'que bellis statuerant euertere. Horum nudatis consilijs, vt in vita Ciceronis exposuimus, cùm sententias Cicero rogaret: qui primus dixit Syllanus, animaduertendum in coniuratos vltimo supplicio censuit. Cui deinceps alij vsque ad Cæsarem sunt assensi. Cæsar surgens, vtpote disertus atque omnem in repub. conuersionem motum'que quasi suorum materiam consiliorum amplificare potius quàm restingui permittere cupiens, blanda & benigna oratione pro sententia dixit non esse indicta causa coniuratos necandos, verùm in custodia tenendos: adeo'que flexit sententias metuente populum senatu, vt Syllanus quoque retractaret suam, ostenderet'que nec se de pœna capitali, sed sensisse de carcere. Id enim ciui Romano vltimum esse supplicium. Hac facta inclinatione, omnibus'que ad mitiorem & leniorem labentibus sententiam,

Cato in Cæsarē ex coniuratione Catilinæ inuectus.

Cato ei reluctans, mox flagrante oratione & vehemente prouectus, hinc Syllani inconstantiam lacerauit, hinc Cæsarem momordit: quòd sub specie populari & placidis verbis remp. subuersum iret, senatumq; labefactaret: vbi formidare ipse deberet & præclarè putare secum agi, si istorum scelerum insons & suspicione abiret liber: qui hostes publicos adeò apertè & impudenter institueret eripere, confitereturq; in extremū adductam periculum patriam talem et tantam se non miserari: sed illos, quos præstabat nec genitos nec natos fuisse, deploraret mœreretq;: quòd vrbem supplicio suo essent magna cæde & periculis liberaturi.

Cicero per notas & figuras breuiter scribere docuit.

Hanc orationem Catonis perhibent vnam extare: quòd consul Cicero expeditissimos scribas antè docuisset

notas,

notas, quæ minutis & breuibus figuris multarum vim literarum complectebantur: indealium alibi pasśim dispoſuiſſet in curia. Nondum enim vſi fuerant neque habebant exceptores actuarios: ſed tunc primùm rudimenta eos aſſerunt poſuiſſe. Cato igitur obtinuit, atque in eius ſententiam diſceſſum eſt, vt ſumeretur de coniuratis capitale ſupplicium. Quòd ſi nec minutila nobis omittenda veſtigia morum eius ſunt ſicut informantibus animi effigiem: fama eſt Catone id temporis vehementer cum Cæſare concertante & contendente, ſenatu'que in illos intento paruum epiſtolium à foris Cæſari fuiſſe allatum. Quod Cato cùm in ſuſpicionem traheret & exagitaret, motos aliquos iuſsiſſe, vt recitaret literas. Ibi Cæſarem propè aſtanti tradidiſſe Catoni epiſtolium. Quod cùm legiſſet (ſcripſerat enim ſoror eius Seruilia literas ad Cæſarem, quem amabat corrupta ab eo, amatorias) ad pedes id Cæſaris eum proieciſſe cum hiſce verbis: Cape ebrie: itaque demum ad inſtitutam orationem rediiſſe. Breui apparet fortuna Catonem vſum in mulieribus parum proſpera. Hæc enim Cæſaris nomine malè audiuit. Altera Seruilia Catonis ſoror fœdior fuit. nam principi inter Romanos gloria nupta Lucullo, ex quo genuerat filium, ob proſtratam pudicitiam fuit repudiata. Et quod turpiſsimum fuit, ne vxor quidem Catonis eo crimine vacauit Attilia. verùm hanc, tametſi duos ex ea tuliſſet liberos, exigere impudicam eſt compulſus. Hinc Martiam duxit Philippi filiam, quæ eſt proba fœmina habita. Fuit huius celebre nomen. Atque in vita Catonis quomodo in fabula hæc pars ambigua extitit & perplexa. Geſta autem in hunc modum res fuit, vt memoriæ prodidit Thraſeas: qui Munatium Catonis amicum & contubernalem laudat authorem. Inter multos, qui Catonem diligebant & ſuſpiciebant, alij alijs perſpicuè magis & apertiùs id declarabant: in quibus Q. Hortenſius erat magna vir authoritate & probatis moribus. Hic Catonis geſtiens non familiaris modò & amicus eſſe, ſed omnem ſemel neceſsitudine & conſortio familiam & genus ſuum cum eo conſociare, non dubitauit cum eo agere, vt filiam Porciam Bibulo nuptam, cui partus duos ediderat, ſibi inuicem velut frugiferum agrum collocaret ad ſerendam ſtirpem. Nam eſſe hominum quidem illud opinione nouum, naturâ pulchrum tamen & ciuile, mulierem in ætatis flore non vacare vel fœcunditatem extinguere: neque maiore quàm neceſſe eſſet progenita ſobole onerare & obruere domum non requirentem. Communicationem autem inter probatos viros inuicem mulierum tum virtutem prorogare & dilatare ſtirpibus, tum ciuitatem mutuis neceſsitudinibus conglutinare. Quòd ſi retinere Bibulus omnino vellet coniugem: ſimul atque peperiſſet, vbi arctiore communium liberorum eſſet vinculo cum Bibulo & Catone conglutinatus, reſtituturum ſe eam. Cùm reſpondiſſet Cato Hortenſium ſe charum habere probare'que neceſsitudinis ſocium, verùm alienum arbitrari ipſum de filiæ nuptijs verba facere alteri collocatæ: mutato ille ſermone non dubitauit ei aperire ipſius Catonis ſe petere vxorem, quòd iuuenis etiamnum eſſet, & Catoni ſatis magna eſſet proles. Neque hic dicas illum eò progreſſum, quòd alieniorem à Martia cognouiſſet Catonem. quippe ferunt prægnantem tunc fuiſſe. Animaduertens ergo Cato Hortenſij deſiderium & ſtudium non præſcidit ei: ſed oportere reſpondit Philippum quoque hoc probare Martiæ parentem. Vt igitur appellatus Philippus concedere id cognouit Catonem: non aliter deſpondit ei Martiam, quàm præſente illo & ſponſalia comprobante. Hæc quanquàm temporibus conſecuta ſunt, agenti tamen de mulieribus viſum eſt mihi anticipare. Igitur necatis coniuratis, & Cæſare ob crimina & calumnias in ſenatu iactatas ad populum confugiente, multa'que ægrotantia & putrida ciuitatis membra conciente atque ad ſe trahente: timens Cato author fuit ſenatui, vt inopem & turbulentam multitudinem frumenti congiario deliniret. In quam rem etſi impenderetur anno trecenties H S: hac planè benignitate & munificentia tamen minæ ſunt illæ diſcuſſæ. At Metellus mox inito tribunatu conciones ſeditioſas habuit, legem'que promulgauit: vt Pompeius Magnus propere copias tranſportaret in Italiam, vrbemq́ aduentu ſuo quaſi Catilinæ cauſa periclitantem ſeruaret. Id in ſpeciem dicebat: reuerà lex eò ſpectabat, vt rempubl. dederet Pompeio atq; ei imperiū traderet. Coacto ſenatu cùm Cato nō more ſuo in Metellū inuexiſſet acriter, ſed leniter & modeſtè monuiſſet eum, atq; ad preces deniq; cōuertiſſet ſe, ſubijceretq; Metello ipſius familiam ſtetiſſe ſemper ab optimatibus: multò magis intumeſcens & cōtemnens eum Metellus quaſi ſuccumbentem & pauentem in impotentes minas & ferocia erupit dicta, ſe inuito ſenatu cœpta ſua executurum. Tunc Cato vocis, vultus, orationis commutata

Catò connubijs infelix.

Martia Catonis vxor.

Platonica mulierum communitas.

Cato frumenti congiarium populo ſuadet dandum.

Cato reſiſtit Metello tribuno plebis.

mutata specie: adiectóq; disertè omnibus alijs Pompeium viuo se vrbem armatum non ingressurum, illud senatui repræsentauit neutri mentem consistere, neque vti eos sanis consilijs: ac Metelli actiones insaniam esse ex singulari improbitate ad rerum omnium ruentem interitum & confusionem, Catonis virtutem numinis afflatum pro iure & æquitate digladiantem. Cùm populus suffragia de lege initurus esset, Metelloq; armati, peregrini, gladiatores, & serui occupato foro essent præstò: ac qui mutationem Pompeij desiderio cupiebant, quæ pars erat populi non exigua, adessent: insuper eò accederent Cæsaris opes prætoris tunc haud modicæ: principes verò ciuitatis item ac Cato eam actionem detestarentur, magis'que socij eius in accipienda iniuria essent quàm defendenda republ. teneretur autem domus eius ingenti mœrore & metu, vt aliquot amici eius sine cibo vnà pernoctarent ei timentes, mulieres verò sororesq; quiritarentur & plorarent: ipse securè & fidenti animo appellauit omnes atque excitauit, cœna'que & nocte ex more suo peracta ab vno collegarum suorum Minutio Thermo arctè dormiēs excitatus est. In forum descendit paucis quidem eum deducentibus, sed multis occurrentibus ei, atque vt caueret sibi monentibus. Vt igitur resistens Cato ædem Castoris conspexit armatis septam, insessos à gladiatoribus gradus, ipsum Metellum edito loco cum Cæsare conspexit considentem: in amicos versus: O hominem, inquit, timidum: qui aduersus vnum inermem & nudum tantum habuit delectum: protinusq; illuc cum Thermo contendit. quibus illi, qui gradus tenebant, viam dedere: cæterùm neminem admiserunt præterea. Munatium tantùm ægrè manu Cato secum trahens adduxit, pergensq; ilicò medium se inter Metellum & Cæsarem ad dirimenda eorum colloquia coniecit. Quibus perplexis boni viri contemplantes stupentes'que Catonis vultum, spiritus & fidentiam, admouerunt se propiùs: voce'que Catonem, vt bono animo esset, cohortati sunt, atque inter se consisterent cohærerent'que, neque proderent libertatem & eius vindicem. Ibi cùm accensus legem in manibus acciperet, Cato recitare prohiberet: Metellus autem arriperet eam & legeret, extorsit ei Cato libellum. Thermus memoriter Metello legem tenenti & exponere eam aggredienti os manu obthurauit vocemq; inclusit: quousque pertinacissimè luctari illos videns Metellus, succumbentem'que populum & vtilitati cedentem: armatos domo exciuit, vt cum terrore & clamore accurrerent. Dum id agitur, omnibus disturbatis solum restitantem Catonem, qui lapidibus & lignis supernè petebatur, non deseruit Murena, qui reus ab illo factus & accusatus fuerat: verùm obtensa toga clamauit, omitterent iacere: atque ipsum denique Catonem mouens amplectens'que abduxit in Castoris. Vt solitudinem Metellus in rostris vidit, & fugam in foro aduersariorum: existimans prorsus se voti compotem, abscedere imperauit armatis: tum modestè accedens instituit legem perferre. Aduersarij verò eius mox ex fuga sese colligentes adfuerunt denuò cum magno & fidenti clamore. Itaque consternata & attonita Metelli cohors, atque armis rata alicunde correptis illos incurrere, tota diffugit, omnes'que rostra reliquere. Ita illis disiectis cùm Cato progrederetur, populum'que hinc laudasset, hinc confirmasset: plebs ad opprimendum semel Metellum obfirmauit se, ac senatus coactus pro authoritate sua edixit, vt omnes Catoni suppetias venirent & impugnarent legem, vt quæ seditionem Romæ & bellum ciuile excitaret. At Metellus erat ipse quidem immotus adhuc & ferox, verùm suos videns Catonem valdè trepidantes inuictum'que & insuperabilem arbitrantes, prosilijt repentè in forum: atque aduocata concione cùm alia multa in Catonem concionatus est inuidiosè, tum illius vociferatus est se fugere tyrannidem & contra Pompeium conspirationem: cuius breui fore vt ciuitatem pœniteret, quòd tantum virum affecisset ignominia. Hinc repentè contendit in Asiam, vt hæc ad Pompeium deferret. Fuit igitur magna in laude Cato, qui non leue excusserat à rep. tribunatus Metelli pondus, ac Pompeij quodammodo in Metello conculcauerat potentiam. Multò magis celebratus est, quòd suggillare Metellum & abrogare ei magistratum molienti obstiterit senatui, in eo'que aduersatus sit, & precibus placauerit eum ordinem. Nam vulgus humanitati & moderationi eius asscripsit: quòd inimico non insultasset, neque ludibrio habuisset eum, quē vi superauerat. Prudentibus verò rectè visus est & salubriter non lacessiuisse Pompeium. Inde reuersus Lucullus à bello, cuius apparebat finem & decus ei eripuisse Pompeium, C. Memmio populum in eum concitante criminaq; intentante: quò fuit magis Pompeij gratia quàm odio adductus priuato, in periculū venit amittendi triūphi. Huic Cato cùm propinquitatis causa, quæ cum Lucullo ei intercedebat per Serui-

Catonis magnanimitas, & constantia.

Catonis actiones pro Lucullo.

Seruiliam sororem suam, quæ erat nupta Lucullo: tum quia rem censebat iniquã, restitit Memmio, multasq; calumnias & crimina subijt. Postremò cùm elaboraret ille, vt tanquam regno expelleret ipsum tribunatu: in tantum valuit, vt Memmium ipsum iudiciũ deserere, & litem cogeret desugere. Quare peracto triumpho Lucullus multo magis Catonis amicitiam sectatus est, arcem eam existimans & propugnaculum sibi aduersus potentiam Pompeij grande. At Pompeius ingens ex prouincia regressus, splendoreq; & beneuolentia recipientium se fretus nihil verebatur se frustrà à ciuibus petiturum. Itaque præmisit ad senatum postulatum, vt comitia cõsularia producerent: quò præsens studio suo Pisonis petitionem valeret adiuuare. Labascentibus plerisq; nõ tanti Cato dilationem faciens, verùm quò Pompeij conatum & spem præcideret, reclamauit, eo'que traduxit senatum, vt id negaret Pompeio. Permouit hoc magnoperè Pompeiũ, existimansq; nisi sibi Catonem coniunxisset, non parum sibi fore eum obstaculo, familiarem eius accersit Munatium, atq; ex duabus Catonis fratris & sororis filiabus nubilibus maiorem sibi vxorem, filio minorem petit. Aliqui non sororis filiarum autumant illum, sed suarum nuptias ambiuisse. Quod vbi retulit Munatius Catoni eiusq; coniugi & sororibus, affinitas mulieribus in magnitudinẽ & dignitatem illius oculos conijcientibus placuit mirificè. verùm Cato nihil moratus neque deliberatione habita, sed ictus statim respondit: I Munati, i & Pompeio renuncia, irretiri Catonem non posse per fœminas: amplecti me beneuolentiam eius, ac rectè agenti amicitiam præstiturum omni firmiorem necessitudine: verùm obsides aduersus patriam non daturum Pompeij gloriæ. Momordit hoc mulieres, & amici reprehenderunt Catonis vt inciuile & superbum responsum. Pòst tamen Pompeius, cùm consulatum amico cuidam quæreret, pronunciauit in tribubus pecuniam, eratq; in ore omniũ illa largitio, quòd in hortis eius pecunia numeraretur. Docuit ergo mulieres Cato: si conglutinatus cum Pompeio fuisset propinquitate, necesse fore, vt in harum rerum veniret societatem, ijsq; aspergeretur. Quæ fatebantur consuluisse ipsum rectiùs, quòd Pompeium repudiasset. Quod si existimandum ex euentu est, in totum apparet errasse Catonem: qui affinitatem hanc non inierit, sed permiserit illum deuolui ad Cæsarem & conciliare nuptias, quæ Pompeij & Cæsaris opes in vnum contrahentes penè euerterunt Romanum imperium, remp. certè extinxere: quorum fortassè accidisset nihil, nisi leuia veritus Pompeij offensa Cato in maximis conniuisset, vt adiungeret se aliorum potentiæ. Verùm ea adhuc impendebant. Lucullo de actis suis Ponticis controuersiam cum Pompeio habente (vterq; enim acta sua rata volebat) cùm Lucullo, qui apertè lædebatur, adesset Cato: inferior in senatu Pompeius populariter in gratiam militum legem agrariam instituit ferre. Quia verò etiam Cato hîc sese offerens legem rejiciebat, ita ad Clodium se contulit tribunum plebis tunc violentissimum, Cæsaremq; coniunxit sibi Catone ipso quasi exordium præbente. Cæsar ex prouincia Hispania reuersus pariter consulatum intendebat petere et postulabat triumphum. Cùm autem lex eos, qui magistratũ ambirent, præsentes petere, triumphaturos verò extra muros cogeret subsistere: flagitauit à senatu, vt absentis sui ratio haberetur. Inclinantibus eò frequentibus contradixit Cato. qui animaduertens illos studere Cæsari, totũ diem dicendo consumpsit, atq; ita senatus decretũ exclusit. Quare deposito Cæsar triumpho vrbem extemplò ingressus amicitiã Pompeij & consulatũ sectatus est. Consul designatus despondit illi Iuliam: factaq; inter se aduersus rempubl. coitione, Cæsar leges agrarias ferebat, alter promulganti aderat. Lucullus & Cicero alteri consuli se Bibulo aggregantes reluctabantur ijs, imprimis Cato: qui Cæsaris & Pompeij amicitiam ac conspirationem ad perniciem suspicabatur iam reipubl. conflatam, & timere dicebat se non agrorũ diuisionem: sed quam huius mercedem largitionis & inescationis petituri essent à populo. Hæc dicẽti & senatus assensus est, & ex populo non pauci cõprobarunt ob rei indignitatem Cæsari infensi. Quæ enim audacissimi tribuni & amentissimi populariter agebant, hæc ille ex consulari potestate fœdè & abiectè populo surrepens moliebatur. Quare metuens factio Cæsaris conuertit se ad vim. Ac primùm in Bibulum, dum ad forum pergit, cophinũ stercoris proiecit. Deinde lictores eius adorta fasces fregit. Ad extremum telis volantibus multisq; conuulneratis profugerunt ex foro, cæteri omnes cursu, Cato nouissimus lento gradu discessit respectãs & in capita ciuium detestans. Igitur non legem agrariam modò pertulerunt, verùm etiam addiderunt, vt totus senatus iuraret legem se comprobaturum & futurum auxilio, siquis eam conuelleret, mulcta sancita graui in eum, qui non iurasset. Quare omnes necessitate adacti iurauerunt

[Cato repugnat Pompeio.]

[Cato repudiat Pompeij affinitatem.]

[Pompeij & Cæsaris coniunctio.]

uerunt exempli Metelli patrum memoria recordantes, quem iurare pari in re recusantem permisit populus pelli in exilium. Quare Catonem multum fœminæ domi lachrymabundæ obsecrauerunt, vt infringeret se & iuraret: multum amici & familiares. Præcipuè verò impulit eum & induxit ad iuramentum Cicero orator monens docensq́ue, ne verum quidem fortaſsis eſſe, ſi publicè decretis vnum ſe debere putaret refragari: atq; in eo, quod fieri non poſſet, mutare factum, iactare ſe velle, ſtulti eſſe & amentis: extremum verò malum, ſi cuius cauſa omnia mouet, permittat & obijciat inſidiantibus rempubl. quaſi libens explicaret ſe obeundis pro ea certaminibus. Etenim ſi Cato minus Roma, Romam certè opus habere Catone, opus eo etiã omnes habere amicos: quorum eſſe oſtendit ſe Ciceronem primum, cui inſidiæ pararentur à Clodio, qui ex tribunatu non obſcurè ſibi immineret. His ferunt atq; huiuſcemodi Catonem verbis & precibus mollitum domi & in foro ægrè fuiſſe expugnatum, atq; ad iurandum omnium vno dempto amico & familiari Fauonio acceſsiſſe nouiſsimum. Hinc ſublatus Cæſar aliam tulit legem de agro Campano fermè toto inſuper pauperibus & tenuibus diuidendo: neq; obiecit ſe ei quiſquam præter Catonem. Hunc ex roſtris traxit Cæſar atque in carcerem duxit: qui nihilo magis libertatem linguæ ſummiſit, verùm inter eundum ſimul de lege diſſeruit, & commonuit ciues, vt reprimerent eas actiones. Secutus Catonem eſt mœſtus ſenatus & optimi quiq; ex populo ſtomachantes tacitè & indignantes. Nec latuit Cæſarem id illos indignè ferre, ſed ex ambitione expectans, dum prouocaret Cato & ſupplex fieret, perrexit eum ducere. quem vt perſpicuè aduertit, nihil minus factur um, victus pudore & infamia Cæſar ſummiſit vnum ex tribunis, vt Catonem eximeret. Multitudine tamen legibus illis delinita effecerunt, vt prouincia Cęſari Illyricum & tota Gallia, adhæc quatuor legiones in quinquennium decernerentur: præcinente Catone, in arce ſuis ipſos decretis collocare tyrannum. Adhæc P. Clodium ex patricijs cõtra leges ad populum traductum tribunum plebis creauerunt. qui pacta Ciceronis exterminatione omnia egit ad illorum nutum. Conſules fecerunt Calpurnium Piſonem, qui ſocer erat Cæſaris, & Aulum Gabiniũ hominem ex Pompeij ſinu, vt aiunt, qui mores eius & vitam norunt. qui licet adeo rempubl. obnoxiam tenerent, & partem ciuitatis beneficijs, partem metu ſubegiſſent, timebant tamen Catonem. Etenim cùm conſiderarent, quantas ſubiſſent moleſtias & labores in eo tunc ſuperãdo, quod ægrè fecerãt tamen & magno molimento neq; ſine macula: ſed apertũ eſſe vix vi fuiſſe illum conuulſum, id erat illis moleſtum & aſperum. Clodius verò nec Ciceronem affligere ſperabat ſe præſente Catone poſſe. verùm id machinans, vt primùm inijt magiſtratum, acceſsiuit Catonem, ac cum eo ſermocinatus eſt, Romanorum omnium putare ſe illum innocentiſsimum, id paratum eſſe facto probare. Cùm enim multi ſint, qui prouinciam Cyprum ambiãt, eoq; petant mitti, ſolum ipſum exiſtimare ſe dignum, atq; hoc beneficium ei libenter dare. Vociferante Catone inſidias illas et ſuggillationem, non beneficium eſſe, arroganter Clodius & ferociter: Igitur ſi gratum nõ eſt, inquit, ingratis ibis. Ac profectus extemplò in concionem legem pertulit de Catonis legatione. Proficiſcenti non nauem, non militem, non miniſtrum attribuit, extraquàm duos duntaxat ſcribas: quorũ fur & improbiſsimus alter, alter cliens erat Clodij. Quaſi autem leue munus ei Cyprum & Ptolemæum impoſuiſſet, inſuper Byzantinorum exules imperauit ei reducere, moliens vt in tribunatu ſuo abeſſet Cato quàm diutiſsimè. Ei implicatus neceſsitati Ciceronem, qui iam exagitabatur, monuit: ne ſeditionem concitaret, neu ciuitatem conijceret in bellum & ſanguinem ciuilem, ſed cedens tempori conſeruaret iterum patriam. Per Canidium amicum, quem præmiſit in Cyprum, egit cum Ptolemæo, vt ſine certamine cederet, oſtenſa ſpe neq; inopem neq; abiectum ipſum victurum: ſacerdotium enim ei Veneris Paphię populum daturum. Ipſe ſubſtitit Rhodi ſimul & apparatui intentus & reſponſum operiens. Inter hæc rex Aegypti Ptolemæus ex certa offenſione & diſſenſione cum ciuibus ſuis Alexandria relicta Romam nauigauit, vt Pompeius & Cæſar ſe cum exercitu reducerent. Cupiens autem conuenire Catonem miſit ad eum, ſperans illum ad ſe venturum. Erat fortè tunc Cato in leuanda occupatus aluo. qui Ptolemæum iuſsit, ſi ei viſum eſſet, ad ſe venire. Poſtquàm venit, neq; obuiàm ei proceſsit, neque aſſurrexit: ſed quaſi vnum de vulgo ſalutauit & aſsidere iuſsit. Id primùm commouit illum, qui miratus eſt tantum in populari & exiguo ornatu ſupercilium & ſeueritatẽ. verùm vbi ſermonem de rebus ſuis exorſus cordatã orationem liberamq; audiuit, cùm incuſaret eum Cato atq; ſubijceret, quanta relicta felicitate quantis ſeſe ſubijceret indigni-

Catonis pertinaciam infringit oratione Cicero.

Cato à Cæſare in carcerem ductus.

Cæſar & Pompeij cum Clodio pactiones.

Cato in Cyprũ mittitur.

Ptolemæus rex Aegypti ad Catonem proficiſcitur.

gnitatibus, laboribus, largitionibus, & auaritiæ principum Romanorum, quos redactā in argentum Aegyptum vix expleturam: consuleret autem, vt cum classe reciperet se & eum ciuibus rediret in gratiam: comitem etiam se offerret & in reconciliando adiutorē: ille quasi ex insania et amentia ab ea oratione ad mentem reductus, veritate perspecta et Catonis prudentia instituit quidem illius vti consilijs: cæterùm auersus iterum ab amicis, vt primùm Romam appulit atque ad fores vnius accessit in magistratu positi, defleuit inconsulta sua cœpta: quòd non viri boni verba, sed dei fastidiuisset oracula. Porrò Cyprius Ptolemæus felicitate quadam Catonis necauit semet ipse veneno. Cùm autem magna vis pecuniæ relicta diceretur, decreuit ipse Byzantium proficisci. In Cyprum sororis filium Brutum misit, quòd non satis fideret Canidio. Reconciliatis exulibus cum cæteris ciuibus, compositoq; concordia Byzantio tunc demum nauigauit in Cyprum. Amplum inuenit & regium in poculis, mensis, gemmis, purpura instrumentum, quod distrahendum & redigendum in argentum erat. Hîc curiosè omnia cùm persequi vellet, omniaque ad summum intendere pretium, atque ipse interesse omnibus, & adhibere extremum calculum: ne mori quidem credidit fori. verùm simul omnes suspectabat, apparitores, præcones, sectores, amicos. Ipse denique cum licitantibus colloquebatur seorsum, & propellebat singulos, atque ea ratione pleraque promercalia addixit.

Catonis diligentia in thesauro Cyprio.

Quare cùm multos amicos quasi diffidens eis offendit, tum intimum omnium Munatium ad offensionem lacessiuit propè implacabilem. Ac scribenti orationem in Catonem Cæsari materiam dedit criminandi locus hic amarissimam. Munatius tamen non Catonis diffidentia, sed illius erga se negligentia et æmulatione quadam cum Canidio sua extitisse istam scribit simultatem. Nam edidit ipse de Catone commentarium, quem potissimùm est Thraseas secutus. Seriùs ibi ostendit se in Cyprum venisse, atque sordidum hospitium accepisse. Vbi autem ad ianuam Catonis venit, fuisse repulsum, quòd componeret in abdito aliquid cum Canidio. Cùm moderatè cum illo expostulasset, non tulisse se moderatum responsum: Solere nimium amorem, vt ait Theophrastus, causam esse frequenter odij. quandoquidem tu quoque, dixisse illum, quia me diligis plurimum: cùm minus quàm deceat, existimes te haberi in honore, stomacharis.

Catonis & Munatij simultas.

Amor nimius, odij sæpè caussa est.

Canidio verò & propter rerum vsum vtor, & propter fidem magis quàm cæteris: qui initiò adfuit, & præbuit se, vt animaduerti, abstinentem. Hæc verba tamen, quæ remotis arbitris fecerat secum, apud Canidium Catonem effutisse. Quod ipse vbi resciuit, nec ad cœnam eius se deinceps iuisse, nec ad consilium vocatum paruisse. Denunciante Catone, vt solenne habebant à non obtemperantibus, pignora se ab ipso capturum: id floccipendentem abnauigasse, diuque perstitisse in simultate. Inde Martia, quæ adhuc in matrimonio erat Catonis, cum ipso collocuta fuisse ad cœnam à Barca inuitatum. Cùm tardiùs Cato venisset accubantibus cæteris, vbi cubaret, rogasse. Iubente Barca, vbi vellet: circumlatis oculis dixisse apud Munatium velle. Ita circumisse atq; iuxta ipsum recubuisse, nihil vltrà tamen super cœna egisse illum secum amicè. Verùm instante iam denuò Martia Catonem sibi scripsisse cupere ipsum conuentum. Venisse se manè ad eum domum, ac detentum à Martia fuisse, quoad digressi essent omnes: tum ingressum Catonem complexumq; ambabus manibus salutasse se & accepisse humaniter. Hæc nos, quòd ea non minus, quàm in publico patratas & magnas actiones ad declarandos & subijciendos mores habere lumen arbitremur, prosecuti sumus prolixiùs.

Porrò Cato paulo minus septem millia argenti talentûm coëgit. Veritus autem longam nauigationem, multa vasa parauit: quorum capiebant singula bina talenta & drachmas quingenas. Singulis longum alligauit funiculum, cuius capiti corticem suberis prægrādem annexuit: quò si afflictum esset nauigium, alligatus ab imo locum commonstraret.

Pecunia in Cypro à Catone coacta.

Atque argentum quidem omne pauco excepto prosperè transuectum est. at rationes omnium, quæ procurauerat, habebat in duobus codicibus descriptas diligenter: neutrum seruauit tamen: sed alterum libertus eius Philargyrus nomine ferens, cùm ex Cenchreis soluisset, demerso nauigio vnà cum sarcinis amisit. Alterum ipse Corcyram vsq; seruauerat: verùm cum in foro tetendisset, nautæ autem crebras pyras ob gelu nocte incendissent, inflammatis tentorijs simul codex est desideratus. Quamuis verò inimicos quidem & calumniatores reddituri erant procuratores præsentes regij elingues, pupugit res tamen Catonem. Neque enim ad suam probandam fidem confecerat rationes, sed sedulitatis præbere alijs exemplum gestienti dij inuidere. Vt traiecisse eum nauibus nunciatum Romam est: ilicò omnibus magistratibus & sacerdotibus, vniuerso se-

natu & frequenti populo obuiàm ei ad flumen prodeuntibus completæ vtrinque ripæ fuere, nihil[que] à triumphi specie & splendore discessit eius subuectio. tametsi quibusdam absurdum hoc & insolens visum, quòd ad consules & prætores effusos obuiàm non descenderit, neque cursum inhibuerit: sed incitata hexeri regia ripam præuectus non antè remiserit, quàm classe sit nauali inuectus. Attamen translatæ per forum pecuniæ cepit populum admiratio, & senatus coactus Catonem meritis tulit laudibus, ei[que] præturam extra ordinem decreuit, & ius spectandi in prætexta ludos. Cæterùm hęc Cato repudiauit. Nicias autem regius procurator, cui testimonium præbuit diligentię & fidei, petiuit ab senatu vt manumitteretur. Consul id temporis Philippus erat Martiæ pater, recidit[que] authoritas & vis magistratus quodam modo ad Catonem: quòd non minorem Philippi collega Catoni ob virtutem, quàm ob affinitatem Philippus honorem haberet. Postquàm Cicero ab exilio, quod ei irrogatum fuerat à Clodio, rediit: multum[que] pollens tabulas tribunitias, quas publicè Clodius in Capitolio fixerat, vi absente reuulsit & detraxit Clodio: hac de re senatu conuocato cùm accusaret Clodius Ciceronem, ille verò defenderet, quia contra leges esset tribunus factus Clodius, cassa illius temporis acta & scripta irrita[que] esse debere: dicenti obstrepuit Cato, ac postremò exurgens ostendit nihil prorsus in tribunatu se Clodium putare sani vel boni egisse. Sed si quis omnia eius tribunatus acta rescindat, rescindi suam quoque in Cypro procurationem, ne[que] missum se fuisse ex illegitimi rogatione tribuni legitimè. Non illegitimè creatum tribunum Clodium, qui legis permissu ex patriciis in familiam plebeiam transiuerat. Quòd si tribunatum gessisset sicut alii improbè, ipsum qui peccauit postulandum, non qui pariter esset violatus, retexendum magistratum. Hinc simultas inter Ciceronem & Catonem extitit, diu[que] mutuus est intermissus vsus: pòst tamen redierunt in gratiam. Inde Pompeius & Crassus Cæsarem, qui ex Gallia transalpina venerat, conuenerunt: habito[que] consilio secundum consulatum vnà statuerunt petere: quem adepti prouinciam Cæsari in quinquennium prorogare: sibi maximas prouincias, stipendia, & exercitus decernere. Ea ad partiendum imperium & opprimendam remp. erat coniuratio. Cùm verò multi & præstantes virtute viri petere pararent consulatum, alios horum in comitiis conspectus deterruit. Vnum L. Domitium sororis maritum impulit Cato, ne cederet, nec certamen deponeret: quod non de consulatu, sed de populi Romani esset libertate. Ferebatur etiam per sanam adhuc ciuitatis partem sermo, non esse permittendum, vt coëunte Crassi & Pompeii potentia plusquam modicus & enormis euaderet consulatus: sed detrahendum ei alterum, conspirauerunt[que] cum Domitio incitantes eum & cohortantes, vt se offerret. Multa enim eum illorum quoque, qui ob metum obmutescerent, laturum suffragia. Hoc timens Pompeius Domitio in campum ante lucem ad faces descendenti locauit insidias: ac primus, qui prælucebat proxime Domitium, ictus cecidit. Post eum, cùm alii præterea sauciarentur, fit fuga omnium præter Catonem & Domitium. Nam Cato, quamuis in brachio vulneratus, retinuit eum acuit[que], vt manerent, neque propugnationem deserent, quoad spirarent, pro libertate aduersus tyrannos: qui, quemadmodum gesturi magistratum essent, per tanta scelera irruentes in eum declararent. Verùm quia non sustinens periculum domum refugit Domitius, Pompeius & Crassus consules designati sunt. Nec destitit Cato, sed præturam instituit petere: quò arcem haberet, ex qua cum illis contenderet, nec cum consulibus depugnaret priuatus. Illi id ipsum metuentes æquaturam ex Catonis persona consulatum præturam, primùm aduocauerunt repentè senatum. Vbi per infrequentiam decretum fuit, vt designati prætores extemplò magistratum inirent, præciso legitimo tempore: quò illos, qui populum corrupissent largitionibus, postulare liceat. Deinde cùm plebiscito effecissent, vt soluti essent à causa dicenda: clientes & amicos suos ad præturam prouexerunt, ipsi pecuniam præbuerunt, ipsi suffragiis præfuerunt. Quibus etiam cùm esset Catonis virtus & authoritas superior, plebe præ verecundia rem indignam censente vt venderet suffragiis Catonem, quæ emere reipub. eum prætorem deberet: ac prærogatiua tribus illum diceret prætorem: Pompeius subitò tonitru audiuisse se ementitus fœdissimè comitia dimisit. Abominari id solent, nec quicquam Ioue tonante ratum habere. Grandi autem iterum pronunciata pecunia, atque optimis quibusque Comitio expulsis per vim obtinuerunt, vt renunciaretur Vatinius pro Catone prætor. Ibi perhibent illos, qui tam prauè & iniquè suffragia tulerant, confestim sicut fugientes abiisse. Cæteris verò coeuntibus & indignantibus concionis habendæ

Catonis & Ciceronis simultas.

Cato obsistit Pompeio et Crasso consulatum petentibus.

Cato in foro vulneratus.

Cato præturam iterum petiit.

Cato à Pompeio prætura deiectus.

bendæ potestatem cùm Catoni statim vnus ex tribunis faceret, progressum eum imminentia reipub. quasi numine afflatum omnia prædixisse concitasseque populum in Pompeium & Crassum, qui essent talium rerum sibi conscij, atque ita rempub. intenderent gerere, vt timerent Catonem, ne prætor eos premeret. Postremò domum regredientem adeò frequens populus est prosecutus, vt nec cunctos simul designatos prætores. Cùm iam C. Trebonius rogationem de prouincijs consularibus promulgasset, vt vnus Hispaniam & Africam, alter Syriam & Aegyptum obtinerent: ac quibus videretur, terra marique bellum facerent & domarent: cæteri intercedere & impedire desperantes se posse omiserunt & contradicere. Catoni verò antequàm populus in suffragia mitteretur, rostra conscendenti, atque concionem habere volenti vix duarum horarum permiserunt spacium. quem, cùm multa commemorando, subijciendo, & præcinendo tempus consumeret, interpellarunt dicentem, persistentemque accedens lictor detraxit ex rostris. Cùm etiam ex inferiore loco vociferaretur, essentque qui eum audirent & fremerent: corripuit iterum eum lictor, ac foro emouit. At ille statim, vt dimissus est, repetijt forum, sublato clamore incitans populum, vt succurreret. Quod cùm faceret sæpius, æstuans Trebonius duci eum iussit in carcerem. Secuta eum plebs est audiens inter eundum disserentem. Ita Trebonius metu eum missum fecit. Atque eum diem Cato hoc modo exemit. Insequentibus populo partim consternato, partim præmijs & largitione redempto, vno etiam tribuno plebis Aquilio armis prohibito ex curia prodire: ipso verò Catone, qui Iouem clamabat tonasse, à foro summoto, multisque vulneratis & nonnullis interfectis legem vi pertulere. Vnde multi globo facto infesti Pompeij statuas lapidibus incessebant. Cæterùm id superueniens interpellauit Cato. Cùm mox alia lex de Cæsaris prouincijs & legionibus promulgaretur: non iam ad populum Cato, sed ad ipsum conuersus Pompeium testato denunciauit non intelligere ipsum nunc, recipere in humeros suos Cæsarem: vbi verò grauari cœpisset & opprimi, nec deponere posset, nec sustineret ferre: facturum ipsum, vt secum onus conijceret in rempub. ac tunc Catonis admonitionum memorem fore non minus Pompeio salutarium, quàm honestarum atque iustarum. Ea Pompeius cùm crebrò audiret, felicitate sua & potentia fretus contempsit & transmisit, non credens futurum, vt se immutaret Cæsar. In proximum annum Cato prætor factus est. neque tantum habitus est magistratui maiestatis & fastigij rectè administrando adiecisse, quantum detraxisse & deformasse: quòd frequenter sine calceis & tunica ad tribunal accederet, & de capite illustrium virorum dispensaret eo habitu iudicia. Nonnulli autumant etiam à prandio, postquàm potasset, ius eum dicere solitum. verùm id falsum est. Adulterato candidatorum largitionibus populo, plebeque nundinationem sicut opificium exercente cupiens hunc morbum radicitùs è repub. excindere, suasit in senatu, vt lex ferretur: vt designati magistratus, si nullum haberent accusatorem, ipsi cogerentur iudicio iurato se offerre, atque ibi rationem reddere parati magistratus. Id candidatos offendit, magisque mercenariam multitudinem. Itaque cùm manè Cato progrederetur ad tribunal, magna manus incurrens obstrepuit ei, conuitia ingessit, lapidibus incessit, vt à tribunali diffugerent omnes: ipse Cato à multitudine impulsus iactatusque ægrè euaserit in rostra. Ibi restitans vultus fidentia & constantia ilicò compescuit turbam, & clamorem sedauit. Cùm verò disseruisset, quæ ad rem pertinebant, & esset magno silentio auditus: tumultum semel compressit. Ibi laudante eum senatu: Ego vos, inquit, non laudo: qui prætorem deseruistis in discrimine, neque ei succurristis. At candidati omnes malo fluctuabant ancipiti: quòd quisque hinc timeret largiri nummos: hinc vereretur, ne si id fecisset alius, decideret à magistratu. Visum igitur ijs est, vt ex compromisso deponerent singuli quingena sestertia, deinde magistratum omnes peterent legitimè. qui secus fecisset & largitionem adhibuisset, is vt eam pecuniam perderet. Hæc pacti custodem, arbitrum, & testem capiunt Catonem, pecuniam allatam ei offerunt, atque apud eum pacta conscribunt. Ille pro pecunia prædes accepit, cùm pecuniam nollet. Vt dies comitiorum venit, assistens Cato tribuno, qui præerat comitijs, obseruatisque suffragijs vnum ex ijs, qui compromiserant, dolo vsum pronunciauit, præcepitque ei, vt competitoribus suis solueret pecuniam. qui commendantes & extollentes integritatem eius, mulctam remiserunt, quòd satis se habere pœnæ ab illius fraude existimarent. Enimuerò in aliud

Cato aduersatur prouincijs Pompeij & Crassi.

Cato prædicit Pōpeio, quæ ei euenerunt à Cæsare.

Catonis prætura.

Lex ambitus à Catone lata.

Cato tumultum Romæ sedauit.

incurrit Cato, fuitq; ea de re inuidiosissimus, quasi curiæ, & fori, & magistratuum sibi vendicasset vim. quippe nullius gloria & fides virtutis inuidiam conciliat maiorem, quàm iustitiæ: quòd authoritas eam & fides potissimùm comitetur apud alios. Neque colunt solùm vt fortes, neque suspiciunt vt prudentes: sed diligunt etiam iustos, eisq; fidunt & credunt. Illorum superiores metuunt, his diffidunt. Adhæc illos natura potiùs censent quàm voluntate præcellere: prudentiam acrimoniam quandam, firmitatem mentis fortitudinem esse ducentes. Et cùm statim iustus esse, qui velit, possit: iniustitia præcipuè vt vitio inexcusabili erubescunt homines. Quapropter omnes principes quasi notati oppugnabant Catonem. Pompeius verò etiam illius gloriam pro potentiæ suæ euersione habens, obijciebat ei assiduè aliquos conuiciatores. Ex quibus Clodius ille plebis concitator, qui se denuò ad Pompeium aggregauerat, traducebat Catonem, multū eum ex Cypria gaza interuertisse, & aduersari Pompeio, quia filiæ eius nuptias repudiauisset. Cato contrà tantum prædicauit se ex Cypro argenti reipub. coegisse, cùm ne vnum quidem equum vel militem accepisset: quantum ex tot bellis & triumphis concusso orbe terræ non retulisset Pompeius. Affinem nunquam optauisse Pompeium, non quin dignum censeret: sed quòd videret dissensionem inter ipsos in repub. Ego enim, inquit, prouinciam mihi ex prætura oblatam abdicaui: hic habet alias, quas ipse sumpsit: alias tribuit alijs. Ac nunc denique Cæsari in Gallia commodauit legionem: quam neque ille à vobis petijt, neque hic dedit de sententia vestra. Sed tanti exercitus, arma, & equi beneficia sunt & dona mutua priuatorum. Imperator appellatur & dux: cùm alijs legiones & prouincias tradiderit, ipse verò muris assideat seditionum in comitijs arbiter & tumultuum architectus. Ex quibus patet eum ex confusione publica dominatum sibi quærere. Ita Pompeium vltus est. Erat M. Fauonius familiaris eius & æmulator, qualis Apollodorus Phalereus traditur quondam fuisse Socratis, incitatus & mente motus ab eius oratione, quæ non sensim neque modicè, sed acrius eum rapuerat quasi lymphatum & fanaticum. Hic ædilitius candidatus repulsam tulit. Cato autem, qui assistebat, obseruauit tabulas eadem manu scriptas: ac demonstrans fraudem in præsentia quidem renunciationem eam tribunis appellatis circumduxit. Pòst Fauonio ædili creato cùm in cæteris magistratus muneribus præstò fuit, tum ludos eius in theatro curauit, deditq; coronas rhymelicis non aureas, sed vt Olympijs ex oleastro: Dona loco magnificorum, Græcis betam, lactucam, raphanum, pira: Romanis vini amphoras, carnem suillam, ficus, cucumeres, lignorum fasciculos, quorum vilitatem alij irridebant, alij oblectabantur Catonis austeritatem & contractionem videntes transire sensim in remissionem. Postremò Fauonius immiscens se plebi atq; inter spectatores considens plausit Catoni: ac donaret honoraretq; merentes clamauit: testatusq; spectatores est in illius potestate se omnia posuisse. In altero theatro collega Fauonij Curio splendidum exhibebat munus. Spectatores tamen relicto illo huc transierunt applauseruntq; effusè agenti Fauonio priuatum & Catoni agonothetem. Hæc designauit, quò ei rei obtrectaret, doceretq; ludentem oportere ludo vti, ac benignitate potius defungi communi, quàm apparatibus & sumptibus, in rebus nihili magnas curas & solicitudines ponentes. Cùm Scipio, Hypsæus, & Milo consulatum peterent: nec solum receptis illis iam atque vsitatis improbitatibus, largitionibus & corruptionibus: sed pro palàm per arma & cædes in bellum ciuile ruerent amentia & audacia, atque ideo Pompeium quidam præponere vellent comitijs: primùm repugnauit Cato negans legibus ex Pompeio, sed ex legibus debere Pompeio suppetere securitatem. Vt verò per diuturnum interregnum & tribus exercitibus forum quotidiè obsidentibus parum abfuit, quin malum sisti non posset: statuit ante vltimam necessitatem summam rerum spontaneo senatus beneficio conferre in Pompeium, & quàm minimo malo pro medicina vtens ad maximas componendas dominatum inuehere potius, quàm permittere, vt seditio terminaret in dominatum. Igitur Bibulus Catonis necessarius sententiam dixit, Pompeium solum consulem creandum. Aut enim rempub. eum ordinaturum rectè, aut ciuitatem optimo seruituram. Vnde surgens Cato eam sententiam præter omnium expectationem probauit, docuitq; quoduis imperium præstare, quàm vacare magistratibus ciuitatem. Pompeium etiam expectare se optimè vsurum potestate, & concreditam sibi rempub. conseruaturum. Ita consul Pompeius declaratus Catonem orauit, vt in suburbium veniret ad se. quem, vt venit, excepit benignè salutationibus & complexibus, gratijsq; actis rogauit; vt consilio adesse sibi & præesse vellet in consulatu.

Iustitiæ vis.

Catonis & Pompeij inuicem cõuitia.

M. Fauonius.

Cato Fauonij ædilis ludos curat.

Catonis graue consilium circa ludos.

Catonis sententia fit Pompeius solus consul.

latu. Respondit Cato neque prima odio se dixisse Pompeij, neque hæc studio, sed omnia boni publici causa. Priuatim igitur petenti consilium daturum, publicè etiam si non petat, omninò dicturum, quod sibi esset visum. Atq; hæc vt dixit, ita egit. Primùm namque aduersus eos, qui pecuniam in populo pronunciauerant, nouas mulctas & pœnas graues paranti promulgare Pompeio omittere consuluit præterita & prouidere in futurum. Haud enim, vbi præteritis peccatis subsisteret excutiendis, procliue futurum statuere. Et si recentiores sanciantur mulctæ offensis, iniuriam passuros hos, si quam nō violauerunt neque perruperunt legem, ea puniantur. Deinde cùm multi rei fierent clari viri, aliqui etiam Pompeij amici & necessarij: animaduertens multis conniuentem & remissum, increpauit acriter & excitauit eum. Cùm verò laudationes, quæ dici pro reis solebant, ipse Pompeius lege interdixisset, & Munatio † Flacco scriptam dedisset in iudicio laudationem: obthurans Cato manibus aures (erat enim inter iudices) prohibuit illud testimonium recitari. At Flaccus ex iudicibus eum post actiones reiecit, nec minus est damnatus.

† Puto legendum Planco, de quo Cicero Philip. 13.

Omnino verò curam præbebat Cato reis ancipitem atque implicatam: quôd neque relinquere vellent eum iudicem, neq; auderent reijcere. Multi enim euersi iudicio sunt: quòd Catonem declinare, non nisi innocentia putarentur. Nonnullos etiam nominabant insectatores, velut magnum probrum, quòd Catonem iudicem repulissent, obijcientes. Porrò cùm ipse Cæsar legionibus Gallicis incubaret, & armis insisteret: dona autem, largitionem, & amicos potissimùm adhiberet ad vrbanam potentiam: iam præmonita Catonis excitabant Pompeium ex securitate magna priore somniantem periculū. Quia verò nimiùm erat lentus & segnis ad obsistendum Cęsari atque ad rem aggrediendam: constituit Cato consulatum petere: vt confestim Cæsari arma extorqueret, aut denudaret eius consilia.

Cato vt resistat Cæsari, cōsulatum petit.

Competitores Catonis ambo boni viri erant: Sulpitius etiam multum ex Catonis in rep. authoritate & opibus acceperat emolumenti. quare habebatur non boni neque grati viri officio fungi. Nihil est tamen offensus. Quid est enim, inquit, miri: si, quod quis summum arbitratur bonum, non concedat alteri? Suasit autem senatui decernere, candidati populum vt per se prensarent, nec per alium rogarent vel appellarent pro se circumeuntes. Quare exasperauit multo magis homines: quòd non modò mercedem capiendam, verùm etiam beneficij ipsis collationem adimens, inopem simul & contemptam plebem efficeret. Ad hæc cùm nec ad ambiendum esset pro seipse appositus, verùm in grauitate mallet morum suorū retinere dignitatem, quàm amplitudinem acquirere consulatus: atque sic prensans, neque amicis permittens facere ea, quibus ducitur & capitur multitudo, repulsam consulatus tulit.

Cato repulsam consulatus tulit.

quæ res cùm adferre solita esset non ipsis modò præteritis, sed et eorum amicis familiaribusq; per multos dies cum aliquo rubore tristitiam ac mœrorem: adeo eum casum tulit lentè, vt vnctus pila ludere in comitio, et à prandio rursus in forum more suo sine calceis & absque tunica descendens deambularet cum familiaribus. Culpat eum Cicero, quòd cùm respub. talem consulem desideraret, non incubuerit sedulò, nec comiter populum subierit: sed & elanguerit in futurum obtorpueritq;, quamvis præturam iterum petisset.

Cicero Catonem culpat.

At Cato prætura respondit se non plebis voluntate, sed ea vi cōpulsa vel redempta fuisse deiectum. In comitijs verò consularibus cùm fraus nulla intercessisset, populum cognosse sibi offensum ob eosdem mores: quos neq; immutare aliorum gratia, neque paribus vtentem pariter denuò incurrere viri foret cordati. Porrò cùm Cæsar nationibus bellicosis arma mouisset, easq; magno cum periculo vicisset: Germanos etiam pace adortus esse videretur, & strauisset trecenta millia: alij supplicationem à populo censebant decernendam: Cato verò Cæsarem violatis dedendum dixit pro sententia, ne in se verterent piaculum, vel obstringerent religione ciuitatem. verum tamen dijs, inquit, honos habeatur: quòd insaniæ & flagitij ducis pœnam non in milites vertant, sed parcant ciuitati nostræ.

Catonis sententia contra Cæsarem.

Hinc literas Cæsar ad senatum plenas conuitiorum & probrorum in Catonem misit. quibus recitatis surgens ille non stomachosè neque contentiosè: verùm quasi cogitato & præmeditato, quæ sibi obiecta essent, ea probrorum & dicteriorum similia derisionemq; quandam & cauillationem ostendit Cæsaris esse. Inde exorsus illius à fonte consilia mentemq; omnem: non sicut inimicus, sed coniuratus & socius detegens: demonstransq; non Britannos neque Gallos ipsis, verùm ipsum illum esse, si saperent, formidandum: vsque eo commouit concitauitq; senatum, vt pœniteret amicos Cæsaris, quòd Catoni lecta in senatu Cæsaris epistola iustæ querelæ & verorum criminum dedissent occasionem. Ac nihil quidem tunc decretum est. Tantum iactatum ex

Cato inuehitur in Cæsarem.

Cato Cæsaris tyrannidem prædixit.

Eiusdem esse & magna mala facere, et comprimere.

Cato sequitur Pompeium.

Catoni obijcit Cæsar auaritiã.

re esse, vt successor Cæsari mitteretur. Postulantibus Cæsaris amicis, vt ab exercitibus æquè discederet Pompeius redderetq; prouincias, aut nec cogi Cæsarem: nunc illa vociferatus Cato est, quæ prædixerat ipsis, venire & vim illum adferre, non obscurè iam vires vsurpantem, quas imponendo & decipiendo ciuitatem comparasset. Extra curiam autem, quòd populus quàm amplissimum Cæsarem vellet, nihil effecit. Senatus præbebat ei aures, sed timebat populum. Vt Ariminum occupauit Cæsar, & cum exercitu ad vrbem nunciatus est contendere: ibi omnes in illum & populus & Pompeius intenderunt oculos: quòd vnus à principio præsensisset, & Cæsaris consilia primus apertè prænunciasset. Ait igitur Cato: Si monitis & consilijs meis aliquis vestrum Patres Conscripti paruisset, nunc vnum non timeretis, nec in vno spem reponeretis. Cùm diceret Pompeius melius Catonem diuinasse, se verò egisse amicius: cõsuluit Cato, vt vni Pompeio senatus summam rerum permitteret. Nam eorundem esse & facere magna mala & comprimere. Pompeius, quòd nec copias paratas haberet: nec, quas conscripserat, videret alacres, deseruit vrbem. Cato sequi & comitari fugientem certum habens, minorem filium clàm in Brutios misit ad Munatium, maiorem traxit secum. Quia verò domus eius & filiæ curatorem requirebant, accepit iterum Martiam viduam cum grandi dote. siquidem Hortensius eam moriens reliquerat hæredem. Quod præcipue obiectans Cæsar Catoni, improperat ei auaritiam, & mercenarium maritum appellat. Quid enim concedere eam opus erat, inquit, alteri, si requirebat vxorem? aut si non requirebat, iterum recipere, nisi esca ab initio hæc mulier submissa Hortensio fuisset: & iuuenem commodasset, vt reciperet diuitem? Ad id refellendum satis quadrat Euripideum illud:

In Hercule furente.

Primùm nefanda redarguam. Nefas enim est
Labem timoris exprobrarier Herculi.

Cato sortitur Siciliam.

Cato relinquit Siciliam.

Pompeij consilium de principatu occupãdo, quomodo nutatum.

quippe perinde sit ac Herculi mollitiem obijcere, exprobrare turpem quæstum Catoni. Quòd si aliàs hæ improbandæ sunt nuptiæ, id æstimandum. Nam vt adiunxit matrimonio Martiam, domum commisit ei & filias suas, secutusq; est Pompeium. Ex ea die dicitur neque capillum neque barbam totondisse, neque coronam sumpsisse: Luctus, mœstitiæ doloris ob calamitatem patriæ vnum habitum, siue vincerent, siue vincerentur, retinuisse vsq; ad extremum. Siciliam tunc sortitus Syracusas traiecit. Cùm nunciatum ei esset missum ab hostibus Asinium Pollionem appulisse cum exercitu Messanam: misit ad eum quæsitum, quamobrem eò traiecisset? Cùm ille ex altera parte requisiuisset ab eo, quis author mouendi belli fuisset? nunciatoq; Pompeium Italia semel relicta Dyrrachij castra habere, magnam ait esse prouidentiæ deorum perplexitatem & incertitudinem: quòd Pompeium, vbi nihil sani vel recti egisset, inuictum: nunc cùm patriam cupiat seruare & libertatem tueri, deseruisset felicitas. Atque Asinium quidem potuisse ostendit se Sicilia expellere. Cæterùm quia maiores copiæ subueniebant illi, noluisse eam insulam bello implicare. Ita Syracusanos monuit, adiungerent se fortioribus & saluti consulerent. Mox abnauigauit. Postquàm ad Pompeium venit, in vna perstitit sententia bellum ducendum esse, pacem sperans nolens'que certamine accisam ciuitatem ferro'que decernentem ab se ipsam extrema mala pati. Alia his consimilia Pompeio & consilio author fuit decernendi: vt ne quam vrbem populo Romano pacatam diriperent, neque ciuem Romanum extra aciem interficerent. Hac re gloriam comparauit magnam, multos'que partibus associauit Pompeij humanitate & lenitate sua captos. In Asiam missus, vt cogentes illic nauigia & milites adiuuaret, duxit secum sororem Seruiliam atque natum ex ea Luculli filium. quippe adhæsit ei vidua: quæ impudicitiæ crimina multum eleuauit, quòd Catonis se custodiæ, peregrinationibus & contubernio vltro subiecisset. Atqui Cæsar ne illam quidem abstinuit Catoni exprobrare. Cæteris nihil sanè duces Pompeij Catonem adhibuere. Rhodios beneuolentia adiunxit. apud quos Seruilia cum filio relicta ad Pompeium reuersus est: cùm esset iam ille egregijs pedestribus & naualibus viribus succinctus. Hic maximè denudasse mentem suam apparet Pompeium. siquidem statuit classi præficere Catonem. Erant naues bellicæ haud intra quingentas: Liburnicarum, speculatoriarum, & apertarum immensus numerus. Mox autem reputans aut edoctus ab amicis hoc caput esse in omnib. actionibus suis Catoni, vt vndequaque liberaret rempubl. vnius dominatu: qui si virium tantarum factus potens esset, quo die superasset

Cæsa-

Cæsarem, eodem coactu rum eum arma Pompeium ponere ac legibus parere: mutauit sententiam, tametsi ea de re iam fuisset cum eo collocutus, imposuit'que clasi Bibulum. Nihilo ob id tamen promptitudinem sensit Catonis languidiorem. Imo verò cùm ad conflictum quendam apud Dyrrhachium & ipse exercitum Pompeius adhortaretur, & ducem quemque alium incitare oratione aliqua imperaret milites: segniter eos & cum silentio fama est audiuisse cæteros: at vbi omnium nouissimus Cato, quæ tempus suggerebat ex philosophia afferre, de libertate, virtute, morte, gloria magno animi sui motu disseruit, atque extremam orationem ad deorum implorationem quasi præsentium & illud pro patria inspectantium certamen conuertit, tantum sublatum clamorem fuisse, tantumq́ excitati motum exercitus, vt duces concitarentur spei pleni omnes ad discrimen. Cæterùm vincentibus & pellentibus hostes extorsit consummatam victoriam fortuna Cæsaris nimia Pompeij vsa cautione & successus diffidentia. Cæterùm hæc sunt in historia Pompeij explicata. Ouantibus omnibus atque rem gestam extollentibus Cato patriam deflebat, ambitionemq́ lamentabatur funestam & infelicem: quòd multos & egregios ciues conspiceret mutua cæde confectos. Cùm iam Pompeius ad persequendum Cæsarem in Thessaliam castra moueret, magnam autem vim relinqueret apud Dyrrhachium armorum hominumq́ propinquorum & necessariorum: ducem & custodem omnibus Catonem præposuit, attribuitq́ ei quindecim cohortes: quòd pariter fideret ei & timeret. Nam victo omnium fore existimabat sibi firmissimum: sin vinceret, non permissurum, vt diximus, præsentem rebus ad nutum suum vti. Complures præterea cum Catone illustres viri ablegati Dyrrhachium sunt. Deuicto ad Pharsalum Pompeio ita constituerat Cato: si cecidisset Pompeius, eos quos secum habebat, in Italiam transportare, atque ipse quàm temotissimè à dominatu transigere vitam in exilio: quòd si incolumis foret, omnino eas copias illi conseruare. Ita in Corcyram, vbi classis erat, traiecit & Ciceroni imperio vt consulari prætorius cessit. Reijciente id Cicerone & abnauigate in Italiam parante vidèns Pompeium Minorem ex intempestiua peruicacia & ferocia grauius consulere in discedentes, ac primò manus afferre moliri Ciceroni, castigauit seorsum eum, placauitq́. Atque ita Ciceronem haud obscurè à morte eripuit, ac securitatem præbuit alijs. Pompeium Magnum in Aegyptum vel Africam eonijciens elapsum properansq́ ad illum conscendit eum omnibus atq́ vela fecit porestate tamen antè abeundi & remanendi facta illis, qui non prompti erant ad sequendum. Vt Africam attigit, in legendo litore Sextum conuenit minorem Pompeij filium: ex quo Pompeij Magni fatum intellexit. Eam rem tulerunt omnes grauiter, nec cuiusquam à Pompeio voluerunt præsente Catone alterius ducis audire mentionem. Quapropter Cato pudore & miseratione bonorum virorum, qui fidem suam probauerant, in terra peregrina desolatos relinquere & inopes non sustinens suscepit imperium, atque Cyrenas appulit: vbi à ciuibus est admissus, cùm paucis diebus portas clausissent Labieno. Ibi Scipionem Pompeij socerum ab rege Iuba intelligit receptum: & † Appium Varum, cui data à Pompeio prouincia Africa fuerat, illis se cum exercitu coniunxisse. Ita itinere pedestri brumali hora est profectus. Magnam vim asinorum ad aquam portandam coegerat, magnam etiam prædam egerat. Currus insuper & Psyllos appellatos trahebat secum, qui serpentium ictibus medentur venenum ore exugentes, ipsasq́ incantationibus hebetant & sopiunt serpentes. Dies septem continuos agmine facto signa antecessit, neque equo vel iumento est vsus. Cœnabat sedens ex eo die, quo cladem Pharsalicam intellexisset, idq́ ad cæterum luctum addidit, neque recumbebat nisi somni causa. Exacta in Africa hyeme eduxit milites, qui non multò minus decem millia erant. Res erant Scipionis & Vari malo in loco ob dissensionem & distractionem assentantium atque obseruantium Iubam, cuius ob opes & vires intolerabile erat supercilium & fastus: vtpote qui, cùm congressurus primò esset cum Catone, sellam suam mediam posuerit inter Scipionem & Catonem. Quod, vt vidit Cato, transposuit ad alterum latus sellam suam, medium'que Scipionem quamvis inimicum, qui ediderat etiam in ipsum probris refertum scriptum, accepit. Et hoc nihili faciunt. Quòd verò Philostratum in Sicilia philosophiæ honoris causa acceperit in deambulando medium, id exagitant. In præsentia igitur retudit Iubam: qui Scipionem & Varum tantum non pro satrapis suis habuerat, illos'que reduxit in gratiam. Petentibus omnibus, vt imperium susciperet, Scipione'que & Varo cedentibus ei ac ducatum

Catonem quo consilio Pompeius apud Dyrrhachium manere iussit.

Cato seruat Ciceronem à Pompeij filio.

Cato traijcit in Africam.

† Apud Dionē, est Attium.

Psylli, serpentū ictibus medentur.

Iubæ regis fastus.

Catonis magnanimitas & modestia.

Cato coniungit

ſe Scipioni in Africa.

tradentibus negauit conuulſurum ſe leges, quarum cauſa oppugnarent conuellentem: neque ſe proprætorem proconſule præſente imperaturum. Nam creatus Scipio proconſul fuerat: ac ſpem victoriæ vulgus ex nomine trahebat imperantis in Africa Scipionis. Vt tamen aſſumpto imperio Scipio Vticæ ſtatuit in gratiam Iubæ omnes ſine diſcrimine ætatis interficere, vrbem'que quaſi cum Cæſare ſentientem excindere: non tulit id Cato: verùm præſentes teſtatus vociferatus'que in conſilio & deûm fidem implorans, ægrè exemit illos miſeros horum crudelitati: ac partim eis orantibus, partim contendente Scipione cuſtodiam vrbis recepit, vt neque volens neq; inuita coniungeretur Cæſari. Erat enim locus ille ad omnia opportunus & affluens obtinentibus: qui multo magis eſt à Catone firmatus. ſiquidē eò ingentem numerū frumenti inuexit, muros fulciuit, turres in altum excitauit, foſsis altis & vallis vrbem ſepſit. Vticenſes puberes armis ſibi traditis intra vallum imperauit commorari, reliquos in vrbe continuit magna adhibita cura, nequa iis à Romanis iniuria vel malum offerretur. Magnam vim armorum, pecuniæ, frumenti in caſtra miſit. Prorſus fecerat belli illam vrbem promptuarium. Quod autem ante Pompeio, idem tunc conſulebat Scipioni, ne cum homine bellatore & acri ſigna conferret: ſed traheret tempus, quò omnis viriditas, qua valet tyrannis, emarceſcat. Hæc Scipio ex peruicacia floccifecit: ac Catoni ſemel ignauiam improperans ſcripſit: ſatis'ne eſſet ei, quòd in vrbe & intra mœnia deſideret, niſi etiam prohiberet aliis conſilio pro tempore vti audacter? Ad ea reſcripſit Cato paratum ſe cum eo peditatu & equitatu, quos in Africam aduexerat, traiicere in Italiam, Cæſaremq; retrahere & vertere ab ipſis in ſe. Quæ vbi irriſit Scipio, præ ſe tulit apertè pœnitere ſe, quòd imperium permiſiſſet ei, ratus nec bellū rectè Scipionem adminiſtraturum: nec, ſi præter ſpem ſucceſſum habuiſſet, vſurum victoria in ciues moderatè. Itaque hæc ſententia fuit Catonis, atque apud familiares prædicauit, ob ducum imperitiam & ferociam nullā habere ſe de bello bonam ſpem. quòd ſi proſperè quid cecidiſſet & oppreſſus eſſet Cæſar, non remanſurum ſe Romæ, ſed ſæuitiam & acerbitatem fugiturum Scipionis, qui iam tum grauiter & ſuperbè multis minitaretur. Id verò citius, quàm expectabat, euenit: ac circa primas tenebras accurrit quidam, qui tertio die venerat ex caſtris, annuncians ingenti prælio ad Thapſum contracto omnia perdita eſſe, Cęſarem caſtris potitum, Scipionem & Iubam cum paucis effugiſſe, omnem cæſum reliquum exercitum. Hoc caſu ciues, vt veriſimile eſt, nocte & in bello ad eum nuncium penè amentes facti vix continuerunt ſeſe intra mœnia. At Cato progreſſus, vt cuique occurrit, diſcurrentes & clamantes retinens conſolansq; abſtergebat timētibus trepidationem & exanimationem, cladem dicens forſitan non eſſe tantam, ſed extolli ſermone in maius. Ita turbam compoſuit. Simul atq; diluxit, conuocauit per præconem in templum Iouis trecentos (Hi ciues Romani erant, qui in Africa negociabantur & fœnus exercebant) ſimulq; omnes ſenatores & eorum filios. Dum illi coguntur, accedens cōpoſito & tranquillo vultu, quaſi nihil accidiſſet noui, libellum quem tenebat manibus, legebat. Breuiarium erat inſtrumenti bellici, armorum, frumenti, telorum, militum. Vbi conuenerunt, exorſus à trecentis: laudata eximiè eorum alacritate & fide, quam demonſtrauerant: quòd pecunia, corporibus, conſiliis rempublicam enixiſsimè iuuiſſent: exhortatus eos eſt, ne diuerſam ſpem intenderent, alius aliam fugam & errorem quærentes. Nam ſi vnà cohærerent: & bellantes minus Cæſarem deſpecturum, & magis parſurum ſupplicibus. Monuit autem eos, vt de rebus ſuis deliberarent: de neutro ſe conſilio incuſaturum ipſos: verùm ſi animo ad fortunam inclinarent, adſcripturum varietatem eorum neceſsitati. Quòd ſi reſiſterent malis, & diſcrimen pro libertate ſubirent: non commendaturum modò, ſed etiam virtutem eorum admiraturum, præbiturumq; ipſis ducem ſe & cōmilitonem, quoad nouiſsimam patriæ fortunam exploraſſent. non Vticam eam neq; Adrumetum, ſed Romam eſſe: quæ ſæpè ob magnitudinem ſuam erexiſſet ſe ex grauioribus lapſibus. Ipſis verò cùm multa ad ſalutem & incolumitatem patere, tum illud maximè: quòd bellum gererēt cum homine, qui in diuerſa temporibus retraheretur. Hiſpaniam ad Pompeium iuuenem defeciſſe. Ipſam Romam iugi inſolentē nondum planè recepiſſe frænum: verùm indignè calcari, atque ad omnem exurrecturam mutationem. Neq; porrò refugiendum eſſe periculum, ſed doctorem eos habere hoſtem ipſum: qui quò maxima ſcelera tranſigat, minimè parcat vitæ: cui non ſicut ipſis in felicißimam vitam, ſi victores fuerint: aut ſi impegerint, in mortem glorioſiſsimam incerta belli terminatura. Verumtamen debere eos ait ſecum rem perpendere, vota facientes, vt ſuperio-

Cato præficitur Vticæ.

Catonis conſilium ſpernit Scipio.

Catonis conſtantia in rebus perditis.

Catonis oratio Vticæ habita.

re pro virtute atq; animi propensa voluntate, quæ deliberassent, faustè ac feliciter euenirent. Postquàm finem dicendi Cato fecit: fuerunt, quibus etiam faceret oratio eius animos. Pleriq; verò ob constantiā eius, animi celsitudinem & humanitatem periculi penè obliti præsentis tanquam vnum hunc inuictum ducem & omni superiorem fortuna orauerunt: vteretur ex sententia sua & ipsorū corporibus & facultatibus & armis. Præstare enim illi parentes vitā abijcere, quàm incolumes esse virtute prodita tam excellente. Cùm ibi mentionem quidam intulisset, decernendam seruis libertatē, idq; comprobassent pleriq;: negauit id se Cato facturū. Neq; enim id legitimū vel iustum esse. verùm si domini ipsi manumisissent eos, recepturum se adultos. Multis hîc pollicitationibus factis, cùm nomina dare, quibus placeret, iussisset, digressus est. Paulo pòst literæ ei à Iuba & Scipione sunt redditæ. Iuba in monte quodam abditus quærebat, quid consilij cepisset Cato. nam expectaturum ostēdit se eum, si Vticam desereret: & si ferre decreuisset obsidionem, suppetias ei cum exercitu venturum. Scipio sub promontorio quodam nō procul Vtica in anchoris stans id ipsum responsum expectabat. Igitur Catoni visum retinere tabellarios, dum certi quid statuissent trecenti. Omnes enim senatorij ordinis alacres erant, seruosq; extemplò manumissos armabant. At trecentis nauicularijs scilicet & fœneratoribus, qui maximam facultatum partem habebant in seruitijs, non diu Catonis oratio adhærescens effluxit. Sicut corpora aliqua facilè calorem admittunt, rursusq; emittunt amoto igne frigescētia: haud aliter illos aspectus excitabat & feruefaciebat Catonis. cæterùm reputantibus rem secum extorquebat Cæsaris metus Catonis & honesti reuerentiam. Ita enim dicebant: Qui nos & cui dedignamur dicto esse audientes? Non'ne Cæsar hic, ad quem omnis populi Romani récidit potentia? Nemo nostrum Scipio est, vel Pompeius, vel Cato. At quo tempore omnes mortales animos præter dignitatem ex metu summiserunt, hoc nos ad tuendam populi Romani libertatem gerimus ex Vtica bellum aduersus eum, cui fugiens Cato cum Pompeio Magno Italia cessit? Seruos libertate donamus: quibus ipsis tantum est libertatis, quantum illi visum erit, relictum. At etiam nunc ô miseri cognoscentes nosmetipsos veniam petamus à victore & legatos supplices mittamus. Hæc moderatissimi trecentorum subijciebant. Maxima verò pars insidiabatur senatoribus, tanquàm si hos corripuissent, iram in se Cæsaris placaturi. Odoratus est Cato consilij mutationem, non tamē excussit. sed Scipioni & Iubæ remisit tabellarios, per quos scripsit ijs, Vtica vt abstinerent ob suā de trecentis diffidentiā. At equites, qui profugerant ex pugna non contemnendo numero, profecti Vticam tres miserunt ad Catonem: non erant tamen eiusdem omnes sententiæ. Nam alij recipere se ad Iubam, alij adiungere Catoni moliebātur, pars intrare timebant Vticam. His Catoni nunciatis M. Rubrio imperat, vt trecentis intendat, ac nomina silentio recipiat seruos manumittentium, nec cogat quemquam. Tum assumptis secum senatoribus extra vrbem progressus præfectos equitum conuenit, orans ne proijcerent tot Romanos senatores, neq; ducem pro Catone caperent Iubam: verùm in communi salutem quærerent, & vrbem ingrederentur. Esse eam prorsus inexpugnabilem, in qua commeatus & alia necessaria in multos annos sint. Eadē senatoribus rogantibus lachrymantibusq; præfecti conuenerunt equites. Interea Cato in aggere quodam sedens cum senatoribus responsum operiebatur. Rubrius inter hæc aduenit ira inflammatus, trecentorumq; magnum fluctū & tumultum insectatus est deficientium & ciuitatem solicitantium. vnde multi abiecta semel salutis spe in lachrymas & lamentationes se coniecere. Cato verò cùm hos cōfirmauit, tum ad trecentos misit petitū, vt aliquātisper sustinerēt. At præfecti nō mediocria postulata equitū retulere. Ostenderūt enim nec quærere eos, vt Iubæ forēt mercenarij, nec se Cæsarē duce formidare Catone: cæterùm cū Vticensib. vt cōcluderentur hominib. Punicis & leuibus, id sibi esse graue. Etenim vt nunc cōquiescāt, vbi aduenerit Cæsar, cōspiraturos in ipsos proditurosq;. Proinde siquis societatē & præsentiā expetat suā, vt ille eiectis vel interfectis Vticensibus cunctis ita ipsos in vacuā inuitaret hostibus ac barbaris vrbē. Hæc nimiùm fera Cato & barbara cēsens respondit benignè, cū trecentis se deliberaturū. Reuersus in vrbē conuenit eos. At illi nō iam circuitiones reuerentia eius neq; delinimēta in speciē fingere: sed apertè stomachari, siquis non valentes & nolentes bellum gerere cogeret cum Cæsare. Aliqui etiam obiter senatorum meminerunt, retinendos in vrbe in aduentum Cæsaris. Verùm id se audisse dissimulauit Cato. etenim erat surdaster. Cùm autem nunciasset ei quidam abscedere equites: veritus, ne omninò consulerent scelestius trecenti in senatores, confestim profectus

Catonis æquitas.

Cato à trecentis Romanis, Vticæ deseritur.

Catonis in senatores Romanos pietas.

ctus est cum amicis ad illos. Vbi conspexit aliquantulùm progressos, equo accepto est eos insecutus. Illi læti aduehentem viderunt receperuntq; orantes, secum quæreret salutem.

Cato pro senatoribus Romanis, supplex.

Ibi Catonem lachrymas quoq; ferunt profudisse, dum precatur pro senatoribus & manus supplices tendit: aliquorum equos quoque circumegisse atq; arma corripuisse, quousq; impetrauit, vt illum saltem diem remanerent, & fugam præstarent senatoribus securam. Postquàm cum his rediit, ac partim in portis collocauit, partim tradidit eis arcem custodiendam: trepidauerunt trecenti, ne pœnas penderent inconstantię suę: missisq; certis ad Catonem obsecrauerunt eum, vt omninò ad ipsos veniret. verùm circunfusi ei senatores prohibuerunt, negaueruntq; perfidis & proditoribus permissuros se tutorem suum & seruatorem. Tunc enim clarissimè meo iudicio amplexi & admirati

Catonis synceritas.

sunt senseruntq; Catonis virtutem ex æquo omnes, qui Vticæ tunc erât, nihil fuisse profectò in Catonis factis admistum, adulrerinum vel fucatum. qui cùm iamdudum mortē sibi statuisset afferre: miros labores, solicitudines, dolores suscepit pro aliis, quò illos cùm in tuto collocasset, tum deponeret vitam. Neque verò erat obscurum, quantumuis dissimularet, fixum ei esse consciscere sibi necem. Itaque lenitis senatoribus gessit morem trecentis, solus'que est ad eos profectus. Illi gratias ei egerunt, precati'que sunt, in cæteris vt opera sua vteretur ac fideret ipsis. Quòd autem Catones non essent, neque animos caperent Catonis: ignosceret infirmitati suæ. Decreuisse se deprecari Cæsarem, atque legatos ad eum mittere: qui præcipuè pro ipso essent & primò deprecaturi. Si non obtinuissent, ne concessum quidem ipsis beneficium recepturos: verùm dum spirarent, propugnaturos pro eo. Ad ea Cato commendata illorum beneuolentia respondit, properè eis esse pro ipsorum salute mittendum, & nihil pro se exposcendum

Catonis inuictus animus.

precibus. Victos enim supplices esse atque eos, qui deliquerunt, veniam debere petere. Se verò per totam vitam non inuictum modò permansisse à Cæsare: verùm etiam esse, quatenus vellet, victorem Cæsarem'que virtute superare & iustitia, illum victum esse & captum. Quæ enim moliri iamdudum inficiatus esset in patriam, nunc conuictum de his atque deprehensum. Ita ad trecentos fatus abscessit. Cùm allatum esset Cæsarem iam cum toto exercitu esse in itinere: Papæ, inquit, vt in viros nos ille? Ac conuersus ad senatores, monuit eos vt maturarent: & dum equites ibi operirentur, consulerent saluti. Inde cæteris obseratis portis ex vna, quæ spectabat ad mare, distribuit suis naues, curamq; gessit, vt fierent omnia ordine. Iniurias repressit, tumultus sedauit, inopibus'que præbuit viaticum. Cùm M. Octauius cum duabus legionibus prope vrbem consedis-

Cato ambitionē taxat suorum.

set, missis'que legatis postularet à Catone, vt statueret secum, quatenus vtriusque imperium esset: nihil illi respondit, sed ait ad amicos: Et miramur nos res concidisse nostras? cùm ambitionem retinere nos in ipso videamus exitio. Interea equites audiens discedere, & bona Vticensium pro præda diripere: properauit ad eos incitato cursu, assecutusq; primos extorsit ablata. Mox reliquorum quisque festinauit id, quod haberet, proiicere & deponere: omnes'que præ rubore muti & deiectis in terram oculis facessere. Tum Cato conuocatis in vrbe Vticensibus orauit pro trecentis, ne Cæsarem incenderent in illos, verùm procurarent in communi inter se salutem. Mox reuersus ad mare considerauit conscendentes, amicosq; & hospites, quos quidem perpellere potuit, salutauit & prosecutus est. Filio non persuasit, vt nauem arriperet, neq; adhærentem parenti du-

Statilius Catonis imitator.

xit auertendum. Statilius quidam erat vir in flore ætatis: qui forti pectore esse, & Catonis subsequi infractum & immotū affectabat animū. Hunc orauit, vt abnauigatet. Nam illustre erat eius in Cæsarem odium. Vbi recusauit, Apolloniū Sioicum & Demetrium Peripateticum intuitus Cato: Vestri, inquit, muneris est tumentem mollire atque adducere ad id, quod ex vsu eius est. Inde reliquos dimisit, & vacauit illis, qui operam requirebant suam: qua in re totam noctem consumpsit & magna ex patte diem posterum. Cùm L. Cæsar C. Cæsaris propinquus, qui legatus erat pro trecentis iturus, oraret Catonem, vt adiuuaret se in concinnanda oratione, quam esset pro illis habiturus: Nam pro te, inquit, etiam manus eius attingere & ad genua mihi fuerit honestum procumbe-

Cato vetat pro se Cæsarem deprecari.

re: vetuit id Cato ei ne faceret. Mihi enim, inquit, si incolumitatem habere Cæsaris beneficio vellem, ipsi erat ad eum soli eundum: sed nolo tyranno habere de ipsius flagitiis gratiam. quippe in eo flagitium committit, quòd conseruat vt dominus illos, in quos nō spectat ad eum dominatio. verùm quemadmodum pro trecentis depreceris, inter nos si videtur, consideremus. Cui rei postquàm cum Lucio vacauit, filium abeunti & amicos commendauit. Prosecutus illum dextramq; complexus, inde domum regressus est: fi-

lioq;

Cato vetat filio rempubl. attingere.

liisq; & amicis contractis cùm alia multa disseruit, tum filio, ne attingeret rempub. interdixit. quippe eam, vt dignum esset Catone, haud integrũ fore posthac capessere: alia ratione turpe esse. Circa vesperum iam vertit se ad balneum. In balneo Statilij memor, atq; alta voce locutus: Dimisisti, inquit, Apollonide Statilium, eiq; spiritus illos detraxisti, & discessit ille insalutatis nobis? Haudquaquàm, inquit, tametsi multa disputauerimus, Apollonides: verùm animo celso est & inflexibili, aitq; permansurum se, & quicquid te viderit agentem, id se secuturum. Ad id Catonem ferunt arrisisse ac dixisse: Id verò mox patebit. Lotus inter frequentes cœnauit, vt consueuerat post prælium, sedens. Neq; enim nisi somni causa decumbebat. Cœnauerunt cum eo amici & magistratus Vticensium. Sub cœnam multa fuit inter pocula erudita confabulatio & festiuitas, aliasq; ex alijs disputationes philosophicas versârũt. Dum disputat, deuenit ad hæc Stoicorum admirabilia, quæ paradoxa vocantur: solum bonum virum liberum esse, omnes malos seruos. Ibi iam insurgenti Peripatetico acriter obijciens se Cato contenta & aspera voce produxit in longum disputationem, ac mirificè pugnauit: neminem vt falleret, statuisse vitæ eum finem imponere, seq; ex præsentibus explicare molestijs. Quapropter cùm silentium & mœstitia esset hanc disputationem consecuta, quò omnibus modis erigeret eos & abduceret ab ista suspicione Cato, disceptationes iterum de rebus pręsentibus & curas mouit, quasi metuens nauigantibus, metuens etiam terra pergentibus per sitientẽ & barbaricam solitudinem. Ita soluto conuiuio, vbi solennem à cœna deambulationẽ cum amicis absoluit, & præfectis excubiarũ, quæ tempus requirebat, imperauit: recipiens iam se in cubiculũ filium & amicorum quemq; arctius quàm assueuerat, amplexus est & salutauit. qua re suspicionem de integro mouit consilij sui. Ingressus cubiculum vbi decubuit, Platonis dialogum de animo sumpsit in manus, libroq; propè euoluto suspexit supra caput. vbi non vidit suspensum gladium, (filius enim cœnante adhuc patre subtraxerat eum) seruum vocauit rogauit'que, quis'nam ensem abstulisset? Conticescente illo repetijt librum, paruo'que interposito interuallo, quasi non instaret neque vrgeret, sed fortuitò requireret gladium, præcepit eum adferri. Intercedente mora cùm adferret nemo gladium, perlecto libro acciuit denuò singulos seruos, ac vocem magis intendit, ensem'que reposcit, vnum etiam pugno percussit manum'que cruentauit, fremens atque alta iam voce vociferans nudum se prodi à filio & seruis hosti: quousque flens filius accurrit cum amicis, ruens'que in complexum eius cœpit lamentari & obsecrare eum. Ibi exurgens Cato, ac sustollens oculos toruè: Quando tandem, inquit, ego & vbi in apertam dementiam incidi imprudens? Cur admonet nemo me nec abducit ab his, vbi parum rectè videar consuluisse: sed consilia mea prohibeor exequi, armis'que denudor? Quin simul homo præclare constringis parentem, manúsque post tergum illigas: donec veniens Cæsar offendat ne defendere quidem me ipsum valentem? Neq; enim in me ipsum requiro gladium: cùm etiam spiritu breui tempore compresso atque afflicto semel ad parietem capite exanimari liceat. Dum ita fatur, eiulans adolescens omnesq; reliqui cubiculo excessere. Demetrium verò & Apollonidem restitantes leniùs iam compellãs: Vtrùm vos quoq;, inquit, huius ætatis virum retinere vi statuistis in vita, desidentesq; hîc taciti asseruare? An rationẽ affertis, non esse indignum neq; fœdum, cùm aliunde desperet salutem Cato, eam expectare ab hoste? Quin igitur hoc demonstratis nobis persuadetisq; atq; docetis: vt placitis & doctrinis illis prioribus, in quibus ætatem triuimus, explosis redditi per Cæsarem sapientiores maiores ei agamus gratias? Atqui nihil equidem de me ipso constitutum habeo: sed debet in manu esse mea, vbi deliberaui, exequi consiliũ. Consulam autem quodam modo vobiscum, cùm deliberem cum præceptis, quibus vos commetamini vt vtamini. Abite igitur fidenter, atq; filio meo dicite: quæ docere non valet patrem, ea ne cogat. His nihil Demetrius & Apollonides reluctati, sed manantibus lachrymis digressi sunt. Inde per pusillum puerum introfertur gladius. quem vt accepit, distrinxit & considerauit eum. Vbi mucronem directum vidit atq; aciem integrã, prolocutus: Nunc mei iuris sum' posuit ensem, & librum ex integro relegit. Bis eum referunt totũ peruolutasse. Mox alto somno dormiuit, vt qui foris erant, perciperent stertentem. Circa noctis conticinium libertum Cleanthem medicum appellauit & Butam, quo præcipuè in reipubl. negocijs vtebatur. Hũc misit ad mare visum, an soluissent omnes, idq; vt sibi referret. Medico autem manum ex ictu, quem seruo inflixerat, inflammatam præbuit obligandam: id quod omnes, quasi viuere vellet, reddidit hilariores. Mox adfuit Buta renuncians cæteros

Catonis cœna ante mortem, eiusq; sermones.

Catonis acta ante mortem.

Cato Phædonẽ Platonis legit ante mortem.

Catonis ad Philosophos amicos extrema verba.

Cato considerat gladium quo se est necaturus.

teros vela fecisse, Crassum verò propter occupationes aliquas hærere adhuc illic, sed eũ quoq; iam iam conscensurum: tempestatem autem ingentem & vehementem ventum in mare incubuisse. Quo audito ingemuit Cato nauigantium miseratione, Butamq; misit iterum ad portum visum, siquis fortè recurrisset rei alicuius indigus, id sibi vt referret. Iam aues concinebant, ac paululum denuò in somnum est relapsus. Reuerso Buta, magnumq; silentium renunciante in portu esse, iussit ei ianuam claudere, reposuitq; in lectulum se, quasi reliquũ noctis quieturus.

Catonis mors.

Digresso Buta strictum gladium sub pectore impressit. quia verò ictus fuit ex manus inflammatione leuior, non subitò exanimatus est: verùm animam agẽs decidit cubili & strepitum edidit deiecto abaculo quodam geometrico, qui iuxtà locatus erat. Quod sentientes ministri sustulerunt clamorem, filiusq; & amici confestim ingressi sunt ad eum. qui conspicientes sanguine fœdatum, & intestina pleraq; procidisse, spirantẽ eum tamen adhuc & intuentẽ, omnes ingenti perfusi sunt dolore. Medicus accurrens intestina conabatur, quia manserant illæsa, reponere & vulnus consuere. Vt igitur recreari Cato cepit atq; ad se redire: repulit medicum, interanea manibus lacerauit, diuulsoq; expirauit vulnere. Quo autem spacio non crederes eum casum rescisscere omnes domesticos potuisse, adfuerunt ad fores trecenti, ac mox populus Vticensis concurrit vna voce benefactorem, seruatorem, solum liberum, solum inuictum appellantes: eaq; agebant, cùm nunciaretur adesse Cæsarem. Cæterùm neq; metus eos, neq; assentatio victoris, neq; mutua dissensio vel discordia ab honorando retardauit Catone:

Catonis funus.

sed corpus eius magnificè exornatum & splendidis elatum exequijs funerauerunt iuxta mare: vbi nunc quoq; statua eius ensem tenens posita est. Inde conuersi sunt ad suam vrbisq; salutem expediendam. Cæsar accipiens de ijs, qui ad ipsum ventitabant, remanere Vticæ Catonem, neq; fugę consulere: verùm alios dimittere, ipsum verò cum amicis & filio intrepidè agere: non potuit explicare eius consilium. Quare quòd illius haberet maximum respectum, cito agmine perrexit. Vt fatũ eius audiuit, tantùm aiunt eum dixisse:

Cæsaris dictum ad Catonẽ mortuum.

Inuideo tibi Cato mortem, quando salutem mihi tuam inuidisti. Nam reuerà si recipere Cato à Cæsare tulisset incolumitatem: nõ ita suas videtur maculaturus fuisse, quàm illustraturus Cæsaris laudes. Euẽtus autem in obscuro est, sed benigniorem augurantur à Cæsare. Decessit Cato annos natus duodequinquaginta.

Catonis filius qualis fuerit.

Filius eius nihil est à Cæsare violatus. Perhibetur hic segnis fuisse nec vacasse lasciuia. In Cappadocia diuersatus apud quendam ex familia regia, cui venusta erat vxor: quia diutius apud eum, quàm honestum foret, agebat: derisus est à scribentibus in eum hæc: Cras Cato discedet post triginta dies: &, Porcius & Marphadates amici duo, animus vnus.

Psyche.

Psychæ enim nomen erat Marphadatis vxori, quod animum significat. Præterea: Generosus & egregius Cato regium habet animum.

Catonis filij mors.

Cæterùm omnẽ eam morte expunxit notam. Nam in Philippis contra Octauium Cæsarem & Antonium pro libertate decertans, cùm inclinata acie neq; fugere neque latebras sustineret quærere, hostes lacessiuit: coramq; ijs, qui esset declarans ac stantes adhuc in acie incitans cécidit magna virtutis suæ apud inimicos relicta admiratione.

Porciæ Catonis filiæ mors.

Multò magis filia, Catone nec castitate nec fortitudine inferior. Nam cùm Bruto nupta Cæsaris interfectori & coniurationis illius esset conscia: vitam, vt nobilitate & virtute eius erat dignum, profudit: vt in vita Bruti disseruimus.

Statilij mors.

Statilius, qui Catonem æmulaturum dixerat se, inuitus id temporis manus prohibitus est à philosophis sibi inferre.
Hic postea insignem fidem & operam præbuit Bruto, atque in Philippensi acie occubuit.

SERE.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. PHILIPPO REGI HISPANIArum, vtriusq; Siciliæ, Neapolis, Hierusalem, &c. Domino suo clementissimo, Hermannus Cruserius S. P. D.



RACVLIS Propheticis, serenissime atq; potentissime Rex domine clementissime, proditum est, vbi non colunt principes iustitiam, & malè populo suo præsunt, auferre deum eis & transferre imperia. Hic autem, cui etiam futura sunt vt præsentia perspecta, non tantùm quatuor monarchias, verùm inclinationes quoq; & conuersiones regnorum præuidit omnes. Neq; est id mirum, quòd mens illa infinita omnia nutu regat suo. Itaq; cernimus, cùm mouere statuit regnum vel principatum, excitari ab eo insignem aliquem virum, qui extorqueat tenenti imperiũ, sibiq; asserat. Atq; hunc solet non vulgaribus, verùm quò seruat consilio suo, insignibus instruere atq; exornare artibus & virtutibus, prudentia, iustitia, fortitudine & moderatione: & quia honos alit artes, omnesq; incenduntur ad præclara designanda gloria: imbuit deus animos magnorum virorum, per quos designare statuit grandia, stimulo virtutis cupiditate gloriæ: quæ eam etiam vt vmbra comesq; sequitur, neq; deserit rectè facta vllo eius curriculo. Ad hanc proximam viam & quasi compendiariam dicebat Socrates esse, si quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis esset. Atq; vera gloria, quæ non simulatione inaniq; ostentatione & fuco: sed veritate, id est, vera virtute nititur non adumbrata, radices agit atque etiam propagatur, estq; perpetua: inanis altera & fluxa. Ita vt eriperet imperiũ deus Chaldæis, Cyrũ produxit atq; instruxit: qui à Chaldæis transtulit ad Persas imperiũ. Vt verò dediderũt se & Persæ ignauiæ ac socordiæ, eluxit Magnus Alexander, qui eos oppressit. Hunc quò deus ad miraculũ illustraret, infudit ei sublime et celsum ingenium, ac qui illud excoleret, adhibuit ei magistrum summũ philosophum Aristotelem. à quo virtutes hausit non vulgatas, sed metum deorum, amorem immensum gloriæ, ad quam consequendam contemptum mortis, tolerantiam laboris mirabilem, humanitatem, clementiã, liberalitatem infinitam. Cum tanto tamq; ornato principe contendit in depingendis viris illustribus Plutarchus Iulium Cæsarem. qui nõ minoribus tinctus dotibus accessit ad rempubl. Romanam, quæ propter omnium rerum confusionem atq; mores ciuium deprauatos non potuit in pristina libertate stare, vertendam in principatum. His inter cæteta hoc quoq; est commune, quòd infirmioribus præsidijs res maximas gesserint & vires fregerint potentissimas in partibus tribus orbis terræ, Europa, Asia & Africa, vt quasi de vniuerso orbe triumphauerint. Fortuna insuper vsi sunt secundissima. Hos ego principes duos summos, quibus ab condito æuo non prodit historia maiores, quia maximus, excellentissimus & felicissimus nobis ereptus est imperator Carolus Quintus, meritò eius successori dicandos putaui Maiestati tuæ, quæ cum reliqua et hãc hæreditatem literariam cernat. Hic enim imperator item tenuioribus & minùs compositis opibus ingentes fregit cõtuditq; principes, Francum & Pontificem. Terrorem orbis Turcam bis reiecit ac repulit, regnum Tunetanum subiugauit. Atq; ita palmas reportauit ex Europa, vt taceam minores, de Franco & Pontifice: ex Africa de rege Tunetano, ex Asia de Turca. quæ de eo victoriæ etsi non obtentæ in Asia sunt: quia tamen colluuies Turcæ sunt Asiana, rectè victoriæ esse illæ censentur Asiaticæ. Omitto quicquid perpetratum auspicijs eius in insulis nouis sit & oris maritimis, quæ Asiæ sunt contributæ. Adhæc cursus fortunæ Cæsaris Caroli compar & quasi germanus illorum duorum est. Tantas res nec opinatas gessit & perpetrauit. Has verò nisi virtutibus eximijs fuisset præditus atq; honoris cupiditate ductus, non valuisset efficere. Earum Maiestas tua imitatrix virtutum hæres pariter est laudis & gloriæ. Gloriantur multi maiorum suorum ornamentis, eorumq; splendescunt lumine: cæterum gloria est solidior & verior illorum, qui decora non deserunt paterna & auita, sed ea cumulant suis: vt Maiestas tua. cui sectanti virtutes paternas eiusdem aspiraui secundus fortunæ flatus, quem sequitur etiam par commendatio. Hinc ego permotus vitas has Alexandri Magni & C. Cæsaris dictatoris nomini augustissimo sacraui Maiestatis tuæ. Hoc meum studium & factum, vt pro solita tua benignitate excipias, valdè rogo. Ex oppido Maiestatis tuæ Campis.

Alexander.



LEXANDRI regis vitam & C. Cæsaris, à quo est Pompeius oppressus, hoc commentario descripturi, ob numerosas res eorum gestas nihil præfabimur aliud, quàm ab lectoribus postulabimus, si nō omnia, neq; sigillatim factum quoddam celebre ad amussim persequamur, sed perstringamus pleraque, ne mihi obstrepant. Neque enim historias, sed vitas conscribimus: neq; semper clarissimę quæq; res virtutes vel vitia repræsentāt: sed exiguum subinde factum dictumq; & iocus aliquis citiùs speciem edat morum, quàm funestissima prælia, maximæ acies & vrbium expugnationes.

Ex facie mores elucent.

Vt ergo pictores ex facie & vultu, ex quibus elucent mores, imaginem desumunt, nec de cæteris membris laborant magnopere: ita concedendum nobis est, animi indicia vt scrutemur, ac cuiusq; per hæc informemus vitam, alijs molem rerum & certamina permittamus.

Alexandri genus.



LEXANDER ex gente Herculis per Caranū, & genere materno Aeacidem per Neoptolemum fuisse pro certo creditur. Fama est in Samothrace initiatum cum Olympiade Philippum, cùm esset ipse tum adolescens, illam item puellam parentibus orbam amasse, atq; inde parata fratris voluntate † Arybbæ nuptias coisse.

† Arymbam vocat Diodorus lib. 16.

Sponsæ ante noctem, qua thoro geniali iuncti fuere, visus est Ioue tonante venter suus de cœlo tangi, atque ex ictu largum succensum ignē, qui mox erumpens in flammas passim dispersas dissiparetur.

Præsagia de Alexandri magnitudine.

Philippus spacio aliquo post nuptias vidit in somnis vxoris se ventrē consignare. Habebat sigilli sculptura, vt visa ei est, imaginem leonis. Ea visione vatibus interpretantibus cæteris Philippo custodijs acrioribus sepiendam coniugem, Aristander Telmessius vterum illam ait ferre. Nihil enim, quod inane sit, signari, ac concepisse eam infantem animosum & natura leonina.

Olympiadis Draco.

Visus est Draco etiam ad dormientis Olympiadis corpus exporrectus: id'que præcipuè Philippi erga eam amorem & familiarem consuetudinem aiunt extenuasse, vt rarò cubitum ad illam commearet: quòd vel timeret fascinationes eius & veneficia, vel consuetudinem eius, vt quæ consuesceret eum maiore, deuitaret. Alij aliter de his memorant, omnes istius regionis fœminas Orphicis & Liberi patris sacris antiquitùs contactas, Clodonas'que & Mimallonas cognomento dictas multa Edonidibus ac Thressis Aenum accolentibus agere consimilia.

Clodones. Mimallones.

vnde θρησκεύειν dictio tributa est immodicis & superstitiosis sacrificijs. Olympias autē præ cæteris motū lymphaticum æmulās & fanaticum peragens ritū horridiore spectaculo, serpentes mansuefactos trahebat thiasis ingentes. qui ex hedera subinde & mysticis cunis obiter prorepentes, thyrsos'que & coronas circumiecti percellebant viros. Verùm Philippo, qui post eam speciem Megalopolitanum Chæronem Delphos misit, sortes referunt fuisse ab Appolline allatas iubente, vt Ammoni sacra faceret, atque hunc deum coleret imprimis: amisisse verò eum alterum oculum, quem rimæ ostij admouens deum conspexit serpentis figura cum vxore sua concubantem. Olympias, vt Eratosthenes est author, cùm euntem ad bellum prosequeretur Alexandrum, arcanum ortum eius soli detexit, hortata vt pro natalibus gereret animos. Alij hoc illam aiunt abdicasse ac dixisse: Non desinet Alexander in crimen me apud Iunonem vocare?

Alexandri natales. Templi Dianæ Ephesiæ conflagratio. Prodigia in natiuitate Alexandri.

Natus Alexander est die sexto mensis Hecatombæonis, quem Loon vocant Macedones: quo die fanū Dianæ Ephesię conflagrauit, vt Hegesias Magnesius exclamauit. cuius adeo frigida est exclamatio, vt incēdium illud valuerit restinguere. Meritò enim arsisse ait templum, dum fuit Diana in Alexandri enixu obstetricando districta. Magi verò, quotquot agebant Ephesi, fani inflammationē existimantes alterius esse prodigiū cladis discurrerūt, faciemq; ceciderūt clamaueruntq; grandem pestem & perniciem Asiæ illo die editam. Philippus capta modò Potidæa eodē die tres nuncios accepit, fusos à Parmenione ingenti pugna Illyrios, alterū Olympijs se equi pernicitate vicisse, tertiū natū Alexandrū. His nimirū lætū magis etiā erexere vates. qui affirmauerunt infantē, in cuius natales trigemina concurrerat victoria, fore inuictū.

Alexandri forma.

Corporis eius figurā Lysippi statuæ maximè demonstrāt, à quo voluit solo fingi. Etenim quam præcipuè successores eius complures

pòst

pòst & amici æmulati sunt, proiectam ceruicem & in sinistrum humerū modicè propensam oculorumq́ lenitatem ad vnguem expressit ille artifex. Alexandrum pingens fulmen tenentem non repræsentauit Apelles colorem eius. Magis fuscum & sordidiorem fecit: cùm fuerit, vt aiunt, candidus. qui color in pectore & facie potissimum purpurascebat. Odorem ex cute eius gratissimum afflasse, os eius totumq́ corpus reddidisse fragrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, in commentarijs Aristoxeni legimus. In causa fuit fortassis feruidum & igneum corporis eius temperamentum. Gignitur enim odoris suauitas, vt Theophrasti est opinio, concoctis à calore humoribus. Vnde aridi & feruidi tractus plurimas & optimas species edunt. Exhaurit enim sol humorem in summis corporibus existentem vt putredinis materiam. Alexandrum autem calor corporis vinosum reddidit & iracundum. A' prima pueritia eluxit temperantia eius. Nam cùm alioqui vehemens esset & ardens: haud facilè mouebatur corporis voluptatibus, ac summa cum moderatione eas degustabat. At gloriæ cupiditas eius supra ætatem spiritus habebat solidos & celsos. Neque enim vndique neque gloriam aucupabatur omnem, vt Philippus. qui sophistarum more facundiam suam ostentabat, & victorijs curruum Olympiacis suis nummos signabat. sed cùm tentarent eum ministri, quia pernix erat pedibus, an Olympijs certare curriculo vellet: Sanè, si habiturus sim, inquit, aduersarios reges. Apparet autem abhorruisse eum prorsus ab Athletarum natione. quippe qui agonas ediderit plurimos tragœdorum, tibicinum, fidicinum, imo etiam rapsodorum, venationis cuiusque generis & rhabdomachiæ: neque pugilatus, neque pancratij studiosè certamen exhibuit. Legatos ab rege Persarum missos absente Philippo accipiens hospitio, factus'que his familiaris ita cepit comitate sua, & quòd nihil interrogaret puerile vel demissum: sed prolixitates viarum exquireret, atque itineris in superioribus regionibus rationem: ac de rege, qui aduersus hostes, quæ denique vires & potentia essent Persarum: vt stuperent illi, celebratam'que Philippi solertiam & vim nihil putarent cum huius pueri comparandam alacritate & magnificis factis, quæ promittebat. Itaque cùm allatum esset aut nobilem vrbem à Philippo captam, aut illum insigni potitum victoria: non vsqueadeo gaudebat ijs nuncijs, verùm ad æquales dicebat: Omnia præripiet sodales pater, neque vllum mihi insignem & illustrem relinquet vobiscum perpetrandum actum. Cùm enim neque delicias concupisceret neque opes, sed virtutem & gloriam: quò plura acciperet à parente, eò arbitrabatur se per se designaturum pauciora. Quare increscente imperio absumi in illum existimans actiones gestiebat non pecuniam, non luxum, non voluptates: sed certaminum, sed bellorum, sed gloriæ suppeditans materiam imperium accipere ab eo. Multi eius institutioni nimirum appositi fuerunt nutritij, pædagogi, & magistri appellati: quibus omnibus impositus Leonidas erat vir & moribus seuerus & propinquitate Olympiada contingens. Hic pædagogi nomen cum honesto & specioso coniunctum officio repudiabat, atque ab alijs dignitatis & necessitudinis causa nutritius Alexandri & rector vocabatur. Ille, qui speciem pædagogi & vocabulum sumebat Lysimachus natione Acarnan, vrbanitate nulla præditus erat alia: sed, quòd Phœnicem nominaret se, Alexandrum Achillem, & Philippum Pelea: ideo gratus erat, & secundum locum tenebat. Cùm Bucephalan Philonicus Thessalus ad Philippum duxisset † tredecim talentis venalem: descenderunt ad equum probandum in campum. Videbatur autem morosus & perquàm tractatu difficilis, neque quemquam admittebat in sedem, nec vocem ferebat vllius Philippi comitum, verùm in omnes insurgebat. Igitur vbi pertæsus Philippus abduci iussit quasi omninò ferum & indomitum, assistens Alexander ait: Quem equum perdunt isti, qui propter imperitiam & mollitiem tractare eum nequeunt? Id primùm tacitus Philippus tulit. At crebrius cùm obloqueretur & angeretur: Culpas tu, inquit, maiores natu, quasi peritior sis, aut tractare equum noueris rectiùs? Hunc certè melius, inquit, alijs tractem. Si non tractes, inquit Philippus, quam pœnam pendes temeritatis? Ego hercle, insit, precium equi dependam, Alexander. Hic risus consecutus est, inde sponsio inter eos de pecunia. Mox accurrit ad equum Alexander, correptisq́ habenis conuertit eum aduersus solem. Aduerterat nimirum, quòd incurrentem & agitatam ante oculos vmbram cernens percelleretur. Tum molliter eum ad procursum incitauit ac permulsit. quem vbi ferocientem vidit & exultantem, abiecta leniter chlamyde insilijt in eum & nullo negocio conscendit. Frænum autem

Alexandri corpus fragrātiam reddebat.

Odoris suauis causa.

Alexandri mores.

Alexandri gloriæ cupiditas.

Alexandri magnanimitas.

Alexandri nutritius, Leonidas.

Alexandri pædagogus Lysimachus.

Bucephalas Alexandri equus.

† Plin. sexdecim.

Alexādri in Bucephala domando animosa dexteritas.

placidè habenis capiens sine verberibus vel calcaribus impetum eius repressit. Vt ferocia lenita equum currere gestientem vidit, admisit iam eum, vocemque ferociorem ac pedum pulsum adhibuit. Hic Philippi comitatum solicitudo primùm ac silentium incessit. Vt flexit & ritè conuertit equũ glorians ouansque: cæteri omnes applausere. Patri verò manasse etiam aliquantulum gaudio lachrymas ferunt. ac postquam desiliit ex equo, caput eius osculatus: Quære, inquit, fili par tibi regnum. siquidem non capit te Macedonia. Porrò ingenium eius considerans non facilè impelli, quòd reluctaretur cogentibus: sed rationibus promptè ad officium duci: etiam ipse suadere potius quàm imperare tentauit ei. Musicæ & triuialium artium doctoribus nequaquam credens institutionem & expolitionem eius: quòd rem duceret magis arduam, atque eam, quæ haberet, vt apud Sophoclem est,

Philippi omen de Alexandro filio.

Multis opus frænis, etiam clauis simul:

Philosophorum clarissimum & eruditissimum acciuit Aristotelem, præmiumque ei dedit institutionis præclarum & decorum. Stagiram patriam Aristotelis, quam exciderat, iterum frequentauit incolis: ciuesque, qui in exilio aut in seruitute erant, reduxit domum. Ludum eis & studij locum Nymphæum prope Miezam assignauit: vbi & hac ætate sedes Aristotelis lapideas & ambulationes vmbrosas monstrant. Opinio est Alexadrum ab eo non ethica modò & politica præcepta percepisse, verùm etiam ex interioribus & grauioribus disciplinis, quas acroamaticas & epopticas illi peculiariter nuncupant neque efferebant in vulgus, attigisse. Cùm enim iam in Asiam transisset, atque ad se esset delatum commentarios de his ab Aristotele editos: philosophiæ nomine expostulans scribirad eum literas: quarum hoc est exemplum: Alexander Aristoteli S. D. Parum rectè fecisti, quòd disciplinas acroamaticas vulgaueris. Vbi enim cæteris præstabimus: si hæ, in quibus instituti sumus, omnibus promiscuæ erunt disciplinæ? Ego verò optimarum rerum scientia mallem me quàm potentia præcellere. Vale. Quam illius ambitionem Aristoteles leniens purgar se de illis disciplinis, in lucem prolatas & non prolatas. Reuera enim commentarius ille, qui dicitur τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ, ad docendum vel discendum nihil habet compendij. Est autem ea scriptus mente, specimen modò vt esset eruditis. Ego quidem arbitror medicinæ quoque studio imbutum ab Aristotele Alexandrum. Namque non tantùm commentatione eius delectatus est, verùm multis etiam amicis succurrit in morbis, præscripsitque certa remedia & ratione victus. quod ex epistolis eius discas. Fuit præterea natura studiosus & multæ lectionis. Iliada autem virtutis bellicæ & credens & appellãs institutionem, accepit ab Aristotele correctam, quam ex narthecio vocant. Eam semper cum pugione, vt prodidit Onesicritus repositam habebat sub puluino. Aliorum librorum cùm in superioribus prouincijs non esset ei facultas, mandauit Harpalo vt mitteret. Ille misit ei Philisti libros, Euripidisque, & Sophoclis, & Aeschyli tragœdiarum magnam vim, Telestis quoque Philoxenique dithyrambos. Aristotelem verò, quem initiò suspexit & charum habuit non secus, vt ipse dictitabat, quàm parentem: quòd huius beneficio viueret, illius honestè viueret: habuit pòst suspectiorem: non quò illum vlla in re læderet, sed familiaritas pristinum ardorem & dilectionem non retinens notam prætulit alienationis. Hic tamen erga sapientiæ studium innatus & collactaneus à prima ætate amor desideriumque non effluxit ex animo eius. quod habitus Anaxarcho honos & quinquaginta missa talenta Xenocrati, Dandamisque & Calanus ita ab eo culti testantur. Mouente in Byzantinos Philippo annum ætatis gerebat Alexander sextumdecimum. Demandata ei Macedoniæ & sigilli cum libera potestate cura, Medos rebellantes subegit, captoque oppido expulit barbaros, ac deducta illuc colonia mistorum Alexandropolim id appellauit. Prælio aduersus Græcos ad Chæroneam commisso interfuit, ac princeps dicitur in sacram Thebanorum cohortem incurrisse. Annosa quercus adhuc nostra memoria prope Cephisum ostendebatur, Alexandri dicta. ad quam tunc tetendit, neque procul tumulus Macedonum abest. Hinc filium non immeritò Philippus dilexit, vt etiam gauderet, cùm Alexandrum Macedones regem, Philippum appellarent ducem. At domestici ex nuptijs & amoribus eius fluctus, contacto aliquatenus simul gynæcei ægritudine regno multa iurgia inter eos magnasque inuexere dissensiones quas Olympiadis acerbitas suspiciosæ mulieris & tristis, quòd incenderet Alexandrum, exaggerauit. Exagitauit maximè eas Attalus in nuptijs Cleopatræ, quam Philippus virginem amore præter ætatẽ captus duxit. Nam cùm in conuiuio Attalus, qui illius fuit auunculus, vino incaluisset: hortatus est Macedonas, vt exposcerent à dijs

Aristoteles Alexandri præceptor.

Alexandri ad Aristotelem epistola.

Alexander Magnus medicinã exercuit.

Homerũ quanti fecerit Alexander.

Aristotelem vt coluerit Alexãder.

Alexandri prima militia.

Alexandropolis.

Philippi cum Olympiade & Alexandro dissensiones.

à dijs iustum ex Philippo & Cleopatra regni successorẽ. Exarsit inde Alexander, ac cùm dixisset: Quid nos tibi scelus? num adulterini videmur? scypho eum petijt. In eum Philippus stricto ense exilijt: sed bona vtriusq; fortuna impacto per iram & vinum pede est prolapsus. Cui Alexander insultans: Hic verò Macedones, inquit, in Asiam parabat ex Europa transmittere, qui ex lecto in lectum transgrediens procidit. Post hanc insolentiam abduxit secum Olympiada, quam in Epiro collocauit. Ipse contulit se in Illyricum. Interea Corinthius Demaratus hospes familiæ regiæ & liberè loqui apud regem solitus inuisit Philippum. Postquàm primæ salutationes & amplexus defluxere: percunctante Philippo, qui conueniret inter Græcos? Scilicet tibi, inquit, conuenit Philippe solicitudinem gerere Græciæ, qui domum tuam tanta seditione & malis obruisti. Ita ad se reuersus Philippus missis nuncijs flexum Demarati opera Alexandrum reuocauit. Cùm autem Pexodorus Cariæ satrapa necessitudinis vinculo se in Philippi societatem insinuãs cuperet filiam suam stirpis maximam Aridæo Philippi filio despondere, atq; Aristocritum hac de re in Macedoniam misisset: sermones denuò agitati & calumniæ sunt apud Alexandrum ab amicis & matre, id agere Philippum: vt splẽdidis nuptijs & insignibus subsidijs imponeret regno Aridæum. Hinc commotus Thessalum tragœdiarum histrionem in Cariam legat ad agendum cum Pexodoro, vt misso adulterino & mentis impote traduceret ad Alexandrum affinitatem. quæ conditio longè magis Pexodoro quàm prior arrisit. Id Philippus cùm olfecisset, Alexandrum in cubiculo adhibito vno ex amicis & familiaribus eius Philota Parmenionis filio grauiter increpauit & amarè obiurgauit vt degenerem & spe, quæ eum manebat, indignum. qui hominis Charis & regi seruientis barbaro ambiret gener fieri. Thessalum autem scripsit Corinthijs, vt vinctum ad se mitterent. Ex cæteris verò amicis eius Harpalum, Nearchum, Phrygium insuper & Ptolemæum ex Macedonia relegauit: quos reduxit deinceps Alexander, atq; in summo honore habuit. At postquàm Pausanias ex Attali & Cleopatræ cõsilio stuprum perpessus, quòd ius suum exequi non valuisset, occidit Philippum: maxima pars criminis apud Olympiada hæsit. quòd flagrantem ira adhortata esset & stimulasset hunc adolescentem. Neque extitit immunis à calumnia Alexander. quippe cùm appellasset eum post stuprum sibi illatum Pausanias quiritaretur'que: dicitur protulisse hæc Medeæ iambica:

Alexander in Philippum patrem insultat.

Aridæus Philippi Macedonis filius.

Philippi cædes.

Eum simul, qui tradidit: simul scelus
Qui duxit vxorem, simul nuptam nouam.

Veruntamen cõscios insidiarum requisiuit & puniuit: & quòd de Cleopatra Olympias absente se atrociter consuluisset, indignatus est. Igitur annos natus viginti regnum accepit magna inuidia, graui odio, & periculis pressum vndique. quippe & vicinæ gentes domesticorum desiderio regum seruitutem tentabant excutere, neq; Philippus Græciã, quam subiugauerat armis, domandæ & pacandæ spacium habuerat. tantum conuersas & commistas res in magnis vndis & iactatione ob insolentiam reliquit. Timentibus ergo articulũ Macedonibus, ac negocia Græciæ prorsus abijcienda Alexandro, nec vim censentibus afferendam, deficientes autẽ barbaros leniter ad officium reuocandos, fontiq; medendum nouationũ: ipse ex diuersis consilijs adortus est audacia & animi magnitudine rebus suis securitatem & salutem quærere: existimans, si paulum modò animum demisisset, cunctos se superfuturos ipsi. Barbarorum motus & suspecta inde bella compescuit, subitò cum exercitu incurrens vsq; ad Istrum, vbi Syrmũ magno prælio Triballorum regem fudit. Thebanos autem accipiens rebellare atq; cum eis conspirare Athenienses: quò virum se ostenderet, confestim exercitum per Thermopylas traduxit dicẽs Demostheni, qui puerum se, dum in Illyrico & Triballis ageret, appellauerat: & adolescentulum, cùm Thessaliã iniisset: velle sub Atheniensium mœnibus virum se monstrare. Vbi peruenit ad portas Thebanorum, permissa ijs adhuc præteritorum pœnitentia exposcit Phœnicem & Prothytem: & siquis ad se transisset, fidem publicã pronunciat. Ex altera parte deposcentibus ab eo Thebanis Philotam & Antipatrũ, pronunciantibusq; per præconem, qui asserere vnà in libertatem Græciam vellent, hi vt ipsis se associarent: tum conuertit Macedonas ad bellum. Certatum supra vires est ex parte Thebanorum, qui cum multis hostibus comparati singuli erãt. Vbi verò præsidiarij Macedones Cadmia relicta terga eorũ cædere cœperunt, circumuenti plerique in ipsa acie cecidere. Vrbs capta direptaq; & diruta: quòd expectaret eo exemplo perculsos & trepidãtes quietem acturos Græcos. Colore tamen vsus alioquin hoc est, non potuisse id se sociorum que-

Alexandri initium regni.

Alexander Triballorũ regem fundit.

Thebæ ab Alexandro euersæ.

rimonijs denegare. quippe criminabantur eos Phocenses & Platæenses. Sacerdotibus igitur Macedonumq; hospitibus omnibus exceptis & Pindari stirpe, ijsq; qui defectionem sciscentibus repugnauerant, cæteros ad XXX. millia sub corona vendidit. Occubuerant supra sex millia. Inter multas illas & atroces calamitates, quæ eam ciuitatē presfere,

Timocleæ Thebanæ insigne factum.

Thraces aliquot domum Timocleæ illustris fœminæ & castæ exciderunt. Prædam autem hauserūt milites. Præfectus verò vbi ei per vim stuprum obtulit, quæsiuit: ecquid alicubi auri vel argenti occuluisset? Illa habere confessa solum in hortos duxit, monstratoq; puteo: In hunc, inquit, dum expugnatur vrbs, charissimas quasq; res meas proieci. Inclinantem caput & despicientem locum impulit stans à tergo hominem, mulusq; in eum prouolutis saxis oppressit. Vt rapta à Thracibus est in vinculis ad Alexādrum: primùm ille ex ore & incessu dignitatem mulieris & magnanimitatē animaduertit imperterritæ & constanter ducentes sequentis. Deinde interrogata à rege, quæ'nam mulier esset? Theagenis respondit sororem se esse eius, qui dimicasset acie pro libertate Græcorum contra Philippum, & dux Chæroneæ cecidisset. Cuius Alexander admiratus & responsum & factum, liberā abire cum liberis iussit. At cum Atheniensibus redijt in gratiam, quamvis Thebanorum cladem non modicè tulissent. Nam mysteriorum solenne, quod in manibus erat, ob luctū prætermisere, refugientesq; ad vrbem suā omnibus officijs coluere. Cæterùm siue ira eius fuerit iam exatiata vt leonis, siue clementiæ exemplū

Alexandri intempestiua clementia.

sæuissimo & tristissimo voluerit coniungere: non modò omni culpa liberauit eos: sed et ciuitatem adhortatus est, susciperet rerum curam: quòd ad ipsam deuoluendum imperium esset Græciæ, siquid sibi accidisset humanitùs. Postmodum tamen sæpius dicitur clades Thebanorum eum torsisse, ac nō paucis præbuisse se mitiorem. Prorsus verò admissum per temulentiam in Clitum facinus, illamq; cōtra Indos Macedonum ignauiam quasi rudem relinquentium expeditionem suam & gloriam ad iram & inuidiam retulit Liberi patris. Neq; verò quisquam fuit Thebanorum, qui incolumes forent, qui postea

Alexander dux Græciæ contra Persas designatur.

rem vllam frustra ab eo postularet aut oraret. Hactenus de vrbe Thebana. Agentibus conuentum Græcis in Isthmo, vbi bellum cum Alexandro cōtra Persas decreuere, dux est declaratus. quem cùm viri respubl. tractantes philosophiq; frequentes obuiàm irent salutatum gratulatumq;: idem officium expectauit ab Sinopensi Diogene, qui apud Corinthum agebat. Vt hic in Cranio ocium agens nihil de Alexandro laborauit: profectus ipse ad illum est. Fortè apricabatur tunc stratus. Paululum autem alleuauit se fessum tan-

Alexandri cum Diogene colloquium.

ta hominum accedente caterua, atq; Alexandrum intuitus est. Qui vbi eum salutauit, affatusq; requisiuit: ecqua re haberet opus? Recede, inquit, paulisper ex sole. Perhibetur hinc in tantum permotus Alexander fuisse & obstupuisse contemptus despicientiam hominis & animi celsitudinem: vt cùm comites sui inter abeundum ipsum riderent luderentq;: Atqui ego, inquit, nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem. Delphos ad Apollinem de bello consulendum profectus, quòd fortè dies nefasti essent, quibus non erat solenne oracula edere: primò misit certos, qui vatem orarent, vt veniret. Recusante illa & legem prætendente ascendit ipse, atq; vi traxit eam ad templum. Quæ illius expugnata contentione ait: Inuictus es fili. Id audiens Alexander negauit se alias sortes quæ-

Prodigia Alexādro facta ante expeditionē Asianam.

rere: sed habere, quod peteret ab ea, oraculum. Postquàm ad bellum mouit, cùm alia prodigia deorum nunciata sunt, tum Orphei signum apud Libethra, quod cupressinum erat, sub ea tempestate copioso manauit sudore. Eo portento omnibus exterritis, bono animo iussit illum Aristander esse: res eum gesturum nunquam obliterādas ac celebres, quæ multum sudoris & laboris decantantibus eas poëtis & musicis essent præbituræ.

Alexādri in Asiam transeuntis apparatus.

Copiarum eius numerum, qui minimum edunt, peditum XXX. millia, equitū quinq; qui maximum, peditum quatuor & triginta millia, equitū quatuor tradūt. Stipendium his LXX. talēta nō amplius eum Aristobulus habuisse memoriæ prodidit: Duris triginta duntaxat dierū cibaria: Onesecritus insuper talēta ducēta eū habuisse æris alieni. Qui

Alexandri liberalitas.

quamvis subsidijs rem suscepit adeo exiguis & angustis, non antè tamen conscendit: q̄ cōsideratis rationibus amicorū erogasset huic agrū, illi pagū, alteri vici prouentū vel portus. Cùm iam essent vectigalia penè omnia distributa regia & diplomatibus cōsignata, Perdiccas: Tibi ipsi rex, inquit, quid reliquū fecisti? Cui cùm ille respōdisset: Spes meas: Ergo nos quoq;, inquit, qui auspicia sequimur tua, harū erimus cōsortes. Repudiantē assignatū sibi diplomate prædiū Perdiccā nonnulli alij ex amicis sunt imitati. Accipientibus & petentibus largitus est benignè. Ac patrimoniū quidem Macedonicū distributū hoc modo profudit. Hoc impetu & alacritate animi transmisit Hellespontū, Ilij Miner-

uæ

uæ sacrificauit, heroibusq; libauit. Achillis cippũ vnxit, ac circũ eum vnà cum amicis de more cucurrit nudus, eiq; coronã imposuit, beatũ prædicãs Achillẽ: quòd &, dum viueret, fidum amicũ: & post fata esset nactus magnũ præconem. In obeundo & visendo oppido, cùm q æreret quispiam ex eo, vellet'ne Alexandri lyram contemplari? Non morari ait se illam, sed Achillis quærere eam: qua decora & res gestas ille clarorum virorum celebrauerat. Interea Darij duces ingent m manum conscripsere, aciemq; instruxerunt in ripa Granici. Ibi velut in porta Asiæ de ingressu & limine quodam modo erat dimicandum. Cùm amnis altitudinem, iniquitatemq; atq; salebras plerique timerẽt vlterioris ripę, quò pugnando euadendum erat: pars etiam solennia illius mensis in religionem traherent (Mense enim Dasio non erat moris regum Macedonum signa mouere) hoc correxit, edicens vt denuo agerent Artemisium. Monente Parmenione, quòd vesper esset, ne se committeret periculo, rubore suffusum iri ait Hellespontum, hunc si formidaret, cùm traiecerit illum: simulq; irrupit in flumẽ turmis equitum tredecim, ruensq; in infesta tela & loca prærupta, quæ armis stipata & equis erant, perq; vndam transuersos auferentem & obruentem, videbatur furore & insania magis quàm consilio ducere. At tamen vrgens transitum superatis ægrè magnoq; cum labore locis madidis lubricisq; ob limum, e vestigiò coactus est, prius quàm in ordinem aliquem collocare transeuntes valeret, incondito agmine confligere, ac viritim manus cum inferentibus se hostibus conserere. Institerunt enim clamore illi, equosq; equis cõferentes lanceis, & post eas infractas gladijs pugnauerũt. Cùm multi imminerent illi (erat enim pelta insignis & galeæ iuba, quæ hinc inde pinnas directas habebat candore & magnitudine singulares) iaculo sub loricæ compagine percussus nõ accepit vulnus. At † Rœsace & Spithridate ducibus simul in ipsum inuehentibus, hunc declinauit, Rœsaci præuenit lanceam loricato infligere. Ea præfracta gladium strinxit. His commissis adigit Spithridates ex latere equum, atq; Alexandrum acriter adortus copide barbarica ferit, cristamq; cum altera auellit pinna. Galea probè quidem, sed ægrè tamen restitit ictui, ac mucro copidis supremos capillos eius perstrinxit. Alterum ictum librãtem occupauit Clitus Magnus hasta medium transfigere. Simul Rœsaces ense ab Alexandro ictus concidit. Dum eo in discrimine et certamine equestris pugna versatur, phalanx Macedonum traiecit, & pedestres copiæ concurrerunt: haud strenuè tamen neq; diu locum tenuerunt hostes, sed terga dederunt extra mercenarios Græcos. Hi enim in tumulo quodam globo facto in fidem recipi ab Alexandro petiere. qui ira potius quàm consilio princeps in eos impressionem faciens confossum lateribus equum amisit. Alius fuit hic, non Bucephalas. & qui interfecti sunt aut vulnera acceperunt, his ibi contigit in præcipitem casum venire & cadere, dum cum viris fortibus & desperatis cõfligunt. De barbaris peditum viginti millia, equitum duo millia quingenti cecidisse dicuntur. De Alexandri exercitu desiderati, vt Aristobulus author est, in totum quatuor & triginta: inter quos pedites nouem fuere. His statuas ex ære erexit, quas finxit Lysippus. Participãs autem Græcis victoriam, Atheniensibus extra ordinem trecentos clypeos misit de spolijs. Cæteris manubijs in communi gloriosissimum titulũ inscribi iussit: Alexander Philippi & Græci præter Lacedęmonios de barbaris Asiaticis. Pocula, purpurã, atq; eius generis Persicam prædã paucis exceptis matri cũcta misit. Hoc pręlio immẽsa rerũ inclinatio est ad Alexandrũ insecuta: adeoq; imperij maritimi barbarorum domicilium permisere se ei Sardeis, ac cętera ad eum defecere. Vna restitit Halicarnassus & Miletus. quibus expugnatis, circaq; omnibus subactis suspensus animo fuit ad reliqua. Subinde properabat cum Dario quàm primùm confligere, ac de summa rerũ aleã iacere. Subinde deliberabat viribus & opibus maritimis priùs quasi exercere se & roborare, inde in illum mouere. Fons est Lyciæ prope Xanthum oppidum. Huius id temporis aiũt exundatione inflati spontanea tabulam ab imo æreã erupisse. figuram ea repræsentauit vetustarum literarum: quibus significabatur imperiũ Persarum euersum à Græcis desiturum. His erectus ad oram maritimam pacandam vsque ad Phœniciam & Ciliciam perrexit. Pamphiliæ percursus compluribus suppeditauit historicis elegãs ad miraculum excitandum & pompam argumentum: quasi diuina quadam sorte cederet Alexandro mare. quod sæuum aliàs ex alto littus verberaret, raro autem tenuia & resonantia sub abruptis & confragosis rupibus aperiret saxa: id quod Menander quoque indicat in Comœdia ad rei nouitatem alludens:

Quantum Alexandrina iam ista. Quæro, quòd si fortè quem,
Vltrò currens aderit hic corám:

Alexandri de Achille dictum.
Cic. pro Archia poeta.
Alexãdri prælium ad Granicum.
Alexander Granicum transit.
† Rosacere, est apud Curtium.
Clitus defendit Alexandrum.
Alexandri victoria ad Granicum.
Strabo lib. 14.

Sin meandam per maris fluctum profundi,
Permeabilis mihi mox fit.

Theodocti memoria ab Alexandro honorata.

Alexāder ipse in epistolis suis nihil portenti eiuscemodi iactans, iter narrat fecisse se per Climaca appellatam, atque ex Phaselide progressum eam peragrasse. Vnde dies complures eo in oppido substitit. quibus cùm Theodecti iam fato functi (fuit autē Phaselites) statuam vidisset in foro locatam: perrexit eò saltatum à cœna temulentus, crebrasque coronas ei iniecit, haud inuenustum tribuens per ludum honorem consuetudini, quæ per Aristotelem & philosophiam ei cum illo intercesserat. Hinc Pisidas, quos in armis reperit, opprimit, Phrygiam subiugat. Gordium oppidum, quod veteris Midæ fertur domicilium fuisse, in fidem accipiens nobilitatum illud spectauit vehiculum cortice reuinctum corneo. ac pro vero à barbaris accepit credi in fatis esse, qui vinculum id soluisset, is vt imperio orbis terræ potiretur.

Gordium vinculum.

Commemorant multi vinculum, quòd tortuosis orbibus nodi in semetipsis identidem implicati celarent loramentorum capita Alexandrū soluere desperantem gladio nexum dissecuisse, atque multa eo resoluto capita inuenisse. Aristobulus verò sane quàm expedite nodum ait eum soluisse, cùm exemisset ex temone clauum, quem vocant: qui temoni alligat iugum, atque ita inde iugum subtraxisset. Hinc Paphlagonas & Cappadocas in ditionem accepit. Adfertur etiam Menonis exitus. qui Darij præfectus clasis multum Alexandro laboris exhibiturus, sexcentasque tricas & negocia putabatur. Ita magis ad bellum in superiores prouincias promouendum est confirmatus.

Darij copiae & somnium.

Iam Darius è Susis mouerat copiarum subnixus multitudine (quippe sexcenta millia militum sub signis habebat) fretusque somnio quodā, quod blandientes ei magis quàm pro verisimilitudine interpretati fuerant magi. Macedonum agmen magno ignis fulgore visum est collucere: Alexander autem, quo antè ipse cultu fuerat indutus, cùm regis esset * Asgandes, sibi ministrare: ac cùm in Beli templum esset ingressus, ex oculis esse subductus. His mea sententia portendit deus magnificas & claras res Macedonas gesturos, & potiturum Asia Alexandrum, sicut potitus ea Darius fuerat ex Asgande factus rex, verùm breui vitam cum gloria depositurum. Multo verò magis est animatus, quòd Alexandrum pro ignauo duceret, qui multum temporis triuisset in Cilicia.

**Legendū fortassis ascandes, id est, nuncius: vel ascantes, id est, cubicularius.*

Alexandri morbus in Cilicia.

Detinuit eum morbus, quem alij eum ex laboribus: alij, cùm in amni Cydno gelidissimo corpus abluisset, conceptum referunt. Hic cùm ex cæteris medicis remedium nemo promitteret, sed periculum existimantes omnis superius opis esse timerent, si titubassent, obtrectationem apud Macedonas: Philippus Acarnan spem salutis quidem in præcipiti videbat esse, verùm amicitia eius fretus, & indignum ratus, si cum rege in discrimine posito non vnà discrimen subiret, nec vltima remedia tentaret vel cum periculo: aggressus est remedium ei afferre, adhortatusque eum, vt admitteret id & hauriret, si festinaret valetudinem recipere, vt ad bellum pergeret.

Alexandri mira in medicum fiducia.

Inter hæc à Parmenione accepit ex castris literas, quibus ei denunciat, ne salutem suam committat Philippo: magnis muneribus eum à Dario & nuptijs filiæ eius esse ad interficiendum Alexandrum redemptum. Hic postquàm epistolam accepit, nulli eam amicorum ostendit, sed subiecit eam puluino. Vbi dies illuxit, & Philippus cum amicis eius & poculo, in quo diluerat medicamentum, intrauit: tradidit illi epistolam: ipse medicinam accepit alacriter & intrepidè. Fuit mirificum & visendum spectaculum tum huius bibentis tum illius legentis, inde simul inter se dispari modo contuentium: verùm Alexandri læto vultu & exporrecto suam in Philippum beneuolentiam & fidem præferentis, indignantis illius ob calumniam, & nunc deorū fidem inclamantis manusque ad cœlum tendentis, nunc in lectum incumbentis & Alexandrum omisso metu sibi hortantis vt fidem haberet. Medicamen enim superato initiò corpore, quasi impulit & demersit in imum vires: vt vox quoque intercluderetur, atque interueniente insuper animi defectu sensus superesset exilis et perexiguus. Citò tamen sanitati à Philippo restitutus, viribusque recuperatis in conspectum Macedonum venit. Neque enim prius à consternatione discesserunt quàm aspexissent Alexandrum.

Darius, Amyntae vtile consilium spernit.

Erat in Darij præsidijs Macedo quidam extorris Macedonia Amyntas ingenij Alexandri non rudis. Hic molientem cernens Darium intra angustias in Alexandrum contendere: orauit eum, vt subsisteret, atque operiretur illum in liberis & patentibus campis, qui tantis copijs aggressurus pauciores esset. Cui vt respondit Darius, vereri se, ne maturarent hostes fugam capessere, & Alexander se subducere: Atqui, quod ad id pertinet, inquit, nihil est rex quod timeas. Mouebit enim in te ille, & propè iam mouet. His dictis nihil mouit Amyntas Darium:

sed

sed motis signis ille in Ciliciã perrexit, simul Alexander contra illum in Syriam. Nocte eùm à mutuo occursu in itinere aberrassent, retrò se recepere. Fuit eo casu Alexander lætus, qui occurrere intra fauces properabat hosti, Darius superiora repetere castra, atque ex angustijs copias explicare. Iam enim intelligebat ab re in loca se coniecisse ob mare, montes, & amnem interlabentem Pindarum equitatui incommoda & passim interrupta, hostiumꝗ paucitati opportuna. Locum Alexandro fortuna præbuit, verùm hic acie instruenda ad victoriam obtinendam vicit beneficia fortunæ. qui cùm tanto barbarorum numero esset inferior, non dedit illis facultatem circundandi se. Ipse dextero cornu quàm sinistro productiore & exporrecto oppositos sibi barbaros auertit ante signa dimicans, ac vulnus in femore accepit, vt Chares ait, à Dario: cum quo manus contulisset Alexander. Cæterùm Alexander de hac pugna ad Antipatrum scribens, non meminit eius, qui sauciauerat ipsum. Vulneratum quidem femur gladio, sed nihil ex vulnere periculi scribit accidisse. Insigni parta victoria, & plus centum & viginti millibus interfectis non cepit Darium, qui quatuor aut quinque stadia fuga præceperat: sed curru & arcu eius potitus recepit se, offenditꝗ Macedonas cæteram opulentiam ex barbarorum castris immensam egerentes: tametsi expediti illi ad pugnam venissent, maximamꝗ impedimentorum partem reliquissent Damasci. Tabernaculum Darij reseruârant illi refertum egregijs seruitijs, instrumento regio & magna vi auri et argenti. Ibi cõfestim armis exutis ad balneum processit, dicens: Eamus ad abluendum Darij balneo contractum ex pugna sudorem. Ibi quidam ex amicis: Minimè verò, inquit, imo Alexandri. Quæ enim ad victos pertinuere, ea & esse & dici debent victoris. Vt holcia vidit, crossos, ampullas, alabastros ex auro fabrefacta omnia, domusꝗ exciatissimo odore ex aromatibus & vnguentis fragrauit: inde in tabernaculum transijt fastigio, laxitate, lecti mensarumꝗ & cœnæ illius nitore admirandum: oculos ad amicos intendens: Hocnimirum, inquit, erat regnare. Verso ad cœnam nunciat quispiam matrem vxoremꝗ Darij, & duas filias virgines, quæ inter captiuas ducebantur, vbi viderunt currum & arcum illius, plangere & lamentari eum quasi peremptum. Diu ibi Alexander obticescens, atque illarum magis quàm sua permotus fortuna Leonatum mittit, imperatꝗ vt nunciet eis, nec Darium mortuum, nec esse quòd Alexandrum timeant: quippe bellum cum Dario Alexandrum de imperio gerere, neque illis quicquam ex pristina fortuna, quæ regnante fuerat Dario, defore. His dictis alleuatæ sunt & recreatæ fœminæ: multo verò magis iam captiuæ facta benigna comperêre. Quoscunque vellent, permisit eis Persas sepelire: vtꝗ vestem & apparatum sumerent de præda: neque de cultu aut dignatione, quam habuerant, vel minimum detraxit. Annua eis etiam prioribus maiora attribuit. At pulcherrimum & maximè rege dignum beneficium eius in fœminas generosas captiuas & castas extitit: quòd nihil neꝗ audirent, neꝗ suspicarentur, neque expectarent turpe: sed quasi non in hostium castris, verùm in sacris & sanctis Vestæ tem plis seruatæ in abdito extra aliorum oculos agerent. Et quidem perhibetur Darij coniunx longè omnium reginarum fuisse venustissima, vt virorum ille pulcherrimus & eminentissimus: filiæ etiam similes fuisse parentum. Sed Alexander profectò temperare sibi quàm hostes vincere magis regium ducẽs nec has attigit, nec mulierem antè nuptias cognouit vllam excepta Barsene. Hæc post Menonis mortem vidua Damasci capta est. Cum ea, quæ literis Græcis instituta & moribus erat placida, patre Artabazo ex filia regis prognato cõcubuit Alexander incitante eum, vt Aristobulus author est, Parmenione, vt elegantem mulierẽ & præter formam generosam attingeret. Cæteras captiuas vt vidit Alexãder specie & statura eximias, dixit ioco: Quàm magni oculorũ dolores sunt Persides. Ad æmulationẽ verò illarũ formæ nitorẽ ostentans suæ continentiæ & moderationis, sicut inanimatas signorũ imagines transmittebat eas. Cùm rei maritimę præfectus ad eum Philoxenus scripsisset, esse apud se Theodorũ quendã Tarentinũ, qui pueros duos haberet forma præcellenti, quærẽs an emeret eos: indignatus atꝗ identidẽ ad amicos exclamans rogauit: quam vnquam in se turpitudinem deprehendisset Philoxenus, qui desidens ibi talem maculam procuraret sibi: Ipsi à Philoxeno in epistola multis proscisso conuitijs Theodorum iussit vt cum mercibus suis in malam rem ablegaret. Agnonem adolescentem etiam castigauit, quòd sibi scripsisset Crobylum velle se celebris apud Corinthios nominis puerum comparare atque ad ipsum mittere. Cùm ad eum delatum esset mercenariorum quorundam militum vxores à Damone & Timotheo Macedonibus, qui sub Parmenione merebant, stupratas: Parmenioni per literas

Alexandri cum Dario cõflictus in Cilicia.

Alexandri victoria de Dario in Cilicia.

Darij mater, vxor, & duæ filiæ ab Alexandro captæ.

Alexandri in captiuas clementia.

Alexandri continentia.

Alexandri dictum in formosas.

teras mandauit, si manifesti criminis forent, vt eos tanquam natas ad hominum corruptelam beluas puniret atque interficeret. Ac de semetipso in hac epistola ad verbum scripsit: Ego enim non solùm non vidisse inueniar Darij vxorem, aut videre cogitasse, verùm nec verba facientes de eius decore sustinuisse audire. Dicebat mortalem se esse intelligere se potissimùm ex somno & concubitu: quòd ab eadem imbecillitate naturam

Alexãdri in victu tẽperantia.

incessat lassitudo & voluptas. Fuit & gulæ temperatissimus. quòd cùm alijs signis ostendit, tum suis ad Adan verbis, quam matrem adoptauerat, & Cariæ designauerat reginam. Nam cùm comiter illa multa quotidie fercula ei & bellaria mitteret, coquos denique & pistores, quos putabat intelligentissimos: Nihil ait his sibi esse opus, meliores

Leonidas quo modo Alexandrũ instituerit.

habere se coquos à pædagogo donatos Leonida, ad prandium iter antelucanum, ad cœnam angustum prandium. Idem ille, inquit, stragulorum meorum repositorium solitus erat adire vestiariumq́, atque ea soluere inspiciens, numquid mihi ad mollitiem mater vel ad luxum addidisset. Iam in vinum quoque fuit minus opinione effusus. Habitus est tamen ob spacium, quod non bibendo magis quàm fabulando producebat, singulis calicibus prolixum sermonem interponens semper, idq́ cùm abundaret ocio. quando à negocijs quidem non vinum illum, non somnus, nullus ludus, non nuptiæ, non spectaculum sicut alios duces abduxit. Testatur vita, quam etsi egit breuissimam, plurimis

Alexandri per ocium vita.

maximisq́ rebus gestis impleuit. Cùm vacuus esset, vbi primùm surrexit, & sacra dijs fecit, mox prandebat sedens. Inde tempus traducebat vel venando vel commentando, vel aliquid inter milites disceptando, vel legendo. Si iter faceret minus vrgens: discebat simul in progrediendo aut iaculari, aut in currum concitatum insilire & desilire. Crebrò præterea animi causa vulpes venabatur & aucupabatur. quod discas ex diario eius. Vbi ad diuersorium venit, & ad balneum vngendumq́ vertit se: rogabat panificũ & coquorum magistros, ecquid cœna rectè & ordine parata esset. Ad cœnã serò & sub tenebras iam accumbebat. Erat mirifica eius sedulitas et circumspectio in mensa, nequid inæqualiter aut incuria distribueretur. Compotationem, vti diximus, in longum fabulando tra-

Alexander omnium regum festiuissimus.

hebat. Et qui alioquin omnium regum erat in cõsuetudine festiuissimus, neq́ vllius expors lepôris: tunc iactantia odiosus euadebat & plus satis castrensis: atq́ cùm ipse ad arrogantiam delabebatur, tum mancipabat seipsum adulatoribus à quibus optimi conuiuæ obterebantur. qui neq́ certare volebãt cum adulatoribus, neq́ minus quàm illi eum audebant prædicare. Hoc enim periculum adferebat, illud ducebãt turpe. À poculis lautus cõferebat se dormitum vsq́ in meridiem subinde. Interim totum diem cubabat. Fuit insuper obsonij temperans. Ac rarissimas sæpè, quæ à mari ad ipsum afferebantur, delicias fructuum arboreorum & piscium cuiq́ amicorum mittebat, sibi vni admodum nihil reseruabat. Cœna erat semper splendida tamen. atq́ vnà cum secunda fortuna sumptus assurgebat, postremò ad decem millia drachmarũ progressus est. Hic substitit, tan-

Alexandro Damascus dedita.

tæq́ impensæ Alexandrum inuitantibus fuerunt præfinitæ. Secundum pugnam ad Issum Damascum misit ad pecuniam, sarcinas, liberosq́ & cõiuges Persarum accipienda. Ingenti præda ibi Thessali equites potiti sunt. Hos enim illuc, quòd eorum fortissima opera vsus in prælio fuisset, ex composito, quò ditescerent, misit: cæterùm reliquus quoque exercitus opulentia est refertus. Ibi Macedones primùm gustato auro, argento, mulieribus & vita barbarica sicut canes olfactis vestigijs maturabant insequi atque inuestigare Persarum diuitias. At Alexandro primùm visum est oram maritimã in potestatem suam redigere. Atq́ illi, qui in Cypro regnabant, venerunt ad insulam ei dedendam &

Tyri obsidio.

Phœnicen præter Tyrum. Eam vrbem dum per menses septẽ aggeribus, machinis, atq́ ex mari triremibus ducentis oppugnat: per quietem Herculem vidit ex muro sibi manus tendentem inuitantemq́. Tyriorum multis visus in somnijs Apollo est dicere ad Alexandrum se transire. neque enim sibi cordi esse ea, quæ in vrbe agerentur. Illi verò sicut transfugæ sceleris comperti Apollinis simulachrum deuinxere catenis, clauisq́ basi affixere, Alexandri fautorem appellantes. Alia species est noctu Alexandro obuersata. Satyrus ei oblatus est. visus est hic procul ei alludere. quem cùm corripere conaretur, subducere se: tandem post preces multas suas & circuncursitationes venire in manus suas. Ei vates diffecto nomine non absurdè responderunt: Tua erit Tyrus. quòd σὰ græcè tua significet. Ostendunt fontem, apud quem videre secundum quie-

Alexandri in Arabas expeditio.

tem visus est Satyrum. Dum tenet obsidio: mouet in Arabas, qui Antilibanum accolunt. Ibi in periculum venit pædagogi causa Lysimachi: qui comitabatur eum, iactans se Phœnice neque inferiorem neque ætate esse grauiorem. Postquàm iam ad montana

montana peruenit, ac relictis equis iter fecit pedibus: alij longè præcesserant, ipse verò nocte ingruente atque non longè ab hostibus fatiscentem & defessum haud sustinens deserere Lysimachum: dum excitat eum & trahit, ab exercitu imprudens cum paucis est distractus, noctem'que in tenebris & acri gelu asperis locis egit. Cùm autem frequentes pyras apud hostes sparsim lucentes videret: fretus corporis sui agilitate, atque in partem ipse laboris, semper veniendo perplexitatem Macedonum leniens accurrit ad proximum ignem: barbarisq; duobus, qui assidebant, gladio confossis ac correpto titione redijt ad suos. Tum ingenti accenso igne alios extemplò exterruerunt, vt fugam capesserent: alios, qui ipsos inuasere, profligauerunt, ac tutam noctem transegere. Hæc scripta reliquit Chares.

Alexandri agilitas & audacia.

Porrò obsidio hunc habuit exitum. Dum exercitum penè totum reficit à superioribus laboribus Alexander: paucos autem, ne respirarent hostes, mœnibus admouet: vates Aristander victimis cęsis, cùm inspiceret exta, confidentiùs asseruit apud coronam, vrbem illo mense haud dubiè expugnandam. qua dictum eius ludibrio & risu excipiente, quòd dies ea nouissima esset: cernens rex perplexum, fauensq; semper vaticinijs vetuit deinceps trigesimum illum diem, sed vigesimum octauum mensis numerari: signoq; tuba dato murum acrius, quàm ab initio instituerat, est adortus. Cùm vrbs oppugnaretur impigrè, neque illi, qui in castris erant, quiescerent, sed concurrereut ad opem ferendam, fracti Tyrij sunt, vrbemq; Alexander illo cepit die.

Tyrus expugnatur ab Alexandro.

Hinc circumsedenti Gazam vrbem Syriæ maximam gleba à superuolante amissa alite in humerum delapsa est. Auis in vna machina considens subitò neruiceis plagulis, quibus ad versandos vtebantur funes, est irretita. Hoc porrentum Aristandri prædictioni euentum habuit respondentem. Nam accepit in humero Alexander vulnus, & vrbem recepit.

Alexander Gazam capit.

Cùm Olympiadi, Cleopatræ, & amicis multa de præda mitteret: Leonidæ quoque misit pædagogo thuris talenta quingenta & myrrhæ centum, vbi spes puerilis subijt eum. quippe Leonidas ingerenti in sacrificio ambabus manibus et libanti thymiama Alexandro: Vbi potitus eris, inquit, regione odorifera: tum munificè adolebis, nunc modicè vtere præsentibus. Hic ergo scripsit ei Alexander: Thus tibi & myrrham affatim misimus, quò tandem desinas esse in deos astrictus. Cùm oblatum ei esset scrinium, quo nihil visum pretiosius est his, qui Darij opes & sarcinas in custodiam accipiebant: rogauit amicos, quid potissimum ex rebus charis in eo reponeret? Alijs alia proponentibus, ipse Iliada illius repositorio ostendit se seruaturum. Hæc testes assidui non pauci confirmauere. Si verò, quod Alexandrini commemorant Heraclidis fide, verum est: haud ociosum vel inutilem apparet Homerum eum comitatum esse commilitonem. Ferunt enim eum Aegypto recepta amplam voluisse & populosam Græcam vrbem condere, eiq; indere nomen suum. Mox de architectorum consilio locum metato & complexo mira species nocte insequenti est per quietem oblata. Vir veneranda canitie atq; facie visus est ei assistens hæc carmina promere:

Alexandria conditur.

Exinde vndoso quædam iacet insula ponto
Aegypto prætexta, Pharum quam nomine dicunt.

Homerus Odyss. 4.

Ac confestim surgens perrexit ad Pharum: quæ id temporis insula adhuc erat paulò supra Canobicum ostium, nunc cum continente commissa est aggere. Vt loci præcellens visa est commoditas (Est enim longa ceruice satis patenti laxam disterminans paludem terminans'que in spaciosum portum mare) Homerum dixit cùm cætera eximium, tum prudentissimum esse architectum, iussitq; formam vrbis delineari loco congruentem.

Pharus.

Quia verò ad manum nō erat creta: polenta in campo nigro vsi ad effigiem metati sunt chlamydis orbe gyrato laciniosæ sinum, cuius esset ab directis basibus æquabilis procursus. Hæc descriptio cùm regi placeret: aues repentè à flumine & lacu innumero grege omnisq; generis & grandes instar nubium eum in locum delatę polentam sunt omnem depastæ. Quo augurio obtorpescenri Alexandro augures animum dedere, quippe copiosam vrbem ostenderunt ab eo condi, multarumq; nationum futuram alumnam.

Alexandriæ figura.

Prodigiū. Val. Max. li. 1. ca. 4.

Tunc instare operi, quibus id demandauerat, iussis ad Ammonis oraculum profectus est. Iter prolixum erat, ac cùm multorum laborum ærumnarum'que plenum, tum cum duobus coniunctum periculis: vno ob aquæ penuriam, ex qua desolata regio non paucorum dierum via est: altero, si procellosus in alto & vasto sabulo progredientes Auster occupauerit: vt quondam dicitur Cambysis exercitui accidisse, cùm arenæ ingentem cumulum excitauit voluit'que per campum fluctus: vt quin-

Alexandri ad Ammonis oraculū profectio.

Cambysis exercitus arenis obrutus. Iustin. l. 1.

quaginta

quaginta millia capitum obruerit oppresseritq́. Cuncta hæc reputabant ferè omnes. Cæterùm arduum erat Alexandrum, quodcunq; intendisset, ab eo deflectere. siquidem & fortuna cœptis aspirans animum eius firmabat, animiq́; magnitudo vsq; ad facta progrediebatur peruicacia inuicta: quæ non hostibus modò, sed locis etiam & temporibus afferret vim. Quas illo in itinere difficultatibus eius dij opes attulerunt, hæ quàm insecuta oracula fidem meruere maiorem. Imo oraculis hæ quodam modo fidem astruxere. Primùm enim cœlestes aquæ & largi excusi imbres sitis timorem discusserunt, ariditateq́; extincta sabuli irrigati & iam compactioris liquidum aera reddiderũt et puriorem. Deinde confusis, quibus duces itineris vtebantur, notis cùm erraret agmen per ignorantiam atque ab itinere deflecteret: corui oblati duces præbuerunt se. Si agmen sequebatur, incitatis antecedebāt pennis: sin incederet lentiùs & tardiùs, operiebantur. Quod verò miraculum superabat omne, vt author est Callisthenes, vocibus et crocitu, siqui noctе aberrarent, hos reuocabant atque ad vestigium viæ reducebant. Vt emensus solitudinem, quò tendebat, venit: vates Ammonis eum Dei nomine vt parentis salutauit. Ille quæsiuit, an interfectores parentis sui omnes pœnas dedissent? Cui vates: Dij meliora, inquit. neque enim tuus mortalis parens est. Ita varians rogauit, omnésne Philippi puniuisset percussores? Hinc de imperio, an dominatum sibi omnium gentium concederet? Cùm deus ostendisset et hoc annuere se et Philippi peractam plenè vltionem: deum magnificis donis & sacerdotes honorauit pecunia. Hæc de oraculis tradunt plerique. Ipse in epistola ad matrem Alexander sortes quasdam sibi ait arcanas redditas, quas reuersus soli ei relaturus esset. Sunt, qui dictitāt vatem, cùm appellare comiter Alexandrum Græcè vellet ὦ παιδίον, id est, filiole: postremam syllabam vt barbarum per ς pronunciasse, ac dixisse ὦ παιδίος, loco ν vsurpantem ς: neq; inuito claudicasse in voce Alexandro, increbuisseq́; sermonem, Iouis eum à deo appellatum filium. Perhibetur etiam, cùm Psammonem philosophum audiuisset in Aegypto, ex dictis eius præcipuè probasse, omneis mortales à deo regi. quippe quod in quaque re imperat & dominatur, esse diuinum. Et verò opinionem habuisse eum de his multò sapientiorem ac pronunciasse, cunctorum quidem esse mortalium deum communem parentem, sed peculiariter sibi adoptare optimum quemque. Omninò aduersus barbaros inflatus erat, & mirè præ se ferebat probatum sibi ortum & stirpem suam diuinam. Ad Græcos verò diuinitatem vsurpabat modicè & parciùs: extraquàm scribens de Samo Atheniensibus: Equidem liberam vobis, infit, vrbem tam claram non donauerim: verùm eam beneficio tenetis illius, qui tunc dominus & parens meus appellabatur: Philippum significans. Postea sagitta ictus atque ingenti pressus dolore: Hic amici, inquit, qui fluit, sanguis est humanus, non talis,

Dijs vt solitus manare beatis.

Cùm aliquando per magna tonitrua omnibus consternatis sophista Anaxarchus, qui apud eum erat, diceret ei: Num quid tu tale Iouis filius? Ridens ille: Nolo verò, inquit, formidolosus esse, sicut tu me vis, amicis: qui cœnam fastidis meam, quòd pisces videas in mensis non satraparum capita apposita. siquidem vera fama est Anaxarchum missis à rege Ephestioni pisciculis dictum illud iactasse: quasi contemnentem deridentemq́; eos, qui magnis laboribus & periculis venantur speciosa: cùm nihil aut parum in delicijs & voluptatibus habeāt præ alijs præcipui. Ex his ergo, quæ commemorauimus, liquet nihil sibi illum persuasisse vani aut inflatum fuisse: verùm intendisse diuinitatis opinione reddere sibi obnoxios alios. In Phœniciam ex Aegypto regressus dijs honorem habuit, pompasq́; egit, chorum etiam encyclium et Tragicorum agonas concertationibus etiam nedum apparatu celebres. quippe fuerunt Cypriorum reges choragi, sicut apud Athenienses sorte ex tribubus electi. Certauerunt mira inter se contentione, Nicocreon præsertim Salaminius & Solius Pasicrates studio decertauere acri. quando his sorte euenerat, vt histriones maximè conspicuos exhiberent, Pasicrates Athenodorum: Thessalum, cui ipse fauebat Alexander, Nicocreon. Non antè detexit tamen studium suum, quàm suffragijs victor esset renunciatus Athenodorus. Tunc verò in digressu laudare ait iudices se: sed maluisse portionis regni facere iacturam, quàm vidisse Thessalum victum. Cùm esset Athenodoro ab Atheniensibus mulcta dicta, quòd ad Bacchanaliũ ludos non occurrisset, atq; à rege ille, vt pro se deprecaretur literis, postulasset: id ei denegauit, sed mulctam misit de suo. Cùm Lycon Scarphensis in theatro placeret, intexuissetq́; in Comœdia versum, qui petitionem continebat decem talentûm: arridens largitus

Corui Alexandro itineris duces.

Psammonis philosophi dictum de Dei prouidentia.

Alexander diuinitatem arrogat sibi.

Homerus Iliad. lib. 5. de Venere sauciata.

Alexander ludos facit.

gitus est ea. Missa à Dario ad Alexandrum epistola & amicis, qui orarent: vt pretio decem millium talentûm redderet sibi captiuos, offerretq́ ad amicitiam eius & societatem impetrandam, quicquid terrarum citra Euphratem esset, atq; vnius filiarum suarum nuptias: retulit id ad consilium amicorum.

Darij legatio ad Alexandrũ.

Cùm Parmenio diceret: equidem si Alexãder essem, has conditiones acciperem: Et ego quoq; hercule, inquit Aelxander, si Parmenio essem.

Valer. Max. lib. 6. cap. 4.

Dario verò rescripsit: si ad se venisset, omni genere humanitatis se eũ prosecuturum: sin minus, moturum in illum. Breui tamen pœnituit eum mortua ex partu Darij vxore. nec dissimulauit dolorem, quòd magna demonstrandę clementiæ esset occasione fraudatus. Extulit autem eam immenso sumptu. At è spadonibus, qui circa reginam erãt cum fœminis capti, elapsus ex castris vnus est † Thyreus nomine. Hic equũ nactus & ad Darium profectus mortem nunciat ei coniugis suæ. qui cùm caput offensans eiulansq́ diceret: Hem Persarum fortunam: regis'ne coniugem & sororem nõ tantùm viuam captam, sed & defunctam regiarum exequiarum iacere expertem? Excipiens cubicularius: Atqui exequiarum nomine, inquit, rex omnisq́ honoris & ornamenti, nihil est, quòd fortunam Persarum malignam incuses. Nihil enim viuæ dominæ Statiræ, vel matri tuæ liberisq́ ex pristina fortuna abfuit, nisi tuum videre lumen, quod iterum illustrabit summus Oromasdes. Nec ornatus mortuæ defuit vllus. Imo hostiũ quoque decorata est lachrymis. quippe ita est indulgens victor Alexander, vt bellator acris.

Alexandri humanitas.

† Curtius habet, Thyriotes.

Oromasdes, Deus apud Persas.

Hæc audientem Darium consternatio & dolor animi ad suspiciones detorserunt absonas: qui abducto in tabernaculum interius Thyreo: Nisi tu quoque cum Persarum, inquit, fortuna pro Macedonibus facis, sed si vlla tibi superest regis reuerentia tui, noli me celare per Solis ingens iubar & regiam dexteram, num minimam partem deploro Statiræ calamitatum: qua viua magis nostra miseranda fortuna erat, minusq́ dolenda pro nostra maiestate asperitas eius esset, si in hostem incidissemus sæuiorem & tristiorem? Quod'nam enim iuueni cum hostis vxore vsque ad tantos honores commercium honestum? Nondum finierat ille sermonẽ, cùm ad pedes eius Thyreus abiecit se, ac supplex petijt: abstineret ijs verbis, neque Alexandrum afficeret iniuria, ne've defunctam sororem & coniugem conspurcaret, ne've maximam sibi omnis aduersitatis præcideret consolationem: quòd à viro esset humana sorte maiore superatus. verùm suspiceret etiam Alexandrum, qui Persarum vxoribus continentiam quàm virtutem ostendisset Persis maiorẽ. Simul horrenda sacramenta Thyreus hisce de rebus concepit, moderationemq́ & animi celsitudinem reliquam Alexandri commemorauit. Tum progressus ad amicos Darius atq; ad cœlum manus tendens hasce fudit preces: Dij patrij & regnorum præsides, primùm mihi concedite, vt fortunam Persarum in gradum restitutam, quo eam accepi splendore, relinquam: quò Alexandro gratiam referam eorum, quæ in meo aduerso casu charissimis meis præstitit pignoribus. Quòd si fato hoc adest tempus deorum inuidiæ & rerum vicissitudini præfinitum, de Persarum regno vt sit transactum: ne quis mortalium alius in Cyri solio sedeat quàm Alexander. Hæc ita gesta & dicta plerique scriptores tradunt.

Darij ad Deos oratio.

At Alexander omni cis Euphratem subacta Asia signa in aduentantem Darium decies centenis millibus militum mouit. Hîc ex amicis quidam retulit ei pro ridiculo seruitia, quæ castra sequebantur, per ludum se in duas partes diuisisse: vtrique esse ducem & imperatorem, vni Alexandrum, alteri ab ijs nuncupatum Darium: cœpisse glebis inter se velitari, mox pugnis, tandem exarsisse certamine, atque ad lapides sudesq́ multos progressos, nec dirimi eos facilè potuisse. Quod vbi accepit, ipsos iussit solos congredi duces. Alexandrum ipse armauit, Philotas Darium. Spectauit exercitus pugnam omen ex euentu capturus. Acri cõserta pugna ille, qui Alexander dicebatur, tulit palmam, donoq́ duodecim vicos et ius stola Persica vtendi accepit. Hoc scriptum reliquit Eratosthenes.

Darij exercitus ad Euphratem.

Prodigium Alexandro factum.

Magnum cum Dario prælium non apud Arbela, vt multi prodidere, sed fuit apud Gausamela commissum. Eam vocem denotare domum cameli aiunt: quòd rex quidam olim, qui hostes effugerat camelo dromade, hoc loco locauerit eum certis vicis vectigalibusq́ ad curam eius attributis. Porrò luna mense Bocdromione defecit sub initium mysteriorum, vt ea Athenis agunt. Vndecimo à defectione die, cùm exercitus vtrinque in conspectu essent: continuit Darius copias suas in armis, ad faces ordines suos lustrans. Alexander quiescentibus Macedonibus cũ vate Aristandro egit pro tabernaculo suo sacris quibusdam arcanis operans, atque † Apollini immolans. Maiores natu amici eius, Parmenio potissimùm, vt campum interiacentem inter amnem Niphatem montes'que Gordigos barbaricis luminibus omnem

† Alia exẽplaria habent Timori, nimirum [illegible], non [illegible]

contemplati sunt collucere, incondita autem & confusa vox strepitus'que horrendus ab exercitu velut ex vasto resonabat pelago: multitudinem stupentes atque inter se collocuti magnam rem & arduam fore, si aperto Marte tantum belli fluctum aggrederentur impellere, regressum à sacris regem adeunt, suadentq; hostem vt nocte adoriatur, contegatq; tenebris summum instantis terrorem certaminis. Ille enimuerò celebratum hoc

Alexandri magnanimitas. dictum fatus: Non furor victoriam: temerarium visus quibusdam est & arrogans responsum dedisse, qui tanto in periculo luderet: alijs & in præsentia animatus esse & rectè conijcere de futuro: quòd victo Dario ansam non daret aliam denuo pugnæ aleam respiciendi, huius cladis causam in noctem & tenebras conferenti: vt in montes, fauces, & mare superioris. quippe non armorum Darium penuria neque hominum positurum bellum, tanto imperio & ditione succinctum tam vasta: verùm vbi extorta aperta acie victoria conuictus animum & spem abiecisset. Postquam hi digresi sunt, contulit se in tentorium cubitum. vbi dicitur reliquum noctis alto sopore fuisse præter solitum oppressus: obstupuerunt'que duces, qui primo diluculo eum adierunt, militibusq; suo nomine primùm, vt pranderent, pronunciauere. deinde vrgente articulo ingressus Parmenio & cubili assistens bis ter've nomine eum compellat. Vbi eum excitauit, rogat: quid hoc rei sit, quòd somno indulgeat perinde ac si vicerit, non autem maximum prælium sit initurus? Tum arridens Alexander: Num tibi, inquit, non vicisse videamur liberati à vagando Darium'que in laxa & euastata tergiuersantem regione consectando?

Alexandri secundum cum Dario prælium. At non ante pugnam modò, sed in ipso etiam discrimine magnū virum se & solido consilio animoq; esse probauit. siquidem sinistrum cornu, vbi agebat Parmenio, fluctuauit ac pedem retulit, cùm equitatus Bactrianus magna impressione & vi inuectus in Macedonas fuisset, Mazeusq; turmas aliquot equitum aciem circumuectos inuadere iussisset impedimenta. Ita vtraque re consternatus Parmenio misit ad Alexandrum nuncios: qui significarent et transactum esse de castris & impedimentis, ni properè firmum subsidium ex prima acie nouissimis submisisset. Eodem articulo dederat suis signum pugnæ. Vt iam Parmenionis mandata audiuit: negauit eum sanum esse, neque constare mente: sed præ consternatione oblitum acquirere victores etiam hostium opes, victis verò laborandum esse non de sarcinis, neque de mancipijs, verùm vt pugnantes cadant quàm honestissimè & fortissimè.

Alexādri arma. His datis ad Parmenionē mandatis galeam sumpsit. Reliquum munimentum corporis iam in tabernaculo induerat, amiculum Sicilum cinctum, super eum thoracem lineum duplicem ex præda Issensi. Galea erat ferrea, quæ tamen instar candidi argenti refulgebat, Theophili opus. Iam collare habebat ex ferro item cōpactum, quod gemmis erat distinctum: gladium mira tinctura & leuitate regis Citieorum donum, quo accinctus erat, assuetus ferè gladio vti in prælio. * Balteum gestabat opere superbiore, quàm pro reliquæ ratione armaturæ. Opificium fuit veteris Heliconis, Rhodiorum donum, quo eum illa honorauerat ciuitas. hoc in conflictibus vtebatur. Tantisper autem dum in acie instruenda vel dandis imperijs vel monendo vel inspiciendo obequitabat aciem, alio vehebatur equo: quòd Bucephalæ, qui iam grauis ætate erat, parceret. vbi prælium iniret, admouebatur ille. in quem cùm transisset, ilicò signa iussit canere. Ibi Thessalos longa oratione adhortatus atq; alios Græcos, vbi alacres ostenderunt se conclamantes, duceret in barbaros: traiecta in sinistram lancea deorum opem inuocauit, vt author est Calisthenes, precatus: si verè satus Ioue esset, vt Græcis adessent dexteri & propitij. Vates Aristander candida læna amictus, coronamq; auream gestans, qui iuxta Alexandrum vehebatur, ostendit super verticem eius aquilam sublimem volare, cursumq; rectà dirigere in hostes. Vnde ingens spectantes incessit alacritas, ex alacritate autem et mutua adhortatione admisso in hostem equitatu instar fluctus ingruit phalanx. Cæterùm prius quàm frontes concurrerunt, inclinauit barbarorum acies. Magna erat impulsio: quòd redigeret cedentes Alexander in mediam aciem, vbi Darius agebat. Procul enim per antesignanos conspexit media in cohorte regia conspicuum pulchrum virum & eminentem: qui curru vehebatur excelso, frequentibus fortibusq; equitibus septus arctè conglobatis circa currum paratisq; hostem excipere. Sed Alexander, cuius terribilis ex propinquo apparebat aspectus, dum fugientes conijcit in eos, qui locum adhuc tenebant, perculit eos maxima ex parte disturbauitq;. Optimorum ac fortissimorum quorumq;, cùm pro rege contrucidarentur cumulus exaggeratus cadentium, qui comprehendebant moribundi pedes virorum equorumq;, insectationē inhibuit.

† ἐπιπόρπημα, alij sagum, siue chlamydē vertunt.

Aquila supra caput Alexandri, dum in Darium tendit.

Darij fuga. Darius, cùm omnes terrores ante oculos essent, & frons,

frons, quam ante se habebat, corrueret in eum, haud facilè currum flectere & peruadere valebat: sed quia rotæ retinebantur tanto aceruo intricatæ cadauerum, equi autem strage illa distenti & operti exiliebant consternabantq; aurigam: curru armis que relictis equam, vt ferunt, recens enixam conscendens effudit se in fugam, non euasurus in præsentia tamen, vti videbatur, nisi alij iterum à Parmenione equites missi ad Alexandrum fuissent retrahendum: quòd magna manus adhuc illa parte staret in acie, neq; hostes pedem referrent. Insimulant sanè Parmenionis omninò illo in conflictu ignauiam & segnitiem: siue audaciam senium eius iam resoluebat: siue potentiã Alexandri, vt tradit Callisthenes, ille grauabatur & æmulabatur gliscentem & insurgentem. Tunc igitur reuocari se rex etsi ægrè ferret, verumtamen non indicauit id militibus: verùm quasi cædem inhibens ac præcipite in noctem die receptui cecinit. In itinere, dum pergit ad periclitantes suos, accepit omni ex parte fusos fugatosq; hostes. Hoc pugnę illius euentu imperium Persarum pro semel subuerso habitum, atq; Asiæ rex renunciatus Alexander dijs magnificè honorem habuit: amicis opes, domos, prouincias est largitus. Ad Græcos ambitiosè velle se scripsit, vt omnes tollerentur iniusti dominatus, & immunes ipsi suis legibus viuerent: priuatim autem ad Platæenses, vt oppidum ipsorum instauraretur: quòd agrum Græcis maiores eorum ad decertandum in eo pro libertate cum barbaris præbuissent. Adhæc Crotoniã is in Italia prædam impertiuit ad Phayli athletæ honorandum studium virtutemq;. qui bellis Medicis, cùm Itali cæteri res Græcorum haberent pro deploratis, Salaminã naui suis impensis instructa fuerat ad periculi societatẽ profectus. Vsqueadeò candidus erga omnem virtutem erat, factorumq; ad memoriã custos & fautor honestorum. Castra inde mouit in Babyloniam, quæ protinus dedidit se ei tota. Miraculo ei fuit in Ecbatanis terræ hiatus ignem perpetuò sicut ex fonte subuehens, & scaturigo naphthæ ex abundantia non longè ab illo hiatu stagnantis. qui cætera bitumen repræsentat, cæterùm cognationem habet cum igne adeo magnam: vt prius quàm contingat flammam, interfusum aera frequenter solo splendore circa flammam elucente accendat. Quò vim eius & indolem ostenderent barbari, viam ad regis tentorium tendentem irrorauere minutis huius medicamenti stillis, stantesq; in extremo faculas irrigatis admouere. Iam enim tenebræ erant. Capite accenso mox flamma puncto temporis depasta reliqua est: atq; momento ad alterum percurrit terminum, ac via continuo colluxit igne. Athenophanes erat Atheniensis ex ijs, qui in vngendo & balneo curare regis corpus solebat, mentemq; eius scitè abducere ad remissionem. Hic in balneo assistente tunc regi puero facie ridicula, sed qui caneret lepidè, Stephanũ dicebant: Vis, inquit, in Stephano rex periculum faciamus naphthæ? Nam hunc si attigerit, nec fuerit extinctus: dicam vires eius planè inexuperabiles & eximias esse. Cùm promptè puer offerret se ad experimentum: simul atq; inunctus fuit, & attigit eum medicamentum, flammam corpus eius tam ingentem effudit, & igne occupatum est totum: vt ad extremam perplexitatem trepidationemque reciderit Alexander. Quòd ni adfuissent, qui multa vasa aquæ in balnei vsum ad manum habebant: nulla ope prohiberi potuisset, quin corpus pueri esset ambustum. Sed & tunc corpus eius vndequaque inflammatum fuit, & ignem extinxerunt ægrè, ac pòst malè habuit. Itaq; haud absurdè fabulam quidam ad veritatem reducentes, hoc illud esse dictitant Medeæ medicamentum: quo decantatam illam coronam flammeumq; inunxit. quippe haud ex semetipsis neq; sponte concepisse illa ignem: sed cùm adiecta illinc fuisset flamma, citam eius & continentem contagionem, quæ sensum effugeret, fuisse. Nam radios & profluuia ignis eminus ingruentia lumen alijs corporibus & feruorem tantummodo adiungere: in alijs ariditate halituosa, pinguiq; & saturo præditis liquore collecta atq; vi gliscentia flammea statim vertere materiam. Mouit generatio eius dubitationem * an potius flammæ fomes liquor hic ex solo emanet vi oleosa inflammanteq; prædito. Est enim perquàm Babylonia ignea: vt hordeum ex humo subsultet & regeratur frequenter, quòd ea regio quasi nimia inflammatione palpitet, habeantq; homines per feruores in vtribus aqua impletis cubilia. Harpalo, qui regionis huius relictus præfectus fuit, studenti Græcis plantis regiam & ambulationes excolere, cætera responderunt. Vnam respuit tellus hederam, quam semper corrupit impatientem eius temperiei: quòd hæc frigidis gaudeat, illa ferueat. Cæterùm huiuscemodi digressus, si modum seruent, minus fortassis reprehẽdent morosi. Alexander Susis potitus quadraginta millia talentũm argenti signati inuenit, præterea instrumentum regium aliud, & res pretiosas innumerabiles.

Alexandri secunda de Dario victoria, & liberalitas in omnes.

Naphthæ scaturigo & vis. de qua vide Strabonem lib. 16. & Plinium.

Medeæ medicamentum verè quid fuerit.

*Hic desunt in exemplari Græco aliquot lineæ.

Babylonia non admittit hederam.

Thesaurus ab Alexandro Susis repertus.

vbi etiam purpuræ Hermionicæ quinque millia talentûm narrat inuenta annos seruatæ decem minus ducentos: quæ florem recentem adhuc ac nouitium retineret. cuius ferūt causam esse: quòd puniceorū infectura melle perfecta fuerit, & candido oleo candidorum. quippe horum in pari ætate splendorem integrum & fulgentem cōspici. Adhæc ex Nilo & Istro haustum inter cætera Dinon memorat solenne fuisse, vt afferri imperarent atq; in thesaurum reconderent reges tanquam in pignus imperij & rerum se dominos esse.

Alexandri in Persidem expeditio.

Cùm autem Persis ob asperitatem esset aditu difficilis præsidiumq; haberet delectissimorum Persarum: namq; confugerat eò Darius: quidam vtriusq; linguæ peritus, qui patre Lycio, Perside matre ortus erat: quem puero etiamnum Alexandro præcinuisse perhibent Pythiam, nempe Lycium ducem Alexandro itineris in Persas fore, modico circuitu duxit eum in Persidem. Strages illic ingens captiuorū edita. siquidem scribit ipse ratum se id è re sua esse, imperasse vt hostes cōtrucidarentur.

Thesaurus ab Alexandro in Perside repertus.

Argenti reperit ibi parem ac Susis summam. Reliquum instrumentū regium & opes decem millibus iugorum mularium & quinq; millibus camelorum egesta. Statuam ingentem Xerxis à turba contemplatus in regiam irrumpentium imprudenter euersam substitit, ac sicut spirātem cōpellans: Vtrùm te, inquit, ob illatū Græcis bellum præteribimus prostratū, an ob cæteram animi tui celsitudinē & virtutem attollemus? Postremò vt diu cogitabundus & tacitus restitit, prætergressus est. Quatuor menses ibi, quò exercitū reficeret, quòd esset hyemis tempestas, transegit. Fama est, cùm primùm sub aurea testudine Alexander in solio regio consideret, Corinthium Damaratū Alexandri familiarē & amicum paternū senili more illachrymasse ac dixisse: fraudatos magna voluptate Græcos, qui ante, quàm in Darij solio Alexandrū spectassent sedentem, vita essent functi. Hinc in Dariū moturus cōpotationem & lusum cum amicis iniit: interfueruntq; meretrices, quæ commessatū venerant ad amatores suos.

Thaidis meretricis lasciuientis audacia.

Inter has nobilis imprimis Thais Ptolemæi, qui pòst regnauit, amica ex Attica oriunda, partim scitè celebrans Alexandrū, partim alludens, in sermonem est temulēta prouecta patriæ quidem eius congruentē moribus, sed supra eius conditionē. quippe laborū ait sibi in peragrāda exantlatorū Asia illo die fructū recipere se, superbæ Persarū regiæ insultantem: verùm multo libentius per ludum & lasciuiam domiciliū Xerxis, qui inflammauit Athenas, succēsuram faces q; manibus suis inspectante subditurā rege: quò inter mortales vulgaretur sequentes Alexandri castra mulierculas maiores pœnas à Persis vicem Græciæ, q̄ Græcos naualium & terrestriū copiarum duces expetisse.

Persepolis ab Alexandro inflammata.

Cùm dicentem esset assensus & admurmuratio cōsecuta, adhortatioq; & contentio amicorum: impulsus in eam sententiam exilijt, coronatusq; & facem manu tenens progressus est. Alij sequentes ludibundi cōclamantesq; regiā cinxere: reliquorumq; Macedonū, vbi id intellexerunt, cōcursus illuc cum lampadibus exultantium factus est. Sperabāt enim domū respicientis esse signum nec cōmoraturi inter barbaros: quòd regiam eorū incenderet euerteretq;. Atq; hæc ita aliqui authores sunt gesta fuisse, alij cōsulto. Atqui citò illum pœnituisse facti, atq; vt restinguerent flammā, imperasse in confesso est.

Alexandri liberalitas.

Munificentia verò, quæ insita ei erat, multo magis excitata est rerū incremento. Adiuncta erat comitas, cuius vnius accessione sanè sunt munera grata. Huius pauca exempla recensebo. Pœoniæ præfectus Aristo cùm hostē obtruncasset, ostendissetq; ei caput: Hoc donū rex, inquit, apud nos poculo aureo pensatur: Arridens Alexander: Nempe vacuo, inquit: Ego verò plenum mero tibi propino. Gregarius quidā Macedo mulum onustū auro regio agebat. Defesso iumēto sarcinā ipse in humeros sublatā portabat. Vidit rex onere oppressum, ac re intellecta, cùm ille id depositurus esset: Ne defatigeris, inquit, sed absolue reliquū itineris, atq; in tentoriū tuū hoc defer. Omninò succensebat magis, si non acciperes, q̄ si posceres. Phocioni per literas mandauit, si non admitteret dona sua, renunciare ei se amicitiā. Serapioni vni ex grege eorū, qui secum lusitabāt pila, quia nihil petebat, nihil largiebatur. Cùm aūt ad ludū accessisset Serapion, adiecit pilā alijs. Cui vbi dixit rex: Quin mihi das? Non petis, inquit. Risit rex, atque ampla largitione est eum prosecutus. Proteæ cuidam in dicterijs inter pocula nō infestiuo videbatur infensus. Cùm deprecarentur amici pro eo, atq; ille lachrymas profunderet: redire dixit se cum eo in gratiā. Tum ille: Igitur rex, inquit, pignus primùm mihi aliquod dato. Atq; huic quinq; talenta iussit numerari.

Alexandri prodigalitas, à matre reprehensa.

In ditandis amicis & stipatoribus suis quàm fuerit prolixus, declarat Olympias epistola, quam ad eum scripsit. Bene merere alias, inquit, de amicis & splendore vtere. Enimverò nunc omneis regi efficis pares, multosq; amicos eis paras, temetipsum verò reddis solitarium. Ea cùm identidem

ad

ad illum ſcriberet Olympias: ſeruabat in abdito epiſtolas. niſi ſemel Epheſtioni, vt aſſueuerat, ſolutam epiſtolam ſecum legenti non vetuit: verùm detracto digito anulo ſigillũ ori illius admouit. Mazei, cuius apud Dariũ ſumma fuerat gratia, filio ſatrapiæ præfecto alteram adiecit ampliorem. At ille recuſans ait: Tunc ô rex vnus erat Darius, nunc tu multos effeciſti Alexandros. Parmenioni donauit Bagoæ domũ, in qua ad cultum pertinentium veſtiarium mille talentûm inuenit. Antipatro per literas mandauit, vt cuſtodes corporis aduerſus inſidias adhiberet. Matri dona multa miſit: cæterùm interdixit ei rebus ſe ingerere, vel ducis munera vendicare. Expoſtulantis ſecũ leniter tulit acerbitatem. Semel autem, cùm prolixas literas Antipatri illam criminantis perlegiſſet: fallere dixit Antipatrũ ſexcentas epiſtolas vna deleri matris lachrymula. Cùm amicos ſuos in totum cerneret luxu perditos, victuq́ & ſumptibus licentiores, atq; Agnonem Teium clauis argenteis ſuffigere crepidas, Leonato multis camelis puluerẽ ex Aegypto vſq; ad exercitationes ſupportari, Philotã ad venationem centũ ſtadiorum aulæas habere, vnguento plures quàm oleo delibutos ad balneum ire, trahere eos ſecum frictores & cubicularios: caſtigauit eos placidè & philoſophicè, mirari ſe dicens ipſis, qui tot & tanta certamina decertauiſſent, excidiſſe eos iucundiùs, alios qui fatigant, quàm fatiſcentes quieſcere: neq; animaduertere Perſarũ moribus æquiparantes ſuos, nihil eſſe ſeruile magis, quàm indulgere delicijs, nec magis regiũ, quàm labores ſuſcipere. Et quidem qui cures, inquit, tua opera equum, vel haſtam galeam'ue polias: ſi inducere animũ non potes: vt corpori, quo nihil charius, admoueas manus? An ignoratis finẽ nobis vincendi eſſe, ne eadem ac victi faciamus? Igitur laborem intendit, in expeditionibus & venationibus ſubigens corpus ſuum & periculis exponens: vt Lacon legatus, qui aſſiſtebat, cùm conficeret grandem leonẽ, diceret: Macte Alexander iſta, cum leone de regno pugna. Hanc venationẽ Craterus Delphis dedicauit, ac ſimulachra ex ære leonis, canum, regis cum leone congreſſi, & ſuum ei ſuccurrentis facienda locauit. quorum Lyſippus partẽ, partem fecit Leocharis. Ita Alexander quidẽ dum ſemetipſum pariter exercet, & incendit alios ad virtutẽ: in præcipites caſus dabat ſe. Amici verò eius ob opes & faſtum voluptatibus indulgere & ocio affectantes tædebat errorũ & expeditionum. Vnde paulatim ad obtrectandum ei & allatrandũ ſunt progreſſi. quod ille primùm tulit leniter, regium eſſe ferens, cùm benefeceris, malè audire. Et quidẽ benefacta minima eius in amicos ingentis fuerunt beneuolentiæ & honoris, quem illis habebat, ſignificationes. quorum pauca attexã. Moleſtum ſibi eſſe mandauit per literas Peuceſtæ, morſum ab vrſo ipſum, quòd alijs ſcripſiſſet, ſibi nõ ſignificaſſet. At nunc certè, inquit, ſcribe, vt vales, et num qui te ſociorum in venatione deſeruerũt, vt pœnas dent. Epheſtioni ob certa negocia abſenti pugnantibus per ludum ipſis cum ichneumone Craterum ſcripſit in lanceã Perdiccę induiſſe ſe, vulneratumq́ in vtroq; femore fuiſſe. Cùm Peuceſtas ex morbo quodam reualuiſſet, ad medicũ Alexippũ ſcripſit, agere ſe ei gratias. Cratero affecto cùm viſio eſſet ei per quietẽ oblata: & ipſe pro ſalute eius ſacrificauit, & illum iuſſit. Pauſaniæ medico ſcripſit, vbi elleboro eum purgare Craterũ accepit velle, partim æſtuãs, partim admonens quemadmodũ medicamentũ propinaret. Illos, qui Harpali fugã primi nunciauerũt, in vincula cõiecit Ephialtẽ & Ciſſum tanquã mendacia de eo nunciantes. Cùm infirmos & ætate graues domũ remitteret: Eurylochus aũt Aegeus retuliſſet ſe inter ægrotos, inde cõpertus nullo morbo teneri, Teleſippæ amore confeſſus eſſet ſe deperire ac comitari ad mare velle abeuntẽ: quæſiuit, cuius conditionis mulier eſſet? Audito meretricẽ liberã eſſe: Habes nos Euryloche, inquit, tibi in amore fauentes. At tu da operam, quandoquidẽ libera eſt Teleſippa, vt vel donis vel verbis eam inducamus. Mirum verò eſt vacaſſe eum etiã hactenus amicis, literas vt huiuſcemodi mitteret, cuiuſcemodi ſcripſit, Seleuci puerũ, qui in Ciliciã profugerat, imperans requiri: Peuceſtam cõmendans, quòd ſeruum Crateri Niconẽ corripuiſſet: Megabyzo de ſeruo, qui ad ædem ſacram confugerat, iubens: Si queat, extra templũ vt inuitatũ occuparet, in templo ne ei iniijceret manũ. Iam initiò cùm iudicia capitalia diſceptaret, fama tenet manum eum alteri auri, dum diceret accuſator, admouere ſolitũ: reo vt alterã integram & intactã ſeruaret à calumnijs. Cæterùm pòſt crebræ calumniæ per veros tramites ad mendacia fidẽ accipientes exaſperauerunt eum. præcipuè verò cùm ſermonibus ſuorũ carperetur, exibat de poteſtate, ſæuusq; erat atq; inexorabilis: nempe qui gloriã vitæ & regno anteferret. Porrò ea tempeſtate in Dariũ, quaſi bellũ reparaſſet, perrexit. quem vt vinctũ accepit à Beſſo, Theſſalos remiſit in patriã, ac duo millia talentûm ſtipendijs eorũ cumuli dono adie-

Alexander luxum ſuorum carpit.

Alexander ocij inimicus.

Alexandri de amicis ſolicitudo, ac mira in eos humanitas.

Alexander alteram aurem reſeruat reo.

Alexandri diffi cul as in persequendo Dario.

cit. Dum cõsectatur Dariũ in itinere laborioso & prolixo (nam diebus vndecim tria millia trecenta stadia cõfecit) pleriq; lassitudine sunt confecti, & præsertim aquæ penuria. Ibi occurrerunt ei Macedones quidã, qui aquã in vtribus ã flumine mulis portabãt: conspicientesq; Alexandrũ medio iam die siti maceratũ impleuerunt cõfestim galeam, eiq; obtulere. Requirente eo, quibus nam aquam afferrent: Liberis nostris respondêre. verùm te incolumi alios gignemus, etiamsi hos amiserimus. Sub quorum dicta accepit galeã. Cæterùm circunlatis oculis, vbi vidit, qui ipsum comitabantur, equites capite inclinato potum respicientes: reddidit illis aquã non gustatã, laudauitq; eos. Nam ego, inquit, si solus bibero, hi elanguescent. Regis cõspicati equites continentiã & magnitudinem animi: duceret & bono animo esset, vociferati sunt, & equos verberarũt: neq; fatigari se neq; sitire, sed nec mortales ducere esse, quoad talẽ haberent regẽ. Alacritas erat quidem omniũ par, sed solos sexaginta ferunt Alexandrũ in castra hostium persecutos. Ibi vim magnã auri & argenti proiecti supergredientes, multa vehicula puerorũ mulierumq; aurigis destituta & vagantia præteruecti, primorũ tergis inhæserunt, in illis rati Dariũ esse. Vix tandẽ inuenitur corpore multis confosso iaculis in curru iacens propè iam moribundus: potũ tamen postulauit. Vt frigidã hausit: illum, qui porrexerat, Polystratum affatus est: Hic mihi terminus, quicunq; es, omnis est felicitatis: q; beneficiũ acceptum nequeã repondere. Verùm referet Alexander tibi gratiã: Alexandro dij immortales: q; tam humanus in genitricẽ, vxorem & liberos meos fuerit: cui hanc dextrã te interprete porrigo. Ita fatus apprehensa Polystrati manu expirauit. Postquã superuenit Alexander, nõ obscurè indoluit huic misero casui, chlamydemq; suam soluit, eoq; iniecto corpus inuoluit. Bessum pòst cõprehensum dilacerauit directis arboribus duabus in vnũ deflexis, quarũ vtriq; corporis partẽ alligauit. inde laxatæ ambæ, atq; impetu in sedem suã relatæ partẽ sibi annexã retinuere. Corpus Darij regio cultũ more ad matrem eius misit. Fratrẽ eius * Exathrẽ in cohortem recepit amicorũ. Hinc cum expeditissimis copijs descendit in Hyrcaniã. Sinum illic maris Ponto, vt apparebat, inuenit non minorẽ, sed cætero mari dulciorẽ. Verùm certi nihil habuit de eo discere. Omninò cõiecit Mæotin lacũ illuc restagnare. Atqui nõ præterijt physicos veritas: sed multis ante Alexandri expeditionẽ annis scripserunt in quatuor finibus, qui ex Oceano subeunt continentẽ, hunc maximẽ ad Boreã vergere. Hyrcanũ pelagus & Caspiũ pariter nuncupant. Ibi barbari repentino incursu exceperunt eos, qui equum Alexandri Bucephalan ducebãt. quod ille haud moderatè tulit: sed misso caduceatore, ni remisissent sibi equũ, omnibus necem cum liberis & cõiugibus denunciauit. Quibus equũ ad eum reducentibus, vrbesq; suas dedentibus præbuit se omnibus humanum: atq; illis, qui ceperant equum, pretium dedit redemptionis. Hinc Parthiã petens, cùm in ocio ageret, primùm vestem barbaricam sumpsit: incertum, vt accõmodaret se incolarum moribus, multum existimans valiturum ad mansuefaciendos homines, si consuetudinem & patrios mores eorum vsurparet: an tentare hac re Macedonas, atq; ad adorandũ se traducere, morumq; patriorũ ferre conuersionem & transitũ in alienos voluit assuefacere. Habitum Medicum tamen, quòd prorsus barbaricus esset & alienus, repudiauit: nec anaxyridas vel candyntiaram ve sumpsit. sed medium inter Persicũ & Medicũ scitè temperauit, minus hoc tumidũ & insolentiorẽ illo. Vsurpauit eũ primùm agens cum barbaris ac sub tecto cum amicis. deinde eo cultu prodijt in publicũ: ac cùm vacaret postulationibus, cõspiciendũ ita dedit se omnibus. Erat acerbũ id Macedonibus spectaculum. sed miraculo ducti reliquæ eius virtutis, quædã putabant libidini & gloriæ cõcedenda eius. qui præter omnia alia cùm nuper sagitta in crure ictus, vt os radij infractũ excideret, rursus lapide secundũ ceruicẽ afflictus, vt caligo oculis eius offunderetur, quæ nõ paruo spacio tenuit: eũ: nusquã tamẽ parceret sibi in periculis. sed & trãsmisso Orexarte amne, quẽ ipse esse arbitrabatũ Tanaim, fusos fugatosq; Scythas, quãuis vẽtris fluore infestaretur, ad centũ stadia est insectatus. Eò venisse ad eũ Amazonẽ phibẽt multi, inter quos Clitarchus, Polycritus, Onesicritus, Antigenes, Hister sunt. Aristobulus verò, Chares, Isangelus, Ptolemæus, Anticlides, Philon Thebanus, Philippus Isangelus, insuper Eretriẽsis Hecatæus, Philippus Chalcidensis, Duris Samius esse hoc asserũt cõmentũ, quibus astipulari apparet Alexandrũ. siquidẽ Antipatro omnia exactè scribẽs, Scythã ait filiæ sibi nuptias obtulisse, Amazonis nusquã meminit. Fama est multis annis pòst Lysimacho iam regnanti Onesicritũ quartũ librũ suũ recitauisse, in quo meminit Amazonis: ac Lysimachũ subridentem dixisse: Et vbi tunc ego eram? His siue fidẽ detrahas, non eò Alexandrũ minus: siue ad-

Alexandri continẽtia & in milites suos amor.

Darij mors.

Bessi supplicũ.

** Oxathrem, habet Curtius.*

Mare Hyrcanum, vel Caspium.

Alexander vestem barbaricã sumit.

Magnæ virtutis homini aliquid cõdonandum.

Amazonis ad Alexandrum profectio, de qua à multis dubitatur.

adiungas, pluris facias. Porrò timens, ne ad reliqua expeditionis torpesceret Macedones, reliquã multitudinẽ reliquit in statiuis. Delectissimos verò cùm in Hyrcania secũ haberet ad viginti millia peditũ & tria equitũ: proposuit his à barbaris nũc ipsos p somniũ visos esse. Quòd si cõmota tantùm decessissent Asia, mox adorituros illos velut fœminas. Veruntamen abire iussit, siquis vellet: contestatusq;, dum Macedonibus orbẽ terrę subigit, ipso in negocio se cum amicis & voluntarijs militibus destitutum. Hæc penè ad verbũ in epistola ad Antipatrũ persecutus est: quę cùm dixisset, omnes conclamasse, duceret, quo terrarũ vellet. Horum explorata volũtate, procliue iam fuit inducere vulgus, quod facilè est assensum. Tum verò multo magis se barbarorũ moribus accommodauit, illosq; cum institutis commiscuit Macedonicis, temperatura & communione stabiliturum firmiùs se per beneuolentiam imperium existimans, quàm vi, cùm procul abscederet. Itaq; triginta millia delectorum puerorum literis Gręcis imbui ac Macedonicis institui armis curauit: quibus præposuit multos præceptores. Atq; Roxanes quidẽ nuptias conciliauit amore: cuius eum species & forma aliquando inter pocula cepit: non alienæ præsentibus negocijs habitæ sunt tamen, quippe harum fœdere nuptiarum erexerunt se barbari, miroq; amore sunt Alexandrum prosecuti: quòd qui esset in his continentissimus, ne eam quidem, cui succubuit vni, attingere mulierẽ nisi legitimè sustinuerit. Cùm autem ex primis amicis cerneret his assentientem Ephestionem atq; ad institutum suum se accommodantem, Craterum verò patrijs insistẽtem moribus: hoc interprete Græcis & Macedonibus responsa dabat, illo barbaris. Et omninò hunc in maximo honore habebat, illum maximè diligebat: existimans & dicens perpetuò Ephestionem Alexandri amantem, Craterũ regis esse. Quapropter existebant inter hos inuicem ęmulos crebrę offensiones. Semel in India etiã ad manus venere districtis ensibus. Subuenientibus vtriq; amicis accurrens Alexander probris increpauit Ephestionem, propalàm stolidum eum & amentem vocans, nisi intelligeret, siquis ei detraheret Alexandrũ, actum de ipso esse. Priuatim Craterum corripuit amarè, reconciliataq; ac restituta inter eos gratia per Ammonem atq; omnes deos sanctè iurauit eos sibi supra omnes mortales charos esse: quos si iterum concertare perciperet, ambos necaturum se, aut eum, initium qui dedisset. vnde ne per iocum quidem deinceps alter alterum vllo dicto vel facto dicitur lacessiuisse. At Philotas Parmenionis authoritate inter Macedonas summa erat. Etenim strenuus habebatur & laboris tolerãs, munificus aũt & effusus in amicos adeo, vt secundũ Alexandrũ alius nemo. Ac fertur, cùm necessarius quidã illius argentũ ab ipso posceret, iussisse dari. Negante, ꝓcuratore esse: Quid ais, inquit, ne poculũ quidẽ aut vestẽ habes? Cæterùm animi tumore & opũ supercilio, corporisq; cultu & victu insolentior erat q̃ pro priuato fastigio. Et sanè grauitatẽ tunc amplitudinemq; nõ vrbanitate, sed sine gratijs ineptè & insulsè exprimens suspiciones sibi conciliauit & inuidiã. vt Parmenio etiã ei aliquãdo diceret: Deteriorẽ te mihi fili redde. Hic iamdudũ delatus apud Alexandrũ fuerat. Cùm enim Dario in Cilicia superato præda capta Damasci fuisset: multis capitibus in castra adductis mulier inter captiuos reperta fuit genere Pydnęa eximia forma, Antigone dicta fuit. Hãc tenebat Philotas. Vt iuuenis apud amicã & per vinũ multa arroganter & militari effutiẽs ferocia arrogauit, quicquid præclarè esset gestum, sibi & patri. Alexandrũ appellauit adolescentulũ, qui ipsorũ beneficio nomẽ regis teneret. Hęc mulier illa familiari cuidã enunciauit, ille vt fit alteri, ita ad Craterum sermo tandẽ est perlatus. Ille mulierẽ clàm introduxit ad Alexandrũ. qui his auditis cõsuetudine vti eam iussit Philotæ: & quicquid intellexisset ex eo, id vt mox ad se deferret. Philotas verò, qui ita peti se ignorabat insidijs, in contubernio Antigones multa verba & sermones ineptos infestè & insolẽter in regem habuit. At Alexander etsi grauiter delatus apud ipsum Philotas esset: omnia tamen vel beneuolentia fretus erga se Parmenionis vel authoritatem eorum & potentiam timens tacitus tulit & silentio oppressit. Eadem tempestate Macedo nomine Dimnus Chalæstræus capitales Alexandro insidias struẽs adolescentem quendam Nicomachum, cuius flagrabat amore, inuitauit ad consilij societatem. qui cùm id repudiasset, & fratri indicasset † Balino tentatum se: ille ad Philotam profectus petijt introduci se cum fratre ad Alexandrum rem magnam se & atrocem ostendens habere, quam ei aperirent. Ille haud scio qua de causa (incertũ est enim) nõ introduxit eos ad illũ, maioribus negocijs regẽ districtũ causatus. Bis id fecere. Itaq; cœpit ijs Philotas esse suspectus: ita ad alium conuersi, atq; per eũ ad Alexandrũ admissi primùm Dimni cõiurationem detulerũt, deinde obiter adiecere, cùm bis interpellassent

Alexander vnico dicto Macedonas ad officiũ reducit.

Alexander ducit Roxanen vxorem.

Ephestionis & Crateri dissidiũ.

Philotas cur suspectus & inuisus Alexandro fuerit.

Insidiæ Alexandro ab Dimno structæ: alij Limnum habent.

†Cebalinũ, nominat Curtius.

Philotā, non fuisse rem ei curæ. Enimverò id Alexandrū stimulauit. atq; vbi ille, qui ad comprehendendū Dimnū missus erat, defendentē se interfecit: impēdio magis est commotus, indicē ratus amissum initę in se conspirationis. Huius in Philotā exacerbatus animus cōcitauit veteres inimicos eius qui clarè fremebāt socordē regē esse, quòd Dimnū cēseat hominē Chalæstræū tantū facinus suscepisse solum: sed hunc administrū, imò esse organū à principio motū maiore. In illis scrutādas insidias, quibus maximè hęc tegi bono esset. Hisce verbis & suspicionibus patefactas regis aures onerauerunt iam sexcentis cōtra Philotā calumnijs. Inde correptū torserunt assistētibus quæstioni regis amicis, & Alexandro pone obtensam aulæā foris exaudiente. Quo tēpore eū dixisse aiunt, cùm miserandis & abiectis vocibus precibusq; Philotas Ephestionē compellaret: Adeó'ne mollis tu Philota & effœminatus tantas res moliebare? Necato Philota Parmenionem quoq; certos misit in Mediā qui interficerent virū, qui magnificas res cum Philippo gesserat, solusq; aut pręcipuè ex veteribus amicis ad transeundū in Asiā incitauerat Alexandrum. Ex tribus filijs, quos in castris habuit, duos antè viderat defunctos, cum tertio est vnà trucidatus.

Philotas & pater eius Parmenio, necati.

Hæc facta Alexandrū amicis reddiderūt formidabilē, imprimis Antipatro. Is ad Aetolos clàm misit legatos fidem dans & accipiens. nam timebant Alexandrum Aetoli ob Oeniadarū excidiū. quod vbi nunciatū ei est: nō Oeniadarum ait filios, sed ipsum se pœnas ab Aetolis persecuturū. Non multo pòst Cliti casus áccidit, si sic nudè audias, Philotæ calamitate tetrior. si tamē narrationi adiungas & causam & tempus: non de industria, sed infortunio aliquo inuenias patratū. quando regis ira & vinum diręfortunæ Cliti præbuit occasionē.

Antipater timuit Alexandrum.

Alexander Clitum cur occiderit.

Id ad hunc modū gestū est: Quidā ab ora maritima poma Græca regi attulerant. ille viriditatē eorū & speciē miratus acciuit Clitū, vt ei ostenderet illa & impertiretur. Fortè ille sacrificabat. qui relictis sacris perrexit ad regē, eumq; tres oues, in quas facta iam fuerat libatio, sunt secutæ. Quo intellecto rex rem ad vates retulit Aristandrū & Cleomanta Laconē. Denunciantibus illis tetrū prodigiū esse, præcepit vt properè pro Clito litarent. quippe triduo antè oblata ei fuerat in somnijs fœda species. Visus est Clitū videre pullatū considentem inter Parmenionis filios, qui erant omnes extincti.

Alexandri somnium.

At Clitus nondū litato cōfestim ad cœnā venit, cùm rex Castori & Polluci sacrificasset. Dum strenuè certatur poculis, cantata carmina sunt Pranichi cuiusdā, aut vt alij volunt Pierionis, in duces, qui pridē victi à barbaris fuerāt, ad probrū & risum scripta. Stomachantibus maioribus natu, insectātibusq; poëtam & cantorē, Alexandro ex altera parte & asseclis eius libenter audientibus atq; vt recitaret, exhortantibus: Clitus iam vino grauis, naturáq; asper & præfractus fremuit, negans cōuenire, præsertim vt inter barbaros & hostes, Macedones multo quàm qui riderēt eos, etiamsi infesta essent fortuna vsi, præstantiores, ludibrio haberentur. Ibi cùm diceret Alexander, sibi ipsi Clitum patrocinari, qui timiditatem aduersæ fortunæ nomine censeret: exurgens Clitus: Atqui hæc, inquit, te timiditas dijs prognatū à Spithridatis gladio terga iam dantē vindicauit: Macedonumq; sanguine atq; hisce vulneribus ad tantū peruenisti fastigij, vt repudiato Philippo Ammonē tibi ipse asseras patrē. Hinc accensus Alexander: De his'ne scelerste, inquit, quæ quotidiè de nobis iactas & concitas Macedonas, gratulaturū te tibi speras?

Cliti mores.

Enimvero nec nunc, inquit, nobis Alexander gratulamur, qui hęc præmia ferimus laborum: verùm beatos ducimus illos, qui iam priùs fato functi sunt, quàm virgis Medicis lacerari viderint Macedonas, & àditū petentes ad regē à Persis. Ea effundente Clito, Alexandroq; contrà insurgente ac Clitū proscindente conuitijs, seniores comprimere enitebantur turbā. Ibi Alexander ad Xenodochū Cardianū & Colophoniū Artemiū versus: Num'ne vobis, inquit, videntur inter Macedonas Græci sicut inter feras, semidij versari? Cùm non cederet Clitus: sed clamaret: vt Alexander, siquid vellet, in mediū proferret, aut ne ad cœnā vocaret liberos homines & liberā linguam habentes: verùm cum barbaris viueret & mancipijs, qui zonam Persicam & candicantem tunicā adoraturi essent: haud vltrà par iræ Alexander ex malis appositis vno coniecto percussit Clitum & gladium quæsiuit. quem cùm vnus satellitū Aristophanes subtrahere maturasset, alijq; eum complecterentur & obsecrarent: prosiliens exclamauit, & lingua Macedonica armigeros vocauit (Id signū erat ingentis tumultus) ac tubicinem canere iussit: cui, quòd cunctaretur & tergiuersaretur, impegit colaphum. Verùm hic postea laudem meruit, quòd potissimum in causa fuisset, ne tumultus cieretur in exercitu. At Clitum eadem intemperātia furentem amici ægrè triclinio summouere. Cùm ille altero ostio regreditur mirè securè & ferociter Eurypidis hos ex Andromache versus pronuncians:

Cliti in Alexandrum petulātia

In Græcia mores mali sunt proh dolor:

tum ablata cuidam satelliti Alexander hasta obuium Clitum remouentemq́ velum ianuæ transfixit. quo cum gemitu & fremitu cadente mox ira animo eius decessit. Reuersus ad se & amicos cernens stupentes silentio stare euulsit ex mortui corpore telũ. quod vertere cùm in iugulum suum pararet, inhibitus est à stipatoribus: qui manus eius corripuerunt, eumq́ vi detulerunt in cubiculum. Vt noctem miserè plorando transegit, ac proximo die ciulãdo lamentandoq́ defessum vox defecit, iacuitq́ alta trahens suspiria: metuentes amici silentium vi sunt ad eum ingressi. Cæterorum quidem non admisit sermonem. At cùm vates Aristander visum illi, quod de Clito fuerat ei repræsentatum, & prodigium subijceret, iamdudum hæc in fatis fuisse: visus est animum relaxare. Ita Callisthenem philosophum introduxerunt Aristotelis necessarium & Abderitam Anaxarchum. quorum Callisthenes placidè tentauit & modestè oratione subeundo & lenibus ambagibus reprimere mœrorem eius: Anaxarchus peculiari quadam ab initio in philosophia incedens via, despectorq́ & cõtemptor habitus sodalium suorum, simul atq; ingressus est, exclamauit: En Alexander ille, in quem orbis conijcit oculos. En abiectus in lachrymis instar mancipij iacet, legem & probra exhorrescẽs hominũ, quibus ipse lex esse & terminus deberet: si modò, vt imperaret & rerũ potiretur, vicit: non vt victus ab inani gloria seruiret. Nescis, inquit, assessorem Ioui iustitiam & fas esse: quò quicquid actum ab dominante fuerit, id ius & fas sit? Huiuscemodi adhibita oratione ægritudinẽ Anaxarchus regis alleuauit, mores eius multò fluxiores reddidit & violẽtiores, seipsum verò mirificè insinuauit in gratiã eius, & Callisthenis cõsuetudinẽ vel aliàs ob austeritatẽ parũ gratã insuper reddidit inuidiosam. Memorãt orto super cœnã aliquando de tempestatibus anni & aeris tẽperatura sermone assentientẽ Callisthenẽ opinioni illã regionem asserentiũ gelidiorem & rigentiorem Græcia repugnante obstinatè Anaxarcho dixisse: Enimverò non potes nõ fateri intentiorẽ hic quàm illic rigorẽ esse. quippe tu in læna illic hyemẽ traducebas, hîc tribus velatus tapetibus recumbis. Id vehementer etiam exasperauit Anaxarchũ. Cęteros sophistas et assentatores mordebat Callisthenes, quòd in gratia esset ob dicendi facultatẽ apud iuuentutẽ, neq; minus acceptus senibus ob vitã modestã, grauẽ, continentẽ, & astipulantẽ vulgato eius peregrinationis prætextui: ideo profectũ eum ad Alexandrũ, quò ciues suos in patriã reduceret, eamq́ denuò frequẽtaret. qui cùm premeret ob existimationẽ suã inuidia: interim etiã materiã ipse sui calumniandi præbebat, q̃ ferè reijceret vocationes: atq; in conuiuijs cùm adesset, significaret supercilio & silẽtio nõ laudare se vel ꝓbare ea, quæ agerẽtur. Vnde de eo dixit Alexãder:

Odi sophistam, qui sibi ipsi non sapit.

Dicitur aliquando multis ad cœnam inuitatis inter pocula iussus Macedonas Callisthenes laudare, tam profluenti oratione hoc tractasse argumentum: vt exilientes ei plauderent & coronas ingererent: Alexander verò ibi dixisse ei:

Qui dictionis nactus est
Campum bonum, haud ęgrè fit isthic eloquens.

at ostẽde, dixisse, facultatẽ tuã vituperãdis Macedonibus, quò emendẽtur auditis delictis suis: ita ad retractãda ille priora versus multa in Macedonas magna libertate disseruisse, Grecorũq́ dissensionẽ demonstrasse causam fuisse Philippi incremẽti & potẽtię:

Dissidio in populi capit & sceleratus honorem.

Acerbam inde inuidiam in eum & grauem concepisse Macedones, ac dixisse, Alexander non eloquentiæ suæ Callisthenem, sed maleuolentiæ dedisse Macedonibus documentum. Hæc Hermippus author est Callisthenis anagnostem Aristoteli Stroibũ retulisse: Callisthenem autem animum ab se alienatum regis cùm percepisset, digredientem bis aut ter ad seipsum dixisse:

Occidit & Patroclus multò præstantior ac tu.

Non absurdè igitur dixisse apparet Aristotelem, facundum esse & magnum in dicendo Callisthenem, verùm mentem non habere. At dum fortiter & sapienter recusat prostratus humi Alexãdrum salutare, solusq́ disserit publicè ea, quæ in occulto optimus quisq; & natu maximi inter Macedonas stomachabantur: magna quidem macula Macedonas & Alexandrum maiore exoluit, deterrens eum ab adoratione: se verò ipse perdidit: quòd extundere id magis regi quàm videretur persuadere. Chares Mytilenæus Alexandrum prædicat in conuiuio quodam, cùm bibisset, phialam vni ex amicis por-

Alexander occidit Clitum, et ob id factum miserè dolet.

Callisthenes & Anaxarchus Alexandrũ consolantur.

Callisthenes cur inuisus fuerit.

Qui sibi non sapit, is minimè sapit.

Callisthenis facundia.

Callisthenes detrectat Alexandrum adorare.

porrexisse, illum phiala accepta ad aram versum assurrexisse: ac cùm hausisset, adorasse primùm, deinde osculatum Alexandrũ in cõuiuio mox accubuisse. Postq; id omnes deinceps fecerũt, cepisse phialã Callisthenẽ, ac nõ attendente rege sed cum Ephestione fabulante bibisse, atq; ad ferendũ regi osculum accessisse. Ibi cùm Demetrius cognomine Phidon dixisset: Caue rex osculeris eum. nam vnus hic nõ adorauit te: Alexandrũ osculum declinasse, Callisthenẽ verò dixisse alta voce: Vno ergo osculo minus ferens abibo. Ita exulcerato regis animo primùm habita Ephestioni fides est dicẽti receptam sibi Callisthenẽ fidem adoraturũ ipsum regẽ fefellisse. Inde Lysimachi & Agnones vellicauerũt eum, obambulare iactantes sophistã tanquam euersa tyrannide intumescentẽ, concurrereq; ad eum & obseruare adolescentes tanquã vnum in tot millibus liberũ.

Callisthenes proditionis in Alexandrum suspectus.

Quocirca insidijs, quæ Alexandro paratæ ab Hermolao erant, detectis crimina inimicorũ eius sunt probabilia visa, rogatũ ab hoc, quemadmodũ vir clarissimus euaderet: respondisse, si interfecisset clarissimũ: concitantemq; ad facinus Hermolaũ monuisse, ne aureũ lectũ formidaret, sed meminisset rem sibi fore cum homine & morbis & vulneribus opportuno. Atqui ex Hermolai cõiuratione nemo ne in extremis quidẽ tormentis Callisthenẽ nominauit. Sed & ipse Alexander Cratero protinus & Attalo & Alcetæ scribens pueros in quæstione cõfessos ait se hoc cõsilium per se inisse, neq; fuisse aliũ consciũ quemquã. pòst verò in epistola ad Antipatrũ idem crimẽ impingit Callistheni. Ac pueri quidem, inquit, lapidibus sunt à Macedonibus cooperti. In sophistã ego consulam & in illos, qui

Alexãdri in Aristotelẽ offensio.

eum miserunt, & oppidis suis insidiantes mihi recipiunt. in quibus animũ aduersus Aristotelem suũ detegit. siquidẽ fuerat apud eum Callisthenes ob necessitudinẽ educatus, quòd esset ex Hero Aristotelis cõsobrina editus.

Callisthenis mors.

Decessisse eum alij ab Alexandro suspensum dictitant, in vinculis alij morbo afflictũ. Chares, postq; cõprehensus fuit, septẽ menses in vinculis custoditũ: vt in cõcilio præsente Aristotele iudicaretur, ac quo tẽpore in Mallis Oxydracis Indiæ sauciatus fuit, ex corpore supra modum turgido & morbo pediculari excessisse. Cæterùm hæc postea sunt insecula.

Demaratus Corinthius ad Alexandrum proficiscitur.

Demaratus Corinthius iam annis grauis affectauit ad Alexandrũ proficisci, eoq; aspecto magna ait voluptate Græcos spoliatos, quotquot prius fato functi essent, q̃ Alexandrum in solio Darij cõspexissent cõsidentẽ. Fructũ tamẽ hic ex regis amicitia aliũ cepit nullũ, q̃ quòd morbo absumptus cùm esset, elatus ab eo est magnificè, tumulumq; ei aggessit exercitus ambitu magnũ & cubitos octoginta excelsum. Ossa eius quadriga splendidè exornata ad mare deportari curauit.

Alexandri expeditio in Indiam.

Porrò in Indiã trãsiturus, vt vidit prædæ onere exercitũ iã grauem & tardum: simul atq; diluxit plaustris oneratis sua & amicorũ prima succẽdit. Inde Macedonum impedimentis imperauit subijci ignẽ. Apparuit autẽ re consiliũ difficilius, magisq; stupendũ inceptũ. Paucos enim torsit. Plerìq; voce & plangore sicut lymphati necessaria impertientes egenis: & quę vsui supererant, ibidẽ concremantes labefactantesq; impleuerunt alacritate & ardore Alexandrũ.

Alexandri crudelitas, in suos.

Iam toruus erat & implacabilis in delictis puniendis. quippe ex cohorte amicorũ Menandrũ, ꝙ in præsidio, cui eũ præfecerat, detrectaret manere, necauit. Ex rebellantib. barbaris Orsodatẽ ipsemet cõfixit iaculis.

Prodigia Alexãdro oblata.

Cùm autẽ ouis agnũ edidisset, qui figurã & colorẽ tiaræ in capite testiculosq; vtrinq; præferebat: auersatus est portentũ atq; expiatus per Babylonios, quos de more trahebat secũ ad talia. Apud amicos verò negauit sua causa se inde perculsum esse, sed ipsorũ: ne post fata sua imperium deus in hominem degenerem & illaudatum cõferret.

Olei fons repertus.

At ostentum oblatum lætius consternationem eius discussit: Præfectus eorum, qui stragulis erant appositi, vir Macedo, Proxeno nomen erat: dum tabernaculo regio locum fodit iuxta Oxum amnem, fontem detexit pinguis & oleosi liquoris. Vbi primùm exhausit, liquidũ inde & lympidum oleum emanauit, nec odore in speciem nec gustu ab oleo abhorrens, splendoreq; & liquore indiscreto: idq; illa regione oleas non gignente. Perhibetur ipsa quoque Oxi mollissima aqua esse, cutemq; in eo lauantium pinguefacere. Mirificè verò erectum eo Alexandrum fuisse ex epistolis eius ad Antipatrum liquet. vbi in maximis hoc à deo sibi oblatis ostentis reponit. Vates id pro gloriosi quidem, sed operosi

Oleum laboris lenimentum.

belli grauis' que prodigio habuere. nam ad labores à deo docuerunt datum hominibus oleum lenimentũ. Et multa sanè ei in prælijs ibi pericula occurrerunt, & vulnera inconsultè accepit. Maximam autem exercitus stragem angustiæ necessariorũ & cœli intemperies inuexere. Ille superare fortunam audacia & vires virtute enitens nihil censebat

Alexander duas petras capit.

audentibus inexpugnabile, vel munitum esse animosis. Fama est Sisimethris obsidentem petram auiam & inaccessam, despondẽtibus animos militibus, de Oxyarte eum

ex-

exquisiuisse, quid animi ipse haberet Sisimethres? Cùm respondisset Oxyartes, omnium hominum eum trepidissimum esse: Profectò tu, dixisse, petram nobis ostendis esse superabilem, quando eius non est firmum caput. Cepit eam pauore Sisimethri iniecto. Alteram perinde abscissam Macedonum iuuentute adortus, quendam Alexandrum nomine appellauit, &: Te verò, inquit, fortem esse vel nominis causa decet. Cùm hic iuuenis fortiter pugnans cecidisset, haud mediocriter perculsus est.

Nysa vrbs.

Nysam appellatam detrectantibus Macedonibus oppugnare (etenim amnis altus subluit eam) subsistens: Cur ego, inquit, miserrimus non didici natare? Iamq; clypeum tenens transmeare parabat. Postquàm oppugnatione ab eo compressa missi à ciuitatibus obsessis legati supplices eum adiere: primùm obstupuere, cùm in armis eum sine vlla pompa contemplarentur. Hinc puluinum, qui allatus sibi erat, accipere & considere maximum natu, Acuphi nomen erat, iussit. Cuius admiratus benignitatem & humanitatem Acuphis quæsiuit, quibus conditionibus ipsos recipere in amicitiã vellet? Respondente Alexandro: vt te ipsum patriæ tuæ principem imponamus, & vos cẽtum ad nos viros optimos mittatis: arridens Acuphis: Atqui melius, inquit, imperauero rex, si deterrimos ad te potius quàm optimos misero.

Acuphis cum Alexandro colloqutum.

Taxiles perhibetur Indiæ obtinuisse Aegypto non angustiorem laxitate portionem. pabulo autem lætã fœcundamq; fructibus imprimis: ac vir ipse sapiens fuisse, atq; cùm salutaret Alexandrum, dixisse: Quid bellis inter nos & prælio Alexander opus est, cùm neq; aquam nobis ademptum neq; victum necessarium veneris? pro quibus solis necesse habent homines sani decertare. Reliquis opibus & facultatibus, quas vocãt, si ego abundantior sum, impertiar tibi libẽs: sin inferior, non recuso accipere abs te grato animo beneficiũ. Delectatus ea oratione Alexãder, illumq; cõplexus: An tu, inquit, pugna arbitraris ex tali sermone et comitate colloquiũ fore immune? At nihil proficis. quippe contendã tecũ & depugnabo beneficijs, ne me superes benignitate. Ac munerib. acceptis multis, datisq; pluribus, deniq; mille talentûm argenti signati ei propinauit. qua re torsit amicos acriter, sed barbaros multos sibi reddidit mansuetiores.

Taxilis cum Alexandro colloquium.

Bellicosissimi Indi militabãt mercede. hi vrbes strenuè defendebant, multisq; modis Alexandrũ fatigabãt. Cum his inducias in oppido quodã fecit, mox recipiẽtes se in itinere oppressit. quæ rebus illius bello gestis iustè aliàs & regaliter bellantis quasi labes adhæsit. Non minus quàm hi infestabãt eum philosophi. qui reges, Alexãdro qui se cõiunxerãt insectabantur, & liberos populos solicitabant. quapropter multos ex his suspendit.

Alexander inducias non seruat.

Cum Poro acta ipse in epistolis, quemadmodũ sunt gesta, prodidit. Ait enim interlabente vtraq; castra Hydaspe Porum elephantos semper infestos tenentẽ captasse transitũ suum: se verò strepitum in castris & tumultũ quotidie ingẽtem excitasse, quò assuefaceret suos nõ formidare barbaros. Hinc nocte brumali & obscura cum parte peditum & lectissimis equitibus procul se ab hostibus progressum in insulam nõ magnam transmisisse. Ibi imbre ingentibus procellis fuso crebrisq; in exercitũ presteribus & fulguribus cadentibus, soluisse tamen, quamvis interire nonnullos & perstringi fulmine videret, ex insula se ad vlteriorem ripam contendisse. Hydaspem, cùm ex illa tempestate torrens & tumidus ferretur, perrupisse grandi eluuie ripam, magnamq; partem illac vndæ decurrisse. Terram se intermediam cepisse non stabili pede, vtpote lubricam, quam vndiq; lacerabat vnda. Ibi dixisse autumant eum: Quis credat Athenienses, quanta pericula vestri præconij causa subeam? Cæterùm hoc prodidit Onesicritus. Ipse author est ratibus relictis Macedonas sub armis eluuiem illam superasse pertingente ad pectus vnda. Amne traiecto viginti stadia se ante peditatum prouectum, si hostis confligeret secum equitatu, multò se ratum superiorem fore: sin moueret peditatum, maturè peditatum suum se consecuturum. Euenisse alterum. nam fudisse se mille equites & currus sexaginta, qui secum fuerant congressi. currus cepisse omnes, ex equitibus quadringentos occidisse. Ita aduertente Poro ipsum transmisisse Alexandrum, cum omnibus copijs se intulisse, non pluribus ibi relictis, quàm qui transitum impedirent Macedonum. Beluarum & hostium multitudinis metu in alterum cornu inuectum se, cæteros immisisse omnes in dexterum. Vtroq; auerso cornu eos, qui premebantur globo facto ad bestias semper se recepisse. Inde promiscuè pugnatum, & vix octaua hora hostes terga dedisse. Hæc ipse prælij author recensuit in epistolis.

Alexandri gesta contra Porũ regem.

Hydaspes fluuius.

Porũ plerique scriptores cõsentiunt quatuor cubitos palmo excedentem, ob corporis eminentiam & molem elephanto, quantumvis fuerit grandis, equitis portione respondisse.

Pori statura.

Mirificam solertiam hæc belua demonstrauit & solicitudinem pro rege. qui eum adhuc valentem adorientes animosè excepit

Elephantis mira solertia, &

&

ergа dominum ſolicitudo.

& reiecit. Vt verò telorum & vulnerum vi ſenſit confectum: veritus ne deflueret, genibus leniter humi demiſit ſe, & promuſcide ſingula iacula ſenſim ex corpore eius euulſit. Vt captum Alexander Porum rogauit, quî de ipſo cõſuleret? Regaliter, reſpondit. Adijciente Alexandro, nihil' ne aliud vellet? Omnia, inquit, verbum Regaliter, complectitur. Igitur nõ modò ei priſtinum regnum ſub ſatrapæ nomine reſtituit: verùm etiam adfecit liberorum ibi populorum, quos ſubegit, regionem: in qua nationes quindecim, vrbium non mediocrium quinq; millia, & vicos quàm plurimos memorant fuiſſe. Aliam domuit ter tantam. cuius Philippo vni ex cohorte amicorum præfecturam dedit.

Bucephale, qui & Bucephalus dicitur, mors: et vrbs ab eo Bucephalia dicta.

Peritas, canis Alexandri.

Ex prælio cum Poro commiſſo Bucephalas mortuus eſt, non extemplò, ſed pòſt, vt pleriq; produnt, ſub vulnerum curatione: vt Oneſicritus eſt author, ob ſeniũ labore confectus. Nam triginta annorum ætate ait eum deceſsiſſe. Mortem eius tulit Alexander grauiter, non aliter exiſtimans, quàm ſi familiarem & amicum amiſiſſet. In memoriam eius ſuper Hydaſpem condidit vrbem, quam appellauit Bucephaliam. Ferunt canem quoq; eum Peritam nomine alitum ab ipſo atq; in delicijs habitum amiſiſſe, vrbemq; erexiſſe ei cognominem. Id Sotion de Potamone ſe Lesbio narrat audiuiſſe.

Ganges fluuius.

Gandaritæ & Præſij, populi.

At Macedonas illa cum Poro pugna reddidit ſegniores repreſsitq;, ne peterent vlteriorẽ Indiam. Cùm enim ægrè pepuliſſent illum, qui viginti millia peditum & duo millia equitum in aciem adduxerat: obnixè reluctati Alexandro ſunt ſuperare contendenti etiam amnem Gangem. cuius accipiebant latitudinem duorum & triginta ſtadiorum eſſe, & vlnarum centum profunditatem: ripas vlteriores peditum, equitum, elephantorũ agminibus coopertas. ſiquidem fama tenebat octoginta equitum millibus, ducentis peditũ, curruum octo & elephantorum bellatorum ſex millibus munitos Gandaritarum & Præſiorum reges ibi eum operiri. neq; ea vanè iactata. Androcottus enim, qui non multo pòſt regnauit, elephantos Seleuco quingẽtos dono dedit, & ſexenis millibus militum Indiam peragrans, omnem redegit in poteſtatem. Hic primùm animi mœrore & ira tabernaculo incluſus abiecit ſe in terram, pœnitebatq; eum rerum perpetratarum, niſi Gangem ſuperaret, & pro confeſsione victum ſe eſſe habebat reditum. At vbi amici eum, prout res erat, ſuadentes aſsiſtentesq; foribus cum planctu & ſtrepitu milites ſupplices orauerunt:

Alexandri reditus ex India.

Androcottus rex.

infractus parauit ſe ad reditum, multaq; fucata & commentitia eſt machinatus. quippe grandiora arma & equorum præſepia frænaq; fabricatus ponderoſiora reliquit & diſſeminauit. Poſuit præterea deorum aras: quas hac quoq; memoria Præſiorum reges traiecto flumine venerantur, immolantq; hoſtias ibi Græco ritu. Androcottus id temporis adoleſcens ipſum Alexandrum vidit, ferturq; ſæpè poſtea dixiſſe: Nihil factum fuiſſe propius, quàm vt rerum illic Alexander potitus fuiſſet: quòd rex ob improbitatem & ignobilitatem inuiſus atq; contemptus eſſet. Inde pergens Alexander ad contemplandum Oceanum, frequentes naues actuarias & rates parat, ijsq; ſecundo flumine per ocium defertur. Non fuit inanis ea nauigatio tamen neq; belli exors.

Alexandri periculum apud Mallos.

† Timæus, eſt apud Curtium.

Nam deſcẽſionibus faciendis vrbibusq; oppugnandis omnia redegit in poteſtatem. In Mallis verò, quos Indorum perhibent bellicoſiſsimos fuiſſe, penè conciſus eſt. Ciues enim telis à muris reiecit, poſitisq; ſcalis in murum euaſit primus. quæ vbi imminutæ ſunt, atque à barbaris infrà ſtantibus iuxta murum multa tela ingeſta paucis comitato: librato corpore in medios ſaltu ſe immiſit hoſtes, & forte fortuna ſe pedibus excepit. Cuius vibrantibus armis iubar aliquod & ſpectrũ barbaris videbatur pro corpore eius obuerſari. Vnde primùm in fugam effuſi ſunt. Cæterùm vt duobus tantùm comitatum armigeris conſpexere: impreſsione facta alij cominus gladijs lanceisq; traiecerunt arma eius, pugnantemq; fortiter conuulnerauerunt. Vnus paulo remotior ſagittam arcu excuſsit tanta vi & impetu, vt adacta per loricam in coſtas eius ſecundum mammam defigeretur. Ad ictũ remittente Alexandro & inclinante corpus ille, qui miſerat ſagittam, enſe diſtricto barbarico accurrit. Aſsiſtebant ei Peuceſtas & † Limnæus: qui vulnerati ambo, alter cécidit, Peuceſtas reſtitit. Barbarum Alexander obtruncauit. Multis confixus vulneribus, tandemq; ictus piſtillo in collo corpus mœnibus applicuit directa in hoſtes acie. Interea circunfundentibus ſe Macedonibus abreptus, ſemianimisq; iam in tabernaculum eſt relatus, ac mox regem vulgatum eſt in caſtris expiraſſe. Ingenti difficultate ac labore ſagittam, quæ lignea erat, abſcindunt. Tum detracto tandem thorace accingunt ſe ad euellẽdum ſpiculum, quod vni oſsi erat infixum. Dicitur tres digitos latum fuiſſe, longum quatuor. Vnde animo identidem linquente penè exanimis, exempto eo tamen recepit ſe. Cùm ex periculo emerſiſſet, eſſet tamen adhuc imbecillis, diuq; in victus ratione & cura hære-

ret:

ret: vbi tumultuantes videndi sui desiderio Macedonas animaduertit, sumpto pallio prodijt: & cùm dijs sacra fecisset, iterum conscendit naues. In transitu latum tractum vrbesq; amplas domuit. Ex Gymnosophistis, qui præcipuè Sabbam ad defectionem impulerant, & plurimum fatigauerant Macedonas, decem acres ad respondendum & contractos habitos, cepit. His quæstiones obscuras posuit, necem denuncians primo, qui parum rectè respondisset, inde ordine reliquis. Vnum natu maximũ dedit iudicẽ. Primus interrogatus, viuos ne plures esse, an mortuos censeret? Viuos ait. neque enim iam esse eos, qui mortui sunt. Secundus, terram an pelagus grãdiores gignere beluas? Terram, quippe huius, inquit, pelagus portio est. Tertius, quod animal callidisimũ esset? Quod hactenus, inquit, homo non cognouit. Quartus requisitus, quamobrem Sabbam ad rebellionem concitasset? responsum dedit, quò honestè viueret, aut malè periret. Quintus rogatus, diem an noctem putaret fuisse priorem? diem ait, vno die. Adiecit autem, cùm id rex admiraretur, implicatarum interrogationum necesse esse, vt essent implicatæ responsiones. Ita progrediens sextum percunctatus est, quemadmodum quis maximè se efficiat charum? Si potentisimus, inquit ille, nec formidabilis esset. Ex reliquis alius rogatus, quemadmodum ex mortali quis deus euadat? Si quid fecerit, inquit, quod facere denegatum sit homini. Alius de vita & morte, vtra valentior? respondit vitam tam multa tolerantem mala. Postremus, quatenus hominem viuere deceat? Eatenus, dum mori quàm viuere non censeat præstare. Ita tandem versus ad iudicẽ pronunciare eum iussit sententiam. qui cùm alium alio dixisset segniùs respondisse: Ergo tu, inquit, primus moriere, qui ita decernis. Minimè verò rex, inquit ille: nisi tu mentiaris. qui primum dixisti interfecturum te illum, qui pessimè respondisset. Hos igitur muneribus honoratos dimisit. Ad eos verò, qui erant clarissimi, solitariam autem quietamq; vitam agebant, Onesicritum misit petitum, ad se vt venirent. Fuit Onesicritus philosophus ex Diogenis Cynici contubernio. Aiunt Calanum sanequàm superbè & asperè iussisse ei; vt posita veste audiret se nudus: alioqui non cõgressurũ cum eo se, ne si à Ioue missus esset quidẽ: Dandamim egisse placidiùs: ac de Socrate, Pythagora, Diogene cùm audiuisset, dixisse magno ingenio sibi eos viros videri fuisse, sed nimiùm reuerentes legum. Alij Dandamim nihil memorant nisi solum hoc quæsisse: Qua de causa Alexãder eò venisset tam immenso itinere? Calanum tamen, vt ad Alexandrum proficisceretur, Taxiles induxit. Sphines vocabatur. Sed quòd sermone Indico cale pro salue salutans obuios compellaret, Calanus est à Græcis nominatus. Hunc referũt exemplum imperij sui Alexandro ob oculos posuisse. Corium in medium coniecit siccum & retorridum, cuius oram calcauit. Id vno loco pressum cæteris partibus extulit se. Idem circulans vndiq; & pedibus stringẽs in quaq; parte ostendit euenire: quoad medium pedibus occupauit, tũc omnes partes quieuere. Ea imagine significauit media regni maximè premenda, neq; procul ab ijs vagandum Alexandro esse. Descensus Alexandri per flumina ad Oceanum septem mensium spacium absumpsit. Vt verò classe ad Oceanum penetrauit, accessit ad insulã, quam ipse Scillustin, Psiltucin alij appellauere. Ibi excensione facta sacrificauit: pelagiq; & oræ marinę, quatenus assequi valuit, indolem collustrauit. Inde precatus, ne quis post se mortalium expeditionis suæ transcenderet terminos, regressus est. Naues circumuehi iussit relicta ad dexteram India. Classi pręfecit Nearchum, magistrum gubernatorum Onesicritum creauit. Ipse pedestri itinere per Oritas pergens in extremam inopiam recidit, multosq; mortales amisit: vt militarium copiarum ne quartam quidem partem reduceret ex India, cùm peditum essent centum viginti millia, equitum ad quindecim millia. Adhæc graues morbi, prauus victus, feruores torridi, plurimos fames absumpsere: dum regionem peragrãt incultam hominum duram vitam agentium. qui paucas & viles habebant oues marinis piscibus assuetas vesci, atq; hinc praua carne & putida præditas. Hanc tandem diebus sexaginta emensus Gedrosiã attigit. Ibi in rerum omnium egit affluentia, quòd proximi satrapæ & reges de omnibus prouidissent. Igitur refecto hîc exercitu incessit commessabundus diebus septem per Carmaniam. Illum equi octo composito gradu vehebant cum amicis super pulpitum in edito & conspicuo tabulato erectum quadrato conuiuijs noctem diebus continuantem. Sequebantur currus frequentes partim purpureis & picturatis tapetibus, partim arborum semper recẽtium & virentium inumbrati ramis. quibus alij vehebantur amici & duces eius coronati potantes'que. Videres non cetram, non galeam, non sarissam: sed phialis, pateris, calicibus Tericlijs milites toto itinere ex grandibus dolijs & crateris haurientes pręblbebant

Gymnosophistæ, Indiæ philosophi: quibus Alexãder quæstiones decẽ soluendas ponit.

Alexander Gymnosophistas captos, cum muneribus dimittit.

Onesicritus.

Calanus.

Dandamis.

Regni imago in corio demonstrata.

Psiltucis insula.

Alexandri classis in Oceano.

Oritæ populi.

Alexandri exercitus calamitas.

Gedrosia regio.

Alexandri commessationes in Carmania.

Alexandri militum luxus.

inter se, alij simul inter pergendum & progrediendum, alij recumbentes. Circunsonabant omnia loca fistulis, tibijs, carminibus, cantilenis, bacchabundis mulieribus. Tam incomposito & incondito itinere comitabantur pocula bacchabundæ licentiæ ludus quasi ipso præsente Baccho & commessationis duce. Postquàm in regiam Gedrosiæ venit: relaxauit de integro exercitum tempestiuis conuiuijs. Ferunt temulentum chororum ludos spectasse, amasium eius Bagoam choragum palmam obtinuisse, exornatumq; medio theatro transisse & ad latus eius consedisse: Macedonas, cùm id viderent, plaudentes vt osculum ei ferret conclamasse, quoad illum complexus & dissuauiatus sit. Huc rediit ad eū Nearchus, lætusq; ille intellecta nauigatione instituit ipse magna classe deuectus Euphrate Arabiam & Africam ambire, atque per columnas Herculis in mare mediterraneum decurrere. Omnis generis nauigia apud Thapsacum parabantur, nauticiq; & gubernatores conquirebantur vndique. At fama duræ illius in superioribus prouincijs expeditionis oppugnationisq; Mallorum atq; ingentis stragis exercitus ex diffidentia illius salutis concitauit pacatos ad defectionem: ducibusq; & satrapis magnę exercendæ violentiæ, auaritiæ, & flagitiorum dedit occasionem. Breui fluctus & seditio omnes peruasit. Quando etiam Olympias & Cleopatra contra Antipatrum tumultuantes prouinciam eius partitæ sunt: Olympias Epirum, Macedoniam Cleopatra sumpsit. qua re ad Alexandrum perlata rectiùs dixit matrem suam consuluisse. neque enim regnum Macedonas fuisse fœminæ toleraturos. vnde Nearchum extemplò ad mare misit, statuitq; oram maritimam armis omnem implere. In progrediendo sumpsit de ducibus, qui deliquerant, supplicium. Vnum ipse ex Abulitis filijs Oxiartem interfecit. quem hasta transuerberauit. Abuliti, qui nihil præparauerat cômeatus, tantùm argenti signati tria millia talentûm attulit, equis obijcere iussit pecuniam. quibus eam non gustantibus: Quò igitur nobis, inquit, hic paratus? Ita Abulitem in vincula compegit. In Perside nummos primùm fœminis donauit: vt moris erat regibus, quoties inirent Persidem, singulis aureum largiri. Itaque aliquos referunt non crebrò, Ochum verò ne semel quidem ob sordes Persas inuisisse, exiliumq; sibi patriæ indixisse. Hinc cùm Cyri conditorium apertum comperisset: interfecit authorem, quamvis Pellæus esset non ex obscurissimis, qui id admiserat, Polymachus nomine. Titulū cùm legisset, iussit Græcis quoq; literis infrà incidi. Is fuit huiuscemodi: Quisquis es homo, & vndecunq; venisti (nam venturum noui ego) Cyrus sum, Persis qui quæsiui imperium. Ne inuideas mihi oro te exiguam hanc humum, quæ corpus tegit meum. Hæc Alexandrum vehementer permouere reputantem rerum incertitudinem & vicißitudinem. Eadem tempestate Calanus, cùm nō diu alui fluore laborasset, rogum postulauit sibi strui. ad quem postquam est equo delatus, deos precatus libamina sibi ipse infudit, capillisq; suis rem diuinam fecit. Inde rogum conscendens asßistentes Macedonas complexus est, rogauitq;, lætum vt illum diem transigerent, & cum rege perpotarent. Illum ipsum breui ait Babylone se reuisurum. Ita fatus decubuit operuitq; se, neque se appropinquante igne mouit: sed quo composuerat se habitu, eum conseruans veteri illorum sophistarum more semet ipse immolauit. Hoc multis annis pòst alius Indus Athenis ex comitatu Cæsaris imitatus est. cuius visitur hac quoque ætate monumentum Indi appellatum. Regressus à rogo Alexander frequentibus amicis & præfectis ad cœnam inuitatis certamē & præmium proposuit potandi meri. Qui plurimum hausit, Promachus ad quatuor congios progressus est, relatoq; pro victoriæ pretio talento triduum superstes fuit. Ex cæteris, vt Chares author est, vnus & quadraginta ex vinolentia exanimati, cùm excepisset ingens gelu crapulam. Nuptias amicorum Susis celebrauit. atque ipse Darij filiam duxit vxorem Statiram. Clarißimas clarißimis iunxit, ac commune Macedonum, qui iam antè contraxerant connubia, celebrauit splendidè epulū nuptiale. in quo memorant cuiq; conuiuarum, quorum fuerit nouem millium numerus, auream phialam ad libandū donatam. Iam fuit cùm in cæteris mirificè largus, tum æs alienum exercitus creditoribus de suo dissoluit. Eius impensæ vniuersæ summa centum & triginta minus ad decem millia talentûm peruenit. Antigenes autem Luscus obæratum simulans se falsò nomen dederat, adductoq; certo ad mensam, qui affirmauit se ei dedisse mutuò, repræsentauit ei pecuniam. Eo postea mendacij comperto exarsit rex, summouitq; eum aula, atq; præfecturam ademit. Fuit bello bonus Antigenes, ac iuuenis etiamnum, cùm obsideret Philippus Perinthum, intorto ex catapulta in oculum suum telo non paruit eximere telum volentibus, neque pugnam remisit prius, quàm vrgens pepulisset atque intra muros

Prouinciarū ab Alexandro defectio.

Polymachi cædes.

Sepulchri Cyri titulus.

Calanus in rogo volens, et viuus crematur.

Bibendi certamen ab Alexandro propositū.

Macedonum nuptiæ cum Persidibus.

Alexāder æs alienum militum dissoluit.

Antigenes Luscus.

ros redegisset hostes. Non modicè ergo tulit in præsentia ignominiam: verùm præ se tulit dolore & mœrore manus sibi ipsum allaturum. Id timens Alexāder, iram deposuit, & ipsum pecuniam eam iussit habere.

Triginta millia puerorum in Perside Alexander institui iussit.

Triginta millia puerorum, quos exercendos & instituendos reliquerat, virili corpore inuenit & specie decora. Dederunt insuper illi miræ dexteritatis & agilitatis documenta. Ea re læto rege, angor Macedonas & metus incessit minus regem ipsis addictum fore. Quapropter cùm debiles & inutiles remitteret ille domum: contumeliam dictitauerunt eam & suggillationem esse: quòd quibus hominibus abusus ad omnia fuerat, eos ignominiosè tunc in patriam & ad parentes detruderet, non eo quo acceperat eos statu. Igitur missionem omnes flagitare conclamareq́; omnes Macedonas pro inutilibus haberet, solos iuuenes hos retineret saltatores, quibuscum orbem terræ iret subiugatum. Inde concitatus Alexander frendensq́; multis conuitijs hos proscidit, eisq́; amoris corporis sui custodiam tradidit Persis, atque ex his satellites apparitoresq́; delegit. A' quibus cùm cernerent illum stipari, se verò reijci ignominiosè: conciderunt animis. ac collocuti inter se deprehenderunt se ipsi ex æmulatione & indignatione penè insanire. Postremò ad se reuersi perrexerunt ad regis tabernaculum inermes & tunicati cum clamore & plangore offerentes semet ipsi petentesq́;, vteretur ipsis quasi improbis & ingratis. Ille verò quamvis iam placatior non admisit eos. Non abscesserūt illi: sed duos dies & noctes ita pro tabernaculo eius lamentātes dominumq́; appellantes perdurauere.

Alexandri in suos milites Macedonas clementia, & liberalitas.

Tertio die prodijt: ac cùm lamentabiles abiectosq́; vidisset: in lachrymas longo spacio est effusus. Inde modicè castigauit eos, tum appellauit humaniter, ac dimisit inutiles, vbi eos magnificè donauit. Scripsit insuper ad Antipatrū, vt omnibus in ludis & spectaculis primum locum tenerent, & coronati ibi considerent. Demortuorum liberis orbis stipendia parentum attribuit. Postquàm Ecbatana Mediæ venit: rebus compositis necessarijs retulit se ad spectacula & tempestiua conuiuia: quòd tria millia artificum ad eum ex Græcia venissent.

Ephestionis mors.

Sub idem tempus Ephestion febre correptus est. Vt iuuenis & militaris exactoris impatiens victus, dum medicus Glaucus ad spectaculum abijt, prādium sumpsit: adesoq́; gallo gallinaceo asso, atq; epoto ingenti vini frigefacti cratere malè habuit, pauloq́; post decessit.

Alexandri mœror ob mortem Ephestionis.

Ephestion pro Deo cultus.

Hunc casum tulit parum sapienter Alexander: sed confestim equos omnes mulosq́; tonderi lugubriter iussit, circumiectorum oppidorum pinnas detraxit, miserum medicum egit in crucem, tibias musicamq́; perdiu in castris compescuit: quoad ab Ammone allatum oraculum est, vt Ephestionem colerent pro deo, eiq; sacrificarent.

Cussæorum gēs ab Alexandro excisa: vt Ephestioni parentaret.

Ad luctus eleuationem bellū adhibuit, ac sicut ad venationem hominum egressus Cussæorum gentem excîdit, omnemq́; ad internecionem deleuit. Ea Ephestionis parentatio dicta.

** Staficrates artifex prodigiosus: quē Vitruuius Dinocratē appellare videtur præf. lib. 2.*

In tumbam & monumentum eius atq; in hæc exornanda decem millia talentûm intendens expendere, operisq́; præstantia & exquisita arte superare sumptum, desiderauit præter omnes artifices * Staficratem: qui proiectam granditatem & magnificētiam in nouis rebus edendis promittebat. quippe hic antea iactauerat apud eum in colloquio, ex montibus Thraciū Athon configurari & cōformari ad hominis effigiem posse. Itaq; si vellet, simulachrum se ei ex Atho effecturum æternum & amplissimum: quod sinistra teneret frequentem mille capitibus vrbem, dextra fundentem largam fluminis vndam in mare decurrentis. verùm hoc repudiauit. At tunc de multo absurdioribus sumptuosioribusq́; quotidiè agebat cum artificibus commentandis & machinandis. Babylonem pergenti Nearchus, qui ab Oceano Euphratem inuectus reuerterat, refert conuenisse se certos Chaldæos: qui monebāt, Babylone vt abstineret. Nihil motus tamen progressus est.

Præsagia mortis Alexandri.

Postquàm peruenit ad muros vrbis: coruorum examen vidit certantium & se mutuò cædentium. quorum aliquot iuxta ipsum sunt delapsi. Inde delato ad eum indicio præfectum Babylonis Apollodorum de ipso exta consuluisse, aruspicem Pythagoram acciuit. Non inficiantem factum rogauit, quid deprehēdisset in hostia? qui vbi respōdit trunca exta fuisse: Papæ, inquit, fœdum prodigium. Nec Pythagoram violauit. verùm pœnituit eum, quòd fidem non adhibuisset Nearcho. ac ferè extra muros Babylonios diuertit, circumuectusq́; est animi causa Euphrate. Terrebant autem eum multa prodigia. Leonem grandissimum & speciosissimum eorū, qui ibi alebantur, domesticus asinus adortus calce interfecit. Depositis vestibus vnctus pila ludebat. Ibi iuuenes, qui pila luserant, vbi resumenda erant pallia, hominem contemplantur tacitum in solio sedentem, diademate & amictu regio ornatum. Hic in quæstione interrogatus, qui esset? diu non reddidit vocem. Vix tandem, cùm ad se redisset, Dionysium ait dici se, esse Messenium genere, certis autem cri-

minibus accusatum atque eò à mari ductum lōgo spacio in vinculis fuisse: modò Serapim astitisse sibi, vinculisque exemptum eò deduxisse atque imperauisse: vt veste regia sumpta & diademate silentiò consideret. His Alexander auditis illum ex vatum consilio sustulit de medio. Cæterùm animo ipse anxio atque erga deos diffidenti iam euasit, aduersus amicos verò suspicioso. Antipatrum imprimis formidabat eiusque filios. ex quibus Iolas princeps pincerna erat, Cassander nuper aduenerat. qui cùm barbaros venerabundos illum salutantes conspexisset, vir in libertate enutritus Græca, atque huiuscemodi spectaculi hactenus insolens in cachinnum est effusus. Ea re exarsit ita Alexander, vt arreptum crinibus caput eius ambabus manibus vehementer contuderit ad parietē. Aliàs respondere Antipatri accusatoribus aliquid parantem interpellans Cassandrum: Quid ais, inquit, tam longa via homines nihil læsos tantùm ad calumniandū venisse? Cùm respondisset Cassander, esse id ipsum calumniæ indicium: quòd procul probationibus venissent: cachinnans Alexander: Hæc illa, inquit, commenta Aristotelis sunt in vtramque partem dicendi, pœnam luetis, si parum eos conuincemini læsisse. Breui ingentem terrorē aiunt Cassandri animum subisse & pertinaciter insedisse: vsque adeo vt insecutis temporibus regnum Macedoniæ obtinens, & Græciæ potiens, cùm Delpis inambularet contemplareturque statuas, simulachro conspecto Alexandri, subito horrore toto cōtremueritcorpore, & ad illius imaginis conspectum æstuans ægrè colligeret se. Alexander igitur postquàm semel religione obstrictus est, tumultuante & trepidante animo præditus, nulla res insolita & aliena tam oblata exigua est, quam nō verteret in prodigium & ostentum: sed sacrificantium, expiantium, & vaticinantium erat regia referta. Adeo res est horrenda incredulitas & contemptio deorum, horrenda item superstitio, quæ aquæ modo vergit ad demissa, impletque absurdis opinionibus & metu mortales, vt tunc Alexandrum. At ille oraculis de Ephestione à deo allatis luctum deposuit, iterumque ad sacrificia & pocula se conuertit. Ac cùm splendido conuiuio excepisset Nearchum, atque inde lotus de more suo esset iturus cubitum, ad obnixè rogantem Medium iuit comessatum. Apud hunc cùm diem insequentem totum perpotasset, febre est tentatus. Non exhausit † Herculis scyphum, neque repente spinæ dolore veluti hasta confixus ingemuit. Sed hæc putauerunt quidam scribenda, quasi magnæ fabulæ tragicum exodium & lamentabile fingentes. Aristobulus narrat eum cùm delirio ex febre teneretur, atque ingenti cruciaretur siti, vinum potasse: hinc in phrenesim incidisse, atque trigesimo mensis Dæsij die decessisse. In diarijs ad hunc modum de morbo eius scriptum est: Octauo decimo die mensis Dæsij in balneo febris causa cubauit. Postero die lotus conrulit se in cubiculum, eum'que diem aleæ ludo cum Medio transegit. Inde vesperi lotus & sacris operatus cibum sumpsit auidiùs. Hinc nocte febre afflictus est. Die vigesimo lotus solenne sacrum iterum peregit, decumbens'que in balneo Nearcho vacauit nauigationem suam, & quid vidisset in Oceano, exponenti. Vigesimo primo cùm idem fecisset, aggrauauit febris, noctem'que egit grauem, ac postridie est acri febre tentatus, translatus'que decubuit iuxta magnum natatorium. Eodem tempore cum ducibus egit, quemadmodum ordinibus vacuis præficerent spectatos. Vigesimo quarto ingrauescente vi morbi sacris operatus est: ad quæ est deportatus, ac præcipuos duces in aula iussit commorari, centuriones & tribunos excubare pro foribus. Delatus in vlteriorem regiam vigesimo quinto die paulisper quieuit, febris non remisit. Cùm adissent eum duces, iam vocem amiserat. Pari modo vigesimo sexto egit. Vnde Macedones mortuum rati ad fores magno strepitu accesserunt, minis'que amicos regis coegerunt, vt admitterentur: ac foribus apertis tunicati ad vnum omnes præter lectum eius transierunt. Eodem die Python & Seleucus ad templum Serapis missi consuluerunt deum, an deportarent eò Alexandrum? Deus, ne eum mouerent loco, respondit. Vigesimo octauo sub vesperam expirauit. Hæc ferè in diarijs ita perscripta ad verbum sunt. Veneni extemplò suspicionem nemo habuit. Sexto demum anno autumant indicio delato Olympiada multos necasse, ossa etiam proiecisse mortui Iolæ, quasi venenum hic miscuisset. Qui verò authorem Aristotelem huius facinoris perhibent Antipatro fuisse, atque omnino per illum allatum virus: hi Agnothemim quendam, qui id ex Antigono rege audisset, narrasse referunt. Venenum aquam frigidam fuisse & instar glaciei gelidam, quæ Nonacride ex petra quadam resudet: Eam sicut tenuem rorem excipientes asini vngula reponere. nullo enim vase ferri alio posse: verùm erodere rigore suo & acrimonia omnia. Maxima pars tamen eam

Alexander Antipatrum metuit.

Aristotelis commenta, irridet Alexander.

Cassander quantum Alexandrū timuerit.

Deorum cōtemptio & superstitio, res horrēda.

Alexander in febrem incidit.

† Herculis scyphus, cui fortè tanquam generis sui authori libare consueuerat.

Alexādri mors.

Aristoteles notatus veneficij in Alexādrum.

veneni

veneni fabulam prorsus existimant commentitiam, habentque argumentum non leue: quòd dissentientibus per multos dies ducibus co pus, cùm locis feruidis & æstuosis iacuisset nō curatum, eiuscemodi veneni nullum vestigium præ se tulerit: verùm sine liuore & tabe permanserit recens. Roxane prægnans erat: atq; ideo cùm à Macedonibus coleretur, Statiram autem æmularetur: literis circumuentam commentitijs euocauit, quam, vt venit, cum sorore necauit, ac cadauera earum in puteum præcipitauit, terramq; ingessit, conscio & adiutore Perdicca. Ille enim mox in summa fuit potestate Aridæo velut regni vmbra stipatus. Natus hic ex obscura fuit muliere & vulgante corpus Philine, neq; mentis compos ex corporis vitio non natiuo neq; spontaneo. imo verò perspicuè ferunt in puero eluxisse festiuam indolem nec ignauā: pòst tamen, cùm medicamentis fuisset ab Olympiade vitiatus, mente debilitatum fuisse.

Statira à Roxane necatur.

Aridæus Alexandri frater.

C. Cæsar.



ORNELIAM Cinnæ, qui Romæ rerum potitus est, filiam postquàm victor Sylla neq; spe neq; metu perpellere Cæsarē valuit vt dimitteret, publicauit dotem eius. Causa inimicitiæ in Syllam Cæsari necessitudo Marij erat. Iuliam enim Cæsaris amitam Marius Maior in matrimonio habuit, ex qua Marius Iunior natus est Cæsaris consobrinus. Vt autem initiò ob eorum, qui interficiebantur, multitudinem & occupationes est à Sylla neglectus, non acquieuit: sed ad petitionem sacerdotij penè impubes venit in campum. Cæterùm huius repulsam aduersante clàm ei Sylla tulit. qui cùm de necando eo deliberaret, & ostenderent nonnulli nihil esse causæ, cur tantulū puerum trucidaret: Nihil mentis dixit eos habere, si non ei puero multos viderent Marios inesse. Hac voce ad Cæsarē perlata longo tempore palans in Sabinis abdidit se. Inde dum valetudinis causa aliam in domum transfertur: incidit in Syllanos milites, qui illa loca scrutabantur comprehendebantq;, si qui delitescerent. quorum ducem Cornelium duodecim millium denariorum mercede induxit, vt dimitteretur: ac conscensa protinus naui in Bithyniam ad regem Nicomedem est profectus. Apud quem cùm non diu desedisset: decedens in pelago ad Pharmacusam insulam capitur à piratis. qui magnis iam classibus multisq; nauigijs mare infestum habebant. Hos Cæsar primùm postulantes pro ipsius redemptione viginti talenta derisit, quasi ignaros, quem tenerent. Ipse quinquaginta daturū se pollicitus est. Inde comitibus suis alio ad aliam vrbem expediēdæ pecuniæ gratia dimissis, inter homines immanissimos Cilicas cum vno amico & duobus seruis relictus adeo eos despexit: vt quoties quiescebat, misso aliquo indiceret illis silentium. Dies duodequadraginta, quasi non custodiretur, sed stiparetur ab eis, vnà ludebat & se exercebat. Iam carmina & orationes scribebat, eaq; in circulo eorum pronunciabat. Si qui non admirarentur ea, hos palàm inertes appellabat & barbaros. Frequēter per iocum suspensurum eos se minabatur. Placebat id illis, simplicitati eius & ætati hanc linguæ libertatem ascribentes. Vt allata Mileto pecunia, qua redimeretur, & numerata missus est: compleuit confestim naues, atq; ex Milesiorū portu ad persequendos prædones soluit: occupansq; ad illam insulam adhuc stantes plerosq; in potestatem redegit. quorum pecuniā in prædam vertit, ipsos Pergami dedit in custodiam: atq; ad Iunium, qui cum imperio Asiam obtinebat, profectus est: quòd illius vt prætoris esset de captiuis supplicium sumere. qui cùm nummis eorum oculos adiecisset (neque enim pauca summa erat) & de captiuis consideraturum se diceret per ocium: salute Cæsar prætori dicta Pergamum contendit, sustulitq; in crucem piratas omnes, sicut per speciē ioci crebrò in insula illis prædixerat. Interea languescente iam Syllæ potentia, & necessarijs eum domum reuocantibus Rhodum nauigauit ad Apollonium Molonis, cuius etiam Cicero auditor erat qui scholam aperuerat insignem, apparebatq; virum probum esse. Dicitur & ad vrbanam facundiam optimè fuisse comparatus, ingeniumq; excoluisse sedulò, secundas vt citra controuersiā ferret: primas verò in ea, vt potentia potius & armis esset primus, reliquisse alijs: neque eam, quò ducebat eum natura, vim dicendi, quò expeditionibus & tractandæ reipubl.

Cæsaris coniunctio cum Cinna & Mario.

Cæsar ad Nicomedem proficiscitur.

Cæsar captus à piratis.

Cæsar piratas persequitur, & capit.

Cæsaris eloquentia.

vacaret, quibus artibus imperium quæsiuit, est assecutus. Ac postmodum in oratione, qua Ciceronis Catoni respondet, deprecatur: nequis hominis militaris dictionem cum oratoris solertis multumq; ea in re ocij ponentis contendat eloquentia.

Cæsar Dolobellam accusat.

Cæsar P. Antonium accusat.

Ad vrbem reuersus postulauit Dolobellam repetundarum, ciuitatesq; Græciæ frequentes testimonium ei dixere, verùm absolutus Dolobella est. Cæsar autem ad pensandum Græcorū studium, patrocinium eorum, cùm P. Antonium apud M. Lucullum Macedoniæ prætorem captæ pecuniæ accusarent, suscepit: tantumq; effecit, vt ad tribunos plebis Antonius prouocaret, allegans non æquo iure in Græcia se cum Græcis contendere. Romæ verò multa orationis eius in defensionibus effulsit venustas, multam etiam ex comitate in salutationibus & congressibus, quòd supra ætatem blandus esset, fauorem assecutus est ad populum. Adhæc cœnarum & mensæ & in summa reliquo vitæ splendore colligebat paulatim in republ. opes. quas inuidi eius breui existimantes deficientibus sumptibus euanidas fore, securi inclarescere illum in republ. permisere: serò autem, vbi euasissent iam ingentes & præualidę, atq; apertè in rerum mutationem tenderent eas erumperc: animaduerterunt nullū censendū esse rei alicuius paruū exordium, quod non ilicò grande reddat continuatio: quodq; ex eo, quòd cōtemnatur, assequitur ne impediatur.

Ciceronis de Cæsaris ingenio iudicium.

Itaq; ille, qui primus suspectam habuisse videtur & timuisse eius in republ. gerenda sicut in mari serenitatem, & latentem sub humanitate blanditiaq; considerauit acrimoniam, Cicero dicebat in alijs eius cœptis & actionibus considerare se omnibus ingenium tyrannicum. sed cùm comam eius, inquit, ita videam compositam accuratè, ipsumq; vno digito caput scabentem: contrà non videtur iste mihi tantum mali animo concepturus, vt Romanā remp. euertat. Cæterùm hæc pòst.

Populi Romani in Cæsarem fauor.

Primū fauoris erga se populi cepit documentū, cùm tribunus militum competitore C. Popilio prior est renunciatus: alterum & clarius, cùm Marij vxorem Iuliam amitam suam defunctam eximiè laudauit in foro, atq; in funere ausus est præferre Marij imagines, quæ tum primùm post Syllæ dominatum sunt conspectæ, cùm esset hostis ille iudicatus. Nam cùm quidam idcirco obstreperent Cæsari, populus clamorē ex aduerso reddidit, & magno plausu eum excepit, probauitq; quòd quasi ab inferis tanto interuallo honores Marij reduceret in vrbem. In honorem quidem magnarum natu fœminarum orationes funebres habere, id moris erat Romani: in adolescentiorum verò funeribus cùm moris non esset, princeps Cęsar vxorē suam defunctam laudauit. qua re fauorem meruit, beneuolentiamq; sibi plebis conciliauit hac pietate, vt quasi placidū virū & mollis ingenij exoscularentur eum.

Cæsaris quæstura.

Iustis vxori solutis quæstor in Hispaniā profectus est cum vno prætore vetere: quē & ipsum semper obseruauit, & filiū eius fecit vicissim, cùm in prouinciā, pficisceretur prætor, quæstorē. Eom unere defunctus tertiā vxorē duxit Pompeiam, cùm haberet ex Cornelia filiā, quam pòst Pompeio Magno despondit. Quòd aūt profusus sumptib. esset, tēporariaq; & breui videretur gloria immēsas impensas cōmutare, cùm reuera maxima exiguo redimeret pretio: dicitur prius, q̃ esset vllū magistratum adeptus, ad trecenties duodecies HS. habuisse æris alieni.

Cæsaris æs alienum.

Cæsaris profusio.

Postq; verò viæ Appiæ curator designatus plurimū de suo in id muneris impendit, & in ædilitate gladiatorū paria viginti & trecēta dedit: sumptibusq; alijs & profusionibus in ludos, pompas, epulas omniū priorū superauit munificentiā: vsqueadeo mouit populū: vt nouos magistratus, nouos honores quisq; quæreret, quibus illū remuneraret.

Cæsar res nouas molitur.

Duæ factiones cùm essēt in ciuitate, vna Syllana, quę multū pollebat: Mariana altera, quæ tunc admodū iacebat summissa, oppressaq;, & lacerata: hanc quò erigeret & asciscet sibi, gliscentibus muneribus suis ædilitijs clàm Marij imagines & victorias triumphales fecit, quas nocte posuit in Capitolio. Prima luce omnia auro splendentia & mirè fabrefacta spectantes (nam titulū habebant Cimbricarū victoriarū) pauor incessit omnes audaciæ eius, qui posuerat: neq; erat id obscurum. ac breui dilatus rumor omnes homines ad spectaculū conciuit.

Cæsar regnū moliri insimulatus.

At alij clamauere regnū Cęsarem moliri, sepultos legibus & senatusconsultis honores refodiēdo: tentariq; ea re populū, quē antè demulserat, an muneribus ipsius præbeat se mancipandū, eaq; ludibria & nouationes admittat. Ex altera parte Mariani se ipsi confirmantes extiterunt repentè innumera multitudine, Capitoliumq; plausu complerunt. Multi etiam imagines Marij spectantes lachrymas gaudio effudere, laudibusq; Cæsarē in cœlū tulerūt, dixeruntq; vnū eum Marij affinitate dignū. Hanc ob causam coacto senatu Luctatius Catulus vir illius tēporis inter Romanos clarissimus exurgēs accusauit Cęsarē, adiecitq; hoc dictū, quod adhuc in ore est: Non enim vltrà, inquit, cuniculis Cæsar: verùm machinis iam petit remp. At Cæsarē, cùm defensio-

fensione sua senatui satisfecisset, multò inflāmauerũt magis illi, qui eum suspiciebãt: adhortatiq; sunt, ne cui summiteret spiritus. Omnia enim volēte eum populo assecuturum, atq; principatũ in ciuitate obtenturũ. Eadem tēpestate Metello pontifici maximo defuncto, Isaurico autem & Catulo petentibus sacerdotium eius clarissimis viris authoritatisq; in senatu summæ non concessit Cæsar: sed ad comitia competitorem se illorum professus descendit. In ancipiti populi studio Catulus ex maiore dignitate magis euentum comitiorum formidans misit ad Cæsarem certos, qui eum magna ostensa mercede à petitione deducerent. Enimverò ille largitione etiam maiore nominibus factis ad hoc certamen ostendit se descensurum. Die instante matrem eum ad ostiũ haud sine lachrymis prosequentem osculatus: Hodie mater, inquit, aut pontificem maximum filium aut exulē videbis. Suffragijs latis, cùm comitia magno certamine acta essent, superior fuit: senatuiq; & optimatibus terrorem iniecit prouecturum eum populum ad omnem audaciam. vnde accusabant Piso & Catulus Ciceronem, quòd Cæsari in coniuratione Catilinæ opportuno oppressũ pepercisset. Nam Catilina, qui non modò remp. mutare, verùm etiam totum euertere imperium omniaq; deliberauerat cōmiscere, exiguis pressus indicijs vrbe prius excessit, quàm totum consilium suum detegeretur. Lentulum autem & Cethegũ successores reliquit in vrbe cōiurationis. quibus an quid clàm fiduciæ & virium præbuerit Cæsar, in obscuro est. His in senatu manifestè cōuictis & cōsule de pœna eorum omnes ordine sententiã rogante Cicerone, alij vsq; ad Cæsarem capitale supplicium de ijs sumendum censuerunt. at Cæsar surgens habuit orationem accuratè meditatam, retulitq; viros dignitate & genere illustres indicta causa necare non videri sibi nec vsitatũ nec legitimũ nisi in vltima necessitate. Quòd si vincti in municipijs per Italiã, quę ipse eligeret Cicero, quoad debellatũ foret cum Catilina, custodirent: pòst quietē in ocio senatũ de vnoquoq; facultatem habiturum statuendi. Ita eius sententiæ, quæ lenis est visa, & quam facunda oratione munierat, nō illi modò, qui secundum eum sentētiam dixerunt, sunt assensi: sed & qui dixerant priores, suis retractatis in illius transiere sententiam, donec ad Catonem & Catulum ventũ est. His acriter repugnantibus, Catone verò etiam oratione sua detorquente in eum suspicionem ac validè cum eo pugnante coniurati fuerunt rei capitalis damnati. Cæsari curia exeunti multi ex iuuentute, qui tunc Ciceronem stipabant, cōcursu facto intentabant ei strictos gladios. verùm Curio ibi dicitur toga sua eum texisse & eripuisse: atq; ipse Cicero intuentibus eum iuuenibus cædē vel populi metu, vel q prorsus iniquã & violentam arbitraretur, abnuisse. hoc ego Ciceronē miror, si verũ est, in libro de Cōsulatu suo præterisse. Pòst sanè culpatus est, quòd occasione in præsens cōtra Cæsarem nō fuisset vsus, metu deterritus amplectēris Cæsarē mirificè populi. qui quidē pòst aliquantò senatũ eo ingresso, ac dum suspiciones, quibus erat aspersus, purgat, aduersis clamoribus excepto, dum solito tardius dimittit senatus, tumultuosè accurrit, curiamq; cinxit Cæsarē repetens iubensq; eum dimitti. Quocirca veritus Cato, ne egena plebs, quę vniuersæ multitudinis erat fax, ac spem omnē reponebat in Cæsare, res nouas moliretur, fuit author patribus, vt diuideret plebi frumentũ menstruum. Vnde cæteris oneribus accessit per singulos annos sumptus † vicies & ducenties. Magnũ tamen terrorē haud dubiè restinxit in præsenti hæc actio, plurimumq; Cæsari potētiæ detraxit & dissipauit in tēpore: qui tum erat prætor designatus ac magis ob eum magistratũ timendus. Atqui nihil in eo actũ est tumultuosè: verùm occupauit fortuna quædã sinistra Cæsaris domũ. P. Clodius fuit nobili genere ortus, diuitijs & facundia præcellēs, sed insolentia & audacia nulli improbissimorũ secundus. Hic vxorem Cæsaris Pompeiã amabat neq; inuitã. verùm mulierem Cæsar acri sepserat custodia, eiusq; mater Aurelia fœmina honesta perpetuò lateri adhærēs Pompeiæ arduũ & periculosum eis cōgressum efficiebat. Est apud Romanos dea, quam Bonã dicunt, sicut Græci Muliebrem. Hanc Phryges sibi asserentes peculiarem, Midæ regis autumant matrem esse, Romani nympham Dryada Fauno nuptam, Græci Liberi patris eam matrē, quam nefandum est nominare. vnde pampinis tentoria festum diem agitantes mulieres contegunt, ac sacer draco ex fabula ad pedes deæ iacet. Eò virum fas non est accedere, neque dum sacra aguntur, in domo, vbi aguntur, esse. Solæ fœminæ multa Orphicis germana memorantur in solenni peragere. Vbi festus dies instat, celebratur in ædibus consulis vel prætoris: ipse aũt domo omnesq; viri cedunt. Vxor sola domũ parat, peragiturq; ferè nocte per lusum peruigilio cōmistum inter magnũ concentũ. Hunc festũ diē id temporis agitante Pōpeia Clodius imberbis etiamnũ, idcoq; fallere se existimās posse cæte-

Cæsar pontifex maximus creatur.

Cæsar suspectus de coniuratione Catilinæ.

Cæsar coniuratos conatur liberare.

Catonis in Cæsarem oratio, de qua Sallust. in Catil. coniur. & Cic. in Catil.

† In Catone est trecēties. quare videtur hic in exēplari Græco legendum, DCCL. myriades, pro D L. atque ita quadrabit numerus trecenties HS.

Clodius & eius in Pompeiam Cæsaris vxorē amor.

Bona dea quæ fuerit, & eius sacra.

Clodius sacra Bonæ deæ profanat.

ras, vestitu & cultu sumpto psaltriæ accessit eò iuuenculā facie referens. Cùm fores offendisset patefactas, ab ancilla conscia est citra impedimentum introductus. Dum aūt illa properat, vt id Pompeiæ nunciet, mora interueniente, operiri vbi relictus erat nō sustinenti Clodio laxisq́ in ædibus erranti lumenq́ declinanti occurrit pedissequa Aurelię, atq́ vt fœmina fœminam, prouocat ad lusum. Detrectantem in medium rapit: quę sit & vnde, percunctatur. Cùm respondisset Clodius Auram expectare se Pompeię ancillam (nam id nominis ei erat) voce est detectus. Ibi repentè pedissequa prosilit cum clamore ad lumen & cœtum, virū vociferans se deprehēdisse.

Clodius in sacris Bonæ deæ deprehensus.

Obstupefactis mulieribus sacra deę Aurelia inhibet & obuelat. Mox iusso obserari fores ad faces domum lustrat Clodiū quęrens. Refugerat ille in ancillę tabernaculum illius, cum qua congressus fuerat, atq́ ibi deprehenditur. Cognitus à mulieribus exigitur foràs. Hoc factum mulieres confestim de nocte domū digressæ, viris suis nunciauerunt, ac rumor postridie ciuitatem peruasit rem à Clodio tentatam nefariam, pœnasq́ non læsorum tantum, verùm reip. etiam & deorum nomine exigendam.

Clodius accusatur ob contaminata sacra Bonæ deæ.

Itaq́ postulauit profanatorū sacrorum Clodium vnus ex tribunis plebis, coieruntq́ in eum principes senatus: qui testimonia in eum dixerunt cùm de improbitatibus atrocibus alijs, tum de stupro cum sorore sua, quæ in Luculli matrimonio erat, admisso. quorum studijs obnixus populus defendit Clodium, magnoq́ præsidio fuit ei apud iudices attonitos populumq́ pauescentes.

Cæsar vxorem Pompeiam repudiat.

Cæsar protinus repudiauit Pompeiam, sed testis in reum citatus nihil dixit eorum, quæ Clodio obijciebātur, compertum sibi esse. Quod cùm videretur mirum: quæsiuit accusator, quamobrem ergo vxori nuncium remisisset? respondit: Domum meam volo & suspicione carere. Hæc Cæsarem aiunt aliqui ex animi sententia dixisse, alij in populi gratiam eripere enitentis Clodium.

Clodius absoluitur à crimine profanatorum sacrorum.

Itaq́ absoluitur à crimine. quod pleriq́ iudices sententiam confusis tabulis tulissent, ne in discrimen vocarētur ad populum, si eum damnassent: neu si liberassent eum, infames forent apud optimates.

Cæsar prouinciam Hispaniam sortitur.

Cæsar statim ex prætura prouinciam sortitus Hispaniam, cùm res ei difficili in loco cum creditoribus esset importunis profecturo probrisq́ incessentibus, ad Crassum confugit ditissimū ciuitatis: qui, quò resisteret Pompeij actionibus, Cæsaris quærebat acrimoniam & ardorem sibi adiungere. atq́ vbi hic creditores in se recepisset molestissimos & durissimos, & centies nonagies nouies HS. pro eo intercessisset: tum est in prouinciam profectus.

Cæsaris ambitio.

Fama est in transgressu Alpium prætereuntes amicos eius oppidum barbarorum, quod homines admodum pauci tenuesq́ colebant, per risum & iocum dixisse: Num quæ hic quoq́ de honoribus ambitiones & de primatu certamina mutuæq́ factiosorum inuidiæ forent? Ibi seriò Cæsarem ad eos dixisse: Mallem equidem apud hos primus esse, quàm Romæ secundus. Alio item tempore in Hispania cùm legeret per ocium Alexandri historiam, diu eum secum cogitabundum sedisse, inde lachrymas profudisse. Mirantibus causam amicis dixisse: An non videtur vobis gemendum, cùm hac ætate Alexander tot iam regna subegerit, me nihil dum gessisse præclari?

Cæsaris res gestæ in Hispania.

Vt ergo Hispaniam attigit, mox accinxit se operi, atq́ intra paucos dies cohortes decem ad priores viginti conscripsit. Gallæcos & Lusitanos bello petijt domuitq́. ac progressus vsq́ ad Oceanum gentes antè non pacatas imperio Romano subegit. Rebus bello egregiè gestis non segnius pacis munia dispensauit concordia in ciuitatibus constituenda, præsertim obæratorum & creditorum medendis cōtrouersijs. Statuit enim, vt ex debitoris prouentibus ferret quotannis creditor bessem, reliquum rediret ad dominum, quoad æs alienum esset dissolutum.

Cæsar imperator appellatur.

His actis clarus decedit prouincia, tum ipse pecuniosus, tum impletis præda militibus, atque imperator est ab illis appellatus. Quia verò triumphum postulantibus manendum extra vrbem, & candidatis consulatus petendus erat in vrbe: his legibus conflictatus contrarijs, cùm ad tempus comitiorum consularium occurrisset: contendit per amicos à senatu, vt absentis sui ratio haberetur. Contra cuius postulata insistente legi Catone, mox vt multos aduertit à Cæsare delinitos, tempore rem excludente ac diem dicendo eximente: constituit dimisso triumpho Cæsar incumbere consulatui, ingressusq́ ilicò vrbem suscepit actionem, qua dempto Catone omnibus mortalibus imposuit.

Cæsar Pompeiū & Crassum reconciliat.

Ea fuit potentissimorū ciuiū Pompeij & Crassi reconciliatio. quibus Cæsar ex simultate in gratiā reductis, atq́ vtriusq́ in se versa potentia, facto in speciem humano remp. clàm inuertit. Neq́ enim vt pleriq́ omnes existimabāt, Cæsaris & Pompeij dissensio ciuilia inuexit bella, imo cōiunctio potius ad cōuellendos optimates cōspirantium primùm, deinde tandē inter se dissidentiū.

Catonis prouidentia.

Catoni autem, qui impendentia crebrò vaticinatus est, hoc reliquum fuit: vt importuni

tunc

tunc & curioſi, pòſt prudentis quidẽ ſed infelicis nomen cõſiliarij ſortiret. Porrò Cæſar Craſsi & Pompeij ſtipatus amicitia conſulatũ adeptus eſt, ac cum Calpurnio Bibulo magna gloria renunciatus.

Cæſaris primus conſulatus.

Cæſaris leges.

Inito magiſtratu extemplò leges nõ conſuli, ſed audaciſsimo tribuno plebis rogauit cõgruentes, in gratiã plebis legẽ de colonijs deducendis & leges agrarias ꝓmulgans. qui, cùm aduerſarent ei in ſenatu optimates, ꝗ diu occaſionem quęſiſſet, vociferatus teſtatusq́ inuitũ ſe tranſire ad populũ, quẽ neceſſariò & iniurijs in ſe ſenatus adductus cogeret obſeruare, ꝓſilijt: cinctusq́ hinc Craſſo illinc Pompeio rogauit eos: ecquid leges ſuas ꝓbarent? Cùm probare diceret: orauit, vt cõtra aduerſarios, qui gladios minitarent, eſſent ſibi auxilio. Id illi ſunt polliciti. Adiecit inſuper Pompeius, cõtra gladios cum gladio ſe venturũ & ſcutũ quoq́ allaturũ. Hæc vox optimatũ aures offendit indigna eius pudore atq́ ab eius erga ſenatũ obſeruãtia abhorrens, imo inſana & temeraria: populus verò exultauit.

Cæſar Iuliam Põpeio deſpondet.

Cæſar Calpurniam ducit.

At Cæſar, quò penitiùs in potentiã inſinuaret ſe Pompeij, cùm filiam Iuliã haberet Seruilio Cępioni pactã, hanc Pompeio deſpondit. Seruilio Pompeij filiã oſtendit ſe iuncturũ, ac ne eam quidẽ illocatã, ſed Fauſto Syllæ filio deſtinatã. Breui pòſt Cæſar Piſonis filiã Calpurniã nuptijs ſibi adiunxit. Piſonẽ in proximũ annum conſulem creauit. Quo tempore palàm teſtatus eſt Cato clamauitq́ rem indignã eſſe, vt addiceret nuptiarũ lenocinijs imperiũ, ac per mulieres mutuò ſe ad prouincias, imperia, exercitus ꝓueherent. Collega Cæſaris Bibulus cùm intercedendo legibus eius nihil ꝓficeret, ſed in foro ſæpius eſſet in mortis periculũ cum Catone vocatus: toto conſulatus tempore cõtinuit ſe domo. Pompeius ducta Iulia ſtatim forũ armis impleuit, legesq́ Cæſaris populo firmauit.

Cæſari Gallia decreta.

Cæſar Catonem in carcerem ducit.

Cæſari effecit vt Gallia ciſalpina & tranſalpina omnis adiũcto Illyrico cum quatuor legionibus in quinquenniũ decerneretur. Hic reluctare ſibi aggreſſum Catonem duci Cęſar in carcerem iuſsit, tribunos exiſtimãs appellaturũ. quo nulla voce miſſa pergente cernens Cæſar non optimates tantùm id ægrè ferentes, verùm plebem etiã virtutis verecundia Catonis tacitam & mœſtam ſequentẽ: rogauit clàm ipſe vnum ex tribunis, vt eriperet Catonem. Ex cæteris ſenatoribus in curiam venerunt eo cõſule ſanè pauci. reliqui indignantes ſenatu abſtinuere. Cùm Conſidius quidam natu grandis armorum & militum diceret metu eos non conuenire: quin igitur, inquit, tu quoq́, Cæſar, hac formidine domi te contines? Ibi Conſidius reſpondit: Quòd metum mihi abſtergat ſenectus. Nam quod ſupereſt vitæ, quia parũ eſt, haud magnam quærit cautionem.

Cæſar per Clodiũ expellit vrbe Ciceronem.

Inter illius temporis acta fœdiſsimum viſum in Cæſaris conſulatu, quòd Clodius tribunus plebis deſignatus fuerit ille, à quo torus eius atq́ arcana peruigilia fuerant temerata. Deſignatus eſt ad obterendum Ciceronem. Nec prius in prouinciam profectus Cæſar eſt, quàm ſocio Clodio Ciceronem factione oppreſsiſſet atq́ Italia exterminaſſet. Hæc geſsiſſe dicitur ante bellũ Gallicum.

Cæſaris virtus bellica.

At bellorũ, quæ deinceps geſsit, expeditionumq́ quibus domuit Galliã, tempus: quaſi aliud exordiũ cepiſſet & aliã vitæ actionumq́ eſſet ingreſſus viam nouarũ: nullo eum vel laudatiſsimorũ atq́ ſummorũ imperatorũ inferiorem bellatorẽ & ducem oſtendit. ſed ſiue cum illo Fabios, Scipiones, Metellos: coæuosq́ eius aut paulò ſuperiores Syllã & Mariũ, amboſq́ Lucullos, vel ipſum etiã Pompeiũ: cuius ex omnis generis bellica virtute ſuperabat gloria cœlos, conferas: res geſtæ Cæſaris antecellunt, alium locorũ, quibus bellum geſsit, aſperitate: alium prouincię, quam ſubiugauit, amplitudine: multitudine aliũ & ferocitate quos ſuperauit, hoſtiũ: alium morũ, quos cicurauit, feritate & immanitate: aliũ clementia & lenitate in deuictos: alium in commilitones munificentia & beneficijs: omnes verò præliorũ & hoſtium interfectorũ immenſo numero. quippe annis nõ totis decem geſto in Gallia bello oppida plus octingenta vi cepit, gentes ſubegit trecentas, ſigna diuerſis tẽporibus cõtulit cum tricies cẽtenis millibus. ex quibus decies centena millia in acie interfecit, alterũ tantũ cepit.

Militum erga Cæſarem ſtudium.

Acilij, Scæuæ, aliorumq́ Cæſaris militum mira virtus.

Studiũ erga ſe militũ & promptitudinẽ habuit tantam: vt qui cęteris nihil alijs in expeditionibus pręcellebãt, inuicti atq́ intolerabiles in omne diſcrimẽ ꝓ Cæſaris gloria ruerẽt. qualis fuit hinc Acilius, ꝗ in prælio nauali apud Maſsiliã eùm in hoſtilẽ nauẽ trãſiliſſet, detrũcata gladio dextra retinuit ſiniſtra ſcutũ. quo pulſans hoſtiũ ora omnes auertit, nauiq́ eſt potitus: hinc Caſsius Scęua, qui in pugna apud Dyrrhachium excuſſo ſagitta oculo, humero pilo vno & fœmore altero traiecto, ſcuto telorum triginta ſupra centum ictibus exceptis tanquã dediturus ſe vocauit hoſtes. duobus accurrẽtibus, alterius humerũ gladio deſecuit, alterius ſauciauit faciẽ, eumq́ in fugã vertit, ipſe amicorũ pręſidio euaſit incolumis. In Britannia cùm hoſtes primipilos, ꝗ in loca paluſtria & ꝓfunda aquis inciderãt, adorirent: miles Cęſaris ipſo pugnã ſpectãte in medium

dium

dium irruit, multisq; & eximijs editis virtutis operibus primipilos seruauit. ac barbaris in fugam coniectis ipse postremus omniū magno labore recipiens se, cōiecit se in riuos lacustres, atq; ægrè relicto scuto qua natando qua ingrediendo locū eum superauit. Stupente Cæsare, qui cum gratulatione & plausu occurrit ei, admodum hic mœstus lachrymarumq; plenus abiecit se ad Cæsaris pedes, quòd scutum amisisset, veniam petens. In

Granius Petronius.

Africa Scipio capta Cæsaris naui, qua Granius Petronius quæstor designatus vehebatur, cæteros in prædam vertit: quæstori salutē se dixit dare. qui cùm respondisset Cæsaris milites non accipere, sed dare cōsuesse salutē: gladio se cōfodit. Hos spiritus atq; hanc alacritatē ipse aluit & parauit Cæsar, primùm immensa largitione & honoribus: ostendens non ad priuatū luxum se opes neq; vllas ad delicias accumulare ex hostibus, sed cōmunia virtutis prēmia apud se seruata reponi: hactenus aūt inde se ditescere, quatenus in benemeritos profundat milites: deinde, q; nullum nō periculum vltrò subiret, neq; laboribus fatisceret in vllis. enimverò intrepidū eius ad subeunda pericula animum non mirabantur, q; gloriæ auidus esset: verùm tolerātia laborum, quos supra corporis vires videbatur perferre, obstupefecit milites: q; qui habitu gracili, corporeq; cādido & molli, de-

Cæsar morbo comitiali laborauit.

bili quoq; foret capite ac morbo comitiali contactus, quod vitium ei fama est Cordubæ primùm ingruisse: nō quæsierit mollitię valetudinis imbecillitatem prætextū, sed medicinam imbecillitatis militiam, indefatigatis itineribus, tenui victu, & tectū non subeundo resistens ægritudini corpusq; aduersus iniuriā validum custodiens. siquidem somnū plerunq; in vehiculis aut lecticis capiebat, conferens etiā ad actionem requiē. Vehebatur interdiu ad arces, oppida, & castra. Assidebat ei puer vnus ex ijs, qui dictata excipere inter proficiscendum assueti erāt. Ponè vnus sedebat miles gladio accinctus. Strenuè adeo iter faciebat: vt cùm primo die exisset vrbe, ad Rhodanū octauo peruenerit. Atq; equitandi quidem habuit ille à puero procliuē vsum. Assuefactus enim erat reductis retro manibus atq; in tergo cōplicatis incitatissimè equum permittere. At illo in bello insuper meditatus fuerat dictare inter equitandū epistolas, duobusq; simul amanuensibus sufficere: vt verò ait Oppius, etiā pluribus. Memorant eum præterea rationē cum amicis per literas agendi principē excogitasse Cæsarem: cùm colloquendi coràm de rebus necessarijs tempus propter occupationū multitudinem atq; vrbis laxitatem spacium nō

Cæsaris in victu temperātia.

daret. Quàm aūt indifferens fuerit circa victum, hoc indicio demonstrant: q; inuitatus Mediolani ad cœnam ab hospite Valerio Leone, qui asparagū apposuerat, atq; oleì loco infuderat vnguentū, ipse simpliciter cōmederit & indignantes increpauerit amicos. Satis enim erat, inquit, abstinere ijs, à quibus abhorrebatis. Nunc eam rusticitatē qui reprehendit, ipse est rusticus. Compulsus aliquando in itinere per tempestatem in hominis pauperis casam, vbi nihil extra vnum cubiculū reperit, quod capere vix posset vnū: dixit amicis, ampla loca principibus cō cedenda, necessaria debilissimis: atq; Oppiū illic

Cæsaris bellum cum Heluetijs gestum.

iussit capere quietē, cum cæteris ipse in protecto ianuæ cubauit. Porrò bellorū Gallicorum primū cum Heluetijs & Tigurinis gessit. Hi oppidis suis duodecim & quadringentis vicis incensis iter capiebant per Romanorū prouinciā, sicut olim Cimbri & Teutones. quibus nec cedere eos animo apparebat, & numero item erāt in summa trecenta

Tigurini à Labieno cæsi.

millia capitū. ex quibus arma ferebant centū nonaginta millia. Horum Tigurinos non ipse, sed legatus eius Labienus ad Ararim amnē oppressit. Cùm Heluetij ad oppidū quoddam sociū exercitum admouētem repentè ex itinere adorirentur: occupauit ad locum munitum se recipere. quo loco cōtractis instructi sq; copijs, vbi fuit ei equus admotus: Hoc post obtentam victoriā, inquit, ad consectandos hostes vtar. nunc in illos per-

Heluetij à Cæsare cæsi.

gamus. Et pedibus profectus incurrit in eos. Postq; pepulit longinqua & acri pugna armatos, plurimū laboris habuit ad plaustra & vallū. vbi non viri modò eū substitere præliatiq; sunt: sed & pueri fœminæq; vsq; ad mortē defendentes se cōcisi sunt. Protracta est in mediā vsq; noctem pugna. Insigni huius victoriæ operi adiecit insignius: q; horū barbarorum, qui ex prēlio supererant plus centū millia, in vnum cōtraxerit, coegeritq; repetere agrum, quem reliquerāt, & quæ incendio absumpserant, oppida. Fecit id metuens,

Cæsaris bellum contra Ariouistum.

ne agrum vacuum Germani transmisso Rheno inuaderent. Hinc cum Germanis pro Gallis bellauit, quamvis regē illorum Ariouistum antè Romæ appellauerat sociū. Cæterùm intolerabiles erāt pacatis eius vicini, apparebatq; per occasionē præsentibus fortunis nō acquieturos, verùm incursaturos occupaturosq; reliquā Galliā. Quoniā verò duces vidit trepidantes, pręcipuè aūt quotquot ex nobilitate & iuuētute eū fuerāt secuti, quasi ad delicias & quæstū hac cū Cęsare expeditione vsuri: cōcione aduocata fa-

cessere

ceſſere eos iuſsit, neque contra animi ſententiam adeo effœminatos ac molles ſubire periculum. Ac ſola decima legione oſtēdit ſe barbaros adoriturum: neq; cum fortioribus, quàm Cimbri fuiſſent, dimicaturum hoſtibus, neq; Mario ſe imperatorem eſſe deteriorem. Ibi Decumani per legatos ei gratias egere. at cæteræ legiones inſectatæ ſunt duces ſuos, animorum'que & alacritatis pleni eum omnes multorum dierum viam ſunt ſecuti, quoad viginti quinque millibus paſſuum ab hoſtibus caſtra poſuere. Fuit Arioviſti ob hunc ipſum aduentum nonnihil infracta ferocia. quippe impreſsionem Romanorum in Germanos, quorum non videbantur ſubſtituri incurſum, quia non expectauerat: Cæſaris obſtupuit audaciam, et obtorpeſcentem exercitū vidit. Magis inſuper vaticinia percellebant illos fatiloquarum mulierum: quæ amnium vorticibus inſpectis riuorumq; gyris & ſtrepitibus notatis futura præcinebant. Hæ ſigna conſerre ante quàm illuxiſſet noua luna vetabant.

Germanæ vates, quomodo ventura prædicerent.

Quibus nunciatis Cæſar, cùm quieſcere cerneret Germanos, optimū factu ratus eſt: vt cum torpentibus potius cōfligeret, quàm illorum expectans tempora deſideret. Itaq; munimentis eorum & tumulis oppugnandis, quibus conſederant, laceſſiuit iritauitq; eos, vt cum furore ad dimicandum deſcenderent. Fuſos ingenti ſtrage triginta ſeptem millia quingentos paſſus vſq; ad Rhenum inſecutus, campum hunc cadaueribus & ſpolijs totum compleuit. Arioviſtus præcepta fuga Rhenum cum paucis traiecit. Cecidiſſe dicuntur octoginta millia.

Arioviſtus à Cæſare fuſus.

His patratis exercitum reliquit in Sequanis hybernaturum: ac rebus vrbanis intentus in Galliam circumpadanam, quæ prouinciæ erat ſuę, contendit. ſiquidem amnis Rubico appellatus dirimit à Gallia ciſalpina reliquā Italiam. Ibi ſedens animos hominum captabat, confluebantq; ad eum frequentes. Largiebatur aūt, quæ quiſq; poſtulabat. Dimittebat omnes partim muneribus, partim ſpe impletos, ac reliquo toto belli tempore imprudente Pompeio inuicem hinc ciuium armis hoſtes domuit, hinc hoſtium opibus captauit & authorauit ciues. Vt verò Belgas accepit Gallorum pollentiſsimos totiuſq; Galliæ tertiam ſortitos partem rebellare, atq; eos armatorum infinitas coegiſſe copias: cōfeſtim conuertit ſe eò incredibili celeritate, & ſocios Gallos populantibus ſuperueniens hoſtibus maximum eorum globum ignauiter præliantium fudit fugauitq;: vt paludes & alta flumina ob cadauerū vim permearent Romani.

Belgæ à Cæſare cæſi.

Ex ijs autem, qui defecerant, Oceani accolæ ſine certamine deditionem fecere: in ferociſsimos & bellicoſiſsimos Belgarum Neruios exercitum mouit. Hi dēſas incolentes ſyluas liberis & pecunia in vaſtiſsima ſyluæ parte quàm remotiſsimè ab hoſte abditis caſtra munientem Cæſarem nec pugnam id temporis expectantem ſexaginta millia numero ex improuiſo inuaſerunt, equitatum eius profligauerūt, legiones duodecimæ & ſeptimæ circumuentæ omnes cēturiones occidere.

Neruij, Belgarū bellicoſiſsimi.

Quòd ni Cæſar rapto ſcuto erumpens per principes in barbaros irruiſſet, atq; ex vertice montis duodecima legio ad periculum eius decurriſſet ac diſsipaſſet hoſtiū ordines, neminem apparebat ſuperfuturum fuiſſe. Nunc quamvis ob Cęſaris audaciam cōtenderunt in hoc cōflictu ſupra vires: ne ſic quidem auertere Neruios, ſed pugnantes cōtrucidauere. ſiquidem ex L X. millibus ferunt quingentos tantùm incolumes euaſiſſe, & ſenatores ex quadringentis tres.

Neruij à Cæſare cæſi.

His ſenatus nunciatis in dies X V. quot ob nullam antè victoriā ſupplicationē decreuit. Nam & periculū videbatur ingens tot ſimul cōſpirantibus gentibus: & victoriā clariorem, quòd victor eſſet Cæſar, fauor efficiebat in illū plebis. Etenim Cæſar rebus in Gallia compoſitis iterum in Gallia circumpadana hybernauit aucupans ciuitatem. Neq; enim candidati modò, qui illum habebant præbitorem, redimebantq; accepta ab eo pecunia populi ſuffragia, deſignabant atq; omnia ad opes amplificādas illius agebāt: verùm etiā ex clariſsimis & ſummis viris Lucam pleriq; ad eum cōuenere, Pompeius, Craſſus, Sardiniæ prætor Appius, & Nepos Hiſpaniæ procōſul. Fuere lictores illic C X X. ſenatores amplius ducenti. Poſtq; conſultationē tranſegerūt, digreſsi ſunt. Conuenit ibi, vt Pōpeius & Craſſus cōſules fierent. Hi Cæſari ſtipendiū atq; in alterū quinquenniū prouinciā ſuā decernerent.

Potentiſsimorū Romanorū Lucam ad Cæſarē conuentus.

Quæ res viſa ſanis abſurdiſsima eſt. quippe qui tantū argenti capiebant à Cæſare: hi ſenatui, vt quaſi inopi daret, cōſulebant: imo verò cōpellebant ſuis ingemiſcentem decretis. Cato abſens erat, quem cōmodùm ablegauerant in Cyprū. Fauonius verò, qui æmulus erat Catonis, vbi nihil profecit cōtradicendo, foràs proſiliēs ad plebem vociferatus eſt. At ſurdæ omniū erant aures: q̃ pars Pompeij & Craſsi verecundiam haberēt, pleriq; verò inſeruientes Cæſari atq; ex ſpe ab illo propoſita ſuſpenſi conquieſcerēt. Porrò regreſſus Cæſar in Galliā ad exercitū offendit ibi ingens bellū. Gentes enim Germanorum duę, numeroſæ Rhenum modò ad agrum petendū tranſierant:

alteros

Vſipetes, & Tenchteri in Galliam.

Cæſaris equitatus fugatus.

alteros Vſipetes, Tenchteros alteros vocant. De conflictu cum his commiſſo ſcribit in commentarijs Cæſar barbaros miſsis ad ſe legatis ex itinere ſe per inducias adortos, ita equitatum ſuum ad quinq; millia octingentis ipſorum pepuliſſe. Inde alios denuò impoſturæ cauſa legaſſe, quibus comprehenſis exercitum ſe in barbaros duxiſſe, fidem ſeruare tam perfidis & fœdifragis amentiam ratus. Canuſius Catonem narrat decernente victoriæ cauſa ſupplicationem ſenatu pro ſententia dixiſſe, Cæſarem barbaris dedendũ ad expiandum à violato iure gentium ciuitatem, & ad piaculum in authorem vertendũ.

Vſipetes & Tenchteri cæſi.

† Alij videntur legiſſe 40. millia.

Sicambri.

Cæſar Rhenum ponte iungit.

Cæſi ex illis, qui Rhenum tranſierant † quadringenta millia. Paucos ex fuga Sicambri gens Germanica recepere. Hoc arrepto contra eos prætextu Cæſar, reuera gloriæ cupidus, atq; vt primus mortalium exercitum Rhenum traduceret: amnem ponte iunxit latiſsimum: qui eo in traiectu laxiſsimè diffundit ſe, aſperq; eſt, & torrens: truncisq; & materia, quæ deuehebat, concutiebat atq; conuellebat pontis fulcimenta. Verùm hæc ſublicis ingentibus proiectis ac medio flumine defixis excipiens irruentemq; in põtem vndarum impetum leniens, quod excederet omnem fidem, oſtendit ſpectaculum diebus decem pontem abſolutum. Tranſmiſſo exercitu cùm occurrere ſuſtineret nemo, ſed etiam recepiſſent ſe præſtantiſsimi Germanorum Sueui in conualles altas & ſylueſtres: fœdatis hoſtium agris, fidisq; ſocijs populi Romani confirmatis, poſtquàm duodeuiginti dies in Germania egit, in Galliam eſt regreſſus.

Cæſaris expeditio in Britanniam.

At expeditio eius in Britanniam nobilis fuit audaciæ. Primus enim claſſem Oceano occidentali induxit, accitoq; per mare Athlanticum exercitu ad bellum ibi faciundum nauigauit. Illam autem, quam magnitudinis cauſa credebat inſulam nemo, & quæ præbuit ſcriptoribus permultis controuerſiam, quaſi nomen tantùm & fabula nuſquam viſæ neq; exiſtentis ficta eſſet, ſubigere aggreſſus promouit extra orbem terræ Romanum imperium. Bis in hanc inſulam ex oppoſita tranſmiſit Gallia, crebrisq; prælijs fatigauit hoſtes magis quàm ſuos locupletauit. Cùm enim prædam, quæ operæ pretium eſſet, ab hominibus ductam vitam agentibus egenisq; non poſſet parare: non qualem cupiebat, exitum bello impoſuit: ſed obſidibus à rege acceptis impoſitoq; tributo exceſsit inſula.

Iuliæ Cæſaris filiæ mors.

Tunc literas offendit ab vrbanis amicis miſſas, quæ ad eum tranſmittendæ erant. Ex his de morte filiæ cognoſcit. Extincta fuit apud Pompeium ex partu: magnusq; ipſum Pompeium, magnus Cæſarem occupauit luctus. Amici verò eorum exanimati ſunt, quòd quæ in pace & concordia ægrotantem aliàs continebat rempubl. eſſet retexta neceſsitudo. etenim partus mox non multis diebus matri ſuperſtes deceſsit. Iuliam inuitis tribunis populus in campum Martiũ extulit: vbi funerata & humata eſt.

Galliæ defectio.

At cùm Cæſar exercitum ob nimiam iam multitudinem diuiſiſſet neceſſariò in multa hyberna, atq; Italiã ſuo more petiuiſſet: omnis de integro conflagrauit bello Gallia. Ingentes exercitus, circumuolitantes hyberna iuerunt exciſum & adorti ſunt caſtra Romana.

Cotta & Titurius cum exercitu cæſi.

Maxima manus & validiſsima rebellantium duce Ambiorige Cottam & Tituriũ cum exercitu deleuere. Legionem, cui Q. Cicero præerat, L X. millibus militum arctè obſederunt oppugnaueruntq;, ſaucijsq; omnibus atq; animi alacritate magis quàm viribus propugnantibus penè expugnauerunt. His allatis agens Cæſar in longinquis raptim eò ſe cõuertit, contractisq; in totum ſeptem millibus militum accelerauit ad eximendum obſidione Ciceronem. Non fefellit obſidentes: ſed contempta ſuorum paucitate proceſſerunt obuiàm quaſi eum obtrituri. Ille ludificãs eos cedit perpetuò, dum loca idonea pugnanti paucis contra multos occupat. ibi caſtra munit, ſuos omni pugna abſtinet. Vallũ altiùs educi, portas obſtrui timoris ſimulatione imperat, id agens, vt cõtemnantur ſui: quouſque caſtra diſperſa ex ferocia ponentes infeſto exercitu adortus fudit & magna ex parte deleuit.

Galli à Cæſare cæſi.

Hoc Gallorum defectiones magna ex parte compreſsit, atque ipſe hyeme circumquaq; obiens acriterq; res nouas molientibus intendens. Adhæc ex Italia in locum amiſſorum venerunt ad eum tres legiones. Commodauit ei de ſuis Pompeius duas: tertia nouella fuit in Gallia circumpadana conſcripta.

Gallorum ſecunda à Cæſare defectio.

Interim in locis longinquis ſeminata in occulto & ſerpentia per potentiſsimos bellicoſiſsimis in gentibus viros principia eruperunt belli omnium illic maximi periculoſiſsimiq; magno iuuentutis flore ſuccincta, armis vndiq; contractis, collata in cõmune ingenti pecunia, validis oppidis & aſperis locis: tunc tempeſtate brumali flumina congelata, obtectæ niue ſyluæ, torrentibus ſtagnantes campi, hinc altitudine niuis oculos fallentes ſemitæ, hinc per paludes & flumina ſuper ripas effuſa admodum cæcæ viæ nullum prorſus videbantur aggrediendi rebelles relinquere Cæſari locũ. Nationes deſciuerant multæ. Summa authoritas penes Aruernos & Carnutes erat. Imperium

omne

Vercingętorix dux Gallorum contra Cęſarẽ.

omne detulerant ad Vercingentorigem, cuius patrem, quòd affectatæ tyrannidis eſſet ſuſpectus, interfecerant Galli. Hic in plures manus diſſectis copijs, multisq; impoſitis ducibus regionem omnem circumiectam vſque ad eos, qui vergunt ad Ararim amnem inſtitit aſſciſcere: deliberans ciuitate Romana iam in Cæſarem conſpirante omnẽ bello inflammare Galliam. quod ſi paulo pòſt Cæſare bello ciuili implicato inſtituiſſet: terrores Cimbricis illis Italiam nihilò inuaſiſſent leuiores. Nunc optimè omnibus ad bellum viſus, imprimis tempore doctus Cæſar vti, ſimul atq; defectionẽ cognouit: ijſdem, quibus profectus fuerat, vijs duxit: impetuq; ac celeritate itineris per tantã hyemem oſtendit barbaris inexuperabilem ipſos petere & inuictum exercitũ. Quò enim nuncium aut tabellarium ab ſe incredibile erat longo poſſe ſpacio penetrare: ibi cum cunctis conſpiciebatur copijs pariter agros eorum vexans, pręſidia excindens, vrbes in poteſtatẽ ſubigens, recipiens tranſeuntes: donec & nomen Heduum declarauit ſe ei hoſtem.

Hedui deficiunt à Romanis.

cùm antè fratres appellaſſent ſe Hedui populi Romani, magnoq; honore haberẽtur apud eum. tunc verò reliquis ſociati rebellibus magna trepidatione Cæſaris exercitum perfudere. Quare motis inde caſtris fines Lingonum ſuperauit: quò ad Sequanos ſocios ac pro Italia reliquæ Galliæ obiectos perueniret.

Vercingentorix à Cęſare fuſus.

Ibi ingruentibus ei hoſtibus atq; innumera cingentibus multitudine geſtiens acie decernere, cæteris rebus vicit, temporisq; diuturnitate & metu ſubactos fudit fugauitq; barbaros. At in principio habitus eſt nonnihil ceſpitaſſe, oſtenduntq; Aruerni ſuſpenſum in templo gladium, quem de Cęſare iactant captum. Hunc ipſe poſtea riſit cùm conſpexiſſet, amicisq; detrahi eum iubentibus nõ permiſit, ſacrum ducens. At verò ex illis, qui ex acie refugerant, plerıq; cum rege receperũt ſe in oppidum Alexiam.

Alexiæ obſidio.

Hanc circumſidenti Cæſari, quam altitudine murorũ & defenſorum multitudine apparebat eſſe inexpugnabilem, occurrit extrà maius quàm exprimi poſsit periculum. Nam fortiſsimi quiq; Gallię ex omnibus collecti nationibus trecenta millia numero Alexiam venere. Armati in vrbe erant non intra centum ſeptuaginta millia. Itaq; in medio tanti belli Cęſar deprehenſus obſeſſusq; duplicem murum obijcere neceſſe habuit, vnum contra oppidum, alterum ex aduerſo illis, qui recèns aduenerant. quæ ſi vires cõiungerentur, omninò de Cæſare putabatur actum. Hoc ad Alexiam diſcrimen multis de cauſis ei haud immeritò gloriam tulit. quòd virtutis & cõſilij exempla ibi, qualia certè nullo alio ediderit certamine.

Cęſaris victoris ad Alexiam.

Mirificum fuit autem imprimis, quòd illos, qui in oppido erant, latuerit conflixiſſe cum tot millibus Cæſarem, eosq; ſuperaſſe: & verò magis Romanos in ſtatione poſitos obuerſi oppido muri. Neq; enim victoriam prius ſenſere, quàm eiulatum ex oppido virorum mulierumq; exaudirent planctum cõtemplãtium alijs ex partibus multa auro & argento exornata ſcuta, multas ſanguine imbutas loricas, adhæc pocula & tentoria Gallica, quæ à Romanis deportabãtur in caſtra. Tam breui momento adeo immenſa manus cæſis in acie pleriſque ſicut ſpectrum vel ſomnium euanuit & diſsipata eſt.

Alexia deditur Cæſari.

Qui Alèxiam obtinebant, poſtquã non parum negocij tam ſibi quàm Cæſari exhibuere, tandem venerunt in deditionẽ. Totius dux belli Vercingentorix ſumptis ſpecioſiſsimis armis cultoq; equo exceſsit vrbe, Cæſaremq; conſidentem in orbem circumuectus eſt. Ablato inde equo arma abiecit, atq; ad pedes ſe Cæſaris reponens conticuit, dum in cuſtodiam ad triumphum eſt datus.

Cęſaris & Pompeij diſſenſio, et belli ciuilis cauſæ.

Porrò deliberatum iamdudum Cæſari erat euertere Pompeiũ, vt huic ſcilicet illum. Occiſo enim apud Parthos Craſſo, qui vtriq; imminebat, reliquum erat Cæſari, quò euaderet maximus, vt eum, qui erat, profligaret: illi ad id deuitandum, vt anteuerteret eum, quem formidabat, tollere. Id Pompeio, qui Cæſarem deſpiciebat, parum tunc viſum timendũ: perinde ac pronum eſſet eum, ipſe quem euexerat, ruſus deprimere.

Cęſaris calliditas.

Cæſar verò, qui hoc propoſitum à primo habuiſſet in aduerſarijs, velut athleta remouit ſe procul, bellisq; exercitatus Gallicis copias acuit, gloriamq; amplificauit rebus geſtis. vnde in par decus ſublatus eſt Põpeij ornamentis. Prætextus cepit, quos partim ei ipſe Pompeius, partim tẽpora præbuerunt ac Romanæ reip. peruerſitas, qua honorum candidati poſitis in medio menſis ſine vllo rubore nundinabãtur plebem. Deſcendebat in campum mercenarius populus non ſuffragijs pro præbitore: ſed telis, gladijs, fundis decertans.

Populi Rom. corruptio.

Identidem ſanguine & cæde fœdatis roſtris dirempti ſunt, ciuitatem ad interregnũ quaſi ſine gubernaculo relinquentes delabentẽ: vt pręclarè agi putarent ſapiẽtes, ſi in malum quàm regnũ, reſp. non grauius ex tanta inſania & tantis fluctibus euaderet. Multi erant, qui etiã dicere publicè non dubitarent, niſi ſumma rerum ad vnum delata, deploratã rempubl. eſſe, medicumq; tolerandũ, hanc medicinã qui faceret, quàm leniſsimũ, Pompeiũ ſignificãtes. Quod ille

cùm auersari verbo simularet, teuera omni ope eniteretur, dictator vt diceretur: Cato re animaduersa fuit senatui author, vt eum solum faceret cõsulem: ne exprimeret dictaturam, dominatu placatus magis legitimo. Senatus verò tẽpus insuper ei prorogauit prouinciarum. Vtramq; obtinebat Hispaniam et Africam totam, quas per legatos regebat, atq; exercitus ibi alebat. in quorum stipendium accipiebat ex ærario per annos ducenties quadragies HS. Inde Cæsar per legatos consulatum petit & suarum item prouinciarum prorogationẽ. Hic Pompeius primò tacuit. at Marcellus & Lentulus repugnauerunt, aliàs Cæsarem odio prosequẽtes, & ad probrũ suggillationemq; eius necessaria non necessarijs cumulantes. Colonis enim, quos Cæsar Nouumcomũ nuper in Galliã deduxerat, ciuitatẽ ademerunt, & consul Marcellus vnum illius coloniæ decurionẽ, qui Romam venerat, virgis cecidit, addens hanc se ei inurere notã, quòd ciuis Romanus nõ esset. abiret eamq; Cæsari ostenderet. Post Marcellũ cùm Cæsar iam omnibus remp. tractantibus opulentiam propinasset Gallicã affatim hauriendam, Curionem tribunum plebis magno ære alieno liberauisset, consuli donasset Paulo septuagies quinquies HS. quo argento celebrẽ illam basilicã iuxta forum loco Fuluiæ ædificauit dedicauitq;: tum demũ coitionẽ istam Pompeius veritus per se & amicos in id incubuit apertè, successor prouinciæ vt Cæsari mitteretur: misitq; repetitũ milites, quos ei ad bellum Gallicũ commodauerat. Eos Cæsar donatos millenis nummis remisit. qui hos reportauerunt, rumorem sparsetũt de Cæsare fœdum & malignũ, vanaq; spe labefecere Pompeiũ, quasi desideraret eum exercitus Cæsaris: & quãvis res vrbanas propter inuidiã & reip. peruersitatem ægrè tenebat, Cæsaris copiæ essent ei tamen promptæ: ac cùm primùm transcendissent in Italiam, mox ad eum defecturæ: adeo assiduis expeditionibus acerbũ eis Cæsarẽ & suspectum dominatus metu factũ. His Pompeius inflatus delectum militum quasi nihil timens negligebat, premebat verò Cæsarem, vt putabat, verbis & decretis. quæ ille floccipendebat. Imo fama est vnum ex missis ab eo cẽturionibus, qui pro curia stabat & audiebat nolle Cæsari senatum prorogare prouinciã, dixisse: At hic dabit: manu capulũ gladij pulsantẽ. Verùm Cæsaris tamen postulata honestã speciem magnificamq; habebant. Offerebat arma positurũ se, modò idẽ faceret Pompeius, ac sic vt ambo priuati peterent populi beneficia. quando qui se spoliabãt exercitu, & illi confirmabant, vnũ premendo alterũ facerent dominum. Has conditiones cùm in concione Curio Cæsaris nomine proponeret, ingenti est plausu exceptus. Aliqui etiã coronas in eum sicut athletam floribus spargentes iactauere. Antonius tribunus plebis epistolã hisce de rebus à Cæsare allatã protulit in concionẽ & consulibus inuitis recitauit. In curia Scipio socer Pompeij sententiã dixit, Cæsarem, nisi præfinita die discessisset ab exercitu, hostem declarandum. Discessionem consulibus facientibus, an dimissurus Pompeius exercitũ esset, iterumq; an Cæsar: in hanc partẽ exceptis paucis omnes, in illã pauci discessere. Ibi postulãte Antonio, vt discessio fieret, an deponerent ambo prouincias, in eam omnes pariter iuere. Verùm instante Scipione & Lentulo cõsule clamante armis cum latrone non decretis agendũ: in præsentia dimissus est senatus, luctuq; ob dissensionẽ vestes mutauere. Mox literæ allatæ à Cæsare sunt, quæ moderatæ videbantur. Ostendebat enim dimittere se cætera omnia velle, tantùm postulabat, vt sibi Gallia cisalpina & Illyricũ cum duabus legionibus concederent, dum secundũ consulatũ peteret. Ac Cicero orator modò ex Cilicia reuersus de reconciliatione agens molliebat Pompeiũ. Hic verò reliqua permittens adimebat legiones: & Cicero induxit amicos Cæsaris iã remissiores, vt contenti antedictis prouincijs et militibus solùm sex millibus inirent concordiã. Flexo Põpeio & cõcedente cõsul reclamauit Lentulus, atq; insuper Antoniũ et Curionẽ probris laceratos curia deformiter exegit. Itaq; speciosissimũ ipse dedit Cæsari colorẽ, quo potissimum inflãmauit milites, claros viros & tribunitia potestate preditos ostendens meritoria rheda & vestitu seruili profugisse. Ita enim instructi clàm metu exierãt Roma. Erant eo tempore apud eum non amplius trecenti equites & quinq; millia legionariorũ. Reliquum enim exercitũ trans Alpes relictũ adducturi erant legati eius. Quòd aũt videret cœptorũ exordiũ & aggresionẽ non magnam manũ requirere in præsentia, sed terrore potiùs audaciæ & tẽporis celeritate præcipiendã (quippe perculsurũ citius inexpectatum se, q̃ si cum apparatu ingrueret, impulsurũ aduersarios) imperauit tribunis & centurionibus, vt gladijs modò accincti relictis armis alij Ariminum amplã Galliæ vrbem, quàm maximè fieri posset, sine sanguine & tumultu occuparẽt. Exercitũ cùm tradidisset Hortensio, diem in publico traduxit gladiatoribus exercentibus se assistens spectator.

Cæsar secundũ consulatum, & prorogari prouinciam petit.

Cæsar corrumpit magistratus Romanos.

Põpeius legiones à Cæsare repetit.

Cæsaris postulata à senatu.

Antonius et Curio ex vrbe profugiunt ad Cæsarem.

Paulò ante vesperũ curato corpore conuiuiũ ingressus hæsit paulisper apud cõuiuas. Inde primis tenebris surrexit: ac reliquis comiter appellatis & operiri se iussis quasi regressurum, paucos amicos præmonuit: ne eadẽ omnes, sed alius alia via sequerent̃. Ipse vehiculo cõscenso meritorio aliam viam iniit primò, mox flexit Ariminũ. Vt venit ad amnẽ, qui Galliam cisalpinã à cætera Italia secernit, Rubico dicit̃: & reputare ipse cœpit secũ, cùm ad periculũ accederet, & fluctuaret cœptorũ mole: cursum sustinuit. atq; subsistens in itinere multa secũ agitauit animo, ac tacitus huc illuc sententiã versauit, habuitq́; cõsilium eius tunc plurima volumina: multũ etiã cum amicis, qui secũ erant, inter quos fuit Asinius Pollio, disceptauit pẽsans: trãsitus suus quãta mortalibus allaturus mala, quantumq́; de eo sermonis essent posteris relicturi. Ad postremum cum quodã ardore quasi deiiciens se ex rationibus in euentũ, atq; hoc præfatus vulgare in fortunas se demittentibus ancipites & audacia cœpta præludiũ, Iacta esto alea: aggressus est transitũ.

Cæsaris ad Rubiconem hæsitatio.

Inde citato cursu cõtendens Ariminũ ante lucẽ ingreditur & occupat. Dicitur nocte, quæ trãsitum Rubiconis antecessit nefariũ habuisse somniũ. Visus sibi est matrẽ suam stuprare.

Iacta est alea, prouerbium, eiusq; vsus.

Cæsar Ariminũ occupat: eiusq; somnium.

Arimino capto tanquã porta bello in omnẽ terram & mare pariter patefacta, legibusq́; ciuitatis cum prouinciæ confusis terminis nõ viros diceres mulieresq́; vt alias attonitos per Italiã palari, verùm ipsas sedibus suis excitas fuga inter se discurrere ciuitates: Romã verò quasi fluctibus circumiectorũ populorũ fuga & migratione impletam. quam neq; magistratus sedare facile, neq; verbis vllus valeret reprimere: vt parũ abfuerit, quin magnis in vndis et iactatione propè à semet ipsa fuerit euersa. quippe diuersi æstus motusq́; omnia graues tenebãt. Neq; enim, quę exultaret, pars quiescebat: sed cùm perterrita & mœsta passim cõcurrens in magna vrbe & insultans conflictabatur cum ea de euentu, ipsumq́; per se obstupefactũ alius aliunde solicitabat Pompeiũ: cùm hi obiicerent, ꝙ Cæsarem contra se & rempub. euexisset, luere eum pœnas: alij ꝙ de iure suo cedentem atq; æquas offerentẽ pacis cõditiones Lentuli permisisset cõtumeliis. Fauonius terrã iussit ei pede pulsare. ꝙ iactabundus aliquando in senatu dixisset, ne laborarẽt patres, neq; de belli apparatu essent soliciti: se, vbi tellurẽ pede percussisset, Italiã legionibus impleturum. At tamen superabat tunc quoq; Cæsarẽ Pompeius copiarũ numero. verùm nemo eũ suis permittebat vti cõsiliis. Ita multis nunciis, mendaciis, & terroribus quasi ingruente iam hoste & omnia tenente cedens cõmuni est impetu impulsus, decretoq́; tumultu vrbem reliquit, senatũ sequi iubens, nec remanere quenquã, qui tyrannidi anteferret patriam & libertatẽ.

Vrbis Romanæ sub Cæsaris aduentum perturbatio.

Pompeius ex vrbe fugit.

Ac cõsules ne solennibus quidẽ ante profectionẽ peractis sacris fugã arripuere. Fugerunt & senatores plerique, raptura quodammodo de ꝓpriis, quod ad manum erat vt de alienis sumentes. Fuere, qui Cæsaris pridẽ admodũ studiosi consilio suo tunc exciderũt, vnaq́; cum illo fluctu transuersi nulla necessitate ablati sunt. Vrbis verò miserabilis facies tanta ingruẽte tempestate erat: quæ nauis modo à gubernatoribus deploratæ in id, quod sors obtulisset, videbat̃ impactura. Quę quanquã tam fuit calamitosa fuga, hoc exiliũ homines tamen ducebãt Pompeii causa patriã esse, Romã verò vt Cæsaris castra deserebãt. Quando Labienus quoq; Cæsari familiarissimus, qui eius in Gallia legatus fuerat, ac sub eo per totũ bellũ decertauerat fortissimè, tunc illo relicto transiit ad Pompeiũ. Cæterùm huic remisit etiam pecuniã & sarcinas Cæsar.

Labienus transit à Cæsare ad Pompeium.

Hinc castra posuit sub muris Corfinii, quod Domitius cum triginta cohortibus tenebat. Hic spe abiecta salutis poposcit à seruo suo medico venenũ, datumq́; pro letali hausit. Mox mirifica accepta Cęsaris in captiuos humanitate deplorauit se caloremq́; incusauit cõsilii sui. quẽ vbi medicus erexit, somnificũ indicans nõ funebre bibisse cum medicamentum: surrexit admodũ hilaris, & ad Cæsarem cõtendit, dataq́; sibi ab eo venia iterũ profugit ad Pompeium. His Romã nunciatis recreati sunt homines, redieruntq́; eò aliqui ex fuga. Cæsar Domitii copias accepit aliasq́;, quas per municipia ex Põpeii delectibus occupauit.

Domitius dimissus à Cæsare.

Auctus iam magno exercitu ac terribili in ipsum mouit Pompeiũ. Ille nõ expectato eius aduentu fugit Brundusiũ, ac consulibus Dyrrhachiũ cum exercitu præmissis paulò post aduentũ Cæsaris soluit, vt in illius vita minutatim singula recensebimus.

Pompeius fugit in Epirum.

Gestientẽ eue stigiò insequi ꝓhibuit Cæsarẽ difficultas nauiũ. Igit̃ Romã est regressus, tota Italia dieb. sexaginta sine sanguine in potestatẽ redacta. qui cùm vrbẽ supra expectationẽ suã offendisset cõpositam & frequentes ibi senatores: appellauit hos benignè & populariter hortans, vt ad Pompeiũ mitterent de ineunda æquis cõditionibus pace. At obtẽperauit nemo, vel ꝙ Pompeiũ timerent desertũ, vel ꝙ secus Cæsarẽ sentire existimarent & verbis tantùm vti speciosis. Cùm tribunus plebis Metellus argentũ depromere ex templo Sa

Cæsar pecuniã ex tẽplo Saturni sumit.

Silent leges inter arma.

turni vetaret ei, ac certas leges allegaret: dixit nõ idem armorum ac legum tempus esse. Quòd si hæc, inquit, quæ ago, offendunt te, facesse in præsentia. Ferocia verba bellũ non admittit. Vbi patefacta arma deposuero, tunc age populariter. Atque hæc dico de iure meo remittens. Nam & tu & omnes alij, quos ex aduersarijs meis cepi, in arbitrio estis meo. Sic ad Metellũ fatus profectus est ad fores ærarij. Non cõparentibus clauibus fabros acciuit, rumpi iubẽs eas. Intercedenti iterũ Metello laudantibusq; eum quibusdam, intenta voce mortẽ ei, ni desisteret ab importunitate sua minitatus est. Atq; hoc, inquit, haud te latet adolescens dictu mihi q̃ factu esse difficilius. Hæc verba effecerũt, vt tum Metellus in præsentia metu attonitus abscederet, tum reliqua facilè & expeditè ei subministrarent ad bellum. Hinc in Hispaniã cum exercitu profectus est, priùs statuens Afranium & Varronẽ Pompeij legatos summouere, illiusq; legiones et prouincias redigere in potestatẽ suam: inde in Pompeiũ nullo relicto à tergo hoste pergere. Et quamvis in crebra pericula hinc corpore insidijs circumuẽtus, hinc præsertim per famẽ exercitus sui incurrisset: nõ antè tamen insectari, lacessere, circumuallare destitit illos: quàm castris eorũ & copijs esset potitus. Duces refugerunt ad Pompeiũ. Reuerso ad vrbẽ socer Piso consuluit, vt de pace mitteret ad Põpeiũ. Ei Isauricus venditans se Cęsari repugnauit. Dictator ab senatu dictus exules reduxit, & proscriptorum sub Sylla liberos famę restituit, formaq; aliqua tabularũ nouarũ obæratos vsuris subleuauit, atq; alia eiuscemodi nõ multa delibauit instituta. Diebus aũt vndecim dictatura abdicauit se: ac postquàm se & Seruiliũ Isauricum cõsules declarauit, ad bellum cõuertit animum. Cæteras quidẽ copias in itinere properãs prçterijt. Equites verò secũ trahens delectos sexcẽtos & quinq; legiones circa solstitiũ brumale ineunte mense Ianuario, qui apud Athenienses Posideõ sit, in salũ demisit se, transmissoq; mari Ionio Oricum & Apolloniã capit. Nauigia retrò Brundusium ad milites, qui tardiùs aduenerãt, remittit. Hi dum in itinere erant, vtpote corporibus iam defecti atq; ex hostiũ multitudine fatiscentes querebant de Cæsare huiuscemodi verbis: Vbi tandẽ, & quam ad metã concedet nobis iste quietẽ, qui circundu cit nos, vtiturq; sicut ferreis & inanimatis? Succumbit etiã ictibus ferrũ, & scuto aliquãdo loricæq; in tanto tempore parcit. An non ex vulneribus reputat Cæsar mortalibus se imperare, mortalibusq; nos calamitatibus & doloribus esse obnoxios? Hyemi & venti in pelago tempestati facere vim ne deus quidẽ potest. At hic tam proiectè subit pericula, quasi fugeret nõ consectaretur hostes. His dictis lentũ iter Brundusiũ faciebant. quò vt conuenerunt, & soluisse cõpererunt Cæsarẽ: subitò mutato animo increpauerunt semet ipsi, proditores appellantes imperatoris: increpauerũt etiã duces suos, quòd iter nõ maturassent. Considebant in promontorijs & ad mare, Epirumq; intensis oculis naues prospectabant, quibus essent ad illũ transmissuri. Apolloniæ Cæsar cùm copias Pompeio non haberet secum pares, quòd cunctarentur reliquæ, quæ erãt Brundusij: suspensus anxiusque consilium init anceps, tantis classibus pelago ab hostibus obsesso, clàm omnibus nauem conscendendi duodecim scalmorum magnitudine, eaq; Brundusium petendi. Igitur noctu veste tectus seruili conscendit, atq; se vt contemptum aliquem silentio abiecit. Cùm verò Anius amnis in pontum deferret nauem: matutinam auram, quæ aliàs in ostio præbebat tranquillitatem longè vndas impellens, extinxit vehemens nocte increbrescens marinus ventus. Ex æstu maris & fluctus occursu efferatus asperatusq; fluuius, simul ingenti fragore grauibusq; retrò inhibitus vorticibus superari à gubernatore nulla ratione potuit. Itaque conuertere nauem nautis, vt remearet iussit. Id Cæsar intelligẽs, qui sit, aperit gubernatori: apprehensaq; manu eius ad aspectum suum obstupefacti: Perge age, inquit, audacter: nec quicquam time. Cæsarem vehis, vna que Cæsaris fortunam. Ita tempestatis nautæ obliti, ac remis incumbentes instutere magna alacritate vrgere flumen. Vbi verò nequicquam fatigauerunt se, atque multa accepta aqua periculum subijt Cæsar in ostio: permisit perquàm inuitus gubernatori recipere cursum. Egresso occurrerunt cateruatim milites, expostulaueruntq; cum eo & indignati sunt maiorem in modum: quòd dubitaret vel solis cum ipsis vincere hostes posse, sed cruciaretur offerret que se discrimini ob absentes, vt præsentibus diffidens. Inde appulit Antonius copias Brundusio adducens. Tum confirmatus Cæsar lacessiuit Pompeium. Ceperat hic commodum castris locum, ci que necessaria affatim terra mari que subuehebantur: cùm ille non ageret in affluentibus commeatibus, pòst etiam grauiter difficultate necessariorum premeretur: ac radicem quandam contunderent milites, eaq; lacte subacta vescerentur. Panes quoq; ex ea confectos prouecti ad hostiũ stationes

Cæsaris expeditio in Hispaniã contra Pompeij legatos.

Cæsar iterum consul.

Cæsar in Epirũ transmittit.

Veteranorum querimonia cõtra Cæsarem.

Cæsaris facinus audax.

Cæsaris difficultates in Epiro.

tiones intrò miſerunt proieceruntꝯ cum hiſce verbis: quovſque eiuſcemodi tellus ferret radices, non deſituros ſe obſidere Pompeium. At Pompeius nec eos panes nec ſermones permiſit in vulgus militum efferri, ne flacceſcerent immanitatem ac duritiem milites hoſtium quaſi ferarum horrentes. Serebantur quotidie circa vallum Pompeij tumultuariæ pugnæ in quibus Cæſar omnibus ſuperior extra vnam fuit: in qua cùm fœdè fugerent ſui, caſtra penè amiſit. Nam cùm eos eſſet Pompeius adortus, nemo locum tenuit: ſed & foſſæ cæſorum corporibus impletæ ſunt, atꝯ ad vallum ſuum munitionesꝯ effuſè fugientes cecidere. Fugam occurrens Cæſar cùm ſiſtere niteretur, nihil profecit. Cùm ille ſigna corriperet, abijciebant ea ſigniferi, ac triginta duo in poteſtatem hoſtium venere. Cæſar ferè fuit oppreſſus. Cùm enim militi vaſto & robuſto fuga eum præuehenti manus inijciens manere & conuertere ſe imperaret in hoſtem: ille turbationis in diſcrimine plenus gladio manum ad eum cędendum admouit: cuius occupauit humerum armiger Cæſaris abſcindere. Adeo autem res deploratæ Cæſaris erant: vt cùm Pompeius ſiue ſuſpicione aliqua ſiue fortuna non eſſe actum tam eximiũ proſecutus, ſed compulſis intra vallum ijs, qui fugiebant, receptui ceciniſſet: diceret diſcedens Cęſar ad amicos: Hodie penes hoſtes victoria erat, ſi haberent vincentem. Tabernaculum ingreſſus decubuit, noctemꝯ egit omnium illam in perplexis conſilijs mœſtiſsimam: quòd belli gerendi rationem inſtituiſſet imprudenter. qui cùm ager in propinquo latus eſſet vrbesꝯ abundantes Macedoniæ & Theſſaliæ, prætermiſſo illuc conuertere bellum, ibi ad mare pręualentibus claſſe hoſtibus ſederet, obſeſſus magis rerum penuria neceſſariarũ, quàm armis obſidens hoſtes. Ita conflictatus & ſolicitatus anguſtijs atque difficultate rerum ſuarum vaſis conclamatis ducere aduerſus Scipionem in Macedoniam conſtituit: ratus aut ſe attracturum Pompeium eò, vbi non perinde copiam maritimam habiturus ad manum eſſet, aut deſolatum oppreſſurum Scipionem. Id exercitum ducesꝯ Pompeianos excitauit, Cæſari vt inſtarent tanquam victo & fugienti. Nam ipſe quidem Pompeius Martis aleam iácere tantis de rebus dubitabat: & quòd omnibus eſſet ad prolatandum bellum optimè inſtructus, in animo erat ei hoſtium temporariũ vigorem atterere & exhaurire. quippe pars Cæſaris copiarum bellaciſsima peritiam habebat & audaciam in prælijs, quam nemo ſubſiſteret. In mouendis verò huc illuc & muniendis caſtris, oppugnandis muris atque excubijs agendis flacceſcebant prę ſenio, corporaꝯ ægrè ad labores moliebantur ob debilitatem corporis alacritate deſtituti. Adhæc lues dicebatur horridi comes victus in exercitu Cæſaris vulgari. & quod erat grauiſsimum, cùm nec re pecuniaria validus eſſet, nec abundaret commeatibus: breui videbatur ſua ſponte collapſurus. Quapropter detrectanti prælium Pompeio vnus, quò ciuibus parceret, aſſentiebatur Cato. quippe cùm cecidiſſe in ſuperiori acie de hoſtibus ad mille conſpexiſſet: operto capite abſceſsit lachrymans. Cęteri tergiuerſantem Pompeiũ increpabant iritabantꝯ omnes, Agamemnonem & regem regum appellantes, quaſi deponere nolentem imperium, ſed gloriantem: quòd tam multi duces parêrent ſibi & tabernaculum ſuũ frequentarent. Fauonius Catonis libertatem in loquendo vecorditer vſurpans quiritabatur: quòd eo anno ficubus Tuſculanis veſci ob Pompeij regnum non liceret. Afranius, qui ex Hiſpania nuper re malè geſta venerat, calumnia preſſus exercitum pecunia prodidiſſe rogabat: quid ita non cum mercatore, qui nundinatus ab ſe fuiſſet prouincias, dimicaret? His omnibus Pompeius ad confligendum contra ſententiam ſuam cõpulſus perrexit Cæſarem inſequi. Ille reliquum iter aſperum habuit commeatuum comparandorum præbente copiam nemine, ſed omnibus eum ob recentem cladem deſpicientibus. Vt Gomphos Theſſaliæ vrbem cepit: non modò aluit exercitum, verùm etiam morbo mira ratione explicauit. quippe illic cùm magnũ numerum vini inueniſſent: eo largiùs hauſto commeſſabundi inde et bacchabundi in via ex crapula propulſauerunt alteraueruntꝯ morbum conuerſi in diuerſam corporis habitudinem. Vt verò in campos Pharſalicos ambo deuenere & caſtra ſunt metati: Pompeius conuertit denuo ad priſtinũ conſilium mentem, cùm etiam dira ſpectra & viſio eſſent ei in ſomnis oblata. Videbatur ſibi à populo Romano plauſu in theatro excipi. At qui eum ſequebantur, adeo erant feroces victoriamꝯ ſpe præceperant: vt de Cæſaris ſacerdotio contenderent Domitius, Spinther, & Scipio inter ſe rixantes: multi Romam mitterent ad conducenda & occupanda ædificia cõſulatum & præturam gerentibus opportuna, quaſi mox à bello geſturi magiſtratum. Gliſcebant præcipuè equites pugnam armorum ſplendore exculti eximiè, equorumꝯ ſagina & corporum nitore inflati, & ob multitudinem quoꝯ: quòd ſe-

Cæſaris exercitus à Pompeio fugatus.

Pompeij conſilia de bello.

Pompeius Agamemnõ, & rex regum appellatus.

Gomphi, vrbs.

Pompeianorum ſecuritas.

Pompeij copiæ Cæsaris copijs septuplo maiores.

ptem millia cum mille Iulianis compararentur. Nec verò peditum erat par numerus, sed committebantur quadraginta quinque millia cum XXII. millibus. Cæsar autem aduocata cõcione demonstrauit militibus Cornificium, qui duas legiones sibi adducebat, non longè abesse: alias quindecim cohortes duce Caleno prope Megaram & Athenas considere: quæsiuitque operiri illos, an dimicare vellent soli? Illi verò conclamarunt orantes, ne rem duceret: sed moliretur potius & rationem iniret, quò signa cum hostibus quàm primùm conferrent. Lustranti exercitum & primam hostiam immolanti nunciauit aruspex intra triduum pugna eum cum hostibus decreturum. Exquirente Cæsare, ecquid in extis portenti de exitu consideraret? Rectius, inquit, tute tibi de eo respondeas. Mutationem enim dij vicissitudinemque in diuersa grandem status præsentis præsagiunt. Itaque si res tuas ducis in præsentia lætas, infestiorem fortunam expecta: sin tristiores, lætiorem.

Ostenta ante Pharsalicam pugnam.

Nocte, quæ pugnam antecessit, cùm vigilias obiret, circa concubiã noctem conspexere facem cœlestis ignis: quæ superlata Cæsaris castris illustris & flammea existens delabi visa est intra Pompeij præsidia. Vigilia matutina panicum tumultum apud hostes animaduertere. pugnam tamen non expectabat in eum diem: sed signa mouit, vt iter Scotusam intenderet. Detensis iam tabernaculis accurrunt ad eum speculatores, instruere se ad prælium nunciantes hostem. Ibi lætus & deos precatus aciem ornat, eamque triplicem instruit. Mediæ Domitium Caluinum præficit. In altero cornu Antonius, in dextro ipse egit: quò in legione decima pugnaret. Huic hostium equitatum conspicatus oppositũ, eorumque veritus alacritatem numerumque: ab vltima acie occultè sex cohortes exciuit, quas locauit pone dextrum cornu: docuitque quid faciũdum esset, cùm hostium equitatus incurreret.

Cæsaris acies in campis Pharsalicis.

Pompeij acies.

Pompeius alterũ cornu ipse tenuit, sinistrum Domitius, mediæ aciei socer eius Scipio præfuit. Totius equitatus moles erat in sinistro cornu ad circumueniendum dexterum hostium atque ad laram fugam circa ipsum ducem efficiendam. Nullam enim arbitrabantur quantumvis profundam peditum aciem substituram, sed obtritum iri omnia conculcatumque impresione tot pariter equitum in hostes facta. Cùm iam in eo esset, vt signa canerent: imperauit antesignanis Pompeius, vt in procinctu atque in vestigio stantes & infesta pila hastasque tenentes hostium impetum exciperẽt, quovsque intra pili iactum venissent. Cæsar verò & in eo ait Pompeium errasse, qui nesciret incitatũ formidabilemque initiò incursum tum ictibus vim addere tum animos inflammare ex omnibus excitatum. Aciem moturus & rem iam aggrediens, primùm cõspicit centurionem fidum sibi et rei militaris expertũ, qui confirmabat manipulares suos concitabatque ad fortiter dimicandum. Hunc nomine compellans: Quid spei, inquir, C. † Crassini, & qd animi habemus? Crassinius dextra ꝓtensa alta voce exclamãs: Insignẽ, inquit, Cæsar victoriã referemus. Me verò hodie aut viuũ aut mortuũ cõmendabis. Sic fatus, primus cursu in hostes irrũpit, suosque secum centũ viginti milites trahit. Dum perrumpit principes, magnaque cæde & vi progreditur: inhibetur traiecto per os gladio, vt mucro sub occipite extaret.

† Crastinus dicitur in comment. Cæsaris.

Pugna Pharsalica.

Ita pedestri certamine media acie commisso & confligente, ex cornu læuo Pompeij equites magno fastu inuehuntur alas ad circumueniendũ dextrum cornu producentes. Prius quàm fecerunt hi irruptionem: cohortes illæ Cæsaris ꝓuolant, non vt assueuerãt pila intorquentes, neque fœmora hostium aut crura cominus cædentes: sed ora petunt faciemque conuulnerant, quod docti à Cæsare fuerant sperante homines iuuenes parum bellis aut vulneribus assuetos, florentes aũt ætate & comatos ob formę decus maximè ea vulnera formidaturos, neque pręsens expectaturos periculum simulque deformitatẽ in posterũ verituros. quod sanè euenit. Neque enim pila elata tolerarunt, neque ferrũ aspicere sustinuerũt sub oculis: sed cõuerterunt se, obuelaueruntque faciẽ, vt eam protegerent. Postremò ita semet ipsi cõturbantes turpissimè terga dedere, summamque rei perdidere. Extemplò eñ qui hos profligauerant, peditatum circundederunt, impetuque facto terga hostium ceciderũt.

Cæsaris strategema.

Cæsar vincit Põpeium.

Pompeius vt equites cõspexit ab altero cornu effusè fugientes, nõ vltrà idẽ ille fuit, nec meminit Magnũ se Pompeiũ esse: verùm nõ secus ac si deus ei mentẽ ademisset, vel clade diuinitùs immissa expauesceret: tacitus recepit se in prætoriũ, ibique sedẽs euentũ expectauit pugnę. quovsque omnibus in fugã cõsternatis adorirenẽ hostes vallũ & cum statione præliarenẽ. Tunc quasi ad mentẽ reuersus, cùm vnã hanc, vti ferũt, vocem misisset: Etiã in castra? depositis insignibus imperatorijs sumptaque fugienti congrua veste eiecit se clàm ex castris. At hic in quos incidit casus, & quemadmodũ tradidit sese Aegyptijs interfectusque est. in cõmentarijs de illius vita edisseruimus. Cæsar postquam in castra Põpeij venit, & strata iam hostiũ corpora est contẽplatus,

Pompeij fuga.

tus, eosq; qui adhuc interficiebantur, gemens ait: Hoc voluerunt, atque huc me neceſsitatis redegerunt: vt C. Cæſar maximis perpetratis bellis, ab exercitu ſi diſceſsiſſem, damnatus eſſem. Hæc memorat Aſinius Pollio verba latinè Cæſarem id temporis dixiſſe, quæ ipſe græcè ſcripſit: Eos, qui cecidere, maxima ex parte fuiſſe ſeruos: qui dum caſtra capiebantur, cæſi fuere. Milites non plus ſex millia interfecti. Pedites captos legionibus ſuis Cæſar ferè immiſcuit. Multis etiam illuſtribus viris dedit incolumitatem, in quibus Brutus qui pòſt eum occîdit, fuit: de quo dicitur non comparente anxius fuiſſe, & cùm veniſſet ad eum ſaluus, maiorem in modum gauiſus. Huius victoriæ multa prodigia fuere.

Victoriæ Cæſaris prodigia.

Clariſsimum traditur, quod Trallibus áccidit. Erat in templo victoriæ Cęſaris ſtatua conſecrata. Solum circumiectũ cùm ſua ſponte erat rigidum, tum duro lapide in ſuperficie conſtratum. Inde referũt palmã ad ſtatuæ eius baſim extitiſſe. Patauij C. Cornelius Auguralis ſcientiæ peritus, Liuij hiſtorici ciuis & familiaris ſub idem fortè tempus operam dabat auſpicio. Hic primùm, vt Liuius author eſt, tempus prælij cognouit, præſentibusq; geri ait nunc rem & prælium duces committere. Vbi iterum aues inſpexit aduertitq; ſigna, fanaticus exilijt clamãs: Vincis Cęſar. Obſtupeſcentibus illis, qui aderant, detracta capiti corona iurauit non prius ſe repoſiturum eam, quàm ar- ti res eſſet ipſa aſtipulata. Hoc Liuius verum eſſe affirmat. Cæſar victoriæ ergô data Theſſalorum genti immunitate Pompeium inſecutus eſt. Cùm Aſiam attigiſſet: Gnidijs Theopompi gratia eius, qui fabulas contraxit, vacationem munerum dedit. Cunctis Aſiam incolentibus remiſit tertiam tributi partem.

Cæſaris clementia.

Poſtquàm Alexandriam mortuo Pompeio appulit: Theodotum, qui caput Pompeij ſibi obtulit, auerſatus eſt. Anulum eius accipiens illachrymauit. Amicos & familiares eius, qui ea in regione palantes capti à rege fuerant, benignè accepit omnes ac beneficijs ſibi deuinxit. Romam ad amicos ſcripſit eum ex victoria capere ſe maximum & iucundiſsimum fructum: quòd quotidie aliquos ciues, qui oppugnauerant ſe, ſeruaret.

Belli Alexandrini cauſæ.

Bellum Alexandrinum alij non neceſſarium, ſed Cleopatræ amore fœdum ei periculorum'que plenum perhibent fuiſſe. Accuſant alij regios, & eunuchum imprimis † Pothinum. qui maxima præditus authoritate occiſo nuper Pompeio, exacta quoque Cleopatra elàm Cæſari ſtruebat inſidias. quapropter ferunt eum exinde cœpiſſe corporis tuendi cauſa in conuiuijs pernoctare. Ac propalàm multa hic ad Cæſaris intolerabilem inuidiam & contumeliam loquebatur faciebat'que. Nam vitioſiſsimum & vetuſtiſsimum militibus metiebatur frumentum addens: ferrent & acquieſcerent, quòd veſcerentur alienis. Ad cœnas vaſis ligneis & figlinis iuſsit miniſtrari, aurea & argentea Cæſarem ferens omnia accepiſſe in ſolutum. quippe patri regis Cæſar ſeptingenties expenſum ferebat. ex quibus cætera liberis eius Cæſar antè condonauerat. Quadringenties tunc repetebat ad ſuſtinendum exercitum. Cùm Pothinus diceret ei, in præſentia vt abiret & magnis negocijs inſiſteret: pòſt cum gratia creditum eum ablaturum: reſponſo dato, minimè ſe Aegyptiorum conſilium requirere, Cleopatram clàm ex agro exciuit.

† Photinum habet comment. Cæſaris.

Cleopatra proficiſcitur ad Cæſarem.

Illa vnum ſecum trahens ex amicis Siculum Apollodorum exiguo acatio conſcenſo primis iam tenebris applicuit ad regiam. Cùm nulla alia ratione poſſet latêre: culcitra inuoluta protendit ſe in longum. Apollodorus cõſtrictam loro culcitrã per portam ad Cæſarem intulit. Atq; hoc primo Cleopatræ commento Cæſarẽ autumãt captũ, quòd lepidã inuenerit: pellectumq; cætera eius comitate & feſtiuitate reconciliauiſſe eam cum fratre hac lege, vt conſors regni eſſet. Huius reconciliationis cauſa epulantibus cunctis ſeruus Cæſaris tonſor ex timiditate, qua omnes mortales ſuperabat, nihil pretermittens inexploratum: ſed intẽtus auribus & curioſus inſidias intellexit Cęſari ab Achilla duce & Pothino eunucho parari. Re comperta Cęſar conuiuiũ ſtatione circundedit, & Pothinũ interemit. Achillas perfugit ad exercitum, belloq; Cęſarem inuoluit graui & difficili cui exigua manu tantæ ciuitati & viribus erat reſiſtendũ. In quo primùm aqua interclusus laborauit: quòd obſtructi ab hoſtibus canales eſſent. Deinde cùm inſiſterent ei adimere claſſem, compulſus eſt periculum propulſare incendio: quo magna bibliotheca ex naualibus depaſcẽte deflagrauit.

Magna bibliotheca Alexandriæ incenſa.

Tertiò cõmiſſa ad Pharũ pugna deſilijt ex aggere in acatium, ſubuenitq; certãtibus. Quia verò vndiq; inuehebantur in eum Aegyptij: proiecit ſe in mare, ſummoq; cũ labore enauit. Dicitur tũc libellos, quos manu tenebat, cùm iaculis peteretur & demergeretur, nõ amiſiſſe: ſed eos ſupra caput tenẽs altera manu nataſſe. Acatiũ ilicò depreſſum eſt. Poſtremò regẽ, qui ad hoſtes deſciuit perſecutus ſigna cõtulit cum eo ac victoria potitus eſt. Multi cecidere. Rege ipſo non cõſtitit quid factũ eſſet,

Cæsario, Cæsaris & Cleopatræ F.

Cleopatra Aegypti regina constituta, quæ filium breui pòst genuit Cæsarionem ab Alexandrinis appellatum, in Syriam contendit. In Asiam profectus Domitium accepit à Pharnace Mithridatis filio fusum ex Ponto cum paucis fugam cepisse: Pharnacem verò immodicè victoria vtentem Bithynia occupata & Cappadocia Armeniæ minori appellatæ imminere, omnesq; illius oræ reges & tetrarchas concitauisse.

Cæsaris de Pharnace victoria.

Igitur mouit confestim in eum tribus legionibus, atque ad vrbem Zelam ingenti commisso prælio fugatum Ponto summouit, exercitumq; eius internecione deleuit. Huius pernicitatem & celeritatem conflictus Romam significans ad amicum quendam * Amintium scripsit tria verba: Veni, vidi, vici. quæ dictiones similiter cadentes non illepidam habent breuiloquentiam.

** Videntur aliqui legisse Amintium.*

Tria Cæsaris verba: Veni, vidi, vici.

Hinc in Italiam traijciens Romam profectus est circumagente se anno, quo dictator iterum dictus fuerat. qui magistratus nunquam ante fuerat annuus. In proximum annum consul est creatus. Malè audiuit, quòd per seditionem militarem duobus interfectis viris prætorijs Cosconio & Galba hactenus castigauerit milites: quòd pro militibus Quirites appellauerit. Diuisit in singulos millenos denarios, agrum'que latum assignauit in Italia. Fuit præterea eius suggillatio Dolobellæ furor, Amintij auaritia, ebrietas Antonij, & † Cornificius sector Pompeij domum eius mutans, quasi non satis amplam. Hæc enim populum Romanum mordebant. Cæterùm Cæsar, quamvis non ignoraret vel probaret ea, cogebatur tamen ad institutum suum vti illis administris.

† Videtur locus mendosus.

Cato & Scipio bellum reparāt in Africa.

Cæsaris expeditio contra Catonē & Scipionē.

Porrò quia Cato & Scipio post aciem Pharsalicam in Africam refugerant, atque ibi regis Iubæ ope magnas coëgerant copias: statuit expeditionem Cæsar in illos suscipere. Circa solstitium brumale traiecit in Siciliam. Vt autem omnem statim ducibus suis spem præcideret cunctationis & moræ: statuit tabernaculum suum in crepidine maris, ac vento oblato conscendens cum tribus millibus peditum & paucis equitibus vela fecit. quibus expositis repetijt clàm mare de maiore exercitus parte solicitus. His iam vela facientibus occurrit, omnes'que in castra deduxit. Hostes verò accipiens oraculo quodam fretos veteri, fatale esse Scipionum gentem semper in Africa inuictam fore: haud facile dictu, ioco an vt seriò ad se traduceret omen: quòd esset in præsidijs suis quidam obscurus alioquin & abiectus, ex familia tamen Africanorum, Scipio Sallutio vocatus fuit: eum in prælijs ante signa vt ducem exercitus locauit.

Cæsaris difficultates in Africa.

Subigebatur subinde lacessere & adoriri hostes. quippe & re frumentaria deficiebantur milites, neque suppeditabat pabulum iumentis: sed algæ marinæ abluta salsugine pauculam herbam pro condimento admistam obijcere equis cogebantur. Numidæ enim frequentes & expediti subitò exorientes regionem vndique habebant infestam.

Cæsaris in Africa pericula.

Feriantem aliquando Cæsaris equitatum (nam fortè Afer quidam saltationem ostentabat, simulq; ad miraculum vsque canebat tibia: quo oblectati milites considebant atque equos commiserant pueris) circumfusi repentè adoriuntur hostes, partim obtruncant, partim effusè ad castra fugientibus Iulianis vno agmine irrumpunt. Quòd ni Cæsar ipse, vna'que Asinius Pollio suppetias ferentes extra vallum fugam repressissent, transactum erat bellum. Præterea alio in conflictu signis collatis superiores hostes fuere. In eo fugientem Cæsar aquiliferum collo dicitur corripuisse ac conuertisse dicens: Hîc hostes sunt. His erectus successibus Scipio est ad aciem dimicandum: relicto'que seorsum Afranio, seorsum etiam Iuba, qui castra exiguo inde interuallo habebant, instituit Scipio super lacum præsidium munire prope vrbem Tapsagum, quò id omnibus ad pugnam arx & refugium foret.

Cæsaris victoria in Africa.

Dum in eo est, Cæsar loca saltuosa & impedita incredibili celeritate transmisit: atque alios circumuasit, alios in frontem est adortus. quibus fusis fugatisq; occasione & impetu fortunæ vsus est: quo momento Afranij castra cepit, momento Iuba fugiente Numidarum castra diripuit. Ita diei vnius exiguo spacio trinis potitus castris cæsis hostium millibus quinquaginta, ne quinquaginta quidem desiderauit de suis. Ita aliqui de pugna illa tradunt. Negant alij rei gerendæ illum interfuisse: sed dum instruit & adornat exercitum, solito morbo correptum. quem vt primùm sensit ingruentem, prius quàm inuaderetur & occuparetur prorsus à malo sensus, trementem iam in proximam turrim ablatum fuisse atq; ibi quieuisse. Ex ijs, qui ex acie refugere, cōsularibus & prætorijs viris alij, dum comprehenduntur, semet ipsi interfecere: multos Cæsar captos necauit. Catonem in potestate habere viuū affectans Vticam properauit. quam vrbē seruans non interfuit Cato pugnę.

Cæsari doluit Catonis mors.

Vbi verò est ad eum allatum, manus sibi Catonē intulisse: ostendit ea re morderi se Cæsar. Qua verò de causa obscurū est. ait autē: Inuideo Cato hoc letū tibi. nempe tu mi-

hi

hi salutẽ inuidisti tuam. Enimverò quam postea in Catonem scripsit defunctũ orationẽ, nõ apparet sereni vel placabilis in eum animi esse significationem. quî enim pepercisset viuenti, cùm in exanimẽ tantam effuderit bilẽ? At ex eius aduersus Ciceronem, Brutũ, atque infinitos alios hostes suos augurantur clementia nec librum illum odio, sed ciuili adductum ambitione commentatum fuisse ex huiuscemodi causa: Scripsit Cicero Catonis laudationem: cui libro Catonem nomen reddidit. Is nimirum omnium manibus terebatur vt ab oratore eloquentissimo in argumento factus præstantissimo. Pupugit id Cæsarem notam suam ratus mortui ipsius causa celebrationem. Ea in oratione vim magnam criminum in Catonem congessit. Libello Anticatoni titulum fecit. Habet vterque liber æmulos Cæsaris & Catonis causa multos.

Cæsar scrip... in Catonẽ mortuũ.

Cicero laudationem Catonis scripsit.

Vt verò ad vrbem est ex Africa regressus: primùm hanc victoriam in concione venditauit, commemorans se tam latum subegisse tractum: qui vectigal quotannis penderet frumenti ducentena millia medimnûm Atticorum, olei tricies centena millia librarum. Inde tres triumphos duxit, Alexandrinum, Ponticum, Africanum non de Scipione, sed de rege Iuba scilicet. Ibi Iuba filius eius admodum puer in triumpho ductus est. Fortunata fuit ei captiuitas: qui inde ex barbaris Numidis inter eruditissimos historicos recensetur. Sub triumphos ingentia præmia largitus est militibus, populumq́ epulis & spectaculis deliniuit. Excepit eum tricliniorum in summa viginti duobus millibus. Spectacula edidit gladiatorum & prælij naualis in filiæ Iuliæ honorem iamdudum defunctæ. A' spectaculis censu acto pro trecentis viginti millibus ciuium, quot superiore censu fuerant, censi sunt in totum centum quinquaginta millia. Tantam inflixit bellum ciuile cladem, tantamq́ populi portionem absumpsit: vt taceam acceptas per reliquam Italiam & prouincias calamitates.

Cæsaris tres triumphi.

Iuba filius historicus.

Pop. Ro. census.

His peractis consul quartùm designatus in Hispaniam cum exercitu profectus est contra Pompeij liberos. qui licet iuuenes etiamnum, immensum tamen numero coëgerant exercitum, animosq́ ostendebant ei imperando parem. vnde in periculum extremum est adductus Cæsar. Magnus conflictus est ad vrbem Mundam commissus. in quo inclinatam aciem suam Cæsar & ægrè resistentem cernens, clamauit per medios discurrens armatos & ordines: ecquid eos puderet, quòd pueris se proditum irent? Hostibus tandem acri contentione pulsis triginta millia ex illis oppressit, ex suis mille desiderauit fortissimos quosq́. Reuertens à pugna dixit ad amicos, sæpè se pro victoria, in præsentia verò pro vita primùm dimicasse. Hanc victoriam obtinuit Saturnalibus. quibus Pompeius Magnus quoq́ ad bellum profectus dicitur spacio annorum quatuor interiecto. Ex Pompeij liberis minor est elapsus. Maioris paucis pòst diebus Didius caput retulit. Hoc Cæsar bellũ gessit nouissimũ. Quẽ de eo duxit, triumphus supra modũ fuit Romanis acerbus. Neq́ enim alienigenis ducibus vel regibus oppressis barbaris, sed viri Romani summi calamitate afflictis liberis & familia semel oppressis fœdũ habebatur patriæ insultare calamitatibus, atq́ exultare ob has: quarũ vnica apud deos atq́ homines, q́ necessariò esset eò cõpulsus, existebat defensio: idq́ cùm antè nec nuncio nec literis victoriam ex bellis ciuilibus relatam publicè significasset, sed gloriam illam reiecisset rubore.

Cæsaris quartus consulatus.

Munda, vrbs.

Cæsaris de Pompeij liberis victoria.

Cæsaris de Pompeij liberis triumphus.

Veruntamen ad Cæsaris fortunam inclinantes Romani frænumq́ accipientes, atque à bellis intestinis arbitrantes dominatum respirationem, dictatorem perpetuum eum dicunt. Erat vera ea tyrannis, cùm ad potestatem absolutam accessisset perpetuitas. Primos honores, quos humanum sanè capiebat fastigium, cùm Cicero ei in senatu decreuisset, alij immodicis certatim adijciendis Cæsarem vel apud placidissimos inuidiosum reddidere & odiosum ob tumorem & nouitatem decretorum: in quibus non minus inimicos Cæsaris quàm adulatores putant elaborasse: quò pluribus ex occasionibus & offensionibus maximis in eum viderentur insurgere. quando cætera bellis explicatis ciuilibus præstitit sese irreprehensibilem. Ac clementiæ quidem ædem tunc non immeritò ad honorandum lenitatem Cæsaris decreuisse eos dicas. quippe hostibus suis multis salutem dedit, nonnullis honores quoq́ & magistratus, velut Bruto & Cassio addidit. quorum erat vterque prætor. Iam statuas deiectas Pompeij non permisit iacere, sed reposuit. Quamobrem Cicero ait: Cæsar, dum Pompeij statuas erigit, suas stabilit. Monentibus eum amicis, stipatoribus vt cingeret se, multisq́ ad id se offerentibus non sustinuit, præstare dicens semel mori, quàm semper timere. Sepiens verò se vt optimo iuxtà ac fidelissimo custode beneuolentia, populum iterum epulis & tesseris annonarijs deliniuit, milites colonijs deducendis: quarũ fuerunt clarissimæ Carthago & Corinthus. quibus & capi antè & tunc instaurari vna eademq́ue tempestate ambabus contigit,

Cæsar dictator perpetuus.

Cæsaris clementia.

git. Principibus partim consulatus & præturas obtulit in posterum. Alios alijs imperijs & honoribus leniuit. Omnibus bonam spem ostendit affectans volentibus imperare. Itaque cùm Maximus consul decessisset, in diem vnam magistratus reliquā consulem creauit Caninium Rebilium. Ad quem de more salutandum & prosequendum multis contendentibus Cicero: Maturemus, inquit, priusquàm ille abeat magistratu. Quia verò ingenium eius grandia moliens & affectans multæ res præclarè gestę non ad fruendum elaboratis vertere, sed vt incitamenta & fidentia in futurum, maiorum rerum infuderunt cogitationes, nouæq; gloriæ cupiditatem quasi consumpta præsenti: motus erat eius nihil aliud, quàm ipsius secum tanquam cum alio æmulatio & contentio quædam superandi consequentibus patrata. Parabat & instituebat Parthos bello petere. His subiugatis per Hyrcaniam secundum mare Caspium & Caucasum ambire Pontum, atque ita Scythiam inuadere: incursatis'que quæ Germaniæ circumiecta sunt ac Germania ipsa per Galliam regredi in Italiam, atque hunc committere imperij Romani Oceano vndique circunscripti orbem. Interea dum expeditio ea paratur, Isthmum Corinthium perfodere molitus est. Hinc Anienem in animo habebat Tiberimq; statim ab vrbe alta exceptos fossa atque ad Circeum deflexos in mare ad Tarracinam deducere: quò securum & pronum meicatoribus cursum pararet ad vrbem. Adhæc paludes in Nomentanis & Setinis deriuare atque efficere campum, qui multa millia posset capere agricolarum. Proximo vrbi mari claustra aggeribus imponere, cæcumq; & importuosum Ostiæ littus repurgare, ac portus ibi molin stationesq; tantæ sufficientes nauigationi. Atque hæc instituebantur. At fastorum ordinatio atque inæqualitatis anni correctio ratione mathematica scitè explicata ad exitumq; perducta vsum præbuit elegantissimum. Namque Romani non modò temporibus admodum vetustis non habebant certos & congruētes cum anno mensium anfractus: vt sacrificia & festi dies paulatim labentes in diuersas incurrerint à temporibus suis tempestates: verùm solaris etiā, qui tunc obtinebat, cæteris erat prorsus cæcus. Soli sacerdotes momentorum conscij repentè ac nemine præsentiente mensem intercalarem asscribebant, cumq; nuncupabant Mercedonium, quem interiecisse rex Numa princeps dicitur: quod, vt in vita illius prodidimus, minutulum excogitauit & nō diuturnum in lapsibus emendationis auxilium. Cæsar verò philosophis & mathematicis præstantissimis hac re delegata effecit ex suppeditante iam via & ratione singularem quandam & exactiorem correctionem: qua hactenus populus Romanus vtens non perinde ac cæteri videtur in discrepantia illa claudicare. Verumenimvero verterunt hoc quoq; inuidi & potentiam eius exosi in crimen. siquidem Cicero orator, cùm diceret quidam cras Lyram orituram: Nempe, inquit, ex edicto: quasi id quoq; reciperent per imperium homines. At odium maximè illustre in eum & funestum effecit regni cupido: quæ vulgo prima materia & iampridem in occulto maleuolis color fuit speciosissimus. Et quidem rumorem in plebem vulgauerunt illi, qui hoc honoris quærebant Cæsari, libris Sibyllinis proditum, vinci Parthos à Romanis posse, si rege duce bellum cis mouissent, esse ipsis alioquin insuperabiles: ac redeuntem Alba ad vrbem Cæsarem ausi fuere salutare regem. Indignante populo ille offensus, non regem ait se, sed Cæsarem vocari. Ibi cùm obticuissent cuncti, planè tristis dolens'que transijt. Cùm in senatu eximios honores ei decreuissent, sedebat fortè pro rostris. Adeuntibus eum consulibus & prætoribus atq; vniuerso sequente senatu non assurrexit: sed quasi ageret cum priuatis, respondit contrahendos magis quàm ampliandos sibi honores. Id non senatum modò, verùm populum etiam offendit tanquam despecta in patribus republ. atque ilicò illi, quibus licebat non adesse cum ingenti mœrore receperunt se. Digressus est Cæsar quoque re animaduersa domum: nudatoq; iugulo apud amicos exclamauit paratum se esse cuilibet eum ad cædem offerre. Pòst ferunt eum causatum morbum. negauit enim sensum constare ita affectis, cùm in concione stantes agant cum populo: sed vibrare statim eos membris, turbatosq; vertigine corripi, atque sensum eis intercludi. Cæterùm aliter res se habebat. siquidem cupiebat omninò senatui assurgere: sed ferunt eum ab amico vel adulatore potiùs retentum Cornelio Balbo. qui dixit: Non meministi te esse Cæsarem, neque vis pro maiestate tua coli? His offensionibus successit cōtumelia eius in tribunos plebis. Lupercalia agebantur. quæ multi tradunt fuisse festum olim pastorum. Congruunt aliquatenus eum Arcadicis Lycæis. Nobiles iuuenes frequentes & magistratus nudi per vrbem discurrunt hirsutis scuticis obuios per ludum & iocum cædentes. Multæ quoque principes fœminæ

Marginal notes: *Caninius in vnum diē consul.* — *Cæsaris conatus* — *Cæsar anni inæqualitatē correxit.* — *Mercedonius, mensis.* — *Cæsar cur odio sit habitus.* — *Cæsar Senatui non assurrexit.* — *Lupercalia.*

næ ex composito offerunt se illis, ac manus ferientibus sicut in ludo literario offerunt, creduntq; id ad facile puerperium prægnantibus, & infœcundis proficere ad conceptū. Id Cæsar pro rostris aurea sedens sella vesteq; ornatus triumphali spectabat. Antonius autem, quòd consul esset, vnus erat Lupercorum. qui postquàm in forum decurrit, & plebs dimouit se: porrexit Cæsari circumiectum lauream diadema: ac plausus non magnus, sed obscurus est de industria consecutus. Quod vbi repulit Cæsar, populus vniuersus applausit. Illo iterum diadema admouente, pauci: reijciente Cæsare, ex integro cuncti. Ita periculo facto Cæsar surgens coronam in Capitolium misit. Iam statuæ quoq; eius regijs reuinctæ diadematibus conspiciebantur. Ea duo tribuni plebis Flauius & Marullus detraxere: illosq;, qui Cæsarem primi salutauerant regem, requisitos in carcerem duxere. Secutus populus est applaudens, eosq; Brutos appellauit: quòd Brutus fuisset, qui regum abolita successione imperium ad senatum & populum ex regno traduxit. Hinc incensus Cæsar Marullum & Flauium potestate tribunitia priuauit. in quos dum inuehitur, populo pariter insultans subinde Brutos eos & Cumanos vocauit. Ita multitudo ad M. Brutum, qui genus paternum ducere existimabatur à Bruto, maternum à Seruiliorum alia illustri familia, generum autem & sororis filium Catonis, se conuertit. Hunc, ne vltrò aggrederetur dominatum opprimere, delati à Cæsare honores & beneficia retundebant. Non solùm enim secundum aciem Pharsalicam, cùm fugisset Pompeius, conseruatus est, multos'que, pro quibus deprecaretur, conseruauit necessarios: verùm erat in magna etiam fide apud eum. Præturam quoque inter consortes præcipuam accepit. Ad hæc consul in quartum annum designatus est & competitori prælatus Cassio. siquidem perhibetur Cæsar dixisse: Iustiorem Cassij causam esse, non posse tamen præterire se Brutum. Imo deferentibus aliquando nonnullis Brutū, cùm esset iam in manibus coniuratio, non præbuit aures: sed corpus manu tangens ad delatores ait: Hęc cutis expectat Brutum: significans imperio quidem ob virtutem Brutum dignum, sed imperij causa non futurum ingratum neq; improbum. Qui verò mutationem desiderabant, & illum solum vel primum respiciebant: cùm eum hac de re dubitarent appellare: noctu in tribunali & sella, qua prætor ius dicebat, sparserunt libellos: in quibus multa continebantur huiuscemodi: Dormis Brute: &, Non es Brutus. Quibus Cassius stimulatam nonnihil gloriam eius sentiens, institit & acuit eum quàm antè acrius. quòd esset priuato quodam in Cæsarem odio incensus ex causis, quas in vita Bruti recensuimus. Habebat etiam eum Cæsar suspectum, atq; ad amicos dixit aliquando: Quid vobis videtur Cassius velle? mihi quidem non admodum pallor eius placet. Iam fama est Antonio & Dolobella apud eum delatis, quòd res nouas molirentur: nihil planè timere se hos respondisse eum pingues & comatos, sed pallidos illos potius & macilentos, Cassium & Brutum designans. At non perinde improuisum videtur vt ineuitabile fatum. quando tunc rara prodigia & spectra memorant apparuisse. Ac fulgores quidem cœlestes & imagines nocturnas passim huc illuc discurrentes, auesq; solitarias in forum delatas minus conueniat fortassè tanto in casu commemorare. At Strabo philosophus tradit multos viros flammeos incurrere visos: militis seruum ingentem flammam è manu emisisse, eamq; visam conspicientibus ardere: vbi extincta est, nihil hominem mali habuisse. Ipsi Cæsari immolanti cor hostiæ non apparuisse, idq; pro tetro ostento habitum. neque enim consistere naturaliter animal sine corde posse. Hoc item passim audias commemorari, aruspicem quendam eum præmonuisse, vt Idibus Martijs graue periculum caueret. qui dies cùm illuxisset, progrediensq; ad senatū salutasset Cæsar aruspicem, ac ludens dixisset: Atqui Idus Martiæ adsunt: respondisse ei aruspicem submisse: Adsunt verò, non præterierunt tamen. Pridie cùm apud M. Lepidum cœnaret, subscribebat forte epistolis, vt solebat recumbens. Ibi sermone moto, quæ'nam mors optima foret? omnes anteuertens exclamauit, Inopinata. Inde apud vxorem more suo cùm cubaret, omnibus cubiculi ianuis pariter'que fenestris patefactis, exterritus est simul strepitu & lumine, Calpurniam'que splendente luna aduertit arctè sopitam voces obscuras suspiria'que edere indiscreta. Imaginabatur illa lugere se eum, quem in gremio teneret confossum. Eam visionem alij negant ei oblatam. sed cùm Cæsaris ædibus esset ex senatusconsulto adiunctum, vt author est Liuius, velut ad ornamentum & amplitudinē pinnaculū, id per quietem imaginata collabi Calpurnia, videbatur sibi ideo lamentari & lachrymari: ac cùm lux appetisset, rogauit Cæsarē, si qua fieri posset, ne prodiret, sed in aliud tēpus reijceret senatū. Quòd si somnia sua floccipēderet, ad aruspi-

Cæsari Antonius diadema imponit.

Brutus cōspirat in Cæsarem.

Cassius Brutum in Cæsarem incendit.

Præsagia mortis Cæsaris.

Calpurniæ somnium.

ces hostias'qꝫ consuleret de impendentibus. Vnde fuit aliqua illi quoqꝫ, vt videtur, oblata suspicio & metus. quippe superstitionem nullam animaduerterat ante muliebrem in ea, quam tum videbat anxiam. Vt verò multis iam cæsis hostijs renunciauerunt ei aruspices litari non posse, statuit misso Antonio senatum dimittere. Interea Decius Brutus Albinus cognomento, quem Cæsar ob fidem, quam ei habebat, in secundis hæredibus scripserat, cùm coniurationis alterius Bruti & Cassij consors esset: veritus, ne si diem illum exemisset Cæsar, res efferretur, irrisit aruspices, Cæsaremqꝫ castigauit: quòd criminum materiam & calumniarum præberet aduersus se patribus, qui ludibrio viderentur haberi. Conuenisse ex ipsius edicto senatum, libentemqꝫ omnia decreturum, vt prouinciarum extra Italiã rex diceretur, omnibusqꝫ locis alijs terra mariqꝫ diadema ferret. Quibus siquis considentibus dicat, in præsentia vt discedant redeantqꝫ, vbi nacta fuerit Calpurnia lætiora somnia: quales futuri sint apud inuidos sermones, aut quis laturus amicos eius demonstrantes non esse hanc seruitutem & tyrãnidem? Quòd si diem hunc omninò, inquit, abominaris: satius est teipsum in senatũ venire, patribusqꝫ appellatis rem in aliud tempus reijcere. Sic fatus Brutus simul Cæsarem manu prehendit eduxitqꝫ. Progressum paulùlum foràs seruus alienus conuenire gestiens Cæsarem, vbi a cingente Cæsarem multitudine est repulsus, cõiecit se in domum eius tradiditqꝫ Calpurniæ, dum redisset Cæsar, custodiendum. Magna habere ostendit se, quæ ad eum deferret. Artemidorus Gnidius genere, literarum Græcarum doctor, qui ea de re nonnullis Bruti socijs familiariter vtebatur, cognouerat magna ex parte, quæ agebãtur: eaqꝫ in libello complexus afferebat indicium suum. qui cùm Cæsarem cerneret, quos accipiebat libellos, eos comitantibus ipsum seruis tradentem: proximè accedens: Hunc, inquit, Cæsar solus lege & citò. magnas enim res continet & ad te pertinentes. Acceptum Cæsar legere per salutantium frequentiam, licet esset subinde conatus, prohibitus est, ac manu illum tenens solumqꝫ seruans venit in senatum. Sunt, qui dicant alium porrexisse hunc libellum, Artemidorum verò nequaquam valuisse eum adire, sed fuisse tota via expulsum. Cæterùm hæc fortasse casuum fert temeritas. At locus, vbi cædes illa & certamen est patratum, in quo coactus fuit senatus: vbi statua erat Pompeij locata, dedicatus à Pompeio inter ornamenta, quæ theatro prætexuerat: omninò ostendit numinis cuiuspiam authoris & trahentis illuc negocium factum illud fuisse. Quinetiam Cassius fertur, quamvis ab Epicuri doctrina non abhorreret, eam statuam ante aggresionem respiciens tacitus Pompeium inuocasse. Verùm articulus ille vtpote tanto iam ingruente discrimine amotis prioribus rationibus fanaticum eum & commotum reddidit. Igitur Antonium fidum Cæsari & valentem moratus est extra curiam Decius Brutus, sermonem ex composito cum eo prolixum exorsus. Ingresso Cæsari assurrexit honoris causa senatus. Bruti cohors partim pone sellam eius circunsteterunt, alij processerunt ei obuiàm, tanquam cum Cimbro Tullio pro fratre eius exule rogaturi. ac deprecãtes vsqꝫ ad sellam sunt eum prosecuti. Vt considens abnuit preces instantibusqꝫ acriùs singulis infensus est: Tullius togam eius ambabus manibus correptam à collo detraxit. Id signum erat adoriendi. Primus Casca gladio vulnus secundum ceruicem infligit ei neqꝫ letale neqꝫ graue, nimirum in magni facinoris exordio attonitus. At Cæsar conuersus pugionẽ corripuit & tenuit: simulqꝫ clamorem sustulere, Cæsar latinè, Scelerate Casca quid agis? Casca græcè ad fratrem, Frater ades. Eo facto initio exortes consilij stupor & horror contemplantes incessit: nec fugere aut succurrere, ac ne vocem quidem mittere audebant. Coniuratorum vnoquoqꝫ strictum intentãte gladiũ vndiqꝫ Cæsar circumuentus, ac quocunqꝫ conuertisset oculos, ictibus occurrens ferroqꝫ minanti, quod faciei suæ & oculis intentabatur, in omnium manibus instar feræ volutabatur. Conuenerat enim, vt omnes libarent & gustarent cædem: ideoqꝫ vnum Brutus vulnus ingessit ei secundum inguina. Memorant nõnulli cæteris illum repugnasse, corpusqꝫ huc & illuc iactasse, vociferatumqꝫ fuisse: at simul vt Brutum conspexit strictum tenentem gladium, toga caput obueluisse, ac sese demisisse: fuitqꝫ fortuito'ne an à percussoribus impulsus ad basim, in qua posita Pompeij statua erat: eamqꝫ largè cruore, dum interficeretur, respersit. Ita apparebat vltioni de hoste sumendæ præfuisse Pompeium ad pedes suos abiecto atqꝫ ob vulnerum multitudinem animam agente. Tribus enim & viginti plagis confossus dicitur. Multi se mutuò sauciauere, cùm corpus vnum tam crebris peterent ictibus. Interfecto Cæsare senatus, quamvis Brutus in medium procederet tanquam aliquid de eo, quod actum fuerat, dicturus, confestim eiecit se foras, fugiensqꝫ impleuit ciuitate tumultum & terrore ingen-

ti:

Decius Brutus duxit Cæsarem in senatum.

Coniurationis cõtra Cæsarem indicia.

Locus, vbi Cæsar est cæsus.

Cæsaris cædes.

Cæsaris percussores petunt Capitolium.

tis:vt ianuas obserarent,alij mensas relinquerent & tabernas:cursu ferrentur, alij illum in locum ad spectandum facinus: alij illinc, qui viderant. Antonius & Lepidus amici primarij Cæsaris subducentes se abdiderunt in tecta aliena. Coniurati cæde adhuc calentes strictisq; gladijs micantes vnà omnes globo facto ex curia Capitolium petiere: nec præ se ferebant fugam,sed mirè erecti fidentesq; vocauerunt ad libertatem populũ, exceperuntq; optimum quemque,qui ipsos appellaret. Aliqui sunt eos comitati,atq; se vt facti consortes associauerunt eis,ac gloriam illam vendicarũt. in quibus C. Octauius & Lentulus Spinter fuerunt. Hi interfecti pòst ab Antonio & Octauio Cæsare pœnas dederunt insolentiæ:ac ne gloriæ quidem,cuius causa necati sunt,quia non crediderunt alij,fructum cepere. Neq; enim illi,qui puniuerunt eos,facti piacula,sed voluntatis exegere. Postero die descenderunt coniurati ex Capitolio,ac concionem habuerunt. Populus autem præbuit ita dicentibus aures,vt neq; improbaret neq; probaret factum:verùm obstinato silentio Cæsarem significauit miserari se, Brutum verò in reuerentia habere. Senatus verò de obliuione præteritorum & reconciliatione inter omnes agens decreuit Cæsari diuinos honores,acta eius omnia confirmauit, coniuratis dedit prouincias conuenientesq; tribuit honores. Vnde putabant rempubl. omnes pacatam esse atq; optimè compositam.

Cæsaris funus.

At postquàm apertis testamenti Cæsaris tabulis compertum est legatum populo Romano virìtim luculentum relictum esse, elatumq; per forum corpus vulneribus conspexere laceratum, haud potuit vltrà contineri aut regi multitudo: sed congestis ex foro subsellijs, cancellis, mensisq; succenderunt & cremauerunt cadauer. Inde ardentibus titionibus ad domos inflammandas percussorum tetendere. Alij per totam vrbem discurrerunt requirentes eos vt comprehenderẽt & discerperent. in quos nemo illorum incurrit,sed sepserant se omnes diligenter.

Cinnæ somniũ.

Cinna quidam ex amicis Cæsaris somnium horrendum priore nocte habuerat. Videbatur sibi ad cœnam inuitari à Cæsare: cùm renueret autem, manu ab eo inuitus & reluctans duci. Hic audito Cæsaris corpus in foro cremari, etsi visionem suspectam habebat, & tenebatur etiam febre, honoris illius causa in forum profectus est. Vt conspectus est, nomen quidam ex plebe quærenti alteri dixit, ille alteri. Mox omnes peruasit vnum hunc esse ex Cæsaris percussoribus.

Cinnæ cædes.

Erat enim in coniuratis alius illi cognominis Cinna. quem quòd existimarent hũc esse, impetu confestim facto in ipso foro eum dilacerauerunt. Ob hanc formidinem Brutus & Cassius paucis interiectis diebus vrbe excessere. Quibus autem rebus inde gestis, quibusq; pressi calamitatibus occubuerunt: in Bruti historia sumus persecuti. Obijt Cæsar annos natus non plus sex & quinquaginta. Pompeio superstes fuit non multò annis quatuor amplius. Quòd verò omni vita imperium & dominationem per tanta pericula persecutus ægrè confecit, ex hoc nihil nisi nominis & inuidiosæ apud ciues gloriæ fructum cepit.

Vltio mortis Cæsaris.

At magna eius felicitas, qua est in vita vsus, mortuum quoque comitata necis eius vltrix, atque omni terra mariq; persecuta est & inuestigauit interfectores, quoad nullus superfuit, sed omnes, qui vlla re vel manu facti affines vel consilij fuerant consortes, vindicauit.

Miracula insecuta Cæsaris mortem.

Porrò inter humana signa mirandum imprimis, quod Cassio accidit. Hic victus in Philippis semet ipse interemit eodem pugione, quo violauerat Cæsarem. Ex cœlestibus, grandis cometa: qui post Cæsaris necem eximiè fulgẽs septem noctes apparuit, inde subductus est. Iam iubaris solis occæcatio. Nam anno toto illo orbis eius pallidus sine fulgore emersit, debilemq; & tenuem demisit calorem. Itaque nubilus aer & grauis extitit imbecillitate eum tenuantis teporis. Vnde fructus crudi immaturiq; elanguerunt ob cœli rigorem & flaccidi euasere. Præcipuè verò oblatũ Bruto spectrum Cæsaris cædem denunciauit non fuisse dijs cordi. Id fuit huiuscemodi:

Bruti spectrum.

Transportaturus ex Abydo in oppositam continentem exercitum quiescebat nocte, vt assueuerat, in tabernaculo, insomnis adhuc, vt de belli euentu solicitus. siquidem vir hic inter omnes imperatores perhibetur minimè somno indulsisse, naturaq; fuisse vigilantissimus. Is strepitum sentire ad fores imaginatus est. Intentis autem ad lucernæ lumen iam emarcentis oculis, speciem vidit horribilem viri immani magnitudine diroq; aspectu. Perculsus primùm, vbi nihil id tentantem conspexit neque vocem mittentem, tantùm cubili suo tacitum assistentem: rogauit, quis' nam esset? Respondit ei spectrum: Tuus Brute malus genius: in Philippis me videbis. Tunc forti animo Brutus: Videbo, inquit. Mox genius ille ex oculis abijt. Postmodum cùm in Philippis infestum exercitum contra Antonium & Cæsarem haberet: prima acie victor oppositum sibi cornu profligauit, atque instans effusis castra Cæsaris diripuit. Altera instante pugna idem se

ei noctu obtulit spectrum, neque est eum allocutum: verùm intelligens Brutus fatum, in periculum demisit se. Non cecidit tamen in prælio: sed pulsis suis refugit ad rupem quandam, admotoq; pectori stricto gladio, simulq; amico quodam, vt fama est, ictū adiuuante exanimatus est.

Bruti mors.

CLARISSIMO ATQVE PRVDENTISSIMO VIRO, DOMINO HENRICO OLISLEGERIO V. I. Doctori consultissimo, cancellario illustrissimi ducis Cliuensis, domino suo obseruando S. P. D.



INSTITVENTI Mihi consultissime Cancellarie ex Plutarcho Demosthenis & Ciceronis vitam latino sermone explicare, acerba sanè cogitatio diuturnam animi curam molestiamq; renouauit. Nam illa diuina & immortalitate digna ingenia, illa humanitas, illa eruditio atq; virtus vtriusq; morte extincta indigna & atroci est. Reputo autem ijs, qui capessere rempubl. eamq; rectè gerere instituerunt, præstanti ingenio opus esse. Verùm sit ea dos naturæ: at eo etiam opus est subacto. Maximi sunt ijs labores subeundi, & exhauriẽdi, perdiscendum ius est ciuile. Quis enim tam sit impudens, qui se ducem profiteri sustineat populi: quem, qua via iter capiendum sit, fallat? Tenenda est antiquitatis memoria, peruolutanda omnium monumenta actorum, libanda omnium artium disciplina: mores eorum, quicum verseris, & finitimorum notandi: parandum & aptandum, quo regere populum valeas, instrumentum eloquentia est. Et quorum in singulis multi totum vitæ curriculum elaborârunt, hæc politico complectenda sunt vniuersa. Multæ familiæ fuerunt philosophorum, qui de repub. & officijs scripserunt, nec rempubl. vnquam attigerunt tamen. Ipse Homerus philosophorum Plato causam, quamobrem ad rempubl. non accessisset, prætexuit delirium ex senectute ciuitatis suæ. Sed sit sanè magnus vir, qui bene mereri de patria student, per ista omnia perrumpendum. Quàm multa deinde supersunt deuoranda? Quàm multorum subeundæ inuidiæ, obtrectationes, calumniæ vel eorum, de quibus sit optimè meritus? Quàm multæ & ancipites cum peruersis ciuibus propositæ cõtentiones & dimicationes? Et quod omnium est grauissimum, cùm multum molitus fueris, cùm plurimum sudaueris, licet summa extent tua in rempubl. merita, nullam tamen bonam gratiam, sed odium, sed indignationem, sed ignominiosam reiectionem sæpe referes. Permulti autem omnibus fortunis nudati, patria eiecti, & acerbissima morte mulcti fuerunt. Præclarissima resp. Atheniensium Miltiadis beneficia habuit: at ipse in carcere compulsus fuit expirare. Imo ne corpus quidem ad sepulturam exanime ingrati ciues, nisi prius subisset vincula paterna filius, reddere voluerunt. Themistocles nobilissimus factus principatum Atheniensibus peperit Græciæ, neque facta in Græcia maiora aut clariora vllius effulsere. Hunc tamen tam internecino persecuti illi odio sunt, vt locum exilio aut ad salutem tegendam asylum in Græcia habere, quin eum ad cædem inuestigarẽt, non valuerit, neque securitatem nancisci loco potuerit alio, quàm apud eos, quos profligauerat, & quorum spolijs vrbem instaurauerat & decorauerat suam. Aristides, quo iustiorem haud temere alium inuenias, pulsus insons in exilium est, & necatus Phocion. Coriolanũ Romani Camillumq; hostiũ domitores expulere. Scipioni Africano, qui imperiũ orbis terræ pepererat ciuibus suis, inuidia interprete consenescere in patria non licuit. qui moriens: Ingrata patria, inquit, ne ossa quidem mea habebis. M. Cicero cùm doctissimus, humanissimus & prudentissimus fuit, tum non eloquens, sed miraculum eloquentiæ. Effinxerat enim vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec verò quod in quoq; optimum fuit, studio consecutus est tantùm: sed plurimas vel potius omnes ex seipso virtutes extulit immortalis ingenij, vt ait Quintilianus, beatissima vbertas. Non enim pluuias, vt ait Pindarus, aquas colligit, sed viuo gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Quare non immeritò ab hominibus suæ ætatis regnare in iudicijs dictus est: apud posteros verò id consecutus, vt non hominis sed eloquentiæ nomen habeatur. tantaq; illius est in dicendo diuinitas, vt ille etiam multum profecerit, cui Cicero valdè placebit. De quo grauissimus scriptor hoc præconium Plinius proclamat: Sed quo te M. Tulli piaculo taceam, quo ve maximè excellentem insigni prædicem? quo potius quàm vniuersi populi & illius gentis amplissimo testimonio, & in tota vita tua, & ad consulatum tantum operibus electus? Te dicente legem agrariam, hoc est alimenta sua abdicarunt tribus: te suadente theatralis seditionis authori leges ignouerunt, notatasq; sedes ignominiæ discrimine æquo animo tulerunt: te orante proscriptorum liberos

ros honores petere puduit: tuum Catilina fugit ingenium, tu M. Antonium proscripsisti. Salue primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum linguæq́; lauream merite, & facundiæ literarum latinarum parens, atque (vt dictator Cæsar hostis quondam tuus de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quanto plus est ingenij Romani terminos in tantum promouisse quàm imperij. At huic tanto & tam excellenti viro, cuius pro dignitate decantari laudationem T. Liuius nisi ab altero Cicerone negauit posse: cuius omnia consilia ad honestatem, ad bonum publicum & salutem patriæ tendebant, optime de suis ciuibus tam publicè quàm priuatim merito crudelissimè vita extorta est. O fallacem hominum spem, fragilemq́; fortunam & inanes nostras cogitationes, quæ in medio spacio sæpè franguntur & corruunt: & antè in cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt, imò in ipso multæ corruerunt. Nam quamdiu Ciceronis fuit ambitionis labore, & magistratuum fungendorum solicitudine vita districta: infinitis oppressus ipse occupationibus, magis alijs quàm sibi vixit. Cùm autem ad senectutis perfugium aspirasset, & iam rude donandus esset, & quasi in statione collocandus tranquillæ vitæ: ibi teterrimorum hominum furores omnem eius spem atque omnia vitæ consilia cæde peruerterunt, vt non sine magna ratione multi hoc dictum, λάθε βιώσας, vita amplexi sint. siquidem magno homines ingenio, qui non tantùm immensos sibi propositos labores, verùm etiam luctandum perpetuò conspicerent cum improbis, ab actu se rerum remouerunt, & tanquam ad arcem aliquam ocium conuolauerunt. Et sanè sibi priuatim satis illi prima quidem specie consuluerunt: sed est excelsi animi non terreri tempestatibus molestiarum, non periculorum labefactari procellis: sed ciuium suorum patriæq́; antiquiorem ducere rationem, quàm securitatis suæ. Hercules cùm ante oculos posita voluptas esset & labor, possetq́; vtrum vellet eligere, prætulit ingloriæ socordiæ gloriosam industriam: maluitq́; in puluere se & sole discriminum iactare, quàm in vmbra & ocio marcescere deliciarum. Ex hac gente censeri omnes præstantes viri voluere, qui philosophari in negocijs quàm in libris maluerunt. Enim verò illi quidem, qui à turbine se rerum reduxerunt, ne eam quidem plerunque, quam venabantur, valuerunt tranquillitatem vitæ assequi. Dum enim à republ. remouerunt se boni, ianuam ipsi ad eam inuadendam atque vexandam aperuere perditissimo cuique. qui concutientes ciuitatis statum ociosos illos bonos vnà cum reliquis dederunt in præceps. Neque verò sunt æquiparanda asperitates & graues casus, multos qui oppresserunt eximios viros, cum laude & nominis immortalitate, quam virtutibus suis & egregijs compararunt factis. Neque quicquam bonus vir mereat, vt de officio decedat, aut se inflectat: nec ei Priamus tanti totaq́; Troia sit. Et quanquam fuerit illa dura Ciceroni cædes vt item Demostheni (nam de vno quod dico, intelligi volo de altero: libet autem versari mihi in argumento potiùs Ciceronis) luctuosa suis, acerba patriæ, grauis bonis omnibus: ea tamen est rempubl. Romanam labes secuta, vt mihi non erepta per vim à M. Antonio Ciceroni vita, sed à deo immortali donata mors esse videatur. Non vidit deformatam & in extremam seruitutem redactam eam ciuitatem, quam ipse, vt libera esset, ex Catilinæ & multorum improborum faucibus ereptam conseruasset, & in qua florentissima multum omnibus gloria præstitisset. Imo verò ego illum cùm vitæ flore, tum mortis opportunitate, diuino consilio & ortum & extinctum fuisse arbitror. Nulla enim ei, qui pro ciuitatis libertate semper excubasset & pugnasset, adferri honestior mors potuit, quàm cùm in illa statione consulari scelere & proditione profligatissimorum ciuium opprimeretur & caderet. Etiam tristior ei morte improborum dominatus fuisset. Nunc quamdiu aliquam vmbram ciuitas libertatis retinuit, tamdiu omni genere honorum claruit, & viguit authoritate, cum expirante publica libertate óccidit. Magno autem miraculo eius excellens virtus fuit post obitum posteritati commendata. Dignam memoratu villam (vt author est Plinius) habuit ab Auerno lacu Puteolos tendentibus impositam littori, quam vocabant Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, Academicas quæstiones appellauit: in qua & monumentum sibi instaurauerat, ceu verò non & in toto terrarum orbe fecisset. Huius in parte prima breui post obitum ipsius eruperunt fontes calidi perquàm salubres oculis. Ita in eadem Academia ex libris ibi conscriptis mentis lumini, & ex ipsa tellure corporis oculis medicina scaturijt. Cùm ergo Cicero, Demosthenes, & alij insignes viri nulla certa obiecta venientis æternitatis, sed obscura tantùm & ancipite spe, solo spendore rapti honestatis & fluxæ gloriæ tanta pericula perruperint & mortem contempserint: nos quibus præmium ante oculos fixum est certum, etsi prospiciamus has vndas & fluctus, ne conterreamur neque fatiscamus tamen, vel tumultuantes de gradu deijciamur, vel timiditati succumbamus: sed alacri animo, eoq́; firmiore, quòd militamus sub humanissimo & gratissimo principe & suorum amantissimo, rempubl. suscipiamus: nec ingratitudine, etiamsi in peruersa republ. versaremur, & illa obijceretur, patriæ vel eorum, quibus vtilem & fidam operam nauauerimus, statione nostra decedamus, neque ista nos cura magnopere solicitet: verùm vt insignes athletæ decertemus ineptorum iudicij & maleuolorum amentiæ securi, atque hac con-

firmati spe probaturos recta facta bonos & prudentes, & eorum habiturum rationem deum: cogitemúsque

παρ' ἐμοίγε καὶ ἄλλοι,
ὅι κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα ζεύς.

Nam & ipsi Ciceroni à Popilio tribuno, quem capitali iudicio causa valdè ancipiti defenderat & protexerat, oblata mors fuit. Cuius tanti viri à Plutarcho excellentissimo philosopho descriptam vitam & cum Demosthene collatam in linguam latinam transtuli: vt tandem aliquando ipsum Ciceronem patriæ parentem ab longo exilio reuocarem, & diu peregrinato (nam hactenus latuit in Græcia, & ita post in Latium eiectus potius quàm ascitus fuit, vt Plutarchi commentationem vix agnoscas, neque eum rectè intelligas) quasi ciuitatem Romanam redderem. Has meas lucubrationes, quò tui erga me fauoris, amorisq́ & obseruantiæ erga te meæ aliquod certè extet vestigium & monumentum, tibi consultissime Vir dicare volui. ad quod præcipuè me germanitas nonnulla indolis tuæ & fortunæ cum Cicerone accendit. Fuit ille excellentissimo ingenio & facundia, magna & varia eruditione, humanitate singulari, indefatigati study & industriæ, mitis, omnibus paratus, ac de omnibus bene merens, etiam sæpiùs de inimicis, & quorum plurimi admodum aduersum eum fuerunt ingrati, suauissimus in amicitia colenda & constans, perferens iniuriarum, nemini ac ne perfidissimis quidem hostibus bellum vnquam indixit inexpiabile, sed ad reconciliationem & obliterandas iniurias acceptas & simultates fuit perfacilis, minimè rapax, sed abstinens & integer, multis etiam subinde ictus grauibus casibus: quos tamen minore tulisse animo atque nonnulli aly, videtur. Ego verò vel palmarium putem, etiamsi exprimere nos totum illum virum non valeamus (Quis enim miraculum illud omnis excellentiæ prorsus assequatur?) aliqua certè ex parte retulisse. Hoc autem non munus, sed multorum agnitionem meritorum tuorum, vt tuo, id est lubenti & candido recipere animo velis, valdè te rogo. Eo mihi facere nihil poteris gratius. Vale.

Demosthenes.



Felicitas in animo & moribus, non in patriæ præstantia sita est.

V I Laudationem in victorem ludicro equestri Olympiaco Alcibiadem scripsit, siue Eurypides ille, Sosi, quod vulgatū est, siue quis alius fuit: oportere ait felicem in clara genitum vrbe esse. Ego verò ei, qui veram adepturus felicitatem est, cuius in moribus plurimum & animo est positum, nihil referre arbitror, obscura & humili patria, an deformi & pusilla natus sit matre. Ridiculum enim sit Iulidem, quæ exigua pars insulæ non amplæ est Ceæ: & Aeginam, quam Atheniensis quidam iussit vt lemam detrahere Piræeo, histriones bonos & poëtas alere: virum bonum & abstinentem & cordatum & magnanimum nunquàm posse producere. Nam reliquas quidem artes probabile sit, quibus quæstus propositus est & gloria, in obscuris & contemptis oppidis elanguescere: virtutem verò instar robustæ & viuacis plantæ, vbi ingenium nacta sit bonum & animum industrium, omni in loco radices agere. Itaque nos, si minus rectè quàm decet, vel sentimus vel viuimus: non oppidi id angustijs, sed nobis ipsis meritò referemus acceptum. At qui commentari instituit & conscribere historiam non ex ijs, quæ ad manum sunt & domesticis: sed ex multis externis & diffusa apud alios collectam lectione: hic profectò primùm & præcipuè requirat insignem ciuitatem, elegantem, & populosam: quò variorum librorum promptam habeat copiam, & quæ scriptores præterierunt, fideli memoria tamen clariorem acceperunt fidem, audiendo percipiat percunctetur'que sedulò: ne opus edat rebus mutilum multis & necessarijs. Nos verò, qui exiguum colimus oppidum: & ne minus reddatur, ferè ibi commoramur (quia cùm Romæ ageremus & in Italia, propter negocia publica, & eos, qui ad nos philosophiæ causa ventitabant, non vacabat in lingua Romana studium ponere) serò tandem & ætate prouectiore Latinas attigimus literas. Vsuuenit autem nobis res quidem mira, sed vera tamen: vt non tam ex verbis res cognosceremus & perciperemus, quàm notitiam vtcunq; assecuti rerum, harum subsidio vt assequeremur etiam verba. Pronunciationis verò Romanæ assequi ornamenta & volubilitatem, adhæc verborum translationes & compositiones, cæteraq; quibus illustratur oratio, elegās quidē duci-

Scriptori historiæ aptam esse loci celebritatē.

Plutarchi patria parua.

Plutarchus linguæ Romanæ sum peritus.

ducimus & non iniucundum: sed est eorum non prompta meditatio & vsus, qui conuenit his, quibus abundat ocium, & ætas ad ea studia suppetit. Quare hoc in libro, qui cōparatorum est quintus, in quo de Demosthene & Cicerone tractamus: ex rebus gestis & actionibus publicis ingenia eorum & mores considerabimus inuicem. At orationes inter se contendere, atque vter venustior in dicendo aut acrior fuerit, decernere supersedebimus. Nam vt ait Ion:

Delphinus hic in continente cursus est.

Quod nimius vbiq; Cæcilius cùm ignoraret, temerè inconsultéque ausus est collationem cum Demosthene Ciceronis proferre. Verùmenimverò si cuiuis promptum esset habere hoc, quod dicitur, Nosce teipsum, non haberetur fortasse diuinum oraculum. Cùm enim Demosthenem & Ciceronem eadem moneta conformaret ab initio deus, multis modis naturam inseruisse ijs similem videtur, vt ambitionem, libertatis in repub. amorem, timiditatem in periculis & armis: immiscuisse etiā fortuita multa. Haud enim duos reperiri oratores arbitror alios, qui ex obscuris & paruis potentes & magni euaserint, regibus & tyrānis se obiecerint, filias amiserint, patriæ extorres redierint honorificè, iterum profugerint, & in manus inciderint hostium, vitam præterea cum expirante deposuerint patriæ libertate. Itaq; si in certamē natura & fortuna sicut artifices descenderint: haud expeditum sit, hæc negocijs, an moribus illa magis eos adæquauerit, dijudicare. Disseremus autem priore loco de antiquiore.

Demosthenis cum Cicerone comparatio.

DEMOSTHENIS Pater Demosthenes fuit, vt tradit Theopompus, ex optimatibus. Cognomen fuit ei Machæropœo, quòd officinā magnam gladiorum faciendorum exerceret, & seruos eius artificij haberet peritos. Nam quæ de matre Aeschines orator retulit, ex Gelone quodam, qui ob crimen proditionis solum verterit, natam & ex barbara fuisse muliere, non habemus dicere, verè obiecerit, an calumniosè & vanè. Accepto à patre, qui eo septimum ætatis annum agente decessit, lauto patrimonio (taxatum fuit enim vniuersum quindecim ferè talentis) damno affectus à tutoribus est: qui id partim auerterūt, partim negligenter curauerunt, vt præceptores eius etiam fraudarent mercede. Quod quidem fuit in causa, vt honestarum & ingenuarum artium fuisse videatur rudis, simul quia ob imbecillitatem corporis & teneritudinē abstineret eum à laboribus mater, neq; vrgerent pædagogi: quippe fuit à prima ætate gracilis & valetudinarius. vnde cognomen probrosum Batulū deridētibus corporis eius debilitatem pueris dicitur inuenisse. Fuit Batulus vt quidam volunt, tibicen effœminatus ac fabellam huius rei causa eum mordens fecit Antiphanes. Alij Batuli meminerunt vt poëtæ, qui molliter & proteruè scriberet. Videtur etiam Batulus dicta tunc fuisse apud Atticos pars corporis quædā, quæ nominari honestè nō potest. Argas (nam & hoc cognominis Demostheni ferūt fuisse) dictus est vel ex morum feritate & acerbitate (anguem enim appellant quidam poetæ Argam) vel ex oratione offendente aures: quòd hoc nomine poeta fuerit malorum & molestorum modorum. Sed de his, vt Plato ait, hactenus. Auspicium ardoris eius ad dicendi facultatem hoc ferunt fuisse: Cùm orator Callistratus causam acturus in foro esset de Oropo, magna erat huius iudicij expectatio cùm ob oratoris illius præstantiam, cuius tunc maximè illustre nomen erat, tum propter ipsam actionem celebratam: quia præceptores & pædagogos audierat Demosthenes constituisse inter se huic iudicio interesse, precib. contendit à pædagogo suo, vt ad audiendam causam duceret se. Ille quòd consuetudinem haberet cum ministris publicis, qui auditorium aperiebant, locum accepit, vbi puer sederet in occulto & audiret orationes. Cùm placuisset Callistratus & mirificè celebraretur, gloriam æmulatus est illius: quòd cerneret à multis eum deduci & in cœlum ferri. Multò verò magis orationis vi, quæ rapere ad se & pellicere valeret omnia, obstupuit. Itaq; salutem dicens disciplinis & studijs reliquis puerilibus, exercuit & subegit se ipse, tanquam inter oratores futurus, declamationibus. Isæo vsus est ad dicēdum duce, quamvis scholā eo tempore haberet Isocrates: vel quòd ob orbitatem pēdere Isocrati præfinitam mercedem non valeret decem minas, vel quòd dictionem vt neruosam & versutam Isæi ad vsum præferret. At Hermippus libros legisse commemorat se carētes authoris titulo, in quibus scriptum esset, fuisse Platonis Demosthenem auditorem, atq; illud plurimum ei contulisse ad dicendum. Refert item Ctesibium dicere Demosthenem à Callia Syracusano & nonnullis alijs clàm accepisse & considerasse Isocratis

Demosthenis genus.

Demosthenis patrimonium.

Demosthenes cur Batulus dictus.

Demosthenes cur Argas dictus.

Callistratus orator.

Demosthenis impetus ad artē dicendi addiscendam.

Isæus Demosthenis præceptor.

Prima Demosthenis in scribendo exercitatio.

atq; Alcidamantis artificium. Cùm igitur esset factus suæ tutelæ, cœpit cum tutoribus suis experiri, & scribere in eos orationes. qui cùm iterum atq; iterum petitiones eius eluderent, è damnatis causis & emortuis rediuiuas controuersias exuscitantes: Demosthenes interim declamitãdo, vt Thucydidis verbis vtar, exercitatus: hactenus profecit, idq; non sine puluere & discrimine, vt vel felicem adeptus actionum exitum, tamen ne quotamvis quidem partem patrimonij ab ijs seruare potuerit. Verùm vt inde audaciam ad dicendum & vsum cepit, gustauitq; honores & potentiam forensem: instituit in solẽ prodire atq; remp. capessere. Sicut autem Orchomenium Laomedontem ad repellẽdum splenis vitium aiunt ex medicorum præceptis longis cursibus vsum, atq; ita corpore laboribus subacto certaminibus sese dedisse sacris, & inter optimos euasisse dolichodromos: ita Demostheni vsuuenit, qui primùm reparandæ rei familiaris causa accinxerat se ad dicendum: vt parata hinc arte & facultate in rep. iam quasi coronatorum certaminibus primatum inter ciues in dicendi palæstra certantes obtineret. Et quidem vbi primùm ad populum egit, obstrepitum ei est, fuitq; derisus propter insolentiam orationis quæ confusa periodis & enthymematibus acerbiùs & immodicè videbatur elaborata. Laborauit verò etiam vocis exilitate, lingua inexplanata, spiritus angustia, quæ distractis periodis sensum interpellabat orationis. Postremò cùm foro cessisset, & errantem in Piræeo abiecto animo conspexisset iam exacta ætate Eunomus Thriasius increpauit eum: quòd cùm facundia sua germana esset Periclis, sibi ipse deesset præ timiditate & ignauia: qui neq; turbas sustineret animosè, neq; corpus ad actiones instrueret, sed inertia fineret torpescere. Alio tempore aiunt, cùm explosus domum se capite obuoluto & mœsto animo reciperet, secutum Satyrum mimum appellasse eum. Conquerente lamentabiliter apud eum Demosthene, quòd qui inter omnes esset oratores laboriosissimus, corporisq; in eo vigorem penè consumpsisset, non placeret populo tamen: sed temulenti, nautæ, indocti audirẽtur tenerentq; suggestum, ipse reijceretur: Rectè ais, Demosthene, dixisse Satyrum. At ego citò medebor causæ, si mihi carmina aliqua Euripidis aut Sophoclis memoriter velis pronunciare. Quæ vbi pronunciauit Demosthenes, repetisse eadem post Demosthenem Satyrum, itaq; egisse & reddidisse vultu decenti & apta actione eosdẽ versus, vt planè Demosthenes alios putaret. Vt iam intellexit, quantum ex actione dignitatis atq; venustatis accederet orationi, rem tenuem atq; inanem duxisse declamationem, si pronunciationem & actionem negligas. Hinc cellam ædificasse subterraneã, in qua lucubraret: quæ extiñt etiam nostro æuo. Huc se omnino quidem quotidiè contulisse ad formandam actionem & effingendam vocem: sæpè menses ibi continuasse duos aut tres, ac rasisse capitis alteram partem: quò, ne si summè quidem cuperet, prodire auderet verecundiæ causa. Quin etiam ex colloquijs cum alijs habitis & sermonibus & negocijs materiam sumpsit & occasiones industriæ. Vbi enim ab illis discesserat, confestim descendebat in palæstram illam, recensebatq; ordine acta & quæ pro ijs aut contra dici possent. Præterea orationes, quas audiuisset, secum repetens eas: in sententias reducebat & periodos: correctiones etiam varias comminiscebatur eorũ, quæ dicta sibi ab alijs essent, aut contrà ab ipso ad alios. eaq; alia dicendi figura meditabatur reddere. vnde est habitus parũ ingeniosus, sed vim & facultatem dicẽdi parare ex labore. Cuius magnũ indicium videbatur, quòd haud temere quisquã Demosthenẽ audierit ex tẽpore dicentẽ: sed cùm in cõcione sæpè sederet, & populus nominatim eũ exciret ad dicendũ, nisi esset meditatus ad id & paratus, nõ procederet. Hinc alij cõcionatores illudebãt eũ, & Pytheas irridẽs lucernã olêre ait enrhymemata eius. Cæterùm hũc amarè Demosthenes retudit: Nempe nõ eorundẽ, inquit, tibi & mihi Pythea cõscia est lucerna. Ad alios nõ planè id ibat inficias: sed fatebatur nõ omninò scriptionẽ adhibere ad dicendũ, neq; dicere tamen eniã se sine scriptione. Imò popularẽ hominẽ ostẽdebat esse eum, qui ad dicendũ meditaretur. eum enim pertinere ad obseruantiã populi apparatũ. At floccipendere, quid de dictione sentiat populus, id cõtemnentis authoritatẽ populi esse, & vi potius freti quàm persuasione. Iam hac etiam nota vtuntur eius timiditatis ad subitò dicendũ: quòd Demades illo perculso subinde exurrexerit promptè, eumq; in dicendo expeditè iuuerit: Demadẽ ille nunq;. Vnde igitur, roges, Aeschines eius in dicendo supra modũ admirandã esse dixit audaciã? Quî Byzantiũ Pythonem insultantem & inuehentẽ flumine orationis in Athenienses solus surgẽs refutauit? aut cùm Lamachus Mirinæus regũ laudationẽ cõscripsisset Alexãdri & Philippi, qua multa probra cõgessit in Thebanos & Olynthios, eamq; in mercatu recitauit Olympiaco: subitò surgẽs cõme

Splenis vitium quomodo curatum.

Demosthenes à populo irrisus, ob nimis elaboratã orationẽ.

Demosthenis naturæ vitia.

Demosthenis monitores, in ratione dicendi.

Actio quantam vim habeat.

Demosthenes rarò ex tempore dicebat.

Demosthenes populo in dicendo probari studuit.

moratis

moratis exẽplis & argumentis multorũ Thebanorũ & Chalcidensiũ aduersus Græciam meritorum: contrà multis calamitatibus, quæ adulatoribus Macedonum referendæ acceptæ essent: vsqueadeò cõmouit auditores, vt perculsus tumultu sophista subduceret se ex conuentu.

Demosthenes Lamachum dicendo terruit.

Atqui apparet Demosthenem cætera Periclis neglexisse, actionem verò eius & conformationẽ: ne've derepente, neq; omni de re diceret fortuitò, velut hinc creuisset, secutum et repræsentantem nõ sanè repudiasse, quam dabat occasio gloriam: neq; frequenter voluisse tamen suam facultatem credere fortunę. Audaciam certè & confidentiam orationes, quas dixit, quàm quas scripsit, habuerunt maiorem: siquid est Eratostheni credendum & Demetrio Phalereo comicisq;. Eratosthenes sæpè ait eum in dicẽdo furore abreptũ. Phalereus iusiurandum versu comprehensum illud aliquando velut numine afflatum peregisse: Per terram, & fontes, per fluuios & latices. Ex comicis quispiam appellat eum † Rhopoperperethram, quasi dicas futilem & loquacem. Alius obiter cauillãs, quòd antitheto vteretur, ait: Sic recepit, sicut cepit. Frequenter enim hoc verbum vsurpabat affectatum Demosthenes: nisi sanè Antiphanes hic ad orationem de Halonesso allusit: quam Demosthenes vt reciperent non acciperent consuluit à Philippo.

† Rhopoperethrã habet grecẽ, sed perperàm.

Cæterùm Demadem quidem omnes, vbi naturam suam sequeretur, fatentur cæteris præfulsisse, ac superatas ab eius extemporanea dictione Demosthenis lucubrationes & apparatum.

Demadis eloquentia.

Aristo Chius Theophrasti quoq; censuram quandam prodit de oratoribus. Interrogatum enim, qui sibi videretur Demosthenes orator, respõdisse: Dignus hac vrbe. Qualis Demades? Supra vrbem. Idem philosophus Polyeuctum Sphetiũ scribit vnum ex ijs, qui per id tempus remp. Athenis gerebãt, dixisse: summum Demosthenem oratorem esse, sed acerrimũ in dicendo Phocionem. Plurimum enim eum paucissimis verbis sententiæ complecti.

Theophrasti de oratoribus iudicium.

Et verò ipsum etiam aiunt Demosthenem, quoties contra se dicturus pulpitũ conscenderet Phocion, ad familiares suos dicere solitũ: Mearum securis orationum exurgit. Incertum est autem de oratione illius sic sentiret Demosthenes, an'ne de vita & existimatione: quòd permultis & prolixis circuitibus vnum ver bum & nutum existimaret probati viri esse validiorem.

Phocion, Demosthenis orationũ securis dictus.

Corporis vitijs hanc adhibuit exercitationem, vt author Phalereus est Demetrius, qui ex ipso audisse se iam magno na tu Demosthene refert: Linguam inexplanatam hæsitantemq; coniectis in os calculis versus simul recitando expugnasse & correxisse. Võcẽ currendo & ascensu ingrediendo arduo exercitasse differentẽ, simulq; orationẽ aut versus intento spiritu pronunciantem. Habuisse domi magnum speculum, cuius ex aduerso stantem declamare solitum.

Demosthenis in corporis vitijs corrigendis industria.

Cùm eum adisset quidam, vt causam suam susciperet orans, commemoraretq; à quopiã se cæsum: dicitur Demosthenes respõdisse: Tu verò nullam iniuriam, vt dicis, passus es. Hic cùm homo vocem intenderet ac vociferaretur: Ego Demosthene iniuriam nõ sum passus? Nunc dixisse, ego vocem audio læsi & violati. Tanti referre arbitrabatur ad fidẽ faciendam vocis contentionẽ & actionem dicentium. Porrò multitudini quidem mirificè actio eius placebat. Elegantiores, in quibus est Demetrius Phalereus, humilem eius gestum, abiectum, & mollem censebant esse.

Actio Demosthenis elegantioribus parum probata.

Aesiona refert Hermippus de veteribus rogatum oratoribus & de suis æqualibus dixisse: Illos si audires, admirareris modestiam & magnificentiam eorum, quæ ad populum differebant: Demosthenis verò orationes, si eas legas, multum excellunt artificio & acrimonia. Sanè orationes scriptę eius, nemo negat, quin multum austeri habeant & amari. In respondendo subitò vtebatur ridiculo quoq;. Cùm enim dixisset Demades: Me Demosthenes, sus Mineruam: Hæc, inquit, Minerua non ita dudũ in Colytto deprehensa in adulterio fuit. Furi, cui cognomen erat Chalco, id est, æreo, cùm tenderet vigilias & lucubrationes eius perstringere: Noui, inquit, molestum tibi esse, quòd lucernam habeam accensam. At vos nolite mirari Athenienses, si furta cõmittantur, cùm fures æreos, parietes habeamus luteos. Verùm de his, quamvis referre plura habeamus, satis sit.

Demosthenis dicta.

Reliquum ingenium & mores ex rebus eius gestis & reip. procuratione æquum est contemplari. Ad remp. accessit bello cõmisso Phocico, vt ipse testatur, & discere licet ex orationibus Philippicis. siquidẽ aliquæ harum illis perpetratis rebus habitæ sunt, antiquissimę autem attingunt res nouissimas.

Demosthenes ad remp. quando accesserit.

Constat enã constituisse eum accusare Midiam annos natũ duos et triginta, cùm opes in rep. nondũ vllas vel authoritatem haberet: cuius mihi metu potissimùm videtur pecunia accepta inimicitiam cum isto decidisse. Neq; enim ingenio fuit facili aut placabili, sed feruidus & ardens ad vindictam. Cæterùm cùm animaduerteret non leue esse, neque suæ facultatis virum opulentia, facundia, & amicis validè succinctum euertere

Demosthenis est Midia inimicitia.

Midiam, deprecantibus pro eo cōcessit. Nam solas ter mille drachmas illas non arbitror Demosthenis retundere acerbitatem potuisse, si sperasset & valuisset obtinere causam.

Demosthenes Macedonum aduersarius.

Accepta materia in rep. præclara Græcorum contra Philippum defensione, cùm in ea splendidè decertaret, breuì euasit clarus & celebris ex eloquētia & in dicendo libertate. Vnde magno in honore apud Græcos fuit, Rex magnus coluit eū, maxima existimatio apud Philippum eius fuit præ cæteris oratoribus: nec dissimulabant vel inimici eius esse ipsis cum præstanti viro dimicationem. Etenim Aeschines & Hyperides hæc de eo,

Demosthenis cō stantia defenditur aduersus Theopompum.

vel cùm accusabant eum, fassi sunt. Quare Theopompo miror quid in mentem venerit, ingenio vt eum mobili dicat fuisse, neq; vel rebus vel hominibus diu iisdem delectatum. Palàm est enim quarum actionum in rep. parteis & sectam à primo suscepit, in his perstitisse eum vsque ad extremum: neque solum in vita non inflexisse se: sed & vitam, dum inuertere se non sustinet, profudisse. Neq; enim, vt Demades excusans actionum suarum varietatem dixit, sibi ipsum cōtraria sæpè, reip. nunquam dixisse: & Melanopus à Callistrato de repub. dissentiens, cùm subinde ab hoc pecunia de sententia deduceretur, dicere apud populum solitus erat: Est ille quidem inimicus, sed vincat bonum publicum: Messenius Nicodemus, qui antè fauerat Cassandro, mox aggregauit se ad Demetrium, negauit se pugnantia dicere: semper enim conducere dicto audientem esse victoribus. Non perinde, inquam, dicere de Demosthene queamus conuertisse aut variasse eum vocem vel actionem: sed quasi in eadem & immutabili formula reip. tractan-

Demosthenis orationes honestum prædicāt.

dæ vnum in administranda repub. conseruauit tenorem. Panætius philosophus vel orationes eius ita refert conscriptas plerasq;: vt qui decernat honestum propter seipsum esse expetendum, vt illam de corona, contra Aristocratem, pro immunitatibus, Philippicas. quibus in omnibus non ad id, quod iucundissimum est, aut facillimum, aut vtilissimum cohortatur ciues, sed identidem securitatem atque salutem postponendam censet honesto & decoro: vt si cum contentione eius in rebus susceptis & dicendi diuinitate virtus coniuncta bellica sit & abstinentia, non in albo oratorum, non quo Myrocles fuit, & Polyeuctus, & Hyperides: sed excelso loco cum Cimone, Thucydide, & Pericle dignus sit, qui recenseatur. quippe ex illis, qui ei successere, Phocion, quamvis non optimas partes in rep. tueri, sed stare videbatur à Macedonibus: fortitudinis tamen & iustitiæ laude nulla vsquā re inferior Ephialte, vel Aristide, vel Cimone numeratus est. De-

Demosthenes imbellis & corruptus.

mosthenes verò nec in armis memorabilis, vt Demetrius perhibet, neque aduersus munera capienda satis vallatus, quanquàm à Philippi & Macedonum pecunia inuictus: superioribus tamen ex regionibus Susis & Ecbatanis allato auro expositus & demersus prædicare maiorum virtutes præclarissimè potuit, imitari non potuit. Nam cæteris cer-

Demosthenis in dicēdo libertas.

tè sui temporis oratoribus, Phocionem excipio, etiam vita præcelluit. Videtur etiam liberè præsertim ad populum egisse reluctans plebis libidini, peccataq; eius insectans: vt accipere ex eius orationibus licet. Iam scribit Theopompus, cùm populus Atheniensis accusatorem in causa quadam eum nominaret, obstreperet autem morem non gerenti: surrexisse eum ac dixisse: Vos me Athenienses consiliarium vel inuiti habebitis, calumniatorē ne si volueritis quidē. Minimè verò populare fuit id, quod contra Antiphontem egit, quem in concione liberatum ad consilium rapuit Areopagi: contemptaq; populi offensione docuit pollicitum Philippo inflammaturum se naualia. de cuius consilij sententia est necatus. Adhæc sacerdotis Theoridis nomen detulit cùm de alijs delictis, tum q fallere seruos doceret, atq; cùm litem capitis æstimasset, damnauit eam. Fa-

Demosthenis orationes, quæ veræ, quæ subditiuæ.

ma quoq; est orationem contra Timotheū prætorem, qua Apollodorus vsus pecuniā se ei mutuò dedisse probauit, scripsisse Apollodoro Demosthenem, necnon orationes cōtra Phormionem & Stephanum. quo nomine haud immeritò est improbatus. Pugnauit enim sine dubio contra Apollodorum oratione Demosthenis Phormio, quasi ex eadem taberna vendentis iudicio contendentibus in se mutuò gladios. Ex publicis illas contra Androtionem, Timocratem, Aristocratē, cùm nondum attigisset remp. alijs scripsit. Apparet eum, cùm eas orationes ederet, annos natū fuisse viginti septem aut octo. Orationem cōtra Aristogitonem ipse dixit, & illam de immunitatibus in gratiam, vt testatur ipse, Ctesippi Chabriæ filij: vt nonnulli autumant, nuptias ambiens matris adolescentis. nō duxit eam tamen vxorem, sed Samiam quandā, vt tradit Demetrius Magnesius in libris de Synonymis, in matrimonio habuit. Oratio de falsa legatione in Aeschinem haud liquet an habita sit, quamvis Idomeneus sententijs demptis solis triginta dicat Aeschinem absolutū. Verùm quatenus ex vtriusq; de corona scriptis orationibus licet

eet conijcere, res videtur ſecus ſe habere. Neuter enim horum apertè vel perſpicuè iſtius contentionis meminit vt ad iudicium vſq; progreſſæ. Sed malo, hæc vt alij diſceptent. Actiones publicæ Demoſthenis hoc apertè vel tempore pacis præ ſe ferebant: vt quicquid conabatur Macedo, omne id inſimularet, & ad ſingula concitaret populum Athenienſem atq; inflammaret. Vnde plurimus apud Philippũ erat de eo ſermo. Ac cùm inter decem legatos veniſſet in Macedoniam, audiuit quidem Philippus omnes, ad illius verò orationem accuratiſsimè reſpondit. Non accepit alioqui perinde Demoſthenẽ honorificè & comiter, ſed Aeſchinem et Philocratẽ impenſiùs amplexus eſt. Quare cùm hi Philippum cõmendarent vt diſertiſsimum, & ſpecie pulcherrimum, & verò etiam ſtrenuum potatorem & hilarẽ in conuiuio: non potuit abſtinere, quin inuerteret ea et cauillaretur primum ſophiſtæ, fœminæ alterũ, poſtremum eſſe ſpongiæ, regis laudem eſſe ibi nullam.

Demoſthenis actiones contra Philippum.

Cùm res ad bellũ inclinarent non ferente ocium Philippo, Athenienſibus aũt à Demoſthene incenſis, primùm concitauit Athenienſes ad aggrediendam Eubœam, quam tyranni ſubiugauerãt Philippo. quò cùm traiecìſſent ex plebiſcito, quod ille ſcripſerat, exegerunt Macedonas. Inde Byſantijs & Perinthijs, quibus bellum faciebat Philippus, opem tulit, ſuadens populo, vt poſita ſimultate obliteratiſq;, quæ vtriq; bello ſociali admiſerant, ſubmitteret ijs auxilium, à quo fuerunt conſeruati. Mox in legationẽ profectus conuenit ciuitates Græcas ſolicitauitq;, atq; omneis in Philippũ demptis paucis conciuit: vt præter vrbanas copias cõſcriberent XV. millia peditum & duo equitum, pecunia & ſtipendiũ in externos milites promptè conferretur.

Demoſthenes cõcitat Græciam contra Macedonas.

Quo tempore ait Theophraſtus, cùm poſtularent ſocij, vt certa ſumma definiretur tributi, dixiſſe Crobylũ concionatorẽ, bellum certũ modum non habere pabuli. Erecta Græcia ad euentũ, cùm coirent per ſingulas gentes & vrbes Eubœi, Achæi, Corinthij, Megarenſes, Leucadij, Corcyræi: maximus ſupererat Demoſtheni labor, ſocietati vt adiungeret Thebanos: qui finitimi ſunt Atticæ, et vires habebant ad bellum faciundũ, & imprimis tunc numerabantur inter Græcos bellatores. Verùm nõ erat procliue recentibus Phocico bello beneficijs Philippo mãcipatos ab eo reuocare Thebanos: maximè quòd leuibus ex vicinitate certaminibus indies refricarentur, quas illæ ciuitates inter ſe habebant, bellicæ cõtrouerſię. Verumenimverò poſtquàm ſucceſſu ad Amphipolim elatus, raptim Elateã irrupit, & Phocidem occupauit: perculſis Athenienſibus, cùm cõſcendere ſuggeſtum nemo auderet, nec quid diceret haberet: omnia aũt deſperatio & ſilentium teneret: ſolus prodijt Demoſthenes, authorq; fuit, vt ſolicitarent Thebanos: cumq; de cætero animaſſet & ſpe more ſuo erexiſſet populum, Thebas cum alijs legatus eſt. Ad eos refellendos miſit etiã Philippus, vt Marſias tradit, Amyntam et Clearchum Macedonas, pręterea Daochum, Theſſalum, & Thraſydæum.

Demoſthenes coniungit Thebanos Athenienſibus.

Quid expediret, nõ fallebat in deliberando Thebanos: ſed erant omnibus ante oculos belli incommoda recentibus adhuc Phocicis vulneribus. At huius vis oratoris, vt author eſt Theopompus, quæ excitabat animos eorum & incendebat ad gloriam, obſtruxit omnibus reliquis: vt quaſi lymphati ab oratione eius rapti ad honeſtum, metum, rationem, gratiam abijcerent.

Demoſthenis in dicendo vis.

Factum autem huius oratoris tantũ extitit & tam inſigne, vt legatos extemplò mitteret Philippus ad pacem petendam, omnis erigeret ſe Græcia & conſurgeret ad id quod impendebat: accommodarent verò ſe Demoſtheni non modò prætores Athenienſes dicto ei audientes, ſed & Bœotarchę: concionibus ille præeſſet omnibus non ſecus tunc Thebanorum quàm Athenienſium. Charus erat enim vtrobique & dominabatur non immeritò neque ab re, vt ait Theopompus, ſed optimo iure. Atqui fatalis quædam fortuna, quæ conuerſione rerum illo in articulo definiebat Græciæ libertatem, videtur cœptis reluctata fuiſſe, multaq; ſigna ediditſſe inſequentium. in quibus vaticinia Apollinis horrenda prænũciabant. Vetus etiam canebatur ex carminibus Sibyllinis oraculum:

Græcorum ad Cheroneam clades, vaticinijs præmonſtrata.

Ad Thermodontem pugna cupio procul eſſe,
Atq; modò hanc aquilæ ex cœlo atq; è nube videre.
Flet victus, perijt quoq;, cui victoria ceſsit.

Thermodontem aiunt apud nos Chæroneæ paruum amnem eſſe, qui in Ciphiſum illabitur. Nos profluentem, qui ita nominetur, nullum hoc tempore nouimus. Conijcimus tamen eum, qui nunc vocatur Hęmon, fuiſſe tunc Thermodontẽ dictum. Pręterlabitur fanum Herculis, vbi caſtra Græci habuere. Ducimur autem coniectura, cùm ſecundum prælium cruore cadaueribuſq; exundaſſet amnis, hoc nomen cõmutaſſe. Fluuium negat

Thermodon amnis, qui et Hęmon.

Alia de Thermodonte opinio.

gat Duris Thermodontem esse. sed cùm tentorium quidam erigerent & fossa cingerẽt, sigillum eos reperisse marmoreum cum inscriptione Thermodontem esse, qui vlnis ferebat saucíam Amazonem. Hac de re aliud oraculum in hunc modum cani:

Ad Thermodontem pugnam expectes auis atra.
Corpora tunc hominum campo permulta iacebunt.

Demosthenis ex pugna fuga.

Clypeus Demosthenis.

Verùm quid huius rei sit, difficile existimatu est. Demosthenes fertur Græcorum fretus armis atq; mirè ob vires & alacritatem tanti exercitus hostem lacessentis elatus nõ permisisse, vt oraculis mouerentur aut attenderent vaticinia, imò vatem Delphicam dixisse suspectam esse, vt quę cum Philippo faceret: suggerens Epaminondam Thebanis & Atheniensibus Periclem: quos viros ista timiditatis ratos prætextum suis consilijs esse vsos. Hactenus virilis perhibendus fuit. In conflictu nihil præclari vel quod consentaneum esset orationibus suis, edidit: sed cepit fugam turpissimè deserto ordine & armis abiectis: nec inscriptionem, vt dixit Pytheas, veritus clypei: cui fuit literis inscriptum aureis, Bona fortuna. At Philippus recenti exultans victoria & vino grauis cadaueribus insultans initium cecinit Demosthenis plebiscitiad pedem attollens vocem & supplodens:

Demosthenes Demosthenis sic censuit
Pæaniensis.

Demosthenes à rege Persarum pecuniam capit.

Discussa verò crapula, cùm magnitudinem secum reputasset propositi periculi, horror eum perstrinxit eloquentiæ & neruorum illius oratoris: qui in diei momento vnius aleã ipsum iácere de imperio & vita compulisset. Nomen autem eius ad regem vsq; Persarũ perlatum est. qui per literas satrapis imperauit, pecuniã vt darent Demostheni, atq; consilijs eius præ omnibus Græcis obtemperarent. quòd tumultibus Græcorum distinere Macedonẽ & inuoluere valeret. Comperit hæc postea Alexander: qui epistolas quasdam Demosthenis, & Sardibus inuenit ducum regiorũ monumenta, quibus exprimebatur pecuniæ ei datæ summa. Hac ictis clade Græcis oratores, qui diuersam sectam in rep. sequebantur, insultantes Demostheni, quæstiones & iudicia struebant ei. At populus non his modò exemit eum, sed colere quoq; non destitit, atq; ad remp. capessendã vt bonum ciuem reuocauit.

Demosthenes laudat eos, qui apud Chæroneam occubuerant.

Itaque cùm relata à Chæronea conderentur tumulo ossa, permisit Demostheni, vt eos qui occubuerãt, laudaret. Nec abiecto vel fracto animo tulit, vt scribit & exagitat Theopompus, casum: sed eo quòd vt cùm maximè honoraret & ornaret suasõrem, declarauit non pœnitere se illius consiliorum. Ac Demosthenes quidem eam orationẽ habuit. Plebiscitis verò, quòd auersaretur & pro in auspicata haberet sortem & fortunam suam, non suum sed amicorum vicissim præscripsit nomen: dum extincto Philippo recepit animum. Neq; enim diu fuit ab hac ad Chæroneam victoria superstes: Id quod nouissimo versu videtur prænunciasse oraculum:

Philippi regis Macedonum mors.

Flet victus, perijt quoq;, cui victoria cessit.

Demosthenes priuato filiæ luctui, publicam lætitiam prætulit.

Rescíuit autem clàm mortem Philippi Demosthenes. Præparans verò Athenienses ad audendum in futurũ, hilaris in curiam vt si somnium vidisset, ex quo ingens bonum expectandum esset populo Atheniensi, processit: nec multo pòst adfuerunt de Philippi obitu nuncij. Læti nuncij causa ilicò dijs honorem habuerunt & coronã decreuerũt Pausaniæ. Demosthenes verò prodijt splendidè amictus & coronatus septimo die, quàm defuncta eius filia esset, vt refert Aeschines: qui ei hoc improperat, odium obijciens liberorum, ipse cùm degener fuerit & effœminatus, si luctum & eiulatum lenis & pij fecit animi signa: eosq;, qui moderatè & placidè ferãt eos casus, improbauit. Equidem ob necem eos regis, qui adeo cum ipsis victis in successu rerum egit clementer & humaniter, sumpsisse honestè coronas, vel etiam dijs immortalibus immolasse, nequaquã dixerim. Est enim cùm odio digni, tum imbecillis animi venerari & ciuitate donare viuentẽ, interfecto ab alio non ferre modicè gaudium: sed insultare in mortuum & quasi præclarã ipsi rem gessissent, triumphum canere. Quòd verò domesticas fortunas, & lachrymas, lamentationesq; fœminis reliquerit Demosthenes, ac quæ censuit in publicum vtilia, hęc egerit, id cõprobo: existimoq; politici animi & fortis multò magis eũ, qui semper respicit remp. & priuata incõmoda perturbationesq; alleuat negocijs publicis, tueri dignitatem, q̃ histriones: qui personas regum agunt vel tyrannorũ: quos in theatris nec plorantes pro libitu suo nec ridentes cernimus, sed vt argumentũ requirit fabulæ. Ad hæc si

afflictus

afflictus non eſt relinquendus, vt inopia conſolationis in mœrore contabeſcat: verùm ſermone adhibenda alleuatio & mens ad iucundiora traducenda: perinde vt ijs, qui laborant oculis, ad virides colores & molles præſcribimus à ſplendidis & viſum ferientibus vt aciem conuertant: vnde nam præſentiorem ſumas conſolationem, quàm oppreſſa rep. ex publicis miſerijs temperaturam priuatarum quærendo, quæ lætioribus obruat triſtiora? Hæc vt diceremus, delapſi ſumus: quòd Aeſchinem videamus ea oratione inflectere pleroſq; & mollire ad commiſerationem.

Demoſthenes concitat Græcos contra Alexandrum.

Porrò ciuitates iterum inflammatæ ab Demoſthene conſpirauerunt. Thebani, cùm ijs arma ſuppeditaſſet Demoſthenes, adorti præſidium multos obtruncârunt. Athenienſes accingebant ſe ad iungenda cum ijs ſocia arma. dominabatᷣ in concionibus Demoſthenes, & ad regios in Aſia duces ſcripſit ad bellum inde Alexandro concitandū, puerum vocans & Margitem, id eſt, morionem. Poſtquàm verò rebus domi cōpoſitis cum exercitu ille in Bœotiā mouit, cóncidit ferocitas Athenienſiū, obtorpuit Demoſthenes, Thebani ab his deſerti ſigna ſoli cum illo contulere, quorū fuit vrbs expugnata. At Athenienſes ingenti circumuenti perturbatione inſtituerūt ad illum mittere Demoſthenē. Hic delectus cum alijs ad Alexandrum legatus, ꝙ iram eius formidaret, omiſſa legatione ex Citherone retrò domum eſt regreſſus.

Alexander oratores Athenienſes depoſcit.

Extemplò depoſcit per legatos Alexander ex oratoribus, vt Idomeneus & Duris tradidere, decem: vt pleriq; & probatiſsimi ſcriptores, octo hoſce: Demoſthenem, Polyeuctū, Ephialtē, Lycurgum, Mirocłem, Damonē, Calliſthenē, Charidemū.

Fabula de ouibus & lupo.

Ibi fabulam Demoſthenes recenſuit de ouibus, quemadmodū lupis canes dediderunt: qua ſe ſocioſq; canibus aſsimilauit pro populo propugnantibus, atq; Alexandrū Macedonem vnicum lupū appellauit. Adiecit etiā, vt mercatores videmus, cùm in patella circunferunt ſpecimen, per grana tritici pauca magnū diſtrahentes numerū: ita vnà nobiſcū vos omneis nec opinātes ipſi proditis. Hæc Ariſtobulus Caſſandreus ſcripta reliquit. Cōſultantibus Athenienſibus neq; expediennibus Demades quinq; talentorū ab illis mercede accepta, legatū obtulit ſe iturum & deprecatorē pro ijs ad regem, ſiue amicitia eius fretus, ſiue ſperans expletū ſe reperturū velut leonē cruore exatiatū. Induxit regem, eripuitq; illos Demades, ac reduxit cum eo in gratiā ciuitatē. Poſt diſceſſum Alexādri extollebantᷣ hi, Demoſthenes abiectus agebat. Ad motum Agidis Lacedæmonij erexit de integro nōnihil caput: mox metu trepidauit quieſcentibus Athenienſibus, Agide cæſo & obtritis Lacedæmonijs.

Iudicium de corona in Cteſiphontem.

Hac tempeſtate contra Cteſiphontem iudicium de corona conſtitutū eſt. Nomen eius delatū fuit Chæronda archonte paulò ante cladē Chæronenſem, iudicatū decem annis pòſt archonte Ariſtophonte. Fuit hoc iudiciū vt aliud publicum nullū celebratū, quà oratorū fama quà iudicum fortitudine. Qui, cùm accuſatores Demoſthenis plurimū id temporis pollerent, Macedonibusq; ſtuderēt, nō condonauerunt ijs Demoſthenis caput: ſed ita ſplendidè abſoluerūt, vt minus quinta quaq; ſententia ſecundū Aeſchinem iudicaretᷣ. Ille cōfeſtim ceſsit vrbe, Rhodíq; atq; in Ionia ludū habuit, ibiq; ætatē exegit.

Harpalus venit Athenas, homo pecunioſus.

Breui pòſt Harpalus, qui & malè ſibi ex luxu conſcius & Alexandrū iam terribilē amicis tremēs profugit eum, ex Aſia delatus Athenas eſt. Huic ad populū confugienti, ſeq; in fidē eius cum pecunia et nauibus permittenti cęteri oratores auro oculos adijcientes præſtò fuerūt conſuluerūtq; populo, vt ſupplicem reciperet ac tutaretur. Demoſthenes ſuaſit primùm, Harpalū vt abigerēt cauerentq;, ne nullo neceſſario aut iuſto prætextu ciuitatē implicarent bello. Inde paucis diebus cùm recenſeretur pecunia, cōſpicatus delectatū calice regio Harpalus, cælaturamq; cōſiderantē & ſpeciē, iuſsit vt manibus eum tractaret, & libramentū penſaret auri. Admirante pondus Demoſthene, atq; quantum penderet requirente arridens: † Pender, inquit, tibi Harpalus viginti talenta.

† Gręcè id melius.

Demoſthenes corruptus ab Harpalo.

Mox inſequente nocte calicem ei cum viginti talentis miſit. Acutè autem Harpalus ex obtutu, fronte exporrecta, coniectu oculorū notauit cupidi auri hominis ſenſum. Neq; enī reſtitit Demoſthenes, ſed ictus munere, vt ſi præſidiū recepiſſet, adiunxit ſe Harpalo. Poſtridie collo lana & faſcijs diligēter obligato in concionē progreſſus, cùm excitaretᷣ ad dicendū, nutu oſtendit præcluſam ſibi vocē eſſe. Ibi homines faceti cauillantes, nō angina dixerūt, ſed argentangina oratorē nocte correptū. Pòſt vbi vniuerſus populus donis ſenſit labefactatū, purgareq; ſe parantē atq; placare ipſum nō audiuit, ſed obſtrepuit infenſus: exurgēs quidā ſalſè ait: Non audietis Athenienſes iſtum, qui calicem habet. Harpalum autem vrbe extemplò interdixerunt. ac veriti ne rationem reddere cogerentur pecuniæ, quam ceperant oratores, quæſtionē accuratè habuerunt, domoſq; perſcrutati ſunt præterquàm Calliclis filij Arrhenidæ. Vnum huius domicilium,

vt author est Theopompus, quòd nuper vxorem domum duxisset, sponsæ causa, quæ intus erat, non permiserunt excuti. At Demosthenes re dissimulata plebiscitum scripsit, vt curia Areopagi hac de re quæreret, & quos iudicaret illa huius affines culpæ, vt punirentur. Cùm à consilio imprimis esset ille ipse damnatus, stitit quidem se iudicio: verùm lite quinquaginta talentis æstimata, cùm coniectus in vincula esset, ob pudorem criminis & valetudinis infirmitatem imparem carceri ferendo aiunt fugæ consuluisse, nõnullis

Demosthenis exilium.

inscijs, alijs ad tegendam fugam adiuuantibus. Cùm non procul vrbe profugisset: ferunt percipientem aliquot ciues ex aduersarijs, qui ipsum persequebantur, quæsiuisse latebras: cæterùm cùm illi nomine eum compellassent, & propè congressi petissent, viaticum vt acciperet ab se: in id enim attulisse domo se pecuniam, atque eius rei gratia insecutos ipsum: confirmarent'que ac monerent, ne casum ferret acerbè: in maiorem erupisse lamentationem ac dixisse Demosthenem: Qui valeam non grauiter ferre, qui reliqui vrbem, vbi tales habeam inimicos, quales non promptum sit inuenire in alia amicos?

Demosthenes non tulit exilium fortiter.

Tulit exilium imbecilli animo. Aeginæ & Trœzene ferè sedens Atticam lachrymis oppletus respectabat. Voces etiam parum generosæ nec magnificis eius in tractanda rep. orationibus cõmemorantur consentaneæ. Fertur vrbe excedens porrectis ad arcẽ manibus dixisse: O Domina Minerua quid bestijs tribus teterrimis delecta-

Tres bestiæ teterrimæ.

ris: noctua, dracone, & populo? Illos, qui visebant se & agebant secum deterruit à rep. adolescentes. Dixit, si duabus propositis ab initio vijs, vna quæ ad suggestum & concionem duceret, altera rectà ad perniciem, impendentia autem in repub. mala prouidisset, terrores, inuidias, calumnias, concertationes: in eam sese, quæ ad præsentẽ ferret pestem, præcipitaturũ fuisse. Sed enim cùm adhuc in eo, de quo diximus, est exilio, decessit Alexander, ac Græcia denuò conspirauit Leosthene præclaras res gerente, Antipa-

Antipater ab Atheniensibus obsessus.

trum'que Lamiæ obsidente atque muro circumuallante. Pytheas autem orator & Callimedon Carabus Athenis profugi contulerunt se ad Antipatrum, qui cum huius amicis & legatis circumibant Græciam, ne deficerent neu Athenienses sequerentur. Demosthenes verò legatis Atheniensium associans se, conatus eorum adiuuit, instititque vnà quò ciuitates coniunctis viribus Macedonas adorirentur & exigerent Græcia. In Arcadia Pytheam & Demosthenem memorat Phylarchus, dum hic pro Græcis, ille verba facit pro Macedonibus ad mutua progressos conuitia fuisse. Perhibetur Pytheas dixisse: vt domum, in quam lac asininũ infertur, omninò laborare aliquo morbo arbitramur: ita vrbs non posse fieri quin ægrotet, quam legatio adiret Atheniensium: Demosthenem verò retorsisse exemplum hisce verbis: Et lac asininum ad sanitatem inferri, & ad salutem ægrotantium adesse Athenienses.

Demosthenes reuocatur ab exilio.

Quibus populus Atheniensis captus sciuit Demosthenis reditum. Id plebiscitum Dæmon Pæaniensis Demosthenis fratris filius rogauit. Miserunt Aeginam ad eum triremem. Ex Piræeo scandens in vrbem vniuersa ciuitate, vt ne archon quidem vel sacerdos domi remaneret, obuiàm effusa lætis animis exceptus est. Quo tempore eum ait Demetrius Magnesius sublatis manibus gratulatũ de illo die sibi, quòd suus quàm Alcibiadis præclarior foret reditus. Beneuolentia enim adductos, nõ compulsos ab se vi ciues se excipere. Cùm verò mulcta pecuniaria districtus mane-

Demostheni remittitur mulcta.

ret (neque enim gratis ius erat eam remittere) hoc modo eluserunt legem: Morem habebant, vt Iouis Seruatoris sacrificio ei, qui aram instrueret et adornaret, argentum penderent. Hoc munus & illa præbenda Demostheni locauerunt quinquaginta talentis, quanti lis fuerat ei æstimata. Non licuit ei tamen à reditu diu frui patria, sed conuulsis ilicò Grecorum cœptis, mense Munichione pugnatum apud Cranona est, Boedromione impositum Munichiæ præsidium, Pyanepsione interijt ad hunc modum Demosthenes:

Demosthenis exitus.

Cùm allatum esset Antipatrum & Craterum contendere Athenas, Demosthenes cum suis occupauerunt clàm vrbe excedere. Eos populus ex Demadis rogatione rei capitalis damnauit. Alijs aliò dilapsis, circummisit ad eos arripiẽdos Antipater satellites, quo-

Archias Phygadotheras, id est exulũ venator.

rum fuit Archias dux, quem Phygadotheram, quasi exulum venatorem appellabant. Hunc Thurium origine fama tenet tragœdias aliquando actitasse, atque Aeginetam Polum, qui arte superauit omnes, illius tradunt discipulum fuisse. Hermippus Archiam inter Locriti oratoris auditores recenset. Demetrius operam dedisse scribit eum Anaximeni. Hic igitur Archias Hyperidem oratorem, Aristonicum Marathonium, & Demetrij Phalerei fratrem Himeræũ ex Aiacis fano, quò Aeginæ cõfugerant, extractos Cleonas misit ad Antipatrum: vbi interfecti sunt. Hyperidi linguam quoque tradunt excisam. Ad Demosthenem, quem in Calauria sedere supplicem in delubro Neptuni acceperat,

nauigijs

nauigijs actuarijs eò traiecit. Vt deſcendit cum Thracibus ſatellitibus inſtitit ei ſuadere vt ſurgeret, ac ſecum pergeret ad Antipatrum. Nihil ei mali metuendum eſſe. Inſomniũ Demoſthenes illa nocte nouum habuerat: Viſus eſt ſibi tragœdiam agere, & aduerſus Archiam certare: quãquam autem placeret & delectaret ſpectatores, apparatus eſſe tamen & ſumptus inopia inferior. Itaq; cùm multa Archias benigna verba adferret ei, ſuſpiciens vt ſedebat in illum: Nec hiſtrio, inquit, Archia me mouiſti vnquã, nec nunc mouebis promiſſor. Quo mox ad bilem & minas conuerſo: Nunc oracula, inquit, edis Macedonica, modò mimum agebas. Suſtine quæſo parumper, dum nonnihil domũ ſcribam. Sic fatus receſsit in interiora templi. Sumpto libello ſicut ſcripturus, calamum ori admouit, quem mordens, vt in cogitando et ſcribendo aſſueuerat, aliquantum temporis ita calamum tenuit. Tum caput obuolutum reclinauit. Stipatores, qui ad fores ſtabant, riſerunt eum velut ignauum, mollemq; & effœminatum vocauerunt. Archias accedens ad illum hortatus eum eſt, vt ſurgeret, atq; eoſdem iterans ſermones reditum in gratiam oſtendit ei cum Antipatro. Iam ſentiebat Demoſthenes vim veneni præcordia penetraſſe. Tum aperto capite & intentis in Archiam oculis: Fac iam, inquit, agas ex Tragœdia Creontem, corpusq; hoc abijcias inhumatum. Ego verò optime Neptune tuo templo ſpirans adhuc excedo. Antipater & Macedones ne ædem quidem tuam reliquerunt inuiolatam. Sic fatus cùm iuſsiſſet, vt trementem iam ſe & labentem ſuſtinerent, ſimul cùm progrederetur & præteriret aram, cóncidit, miſſoq; ſuſpirio efflauit animam. Venenum ſcribit eum Ariſto ex calamo, vt dictum eſt, ſumpſiſſe. Pappus quidam, cuius hiſtoriam conſarcinauit Hermippus, refert, cùm prolapſus ille apud aram eſſet, repertum in libello initium ſcriptum epiſtolæ: Demoſthenes Antipatro: præterea nihil. Cùm celeritas mortis miraculo eſſet, narraſſe eos, qui ad valuas ſtabant, Thracas ex panniculo ſumpſiſſe, manuq; admotum ori venenum deglutiſſe: ſe verò, quod deglutiret, aurum ratos. At puellam, quæ ei miniſtrabat, quærenti Archiæ diu eſſe dixiſſe, cùm hoc alligatũ pro amuleto tuliſſet Demoſthenes. Ipſe quoq; Eratoſthenes in cauo eum annulo refert venenum habuiſſe. Hunc annulum pro brachiali eum geſtaſſe. Reliquorum, qui de eo ſcripſerunt, ſunt autem multi, nihil refert diſſenſiones exequi: niſi quòd Demoſthenis familiaris arbitrari ſe dicat Democharis nõ vi medicamenti, ſed deorum beneficio & prouidentia Macedonum immanitati fuiſſe repentina morte & leni ereptum. Deceſsit decimo ſexto die menſis Pyanepſionis. quem diem ſacris Cereris triſtiſsimum agẽtes in templo Deæ ieiunant fœminæ. Ei paulo pòſt populus Athenienſis meritum honorem habens ſtatuam ex ære poſuit, & maximo gentis victum decreuit in Prytaneo præbendum. Inſcripſit præterea baſi ſtatuæ hoc peruagatum epigramma:

Demoſthenis ſomnium.
Demoſthenes ſumit venenum.
Demoſthenis mors.
Demoſtheni mortuo ab Athenienſibus habiti honores.

Menti Demoſthenes par ſi tu robur haberes,
Non erat Aemathiæ Græcia victa manu.

Nam qui ipſum hoc Demoſthenem paulo antè quàm venenũ hauriret, autumant in Calauria feciſſe, planè nugantur. Paulo antè quàm nos acceſsimus Athenas, hoc ferunt cõtigiſſe. Euocatus à præſide miles ad cauſam dicendam fuit. Hic quicquid haberet auri, in manibus ſtatuæ Demoſthenis depoſuit. Habuit illa digitos inter ſe implicatos, & iuxtà enata fuit non magna platanus. Ex ea multa folia (ſiue ventus ea decuſſerat, ſiue idem qui depoſuerat aurum, iniecerat) circumiacentia & circunfuſa aurũ longo tempore occuluerunt. Poſtquàm homo ille reuerſus eodem loco inuentum aurum recepit, ac fuit rumor hic diſsipatus: multi adoleſcentes vrbani ſumpto hinc in Demoſthenis abſtinentiã argumento certarunt inter ſe epigrammatibus. Demadem, qui non diuturnum fructum cepit creſcentis gloriæ, vltio Demoſthenis egit in Macedoniam: & quibus fœdè fuerat adulatus, ab ijſdem eſt perditus iuſtè: odioſus ijs vel antè, tunc verò noxæ compertus manifeſtæ. Literæ eius emanarãt, quibus † Perdiccam ad Macedoniam tentandam adhortabatur & ad conſeruandos Gręcos, vt à marcido & vetere filo dependentes, Antipatrum ſignificans. De his cùm eum Dinarchus Corinthius accuſaſſet, infenſus Caſſander filium eius in ipſius iugulauit ſinu, deinde eum iuſsit necari. Hic maximis calamitatibus didicit proditores ſemetipſos vendere primos: quod ſæpiùs prædicente non crediderat Demoſthene. Habes iam Soſsi, quatenus nos quidem legendo & audiendo conſequi potuimus, Demoſthenis vitam,

Demadis oratoris cædes.
† Antigonum, dicit in Phocione.

M. Cicero.

Ciceronis genus.

† Puto legendum Accium Tullium, cuius Liuius meminit lib. 2.



CICERONIS matrem tradunt Heluiam claro genere & honesta vita fuisse. De patre nihil mediocre refertur. Alij in officina fullonia & natum volunt & educatum. Alij ad † Appium Tullium clarum Volscorum regem originem familiæ eius referunt. Verùm is, qui huius gentis Cicero princeps est cognominatus, virum egregium arbitror fuisse: quare nõ repudiauerunt eius posteri hoc cognomentum: sed licet etiam vulgò in ora hominum pro ludibrio abiret, sunt id tamẽ amplexi.

Cicerones vnde dicti.

Habuit ille in extremo nasi in modum ciceris cæcam incisuram: vnde cognomen quæsiuit. Ipse quidem, quo de hîc scribimus, Cicero admonentibus amicis, cùm primùm honores peteret & remp. attingeret, vt abijceret hoc nomen immutaret've, fertur glorians dixisse, enisurũ se illustrius Ciceronis nomen Scauris & Catulis reddere. Quæstor in Sicilia donum argenteum dijs consecrauit, in quo initia inscripsit duorum nominum Marc. Tul. Tertij loco ludens cicer iussit artifici proxime illas literas incidere. De nomine hæc prodita sunt.

Ciceronis natalis.

Editum ferunt Ciceronẽ facili partu & nullo matris dolore tertio Nonas Ianuarias. quo die magistratus nunc vota faciunt & sacrificant pro incolumitate principis.

De Cicerone diuinum testimonium.

Nutrici eius spectrum aiunt se obtulisse ac prædixisse ingens eam bonum omnibus Romanis nutrire. Hæc cùm somnia esse & vana alioquin viderentur, ipse breuì ostendit certum fuisse oraculum.

Ciceronis indoles.

Nam vbi literarũ fuit per ætatem capax, tanta in eo eluxit indoles, tantumq́ nomen inter pueros & laudem comparauit, quæ parentes eorum excitaret, vt ad ludum pergerent ad Ciceronem oculis contemplandum, celebratumq́ eius in discendo acumẽ & solertiam considerandam: agrestiores succenserent filijs, cùm cernerent in media eos caterua Ciceronem honoris causa per vias stipantes. Hic cùm esset, qualem esse Plato vult studiosam et philosophiæ naturam amantem ad omnes natus artes complectendas, nec ad vllũ doctrinæ aut eruditionis prætereundũ genus, ad poesim sanè fuit procliuior.

Cicero egregius poeta.

Poema à puero Cicerone editũ, Pontius Glaucus.

Extat poema quoddam paruum, quod puer etiamnũ edidit, Pontius Glaucus versibus tetrametris compositum. Progressu temporis, cùm magis ac magis hoc studium excelleret, nõ modò orator habitus est, sed & poeta inter Romanos præstantissimus. Cæterùm laus oratoria, licet multa in dicendo nouata fuerint, vel hac manet ætate. Poetica verò, quia multi ei insignes successerũt, neglecta iacet & obsoleta.

Cicero Philonis discipulus.

Schola relicta puerili Philoni dedit operam Academico. quem Romani supra cæteros Clitomachi alumnos et ob dicendi facultatem admirati sunt & dilexerunt ob morum suauitatem.

Cicero Mutij Scæuolæ assectator.

Simul etiam Mutium Scæuolam assectatus est consultum virum & principem senatus, ex quo iurisprudentiam hausit. Meruit & aliquantisper sub Sylla bello Marsico. Inde remp. in seditionem cùm cõspiceret, ex seditione in extremũ ruere dominatum: ad castra se retulit Musarum & res perspiciendas, vixitq́ cum eruditis Græcis atq́ literas coluit, donec rerum est Sylla potitus, ac certum aliquẽ statũ vidit reip.

Roscij Amerini causa.

Hac tempestate libertus Syllæ Chrysogonus bona cuiusdã, quẽ detulerat vt inter proscriptos interfectum, viginti millibus æris emit. Id acerbũ interfecti filio & hæredi cùm esset Roscio, probaretq́ hæreditatem sexagies HS. valere: offensus Sylla, q̃ argueretur, crimen ei interprete Chrysogono intulit parricidij. Hic cùm nullũ appareret auxiliũ, sed omnes Syllæ sæuitiã exhorrescerent, destitutus ab omnibus adolescens cõtulit se ad Ciceronẽ. quem accenderũt amici, subieceruntq́ gradum ipsum ad gloriã habiturum posthac speciosiorem & pulchriorem nullum. Suscepta defensione obtinuit causam. vnde laudem consecutus magnã est.

Cicero imbecilli corpore.

Cæterùm metu Syllæ in Græciã profectus est vulgans ob corporis curã abire. Et profectò erat corpore gracili atq́ macilento, et propter stomachi infirmitatem modicũ & exiguũ cibi vix admodũ serò capiebat. Vox eius canora quidẽ erat & bona, sed dura & incondita. quæ ex orationis ardore et cõmotione semper altis incedens tonis minabatũ vitæ periculũ.

Cicero Antiochi auditor.

Vt applicuit Athenas, Antiochũ Ascolonitã audiuit, volubilitate captus & venustate eius orationis: opinionũ verò eius non probauit nouationẽ. Iam enim à vetere, quam vocant Academia desciuerat Carneadeæ sectæ Antiochus desertor, vel euidentia permotus et sensibus: vel, vt alij dictitãt, ambitione aliqua & dissensione cum Clitomachi & Philonis discipulis Stoica præcepta vbiq́ ferè mutata sententia amplexus: Cicero

cero

cero autem maluit illis inhærere, atque illa sequi. Rationem verò inferat hanc, si nullus ei in rep. capessenda foret locus, huc vt se ex foro & rep. transferret, ac vitam in philosophia traduceret tranquillam.

Exercitationis vtilitas.

Postquàm accepit mortem Syllæ, & corpus exercitatione firmatum validum comparauit habitum: vox autem conformata iucunda auribus & plena accidit, fuitq; mediocriter ad corporis habitum composita: hinc amicis quotidie ex Roma scribentibus solicitantibusq; eum, hinc Antiocho vt ad remp. accederet cohortante, facultatem dicendi de integro tanquam organum instruxit ad potentiam parandam ciuilem, declamationibus se subigens atq; ad insignes se applicans oratores. Itaque in Asiam & Rhodum nauigauit. In Asia Xenoclem Adramettinū, & Magnetem Dionysium, & Menippum Charem audiuit: Rhodi Apollonium oratorem Molonis filium & Philosophum Posidonium.

Cicero declamauit Græcè.

Hunc Apollonium fama est, quòd imperitus esset Romanæ linguæ, à Cicerone vt declamaret Græcè contendisse: Ciceronem ei morem gessisse libenter, ita fore ratū, melius vt corrigeret se ille. Postquàm declamauit, cæteris stupore defixis & certatim collaudantibus eum, Apollonium non hilarem fuisse, dum audiret dicentem: & cùm perorasset, diu sedisse cogitabundum: tandem vbi id momordit Ciceronem, dixisse: Te quidem laudo Cicero & admiror, Græciæ verò miseret me conditionis: cùm cernā, quæ reliqua nobis sola erant ornamenta, ea quoq; te ad Romanos transtulisse literas et eloquentiā.

Molonis de Cicerone testimonium.

Oraculum Ciceroni editum.

Ergo cùm ingenti Cicero spe erectus ad remp. gerendam pergeret, retudit impetum eius oraculum quoddam. Nam consulenti Apollinem Delphicum, qua potissimùm ratione summam gloriam assequeretur, sortes datæ fuerunt, vt suū ipsius ingeniū non vulgi existimationē ducem sequeretur vitæ.

CICERONIS primus ad rep. accessus.

Ac primum quidem tempus Romę magna cum cautione transegit, timideq́ue ad honores petendos accessit, neq; honore erat in vllo: appellabantq; eum, quæ nomina vilissimus quisq; Romanorum prompta & assueta in ore habet, Græcum & ociosum. Sed qui flagraret naturâ cupiditate gloriæ, atq; à patre & necessarijs incenderet, vt contulit ad causas dicendas se, non sensim aspirauit ad primas, sed confestim gloria effulsit, longeq́; cæteris, qui causas agebant in foro, excelluit.

Roscius & Aesopus histriones.

Dicitur hic non secus ac Demosthenes in actione laborauisse, eaq; de causa sedulò nunc Roscio Comœdo, nunc Aesopo Tragœdo operam dedisse. Hunc Aesopum tradunt, dum in theatro agit Atrea de puniendo deliberantem Thyeste, ita fuisse motum: vt impos mentis ministrum quendam, qui repentè prætercurrebat, feriret sceptro & occîderet. Neq; sanè parū cōtulit ad persuadēdum Ciceroni actio adiumenti: atq; oratores, qui magnos edebāt clamores, irridens, ex impotentia dicebat in clamorē sicut claudos in equum insilire.

Cicero dicacior.

Vrbanitas in facetijs eius & in salibus hisce forensis visa est & lepida: sed cùm esset in ea effusior, multos offendit & habitus est malignus.

CICERONIS questura.

Quæstor designatus in difficultate annonæ, ac sortitus Siciliam, primùm multis mortalibus, quos mittere frumentū cōpulit ad vrbem, parū fuit gratus. Inde vt industriæ eius, vt innocentiæ, vt lenitatis cepere gustum, vt nullū vnquā alium honorauerunt prætorē. Porrò multi Romę clari adolescentes & nobili orti familia vocati in crimen fuere, quòd molliter se & contra disciplinam militarem gessissent in stipendijs faciendis. His ad prætorem Sicilię remissis egregiè patrocinatus est & liberauit eos.

Ciceroni ridiculum quiddam in itinere oblatum.

Quibus rebus elatus Romā regredienti quiddam sibi accidisse ridiculū ipse ait: Nam cùm in Campania incidisset in quendam ex primoribus, quicum sibi existimabat intercedere gratiā: qui sermo esset quæsisse se inter ciues de rebus suis gestis, & quid sentirent: arbitratum nomine & gloria se actionum suarum totam implesse ciuitatem: Respondisse illum: Tu verò Cicero vbi hoc spacio fuisti? Ibi animo se planè cōcidisse, si mērio sui in vrbem tanquā in vastum incidens pelagus, nihilo se ad gloriā reddidisset cōspectiorem.

Cicero ambitiosus.

Pòst collectis rationibus suis videns rem immensam esse, ad quā contenderet, gloriā: cuius nullum cerneret exitū, multum de ambitione remisit. Verùmenimverò amabat supra modū celebrari, tenebatq; eum perpetuò cupiditas immensa gloriæ: quę multa eius præclara cōsilia frequenter interpellauit. Cùm iam animum ad remp. totū conuertisset, turpe duxit, si opificis, instrumenta qui tractarent & armamenta surda, nullius nomen fugeret, nec locus, nec vis: in rep. autem versans, qui hominū opera publica munera obiret, socors esset in cognoscendis ciuibus & supinus. Quare non modò in cōprehendēdis elaborauit nominibus, sed locum etiā, vbi insignis quisq; habitaret, prædia vbi haberet, quibus nam vteretur amicis & quos haberet vicinos, tenuit: atq; in via Italiam peragrans expeditè nuncupabat & demonstrabat amicorū possessiones & villas. Rem habuit familiarem modicam quidem, sed sufficientem, et qua tueri se facilè poterat. Quò

Ciceronis in Verrem actiones.

magis commendatus fuit, quòd patrocinij causa neque mercedem neque munera caperet, præcipuè cùm Verrem suscepisset accusandũ. Siciliam hic prætor obtinuerat, quem multa ob fœda facinora Siculis persequentibus damnauit nõ dicendo, sed eo quodã modo, quòd non diceret. siquidem cùm prætores in gratiã Verris sæpiùs cõperendinando causam in vltimã diem traxissent, appareretque diem causæ perorandæ nõ satis futurã neque exitum habiturũ iudiciũ: exurgens Cicero negauit opus esse oratione productisque & interrogatis testibus sententiã iussit ferre iudicibus. quo tamen in iudicio multa eius cõmemorantur facetè dicta.

Ciceronis dicta in actionibus cõtra Verrem.

Verrem Romani castratũ porcum vocant. Cùm aũt conditionis homo libertinæ studio aspersus superstitionũ Iudaicarũ Cecilius nomine tenderet summotis Siculis nomen deferre Verris: Quid, inquit, Iudęo eum porco, Cicero? Erat filius Verri adultus, quem parum pudicè fama tenebat formam habere. Igitur Verre Ciceroni mollitiem obijciente: Liberis, inquit, intra ianuã conuiciandum est. Orator Hortensius rectam & plenam nõ sustinuit Verris suscipere defensionem, verùm in litis æstimatione adductus est vt ei adesset. Qui cùm Sphingem eburneã mercede accepisset, dixit quiddam in eum Cicero obliquè. Scire neganti se soluere ænigmata: Atqui Sphingem, inquit, domi habes. Ita damnato Verre & lite æstimata tricies HS. malè audiuit Cicero, quasi pecunia corruptus in æstimanda lite esset præuaricatus. Siculi tamen, quò gratos se ostenderent, in ædilitate eius multa ex ea insula aduecta obtulerũt ei: quorum in suos vsus nihil vertit, tantùm ad leuandam annonam illorum hominum vsus liberalitate est.

Ciceronis opes.

Villam amœnam Arpini, prædium etiam prope Neapolim & alterum Pompeijs nõ lata habuit. Huc accessit vxoris dos Terentiæ CCCCLXXX. millium nummûm. Præterea hæreditas ei venit, quæ ad CCCLX. millia nummûm est redacta. His facultatibus liberaliter se & frugaliter tolerauit cum familiaribus Græcis & ciuibus literarum cultoribus. Haud temere ante occasum solis accũbebat non tam districtus occupationibus, quàm valetudinis causa ob stomachi imbecillitatem. Fuit alioquin in corporis cura curiosus & nimius, vt & ad certum numerum frictionibus et ambulationibus vteretur. Ad hunc modum seruiens habitui, validum eum & firmum ad multas & graues contentiones laboresque conseruauit. Domum paternam concessit fratri. ipse, ne esset clientibus

Ciceronis celebritas, et gratia.

suis molestum longiùs ire, iuxta Palatium habitauit. Colebant eum, qui domum eius quotidie ventitarent, non pauciores quàm ob diuitias Crassum et Pompeium ob militarem potentiam, quorũ erant eo tempore authoritas & opes maximæ. Et ipse quoque Ciceronem obseruabat Pompeius, multumque Ciceronis actiones Pompeij potentiam & gloriam auxere.

CICERONIS prætura.

Præturæ candidatus cùm multos haberet & insignes competitores, omnium est renunciatus primus: in qua iudicia integrè & innocenter dispensauit. Fama est Licinium Macrum virum Romæ & suis præualidũ opibus, & Crassi auxilio subnixum ad tribunal Ciceronis repetundarũ fuisse postulatum. Hunc ista fretũ potentia &

Licinius Macer damnatus.

studio, dum iudices adhuc sententias ferunt, domũ reuersum ilicò comam totondisse ac sumpta toga candida quasi foret absolutus, redire ad forũ parantem: cùm Crassus ad vestibulũ ei occurrisset, & cunctis damnatũ renunciasset sententijs, recepisse se intrò: mox decubuisse ac vitam deposuisse. Fuit Ciceroni ea res honori, quòd accuratè sortitus esset iudices.

Ciceronis dictũ ad Vatinium.

Vatinius homo fuit asperior & minus reuerens in causis dicendis magistratuũ, collo strumoso. Hic ad tribunal petijt quippiã à Cicerone. quo non concedente, sed diu deliberante: Equidẽ, inquit, si prętor sim, de eo non hæsitarẽ. Tum cõuersus: Atqui ego, inquit Cicero, nõ habeo tantum collum. Cùm dies ei nõ plus duo aut tres superessent magistratus, Maniliũ quidam de peculatu detulit. Erat Manilius hic, quòd fatigari eum Pompeij causa, quo vtebatur familiariter, crederet, gratus & acceptus plebi. Ei postulanti diem, vnam solam concessit Cicero insequentem. quæ res offendit populũ: quòd reis consueuissent prætores non minus decẽ dies tribuere. Tribunis plebis eum hac de causa in rostra vocantibus lacerantibusque, postulata audientia ait: cùm perpetuò in reos fuisset, quatenus per leges liceret, æquus & benignus: durũ arbitratum se, si idem denegaret Manilio. Quæ ergo dies esset in prætura sui iuris sola, eam de industria statuisse. Neque enim ad alium reijciendam prætorem causam fuisse, opem si ferre studeret. Hæc oratio mirum quantum populi animum commutauit. Multis enim laudibus cumulârunt eum, rogaueruntque vt defensionem susciperet Manilij. quod subijt Cicero libenter, maximè absentis causa Pompeij: habuitque de integro concionem, in qua acriter factiosos & Pompeij æmulos perstrinxit.

Cicero Tribunos offensos vno mitigat verbo.

CICERONIS consulatus.

Ad consulatum non minus ab optimatibus est quàm à plebe prouectus. Suffragati ei ob reip. salutem sunt huiuscemodi ex causa: Conuersio sta-

tus

tus reip. quæ facta à Sylla fuerat, etsi principiò non probaretur, dies tamen & vsus tandẽ vtilem esse ad ocium seruandum ostendit populo. Præsentem rerum statum moliebantur nonnulli nullo quidem bono publico, sed rerum respectu priuatarum conuellere atque mutare. Pompeius id temporis in Ponto & Armenia bellum cum regibus gerebat. Romæ exercitus non erat præstò satis validus ad reprimendos eos, qui rebus nouis studebant. Ducem habebant hi hominem audacem, inquietum, et versipellem L. Catilinã. Huic antè fuerat præter alia infanda scelera crimini datum, quòd cum virgine filia stuprum fecisset & necasset fratrem. cuius metu criminis egit cum Sylla, vt fratrem suũ velut adhuc viuum referret in proscriptos. Eo delecto improbi ciues duce fidem cùm alijs modis sanxerant inter se, tum mactati hominis gustata carne. Corruperat hic magna ex parte iuuentutem vrbanã: illecebras, cõmessationes, scorta cuiq; semper præbẽdo, neq; vlli sumptui in his suppeditandis modum faciendo. Spectabat tota ad defectionem Hetruria & Gallia pleraq; cisalpina. Ipsa verò propter bonorũ inæqualitatẽ maximè ad mutationem rerum opportuna erat Roma. Nam vt quisq; nobilissimus erat & animosissimus, ita opes in spectacula, viscerationes, largitiones magistratuũ assequendorũ causa, insanas substructiones profuderat. Pecunia ad homines defluxerat ignauos et humiles: vt paruo momento quivis, cui foret animus, valeret remp. per se ægram versare. Arcem tamen quò ad noua cœpta haberet validam, consulatũ Catilina petebat: magnamq; conceperat spem C. Antonium se collegam habiturum, virũ neq; ad bonum publicum neq; ad perniciem idoneũ principem, sed accessionem futurũ alterius ducis viriũ. Hæc studia plurimorum bonorũ, qui ea prospiciebant, accenderũt ad consulatum petendum Ciceronem. qui cùm populo acceptus esset, tulit Catilina repulsam. Creati consules sunt M. T. Cicero & C. Antonius: licet inter cãdidatos solus patrẽ Cicero habuerit equestris ordinis nõ patritij. Quamvis verò Catilinæ cõsilia nondum emanauerãt in vulgus, magna præludia tamen contentionũ exceperunt Ciceronis consulatum. Hinc illi, qui per leges Cornelias ab honoribus petendis arcebãtur, quorum opes ingentes nec exiguus erat numerus, orationes in prensando populares habebant, grauiterq; in Syllæ tyrannidem inuehebantur. Adferebant illi quidem & vera et æqua, alieno tamen & incongruo turbabant remp. tempore. Hinc tribuni plebis leges rogabant huic materiæ cõuenientes. Promulgabant legẽ de creandis cum summa potestate decẽviris, quibus ius esset, agrum publicũ tota Italia, tota Syria, & nuper à Pompeio partum vendere, quæstionẽ habere de omnibus, quos liberet, exterminare, colonias deducere, pecuniam ex ærario sumere, habere conscribereq; exercitum, quanto haberẽt opus. Quare fauebant huic legi cùm alij ex nobilitate, tum princeps collega Ciceronis Antonius, vnũ sperans se fore ex decemviris. Quæ verò res perculit optimates præcipuè, videbatur coniurationẽ Catilinæ, cuius esset cõscius, nõ molestè ferre, q oppressus esset multo ære alieno. Huic vulneri primùm medicinã faciens prouinciã ei Macedoniã concessit Cicero, Galliã sibi decretam deposuit. Hoc sibi beneficio deuinxit Antoniũ, vt velut mercenarius histrio sibi in tuenda patriæ salute secundas partes ageret. Hunc iam vt sibi habuit authoratũ & tractabilem, tunc maiore animo Cicero eos, qui moliebant res nouas, aggressus est. Igitur in senatu contra legẽ dixit: vbi pauorẽ legislatoribus offudit tantũ, vt quid responderẽt, non haberẽt. Verùm cùm vrgerent de integro legẽ, & instructi consules in rostra traherent: nihil Cicero trepidans senatu sequi iusso progressus est. Nec solùm legem antiquauit, sed & adeo consternauit dicendo tribunos, vt etiam suscepta omnia abijcerent alia. Nẽpe hic vir potissimùm, quantũ adferat honesto condimentũ eloquentia, ostendit populo Romano: atq; inuincibile, quod est iustũ, esse, si rectè dicatͬ: debereq; eum, qui sedulò tractare remp. intendit, semper in rebus quidẽ agendis honestũ blandienti anteferre, sed in dicendo acerbũ eximere conducibili. Indicat eius in dicendo suauitatẽ id, quod in consulatu eius circa spectacula áccidit. Cùm enim antè equites in theatris permisti plebi & vnà cum populo indiscreti spectarẽt, † M. Otho prætor equites honoris causa primus à cætera plebe discreuit, ac separatũ ijs locum in theatro, quem nunc quoq; tenent præcipuũ, attribuit. Id interpretatus in contumeliã factũ suã populus ingressum in theatrum exibilauit Othonẽ probrosè. Equites inuicẽ magno plausu exceperũt eum. Intendit ex integro populus sibilũ, mox plausum illi. Ita inter se cõmissi lacerauerũt se mutuò maledictis, ac confusio theatrum magna tenebat. Qua re audita cùm contulisset se illuc Cicero, concioneq; ad Bellonæ conuocata increpasset populum castigassetq;, reuersi in theatrũ ingentem plausum Othoni dederunt, certaueruntq; cum equitibus de illius ho-

Catilinæ coniuratio.

Catilinæ scelera.

Catilina consulatum petit.

Leges agrariæ in Ciceronis cõsulatu.

Ciceronis prudentia in Antonio collega retinendo.

Ciceronis in dicendo suauitas.

Lege Roscia Equites in spectaculis discreti à plebe.

† Vide an non legendum L. Otho tribunus plebis, vt latini scriptores habent.

noribus & laude. At coniuratio Catilinæ trepida initiò & perculsa resumpsit animos. Conuentu autem coacto cohortati sese mutuò sunt, vt maiore mole rem susciperent prius, quàm Pompeius, quem cum legionibus esse audiebant in itinere, reuerteretur. Inflammauerunt Catilinam potissimum veteres Syllani milites. qui per totam quidem Italiam fusi, sed plurimi & fortissimi Hetruriæ admisti oppidis, cùm nouas rapinas & direptiones paratas locupletum somniarent, duce Manlio egregio viro, qui sub Sylla meruerat, conspirauerunt cum Catilina, venerunt'que Romam ad comitia, vt eius petitionem suffragijs suis iuuarent. Petebat enim iterum consulatum certus Ciceronem in ipso comitiorum tumultu occidere. Porrò dij quoque claré imminentia mala terræmotibus, fulguribus, & ostentis prænunciârunt. Indicia hominum erant illa quidem certa, sed ad coarguendum virum nobilem & præpotentem Catilinam infirma. Quare producta comitiorum die accersiuit in curiam Catilinam Cicero, atque de ijs, quæ agitata rumoribus erant, interrogauit. Ille multos ratus in senatu esse rerum nouarum cupidos, simul etiam coniuratis ostentans se respondit Ciceroni leniter: Quid'nam pecco, inquit, duo cùm sint corpora, alterum gracile & tabidum, quod caput habeat, expers alterum capitis, sed validum & magnum, huic si ego caput addo? Hæc eo inuolute de senatu & populo iactante maior Ciceronem incessit metus: quem lorica munitum primores omnes ac frequens iuuentus ab ipsius domo & curia deduxerunt in campum. Dissuta de industria ex humeris tunica partem aperuit loricæ, quò conspectior contemplantibus periculi sui esset magnitudo. qui grauiter commoti latera eius cinxere. Postremò repulso iterum suffragijs Catilina declarantur consules Decius Syllanus & C. Muræna. Non multis pòst diebus, dum milites Catilinæ in Hetruria contrahuntur, & definita ad cœpta patranda dies instat: intempesta nocte principes & potentissimi ciuitatis venerunt domum ad Ciceronem M. Crassus, M. Marcellus, Scipio Metellus. Pulsatis foribus & ianitore appellato excire ex somno Ciceronem & se adesse iusserunt nunciare. Erat autem res hæc: Crasso à cœna epistolas reddiderat ianitor ab homine allatas ignoto, alias alijs inscriptas, ipsi Crasso vnam sine nomine. Ea Crassus sola lecta, vbi literæ significarunt multorum moliri Catilinam cædem, monuerunt'que vt ciuitate se subduceret: non aperuit reliquas, sed confestim tanto attonitus periculo properauit ad Ciceronem, simul nonnullam, in qua ob familiaritatem erat Catilinæ, diluturus suspicionem. Cicero re deliberata prima luce conuocat senatum, epistolas reddit ijs, quibus erant destinatæ, iubet'que vt eas publicè legant. Continebant omnes ex æquo instare cædem. Cæterùm postquam delectum in Hetruria haberi Q. Martius vir prætorius significauit, & Manlium nunciatum est magna cum manu illic circa oppida hærere operientem aliquem motum vrbanum: fit senatusconsultum, vt committeretur consulibus respublica: ij viderent, ne quid resp. detrimenti caperet. Id non frequenter, sed in graui discrimine facere senatus solebat. Hac potestate Cicero permissa, quæ agenda foris erant, Q. Metello commisit. vrbi ipse præsidio fuit. Quotidie in publicum tanta stipatus caterua processit, vt eius comitatus ingredientis magna ex parte forum occuparet. Tunc Catilina longioris moræ impatiēs excurrere ad Manlium constituit in castra, Martium & Cethegum cum gladijs iussit si cuti salutatum manè ad ianuam Ciceronis pergere & occidere imparatum. At Fuluia hoc nobilis fœmina Ciceroni nocte ad eum profecta enunciauit, monuitq; eum, vt caueret à Cethego & Martio. Hi cùm diluculò accessissent, ianua prohibiti cœperunt frendere & clamoribus incessere pro foribus. quæ res magis eos suspectos reddidit. At Cicero progressus coëgit senatum in æde Iouis Statoris, quæ est in capite Sacræ viæ, qua ascenditur in Capitolium. Quò cùm & Catilina venisset inter reliquos, velut purgaturus se: nemo fuit senator, qui ei assidere sustineret, sed relicto subsellio in alteram partem transierunt omnes. Dicere incipienti obstrepuerunt. Denique exurgens Cicero vrbe præcepit ei vt excederet. Opus enim esse, dum ipse verbis, ille remp. armis tractaret, vt murus in medio essent. Ibi Catilina confestim trecentis armatis comitatus vrbem reliquit: ac quasi cum imperio esset, cum lictoribus fascibus'que & signis correptis ad Manlium contendit. Contractis fermè viginti millibus adijt oppida ad defectionem ea solicitans. Itaque cùm apertum esset bellum, missus est cum exercitu contra eum Antonius. Relictos in vrbe, quos labefactauerat Catilina, conuocauit & confirmauit Cornelius Lentulus Sura cognomine claro vir genere, sed vita turpi, atque ob vitam flagitiosam antè senatu motus. Prætor tunc iterum erat, vt mos est,

Syllani milites cum Catilina consentiunt.

Cicero Catilinā interrogat in senatu.

Catilina iterum repulsus.

Literæ ad Ciceronem de summo à Catilina periculo.

Fuluia Catilinæ consiliū de perimendo Cicerone patefacit.

Catilina vrbe excedit.

cùm

cùm quis in senatum est denuò lectus. Fama est Suram eum appellatum fuisse ex huiuscemodi causa: Dominante Sylla quæstor magnam summam profuderat abligurierat'que pecuniæ publicæ. Stomachante Sylla ac rationes ab eo in curia reposcente procedens in medium securè admodum & contemptim, rationes ait se reddere non posse, sed præbere suram, puerorum scilicet more, cùm in ludo pilæ offenderunt. Hinc appellatus est Sura. Protractus iterum in iudicium, cùm nonnullos iudices pecunia redemisset, atque duabus duntaxat sententijs superasset absolutorijs damnatorias: quod alteri iudici dedisset, nequicquam ait impensum fuisse. Satis enim esse, modò vna tantùm sententia plus esset liberatus.

Lentulus, Sura cur dictus.

Tali hunc ingenio & à Catilina incensum vani insuper vates & præstigiatores spe dementauerant inani carmina conficta & sortes canentes, quasi ex libris Sibyllinis prænunciantes in fatis esse, vt tres Cornelij Romæ rerum potirentur: eorum duos fatum iam implesse Cinnam & Syllam: tertio, qui superesset, Cornelio deos ipsi dominationem deferre. Quin susciperet, nec cunctando sicut Catilina corrumperet opportunitatem. Igitur nihil Lentulus mediocre aut leue agitauit, sed totum statuit senatum interficere & ex cæteris ciuibus, quos posset: vrbem ipsam incendere, parcere præter Pompeij liberos nemini: hos incolumes suæ potestatis facere & pignora retinere suæ ad Pompeium securitatis. Frequens iam enim rumor & constans aduolabat confecto eum illo ingenti bello ad vrbem redire. Noctem huic facinori destinauerant vnam ex Saturnalibus. Enses, stupam, sulphur clàm domum Cethegi comportauerant. Vrbem in centum partes descripserant, ijsq; centum viros præfecerant singulos singulis sorte ductos, vt momento multis ignem subijcientibus vrbs vndique conflagraret. alij obstructuri erant aquæductus & aquantes obtruncaturi.

Oracula de tribus Cornelijs Romæ imperaturis.

Dum hæc parantur, fortè legati duo Allobrogum Romæ agebant gentis tum plurimùm afflictæ atque exosæ Romani imperij iugum. Hos Lentulus cum suis, rati opportunos ad mouendam solicitandamq; Galliam, associauerunt coniurationi, & literas ijs alias ad ipsorum magistratus, alias dederant ad Catilinam. Illis ostendebant libertatem, his Catilinam adhortabantur, vt vocatis ad libertatem seruitijs duceret ad vrbem. Cum his Titum quendam Crotoniensem, qui literas ferret, miserunt.

Allobrogum legati detegunt coniurationem Catilinæ.

Hæc vt hominum temerariorum, & per vinum ferè atque cum mulieribus inter se conferentium consilia, industria Cicero ac sobria mente magna'que prudentia venans, cùm multos haberet etiam foris emissarios, qui obseruarent & sibi inuestigarent quæ gererentur: cum multis quoque, qui esse consortes credebantur coniurationis, secreta colloquia haberet, quibus fideret: cognouit, quæ cum legatis fuerant acta: collocatis'que nocte insidijs Crotoniensem cum epistolis comprehendit, facientibus occultè cum eo Allobrogibus. Senatu vbi illuxit, in ædem Concordiæ aduocato recitauit literas, & indices diligenter interrogauit. Addidit Iunius Syllanus esse, qui ex Cethego audiuissent, breuì fore vt tres consules & quatuor prætores interficerentur. Alia etiam huiuscemodi Piso vir consularis retulit. C. Sulpitius prætor domum Cethegi missus magnam vim ibi telorum & armorum, plurimos pugiones & gladios omnes recèns exacutos deprehendit. Postremò Crotoniensi fide publica dicere à senatu, quæ sciret, iusso conuictus Lentulus magistratum, quòd prætor esset, abdicauit: deposita'que in curia prætexta vestem sumpsit præsenti calamitati conuenientem. atque is itemq; consortes eius prætoribus traditi sunt, vt in liberis custodijs haberentur. Obscura iam luce cùm frequens plebs expectaret, progressus Cicero, quæ acta essent, exposuit populo. Inde deduxerunt eum in ædes amici vicini. Nam ipsius domum tenebant mulieres, quæ arcanis sacris Bonæ deæ quam Græci appellant Gynæciam, operabantur. Hæc sacra quotannis in ædibus consulis vxor eius aut mater virginibus Vestalibus præsentibus obit.

Coniurati comprehenduntur.

Bonæ deæ sacra

Ingressus Cicero perpaucis præsentibus voluit secum, quid de istis hominibus statueret. Siquidem extremum & tam atrocibus par facinoribus supplicium dubitabat & verebatur persequi, cùm miti suo inductus ingenio, tum ne cui imperiosior videretur & durior in viros nobilissimos & potentibus vallatos amicis. Sin molliùs cõsuleret, cernebat propositum sibi ab ijs periculũ. Neq; enim acquieturos eos, si leuiore quàm capitali defungerẽtur pœna, sed adiuncta ad pristinã improbitatẽ noua ira in omnem exarsuros audaciam: deinde notã se timiditatis & mollitiei incursurũ, qui alioqui nõ haberetur vulgo nimiùm animosus. Hæc agitante Cicerone fœminis offertur in solennibus ostentum. Ara cùm ignem iam appareret sopitum, ex cinere & deustis corticibus ingẽtem & luculentam edidit flammã: quæ res alias defixit terrore, verùm virgines Vestales vxori

Ostentum factum Ciceroni.

Ciceronis Terentiæ imperârunt, ad virum properaret moneretq́ue eum, consilia sua pro patriæ incolumitate vt exequeretur. Magnum ei à Dea adferri ad salutem & gloriam lumē. Terentia, quæ nec aliâs leni esset nec pauido ingenio, verùm ambitioso, magisq; vt ipse refert Cicero, in consilia quę de rep. haberet, inferret se, quàm ei participaret domestica: aperuit ei hæc, & in coniuratos incendit: Quintus item eius frater & in philosophia socius P. Nigidius, cuius ferè grauissimis in negocijs publicis vtebatur consilio. Postero die cùm ad senatū de coniuratorū supplicio esset relatum, Syllanus primo loco sententiam rogatus cōdendos censuit in carcerē, atq; ibi vltimo supplicio in eos animaduertendum. Huius sententiæ omnes deinceps assensi sunt vsq; ad C. Cæsarem, qui pòst dictator fuit. Iuuenis tunc erat & in primis incrementi rudimentis. qui iam tum actionibus suis & spe eam ingressus viam, qua rempubl. vertit in principatum, cæteros fefellit, Ciceroni multis modis suspectus cauit tamen ne se teneret: imo multi sunt, qui dicunt, quamvis esset tantùm non compertus, elapsum fuisse Ciceroni tamen. Alij referunt metu eius amicorum & opum vltro eum conniuisse & repudiasse delata aduersus eum indicia. Omnibus enim cōstitit citiùs illos Cæsari accessionem fore ad salutem, quàm ad punitionem illis Cæsarem. Vt verò ad eum ventum est, vt diceret sententiam: exurgēs censuit non infligendam ijs mortem, sed publicandam pecuniam, ipsos per municipia, quæ Cicero probaret, dum esset cum Catilina debellatum, in vinculis habendos. Cui sententiæ, quia mitis erat, & ille qui dixerat, disertissimus, non parum Cicero adiecit momenti. Surgens enim disseruit in vtramq; partem, hinc priori, hinc Cæsaris astipulās sententiæ. Amici quoque magis arbitrati omnes sententiā expedire Cæsaris Ciceroni (minus enim calumniæ subiturum, si non interfecisset coniuratos) maluerunt in alteram sententiam discedere: vt etiam immutatus Syllanus retractaret se negaretq; capitalem se dixisse sententiam. vltimum enim senatori populi Romani esse carcerē supplicium. Postquàm assedit Cæsar, princeps eam sententiam Luctatius Catulus impugnauit. Hunc Cato secutus & in dicendo graui suspicione aspergens Cæsarem inflammauit erexitq; senatum. Decernunt itaque in eos supplicium capitale. De publicandis bonis repugnauit Cæsar: ne qui mitissimam partem sententiæ suæ reiecissent, excerperent ex ea, quod haberet tristissimum. Insistentibus multis appellauit tribunos, nec illi intercessere: at cessit Cicero ipse remisitq; illam de publicandis bonis sententiæ partem. Inde profectus cum senatu Cicero ad coniuratos (non erant autem eodem omnes loco, sed diuersi prætores alius alium in custodia habebat) primum ex Palatio Lentulum accepit, quem Sacra via medioq; foro deduxit. Primores ciuitatis vndique circumfusi stipabant eum. Populus silentio præteribat trepidus ea facie. Iuuentus præcipuè speciem præbebat, quasi sacris patrijs summæ optimatium potestatis cum trepidatione & horrore initiarentur. Vt medio foro ad carcerem accessit, tradidit Lentulum carnifici necandum. Inde Cethegum, mox reliquorum quemque deduxit in carcerem, ac supplicio affecit. Qui cùm frequentes adhuc conspiceret coniurationis consortes in foro stantes conglobatos, ignaros eorum, quæ facta fuerant: & quasi etiamnum superessent isti atque eripi valerent, noctem operientes, alta voce dixit ad eos: Vixerunt. Ita Romani vitantes verbi atrocitatem interfectos significant esse. Iam nox erat, cùm per forum reciperet se domum. tum non vltrà tenuerunt silentium ciues, neque sedatè deduxerunt eum: sed vt quosque præteribat, acclamationibus exceperunt & plausibus, seruatorem & conditorem patriæ appellantes. Viæ crebris lampadibus & facibus, quas accenderant pro foribus, collucebant. Prælucebant ex tectis matronæ ornandi & contemplandi causa Ciceronis: quem amplissima frequentia domum reducebant principes. quorum plerique magnis perpetratis bellis post triumphos actos & in multum auctum terra mari'que imperium incedebant apertè inter se ferentes populum Romanum multis eius æui imperatoribus & ducibus pecuniam, manubias, & incrementum potentiæ referre accepta: securitatem & salutem vni tantùm Ciceroni, qui tantum & tam sæuum ipsorum discussisset periculum. Neque enim reprimere cœpta potuisse & punire flagitiosos videbatur mirandum, sed quæ maxima fuisset omnis memoriæ coniuratio, hanc quòd quàm minimo detrimento sine seditione & motu restinxisset. Etenim Catilinam plerique, qui ad eum confluxerant, audito casu Lentuli & Cethegi ilicò deseruere. Ille ijs copijs, quas reliquas secum habebat, collatis cum Antonio signis cum exercitu est cæsus. Et quidem fuerunt nonnulli, qui horum factorum ratione lacerare Ciceronem & fatigare intenderent, ducibus designatis magistra-

Margin notes: *Syllani de coniuratis sententia.* — *C. Cæsar coniurationis Catilinæ conscius.* — *Cæsaris de coniuratis sententia* — *Coniuratorum supplicium.* — *Vixerunt, verbum de interfectis vsurpatum.* — *Ciceronis laus.* — *Catilina cæsus.*

gistratibus Cæsare prætore, Metello & Bestia tribunis plebis. qui inito magistratu, cùm pauci adhuc dies Ciceroni consulatus superessent, non fecerunt ei copiam concionis habendæ: sed positis pro rostris subsellijs non fecerunt ei ius neque potestatem dicendi: tantum permiserunt, si ei videretur, vt eiuraret magistratum, statimq; descenderet. Ita ille vt iuraturus progressus facto silentio iurauit non solenne, sed peculiare quoddam & nouum iusiurandum, se patriam conseruasse & tutatum imperium: quod verè eum iurasse populus vniuersus iurauit. Quare vehementiùs Cæsar & tribuni acerbari cùm alias procellas excitauerunt Ciceroni, tum legem suaserunt, vt Pompeius acciretur cum exercitu ad dominatum reprimendum Ciceronis. Verùm cecidit opportunè Ciceroni atque vniuersæ reipublicæ, quòd id temporis tribunus plebis esset Cato: qui illorum actionibus pari præditus potestate & maiore existimatione obiecit se. Hic enim & alia nullo negocio reflexit, & Ciceronis consulatum ita extulit concionibus suis, vt honores ei decernerentur omnium amplissimi, & pater patriæ appellaretur. Quod ei nomen tributum sanè est primo, cùm eum ita in cōcione nominasset Cato. Fuit ea tempestate authoritas eius in ciuitate summa. verùm inuidiam conflauit sibi, nullo ille quidem flagitio: sed quòd se ipse laudaret & celebraret assiduè, offendit multos. Vbique enim siue in senatu, siue in concione, siue in iudicijs, habuit in ore Catilinam & Lentulum. Libros denique & scripta laudibus compleuit suis, iucundissimam'que suam & venustissimam dictionem odiosam reddidit & ingratam auditoribus, hac eum quasi morbo aliquo semper comitante importunitate. Veruntamen quanquam supra modum cupiditate flagrauit gloriæ, caruit inuidiæ tamē aduersus alios vitio. Quippe vt testantur eius monumenta effusissimè & veteres & æquales suos celebrauit, & multa memorantur dicta eius, velut de Aristotele, manantis esse eum flumen auri: & de dialogis Platonis, Iouem si loqui vellet, ita dicturum. Theophrastum assueuerat delicias suas vocare. De orationibus Demosthenis rogatus, quam maximè probaret, longissimam respondit. Licet nonnulli, qui se Demosthenis simulant æmulos, mordeant dictum Ciceronis: quòd in epistola ad quosdam amicos scripta posuerit, in orationibus interim indormire Demosthenem: immemores quantis & quàm insignibus laudibus illum passim extollat: & quòd orationes, in quibus præ cæteris suis elaborauit, in Antonium habitas appellauerit Philippicas. Ex coæuis suis, qui eloquentia aut sapientia praecelleret, prætermisit neminem, quem non dicendo vel scribendo candidè de vnoquoque magis illustrauerit. Cratippo Peripatetico impetrauit à Cæsare iam rerum potito ciuitatem Romanam. Perfecit præterea, vt senatus Areopagitarum per decretum peteret ab eo sicut ornamento vrbis, vt Athenis remaneret & institueret iuuentutem. Extant Ciceronis ad Herodem epistolæ, & ad filium aliæ præcipientis ei, vt in studio sapientiæ Cratippum sectaretur. Gorgiam rhetorem insimulauit delicijs & compotationibus adolescentem assuefacere, idcoq; interdicit illi huius consuetudine. Hæc penè vna ex Græcis est, & altera ad Byzantinum Pelopem cum stomacho scripta. Gorgiam quidem meritò momordit: siquidem fuit, vt habebatur, improbus & luxui deditus. Cum Pelope abiectè expostulat & queritur, quòd neglexisset honores quosdam sibi decerni à Byzantinis. Cæterùm ista ambitioni eius expensa ferenda sunt, cum eo, quòd crebrò vi dicendi elatus proiecerit decorum. Cùm enim aliquando Numatio patrocinatus esset, atque absolutus necessarium ille Ciceronis postularet Sabinum, eò prorupisse Ciceronem ira ferunt, vt iactauerit: Quid? an tu ex illo iudicio tua Numati euasisti innocentia? an non mea opera, qui multum caliginis lumini offudi tribunalis? Cùm pro rostris M. Crassum magno populi plausu ornasset, eundemq; rursus haud magno interposito interuallo laceraret probris: vbi ille dixit: An non me ex hoc loco non ita pridem laudasti? Ego verò, inquit: sed commentandi gratia argumentum infame declamans. Cùm Crassus aliquando dixisset neminem suæ gentis superasse Romæ sexagesimum ætatis annum, & pòst iret id inficias, diceret'que: Qui factum est, hoc dictum vt exciderit mihi? Sciebas, inquit, auditurum id populum Romanum libenter, ideo dedisti hoc eius auribus. Cùm placere sibi Stoicorum ferret decretum Crassus, bonum virum diuitē esse: subiecit, Vide ne magis, quòd contendant omnia esse sapientis. Infamis enim erat Crassi auaritia. Alter Crassi filius Actium quendam videbatur specie referre, ideoq; matri maculam Actij causa turpem inurebat. Cùm hic orationē in senatu magna comprobatione habuisset, interrogatus Cicero, quid ei videretur: Axios, inquit græcè, Crasso. Profecturus Crassus in Syriā maluit

Cicero abit consulatu.

Ciceronis consulatus à Catone celebratus.

Cicero pater patriæ primus appellatus.

Cicero nimius sui laudator.

Cicero cādidus in alijs laudandis.

Cicero indormire in orationibus Demosthenem, dixit.

Ciceronis dicta arguta & festiua.

maluit amicum quàm inimicum Ciceronem relinquere. quare amicè eum appellans, apud eum dixit velle se cœnare. inuitauit Cicero eum comiter. Paucis interpositis diebus adierunt Ciceronem amici aliquot rogatu Vatinij de reconciliatione gratiæ. Nam erat inter eos simultas. Ibi infit Cicero: Num & Vatinius apud me cœnare vult? Ac cum Crasso quidem ad hunc modum egit. Vatinium, cui strumæ erant in collo, cùm causam diceret, tumidum oratorem appellauit. Cùm nunciatum ei esset de illius morte, mox intelligeret incolumem esse: malè pereat, inquit, qui malè mentitus est. Cùm Cæsar legem tulisset de agro Campano militibus diuidendo, multis res in senatu displicuit: L. Gellius autem, qui ferè natu erat maximus, hoc se viuo negauit futurum. Hîc Cicero: Expectemus, inquit: haud longam diem postulat Gellius. Octauius erat quidam, quem dictitabant ex Africa ortum. Huic in causa quadam Ciceronem se non exaudire dicenti: Atqui aures, inquit, habes pforatas. Cùm Metellus Nepos obijceret ei, plures ipsum testimonio suo oppressisse, quàm seruasse patrocinio: Fateor, inquit, plus mihi fidei quàm eloquentiæ esse. Adolescens erat quidam in crimine virus parenti obtulisse in placenta. Eo ferociter iactante Ciceronem probris se insectaturum: Hoc, inquit, malo abs te Cicero quàm placentam. P. Sestius adhibuerat eum cum nonnullis alijs in iudicio aduocatũ. qui cùm dicere ipse omnia vellet, neque cuiquã permitteret verbũ facere, vbi patuit absolutum iri, quia iudices iam sententias ferebant: Vtere hodie, inquit, Sesti tempore. Cras enim priuatus eris. Publium Cottam, qui haberi iurisperitus affectabar, cùm indoctus esset & iners, ad testimonium dicendum in quadam causa citauit. Nihil cùm diceret se scire: Putas fortassis, inquit, te de iure interrogari. Cùm Metellus Nepos aliquando inter disputandum identidem repeteret, Quis est pater tuus? Tibi, inquit, hanc responsionem mater tua effecit difficiliorem. siquidem Nepotis matrem fama erat impudicam esse: ipse autem habebatur leuior: ac relicto aliquando tribunatu plebis raptim in Syriã nauigauit ad Pompeium, mox inde maiore est inconstantia reuersus. Cùm Philagrum præceptorem tumulasset accuratiùs, imposuit eius tumulo marmoreum coruum. Tum Cicero: Intelligentiùs, inquit, hoc fecisti. Volare enim potius docuit te quàm dicere. M. Appio in exordio causæ cuiusdam amicum suum orasse se dicẽti, vt curam & facundiam & fidem sibi præstaret: Adeó ne tu, inquit, durus es, nihil vt omnium, quæ te orauerit amicus, præstiteris? Sanè cauillari quidem in inimicos & aduersarios in foro acerbiùs, oratori dicas conuenire. verùm quòd incurrerit in quosvis risus excitãdi causa, id simultates ei parauit multas. Horum quoque pauca commemorabo. M. Aquilium, qui duos generos habebat exules, vocabat Adrastum. L. Cotta censore, qui supra modum effusus in vinum erat, cãdidatus Cicero consularis in prensando cùm sitisset: circunfusis amicis, vt bibit: Rectè veremini, inquit, ne quòd aquam bibam, succenseat mihi censor. Voconio occurrens secum ducenti tres insigniter deformes filias, exclamauit:

Inuito Apolline seminauit liberos.

M. Gellius, quem rumor erat non esse ingenuis natalibus ortum, cùm clara voce & alta literas in senatu recitasset: Nolite mirari, inquit, & hic ex ijs est, qui proclamârunt. Cùm Faustus Sylla dictatoris Syllæ, qui multos proscripserat filius ære alieno obrutus re familiari magna ex parte dissipata † bonorũ auctionem proscripsisset: Hanc, inquit, proscriptionem malo quàm paternam. Hinc multos offendit. At Clodij factio coitionem aduersus eum fecit ex hac causa incitata: Clodius nobili familia erat, ætate florente, feroci animo & procaci. Hic captus vxoris Cæsaris amore Pompeiæ assumpta veste & ornatu psaltriæ furtim penetrauit in domum eius. Nam sacra tum in ædibus Cæsaris arcana illa, quibus nefas est viros interesse, agebantur: nec aderat vir vllus: sed ille, quòd adolescens esset, & imberbis etiam tum, sperabat occultè posse cum mulieribus ad Pompeiam peruenire. Noctu in amplas ingressus ædes hæsit in diuerticulis. Vagantem conspicata Aureliæ matris Cæsaris ancilla, quæsiuit nomen eius. Coacto loqui illo, atque pedissequam demonstrante quærere se Pompeiæ nomine Auram: vt vocem animaduertit abhorrentem à fœmina, tollit clamorem, conuocat'que mulieres: quæ obseratis foribus, omnibus'que excussis deprehendunt Clodium in cubiculo puellæ, cum qua ingressus fuerat, latitantem. Cùm ea res percrebuisset, repudiauit Cæsar Pompeiam, ac nomẽ Clodij de violatis sacris * detulit. Erat Ciceroni cum eo amicitia, & coniuratione flagrante Catilinæ expertus promptissimum fuerat adiutorem & custodem corporis sui. Cùm cardinem ille huius depellendi criminis poneret

† [illegible] habet Plutar. in Apophtheg.

CICERONIS & Clodij inimicitia.

Clodius profanat sacra Bonæ deæ.

* In Cæsare dicit accusatum ab vno tribunorum plebis.

in

in eo, quòd contenderet ne Romæ quidem eo die se fuisse, sed procul vrbe egisse: dixit pro testimonio in eum Cicero venisse ad se domum eum, certis'que de rebus sermonem secum habuisse. *Cicero testimoniū dicit in Clodium.* Quod licet verum foret: testimonium dixisse tamen visus est Cicero non veritatis causa, sed vxori vt satisfaceret Terentiæ. Simultas huic cum Clodio erat causa sororis Claudiæ, quam ambire Ciceronis nuptias suspicabatur, & eam ad rem interprete vti Tullo quodam: cui familiaritas cum Cicerone & consuetudo intercedebat arctissima. qui, quòd ad Clodiam frequens ventitaret & coleret vicinam, in suspicionē venit Terentiæ. Acerba autem mulier & viri potens stimulauit Ciceronem ad cōspirandum contra Clodium & ad eum testimonio suo premendum. Multa à bonis & honestis viris testimonia dicta fuerunt de Clodij periurijs, testamentorū suppositionibus, ambitu, stupris matronarū. *Clodij scelera.* Lucullus etiā ancillas produxit stuprasse Clodiū minimā sororem suā, cùm in matrimonio suo esset. Fama diuulgata erat & cum duabus sororibus alijs eum consueuisse: quarū Martius Rex Tertiā, Clodiā duxerat vxorē Metellus Celer, quā Quadrantulā appellabāt. quòd quidā amatorū eius pro argenteis minuta æra in loculos eius immisisset. Minutissimū æreū nummū quadrantem vocabant. Huius nomine sororis fuit infamatus potissimùm Clodius. *Quadrantula Clodij soror cur appellata.* Verumenimverò cùm plebs id tēporis aduersus eos, qui in eum testimoniū dixerant coierantq́;, insurgeret: trepidantes iudices se præsidio, tabulasq́; pleriq; confusis literis attulere. Fuit à maiore tamen parte absolutus. *Clodius absoluitur nocens.* Rumor autē fuit etiā adulteratū pecunia iudiciū fuisse. Quare Catulus, cùm occurrisset iudicibus: Rectè vos, inquit, ad securitatem præsidium petistis. Verebamini enim, nequis vobis eriperet nummos. Cicero exprobrante sibi Clodio, quòd testimonium dicenti iudices non credidissent: Imo, inquit, quinq; & viginti iudices mihi crediderunt: tot enim damnauerunt te. Triginta, quia antè nummos, quàm absoluerent te, acceperunt: tibi verò nihil crediderunt. Cæsar tamen citatus non dixit in Clodium testimonium, neque vxorem sibi compertam adulterij esse: Dimisisse eam autē, quòd Cæsaris cubile non modò crimine oporteret, sed & suspicione vacare. *Cæsaris dictum de vxore repudiata.* Ex hac elapsus flamma Clodius, & factus tribunus plebis, protinus appetiuit Ciceronem, simulq; omnes res atque omnes homines aduersus eum solicitauit concitauitq;. Populum demulsit legibus popularibus. vtrique consuli amplas prouincias decreuit, Pisoni Macedoniam, Syriam Gabinio. colluuiem inopum ad cœpta sua decuriauit, seruitijs armatis latera sua sepsit. Ex tribus, quorum ea tempestate summa potentia erat, Crassus Ciceronem apertè oppugnabat, Pompeius venditabat se vtrique. *Tres principes viri cum Clodio aduersus Ciceronem.* Ad Cæsaris igitur gratiam, qui cum exercitu profecturus in Galliam erat, quamvis ab se alieni & suspecti ex Catilinæ temporibus, recurrit contenditq; ab eo, legatum vt se duceret in prouinciam. Cùm recepisset eum Cæsar, cernens euadere Clodius Ciceronem ex tribunatu suo, simulauit non abhorrere se à reconciliatione: reiectaq; in Terentiam maxima culpæ parte, factaq; vbique benigna eius mentione, & leniter agendo, quasi non odisset hominem, nec esset ei infensus, sed modicè & amicè expostularet, omnem illius metum discussit. Itaque renunciauit Cæsari Cicero legationem, vertitq; iterum se ad rempublicam gerendam. Vnde Cæsar acerbatus hinc corroborauit Clodium, hinc Pompeium plane à Cicerone alienauit. Dixit præterea apertè in concione Lentulum & Cethegum non videri sibi rectè aut iure necatos. Hoc enim fuit, cuius Cicero arcessebatur, crimen. Reus igitur factus vestem in periculo mutauit, sordidatusq; ac supplex prensauit populum. *Cicero reus agitur à Clodio.* Omnibus in vijs Clodius cum improborum & audacium manu occurrit Ciceroni: qui mira proteruia illudentes conditioni & squalori eius, passim'que cœnum & lapides in eum iactantes interpellabant supplicantem. At primùm ordo equestris vestem cum eo penè totus mutauit. *Equester ordo & senatus vestē cū Cicerone reo mutauit.* Ex iuuentute comitabantur eum non minus viginti millia, qui pro eo sordidati deprecabantur. Deinde vbi senatus conuenit ad decernendum, vt populus sicut in luctu mutaret vestem, consulibus aduersantibus, & obsidente cum gladijs curiam Clodio permulti patrum vestibus laceratis curia se cum magno fremitu effudere. Postquàm nec misericordiam nec verecundiam ea mouit facies, sed aut eundum in exilium fuit Ciceroni, aut ferro cum Clodio decernendum, opem implorauit Pompeij: qui ex composito abcesserat, & ruri agebat in Albano suo. Primùm generum ad orandum eum Pisonem allegauit, inde est ipse quoque profectus. Eo nunciato non sustinuit in conspectum eius venire Pompeius. *Pompeius fugit conspectum Ciceronis rei.* Mirum enim ei pudorem incussit vir ille, qui contentiones subierat pro eo maximas, multas'que suas in republica actiones ad eius instituerat commodum. Verùm quòd gener esset Cæsaris, huic instanti pro-

didit veteres neceſsitudines: ac ne cum eo colloqueretur, alia ſubduxit ſe ianua. Ita ab eo proditus & deſertus confugit ad conſules Cicero. Ac Gabinius quidem ſemper erat durus, benigniùs eum eſt Piſo affatus, monuitq; vt cedendo & locum dando Clodij furori, temporisq; ferendo viciſsitudinem, iterum ſeruaret rempubl. ipſius cauſa ſeditionibus & procellis iactatam. Eo accepto reſponſo deliberauit Cicero cum amicis. Lucullus manendum cenſuit, ipſius fore victoriam: alij fugiendum: futurum enim, breuí vt exatiatus Clodij furore & ſcelere populus ipſum eſſet deſideraturus. Hoc conſilium Cicero ſecutus eſt: ac ſignũ Mineruæ, quod magna in veneratione diu habuerat domi, in Capitolio poſuit ibiq; dedicauit cum hac inſcriptione: MINERVAE VRBIS ROMAE

Ciceronis exiliũ

PRAESIDI. Inde accepto ab amicis præſidio clàm concubia nocte profugit ex vrbe. Lucaniam pedeſtri itinere percurrit cupiens Siciliam tenere. Vbi vulgatũ eſt eum fugiſſe, Clodius ſciuit ei exilium, atq; aqua & igni interdixit, ac nequis eum intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto reciperet. At alijs adeo fuit Cicero venerandus, vt ſemel contemnerent edictum, omniq; eum officiorum genere proſequerentur. Hipponij verò, quod oppidum eſt Lucaniæ, Vibonem dicunt nunc, Vibius Siculus genere: qui cùm alios fructus ex Ciceronis amicitia retulerat, tum fuerat eo conſule præfectus fabrûm: non admiſit eum domo, ſed locum oſtẽdit ei ſe deſignaturum in agro, quo poſſet ſe recipere. Prætor Siciliæ C. Verginius Ciceroni arctiſsima coniunctus familiaritate ſcripſit ei, vt Sicilia abſtineret. Tum verò fracto animo contendit Brunduſium. Inde cùm ſecũdo vento ſoluiſſet, vento à mari exorto aduerſo reiectus poſtero die ad Italiam eſt. Mox altum repetijt.

Oſtentum Ciceroni oblatum in exilio.

Fama tenet, poſtquàm Dyrrhachium appulſus exiturus erat, terram mouiſſe, & fuiſſe reciprocatum æquor. Vnde coniectarũt haud fore diuturnum ei exilium vates. prænunciare enim ea mutationem.

Ciceronis in exilio abiectus animus.

Quamvis autem frequentes eum celebrarent amici, Græciæ quoq; ciuitates officijs erga eum certarent, animo tamen manſit abiecto & mœſto, crebrò Italiam inſanorum more amatorũ reſpiciens: itaq; fractus calamitate & deiectus & æger animi, vt non expectares de viro in literis enutrito tam multis. Et quidem ab amicis petijt ſubinde, ne oratorem ſe, ſed appellarent philoſophum. Philoſophiam enim ſe vt opus ſectatum: eloquentia ad rempubl. gerendã, vbi vſus ſit, vti tanquam inſtrumento.

Gloriæ vis mirifica.

Atqui mirificam vim habet gloria doctrinam menti veluti colorem abluendi imprimendiq; longo vſu & conſuetudine ſenſus vulgi ijs, qui rempubl. tractant, niſi admodum religioſè eam capeſſas: vt in negociorum offeras te ſocietatem, non quos negocia ſecum trahunt, motuum. Exterminato Cicerone Clodius villas eius incendit, cõcremauit domum, & areæ ædem Libertatis inædificauit, reliqua bona haſtæ ſubiecit. quæ quotidie cùm proclamaret, nemo ad haſtã acceſsit tamẽ. Hinc trepidis eius timore optimatibus, populo, quem in omnem pręcipitauerat inſolentiã & audaciam, ſtipatus adoritur Pompeium, vellicatq; nonnulla eius in bello acta.

Pompeius mutata voluntate, Ciceroni fauet.

Quorum cauſa cùm malè audiret ille, pœnituit eum, quòd Ciceronem dereliquiſſet, mutatoq; animo incubuit cum amicis ad eum reuocandum. Cùm repugnaret Clodius, ſenatuſconſultum factum eſt, vt nulla de re antè, quæ ad rempubl. pertineret, decerneretur aut ageretur, quàm de Ciceronis reditu latum eſſet. Gliſcebat Lentulo conſule ſeditio. tribuni plebis vulnerati in foro fuere. Quintus Ciceronis frater inter cadauera pro mortuo latuit. Hîc demum cœpit animum plebs flectere. Annius Milo tribunus plebis auſus princeps fuit vi Clodium in iudicium trahere. Magna etiam pars populi, frequẽteſq; ex municipijs cum Pompeio conſpirauere.

Ciceronis reditus ab exilio.

Horum ille agmine forum occupauit deiecto Clodio, ac populum in ſuffragia miſit. Proditum memoriæ eſt nullam vnquã rem tanto conſenſu ſciuiſſe populum. Senatus cum populo certans decreuit, vt honos haberetur ciuitatibus, quæ in Ciceronem, dum exulaſſet, fuiſſent officioſæ: domus eius & villæ, quas diruerat Clodius, vt ex publico inſtaurarentur. Reuerſus ab exilio Cicero eſt menſe decimo ſexto: tantaq; municipiorum omnium lætitia & fauore hominum proditum ei obuiàm eſt: vt quod iactauit poſtea Cicero minus eſſet vero. Ait enim Italiæ ſe humeris reportatum. Siquidem ipſe quoque Craſſus, qui geſſerat ante exilium cum eo inimicitias, magno ſtudio tunc ei occurrit, redijtq; cum eo in gratiam indulgens, vt ferebat, filio Publio æmulo Ciceronis.

Cicero acta Clodij è Capitolio reuellit.

Non multo interiecto ſpacio, cùm captaſſet opportunitatẽ Cicero per abſentiam Clodij, magna frequentia ſcandit in Capitolium, tabulaſq;, quę acta continebant Clodij tribunatus, reuulſit corrupitq;. De eo querente Clodio, non ritè reſpondit eum Cicero ex patritijs aſpiraſſe ad tribunatum, neque eſſe eius actorum quicquam ratum. Quo offenſus reſtitit Cato Ciceroni, non in gratiam Clodij (quippe

cui

cui displicerent istius actiones) verùm graue contendit esse neque tolerandum, vt aboleret senatus tam multa decreta & acta: in quibus continerentur etiam ea, quæ in Cypro & Byzantij ipse gesserat. Hinc offensio extitit inter Ciceronem & Catonem: quę in inimicitiam tamen non erupit apertam, tantùm frequentiorem consuetudinem diremit. Sub hæc Clodium occidit Milo. Defensorem hic in iudicium adductus adhibuit Ciceronem. At senatus timens, ne viro claro & acri reo ciuitatis quies turbaretur, permisit Pompeio, vti huic & cæteris iudicijs præesset, præsidiumque haberet ad securitatem vrbis & iudiciorum. Cùm ille ante lucem summa fori cum armatis insedisset, metuens Milo, ne spectaculo insolito Cicero territus minus rectè causam diceret: persuasit ei, vt lectica delatus in forum quiesceret, dum conuenirent iudices, & frequens esset corona. Enimverò non modò scilicet in bello ille timidus erat, sed accedebat etiam ad dicendum trepidus, ac multis in causis vix tandem horrere & tremere medio desinebat ardore & statu orationis. L. Murænam, quem accusauit Cato, defensurus totam noctem lucubrauit, dum Hortensium contendit, cuius mirè placuerat oratio, superare: vt præ nimia solicitudine & vigilijs ita affecerit valetudinem, vt concedere illi videretur. Ac tunc vt ad iudicium Milonis lectica delatus fuit, & Pompeium contemplatus locis superioribus velut in castris considentem, atque circunfulgens vndique armis forum: obstupuit & orationem ægrè cum tremore corporis & linguæ hæsitantia exorsus est: cùm Milo ipse forti animo & celso præstò esset certamini, nec capillos demittere, vel sumere atram vestem sustinuisset. quod maximum momentum fecisse apparet ad eius damnationem. Cæterùm Cicero ex eo anxius potius de salute amicorum fuisse, quàm timidus habitus est. Augur factus est loco Crassi iunioris, qui apud Parthos ceciderat. Hinc sortitus prouinciam Ciliciam & exercitum duodecim millium peditum & duorum millium sexcentorum equitum soluit. Iniunctum ei fuit insuper, vt Cappadociam Ariobarzani regi conciliaret & dicto audientem præstaret. quod cõfecit & composuit sine armis & multa cum gratia. Ciliciam cernens ad Parthicam Romanorum cladem & tumultum Syriæ suspensam leni imperio placauit. Dona ne à regibus quidem accepit oblata. Cœnas prouinciales remisit. Ipse probos & doctos viros indies conuiuio excepit non sumptuosè sed liberaliter. Domus eius carebat ianitore. Decumbentem conspexit nemo, sed manè consistens aut inambulans pro cubiculo comiter appellabat salutatores. Neminem dicitur virgis cecidisse, nec vestem vllius lacerasse, neque ira prouectus aut mulctæ causa dictum fecisse in quenquam contumeliosum aut probrosum. Cùm multam pecuniam publicam comperisset auersam, ciuitates locupletauit, & resoluentibus auersa nulla præterea pœna imposita integram famam conseruauit. Bellum etiam attigit, latronesque, qui Amanum tenebant, fudit fugauitque: vnde appellatus ab exercitu imperator est. Cœlio oratori, vt pantheras sibi ex Cilicia Romam mitteret ad ludos, roganti cum iactantia aliqua rerum suarum rescripsit, non esse in Cilicia pantheras, in Cariam fugisse querentes in communi pace secum tantum geri bellum. Prouincia decedens primum Rhodum appulit, inde hæsit libenter pristinæ desiderio conuersationis Athenis. Visis ibi excellentissimis doctrina viris, salutatisque, quos tunc ibi habebat amicis & familiaribus, celebratus à Græcia eximijs honoribus tandem ad vrbem regressus est: vbi res iam quasi ex incendio in bellum exarserant ciuile. Cùm verò decerneret ei triumphum senatus: Malle ait se facta concordia Cęsaris sequi currum. Priuatim autem consuluit vtrique, hinc Cæsari multa scribens, hinc obtestans Pompeium: vtrunque verò demulcens ac confirmans. Sed cùm esset res deplorata, & Cæsare inuadente Pompeius vrbem relinquens cum multis & primarijs fugam caperet, huic se fugæ non coniunxit Cicero, sed Cæsari existimatus est adhærere. Constat sanè multum eum animo in vtramque partem fluctuatum & anxium fuisse. Scribit enim in epistolis: Vtro te conuertas? Speciosam habet Pompeius & honestam belli materiam, paratior est Cæsar, rectiusque sibi & amicis consulit. Itaque quem fugiam, habeo: non habeo, ad quem fugiam. Cæterùm vt Trebatius vnus ex Cæsaris familiaribus significauit ei per literas, Cæsarem arbitrari ipsum esse suarum partium debere, & suæ consortem spei. Sin hoc ei non permitteret ætas, in Græciam vt conferret se, ibique neutri parti addictus, quieti suæ consuleret. Miratus nihil ipsum ad se Cæsarem scripsisse Cicero, cum stomacho respondit: Nihil se indignum rebus suis gestis facturum. Eiusce modi sunt, quæ scripsit in epistolis. Profecto in Hispaniam Cæsare nauigauit extemplò ad Pompeium. Ac cæteri quidem gauisi aduentu eius sunt. Cato, vbi eum vidit, obiurgauit eum grauiter remotis arbitris, quòd es-

Milo occidit Clodium.

Cicero defendit Milonem.

Ciceronis in dicendo timiditas.

CICERO Augur.

Cicero proconsul Ciliciæ.

Ciceronis integritas in prouinciæ administratione.

Cicero Imperator appellatus.

Cicero concordiam molitur inter Cæsarem & Pompeium.

Ciceronis de Pompeio & Cæsare dictum.

Cicero proficiscitur ad Pompeium.

ſet Pompeium ſecutus. Sibi quidem parum honeſtū fore, ſi quas à principio probaſſet, eas reliquiſſet reipubl. parteis. Ipſum verò, qui plus profuturus patriæ & amicis eſſet, ſi domi manens medius rebus ad euentum moderaretur, temerè nunc nulla compulſum neceſsitate hoſtem factum Cæſari eſſe & ad tanti diſcriminis illuc veniſſe ſocietatem. Cùm hæ rationes ſententiam commutauerunt Ciceronis, tum quòd non magnopere eius opera Pompeius vteretur: cuius rei fuit ipſe tamen in cauſa. Quippe apertè præ ſe ferebat pœnitere ipſum conſilij ſui. Ridebat etiam apparatum Pompeij, nulla conſilia ſatis animo eius vt placebant, neque à dicterijs & facetijs abſtinebat in ſocios iaciendis: verùm cùm vultuoſus ipſe per caſtra incederet & triſtis, alijs nō pinde animatis riſum excitabat.

Ciceronis dicta in caſtris.

Operæpretiū autē eſt nonnulla ex his attexere. Cùm Domitius hominem imbellem ad præfecturam proueheret, diceretque probum virum & modeſtum eſſe: Quin igitur, inquit, tutorem hunc liberis tuis ſeruas? Commendantibus quibuſdam Lesbium Theophanem, qui præfectus fabrûm erat in caſtris: quòd egregiè Rhodios, cùm amiſiſſent claſſem, eſſet cōſolatus: Quanti intereſt, inquit, Græcum habere præfectum? Cùm eſſent Cæſari prælia ferè ſecunda, & ille ipſos penè obſideret, nunciari dicenti Lentulo amicos Cæſaris contracto vultu eſſe: reſpondit, Narras malè eos Cæſari velle? Cùm Martius quidam ex Italia recèns aduenisſet, referretque rumorem Romæ increbuiſſe obſideri Pompeium: Et tu, infit, huc nauigaſti, quò tibi fidem oculis faceres? Fuſo Pompeio, cùm hortaretur ad bene ſperandum Nonius: Septē enim ſupereſſe in caſtris Pompeij aquilas: Rectè moneres, inquit, ſi pugnandum cum graculis eſſet. Cùm certis fretus oraculis demonſtraret Labienus fore Pompeium victorem: Scilicet, inquit, hoc ſtrategemate ſubnixi caſtra nunc amiſimus.

Cato tedit Ciceroni claßis imperiū, cùm Dyrrhachij copias haberet, ipſe verò Ciceronem Corcyræ conuenuſſet.

At enim ſecundum Martem Pharſalicum, cui valetudinis cauſa non interfuit, vt fugit Pompeius: Cato, qui magnas copias & claſſem habebat Dyrrhachij, contendit, vt exercitui Cicero cum imperio præeſſet: Ita conuenìens legibus eſſe, quòd dignitate cōſulari præcelleret. Cicero quia repudiaret imperium, planeque detrectaret eorum arma ſequi, penè fuit interemptus, Pompeio adoleſcente eiuſque amicis proditorem eum vocantibus & gladios diſtringentibus: ni obſtitiſſet Cato, qui ægrè eripuit eum & caſtris eduxit.

Ciceronis in Italiam reditus.

Vt appulit Brunduſium, ſubſtitit ibi Cæſarē propter occupationes in Aſia & Aegypto morantem operiens. Vbi applicuiſſe allatū eum eſt Tarentum, atque illinc pedeſtri itinere progredi Brunduſium, perrexit ad eum ſpe illa quidem dubia, verecundans tamen multis præſentibus inimici animū & victoris experiri.

Ciceronem Cæſar victor coluit.

Atqui nihil fuit opus ei vel facere vel dicere præter dignitatem ſuā. Vt enim longè præ cæteris conſpexit Cæſar occurrentem, ad pedes digreſſus ſalutauit eum, multorumque viam ſtadiorum cum ſolo ſermocinans proceſsit. Deinceps etiam eum perpetuò & coluit & humanitate ſua complexus eſt: vt cùm ſcripſit in laudem Catonis Cicero orationem, ipſe ex aduerſo ſcribens, dictionem eius & vitam ſicut Periclis germaniſsimā & Theramenis extolleret. Oratio Ciceronis Cato, Cæſaris Anticato titulum habet.

Ciceronis oratio pro Ligario

Perhibent, cùm accuſaretur Ligarius, quòd hoſtis Cæſaris fuiſſet, defendente reum Cicerone, dixiſſe ad amicos Cæſarem: Quid obſtat, quin Ciceronem tanto interuallo audiamus dicentem? quando iſtum quidem iamdudum conſtat improbum hominem & hoſtem noſtrū eſſe. Poſtea verò quàm Cicero dicere orſus mirificè eum mouit, varijsque affectibus & mira gratia eius progreſſa eſt oratio: colorem identidem Cæſaris faciem variaſſe, perſpicuumque fuiſſe omnibus eum animi motibus verſatum. Denique vbi pugnam Pharſalicam orator attigit, fuiſſe vſqueadeò permotum, vt toto corpore tremuerit, ac libelli aliquot, quos tenebat manibus, ei exciderint. Ligarium igitur expugnatus crimine abſoluit.

CICERONIS vita ſub Cæſare

Hinc Cicerò conuerſa in regnum republ. reduxit ſe à publicis actionibus, ac ſtudioſis philoſophię iuuenibus vacauit. Quorū ex conſuetudine (erant enim nobiliſsimi & primi) potētiam parauit denuò in ciuitate propè ſummā. Induſtriam ſuam ponebat in dialogis conſcribendis philoſophicis, alijsque interpretandis, & verbis quibuſque dialecticis aut phyſicis in Romanam conuertendis linguam.

Verba in philoſophia à Cic. no uata.

Ille eſt enim, vti ferunt, qui viſionem, aſſenſum, aſſenſionis retentionem, comprehenſionem: adhæc corpuſcula indiuidua, ſimplex corpus, vacuum, multa'que eiuſcemodi alia vel primus vel pręcæteris Romano nomine donauit, eaque partim tranſlationibus, partim proprietate alia in notitiam & appellationem adduxit.

Ciceronis in verſibus faciendis mira facultas.

Dexteritate in verſibus condendis animi gratia vtebatur. Dicitur cùm ad id ferretur, carmina facere vna nocte quingenta ſolitus. Tempus hoc penè totum in Tuſculano ſuo tranſigens, Laërtis ſe vitam ſcripſit amicis agere, ſiue ioco pro more ſuo, ſiue præ ambitione ad rempubl. geſtiens & ſtatum pertæſus præſentem,

tem. Raro ad vrbem idq; salutandi causa Cæsaris cōmeabat, princepsq; erat inter eos, qui Cæsaris honoribus suffragarentur, ac semper nouas laudes in illum illiusq; facta elaborabat adferre: vt est, quod de Pompeij statuis dixit, quas euersas & deiectas iussit Cæsar reponi, & restitutæ fuerunt. Ait enim Cicero ea humanitate Cæsarem, dum Pompeij statuas erigit, suas stabilire. Instituerat, vti fama est, patriam historiam conscribere, & Græcorum multa intexere, simulq; complecti integras eorum narrationes & fabulas. at multis publicis, priuatis item multis distractus est occupationibus & motibus aduersis: quæ sibimet ipsum apparet ferè accersiuisse. Primùm vxorem repudiauit Terentiam, quòd neglectus in bello fuisset ab ea, vt dimitteretur sine necessario viatico: & cùm recepisset se in Italiam, parum beneuola vsus. Nam nec Brundusij eum, cùm diu illic hæreret, inuisit: neque proficiscenti eò filiæ adolescentulæ comitatum aut viaticum præbuit tam longo itinere honestum. Imo verò domum Ciceroni desolatam & planè inanē reddidit, multoq; oppressam & graui ære alieno. Hæ causæ prætexuntur speciosissimæ diuortij. Terentiæ verò, quæ vel has iuit inficias, defensionem ille ipse egregiam præbuit: quòd mox virginem duxerit, vt exprobrauit ei Terentia, forma illius captus: vt Tiro memoriæ prodidit Ciceronis libertus, quò illius facultatibus dissolueret creditū. Nam fuit puella locuples admodum, cuius patrimonium administrauit Cicero hæres fiduciarius institutus. Quòd verò esset supra modum obæratus, amici & necessarij induxerunt eum, vt præter ætatem duceret hanc puellam, dimitteretq; eius pecunia creditores. Antonius in orationibus, quas contra Philippicas scripsit, vbi mentionem facit harum nuptiarum, vxorem eum memorat, apud quam consenuerat, eiecisse: simul festiuè domi residē vt ignauum & imbellem mordens. Non diu sub has nuptias filia eius apud † Lentulum decessit ex partu. Huic enim priore defuncto viro Pisone nuptum data fuerat. Ad Ciceronem consolandum vndique concurrerunt philosophi. Nam hunc casum tulit acerbissimè, vt etiam nouam nuptam, quòd morte Tulliæ videretur exultasse, repudiauerit. Ac domi quidem ad hunc modum Ciceronis res habebant. Conspirationis in Cæsarem, quamvis summa esset familiaritate cum Bruto coniunctus, & præsentem rerū statum iniquè ferre, pristinamq; expetere rempub. vt nullus alius existimaretur, non fuit consors. Metuerunt illi cùm eius naturam vt parum animosam, tum ætatem, qua vel fidissima ingenia deficit audacia. Vt ergo perpetrarunt Brutus & Cassius hoc facinus, & coitione Cæsaris amicorum periculum fuit, ne ciuili bello denuò implicaretur ciuitas: Antonius consul conuocato senatu pauca de concordia disseruit: Cicero verò multa commemorans tempori accommodata induxit patres, vt Atheniensium exemplo omnium sub Cæsare actorum decernerent obliuionem, præterea vt Cassio & Bruto prouincias darent. Sed nihil horum effectum habuit. Siquidem populus sua sponte in commiserationem præceps, vt efferri per forum cadauer Cæsaris conspexit, Antonio inde vestem Cæsaris ei ostendente oppletam cruore & gladijs vndique perfossam ira furens inuestigauit in foro percussores, & cum ardentibus titionibus ad ædes eorum inflammandas concurrit. Verùm illi, quòd præcauissent, periculum hoc quidem declinauere: sed quia multa videbant & ingentia proposita alia, cesserunt vrbe. Hîc verò Antonius extemplò sustulit animos, omnibusq; fuit terrori, Ciceroni maximè. Nam crescere cùm rursus opes eius cerneret in republ. sciens cupidum esse Bruti, præsentiam eius molestè ferebat. Et verò etiam ob vtriusque dissimilitudinem & diuersitatem morum suberat & antè materia nonnulla inter eos suspicionis. Hæc metuens Cicero statuit primùm legatus in Syriam cum Dolobella proficisci. Verùm quia consules designati Hircius & Pansa egregij ciues atque æmuli Ciceronis, ne desereret se precabantur, pollicentes Antonium se ipso præsente oppressuros: hærens Cicero inter spem & metum Dolobellam missum fecit, Hircio æstatem se Athenis acturum, atque vbi magistratum ille inisset, recepit recursurum. Ita solus nauigauit. Mora in cursu intercedente, cùm recens Roma, vt solet, nunciatum esset planè immutatum esse Antonium, omniaq; agere & instituere ex senatus authoritate, neque deesse quicquam ad rempubl. optimè constituendam, nisi ipsius præsentiam: reprehendens ipse metum anxium suum repetijt vrbem. Neque verò prima eum spes fefellit. Adeo frequentes ei obuiàm effusi sunt, salutationesq; & amplexus ad portam & ingressum eius propè integrum diem consumpsere. Postridie senatum habente Antonio & ipsum accersente non venit in senatum, sed decubuit languere se ex via causans. Apparebat reuerà formidinem subesse insidiarum ex suspicione quadam & delato in itinere ad eum indicio. At Antonius tulit

Cicero Terentiā repudiauit.

Cicero puellam ducit.

Ciceronis filiæ Tulliolæ mors.

† Lentulus hic pro Dolobella positus à Plutarcho.

Cicero conspirationis in Cæsarem minimè cōs[illegible]

Cicero Atheniensium amnistiā renouat Romæ.

Antonij cum Cicerone inimicitiæ seminæ.

Cicero in Græciam nauigat.

Ciceronis et Antonij simultas.

acerbè eam calumniam ac militibus missis imperare intendit, vt adducerent cum, aut inflammarent domum. Sed cùm intercederent frequentes deprecarenturq́;, pignoribus tantummodò captis quieuit. Deinceps cùm inter se occurrerent, prætenbant sine salutatione & mutua in suspicione agebant: donec Cæsar Octauius Apollonia veniens dictatoris hæreditatem Cæsaris cerneret ambigeretq́; cum Antonio de millies HS. quod ex hæreditate Cæsaris detinebat Antonius. Inde Philippus, qui matrem adolescentis in matrimonio habebat, ac qui sororem Marcellus, adducentes eum ad Ciceronem pepigerunt: vt illi Cicero eloquentiæ præsidio & vrbanis opibus in senatu & ad populum præstò esset, ille Ciceroni pecunia & armorum propugnaculo. Iam enim manum non contemnendam habebat secum adolescens veteranorum Cæsaris. Et sanè apparuit eum cupidè Cæsaris amicitiam amplecti. Siquidem Pompeio & Cæsare adhuc incolumibus somnium fuit Ciceroni accire se in Capitolium nonnullos senatorum filios, ex quibus Iupiter vnum designaturus Romanum principem esset: cuius studio contemplandi ciues templum cinxisse, pueros prætextatos consedisse tacitos: hinc foribus subitò patefactis singulos ordine exurrexisse pueros, & in orbem deum præterisse: Deum omnes, vt considerauit eos, remisisse tristes: vbi verò hic accessit, dexteram porrexisse ad eum eum hisce verbis: Bellis ciuilibus hic Quirites, cùm erit principatum adeptus, imponet finem. Ex hac oblata in somnio visione Ciceronem ferunt clarè pueri effigiem animo impressisse & mente complexum esse, neque qui esset cognouisse tamen. Postero die cùm in campum Martium descenderet Cicero, pueros ab exercitatione redisse, Ciceronique primum illum visum, qualis ei obuersatus fuerat per somnium: Obstupefactum, qui parentes eius essent, rogasse. † Filius fuit Octauij viri non perinde clari & Actiæ sororis Cæsaris. Qua de causa orbus liberis Cæsar hæredem cum testamento scripsit & in familiam adoptauit. Ciceronem deinceps, siquando in pucrum incideret, studiosè eum salutasse, illique fuisse eam comitatem iucundam. Forte fortuna namque acciderat, vt nasceretur consule Cicerone. Hæ ferebantur vulgò causæ. At odium primum Antonij, deinde natura hominis plus satis auida laudis conglutinauit Ciceronem Cæsari sperantem coniungere reipubl. illius vires. Vsqueadeò enim subijt eum adolescens, patrem vt appellaret. Quare stomachās maiorem in modum in epistolis, quas ad Atticum scripsit, Brutus Ciceronem reprehendit: quòd metu Antonij obseruans Cæsarem declararet non patriæ se libertatem, sed dominum magis propitium sibi quærere. Brutus tamen filium Ciceronis, qui audiebat Athenis philosophos, duxit secum deditq́; ei præfecturam: cuius opera multa ex sententia gessit. Fuit Ciceronis ea tempestate potentia Romæ maxima: & cùm omnia efficeret quæ vellet, Antonium factione oppressit & expulit vrbe. Insuper duos consules, qui bello eum persequerentur, Hircium & Pansam misit. Induxit etiam senatum, vt lictores Cæsari velut pro patria propugnāti & prætoriam dignitatem decerneret. Postquàm verò fusus fugatusq́; est Antonius, exercitus autem consulum, cùm ambo ex prælio occubuissent, coniunxerunt se Cæsari: quòd timeret senatus iuuenem & insigni nixum fortuna, moliebatur honoribus & præmijs auocare ab eo legiones, viresq́; eius distrahere: simulans, quia fugatus esset Antonius, non opus esse ad defensionem reipubl. exercitibus. Vnde territus Cæsar misit clàm certos ad Ciceronem, qui eum rogarent & inducerent ad consulatum vtrique simul parandum: ipse omnibus rebus in magistratu moderaretur pro arbitrio, & adolescentem regeret nominis tantùm & gloriæ auidum. Fassus ipse est Cæsar, cùm formidaret ruinam & desertum iri se, consilium in tempore à Ciceronis se ambitione mutuatum fuisse atque adhortatum eum, vt subsidio opum suarum & gratia peteret consulatū. Ita à iuuene Cicero impulsus atque illusus, quòd peteriti consulatum suffragatus esset, senatumq́; ei adiunxisset, statim apud amicos malè audiuit, nec multo pòst sensit semetipsum perdidisse, & populi prodidisse libertatem. Quippe euectus adolescens consulari dignitate Ciceroni salutem dixit, Antonioq́; & Lepido conciliatus coniunxit cum ijs copias, imperiumq́; instar prædij est partitus. Proscripserunt plus ducentos. Maximam inter omnes contentiones præbuit ijs disceptationem Ciceronis proscriptio. Nullam enim conciliationem recipiebat Antonius, nisi interficeretur ante omnes Cicero. Antonio assentiebatur Lepidus: Cæsar vtrique reluctabatur. Collocuti soli sunt remotis arbitris tres dies iuxta vrbem Bononiam. Locus vbi conuenerunt, pro castris erat amne cinctus. Dicitur primis diebus Cæsar decertasse pro Cicerone, tertio cessisse & eum destituisse. Inierunt autem hanc commutationē. Cæsar ex pacto cessit Cicerone, Lepidus fratre Paulo,

Ciceronis et Octauij coniunctio. *Ciceronis de Octauio somnium.* *† Filius fuit filiæ sororis Cæsaris.* *Ciceronis maxima potētia Romæ.* *Octauius petit consulatum.* *Octauius relinquit Ciceronē.* *Triumvirorum conuentus.* *Cicero proscribitur.*

lo, L. Cæsare auunculo Antonius. Ita ira & rabies omnem ijs humanam excussit mentē. Imo docuerunt animal esse homine nullum sæuius, si libidini habeat licentiam coniunctam. Dum hæc aguntur, erat Cicero cum fratre in Tusculano suo. Nunciata proscriptione statuerunt villam maritimam Ciceronis Astyra petere, illinc transmittere in Macedoniam ad Brutum. Illum enim iam rumor erat præpollentem esse. Ferebantur lecticis mœrore confecti, restitantesq́; in itinere coniunctis inter se lecticis miserè lamentabantur. Grauiùs Quintus affligebatur, cùm cogitaret omnium rerum inopia destitutum se. Nihil enim domo secum attulerat. Imo Ciceroni quoque tenue erat viaticum. Consultius igitur visum Ciceronem fugam antè capere, illum percurrere ad necessaria domo accipienda. Hæc probauerunt. Ita se mutuò complexi & cum eiulatu digressi sunt. Quintus paucis pòst diebus cum filio, proditus à seruis suis cùm esset percussoribus, interemptus est.

Q. Ciceronis cædes.

Cicero ad Astyra delatus & nauigium ibi nactus ilicò conscendit, prouectusq́; est secundo vento ad Circeios vsque. Parantibus inde gubernatoribus extemplò vela facere, siue mare timens, siue nondū deposita omninò de Cæsare spe egressus de naui est: ac quasi vrbem peteret, progressus est pedestri itinere duodecim millia quingentos passus. Mox inopia consilij languescens mutato instituto mare repetijt. Noctem ibi in mentis agitationibus traduxit acerbis & perplexis. Statuit semel occultè domum Cæsaris ingredi, atque quò vltrices diras in eum concitaret, apud focum eius se ipse interficere. Sed & ab hoc itinere metus repulit eum tormentorum: alia subinde inquieta consilia animi versans, permisit seruis ad Capuam se nauigio deportandum. Habuit prædia ibi & villam æstiuo tempore amœnam, cùm gratissimè spirant Etesiæ. Est etiam eo in loco haud procul à mari sacellum Apollinis. Hinc sublatum agmen coruorum magno crocitu ad Ciceronis nauem, dum remis terræ appellitur, volauit: qui consederūt vtrinque in antennæ cornibus partim crocitantes, partim capita funium tundentes. Id omnibus dirum visum ostentum.

Coruorū prodigium Ciceroni proscripto et fugitanti oblatū

Cicero ibi egressus de naui est, villamq́; ingressus ad quietem composuit se. Hic corui frequentes considerunt in fenestra ac diros ediderunt strepitus. vnus in grabatum demisit se, togamq́; qua opertus erat Cicero, rostro paulatim à facie detraxit. Quod serui contemplantes, ac se ipsi increpantes, si dominum paterentur in conspectu suo trucidari, cùm opem ei bestiæ ferrent, eiusq́; curam agerent afflicti, ipsi autem non protegerent: hinc precibus, hinc vi sublatum in lectica detulerunt ad mare. Interea superuenerunt cum manu percussores Herennius centurio & Popilius tribunus, quem parricidij quondam reum defenderat Cicero.

M. Ciceronis cædes.

Fores, quas offenderunt occlusas, ruperunt. Non inuento Cicerone, negantibusq́; qui intus erant, scire: fama tenet adolescentulum à Cicerone ingenuis institutum literis & doctrina libertum Quinti fratris, Philologo nomen erat, lecticam tribuno indicasse per consitas arboribus & vmbrosas ambulationes ad mare deferri. Tum tribunus paucis assumptis circumcurrit ad exitum. Herennium per ambulationes aduolantem cùm sensisset Cicero, imperauit seruis, vt eo loci ponerent lecticam, ac sinistra mentum more suo contrectans immotis oculis intuitus est percussores, squalore & situ oppletus & facie ex curis marcida: vt plerique, dum Herennius eum obtruncat, contexerint oculos. Ceruicem ex lectica protendit ad cædem annos tum natus † quatuor & sexaginta. Caput eius & manus, quibus scripserat Philippicas, Antonij imperio præcidit. Etenim orationes in Antonium ipse Cicero Philippicas inscripsit: quo nomine etiam nunc appellantur.

† Liuius dicit Lxiij.

Philippicæ Ciceronis.

Cùm Romam allata sunt hæc membra, habebat fortè comitia Antonius. Re audita & conspecta, tunc finem habere exclamauit proscriptiones. Caput & manus pro rostris in tribunali iussit figi, spectaculum horrendum populo Romano: qui non Ciceronis aspicere se faciem existimauit, sed animi imaginem Antonij.

Ciceronis caput & manus in rostris.

Vnum tamen edidit Antonius inter ista laudabile exemplum: quòd vxori Quinti Pomponiæ tradiderit Philologum. Quæ potestatem eius nacta cùm alijs eum diris supplicijs excruciauit, tum carnes suas ipsum præcidere paulatim, eas assare, inde vorare adegit. Nam ita nonnulli scriptores memoriæ prodiderunt. Ipsius Ciceronis libertus Tiro nullam prorsus mentionem fecit Philologi proditionis.

Pōponia Q. Ciceronis vxor quo supplicio seruum productorem affecerit.

Cæsarem accepi longo tempore pòst ad quendam ex filia nepotem accessisse. Illum autem, quòd volumen quoddam Ciceronis manibus teneret, consternatum id veste contexisse. Cæsarem verò, qui animaduerterat, sumpsisse volumen, & stantem magna ex parte euoluisse, reddidisse inde puero ac dixisse: Doctus hic vir fili, doctus fuit & patriæ amans.

Augusti elogiū de Cicerone.

Non magno inde interuallo, cùm debellaret Antonium, consul collegam cooptauit filiū Ciceronis. cuius in magistratu Antonij statuas

Ciceronis filius

Augusti in consulatu collega. Senatus Ro. in Antonium mortuo Cicerone decreta.

senatus deiecit, omniaq; abrogauit eius alia ornamẽta. Decreuit insuper, nequis ex Antoniorum gente Marcus nominaretur. Ita ad extremum vltio Antonij diuinitùs ad domum fuit Ciceronis reducta.

DEMOSTHENIS CVM CICERONE COMPARATIO.



Demosthenis eloquentia.

HABES, quæ memoratu digna de Demosthene & Cicerone prodita ad notitiam nostram peruenere. Vt prætermittam facultatem vtriusq; in dicendo conferre, illud certè mihi silentio nõ est prætereundum, Demosthenem in artem contulisse dicendi, quicquid ei vel natura vel exercitatio solertiæ & eruditionis tribuisset. Transgressus est neruis & vi dicendi æquales suos, qui in iudicijs & foro versabantur: grauitate & splẽdore eos, qui demonstratiuum genus & ostentationi natum tractauerunt, argutia & arte sophistas. Ciceronem, qui omni genere doctrinę & literarum fuit tinctus, etsi peculiares libros in philosophia non paucos Academico scriptos more reliquerit, constat tamen & in orationibus, quas in foro & iudicijs habuit, eruditionem voluisse obiter ostentare suam. Licet etiam mores speculari vtriusque in orationibus. Demosthenes extra omnem ostentationem & iocum in grauitatem coactus & serium non lucernam, vt cauillatus Pytheas est, olet: sed aquæ potationem, sed solicitudines, sed acerbitatem, quæ obijciebatur morum, & tristitiam. Cicero dicacitate subinde ad scurrilitatem deuolutus, & negocijs perquàm serijs risu iocoq; in iudicijs illudens, vt causæ prodesset, neglexit decorum. vt in oratione pro Cœlio: Non esse mirum, si in tanto ille luxu & delicijs ad voluptates dedisset se. Nam non frui ijs, quæ in promptu sunt, dementiam esse: præcipuè cùm in voluptate summum bonum ponant clarissimi philosophi. Ferunt eum, cùm consul Muræną, qui accusabatur à Catone, defenderet, multum ex persona Catonis derisisse Stoicæ sectæ absurda & noua præcepta. Cùm magnus inde risus à coronâ ad ipsos perlatus iudices esset, subridentem Catonem ad consessum dixisse: Dij boni quàm ridiculum consulem habemus. Videtur autem naturâ Cicero salsus & facetus fuisse. Vultus eius quoque risum & hilaritatem præ se ferebat. Demosthenis ori perpetua inerat sedulitas, nec temerè vultuosum illud & tetricum deponebat. Quare asperum eum & morosum vocarunt, vt testatur ipse, aduersarij. Præterea ex scriptis vtriusque perspicias sobriè hunc & modestè suas ipsum laudes attingere, & cùm id postularet maior vsus, cætera verecundum & moderatum. Cicero immodicus in orationibus laudum suarum prædicator ambitionem glorię nimiam arguit suam, dum clamat:

Ciceronis varia et multiplex doctrina.

Demosthenis et Ciceronis mores.

Demosthenes in se laudando parcus: Cicero profusus.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Deniq; non facta modò & res suas gestas, verùm etiam quas habuerat & scripserat, extollit orationes: quasi contra sophistas adolescentis modo se iactaret Isocratem & Anaximenem: non autem populum Romanum ducere & dirigere intenderet

Durum, potentem armis, grauem aduersarijs.

Pollere ex eloquentia eum, qui tractat rempubl. necesse est. Acquiescere verò in ea, & sectari inde laudem imbecilli est animi. Fuit igitur hac parte grauior Demosthenes & præ cæteris celsus. qui facultatem suam demonstrauit vsum quendam esse, qui fauorem auditorum magnum requireret: abiectos esse & humiles, vt reuerà sunt, censens eos: qui hac sese venditant. Valuit sanè iuxtà vterque dicendi & reipubl. gerendæ peritia: vt etiam qui castris & exercitibus præessent, Demosthenis opera Chares, Diopithes, Leosthenes: Ciceronis indiguerint Pompeius & Cæsar Octauius: quod ipse in commentarijs ad Agrippam & Mecœnatem commemorauit Cæsar. Porrò quæ putatur imprimis & dicitur mores hominis probare & explorare, potestatem summam & imperium, quod omnes versat affectus omnemq; improbitatem detegit, non habuit Demosthenes, neq; specimen in eo dedit sui: qui magistratum maiorem nullum gessit, neq; quem contra Philippum comparauerat exercitũ ipse duxit. Cicero in Siciliam quæstor, proconsul in Ciliciã et Cappadociã missus (quo tempore, quia regnabat auaritia: duces autem

Demosthenis et Ciceronis in tractanda Rep. peritia.

Ciceronis abstinentia.

autē & prȩsides, qui in prouincias mittebant, quasi furari res esset probrosa, ad rapiendū se conuertebant: nō capere ducebatur turpe, sed qui mediocriter caperet, laudabatur.) clarè ostendit contemnere se pecuniam, multaq; argumenta dedit humanitatis & facilitatis. Præterea creatus Romæ verbo consul, sed accepta soluta & dictatoria potestate contra Catilinæ gregales comprobauit Platonis vaticinium: malis ciuitates explicatum iri, vbi magna potentia & sapientia coissent secunda fortuna cum iustitia. Demosthenes verò quæstuariam habuisse magno cum dedecore eloquentiam perhibetur: qui aduersarijs in iudicio scripsit clàm orationes Phormioni & Apollodoro. Obiectum quoque ei de regijs pecunijs fuit, & damnatus ob Harpalias. Quòd si hæc illos, qui in eum scripserunt, nec sunt hi pauci, mentiri contendamus: hoc certè, quin contrà intueri regum munera, quæ ei beneuolentiæ & honoris gratia mittebant, non sustinuerit Demosthenes: neque id hominis fuisse, qui nauticum fœnus exerceret, nemo queat inficias ire. At Ciceronem Siculos ædili curuli, regem Cappadociæ proconsuli, exuli amicos vrbanos multa largientes & vt caperet orantes repulisse antè est dictum. Iam exilium Demostheni fœdè iudicato repetundarum oblatum est, huic ob præstantissimū factum: quòd homines pestiferos patriæ excidisset. Itaque illius habita ratio in exilium euntis nulla est: huius causa vestem senatus mutauit, in luctu fuit, de nulla re agi prius secum, quàm de reditu eius esset relatum, passus est. Atqui exilium desidenti in Macedonia Ciceroni fuit segne: Demosthenis exilium multum res eius gestas cumulat. Nam peragrans vrbes Græcos, sicut diximus, adiuuit & Macedonū legatos summouit, præbuitq; multò se ciuem pari in fortuna Themistocle & Alcibiade præstantiorem. Iam reuersus domum ad pristinas se retulit actiones, neq; destitit oppugnare Antipatrum & Macedonas. Ciceroni in senatu, cùm postularet Cæsar contra leges, vt petere sibi consulatum liceret, imberbis adhuc, tacitum sedisse exprobrauit Lælius. Adhæc conquestus est in literis suis Brutus maiorem eum & duriorem atque ipsi sustulissent, aluisse tyrannidē. Postremò, quod ad vitæ exitum attinet: miserabilis hic, qui senex ob timiditatem à seruis sursum ac deorsum circunlatus est ad occultandum se, & mortem vndequaque refugit nō admodum immaturam, ac mox obtruncatus est. Demosthenes etsi hactenus delapsus sit, aliquantum vt supplicem præbuerit se: commendandus est tamen, cùm quòd præparauerit venenum & seruauerit, tum quòd eo sit vsus: qui postquam securitatem ei non præstitit Neptunus, sicut ad maiorem confugiens aram ex telis se & satellitibus subduxerit, & Antipatri ludificatus sit crudelitatem.

Demosthenes corruptus fuit.

Demosthenis ac Ciceronis exilij diuersæ causæ.

Demosthenes exiliū fortiter, Cicero abiectè tulit.

Demosthenis et Ciceronis post reditum, actiones diuersæ.

Demosthenis et Ciceronis vitæ exitus quo distet.

AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. VIGLIO ZVICHEMO SACRI consilij regij præsidi, Hermannus Cruserius S. P. D.




RAECLARE *Dictum à Platone est amplißime Præses tum demum quieturas à malis ciuitates, si aut philosophi regerent, aut reges philosopharentur. Quamvis enim plurimum vbique valeat per se viuidum & excellens ingenium, nisi tamen sit literis cultum, vt opimum solum, quod neglectum nec diligenter subactum tribulos non triticum profert: sic hoc in vitia impingit sæpißimè. Accedit quidem ingenio ex vsu & exercitatione multum, cæterùm hæc spaciũ longum requirunt: vt sit prius subinde decursa ætas, quàm ingenium politum. At doctrina fructũ breui tempore adfert omnis antiquitatis: ex lectione vt proponere tibi queas tanquam in speculo omnes virtutes, quibus à primo æuo refulserunt excellentes viri, & quas ob improbitates culpati & damnati scelesti. Quare ego, vt pro virili prodessem ijs, qui virtutem & honestum amplectentes auent conferre se ad remp. gerendam, operæpretium me facturum putaui, si in linguam Latinam cõuerterem ex integro Plutarchi vitas. à quarum lectione hactenus ob dictionem impolitam, scabram & obscuram, interpretationemq; infidelem abhorruerunt. Ego verò etsi non omnia fortaßè sum assecutus, quod sanè per est difficile, hoc spero tamen me præstitisse, vt politior, & dilucidior, æqualior quidem & magis consona certè hæc futura translatio sit. Ex hisce vitis delegi Dionem Syracusanum & M. Brutum, quos tibi nuncuparem, viros: qui ex Platonis Academia contulerunt se ad res gerendas. Attulerunt hi ad auspicandas actiones suas adminicula duo egregia, doctrinam & summam vigilantiam, præsertim M. Brutus: quem omnium imperatorum proditum est vigilantißimum fuisse minimiq; somni. quæ dos necessaria est remp. tractanti. Rectè enim Plato: Nemo dormiens vlla re dignus est: & Homerus:*

ὀ χρὴ παννύχιον καθ᾽ εὕδειν ποιμένα λαῶν.

Quippe opportunitates oportet multæ elabantur ei, qui rebus indormit. Non expectant languidum animũ rerum articuli. Ita torpentes & stertentes afflixit Scipio Africanus Sciphacem & Asdrubalem. Alexander Magnus vigilantia & industria paucis annis domuit Orientem. Multa insuper commemorare valeam exempla eorum, qui vel somnolentia res maximas perdiderunt, vel impigrè agendo rapuerunt. Adiunxerat præterea Brutus morum lenitatem. Facilis erat in audiendo, in decernendo lenis, alienus ab asperitate & iracundia. Quare effecit: vt non solùm amaretur à suis, sed & vt ne hostibus quidem esset odio. Quantum autem ornamenti conciliet lenitas, ex eo patet: quòd magnopere laudatus Augustus sit, qui in cognitione quadam, cùm Aemilio Æliano Cordubensi illud vel maximè obijceretur, quòd malè loqueretur de Cæsare, conuersus ad accusatorem: Velim, inquit, hoc mihi probes: efficiam vt Ælianus sciat me quoque linguam habere. Plura enim vicißim de eo proferam. Qui item Tiberio frequenter per literas iracundè quærenti de his, qui de ipso malè loquerentur, rescripsit: ne ea in re nimiùm indulgeret ætati suæ. Satis enim est, inquit, si hoc habemus, ne quis nobis malefacere poßit. Iam prædicatur imprimis Aristides. qui cùm Athenienses in eo essent, vt eum testulis pellerent in exilium, quod ostracismum appellant: ac rusticus quidam literarum rudis testulam ad eum deferens iußisset, vt Aristidis nomen inscriberet: Nosti'ne, inquit, Aristidẽ? Cùm ille negasset se nosse, molestè tamen ferre, quòd Iustus cognomine diceretur: siluit, nomenq; suum inscripsit testulæ ac reddidit. Porrò cumulauit has virtutes Brutus præcipuo ornamento, quòd accessit ad remp. cum iudicio: & quod caput est, subiecerit actionibus suis honestatem fundamentum. Quod effecit, tutò vt versaretur vel in periculis. Nihil enim spectabat aliud quàm virtutem, non gloriam, non opes, non libidines: sed salutem & vtilitatem ciuitatis suæ. Vnde etiam rebus deploratis suis expirauit intrepidè. Hæc ornamenta excellentißime Præses quia prædicant omnes in te existere, & ex paruo vsu potuis aliquem capere eorum gustum: ideo consentaneum duxi, vt literatißimos, integerrimos, honestißimos, atq; acerrimos viros, Brutum etiam humanißimum et lenißimum desponderem tibi, ad quem omnia mea studia vt egregiam voluntatem defero. Hoc meum officium vt pro tuo, id est, summo candore & benignitate excipias valdè etiam atq; etiam rogo. Tuus enim calculus multum sudorum meorum, quos expreßit mihi hæc commentatio omnium vitarum Plutarchi in sermonem Latinum vertendarum detersit. Vale inclyte Domine.

PRO-

PROOEMIVM IN DIONEM ET BRVTVM.



SICVT ait Simonides, Sosfi Senecio, Corinthijs Ilium, cùm fecissent cum Achæis ei bellum, non fuisse infensum: quòd ipsi quoque oriundus Corintho socia arma Glaucus iunxisset: ita nimirum debent Academiæ neque Romani neque Græci succensere, qui portionem referunt parem ex hoc scripto, quod vitam complectitur Bruti & Dionis: quorum hic consuetudinem cum Platone habuit, alter præceptis imbutus fuit Platonis. Itaq; quasi ex vna ambo palæstra sunt ad maxima certamina progresfi. *Dion & Brutus Platonici fuere.* Nec mirum est eos multis factis cõsimilibus & germanis edendis præceptori virtutis astipulari, vt res amplas & splendidas geras in rep. procuranda, potentiæ & fortunæ requiri cum prudentia & iustitia associationem. Vt enim Hippomachus aliptes exercitatos ait apud se, etiam cùm ex macello conspiceret ferentes carnes, procul se cognoscere: ita rationem consentaneum est bene institutorum pariter factis comitantem esse, quę concinnitatem quandam eis consonantiamq; cum decoro afferat. At fortunæ, quæ casu magis quàm cõsilio acciderunt his pares, similitudinem vitis eorum conciliant. Siquidem vterque sublatus de medio ante metam est, vbi facta sua ex multis & magnis contentionibus deponere, sicut instituerant, nequiuere. Quod verò omnium est maximè stupendum, vtrique deus vitæ exitum prænunciauit parum propitio spectro iuxtà vtriq; oblato. *De spectris Dionis & Bruti.* Tametsi perhibent illi, qui negant talia, nemini cordato visum Dæmonij vel simulachrum obuersari: verùm pueros, mulierculas & deliros ex corporis imbecillitate homines, cùm aliquo teneñt mentis errore vel intemperie corporis opiniones alienas atq; absonas admittere: dum malum dæmoniũ superstitiosè credunt se inuasisse. Quòd si Dion Brutusq; constantes viri & philosophi neque ad vllum præcipites aut procliues animi motum adeo sunt à spectro permoti, amicis vt referrent visa sua: haud scio, an ne ex veteribus opinionibus recipere maximè absonã cogamur, mala dæmonia & inuida esse bonis viris æmulantia: quæ quò obstrepant illorum actionibus, commotiones ijs & pauores inuehant: hisq; concutiant et impellant virtutem, ne erecti & integri in virtute permanentes potiorem quàm ipsi cõsequantur à fatis sortem. Verùm hæc alium in locum reijciamus. In hoc duodecimo de paribus libro historiam maioris introducamus priorem.

Dion.



DIONYSIVS senior dominatu occupato protinus coniunxit sibi matrimonio Hermocratis Syracusij filiã. *Dionysij maioris vxores.* Huius corpus nondum satis firmata tyrannide rebellantes Syracusani immanibus & atrocibus contumelijs affecere: quamobrem sponte consciuit sibi mortẽ. Recepto inde Dionysius dominatu & constituto, rursus duas vxores simul duxit, vnam ex Locris Doridem nomine, indigenam alterã Aristomachen principis Syracusanorum filiam Hipparini: qui Dionysij collega fuit, cùm primùm imperator esset cum libera potestate ad bellum designatus. Fama est autem eum vno die ambas duxisse: neq;, cum vtra concubuerit priore, cuiquam mortalium cõstitisse: parem etiam vtriq; beneuolentiam exhibuisse perpetuò, vnà ambas cœnare cum eo consuesse, noctibus alternis concubare: quamvis postularet plebs Syracusana externæ præferri ciuem. Verùm illa hac vsa fortuna est, vt maximum stirpis filium Dionysio ediderit: quod detractionẽ gentis eius subleuauit. Aristomache verò diu infœcũda cum Dionysio fuit, cùm cuperet ille ex hac liberos: vt matrem etiã Locrensis interfecerit potionatam ab ea criminans Aristomachen. Huius Dion frater in honore sororis causa initiò fuit. Pòst vbi eluxit prudentia eius, iam per se fuit charus tyranno: atque inter cætera præceptum est quæstoribus, quicquid postularet Dion, id ei vt præberent: cùm præbuissent, eodem die sibi renunciarent. *Dion Dionysij affinis.* Fuit antè quoq; excelso ingenio ingentiq; animo & forti. cæterùm animus hic magis adoleuit, cùm diuina sorte appulisset in Siciliã Plato, nullo ille quidẽ

consilio

consilio humano: sed haud dubiè deus aliquis aditum procul libertatis Syracusanis instituens, & tyrannidis moliens euersionem detulit Platonem Syracusas, Dionemq; ad colloquium eius attraxit admodum tunc quidem iuuenem, verùm discipulorum Platonis omnium indolis longè solertissimæ, acerrimumq; ad arripiendam virtutem, vt ipse scripsit Plato & facta testantur. Nam quamvis tinctus moribus esset sub tyranno abiectis, vitæq; obnoxiæ & trepidę, arroganti famulitio, insolentibus delicijs, & consuetudini summum bonum voluptatibus & opulentia metienti assuetus atq; in ijs volutatus: vt primùm tamē doctrinam gustauit & philosophiam ad virtutem ducem, ilicò est ad eam animo incensus: atque ex suo ad honestatem procliui animo simpliciter planè & iuueniliter existimans ab ijsdem præceptis pariter Dionysium motum iri: contendit & effecit, vt per ocium ille conueniret & audiret Platonem. In colloquio cùm in summa de viri virtute, persertim autem de fortitudine disputaretur: quia quidvis citius Plato, quàm tyrannos fortes asseruit: hinc ad iustitiam transiens docuit beatam iustorum esse, iniustorum miseram vitam: non tulit sermonem eius tyrannus. verùm quasi coargueretur, infensus quoq; fuit assistentibus: qui Platonem commendabant mirificè atq; eius oratione ducebantur. Postremò inflammatus exacerbatusq; rogauit eum, quid in Siciliam venisset? Qui cùm respondisset, virum bonum se quærere, excipiens ille: Atqui hercle, inquit, nondū videris eum inuenisse. Ac Dion, qui non existimabat porrò iram Dionysij progressuram, properantem Platonem in triremi, qua Pollis Spartiates redibat in Græciam, dimisit. Verùm rogauit Dionysius Pollim secretò, maximè vt in cursu occideret eum: sin minus, omninò venundaret. Nullam iniuriam accepturum, sed æquè beatum fore vel in seruitute, vt qui esset iustus. Itaque dicitur Platonem Pollis Aeginam deportasse ac distraxisse, cùm bellum haberet ea ciuitas tunc cum populo Atheniēse & plebiscitum: siquis captus ciuis Atheniensis foret, vt venderetur Aeginæ. Nihilo habuit tamen Dioni minorem Dionysius vel honorem vel fidem, sed maximas legationes obiuit ad Carthaginenses missus. Qua in legatione magnum nomen quæsiuit. Ac ferebat tyrannus libertatem eius: qui solus propè intrepidè, quod videretur, dicebat: vt inter alia cùm reprehendit eum de Gelone. quippe cùm illuderetur Gelonis regnum, ipsumque Gelonem Dionysius Siciliæ γέλωτα, id est, ludibrium dixisset fuisse: alij dictum se simulabant mirari. Dion verò indignatus: Atqui tu, inquit, tyrannide potiris, quia tibi Gelonis causa habita fides est, tui causa fides tribuetur posthac nemini. Nam reuerà pulcherrimum videtur Gelo ostendisse ciuitatis sub vnius principatu statum esse, Dionysius fœdissimum. Habuit autē Dionysius tres liberos ex Locride, ex Aristomache quatuor: ex quibus duæ filiæ fuerunt Sophrosine & Arete. Sophrosine Dionysio filio, Arete fratri eius Thearidi nupsit. Fratre defuncto Thearide Dion Areten sororis filiam in matrimonium accepit. Cùm verò ægrotanti Dionysio fatum imminere videretur, elaborauit Dion cū eo de Aristomaches liberis agere. verùm medici inseruientes successori non dederunt ei locum. Vt autem tradit Timæus, etiam medicamentum poscenti somnificum propinantes sensum abstulerunt, somnumq; morti commisere. At primo amicorum apud Dionysium conuentu ita disseruit de præsenti rerum statu Dion, vt cęteros omnes prudentia infantes & dicendi libertate tyrannidis ostenderet esse mancipia: qui blandientes adolescēti abiecta & prætrepida cōsilia ei darent. Perculit eos potissimùm, cùm imminens à Carthagine dominatui periculum expauescentibus polliceretur: si cuperet pacem Dionysius, nauigaturum se confestim in Africam, bellumq; honestissimis conditionibus compositurum. Sin bellare aueret, quinquaginta triremes suo se sumptu exhibiturum & præbiturum instructas. Hanc magnificentiam obstupuit mirificè Dionysius, atq; animum eius promptum amplexus est. At illi, qui coargui se hac munificentia, & authoritate deprimi Dionis existimabant: hinc capio exordio nullam prætermiserunt vocem, qua exacerbare in eum adolescentem sperabant posse, quasi tyrannidem viribus maritimis pararet occupare, vt dominatum classe ad Aristomaches sororis suæ liberos traheret. Apertissimas verò atque grauissimas ad inuidiam eius & odium causas suppeditauerunt morum diuersitas & vita insocialis. Illi enim statim ab initio iuuenis tyranni & malè educti vsum ac consuetudinem voluptatibus subministrandis assentationibusq; subeuntes, indies amores aliquos atque ignauas occupationes ei in poculis, lustris, alijsq; turpibus ludis offerebant: à quibus tyrannis ferri modo emollita popularibus apparebat lenis, nimiamq; immanitatem remittebat paulum, non humanitate potius quàm domini hebetata socordia. Hinc paulatim progrediens & serpens adolescen-

tis

Dion Platonis discipulus. — *Dionis ingeniũ.* — *Platonis & Dionysij maioris tyranni colloquium.* — *Plato Aeginæ venditus.* — *Dionis apud Dionysium maiorem in dicendo libertas.* — *Dion Areten filiam Dionysij maioris ducit.* — *Dionysij maioris mors.* — *Causæ odij Dionysij in Dionē.* — *Dionysij minoris vitia.*

tis diſſolutio compedes illas adamantinas, quibus Dionyſius maior ait alligatum relinquere ſe dominatum, fudit atque tabefecit. Siquidem dies, vt aiunt, continuos nonaginta ſine vllo interuallo, vbi ſemel cœpit, perpotauit: aulamq́ interea bonis viris ſermonibusq́ honeſtis inacceſſam & clauſam, crapulæ, ioci, cantus, tripudia, atq; alia licentia tenuere. Fuit igitur haud dubiè inuiſus Dion, qui ad nullam relaxabat ſe hilaritatem vel ludum. Quocirca conſentanea viciorum vocabula tribuentes virtutibus calumniabantur eum, grauitatem arrogantiam, & libertatem loquendi appellantes peruicaciam: admonens'que accuſare: & quia non vnà vitijs indulgebat, videbatur faſtidire. Et quidem habebant ſua ſponte faſtum aliquem eius mores auſteritatemq́ aditu difficilem & penè inſociabilem. Non ſolùm enim iuueni & patentes aures habenti adulationibus ingrata conſuetudo eius & aſpera erat: verùm multi etiam, qui vtebantur eo familiariter, candoremq́ animi eius & generoſitatem amplectebantur, congreſſus cauſa inſectabantur eum: quòd moroſius & difficilius quàm pro ciuili vſu ageret cum adeuntibus. De quibus pòſt Plato quaſi vaticinans ad eum ſcripſit, peruicaciam tanquam ſolitudinis contubernalem vt declinaret. Verumenimverò quamvis plurimi eum id temporis negociorum cauſa fieri appareret, ſolumq́ vel potiſsimum nutantem erigere & conſeruare tyrannidem: intellexit tamen non acceptum ſe, ſed inuito tyranno vſus ratione primum eſſe & maximum. Huius cùm literarum exiſtimaret imperitiam cauſam eſſe: eniſus eſt eum in ſtudia liberalia conijcere, guſtumq́ dare præceptorum & diſciplinarum moralium: quò & virtutem formidare deſineret, & rebus aſſueſceret ſe oblectare honeſtis. Neque enim fuit teterrimus in tyrannis Dionyſius: ſed veritus pater eius, ne ſi animi ei creuiſſent, & conſuetudine eſſet vſus hominum cordatorum, inſidiaretur ſibi & dominatu ſpoliaret: incluſum aſſeruauit in conclaui. Ibi vſu deſtitutus alio, & rerum imperitia, vti dictitant, parua plauſtra, candelabra, ſedes ligneas & menſas fabricabatur. Vſqueadeò enim diffidebat, & aduerſus omnes mortales erat ſuſpicioſus atque proiectæ timiditatis maior Dionyſius: vt nec capillum cultris tonſorijs tonderet, ſed admitteretur quiſpiam ex plaſtis, qui carbone capillum adureret. In cubiculum eius non frater, nō filius admittebatur amictus: verùm oportebat quemque prius, quàm ingrederetur, poſita ſtola ſua aliam ſumere, atque excuti ab ſatellitibus nudum. Cùm Leptines frater eius ſitum loci cuiuſpiam declarans ei aliquando accepta à ſtipatore haſta delinearet eum, excanduit in illum vehementer: alterum verò, qui dederat haſtam, interfecit. Amicos ſolertes dicebat ſuſpectos ſibi eſſe, quòd ſciret eos dominari ipſos malle, quàm domino parêre. Marſiam quendam, quem euexerat & præfectura donauerat, quòd ipſum ſecundum quietem viſus eſſet interficere, interemit, exiſtimans ex cogitatione diurna & meditatione hanc viſionem fuiſſe ei per ſomnium oblatam. Adeò ille, qui Platoni infenſus fuit, quòd non omnium mortalium ipſum pronunciaſſet fortiſsimum, pauidam & malis mentem tam multis habebat refertam. Huius filium, ſicut diximus, bonarum literarum inertia mutilatum & labefactatum moribus Dion cùm animaduerteret: hortatus eum eſt, vt dederet ſeſe literis, & philoſophorum principem enixè rogaret, vt in Siciliam veniret. Vbi veniſſet, daret ſe ei: quò moribus ex doctrina ad virtutem expolitus, atque ad diuiniſsimum rerum & pulcherrimum conformatus exemplū, cui vniuerſitas duci parens non iam confuſio ſed mundus eſt, magnam ſibimetipſi, magnam item ciuibus pararet felicitatem: qui quæ nunc metu domini faciant inuiti, hæc moderatione & iuſtitia beneuolè velut parenti eſſent præſtituri, atque ita ipſe rex euaderet ex tyranno. Nam adamantinas compedes, non, vt eius dixit parens, metum, vim, ingentem claſſem, & decem millium ſtationem barbarorum eſſe: ſed beneuolentiā, ſed ſtudium, ſed fauorem: quæ iuſtitia & virtus imprimant. quæ licet molliora, intentis illis & duris firmiora ad imperij eſſe perpetuitatem. Adhæc eſſe turpe & fœdum, ſi princeps corpore eximiè cultus, domeſticoq́ ſplendore atque inſtrumento magnificus, conſuetudine & ſermone nihilo homini præſter plebeio, neque animi ſtudeat habere egregiè & inſigniter exornatum principatum. Hæc crebrò inculcante ei Dione, ac nonnullos Platonis ſermones ſubijciente, acris Dionyſium ardor & veſanus cepit ſermonū & colloquij Platonis. Extemplò igitur multæ Athenas à Dionyſio literæ, multæ obteſtationes volitarunt à Dione, aliæ à Pythagoreis ex Italia, vt veniret hortantibus, & tyrocinium animi magna licentia & potentia fluctuans arriperet ſolidioribusq́ frænaret conſilijs. Ac Plato quidem, vt ipſemet teſtatur, ſe ipſe erubeſcens, maximè ne verbis tantùm vacare, operi verò manus admouere volens nulli videretur: ſperans'que per

Dion nimiùm grauis & auſterus.

Peruicacia ſolitudinis contubernalis.

Dionyſius maior timidiſsimus & ſuſpicioſiſsimus.

Dionyſij ſomnium.

Dion hortatur Dionyſium ad literas.

Principum cuſtos fideliſsimus, ciuium amor.

Plato proficiſcitur in Siciliā ad Dionyſium.

vnum virum quasi membrum principale purgatum vniuersæ laborāti medicinam se Siciliæ facturum gessit illis morem. At Dionis aduersarij timentes mutationem Dionysij induxerūt eum, vt Philistum ab exilio reuocaret virum & literis instructum & morum tyrannicorum scientissimum: quò haberent eum, quem Platoni & philosophiæ obijcerent. Quippe à primo surgenti tyrannidi promptissimū præbuerat Philistus se, arcemq́ præsidio præfectus diu custodierat. Fama quoq́ fuit matri eum maioris Dionysij consuesse haud vndequaq́ inscio tyranno. Sed cùm Leptini ex muliere, quam alteri nuptam per stuprum cognouerat, duæ editæ filiæ essent, quarum alteram re non communicata cum tyranno collocasset Philisto: ira frendens ille Leptinis coniugem vinctam in custodia habuit, Philistum verò exterminauit Sicilia: qui ad hospites certos perfugit Adriam. vbi, vt mihi videtur, cùm abundaret ocio, historiam suam maxima ex parte composuit. Neque enim reuersus est in patriam viuo maiore Dionysio, sed secundum illius excessum, vti diximus, reduxit eum æmulatio cum Dione aliorum quasi & ipsis magis accōmodatum & firmiorem tyrannidi. Igitur mox redux hic fouit tyrannidem, simul Dioni ab alijs struebantur apud tyrannū calumniæ & crimina, cum Theodote & Heraclide eū de opprimendo dominatu egisse. Nempe sperabat sanè per Platonis præsentiam detracto tyrānidi dominatu atq́ impotentia moderatum se & legitimum principem Dionysium effecturum. Sin reluctaretur nec molliretur: opprimere statuerat eum, ac Syracusanis reddere remp. non quò ditionem probaret popularem: sed quòd omninò censeret tyrannide eam esse meliorem ijs, qui sanum principatum non possent assequi optimatum. In hoc rerum statu venit in Siciliam Plato: qui primo aduentu eximia comitate & honore est exceptus. Nam regius currus & splendide cultus præstò fuit è naui egredienti. Tyrannus autem tanquam magno bono imperium suum esset auctum, sacrificauit. Pudor in conuiuijs, aula composita, atq́ ipsius tyranni in omnibus responsis iudicijsq́ lenitas spem ciuibus miram præbebat conuersionis. Ardor erat ad disciplinas & philosophiam omnium. Tyrannidis sedem, vt fama est, puluis occupabat ob numerum eorū, qui geometriæ incumbebant. Paucis interpositis diebus solenne sacrificium fuit in arce. Ibi cùm precaretur de more præco, vt dominatus in multas ætates consisteret inconcussus: assistens Dionysius perhiberur dixisse: Quin tu desinis in nos execrari? Momordit id supra modum Philistum cum suis, insuperabilem authoritatem fore spacio et consuetudine existimans Platonis: qui tunc modico ex vsu vsqueadeo animum inuerterat & variauerat adolescentis. Non vltrà igitur vnus aut alter neque clàm: verùm apertè omnes lacerare Dionem, & iactare non obscurè fascinare eum & inficere Platonis eloquentia Dionysium: quò simul atq́ ille sponte deposuerit potestatem, eam ad Aristomaches filios, quorum auunculus sit, transferat. Nonnulli verò molestè ferre simulabāt se, cùm pridem Athenienses, qui ingentibus naualibus et terrestribus copijs eò nauigauerant, interissent oppressiq́ antè fuissent, quàm caperent Syracusas: nunc Dionysij tyrannidem per vnum diruituros magistrum: qui persuadeat ei, vt ex decem millium stipatorum profugiens statione, quadringentis triremibus, decem millibus equitum atq́ infinitis peditum copijs relictis in Academia arcanum illud bonum inuestiget, euadat per geometriam beatus: hanc verò in principatu, pecunia, & delicijs felicitatem Dioni permittat & Dionis sororis filijs. Hinc suspicione primùm, deinde clariore simultate & alienatione ab Dione orta Dionysij, defertur clàm ad Dionysium epistola quædam, quā ad magistratus Carthaginensium scripserat Dion monens, vt cùm Dionysium de pace adituri essent, ne remoto se conuenirent illum, omnia se confecturum ipsis ex sententia. Hanc cùm Philisto Dionysius recitasset, ac cum eo, vt author Timæus est, consultasset: surrepsit Dioni ficta reconciliatione, atq́ specie prætenta honesta, redire cum ipso ait se in gratiam, soloq́ sub arcem ad mare abducto ostēdit epistolam, insimulauitq́ cum Pœnis eum in se conspirare. Purgare se Dionem volentem noluit audire: verùm extemplò & raptim coniecit eum in acatium, imperauitq́ nautis, vt exponerent eum in ora Italiæ. Quod factum cùm videretur hominibus sæuum, domus tyranni mulierum causa in luctu fuit: ciuitas verò Syracusana erexit se res nouas & breuem vicissitudinem expectās ex tumultu de Dione & ex diffidentia erga tyrannum aliorum. Quæ vbi animaduertit Dionysius, timore anxius leniuit amicos & vxorem eius: quasi non in exilium, sed esset peregrè Dion missus, ne in præsentis contumaciam consulere ex ira compelleretur grauius. Permisit autem naues duas Dionis familiaribus, vt quæcunq́ vellent ex bonis & famulitio eius, imponerent eò & ad eum deportarent in Peloponnesum. Ingentes erant

Dionis

Philistus historicus.

Dion popularē statum nō probauit.

Dionysij mutatio ex aduentu Platonis.

Philisti calumniæ in Dionē.

Dionis ad Carthaginenses epistola.

Diō ab Dionysio exponendus datur in Italia.

Dionis opes.

Dionis facultates, tyrannicusq; propè domi splendor & instrumentum: quæ consarcinata asportauerunt amici. Multa insuper alia à fœminis & amicis missa. Ita pecuniæ quidem causa & opum splendidus erat inter Græcos, atq; ex exulis opulentia, potentia elucebat tyrannidis. Platonem verò transtulit extemplò Dionysius in arcem, honorificā ei benigni colore hospitij custodiam machinatus, ne cum Dione abiret illatarum ei iniuriarum testis. Tempore porrò & cōtubernio sicut fera attingere hominem, ita ille assuefactus est ferre colloquia eius & orationem, ac prosecutus eum amore tyrānico, solumq; redamari se à Platone & suspici supra omnes postulauit: paratus ei summā rerum dominatumq; permittere, si Dionis amicitiam non præferret suæ. Erat Platoni calamitati hic affectus illius: qui insaniebat perditè amantium modo per æmulationem, multasq; breui spacio rixas, multas vicissim reconciliationes cum eo & obsecrationes fecit: atq; audire eius præcepta, & in consortium venire studij philosophiæ maiorē in modum affectabat: sed diuertentes ipsum, quasi labefieret, erubescebat.

Dionysius remittit Platonē.

Interea exorto bello remittit Platonem, pollicitus proxima æstate se Dionem reuocaturum. Cęterùm non stetit promisso: censum prædiorum tamen misit ei petens à Platone, vt de tempore daret sibi belli causa veniam: quàm primùm composita pax esset, accituram se Dionem: postulauitq;, vt ille quiesceret interim, ac nequid moueret, ne've insectaretur se apud Græcos. Id elaborauit Plato efficere, Dionemq; ad philosophiam flexit detinuitq; in Academia.

Dionis vita in Græcia.

Habitauit hic in vrbe apud Callippum notum sibi. Oblectamenti causa prędium comparauit, quod pòst donauit in Siciliam nauigans Speusippo, cuius præter cæteros amicos Athenienses vtebatur consuetudine & contubernio: quòd vellet Plato colloquio festiuo & scitis facetijs tempestiuè condito mores Dionis tinctos diffundere. Id præstare poterat Speusippus. quapropter facetum appellauit eum in sallibus Timon. Edente puerorum chorum Platone Dion chorum exercuit, & sumptum omnem à se præbuit. Hanc Plato admisit illius apud Athenienses munificentiam: quæ illi potius beneuolentiam, quàm gloriam sibi cōciliaret. Inuisit Dion cæteras quoq; vrbes, cum optimis & prudentissimis in rep. tractanda viris versans agitansq; festos dies: nihil in conuictu ineptum, nihil tumidum neque tyrannicum præ se ferens vel molle: sed modestiam, sed virtutem, sed fortitudinem, in literisq; ac philosophia honestas congressiones.

Dionis virtutes, & Græcorum in eū honores.

Hinc studium in se omnium, amoremq;, publicos quoque honores & decreta est apud ciuitates cōsecutus. Lacedæmonij offensa contempta Dionysij, quamvis mitteret eis id temporis promptè contra Thebanos auxilia, ciuitate quoque eum donauere. Ferunt Dionem aliquando domum ad Megarensem Ptœodorum eius rogatu venisse. Fuit autem locuples atque opibus valens Ptœodorus. Ad cuius limen cùm turbam Dion & frequentia negocia, illumq; conuentu & aditu difficilem adverteret: respiciens amicos stomachantes & offensos: Quid hunc, inquit, incusamus? Nempe nos ipsi omnibus non aliter faciebamus Syracusis. Temporis spacio incensus Dionysius inuidia, fauoremq; metuens apud Gręcos Dionis, desijt ei mittere censum, præfecit'que facultatibus eius procuratores suos. Quò autem infamiam apud philosophos Platonis causa elueret: multos coegit, qui habebantur eruditi. Cupiens verò in disputando omnes superare, necesse babebat ea, quæ obiter ex Platone acceperat, perperam vsurpare. Quare cœpit illum denuò requirere, pœnituitq; eum: quòd non fuisset præsente vsus, neque doctrinam percepisset honestarum disciplinarum absolutam.

Dionysius reuocat Platonem in Siciliam.

Architas Pythagoricus.

Ita vt tyrannus semper cupiditatibus stolidus, atque in omnem præceps animi motum repente ardenti desiderio captus est Platonis, omnemq; machinam mouens Architam Pythagoreum induxit, vt promissorum suorum sponsor esset apud Platonem, eumq; acciret. Nam illo interprete ius inter eos amicitiæ & hospitij contractum primò fuerat. Allegauit ille ad eum Archidemum. Misit etiam Dionysius triremes & amicos oratum Platonem. Scripsit insuper ipse apertè & disertè, nihil ab se vt Dion benignum expectaret, ni adductus Plato esset in Siciliam venire: si veniret, omnia. Multæ etiam ad Dionem allatæ ab sorore & vxore obtestationes sunt: vt cum Platone ageret, quò morem gereret Dionysio, neque ei obtentum præberet.

Platonis ad Dionysium tertia profectio.

Ita venisse tertiò se Plato in fretum Siculum refert,

Rursum vt tentaret diram superare Charybdim.

Aduentus eius magno illum gaudio, magna de integro spe Siciliam compleuit vota facientem & contendentem studijs, vt Philistum Plato & tyrannidem superaret philosophia. Ingens etiam extitit studium in eum mulierum. Peculiariter fidem ei Dionysius vt

nulli alij habuit, vt adire ipsum liceret ei non prætentato. Cùm magnam vim pecuniæ & crebrò hic offerret Platoni, nec ille acciperet: præsens Aristippus Cyrenæus sine periculo magnificum Dionem dixit esse. Ipsis enim, qui multis opus haberent, eum pauca donare: Platoni multa, qui nihil caperet.

Aristippi dictũ in Dionysium.

Postquam defluxerunt primæ inuitationes, ingresso de Dione agere Platone procrastinationes primùm fuere, expostulationes inde & simultates apud alios tectæ: cùm occuleret eas Dionysius, alijsq; obsequijs Platonem & honoribus abducere ab Dionis tenderet amicitia: nec ipse statim Plato perfidiam & vanitatem eius aperiret, sed toleraret eas dissimularetq;. Cùm ita essent inter se animati, & fallere putarent omnes: Helycon Cyzicenus vnus ex Platonis familiaribus defectionem solis prænunciauit. Qua, vt prædixerat, consecuta affectus admiratione tyrannus donauit ei argenti talentum.

Helycon Mathematicus.

Aristippi vaticinatio.

Tum Aristippus ludens apud alios philosophos rem se quoque retulit prænunciare admirabilem posse. Quibus, vt eloqueretur, quid id esset, rogantibus: Significo, inquit, ego Platonem & Dionysium breuì inimicos fore. Deniq; bona Dionysius Dionis distraxit, & pecuniam ipse retinuit. Platonem in hortis, qui ædibus ipsius erãt annexi, diuertentem migrare iussit inter milites mercenarios iamdudum ei infestos & interficere quærentes eum: quasi ponere Dionysio tyrannidem & viuere sine corporis custodibus consuleret.

Architas repetit à Dionysio Platonem.

Discriminis, in quo positus Plato erat, Architas factus certior missis properè cum naui triginta remorum actuaria legatis repetit illum à Dionysio, prætendens se fidei publicę expromissore nauigasse eum Syracusas. Dum offensiones Dionysius in Platone prosequendo conuiuijs & honoribus subleuat, prorupit vt hoc diceret: Nempe multis & atrocibus criminibus nos apud tuos philosophiæ commilitones onerabis. Cui respondit Plato: Absit, vt adeo materia nos sermonum deficiat, tui vt quisquam meminerit. Ita Platonem memorant dimissum. His tamen ipsius Platonis scripta non sunt vndequaque consentanea. Porrò cùm his Dion offensus est: tum breui pòst, vbi de vxore accepit, declarauit se eius hostem. Id significauit tectè Dionysio per literas Plato. Fuit autem huiuscemodi: Exacto Dione remittens Platonem Dionysius quærere ex illo remotis arbitris iussit ei, numquid causæ esset, quin alteri vxor eius nuberet? quòd obtineret rumor, verus fictus'ne ab Dionis æmulis, molestas eas nuptias Dioni & contubernium ingratum vxoris suæ esse. Vt igitur appulit Plato Athenas, & de omnibus est cum Dione sermocinatus, dedit ad tyrannum literas: quibus cætera liquida omnibus, verùm hoc ipsum solum indicauit illi notum, cum Dione se illa de re egisse, nec dissimulasse eum molestissimè laturum se, si hoc perpetrasset Dionysius. Nec tunc, quia magna spes erat reconciliationis, quicquam de sorore nouauit: sed domi permisit eam cum filio Dionis manere.

Dionysius Dionis vxorem alteri collocat.

Polyxenus.

Vt verò omni præcîsa placatione Plato à reditu in Siciliam cum offensione dimissus fuit, tum inuitam Areten vni amicorum Timocrati despondit, ne in eo quidem patris secutus lenitatem. Nam illi item Polyxenus, qui sororem eius in matrimonio habebat Thesten, hostem se declarauerat. Qui cùm metu Sicilia relicta profugisset, sororem accersitam incusauit ille: quòd conscia fugæ viri, id non denunciasset sibi.

Dionysij maioris sororis forte responsum.

Quæ intrepidè & hercle fidenter: Adeo'ne tibi videor, inquit, Dionysi improba fuisse vxor & ignaua, vt fugæ viri præscia eum non essem comitata, atque in societatem venissem eiusdem fortunæ? verùm haud præsciui. Nam equidem malim me Polyxeni exulis vxorem quàm tuam tyrãni sororem appellari. Hoc Thesten tam liberè locutam admiratum fuisse tyrannum ferunt. Admirati sunt etiam huius fœminæ virtutem Syracusani, retinuitq; post euersam tyrannidem illa dignationem & cultum regium, ac defunctam ciues publico funere extulere. Habent digressionem hæc non inutilem.

Dion bellum suscipit contra Dionysium.

Dion hinc conuertit se statim ad bellum Platone ipso ob ruborem sui cum Dionysio hospitij & senectutem Dionis obsistente, Speusippo verò alijsq; amicis Dionem adiuuantibus ad porrigentemq; manus Siciliam & ad recipiendum eum promptam adhortantibus liberandam. Nam cùm Syracusis ageret Plato, Speusippus quidem cum ciuibus plus versatus intellexerat mentem eorum. Ac primùm effusam in loquendo libertatem eorum velut submissam à tyranno habuit suspectam, tractu tamen fidem adiunxit. Siquidem eadem erat omnium oratio precantium & hortantium, veniret Dion sine nauibus, sine peditatu & equitatu: actuarium nauigium conscenderet modò, corpus'que & nomen suum commodaret in Dionysium Siculis.

Philosophi Dionis promouent bellum.

Hæc nunciante Speusippo erectus, quò reconderet consilium suum, conscripsit occultè & per alios mercenarium militem. Adiuuerunt etiam eum multi, qui remp. tractabant, & philosophi, & Cyprius Eudemus,

in

in cuius honorem mortui dialogum de anima Aristoteles scripsit: Timonides item Leucadius. Præterea adiunxerunt ei Miltam Thessalum vaticinandi peritum & Academiæ contubernalem. Ex illis, qui à tyranno fuerant exterminati non minus mille, quinque & viginti duntaxat nomina dedere, cæteri ignauia rem deseruere. Sedes belli Zacynthiorum insula fuit, quò milites conuenerunt minus octingenti: verùm omnes celebres, crebris & magnis expeditionibus, corporibus'que egregiè exercitati, scientia verò rei militaris atque animis longè omnium primi: qui multitudinem quantam habiturum se Dion sperabat in Sicilia, excitare & inflammare valerent ad virtutem. Hi vt primùm in Dionysium & Siciliam acceperunt classem parari, obstupuerunt animosque desponderunt, quasi amens ira & insaniens Dion vel bonæ spei inops in res deploratas se demitteret: succensuerunt'que ducibus suis & conquisitoribus, quòd ipsis mox ab initio non indicauissent bellum. Verùm vt Dion pro cócione tyrannidis exposita vomica docuit non milites se, sed potius duces ipsos adducere Syracusanorum Siculorumque aliorum, qui iampridem essent ad rebellandum prompti: & secundum Dionem egit cum eis Alcimenes, qui Achęorum dignitate & nobilitate princeps socius belli erat: acquieuere. Adulta tunc æstas erat, spirabantque in alto Etesiæ. Luna pleno lucebat orbe: cùm Dion Apollini magnificum sacrificium parauit, & armatis militibus ad templū processit. A' sacrificio mensis stratis in Zacynthiorum curriculo excepit eos epulo. Mirabantur illi poculorum aureorum et argenteorum mensarumque supra priuatas opes splendorem: reputabantque ætate virum iam prouecta & tam opulentum sine certa spe, & nisi amici ei inde plurima et maxima ostenderent subsidia, non temere se in periculum demisisurum. Sub libamina & solennia vota defecit luna. Nec fuit quicquam Dioni noui eclipticos ambitus, occurrentemque lunæ vmbram & obiectam soli terram reputanti. Cæterùm quia milites attoniti erant eleuandi, Miltas vates cócione aduocata iussit eos bono animo esse & spem optimam concipere. quippe denunciare deum defectum cuiuspiam rei in præsentia illustris. Illustrius autem nihil Dionysij tyrannide esse, cuius luminibus ipsos, vt primùm Siciliam attigissent, obstructuros. Atque hoc Miltas palàm omnibus exposuit. At apum ostentum, quarum in Dionis nauigijs conspexerunt ad puppim examen consedisse, priuatim apud illum & amicos timere ostendit se: ne res, quas gesturus esset magnificas, cùm floruissent paulisper, emarcescerent. Ferunt item multa Dionysio portentosa prodigia fuisse à deo oblata. Aquila raptam satellitis lanceam in sublime tulit, inde demisit in profundum. Mare, qua alluit arcem, aquam per vnum diem dulcem & potabilem reddidit: idque, quicunque gustauerunt percepere. Porcelli ei editi sunt reliquis membris integri, tantùm mutili auribus. Id vates exposuerunt defectionis & rebellionis ostentum esse: quòd ciues non vltrà tyrannidi futuri essent dicto audientes. Maris dulcedinem tristium & sæuorum temporum in meliora Syracusanis vicissitudinem afferre. Ministrum denique esse aquilam Iouis, lanceam principatus & dominatus insigne. Igitur euersionem & excidium tyrannidis moliri deorum principem. Hæc Theopompus scripta reliquit. Vecti sunt Dionis milites nauibus duabus onerarijs: quas tertium nauigium non grande & duo comitata sunt, quæ triginta remis agebantur. Arma, præter ea quæ milites habebant, duo millia clypeorū portauit secum, telorum & lancearum magnum numerum, ac cómeatus ingentem vim: ne qua re, dum forent in cursu, laborarent. Quippe summam nauigationis ventis & pelago commiserant: quòd terram timerent, & Philistum intelligerent in Iapygia ipsos captantem stationem habere. Leni & molli vento dies duodecim vecti, tertiodecimo Pachynum Siciliæ promontorium tenuere. Ibi primus gubernator monuit Dionem, vt confestim illic exponeret milites. Nam si auulsi à terra essent, ac promontorium vltrò dimisissent, multos dies & noctes ipsos in salo hæsuros, dum operirentur æstatis tempore Austrum. At Dion, qui propinquam hostibus timeret descensionem, malletque appellere longius, Pachynū est præteruectus. Sæuus inde Septentrio increbrescens & maiores voluens fluctus reiecit naues à Sicilia, fulguraque & tonitrua exorto Arcturo succedentia atrocē cœlo tempestatem & procellosum imbrem effuderunt. Quo cùm conterriti nautæ essent, neque scirent, vbi essent: repentè animaduertunt naues ab vndis expelli ad prætextam Africæ Cercinam, qua maximè prærupta est & appellentibus confragosa insula. Cùm igitur parum abesset, quin naufragium facerent, & impingerent in cautes: contis incumbentes ægrè sunt prælati, dum tempestas exsæuijt, atque occurrentes nauigio cuipiam didicerunt se esse ad magnæ Syrtis Capita appellata. Obtorpescentibus propter trāquil-

Aristotelis de anima Dialogus.

Dionis copiæ.

Dionis in epulo dando magnificentia.

Lunæ defectus, & causa.

Prodigia Dioni oblata.

Prodigia Dionysio oblata.

Dionis apparatus.

Tempestas maris Dioni aduersa.

litatem, atq; huc illuc temerè iactatis aura quædam aspirauit ex regione Austri ia: cùm nihil minus quàm Austrum expectarent, neq; fiderent mutationi. Increbrescente paulatim vento ac vim concipiente pandunt, quantum possunt, vela: deûmq; ope implorata in altum excurrentes Africa relicta petût Siciliam, atq; facili cursu quinto die ad Minoam decurrunt. Id oppidulũ erat in Sicilia prouinciæ Pœnorum. Aderat fortè tum Carthaginensiũ præfectus Synalus Dionis hospes & amicus. Qui quòd adesse illum eiusq; classem ignoraret, institit descensionem militũ arcere. Hi exilientes armati nullum quidem occiderunt (nam id Dion ob amicitiam cum Pœno suam interdixerat) sed vno agmine cum fugientibus irrumpentes oppidulum ceperunt.

Dion capit Minoam.

Vt mutuò duces occurrentes inter se consalutauere, restituit Dion oppidum Synalo intactum. Milites Synalus hospitio accepit, adiuuitq; Dionem ijs rebus, quæ erant ei necessariæ. Confirmauit eos potissimùm fortuitus casus Dionysij peregrinationis. Nam paulo antè nauibus octoginta profectus erat in Italiam. Quapropter milites, cùm adhortaretur eos, vt ex diutina maris iactatione ibi reficerent se, ipsi non obtemperauerunt ei occasionem antè arripere maturantes: sed Dioni dixerunt, duceret Syracusas. Igitur depositis ibidem superfluis armis & sarcinis Synalum rogauit: vt ea, vbi opportunum esset, mitteret ad se: hinc mouit Syracusas.

Dion mouet Syracusas.

Ad progredientem principes defecerunt ducenti Agrigentinorum equites, qui circa Egnomum incolunt: post hos Geloi Eo rumore citò Syracusas perlato Timocrates, qui Dionis vxorem Dionysij sororem in matrimonio habebat, relictis in vrbe amicis præpositus nuncium raptim mittit ad Dionysiũ cum literis, quibus eum de Dionis aduentu facit certiorem. Ipse vrbanis tumultibus & motibus intendit animum. Erãt cuncti erecti. Sed quòd nondum satis rumori crederent, & metuerent ne verus non esset, quiescebant.

Nuncij ad Dionysium missi, casus.

Tabellario autem, qui emissus erat, mirus casus est oblatus. Cùm traiecisset in Italiam, & Rheginorum fines peragrans Cauloniam ad Dionysium properaret: occurrit cuidam familiari, qui ferebat modò immolatam victimam. A quo accepta portione maturauit pergere. Cùm partem noctis iter fecisset, ex lassitudine paulisper dormire coactus, in sylua quapiam abiecit se temerè prope viam. Odorem lupus secutus rapuit carnes peræ alligatas, vnaq; auferens peram, in qua condiderat epistolam nuncius, fugit. Vt ex somno excitus, multumq; nequicquam palatus requirenda pera non inuenit eam: non sustinuit sine literis ad tyrannum pergere, sed subduxit se certus non venire in conspectum eius. Itaque Dionysius serò erat, & ab alijs esse bellum in Sicilia accepturus. Iam Dioni in itinere Camarinæi adiuncti sunt, atque ex agro Syracusanorum excitatorum affluxit non exigua manus. Qui cum Timocrate Epipolas tuebantur Leontini & Campani falsò à Dione inter eos vulgato nuncio petiturum ipsum primò ipsorum oppida, deserto Timocrate ad protegenda discesserunt sua. His Dioni, qui circa Macras considebat, nunciatis mouit ante lucem castra, venitq; ad amnem Anapum, qui ab vrbe abest stadijs decem. Ibi consistere signa iubens apud amnem immolauit orientem solem adorans. Simul ostenderunt ei aruspices spondere deos victoriam, Dionemq; contemplati præsentes sacrificij causa coronatum, sumpserũt vno impetu omnes coronas. Erant non intra quinque millia, qui se progredienti associauerant. Qui quamuis ex tempore essent malè armati, alacritate tamen inopiam suppleuerunt apparatus. Itaque monente Dione citato cursu exultantes & conclamantes progressi sunt, incitaueruntq; sese mutuò ad libertatem.

Dion occupat Syracusas.

Ex vrbano Syracusanorum populo nobiles & boni viri candida amicti veste Dioni se ad portas effuderunt obuiàm. Vulgus tyranni amicos adortum est, & quos appellabant emissarios nefarios homines & dijs inuisos corripuerunt.

Emissarij Dionysij cæduntur.

Hi permisti ciuibus vrbem peragrabant, rimantesq; ad tyrannum deferebant singulorum mentes & voces. qui primi pœnas dederunt ab obuijs malè mulctati. Timocrates verò cùm arcis præsidio non valeret se adiungere, arrepto equo profugit ex vrbe: cunctaq; in fuga metu & tumultu impleuit, in maius tollens Dionis vires, ne mediocri perculsus re vrbem videretur amisisse. Interea accedens Dion in conspectu erat, primus ipse magnificis ornatus armis. Cingebant latera eius hinc frater Megacles, illinc Callippus Atheniensis coronati. De militibus externis cẽtum stipantes Dionis corpus sequebantur. Reliquos exornatos ducebant manipulares spectantibus Syracusanis, ac quasi sacram excipientibus & diuinam libertatis atq; imperij pompam popularis, quod annis octo & quadraginta postliminio in vrbem regrediebatur.

Dion reddit Syracusanis libertatem.

Menetide porta ingressus compresso tuba tumultu pronunciari iussit, Dionem & Megaclem, qui ad opprimendam tyrannidem aduenerant, Syracusanos cæterosq; Siculos à tyranno liberos esse iubere,

iubere. Cupiens autem ipse quoque alloqui ciues ascendit per Acradinam. Syracusani autem secus viam hinc atque hinc hostias, mensas, & crateras posuerant: & vt quosque præteribat, congerebant in eum flores frugesq́, atque votis eum vt deum compellabant. Erat sub arce & Pentapylis solarium conspicuum atque excelsum Dionysij monumentum. Eò vbi conscendit, concionatus est, ciuesq́ ad vindicandum se in libertatem incitauit. Læti illi & gratulantes ambos prætores cum libera potestate creauerũt, adiunxerunt volentibus & orantibus collegas viginti: quorum pars dimidia fuit ex illis, qui cum Dione redierunt ab exilio. Hic rursus vates, quòd pedibus subiectum haberet Dion concionans donum & monumentum tyranni, pro læto omine duxerunt. Sed quòd horologium esset, in quo consistens prætor fuit designatus, facta eius veriti sunt, ne breuia fortunæ volumina caperent. Hinc captis Epipolis ciues vinctos liberauit, arcemq́ muro circumuallauit. Septimo die decurrit in arcem Dionysius, et Dion plaustra cum armis, quæ apud Synalum reliquerat, accepit. Ea distribuit ciuibus. Cæteri, vt quisque poterat, instruxerunt se, militesq́ se impigros præbuerunt. Dionysius autem tentandi causa misit primùm ad Dionem seorsum legatos. Deinde cùm dixisset ille, vt publicè cum Syracusanis qui liberi erant, agerent: lenia postulata tyranni legati proposuerunt, vectigalium remissionem pollicentis & † militiæ vacationem per bella, quæ ipsi comprobassent. Deriserunt hæc Syracusani. Dion verò respondit legatis: nequid cum Syracusanis Dionysius ageret, nisi deponeret imperium. Id si deposuisset: quibus ei foret opus, & si quid posset ipse preterea, quod æquum foret, memorem se propinquitatis confecturum. Probauit ea Dionysius, ac legatos denuò misit petens, vt mitterentur in arcem aliquot Syracusani, quibuscum de rebus communibus ageret: partimq́ persuaderet ijs, partim persuaderi sibi pateretur. Missi sunt certi ad eum, quos probauit Dion. Iam magnus rumor ex arce ad Syracusanos deferebatur, abiturum tyrannide Dionysiũ, idq́ sui magis quàm Dionis gratia. Verùm dolus erat & simulatio hæc tyranni, ac fraudulenta in Syracusanos machinatio. Siquidem vinxit ciues, qui fuerant ad ipsum missi, & mercenarios primo diluculo impletos mero immisit magno impetu in murum, quo Syracusani clauserant arcem. Cùm inexpectata fieret oppugnatio, barbariq́ magna ferocitate & strepitu disturbarent murum, atque in Syracusanos incurrerent: nemo consistere ad repellendos hostes sustinuit præter Dionis externos milites. Qui vt primùm senserunt tumultum, accurrerunt ad ferendam opem. Cæterùm ne hi quidem, quemadmodum succurrerent, expediebant neque exaudiebant ob plangorem & discursum fugientium Syracusanorum ipsis permistorum & per ipsos perrumpentium: donec Dion, quando audiebat nemo loquentem, facto volens, quid agendum esset, præcipere: princeps se in barbaros infert, editurque circa eum acris & vehemens pugna: quòd non secus ab hostibus quàm ab amicis cognosceretur. Omnes enim sublato clamore impressionem in eum dedere. Erat ob ætatem iam grauior quàm pro talibus certaminibus Dion. sed dum virtute & animo inferentes se subsistit & obtruncat, hasta vulneratur in manu. Aduersus cætera tela & ictus, qui cominus fuerunt inflicti, restitit ægre lorica eius crebris iaculis & hastis per clypeum percussa: quibus confractis concidit Dion. Is de medio à militibus ablatus præfecit eis Timonidem. Ipse equo vrbem circumuectus & fugam repressit Syracusanorum, & externos milites, quos Acradinæ pro præsidio ad eam tuendam imposuerat, euocauit: integrosq́ & alacres in barbaros induxit defessos & fatiscentes ad vrgendum cœptum suum. Qui enim sperauerant prima irruptione vrbem totam se ex incursu occupaturos: vbi inde incurrerunt præter expectationem in milites impigros & bellicosos, pedem retulerunt ad arcem. Quos inclinatos cùm vrgerent acriùs Græci, fugati atque intra muros suos sunt redacti. Occiderunt ex Dionis militibus LXXIIII. de suis magnum numerum desiderauere. Cuius causa victoriæ, quæ extitit insignis, Syracusani donauerũt externos milites centum minis, illi Dionem aurea corona. Iam caduceatores ab Dionysio aderant cum epistolis, quas ad Dionem scripserant fœminæ propinquæ. Vna inscriptionem foris habebat, Patri ab Hipparino. Id nomen fuit Dionis filio, licet Aretæum illum dicat Timæus ex matris nomine nuncupatum. verùm in his Timonidi sanè meo iudicio, qui amicus Dionis & commilito fuit, est credendum. Cæteræ apud Syracusanos recitatæ epistolæ sunt: quæ multas obsecrationes preces'que continebant mulierum. Illam verò, quam filij apparebat esse, non permittentibus solui publicè Syracusanis Dion inuitis illis soluit. Dionysij erat, verbis quidem Dionem, sed re Syracusanos alloquentis. Habebat illa quidem

Vatum prædictiones.

Dionysij ad Dionem legati.

† Alij legũt, nõ suscepturum se bellum, nisi de eorũ consensu.

Dionis cum Dionysio pugna.

Dionis de Dionysio victoria.

Dionysij in Dionem dolus.

precum & causationis speciem, sed erat ad premendum composita Dionem. Commemorationes complectebatur eorum, quæ pro tyrannide gesisset strenuè, minas aduersus charissima pignora sororem, filium, coniugem, miseras'que admista lamentatione obtestationes: & quod commouit eum maximè, petebat: ne euerteret, sed susciperet tyrannidem: neque infestis ipsi hominibus & præteritarum iniuriarum memoribus restitueret libertatem, verùm acciperet ipse dominatum, præstaret'que amicis & necessarijs securitatem. His recitatis non subijt, vt par erat Syracusanis infractum animum & celsum obstupescere Dionis: qui pro honesto & virtute renitebatur aduersus eiuscemodi necessitudines, sed suspicionis & formidinis inde sumentes exordium, quasi arctis vinculis ille constringeretur ad parcendum tyranno, verterunt se iam ad alios duces, ac potissimùm nunciato aduenire Heraclidem gestiere. Erat inter exules Heraclides scientiæ militaris peritus, atque ex præfectura, quam sub tyrannis habuerat, celebris: verùm consilio instabili atque ad omnia mobili, minimè verò in imperij & honoris societate firmus. Hic in Peloponneso à Dione dissentiens propria classe statuit mouere in tyrannum. Qui vbi Syracusas septem triremibus & nauigijs tribus appulit, Dionysium offendit iterum circumuallatum & sublatos animis Syracusanos. Mox igitur captauit multitudinis gratiam. qui cùm natura vim haberet pellicendi & mulcendi quærentem blandimenta plebem: extemplò subijt traduxit'que ad se eos, qui Dionis vt grauem & minimè popularem auersabantur maiestatem, malebant'que se ob licentiam & ferociam ex victoria assumptam concionatorum agi obsequijs, vt fieri solet in populis liberis, ante quàm liber esset. Ac primùm ad concionem vltrò concurrentes designauerunt Heraclidem nauarchum. At postquàm superueniens Dion datam illi præfecturam conquestus est prioris sibi datæ esse ademptionem: Neque enim liberum sibi imperium manere, si alius classi præesset: inuiti Syracusani abrogauerunt rursus Heraclidi imperium. Inde accersiuit illum Dion ad se domum, ac modicè cum eo expostulauit: quòd non rectè neque ordine de gloria secum articulo momentum quærente ad perniciem exiguum moueret dissidium. Tum aduocata ipse concione nauarchum creauit Heraclidem: corporis'que custodes, induxit ciues, vt illi darent, sicut ipse habebat. Ille verbis Dionem & in speciem obseruans gratias'que profitens ei agere, demissus comitabatur eum & imperata exequebatur: occultè verò multitudinem & nouatores labefaciens solicitans'que implicauit tumultibus Dionem ac reddidit semel perplexum. Nam siue Dionysium fide publica censeret ex arce dimittendum, erat in obtrectatione parcere & eripere illum: siue offendere vitans populum in obsidione persisteret, alere videbatur, quò imperaret diutius atque in terrore teneret ciues, bellum. Erat Sosis quidam homo improbitate & audacia apud Syracusanos clarus, cumulum arbitrans libertatis eatenus laxari licentiam linguæ. Hic dum Dioni parat insidias, primùm in concione surgens multa probra ingessit Syracusanis, qui non intelligerent vecordi se & vinolenta explicatos tyrannide vigilantem & sobrium dominum accepisse. Inde cùm ita se hostem ex professo declarasset Dioni, in præsenti ex foro digressus est. Postridie currens per vrbem conspectus est nudus, capite & facie cruore fœdatis, quasi aliquos profugeret consectantes. Tali specie in forum se conijciens ab externis militibus Dionis docuit insidias sibi structas, & caput suum saucium ostendit. Multi vicem eius dolebant & coorìebantur in Dionem, frementes eum rem indignam & tyrannicam agere, qui cædibus & periculis extorqueret ciuibus liberam vocem. Quanquam autem confusa erat & turbulenta concio, perrexit eò tamen Dion ad se purgandum, Sosim'que demonstrauit vnius Dionysij satellitum esse fratrem, atque per eum impulsum, vt solicitaret & concitaret ciuitatem: quòd nulla nisi in ipsorum aduersus se diffidentia & dissensione mutua Dionysio reliqua salus esset. Simul medici Sosidis vulnus inspicientes, in summo offenderunt potius quàm vi altiùs adactum. quippe inflicta gladio vulnera semper sunt in medio profundiora: at Sosidis erat vndequaque exile vulnus, & multa habebat initia: quòd per dolorem, vt est verisimile, remisisset plagam, mox iterum repetisset. Iam aderant quidam illius familiares. Hi nouaculam in concionem attulerunt, exposuerunt'que in via ipsis Sosim sanguinolentum occurrisse, ac refugere se iactantem Dionis mercenarios milites, à quibus modò esset percussus. Igitur confestim insecutos se neminem deprehendisse, sed repositam sub cauo saxo, vnde pergentem illum viderant, animaduertisse nouaculam. Iam malo loco res erant Sosidis. Vt verò hisce indicijs accesserunt serui illius testimonio

Heraclides redit Syracusas.

Heraclidem designant Syracusani nauarchũ, Dione contempto.

Dioni insidiatur Sosis vir improbissimus.

Dion Sosidis in se accusationem diluit.

monio eum prementes, multa nocte nouaculam tenentem egressum solum fuisse: abscesserunt accusatores Dionis. Populus Sosim rei capitalis damnauit, & Dioni est placatus: Mercenarios milites nihilo tamen minus habuerunt suspectos, præsertim quòd certamina pleraque aduersus tyrannum iam mari fierent: maximè vbi cum magna classe Philistus ex Iapygia suppetias Dionysio venit: & externorum illorum, qui pedites erant, nullus vltra ad bellum illud vsus esse videbatur: imo verò illi quoque in sua forent tutela, qui nautici essent, & plus pollerent ex nauibus. Multò maiores animos secunda quædam fortuna dedit eis ex pugna nauali, qua victo Philisto immaniter & barbarè cum eo egerunt. Ephorus quidem ait, dum nauis eius capitur, sibimet ipsum manus intulisse. Timonides verò, qui hisce rebus cum Dione interfuit ab initio, scribens ad Speusippum philosophum tradit Philistum impacta in terram naui viuum in potestatem venisse: ac primùm exuisse Syracusanos eum thorace, denudato'que illusisse iam seni, inde caput dempsisse, & corpus pueris tradidisse, vt per Acradinam traherent id & præcipitarent in Latomias. Plus etiam insultans Timæus eius calamitati ex claudo pede ait pueros Philisti cadauer religatum per vrbem rapuisse irridentibus ijs, qui contemplabantur crure trahi ab Syracusanis eum: qui non debere dixerat ex tyrannide Dionysium citato fugere equo, sed crure raptum. Quamuis Philistus id vt ab alio dictum non ab se ad Dionysium vulgauerit. Verùm Timæus non iniusta oblata occasione Philisti in tyrannidem studio & fide, maledictis animo suo satisfacit. Qua in re tunc læsis danda venia sit, quòd vsque ad crudelitatem in exanime corpus prorupe-rint exercendam. At ab inferioribus harum rerum scriptoribus, quos nunquàm ille in vita offendit, & qui ex eloquentia eius capiunt fructum, postulat existimatio ipsorum, ne per contumeliam & procacitatem improperent ei calamitates, in quas etiam optimus quisque facilè incidat ex fortuna. Nec verò satis sobrius Ephorus est, qui Philistum celebrat. Qui licet optimè calleat turpes res & improbos mores honestis exornare coloribus, atque ad id orationes inuenire decoras: non valet illum tamen, cùm omnem lapidem moueat, eo explicare crimine, quin omnium hominum studiosissimus fuerit tyrannorum, & præter omnes semper secutus sit atque admiratus luxuriam, potentiam, opes, & nuptias tyrannorum. Sed enim qui Philisti neque facta laudet neque exprobret fortunas, hic veram rationem tenet historici. Post Philisti necem misit ad Dionem Dionysius tradere se velle ei arcem, arma, & mercenarios milites cum integro horum in menses quinque stipendio. Sibi verò postulauit, vt abire in Italiam fide publica, atque ibi habitare, & retinere liceret in agro Syracusano fructum latam & fructuosam regionem, quam Gyata vocant, à mari pertingentem ad mediterranea. Quas conditiones cùm non acciperet Dion, sed reijceret eum ad Syracusanos, vt eos oraret: Syracusani, qui viuum Dionysium se sperabant capturos, reiecerunt legatos. Ita ille arce Apollocrati maiori filio tradita ventum secundum captauit, capitibus'que & rebus charissimis in naues impositis nauarchum fallens Heraclide abnauigauit. Qui cùm malè audiret & tumultu ciuium premeretur, Hipponem quendam summisit concionatorem, qui ageret ad populum de agri partitione: quòd libertatis æqualitas caput esset & seruitutis paupertas inopibus. Huic patrocinans & apud plebem Dioni inuidiam conflans repugnanti, suasit populo Syracusano: vt eam rogationem scisceret, vt'que stipendio fraudaret externum militem, atque morositate excussa Dionis alios crearet prætores. Populus autem ex tyrannide quasi longo morbo protinùs conatus attollere se & agere intempestiuè more liberorum populorum, cùm ipse euertit res suas, tum oderat Dionem: qui instar medici in exquisita & frugali victus ratione continere intendebat ciuitatem. Concionem ad nouos subrogandos magistratus habentibus media æstate enormia tonitrua & tetra monstra oblata sunt, quæ dies perpetuos quindecim auerterunt populum & religione prohibuerunt alios prætores creare. Cùm inde obseruata stabili serenitate peragerent concionatores comitia: bos domitus non insolens neque insuetus multitudinis, sed fortè tunc in rectorem irritatus iugum reliquit, concitato'que cursu contendit ad theatrum, populum'que ilicò excitauit atque effusè fugientem disiecit: inde in aliam ciuitatis partem, quantam pòst occupauerunt hostes, petulcus & euertens in quæ incidebat, incurrit. At nulla tamen horum habita Syracusani ratione viginti quinque prætores creauerunt, in quibus fuit Heraclides. Mercenarios clàm per internuncios ad deficiendum à Dione sollicitauerunt, atque ad se conati sunt

Sosis damnatur.

Philisti cædes.

Timæus & Ephorus historici notantur.

Dionysius profugit Syracusis.

Dion seditione Syracusanorum obruitur.

Prodigia Syracusis.

Diō excedit Syracusis.

trahere promissa eis ciuitate. Quibus illi reiectis fideliter & alacriter Dionem in medio cum armis suis accipientes stipantesq; eduxerunt vrbe. Neq; violauerunt quemquam, sed ingratitudinem improbitatemq; obiectarunt obuijs. Illi paucitatem eorum, & quòd non fuissent adorti se priores, contemnentes, & quòd multò ipsi essent quàm hi plures, irruerunt in eos, facilè rati intra mœnia se oppressuros eos atque omnes contrucidaturos. Eo necessitatis & fortunæ Dion deductus, vt aut dimicandum ei cum ciuibus, aut cum mercenarijs esset occumbendum: multum obtestatus est Syracusanos manus ad eos tendens arcem'q; refertam monstrans hostibus: qui ex edito supra muros contemplabantur, quæ gererentur.

Syracusanorū ignauia.

Vbi multitudinis impetus nulla re valuit leniri, sed tenuit sicut in pelago concionatorum ventus ciuitatem: impressione imperauit mercenarijs vt abstinerent. At vbi hi tantùm cum clamore incurrerunt armisq; concrepuerunt, nemo Syracusanorum constitit: sed per vias ruerunt insequente nemine in fugam. Siquidem reuocauit actutùm Dion mercenarios, mouitq; in Leontinos. Syracusanorum verò prætores à fœminis derisi, quò maculam illam eluerent, armatis denuò ciuibus insecuti sunt Dionem, eum'que in fluminis cuiusdam transmissu occupauerunt, & aduecti sunt pugnam lacessentes. Verùm vt conspexerunt non iam placidè cum neque paterna lenitate insolentiam suam ferentem, verùm infestum mercenarios in se vertentem aciem'q; instruentem: turpius quàm antè tergis datis in vrbem se non multis desideratis recepere.

Dionem recipiunt Leontini.

Dionem Leontini eximijs exceperunt honoribus, mercenariosq; stipendijs & ciuitate donauere. Adhæc ad Syracusanos miserunt legatos postulatum, vt satisfacerent mercenarijs. At illi certos legauerunt ad accusandum Dionem. Conuentu Leontinis habito omnium sociorum, ac re apud eos disceptata, Syracusani visi sunt in culpa esse: cæterùm iudicato ab socijs non steterunt insolentes iam & feroces ex eo, quòd nemini essent dicto audientes, sed ancillantibus vterentur & populum formidantibus prætoribus. Hinc inuectæ sunt in vrbem missæ ab Dionysio naues cum Nypsio Neopolitano, qui annonam & stipendium supportabat obsessis. Commisso prælio nauali victoria penes Syracusanos fuit, ceperuntq; quatuor de tyrannicis nauibus.

Syracusanorū socordia & afflictio.

Illi victoria vtentes insolenter, & ex licentia lætitiam in pocula & insana conuiuia vertentes adeò fuerunt rerum suarum incuriosi: vt cùm arcem iam in potestate sua ducerent esse, amiserint insuper vrbem. Nypsius enim nullam videns sanam vrbis partem, sed tibiarum cantu poculis'que noctem die continuantes, atque tempestiuis hisce conuiuijs prætores applaudentes dubitantes'que vim adhibere vino grauatis hominibus: optimè vsus tempore obiectum murum est adortus. Quo expugnato & diruto immisit barbaros in vrbem præcepit'que, agerent cum obuijs, sicut possent & vellent. Senserunt protinus Syracusani malum, sed cunctanter perculsi & ignauiter succurrerunt. Vastatio enim illa erat ciuitatis: cùm cæderentur viri, muri proruerentur, mulieres & pueri cum eiulatu in arcem raperentur, prætores haberent res pro deploratis: qui vti ciuibus contra hostes vbique cum ijs confusos & commistos non valebant. Cùm in hoc statu res vrbanæ essent & peruenisset ad Acradinam periculum: in quo vno spem reponere reliquam liceret, omnes quidem intelligebant, sed proponebat ingratitudinis rubore & temeritatis in Dionem admissæ nemo. Verùm necessitate tandem exprimente vocem miserunt socij & equites: vt vocaretur Dion, & Peloponnesij ex Leontinis accirentur. Quod vt primùm est auditum, eùm id proferre aliqui sustinuissent: clamor, gratulatio & lachrymæ Syracusanos occupauerunt votum facientes, vt appareret ille, & desiderantes conspectum eius, memores'que eius in periculis virtutis & alacritatis, non ipsum modò esse solere imperterritum, verùm sibi quoque animum addere & fiduciam cum hostibus confligendi.

Syracusani reuocāt Dionem.

Legant igitur extemplò ad eum ex socijs Archonidem & Thelesidem, ex equitibus quinque cum Hellanico. Hi via effusis habenis percursa in Leontinos præcipiti iam in vesperum die peruenere. Desilientes ex equis, atque ad Dionis pedes se primùm lachrymabundi abijcientes, cladem exposuerunt ei Syracusanorum. Iam etiam Leontini aliqui accurrebant, & Peloponnesij ad Dionem frequentes conueniebant, ex festinatione & precibus legatorum aliquid esse noui conijcientes. Igitur duxit eos confestim ad concionem, omnibus'que citò concurrentibus ingressi Archonides & Hellanicus cum suis succinctè magnitudinem cladis explicuerunt, orauerunt'que mercenarios milites, vt Syracusanis opem ferrent offensione deposita: quòd maiores pœnas luissent, quàm ipsi repetere læsi voluissent. Vbi dicendi finem fecere, totum theatrum erat silentio defixum. Surgenti Dioni & di-

cere

cere exorso vis oborta lachrymarum inclusit vocem. At mercenarij, quamvis illius dolore premerentur, confirmauerunt eum. Vt igitur paululum se ex animi dolore Dion collegit: Vos ego, inquit, Peloponnesij & socij huc ad deliberandum de vobis conuocaui. Me quidem consulere de memetipso non decet pereuntibus Syracusanis. Sed si seruare eos nequeam, abibo vt in patriæ rogo & ruina sepeliar. Vos si etiam nunc inconsultissimis nobis & miserrimis statuistis subuenire, opus vestrum vrbem Syracusanam erigite. Si verò Syracusanis infesti negligitis eos: deos certè precor, vt pristinæ virtuti & studio ergà me vestro dignam referant gratiam Dionis memoriam retinentibus: quòd neq; vos pridem violatos, nec modò afflictos reliquerit ciues. Nondum finierat orationem, cùm mercenarij sublato clamore exilierunt hortantes, duceret se ilicò & suppetias ferret. Quos Syracusanorum legati complexi & osculati sunt, multa illi, multa externo militi à dijs fausta precantes. Sedato tumultu edixit Dion, vt abirent, instruerent se, ac cœnati illum ipsum in locum cum armis adessent, in animo habens nocte cum auxilio venire. At Syracusis cùm milites Dionysij vsque ad lucem magna calamitate affecissent vrbem, ac sub tenebras paucis de suis desideratis in arcem se recepissent: Syracusanorum concionatores recepto animo sperantes perpetratis hostes acquieturos, ciues ex integro incitauerunt, vt omitterent Dionem. Quòd si cum mercenarijs accederet: ne reciperent eum, neq; illis virtute vt præstantioribus concederent, verùm vrbem libertatemq; tuerentur per se ipsi. Mittuntur igitur legati denuò ad Dionem à prætoribus ad deterrendum eum, ne veniat: ab equitibus & nobilibus ciuibus, vt maturet iter. Qua de causa lentè simul & segniter progrediebatur. Nocte adulta æmuli Dionis portas occupant ad eum excludendum. Nypsius verò iterum mercenarijs militibus ex arce multò iam erectioribus & pluribus immissis loricam muri protinus omnẽ disturbat, vrbemq; euastat & diripit. Cædes fit non virorum iam tantùm, sed mulierum quoq; & puerorum: prædatio non multa, sed exitium omnium ingẽs. Nam deploratis rebus cùm Syracusanos prosequeretur Dionysius atroci odio, ruentem tyrannidem intendit in ruinis vrbis funerare. Milites autem auxilia anticipantes Dionis ad perniciosissimam omniũ per ignem perniciem & excidium accingunt se. In propinqua tædas & faces manibus ingerunt, in remota tela ignita arcubus mittunt. Syracusani in fugam cõsternati, qui deprehenduntur in vijs, cæduntur: qui in tecta abdunt se, expelluntur rursus ab igni, multis iam conflagrantibus ædificijs atq; in discurrentes prolabentibus. Hæc ærumna potissimùm vrbem omnium consensu patefecit Dioni. Siquidem non vltrà incitato gradu pergebat, postquàm conclusos in arcem hostes accepit. Die progrediente occurrerunt primi ei equites alteram impressionem adserentes. Mox ex inimicis nõnulli adfuerunt, vt maturaret orantes. Gliscente vehementiùs malo misit Heraclides fratrem suũ, inde patruum Theodotem obsecratum, vt ferret opem: Neminem significans hostibus resistere, se vulneratum, vrbem tantùm non excisam & incendio haustam. His nuncijs sibi incussis aberat Dion adhuc à portis sexaginta stadia, demonstratoq; periculo mercenarios cohortatus non iam sedato gradu, sed cursu rapuit ad vrbem exercitum, alijs'que atq; alijs subinde occurrentibus & vt adderent gradum rogantibus. Vsus mirifica mercenariorum velocitate & promptitudine per portam in Hecatompedon, quam vocant, ingressus est. Leuem armaturam immisit confestim in hostes, quò spectantibus ipsos Syracusanis animos facerent. Interea grauem armaturam affluentesq; ciues & sibi aggregatos instruxit in aciem, profundos manipulos produxit, & diuersos pręfecit duces, quò simul multis locis incurreret terribilior. Quibus perfectis vbi precatum deos & per vrbem conspexerunt ducentem in hostes: clamor, gratulatio, & fremitus cum votis simul & adhortationibus cõfusus à Syracusanis editus est, Dionem seruatorem & deum appellãtibus, mercenarios fratres & ciues. Nemo sese illo articulo adeò respiciebat, aut vitæ cupidus erat: qui non impensius de vno Dione, quàm de alijs omnibus anxius videretur: cùm princeps ad discrimen per sanguinem, per flammam, per cadauerum aceruos in vijs iacentium pergeret. Erãt verò etiam ab hostibus omnia horrenda efferatis & in acie stantibus apud murũ, quo difficilis erat & arduus aditus. Iam periculũ ab incendio mercenarios vehementius terrebat, ac salebrosum faciebat progressum. quippe flãma ædificia depascente vndiq; erãt cincti: ignitisq; ingrediẽtes ruderibus, & per stragem magnam tectorũ parietumq; ingenti cum discrimine currẽtes densumq; & cum summo cõiunctũ penetrantes puluerẽ enitebãtur retinere neq; dissipare ordines. Vt ad hostem ventũ est: propter loci angustias & iniquitatẽ pauci cum paucis manus cõseruere. Cæte-

Dionis ad milites oratio de auxilio ferendo Syracusanis.

Syracusanorũ inconstantia.

Syracusæ incenduntur.

Hecatompedõ, regio Syracusis.

Dionis in vrbe Syracusanis pugna.

Nypsius à Dione in arcē compulsus.

Cæterùm clamore & alacritate excitantibus pugnantes Syracusanis pulsus est Nypsius, ac plerique milites eius in propinquam refugientes arcem euaserunt, relictos foris & palantes mercenarij insecuti occiderunt. Fructum autem in præsentia victoriæ gratulationem'que & complexus tali facto conuenientes non permisit tempus capere, conuertentibus se ad ædificia Syracusanis, atque ignem ægrè per totam noctem extinguentibus. Vbi diluxit, nemo concionatorum remansit in vrbe, sed damnantes semet ipsi fugæ consuluerunt. Heraclides & Theodotes vltrò dediderunt sese Dioni, culpam fatentes, orantes'que eum, vt benigniorem in ipsos præberet se, quàm in se fuissent ipsi. Decere Dionem virtute omni alia præditum incomparabili, iræ quoque imperare aduersus ingratos: qui de qua antè cum eo contendebant, nunc vinci se virtute fateantur. Hæc illis precantibus monuerunt amici Dionem, ne improbis & malignis hominibus parceret, sed Heraclidem permitteret militibus, atque è republ. ambitionem popularem extirparet morbum tyrannide non minus vesanum. Quos placans Dion demonstrauit cæteros duces plurimum ponere meditationis in armis & bello, se verò longo tempore in Academia iram commentatum inuidiam'que & æmulationem omnem vincere. Eius esse documentum non in amicos & bonos moderationem, verùm si iniuriam inferentibus placabilis & in peccantes sis lenis. Heraclidem velle se non tam opibus & prudentia, quàm clementia & iustitia superare videri. Quippe veram in his esse præcellentiam: victorias bellicas etsi neminem mortalium, fortunam certè, quæ partem earum vendicet, habere. Quòd si infidus Heraclides & ex liuore improbus sit: ideo'ne Dionem oportere ira virtutem labefacere? Nam repetere pœnas, quàm priorem inferre iniuriam lege iustiùs definiri, cùm natura ab imbecillitate proficiscatur eadem. Hominis improbitatem, quamvis aspera sit, non vsqueadeò feram tamen omnino esse & morosam, quin frequentibus beneficijs sese inuertat superatam. His vsus rationibus Dion Heraclidem & Theodotem missos fecit. Inde ad reficiendum arci obiectum murum conuersus Syracusanis imperat singulis vallum cædere & prope murum proijcere. Requiescentibus Syracusanis admouens nocte mercenarios clàm arcem circumuallauit. Itaque celeritatem & opus postridiè spectantes iuxtà ciues atque hostes mirati sunt. Humatis qui ceciderant Syracusanis, redemptis'que captiuis non minus duobus millibus aduocauit concionem. Ibi procedens Heraclides promulgationem tulit, vt Dionem imperatorem terra mari'que cum libera potestate crearent. Comprobantibus optimatibus & suffragia ciues inire iubentibus fremuit colluuies nautica & artificum classis præfecturam ægrè ferens adimi Heraclidi: quem existimabant etsi aliàs improbum, magis quàm Dionem popularem tamen & multitudini obnoxium. Concessit hoc eis Dion, imperiumque mari reddidit Heraclidi. At dum ad agri & ædificiorum partitionem incumbentibus reluctatur, & plebiscita de his priora antiquat: offendit eos. Inde mox aliud initium Heraclides capiens milites & nautas, qui nauigauerant secum in expeditionem, Messanę desidens subijt, atque in Dionem affectare dictitans eum tyrannidem concitauit. Interim cum Dionysio clàm de fœdere interprete Pharace Spartiate agebat. Quod cùm nobilissimi Syracusani odorarentur, seditio exorta in exercitu est, atque ex ea fames Syracusis cōmeatusque angustiæ: vt inops cōsilij Dion esset, & malè audiret apud amicos: quòd hominem adeò intractabilem, inuidia'que & improbitate peruersum aduersus se euexisset Heraclidem. Porrò Pharace apud Neapolim in agro Agrigentino statiua habente eduxit Syracusanos Dion ea mente, vt alia opportunitate signa cum eo conferret. Verùm obtrectantibus Heraclide et nautis nolle prelio decernere Dionem, sed bellum ducere, quò semper esset cum imperio: cùm inuitus contulisset signa, fusus est. Quia verò haud magnam cladem acceperat, sed magis ab semetipsis & seditione fuerāt dissipati: accingebat se Dion ex integro ad pugnam, componebatque milites mulcens & confirmans eos. Verùm primis tenebris defertur ad eum soluisse Heraclidem & classe Syracusas petere eo animo, vt vrbem occupet, ipsum'que cum exercitu excludat. Itaque trahens secum principes & impigerrimos per totam noctem equo aduolauit ad vrbem, ac circa horam diei tertiam portam tenuit stadia septingenta emensus. Heraclides vt magna properatione vsus, tempore tamen est exclusus, reduxit classem, vagansque nullo certo in rebus gerendis cōsilio incidit in Gesylum Spartiatem: qui Lacedæmone ferebat se, vt imperator Siculorum vt antè Gylippus, esset, venisse: hunc lubens recepit, eumque pro amuleto contra Dionē appendēs socijs ostētauit, ac misso Syracusas caduceatore monuit ciues, vt Laconem

Dionis in aduersarios clemētia: & Academiæ vtilitas.

Aliorum improbitate fieri deterior debet nemo.

Syracusanorū peruersitas erga Dionem.

Heraclides concitat iterum ciues in Dionem.

Pharaces Dionis aduersarius.

Gesylus Spartiates petit ducatū Syracusis.

nem ducem acciperent. Cùm respondisset Dion satis imperatorum Syracusanis esse. Quòd si prorsus res Spartiatem requireret, esse asscriptitium se Spartiatem: Gesylus spe ducatus deposita profectus ad Dionem tamen reconciliauit eum Heraclidi conceptis verbis sanctißimè iurato, adiurauitque Gesylus vindicem se Dioni & Heraclidis, si falleret ille fidem, fore vltorem.

Dionem & Heraclidem reconciliat Gesylus.

Hinc classem Syracusani dimittunt. quippe nullum erat eius operæpretium, tantùm erant ex ea magni in socios nauales sumptus & seditionis ansæ ducibus. Arcem obsederunt absoluto muro, quo eam circumvallauerũt. Cùm obsessis nemo succurreret, commeatus deficeret, mercenarij gererent se peruersè: deploratis rebus filius Dionysij fœdus cum Dione pactus arcem ei cum armis & reliquo instrumento tradidit.

Dioni traditur arx Syracusana

Inde matre sororibusque acceptis & tribus completis triremibus nauigauit ad patrem: cui Dion securum exitum dedit. Illo spectaculo fraudari nemo Syracusis voluit, & absentes quoque inclamauerunt: quòd illum diem & solem liberis exorientem Syracusis non intuerentur. Quando enim nunc etiam ex fortunæ exemplis memorabilibus clarißimum est & maximum Dionysij fuga: quantam existimandum est illorum ipsorum gratulationem fuisse, quantosque animos eorum, qui omnis ætatis maximam tenuißimis subsidijs tyrannidem euertere. Cùm soluisset Apollocrates, & pergeret Dion in arcem: non continuerunt se mulieres, neque expectauerunt, dum esset ingressus: sed effuderunt se ad ianuam. Aristomache filium ducebat Dionis. Arete pone sequebatur eam flens & incerta: quemadmodum virum, quòd consuetudo ei intercesißet cum altero, salutaret & appellaret. Primam cùm ille sororem salutasset, deinde filium: Aristomache admouens Areten: Miseræ, inquit, exule te Dion fuimus. Redux verò & victor omnibus nobis mœstitiam detraxisti extraquàm vni huic, quam aspexi ego misera viuo te alteri viro coactam nupsisse. Quando igitur arbitrium tibi fortuna nostri dedit, quomodo dispensas ei illam necesßitatem, vt auunculum'ne te, an etiam vt virum salutet? Dum ea fatur Aristomache profusis Dion lachrymis excepit vxorem indulgenter, traditoque ei filio iussit ei domum suam concedere, vbi ipse quoque agebat.

Dion vxorem recipit, quæ nupserat alteri.

Nam arcem permisit Syracusanis. Hoc rerum successu nullum antè ex præsenti felicitate capere fructum voluit, quàm gratiam amicis, socijs præmia, præcipuè familiaribus ciuibus & externis militibus esset munificentiam & honorem impertitus, magnificentia excedens facultates suas: cùm tenuiter & frugaliter sese vulgari toleraret cultu. Vnde erat in admiratione: quòd cùm non Sicilia modò & Carthago, verùm vniuersa quoque Græcia oculos intentos haberet in eius felicitatem, neque quicquam illius ætatis homines adeò arbitrarentur magnum, neque virtus & fortuna in alio duce videretur illustrior fuisse: in tantum se vestitu & famulitio & mensa moderatum præberet, vt si cum Platone ageret in Academia, non cum mercenario milite & ducibus eorum viueret: qui crapulam & delicias quotidianas pro laborum & periculorum habent solatijs.

Dionis modestia, & frugalitas.

Verùm scripsit ei Plato in vnum omnes mortales ipsum oculos conijcere. Ille verò ipse meo iudicio in vnius locum vrbis erat versus Academiam: cuius loci spectatores & iudices nõ factum, non audaciam sciebat, non denique victoriam suspicere vllam: verùm solum, an modestè & moderatè vteretur fortuna, & magnis in rebus præberet se temperantẽ, speculari. De seueritate tamẽ in congreßibus & de rigore aduersus populũ nihil enitebatur detrahere vel relaxare: quamvis res eius ciuilitatem requirerent, & reprehenderet eum, vt diximus, Plato, scriberetque ei solitudinis peruicaciã contubernalem esse. Sed naturâ videtur abhorruisse à comitate, ac Syracusanos intendere nimiùm solutos & delicatos laborasse. Quippe imminebat ei denuò Heraclides. qui ad cõsilium vocatus recusauit venire, priuatum se esse ferens & in cœtu aliorum ciuium venturũ ad concionem. Inde criminatus est Dionem, quòd non esset demolitus arcem, & populo Dionysij cõditorium dißipare & proijcere reliquias, cùm id pararet, non permisisset: adhęc euocaret consiliarios Corintho, collegas dedignãs ciues.

Heraclides insidiatur rursus Dioni.

Et reuerà accersiuerat Corinthios Dion, quam in mente habebat, faciliùs illis præsentibus constituturum se reipubl. formam sperans. Meditabatur autem effusam populi potestatem, quòd ea non resp. sed rerumpubl. esset, vt ait Plato, nundinæ: coërcere, & Laconicam quãdam Creticamque mistam formam ex populari arbitrio & regno, in qua optimatum ius esset, hi'que præsiderent & maxima quæque dispensarent, temperare & concinnare: cùm Corinthios quoque rempub. cerneret per optimates procurare, nec multa negocia tractare apud populum.

Dion accersit Corinthios ad constituendam remp. Syracusis

Populi potestas, nundinæ Platoni.

Cùm igitur hanc rem imprimis impugnaturum expectaret Heraclidem: qui aliàs inquietus, temporarius, & seditiosus erat: quos iamdudum cupientes eum interficere represserat, his

Corinthiorum resp.

tunc

[Heraclidis cædes.] tunc conniuit: qui in domum illius irrumpentes obtruncauerũt eum. Tulit grauiter huius mortem populus. Cùm splendidas exequias tamen ei Dion parasset, & comitante exercitu funus esset prosecutus, concionemq́ habuisset: intellexerunt motus ciuiles Heraclide & Dione vnà rempubl. gerentibus sedari nullo modo posse. *[Callippus cõspirat in Dionem.]* Erat Dioni amicus quidam Atheniensis Callippus: quem non literarum commendatione ait Plato, sed initiationibus & circulatoria consuetudine notum ei & familiarem fuisse. Hic eum ad bellum secutus honestum ordinem habebat, atque ingressus cum eo Syracusas est primus amicorum omnium coronatus, præbueratq́ se strenuum & insignem bellatorem. Qui cùm amicis Dionis primarijs & optimis bello absumptis sublatoq́ Heraclide populum Syracusanum cerneret duce orbum, & Dionis milites sui cupidos: homo sceleratissimus, qui prorsus Siciliam interfecti hospitis habiturum se sperabat præmium: & vt aliqui commemorant, insuper viginti talẽta cædis acceperat ab hostibus mercedem: nonnullos mercenarios milites solicitauit & subornauit in Dionem, atque hoc improbissimum callidissimumq́ exordium fecit. Deferebat quotidiè militum quasdam apud ipsum voces aut verè emissas aut confictas ab se. Qua re ob habitam ei fidem tantum homini permissum, vt quibuscum vellet clàm congrederetur, & in colloquio detraheret Dioni ipsius iussu, ne vllus lateret maleuolorum & infensorum. Hinc accidit, vt breui improbos & ægros extricaret Callippus conglobaretq́: vbi verò quis solicitatũ se Dioni renunciaret, ne commoueretur ille neque offenderetur, quasi exequeretur iussa eius Callippus. *[Spectrũ Dioni oblatum.]* Dum coniuratio coitur, spectrum est Dioni immane & monstrificum oblatum. Sedebat fortè diei sero domi in porticu cogitabundus. Ibi strepitu repentè facto respiciens clara adhuc luce ad alteram porticus partem conspexit grandem mulierem cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ verrebat scopis domum. Ille vehementer perculsus & trepidans acciuit amicos, visumq́ ijs narrauit atque orauit, apud se vt permanerent & pernoctarent: quòd planè extorpesceret timens, ne si solum reliquissent, iterum sibi obuersaretur monstrum. *[Filij Dionis calamitosa mors.]* Cæterùm id non est reuersum: sed filius eius ferè adultus per dolorem aliquem animi & iram ex parua & puerili ortam occasione de fastigio domus præcipitauit se in caput & interijt. Hac icto calamitate Dione vrsit magis ac magis insidias Callippus, rumoremq́ dissipauit inter Syracusanos orbum iam liberis Dionem Dionysij filium Apollocratem, qui fratris vxoris suæ filius & nepos sororis esset, accire & facere statuisse successorem. Iam Dioni quoque & fœminis oblata suspicio insidiarum erat, atque hæ omni ex parte detegebantur. Verùm Dion, vt ego arbitror, Heraclidis nece dolens, eamq́ vt aliquam vitæ & rebus suis gestis aspersam labem ægrè ac molestè ferens demonstrauit cupere sæpius iam se subire mortem, iugulumque cuivis præbere: ita si viuendum foret sibi, vt non tantùm ab inimicis, sed etiam cauendum esset ab amicis. Porrò mulieres aduertens Callippus acriter rem perscrutari, territusq́ adijt eas inficians rem lachrymansq́, & quam vellent cunque fidem offerens dare. *[Magnum iuramentum Syracusis.]* Illæ postulauerunt, vt magnum iuramentum perageret. Id est huiuscemodi: Qui fidem daturus est, templum Cereris & Proserpinę ingressus sacris quibusdam peractis vestem deæ purpuream induit, sumptaq́ ardenti tæda adiurat. Hæc Callippus cùm omnia egisset, & iuramento factum negasset, vsqueadeò contempsit deas: vt expectato deæ, per *[Proserpinalia.]* quam iuratus fuerat, die festo cædem patraret Proserpinalibus. Atque illum ipsum diem deæ solennem floccifecit fortasse, vt religionem eius prorsus violaturus, si vel alio *[Dionis cædes.]* tempore mystam eius mystagogus iugularet. Cùm essent autem permulti in cõiuratione, & in triclinio sederet Dion cum amicis, pars domum foris cinxerũt, alij ostio ædium & fenestris admouerunt se. Illi, qui manus ei illaturi erant Zacynthij tunicati absque gladijs sunt ad eum ingressi. Simul illi, qui extra stabant, fores attraxerunt, obditasque tenuerunt. Alij Dionem adorti instituerunt eum suffocare & strangulare. Vt nihil profecerunt, gladium postulauerunt. Verùm aperire nemo audebat fores. Multi enim erant intus cum Dione: quorum quisque, si illum proiecisset, seruaturum ratus semetipsum dubitauit ei opem ferre. Interposita mora Lycon Syracusanus porrigit per fenestram vni Zacynthiorum pugionem, quo victimæ modo Dionem oppressum iamdudum & obstupefactum iugulauerunt. Mox sororem eius cum vxore prægnante conieceruntin *[Dionis vxor parit in carcere filium.]* carcerem: contigitq́ vxori eius ærumnosissimæ puerperæ filium edere in carcere, quem educare de cõsensu custodum aggressæ sunt, cùm exagitaretur iam rerum motibus Callippus. Siquidem initiò, cùm Dionem interfecisset, inclytus fuit, & rerum Syracusis potitus est, scripsitq́ id ad ciuitatem Atheniensem: quam tanto admisso piaculo maximè

debue-

debuerat secũdum deos, vereri & tremere. Sed verum videtur illud dictum, eam vrbem viros, qui virtutem sectătur, optimos: & qui vitia, teterrimos ferre: sicut tellus eorum optimum mel & cicutam edit exitiosissimam. Haud diu tamen superstes fuit Callippus fortunæ & deorum suggillatio quasi conniuentium homini tanto flagitio imperium & opes paranti, sed breui dignas pœnas dedit. Nam Catanam cùm contenderet capere, protinus amisit Syracusas. Quo tempore dixisse referunt eum, missa è manibus vrbe se tyrocnestim (culter est, quo inciditur caseus) cepisse. Hinc adortus † Mamertinos maxima militum suorum parte desiderata, in quibus erãt Dionis interfectores: nulloq́; Siciliæ oppido eum recipiẽte, sed infestis & detestantibus omnibus occupauit Rhegium. Ibi egenus & mercenarium militem maligne tolerans à Leptine & Polyperchonte eodem fortè gladio, quo percussum ferunt Dionem, interfectus est. Agnitus gladius modò fuit. Nam breuis sicut Laconici fuit & opificio scitè fabrefactus. Hoc persoluit Callippus supplicium. Aristomachen & Areten, vt ex vinculis liberatæ fuerunt, Syracusanus Icetes, qui ex Dionis amicis fuerat, accepit. Hic eas fouit aliquãdiu fideliter & honestè. verùm à Dionis inimicis inductus, parato eis nauigio quasi eas esset in Peloponnesum amandaturus, præcepit vt in cursu interficerentur atque in pontum projcerentur. Alij viuas adhuc aiunt submersas vnaq́; cum his infantem. Sed & hic pœnas pependit flagitiorum. Quippe captum Timoleon necauit. Insuper duas eius filias Syracusani Dioni parentantes occiderunt: de quibus in vita Timoleontis disseruimus sigillatim.

Callippi punitio.

† Messenios appellat Plutarchus: qui etiam Messaneusas dicti, à Messana vrbe Siciliæ.

Syracusanorum in Dionis posteros crudelitas.

M. Brutus.



. BRVTVS stemma ad Iunium Brutum refert generis autorem, cui prisci Romani in Capitolio mediam inter reges posuere statuam ex ære, quæ strictum tenet ensem: quòd fortissimè regno pepulisset Tarquinios. Cæterùm ille gladiorũ instar, qui candentes frigida extincti sunt, duris præditus naturâ non ex literarum cultura mollibus moribus vsq; in liberorum cædem ira aduersus tyrãnos prouectus est. At hunc, super quo hîc tractamus, qui doctrina & philosophię præceptis mores temperauerat, ingeniumq́; solidum & lene excitauerat negociorum motu, ad virtutem decentissimè comparatum apparet fuisse. Vnde qui ei coniurationis in Cæsarem causa infesti fuere, si quid esset gestum præclarè, asscripserunt Bruto, atrocissima quæq; Casio tulerunt expensa familiari Bruti & amico, haud perinde simplicium tamẽ morum neq; integrorum. Mater eius Seruilia genus repetebat à Seruilio Hala: qui Spurio Manlio tyrannidem moliente ac seditionem concitante pugionem sub ala ferens in forum processit, & propè illi assistens, quasi haberet, quod cum eo ageret & conferret, caput inclinãtem percussit interfecitq́;. Verùm hoc in confesso est. Paternam verò stirpem eius illi, qui ob necem Cæsaris inimicitiam aliquam & odium cum Bruto exercuerunt, negant Tarquinij exactorem contingere. Nullam enim contendunt ab illo, qui filios interfecerat, superstitem sobolem relictam: sed plebeium hunc Bruti dispensatoris fuisse filium, atq; non ita dudum ad magistratus aspirasse. At Posidonius philosophus filios Bruti adultos, vt proditũ est memoriæ, fuisse memorat interfectos: tertium verò relictum infantẽ, à quo genus propagatum. Nonnullos etiam æqualium suorum, qui ex ea gente erant, clarorum virorum repræsentasse facie Bruti statuam. Verùm hactenus de his. Seruiliæ Bruti matris Cato philosophus frater fuit, quem inter Romanos hîc potissimùm auunculum & pòst socerum est æmulatus. A' philosophorum Græcorum nulla secta, vt semel dicam, audienda peregrinus aut alienus fuit: præcipuè verò asseclarum Platonis extitit studiosus. Ac noua & media, quam vocant, Academia parũ probata veterẽ sectatus est: & Antiochum quidẽ Ascolonitem in admiratione habuit perpetuò: fratrẽ verò eius amicum & conuictorem parauit Aristonẽ, eruditionis sanè excellentia multis philosophis inferiorem: at modestia & placiditate comparem vel principibus. Empylus, cuius & ipse in epistolis & eius amici frequentẽ faciunt mentionẽ velut vsi Bruti contubernio, orator fuit. Hic commentariũ reliquit de Cæsaris nece exiguũ, sed non inelegans, quod Brutus est inscriptum. Latinè fuit Brutus ad castrensem & forensem dictionẽ satis exercitatus. Græcè

Bruti genus.

Bruti mores.

Bruti genus maternum.

Bruti genus paternum.

Bruti studia.

Bruti Græcarũ epistolarum genus.

verò cõcisam & Laconicã dicendi breuitatẽ notatus est in epistolis interim captasse. Velut cùm iam bellũ suscepisset, scribit Pergamenis: Dolabellæ audio vos pecuniã dedisse, quã si vltrò dedistis, fateamini nos læsisse: sin inuiti, ostẽdite id sponte nobis dãdo. Rursus Samijs: Consilia vestra secura, munerũ functio segnis, quẽ horũ finẽ expectatis? Et de Patarensibus in alia: Xanthij beneficiũ meũ despiciẽtes desperationis suæ habuerũt patriã sepulchrũ. Patarenses, q se in fidẽ meã contulerunt, nusquã desiderant in administrandis rebus suis libertatẽ. Igitur licet vobis quoq; vel Patarensiũ iudiciũ vel fortunam legere Xanthiorũ. Atq; notarũ genus epistolarũ eius huiuscemodi est.

Brutus Catonẽ secutus in Cyprum.

Adolescens adhuc auunculũ Catonẽ in Cyprũ contra Ptolemæum missum comitatus est. Cùm Ptolemæus mortẽ sibi ipse consciuisset: Cato ipse necessariò Rhodi cõmorans pręmiserat iam amicũ quendã Canidiũ ad pecuniã seruandã. Quẽ veritus nõ temperatas habiturũ manus scripsit Bruto, vt quãprimùm ex Pamphilia nauigaret in Cyprũ. Illic enim colligendi sui ex imbecillitate gratia agebat. Quã profectionẽ suscepit perinuitus tum Canidij verecũdia vt ignominiosè à Catone abiecti, tum prorsus eiuscemodi actũ & procurationem vtpote iuuenis & literis deditus neq; liberalẽ censens neq; se dignã. Attamẽ ita curam hîc intendit, vt fuerit à Catone cõmendatus, opibusq; illis in argentum redactis magnam pecuniæ partem Romã deportauit.

Brutus partes Pompeij sequitur.

Postq; armis Pompeij & Cæsaris atq; imperij cõmotione diuulsa resp. est, habebatur partes Iulianas secuturus. Nam pater eius antè fuerat per Pompeiũ interfectus. Verùm q reip. potius vellet, quàm suæ rationẽ ducere: & Pompeij existimaret q̃ Cæsaris ad sumenda arma honestiorẽ causam esse, aggregauit se ad illũ: licet antea occurrentẽ non salutasset Pompeiũ, pro piaculo habens interfectorem appellare parentis. At tunc vt patriæ duci submisit se ei: ac cum Sestio in Siciliã, qui eam prouinciã fuerat sortitus, legatus profectus est. Sed cùm nihil illic geri præclari posset: Pompeius autẽ & Cæsar castris castra collata haberent de summa decertantes, vltrò ad periculi societatẽ accurrit in Macedoniã: memorantq; lętum tum Pompeiũ & obstupescentem eius aduentu omnibus aspicientibus assurrexisse ei ex sella ac sicut vnũ ex primoribus fuisse complexũ.

Bruti in castris Pompeij occupationes.

In castris diem, nisi quantũ cum Pompeio esset, in literis & libris ponebat, non solùm alio tẽpore, sed & sub pugnã Pharsalicã. Adulta æstas erat & æstus ingens, ac castra locis paludinosis habebant. Quòd verò Bruto ministri non citò apportassent tentoriũ, labore hic confectus tandẽ meridie vnxit se & paululũ cibi cepit: alijsq; aut quiescẽtibus, aut cogitantibus & solicitis de euentu pugnæ vsq; ad vesperum scripsit Polybij compendiũ commentans.

Bruti curã egit Cæsar in pugna

Ferunt Cæsari illũ magnæ curæ fuisse, ducibusq; suis pręcepisse in pugna: ne interficerent Brutũ, sed parcerent ei: quẽ si vltrò se dederet, deducerent ad ipsum: sin repugnaret instantibus, mitterent eum, neq; vim adferrent.

Bruti matrem amauit Cæsar.

Hæc memorant illũ in Bruti matris fecisse Seruilię gratiã. nam adolescens adhuc, vt perhibetur, cũ Seruilia, quæ amore eius deperibat, consuetudinẽ Cæsar habuit. Quia verò, qua tẽpestate flagrantissimus erat eorum amor, genitus Brutus fuit: credebat eum ex se natum. Fama est cùm grauissimæ res de Catilinæ coniuratione, quæ penè remp. euertit, tractarentur in senatu, dissentientes sententijs Catonẽ & Cæsarẽ commissos fuisse: interea paruũ epistoliũ foris allatum cùm Cęsar submissè legeret, exclamasse Catonem, indignã rem esse: quòd ab hostibus Cæsar nuncios & literas acciperet. Cùm multi obstreperent ei: atq; ideo tabellas Cæsar, vt acceperat, traderet Catoni: illũ lectã sororis Seruiliæ lasciuam epistolam abiecisse ad Cæsarẽ ac dixisse: Cape temulente: mox ad sententiam & orationem de integro fuisse reuersum. vsqueadeò Seruiliæ fuit in Cæsarem peruagatus amor.

Brutus ex pugna Pharsalica à Cæsare seruatus.

Secundũ aciem Pharsalicã cùm Pompeius refugisset ad mare: dum castra oppugnantur, Brutus clàm porta elapsus in locũ cõiecit se palustrem aquosumq; & calamo consitũ. Hinc digressus euasit noctu Larissam. Inde scripsit ad Cæsarẽ. Cuius incolumitate Cæsar lætus iussit eum ad se venire. Nec solùm ignouit ei, verùm etiam inter præcipuos amicos suos habuit eum in honore. Cùm nemo dicere haberet, quò intenderet fugam Pompeius, nihilq; esset certi: aliquãtulum itineris solus cum Bruto faciens periclitatus est sententiam eius: & quia ex certis rationibus collectis optimam videbatur de fuga Pompeij coniecturã facere, omissis alijs contendit in Aegyptum. Cæterùm Pompeiũ in Aegyptũ, vt diuinauerat Brutus, delatũ occupauit fatum.

Brutus Cæsari gratus.

† Reponẽdum Gallogræciæ, Deiotarum nimirum intelli-

Porrò Cæsarẽ Brutus Cassio quoq; placauit. Et verò etiam † Afrorũ regẽ defendens premebatur magnitudine criminum. verùm cùm pro hoc deprecaretur oraretq;, cõseruauit ei magnam regni partem. Perhibent Cæsarẽ, cùm primùm audisset orantem, ad amicos dixisse: Hic adolescens, haud scio, quid velit: sed id, quod vult, vehementer vult. Quippe sicut ani-

mus

gēs: nisi Iubā intelligat, quod non puto.

mus firmus eius non facilè neq; quibusvis rogantibus concedebat beneficia: ita vbi cum ratione & ex delectu agebat honesti, quocunq; ipsum conuertisset, valida vtebatur contentione atq; efficaci. Ad iniusta verò precantibus nō patebat assentatoribus. Nam impudenter obsecrantibus succumbere, quod cōfundi verecundia dicitur à nonnullis, turpissimum magno viro ducens dicere solebat eos, qui nihil denegare valerēt, parum sibi videri honestè ætatis florē collocasse. Transmissurus contra Catonem & Scipionē Cæsar in Africā, Bruto Galliam cisalpinam magna illius prouinciæ felicitate permisit. Nam cùm aliæ auaritia & libidine præpositorum vt bello captæ lacerarentur, illi etiam priorū requies & alleuatio fuit Brutus calamitatum. Omnium autem retulit ad Cæsarē gratiā. Vnde huic Italiam ab reditu peragranti quę sub Bruto fuerant ciuitates atq; ipse Brutus amplificans honorem eius ac festiuè eum comitans iucundissimum fuerunt spectaculū.

Brutus præfectus Galliæ cisalpinæ.

Bruti & Cassij de pretura certamen.

Cùm autem inter multas præturas illam, quæ maximæ est dignationis & vrbana dicitur omniū opinione Brutus obtenturus vel Cassius esset: aliqui eos ex antecedētibus nonnihil dissentientes in contentionē de ea multò maiorē aiunt venisse quantumvis necessarios. Quippe sororem Bruti Cassius Iuniam habebat in matrimonio. Alij Cæsaris opera concertationē hanc fuisse vtriq; in secreto spem ostentātis excitatam, quoad ira impulsi & incitati decertauerunt inter se. Pugnabat Brutus cum Cassij magnificis aduersus Parthos factis nominis claritate & virtute. Quos vt Cæsar audiuit, atq; adhibitis amicis deliberauit: Iustior est, inquit, Cassij causa: Bruto tamen dandæ sunt primæ partes. Cassio alia pretura data. Qui non tantum gratię habuit ob hanc, quam accepit, quantum in eum exarsit ob repulsam illius.

Cassij in Cæsarē odij, origo.

Brutus alijs quoq; in rebus consors fuit, quantū voluit, Cæsaris potentiæ. quandoquidē si voluisset, principi ei esse amicorū & pollere plurimum licuisset. Verùm sodalitas eum Cassij traxit & deflexit. Nondum quidem erat ex illa conflictatione recōciliatus cum Cassio, verùm amicis eius aures præbebat admonentibus: ne permitteret se à Cæsare emolliri & deliniri, sed comitatem & beneficentiā fugeret tyrannicam: quibus nō ad decorandā virtutem illum, verùm ad eneruandū & perstringendū animum vti in ipsum.

Cæsaris suspicio aduersus Brutū.

At ne Cæsar quidem prorsus securus erat aduersus eum nec criminibus clausus: sed spiritus huius timebat & authoritatē & amicos, bonæ verò indoli credebat. Ac cùm primùm delatū ad eum esset Antonium & Dolabellam res nouas moliri: negauit crassos hos & comatos sibi metuendos, sed pallidos illos & macilentos Brutum & Cassium designans. Inde deferentibus quibusdā Brutum & vt caueret ab eo monentibus manu corpus atringens: Quid vobis, inquit, an'ne Brutus videtur hoc corpusculum expectaturus? quasi nemini secundū ipsum alteri quàm Bruto tanta potēna conueniret. Et apparet sanè, si aliquātisper sustinuisset Cæsari esse secundus, opesq; eius deflorescere & gloriam rerum gestarū siuisset marcescere, principatū in ciuitate eum haud dubiè habiturū fuisse. Verùm ferocis vir animi Cassius, magisq; priuatim Cæsari, quàm publicè tyranno infestus incendit & stimulauit Brutum.

Cassius incendit Brutum in Cæsarem.

Cassij leones Megaræ.

Dicitur Brutus regnum nō tulisse, Cassius odisse regē: qui eum cùm alijs nominibus est insectatus, tum ob leones ablatos: quos hic ædilis curulis designatus parauerat: Cæsar autē Megaræ, cùm captum oppidum per Calenum esset, inuentos retinuit. Eas feras calamitatem ingentem memorāt Megarensibus intulisse. Hi enim, dum iam caperetur vrbs, refregerunt caueas & vincula dissoluerunt, vt irruentibus feræ obsisterent: quæ in illos ipsos impetū dederunt atq; discurrentes discerpserūt inermes, fuitq; spectaculū etiā hostibus luctuosum. Ac Cassiū quidem hāc potissimùm conspirandi in Cæsarem causam arripuisse autumant, sed parū verè. Nam fuit à prima ætate ingenitum Cassio odium & fel aduersus tyrānorum gentē: vt puer etiamnum, cùm in eundem ludum cum Syllę filio cōmearet Fausto, ostēdit.

Cassius osor tyrannorum.

Qui cùm iactabundus inter pueros patris dominatum in cœlum ferret, surgens Cassius impegit ei colaphos. Id persequi cùm Fausti tutores & propinqui intenderent, prohibuit Pompeius. qui ambos pueros accitos interrogauit de facto. Ibi Cassium ferunt dixisse: Age iam Fauste aude coram hoc eadem iactare, quibus iritatus fui, vt iterū tibi os comminuam. Atq; eiuscemodi Cassius fuit.

Brutus quo modo fuerit in Cæsarem incitatus.

Brutum verò crebri familiariū sermones, crebris vocibus & scriptis ad factum illud ciues prouocauerunt & impulerunt. Nam statuę progenitoris eius Bruti, qui regium imperium oppresserat, inscripserunt: Vtinam nunc Brute esses: &, Vtinam viueres Brute. Ipsius Bruti tribunal prætoris reperiebatur manè huiuscemodi scriptis refertum: Dormis Brute? &, Non es germanus Brutus. In causa fuerunt Cæsaris adulatores. Qui cùm honores ei inuidiosos alios exquirebāt, tum statuis eius nocte imposuerunt diadema: quò multitudinem impellerent ad salutandum

cum pro dictatore regem. Verùm euenit secus: vt in vita Cæsaris accuratè sumus executi. Solicitati in Cæsarem amicos Cassio omnes, si dux Brutus esset, annuere. Neq; enim manus neq; audaciam ostenderunt se requirere: sed authoritatem viri, qualis hic esset, quasi auspicantis & præsentia sua honestatem comprobantis facti. Absq; eo & in suscipienda re animo se deiectiore fore, & suspectiores perpetrata. Neq; enim hoc factum illum, si esset iusta causa subnixum, repudiaturum fuisse. Hac re secum agitata Brutum ab illa dissensione conuenit prior: mox post reditum in gratiam & complexus rogauit eum, an Cal. Martijs esset in senatum venturus. Nam audire se amicos Cæsaris de regno eius relaturos. Negante adfuturum se Bruto: Quid igitur, inquit, si accersant nos, Cassius? Iam meum erit, inquit Brutus, non tacere: sed pro libertate propugnare vitamq; profundere. Ibi erectus Cassius: Quis, inquit, feret te ciuis Romanus ita pro libertate emori? An temetipsum ignoras Brute, aut in tribunali tuo à textoribus ista putas aut à cauponibus inscripta, ac non à facere id principes & optimates? A praetoribus alijs congiaria, spectacula, munera gladiatorum: abs te velut debitum hæreditarium tyrannidis exigunt oppressionē. qui subire pro te omnia parati sunt: si qualem esse volūt & expectant, talem te præstiteris. Inde Brutum complexu salutauit, atq; sic digressi conuerterunt se ad amicos.

Cassius Brutum prior ad tyrannum tollendum inuitat.

Ligarium Brutus adiungit cōspirationi.

Erat quidam Q. Ligarius Pompeij amicus, quem eo nomine accusatū exemerat Cæsar noxæ. Hic non quod ab iudicio liberatus fuisset, gratiam Cæsari tribuens: sed propter quam vocatus in periculum fuerat, dominationem perosus ei infensus erat, Bruto autem imprimis familiaris. Hunc Brutus inuisens ægrotum: Quali, inquit, tempore Ligari ægrotas? Ille statim cubito innixus arrepta dextera eius: At ego, inquit, si quid te Brute dignum cogitas, valeo. Hinc clàm tentantes amicorum, quibus fidebant, animos capita inter se conferebant: asciscebantq; non solùm delectos familiares, sed omnes, quotquot egregiè audaces & mortis esse contemptores sciebant. Qua de causa Ciceronem, cui cùm fidebant plurimum, tum diligebant summè, celauerunt de cōsilio: ne ad insitam timiditatem adiungens ex ætate senilem cautionem, mox singula æstimando ad summam exigens securitatem, alacritatis ipsorum aciem, quæ celeritatem requirebat, perstringeret.

Ciceronem celant de coniuratione in Cæsarē.

Bellum ciuile, violento dominatu deterius.

Quando etiam ex amicis cæteris Statilium Epicureum Brutus & æmulatorem Catonis Fauonium reliquit: quòd cùm à longe eos per ambages inter cōfabulandum & disputandum de philosophia ita attentasset, Fauonius respondisset violento dominatu esse bellum ciuile deterius, Statilius sapientem & cordatū dixisset nō decere malorum & insipientium causa periculum & terrorem subire. Ibi præsens Labeo reclamauit vtriq;. Brutus verò tunc, quasi haberet disputatio ea aliquid scrupuli & nodi, obticuit: pòst participauit Labeoni consilium. Hic cùm parato animo operam suam esset pollicitus, alterum Brutum Albinum cognomine: qui de cætero strenuus non erat neq; animosus: sed gladiatorum manu, quos ad exhibendum populo Romano alebat, validus esset & probatus Cæsari: visum est adiungere. Hic à Cassio & Labeone appellatus nihil respondit. verùm vbi Brutum ille priuatim conuenit, accepitq; rei gerendę esse eum ducem: promptam ostendit operam suam. Alios item pleros&q; & præstantissimos nomen adiunxit eis Bruti.

Coniuratorum in celando consilio de Cæsare interficiēdo, fides.

Qui quamvis neq; iuramento neq; sacris tactis fidem inter se mutuò sanxerant, ita silentio tamen condiderūt & presserunt consilium omnes atq; inter se agitauerunt: vt licet vaticinijs, prodigijs, extis id dij denunciarent, nemini esset tamen credibile. Brutus verò, quòd penderent ex ipso animosissimi quique ciuitatis & nobilissimi & præstantissimi, ac periculum agitaret omne animo: foris annitebatur comprimere & componere sensa sua, at nocte domi non erat idem: ac partim excitauit inuitum ipsa solicitudo somno, partim intentius volutans animo hærensq; in perplexitatibus vnà cubantem non fefellit vxorem insuetæ perturbationis se plenum esse, versareque secum molestum consilium & intricatum.

Porciæ Bruti vxoris fortitudo.

Porcia philosophiæ studiosa.

Porcia filia erat, vt diximus, Catonis. Eam Brutus consobrinus duxerat nō virginē, sed priore defuncto viro adolescentulā adhuc acceperat. Habebat hęc ex illo paruulū filiū, cui Bibulo fuit nomē. Extat paruus libellus cōmentarius rerū à Bruto gestarū ab hoc elucubratus. Porcia autē fœmina philosophiæ studiosa & viri amans animosaq; atq; cordata non antè virum rogare de arcanis aggressa est, q̃ periculū sui fecisset huiuscemodi: Cultellū accepit, quo vngues rescindere tonsores solent, omnibusq; exactis cubiculo pedissequis vulnus fœmori inflixit altū: vnde effluxit vis magna sanguinis, ingentesq; dolores & febris mox cum horrore grauis comitati sunt. Trepidante Brutū & discruciatū, cùm esset dolor intentissimus, hoc modo affata est: Ego Brute in domū tuam Catonis filia nupsi, non sicut pellices ad lectū tantùm & mensæ

Iustæ vxoris &

menſæ conſortiũ, ſed etiam ad proſperorum & aduerſorũ ſocietatem. Tua quidẽ cauſa nihil eſt, quod de nuptijs conquerar. Sed à me quod documentũ aut quod oblectamentum erit tibi, ſi neq; reconditum animi cruciatũ, neq; curã, quæ fidẽ requirit, tecum ſerã? Non me fugit naturã imbecillem haberi ad ſecreta continenda muliebrem. at eſt aliqua Brute & probi tyrocinij & honeſtæ conſuetudinis ad mores tingendos vis. Mihi verò hoc obtigit, vt & Catonis filia & coniunx ſim Bruti. Quibus antehac minus freta nunc memet ipſa vel ad dolorem probaui eſſe inuictã. Sic fata oſtendit ei vulnus, & quòd feciſſet periculum, expoſuit. Ille attonitus manibus ad cœlũ extenſis deos precatus eſt, vt conſilio ſuo propitij adeſſe vellent, quò dignum ſe Porcia præſtaret virũ. Ac tunc quidẽ vxorem reſocillauit. Indicto ſenatu, cui interfuturus Cæſar putabatur, conſtituerũt rem aggredi. Nam frequentes erant citra ſuſpicionẽ vnà futuri, omneisq; ducebant habituros ſe iuxtà optimates & principes ingẽti perpetrato facinore ilicò libertatis aſſertores.

pellicis diſcrimen.

Locum enim diuinitùs datum apparebat & pro ipſis eſſe. Porticus erat, quę vnam habebat iuxta theatrum exedrã: in qua ſtatua Pompeij à populo Romano locata fuerat, cùm porticibus & theatro locum illum decoraſſet. Eò Idibus Martijs aduocatus ſenatus fuit. Vnde deus aliquis Cæſarem cò trahere ad pœnas Pompeio dandas videbatur. Vbi illuxit dies, Brutus pugione accinctus vna conſcia vxore progreſſus eſt. Cæteri coierunt apud Caſsium, filiumq; eius ad ſumendã virilem togam in forum deduxerunt. Inde cuncti porticũ Pompeij ingreſsi Cæſarẽ mox in ſenatũ venturum operiebantur.

Locus ad interficiendum Cæſarem tempusq; diuinitùs data.

Hîc potiſſimùm virorũ illorum immotũ animum atq; in periculis cõſtantem mireris, ſi futurũ cognoſceres. quandoquidẽ multi, quibus præturæ ratione ius dicendi incũbebat munus, non ſolùm benignã adeuntibus & litigantibus audientiã faciebant, vt ſi vacuo eſſent animo: verùm etiã cauſas quiſq; attentè auditas magno iudicio diſceptauit. Cùm quidã, qui iudicatũ detrectabat ſoluere, Cæſarẽ appellaret, multumq; vociferaretur ac teſtaretur: reſpiciens ad coronã Brutus: Me Cæſar, inquit, ius dicere ex legibus neq; prohibet neq; prohibebit. Et quidem multa obiecit illis fortuna turbulenta: primũ & maximum Cæſaris die progrediente moram: & quòd cùm non litaret, retineretur ab vxore domi, vetarentq; aruſpices ei in publicũ prodire. Deinde vnum ex cõiuratis Caſcam adijt quidam, dextraq; apprehenſa: Tu, inquit, de arcano Caſca nos celaſti, verùm exprompſit Brutus nobis omnia. Torpido ſtupore Caſca ridens ille: vnde tam citò quæſo, inquit, abundas, vt accingas te ad ædilitatẽ? Tantulum modò abfuit, quin falſus ambiguo abdita retegeret Caſca. Ipſum Brutum & Caſsium vit ordinis ſenatorij Popilius Læna ſalutauit propenſiùs atq; in aurẽ inſuſurrauit: Opto vobis, inquit, vt quæ in animo habetis, perficiatis: hortor'que, ne cunctemini. Neq; enim ſiletur res. Ita fatus digreſſus eſt, magnamq; ſuſpicionem attulit ijs conſilium ſe intellexiſſe.

Coniuratorum in Cæſare occîdendo conſtantia.

Interea accurrit quiſpiam domo ad Brutum, vxorem eius agere animã nuncians. Porcia enim vehementer euentus exſpectatione commota ac moli impar curarum, ægrè continebat ſe domi, atq; ad omnem ſtrepitum ac vocem in modum Bacchico furore percitarum exiliens, vt quiſque à foro ingrediebatur, quid ageret Brutus, requirebat: alios mittebat eò aſsiduè. Poſtremò longiore temporis tractu non ſubſtiterunt vltrà corporis vires, ſed animo fluctuatione æſtuante fatiſcens elanguit: ac prius, quàm recipere ſe in cubiculum potuit, repentè inter ſuas ſedentem, animi defectus, atque immenſus animi ſtupor corripuit eam, colorq; immutatus eſt, ac ſuppreſſa ſemel vox. Ancillæ eo viſo clamorem ſuſtulere, concurrentibusq; ad fores vicinis repentè fama dilata eſt ac ſermo diſsipatus mortuam eſſe. Breuì tamen animum recepit, & ad ſe redeuntem mulieres refouere.

Portia in cogitatione facinoris à Bruto patrandi exanimata.

At Brutus eo ſibi allato rumore haud immeritò commotus, non reliquit negocium publicum tamen, neque ex animi motu ad priuatum incommodum decurrit.

Bruti ad mortuæ vxoris nuncium, cõſtantia.

Iam Cæſarem annunciabatur aduenire lectica delatus. Statuerat autem, quòd non litaſſet, nihil maioris rei in præſenti peragere, verùm imbecillitatem cauſans reijcere in aliam diem. Exeuntem lectica arripiens Popilius Læna ille, qui paulo antè Bruto & Caſsio ſucceſſum felicitatemq; fuerat precatus, ſermonem cum eo ſubſiſtente & animum aduertente habuit prolixiorẽ. Coniurati (vt ita eos appellem) qui vocem eius non aſſequebantur, ſed augurabantur ex ſuſpicione ſua conſilij indicium eam communicationem eſſe, ceciderunt animis: intuentes'que ſe mutuò conſtituerunt inter ſe nutibus non expectare, dum corriperentur, ſed confeſtim manus ſibimetipſis inferre. Ac cùm Caſsius iam & nonnulli alij capulis manus ſub togis admouiſſent, ſtringerent'que pugiones, conſiderans Brutus ex Lenæ geſtu aliquid eum enixè rogare, non deferre: nihil ſonuit, quòd cum ipſis permiſti eſſent

Brutus coniuratos animo con-

Serenatos vultu confirmat. alieni: sed vultu hilari confirmauit Casſium. ac paulo pòst dextram Læna Cæsaris osculatus abscesſit, declarans pro se & aliqua re ad ipsum pertinente illum interpellasse se. Senatu in curiam prægresso alij sellam Cæsaris circumsteterunt simulantes appellare illum velle. Ibi Casſius dicitur ore ad statuam Pompeij verso sicut sentientis opem implorauisse. Trebonius circa fores seduxit Antonium & sermone detinuit extra curiam. Ingredienti Cæsari assurrexit senatus. Mox coniurati frequentes asſidentem cinxerunt officij specie cum Tullio Cimbro, qui erat ex ipsorum cohorte, pro fratre exule precante omnes vnà orantes, manus'que eius tangentes, pectus & caput deosculabantur. *Tullius Cimber pro fratre exule Cæsarē simulatè precatur.* Quo preces primùm reijciente: deinde, vbi non destiterunt, vi exurgente: Tullius ambabus manibus detraxit ei togam ex humeris. *Cæsaris cædes.* Primus Casca, qui à tergo stabat, districto pugione ferit eum secundum humerum vulnere non alto. Corripiente capulum Cæsare, atque alta voce Latinè exclamante: Sceleste Casca quid agis? Græcè ille fratrem appellauit ad opem ferendam. Cùm iam à multis peteretur, & circumferens vndique oculos repellere conaretur eos: vt Brutum vidit ensem in se stringentem, manum Cascæ, quam tenebat, dimisit: & toga capite obuoluto permisit corpus percussoribus. Illi se mutuò prementes, dum certatim multis pugionibus corpus Cæsaris cædunt, conuulnerauerunt inter se: ac Brutus, dum participem se facit cædis, vulnus accepit in manu, omnes'que cruore sunt conspersi. Ita cæso Cæsare progressus in medium Brutus instit verba facere, retinere'que & confirmare patres. At illi inconditè fugerunt trepidantes, fuitq; circa fores impulsio & tumultus nemine ijs instante vel agente. Quippe firmiter hoc decreuerant, neminem præterea interficere, sed reuocare ad libertatem omnes. *Antonium cur cum Cæsare nō occiderint.* Cæteris quidem, cùm de re aggredienda consultarent, omnibus placuerat vnà Antonium cum Cæsare confodere hominem dominatus studiosum & improbum, qui vsu & consuetudine multum pollebat apud milites: maximè quòd ad natiuam audaciam ambitionem'que dignitatem id temporis cōsularem Cæsaris collega adiecisset. Verùm obiecit se huic consilio Brutus, primùm iustitiæ innixus, deinde mutationis spem subijciens. Neque enim desperabat bonæ indolis virum ambitiosum'que & gloriæ cupidum Antonium sublato de medio Cæsare allectum ab ipsis æmulatione virtutis ad patriam liberandam connixurum esse. Ita Antonium seruauit Brutus. At ille eo in metu veste sumpta plebeia fugit. *Brutus cum socijs petit Capitolium.* Bruti verò sodales ad Capitolium perrexerunt sanguinolentis manibus nudos præferentes pugiones, ciues'que vocauerunt ad libertatem. Primùm editi clamores sunt, & discursus tali facto fortè comitans maiorem conciuit tumultum. Cæterùm vbi nulla præterea cædes neque direptio rei vllius ex tabernis consecuta est, multi ad eos in Capitolium fidenter ex patribus & popularibus ascendere. Vt frequentes coiere, Brutus orationem habuit ad populum blandam & consentaneam factis. Quibus eum collaudantibus atque vt descenderent, conclamantibus fidenti animo ex Capitolio digresſi sunt in forum. Cæteri confusi inter se sequebantur. Brutum frequentes principes circumfusi perquàm magnificè deduxerunt ex arce atque in rostris constituere. Conspectum Bruti plebs est reuerita quamvis collectitia & ad turbam parata, deditq; ei modestè & sedatè audientiam. Exorso dicere Bruto silentium, dum diceret, omnes præbuere. Sed non fuisse omnibus factum illud gratum, demonstrauerunt: quòd cùm dicere Cinna & Cæsarem accusare cœpisset, in iram erumperent, & Cinnam lacerarent maledictis. Itaque repetierunt illi iterum Capitolium. Hîc metuens Brutus obsidionem remisit optimos quosque, qui ipsos fuerant prosecuti: nolens eos, qui facti fuissent exortes, subire secum periculum. *Cæsaris percussoribus honores decreti, & concordia, & amnistia.* At senatus postridiè in ædem Telluris coactus, cùm Antonius, Plancus, & Cicero de præteritorum obliuione & concordia verba fecissent: non modò illis decreuit impunitatem, sed & vt consules de illorum honoribus referrent. His decretis dimissus est senatus. ac cùm filium suum Antonius in Capitolium misisset obsidem, Brutus cum socijs descendit, salutationes'que & complexus omnium promiscuè sunt consecuti. Inuitauit Antonius Casſium ad cœnam, Brutum Lepidus, & alios vt cuique cum illis aut familiaritas erat aut beneuolentia. Postquàm illuxit, senatus rursus conuenit. Primò gratias egit Antonio, quòd initium belli ciuilis sopiuisset. Inde Brutus & eius consortes laudibus præsentes sunt celebrati, & prouinciæ denique eis asſignatæ. Decreuerunt Bruto Cretam, Africam Casſio, Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam, Decio Bruto Galliam circumpadanam. *Cæsaris testamē tum & funus.* Hinc cùm de Cæsaris testamento & funere mentio facta esset, & postularet vt testamentum recitaretur Antonius, atque vt corpus non occultè

neq;

neque ignominiosè efferretur, ne populus inde magis exasperaretur: repugnauit Cassius acriter, verùm cessit Brutus atque id permisit. qua in re iterum visus est titubasse. Etenim in parcendo Antonio non caruit culpa, quòd hostem coniuratis obiecerit grauem & durum: iam cùm funus, quomodo volebat Antonius, duci permitteret, in totum offendisse. Primùm enim, quia populo Romano viritim trecenos sestertios legauit, & publicè hortos trans Tyberim, vbi nunc ædes Fortunæ est: ingens fauor & desideriũ eius cepit ciues. Deinde funere in forum delato laudauit eum de more Antonius. Qui cùm moueri oratione sua cerneret populum, flexit ad commiserationem, correptam'que Cæsaris vestem cruore oppletam explicauit, & vt dilacerata esset vulnerum multitudine, ostendit. Ibi videres nihil iam geri compositè: sed alij interficiendos homicidas vociferabantur: pars, vt Clodio plebis concitatori factum fuerat antè, subsellia & mensas ex officinis corripientes & coaceruantes grandem pyram succenderunt, impositum'que in rogum cadauer in medio frequentium locorum sacrorum, frequentium etiam inuiolatorum atque intactorum combussere. Vt flamma eluxit, accurrentes alius aliunde & titiones arripientes semiustos ad tecta discurrerunt interfectorum Cæsaris inflammanda. Verùm illi obsepti antè periculum propulsauerunt.

Antonij in funere Cæsaris oratio: cuius exemplum legitur apud Dionem historicum.

Cinna verò quidam poeta ab illa causa prorsus alienus, imo etiam Cęsaris amicus in somno viderat ad cœnam se à Cæsare vocari, sed renuere se: illum autem obtestari & vrgere, manu deniq; prehensum ducere in locum vastum & obscurum: inuitum verò se & pauentem sequi. Hac ei oblata specie febri nocte est correptus. Cùm tamen funus manè duceretur, verecundans non adesse, processit in turbam iam efferatam. Quem vt conspexerunt, arbitrati non eum, qui erat: sed esse illum, qui nuper Cæsarem in concione lacerauerat conuitijs, discerpsere.

Cinnæ cuiusdã in funere Cæsaris cædes, errore facta.

Hoc potissimùm facto secundum Antonij quidem mutationem coniurati perculsi vrbe excesserunt. Hæserunt primùm Antij: vt simul atque elanguisset & referbuisset ira populi, redirent ad vrbem. Quod facilè futurum expectabant in multitudine temporali & volucri incitata impetu, cùm studiosum sui haberent senatum. qui conniuens ijs, qui Cinnam dilacerauerant: illos, qui coniuratorum ædes fuerant aggressi, requisiuit & corripuit.

Brutus cum suis cedit vrbe.

Iam populus quoque Antonium occupare propemodum tyrannidem ægrè ferens desiderabat Brutum expectabatq; ludos, quos facere prætor debebat, præsentem editurum. Verùm quòd intellexisset hic frequentes Cæsaris veteranos, qui agros & colonias ab illo acceperant, insidias sibi moliri & irrepere exiguis globis in vrbem, dubitauit venire: populus tamẽ absente illo spectacula magnificè & effusè exhibita frequentauit. Ferarum enim magnos greges comparauerat. Harum præcepit, vt nihil distraheretur vel reseruaretur, sed exhiberentur omnes. Scenicos ipse Neapolim profectus plerosque conuenit. De Canutio quodam, qui in spectaculis placebat, scripsit ad amicos: agerent cum eo, vt in scenam eum inducerent. Nam Græcum vi adducere, nemini ius erat. Scripsit & Ciceroni orans, ne prætermitteret, quin interesset ludis.

Bruti spectaculum.

Hoc rerum statu alia vicissitudo fit Cæsaris Octauij aduentu. Hic sororis Cæsaris nepos erat, quem tabulis filium & hæredem nuncupauerat. Is Apolloniæ, cùm Cæsar est interfectus, vacabat literis atque illum expeditionem in Parthos molientem operiebatur. Simul atque accepit illius necem, contulit se Romam: atque ad fauoris popularis auspicium conciliandi sumpto Cæsaris nomine, pecuniaq; legata in ciues distributa Antoniũ pressit, & multos Cęsaris veteranos largitione decuriauit contraxitq;.

Octauij Cæsaris ad vrbẽ aduentus.

Quia verò prouectus odio Antonij Cicero studebat Cæsari, obiurgauit eum acriter Brutus, non dominum grauari Ciceronem, sed infestum formidare dominum, atque id agere, vt in seruitute sit leni: qui Octauium scribat & dicat esse lenem. Atqui maiores nostri, inquit, ne clementes quidem dominos tulerunt. Sibi hactenus neque bellum gerere planè certum esse neque quiescere, sed habere deliberatum vnum non seruire. Mirari se Ciceronem, qui bellum ciuile vt periculosum timeat, turpẽ & fœdam pacem non horreat: Antonij autem tyrannide eiecti mercedem postulet, vt Cæsarem constituat tyrannum. Atq; primæ quidem Bruti epistolæ huiusce modi fuere argumenti.

Brutus Ciceronẽ increpat ob laudatum Octauium.

Cùm iam alij ad Octauij partes, alij ad Antonij discederent, atq; exercitus venales tanquam sub hasta pluris licitanti addicerent se: desperata semel rep. Italiam statuit relinquere, ac per Lucaniã pedestri itinere Eleam ad mare venit. Inde Romam Porcia reditura cõprimere nitebatur animi dolorem. verùm fortem alioquin pictura quædam detexit. Ea argumentũ Græcum cõtinebat, quemadmodum profecuta sit Hectorem Andromache, & receperit ab eo filium suum, oculis autem fuerit in illum defixa.

Porciæ reditus ad vrbem, & mœror ob maritum absentem.

Hanc Porciæ spectanti expresſit sui affectus imago, lachrymas: & crebrò indies ad eam commeans flebat. Cùm verò Acilius quidam Bruti amicus Andromaches ad Hectorem verba recensuisset:

Iliad. lib. 6.

Ast Hector pater es mihi tu, venerandaq; mater,
Tu frater mihi, tu florens ætate maritus:

subridens Brutus: Atqui mihi, inquit, non venit in mentem ad Porciam Hectoris versus fari:

Tu præscribe tuis telas & pensa puellis.

Nam corporis quidem eius indoles paria ac nos facta non assequitur, animo verò æquè strenuè pugnat pro patria. Hæc Porciæ filius Bibulus memoriæ prodidit.

Brutus quid egerit Athenis.

At Brutus inde soluit & Athenas profectus est. Eum populus Atheniensis propenso animo festisq; vocibus & decretis excepit. Diuersatus est apud hospitem quendam suum audiens Theomnestum quendam Academicum & Cratippum Peripateticum, vnaq; cum his vacans literis omninò feriari videbatur & ociari: verùm in occulto parabat bellum. Nam in Macedoniam Herostratum ad conciliandos eos, qui præerant ibi exercitibus, misit: & adolescentes Romanos, qui Athenis operam dabant literis, fouebat sibiq; adiungebat. in quibus erat Ciceronis filius, quem laudibus in cœlum fert aitq;: siue vigilet siue dormiat, mirari se illum adeò fortem iuuenem & tyrannis infestum.

Ciceronis filium commẽdat Brutus.

Brutus accingit se ad bellum.

Exorsus ex professo rebus admouere manus, cùm accepisset nauigia Romana argento onusta dirigere Athenas cursum ex Asia, & prætorem ijs nauibus aduehi probum virum & sibi familiarem, occurrit ei circa Caryston. Hunc vbi conuenit & ad tradenda sibi induxit nauigia, splendidius epulum parauit. Erat enim Bruti natalis. Postquàm ad compotationes ventum est, & libamina cœperunt pro Bruti victoria & populi Romani libertate facere: quò magis eos corroboraret, grandius poposcit poculum. Eo accepto hunc versum temerè alta voce pronunciauit:

Iliad. 16. verba sunt Patrocli.

Perdidit at fatum me, necnon Phœbus Apollo.

Ad hæc scribunt, cùm ad nouissimam in Philippis committendam pugnam procederet, signum militibus eum dedisse Apollinem. Vnde exclamationem illam pro cladis omine habent. Inde vicies HS. Antistius ei ex illa pecunia, quam portabat in Italiam, impertit. Quotquot etiam tum per Thessaliam ex militibus Pompeianis palabantur, libenti animo confluxerunt ad eum. Equites insuper quingentos Cinnæ, quos in Asiam ducebat ad Dolabellam, ademit. Hinc Demetriadem profectus magnam armorũ vim Cæsaris dictatoris iussu ad bellum Parthicum paratorum, quæ deportabantur ad Antonium, in suam redegit potestatem. Accepta à prætore Hortensio Macedonia, circumiectisq; regibus & dynastis conspirantibus atque ei associantibus se adfertur Caium M. Antonij fratrem traiecisse ex Italia, atq; e uestigiò pergere ad copias, quas Dyrrachij & Apolloniæ Gabinius habebat. Igitur eum præuertere cupiens Brutus & occupare illas copias repentè vasis cõclamatis iter fecit per loca aspera & multam niuem, longeq; præcurrit eos, qui prandium suum ferebant. Vt prope Dyrrhachium venit: ex labore & algore bulimia, id est vehementi esurie est correptus.

Cur per niuem lassescentibus fames intendatur.

Quod mali apprehendit ferè & pecudes & homines, cùm per niuem lassescunt: vel, quòd calor ob corpus frigore astrictũ, vbi coactus intrò omnis est, alimentum statim cõsumat: vel, quòd emissus halitus à niue fusa acris & tenuis penetret corpus, & calorem ex eo foràs dispersum dissoluat. Quippe sudores efficere calor videtur occursu in superficie frigoris extinctus: de quibus alio loco disputauimus latiùs. Quia verò Brutus animo deficiebatur, neque vllus in exercitu quicquam habebat cibarij: necesse fuit ministris eius ad hostes confugere, atque ad portam pergentes panem petierunt à statione. Qui audito Bruti incommodo accurrerunt ipsi, cibum'que & potum attulerunt. Pro quo beneficio Brutus, vbi deditum est ei oppidum: non in hos modò, sed horum etiam causa clementem præbuit se in omnes.

Bruti gratitudo, et clemẽtia.

At C. Antonius Apolloniam profectus acciuit eò propinquos milites. verùm cùm & hi conferrent se ad Brutum, & Apolloniatas odoratus est cum Bruto sentire, eo relicto oppido Buthrotum contendit. Ibi primùm tres cohortes amittit in itinere à Bruto concisas. Deinde cùm loca circa Byllidem tentaret à Bruto insessa expugnare, prælio cum Cicerone conserto fusus est. Siquidem vtebatur hoc duce Brutus, multaq; ductu eius gessit prospere. Cùm verò Caium occupasset locis palustribus, ꝓcul à receptu distractũ, nõ permisit suis in illius milites incurrere: sed circũuectus imperauit, vt parcerẽt ijs: ꝙ mox

futuri

futuri sui essent. quod euenit. Nam & se & ducem dedidere. Itaque magnum iam exercitum habuit Brutus, Caium diu honorificè habuit, neque ademit ei magistratus insignia: quamvis multi, vt dictitant, è Roma & Cicero scriberent monerentq́ue, vt interficeret eum. Cæterùm vbi occultè duces appellare & moliri cœpit seditionem, naui impositum habuit in custodia. Milites corrupti cùm Apolloniã secessissent, & Brutum eò accirent: negauit id moris esse Romani, sed illis ad ducem eundum esse, & veniam petendam delictorum. Quibus, cùm venissent, deprecantibus ignouit. Paranti in Asiam transire, nunciatum est de mutatione vrbana. Siquidem Octauius Cæsar euectus aduersus Antonium à senatu erat. Quo Italia pulso erat ipse iam terrori: quòd contra leges ambiret consulatum, atque ingentes exercitus, cùm id reipubl. opus non esset, aleret. Hæc ille senatum ægrè ferre animaduertens, & foràs Brutum respicere, illi'que decernere & confirmare prouincias, timere cœpit. Ita Antonium per legatos inuitauit ad reconciliationem, circunfusoq́ue vrbi exercitu consulatum accepit vix dum adolescens & vigesimum annum agens, vt in commentarijs ipse retulit: mox iudicium capitale Bruto & socijs eius dictauit: quòd principem virum in summis positum magistratibus inauditum trucidassent. Accusatorem apposuit Bruto L. Cornificium, Cassio M. Agrippam. Indicta causa coactis sententiam ferre iudicibus damnati sunt. Fama est, cùm præco de more citaret Brutum ex rostris ad causam dicendam, plebem non obscurè ingemuisse, optimates deiecto in terram capite cõticuisse, † P. Silicio lachrymas manasse, atque hac de causa inter proscriptos mox fuisse relatum. Hinc triumviri in gratiam reducti Cæsar, Antonius, Lepidus prouincias partiti sunt, cædesq́ue fecerunt: & ducentos, inter quos Cicero quoque est obtruncatus, proscripsere. His in Macedoniam perlatis expugnatus Brutus Hortensio scripsit, vt interficeret C. Antonium: quo Decio Bruto & Ciceroni parentaret: quorum amicus hic, ille genere ei erat propinquus. Quamobrem Hortensium postea Antonius acie Philippensi captum interfecit ad fratris monumentum. Brutus autem fati Ciceronis causa magis erubescere aitse, quàm dolere calamitatem: increpitare se vrbanos amicos, quòd ipsorum culpa potius quàm tyrannorum seruirent, videre'que sustinerent atque assistere ijs, quæ esse ipsis deberent auditu intoleranda. Exercitu iam deportato in Asiam magnifico classem in Bithynia & apud Cyzicum parauit. Pedestri itinere profectus ciuitates composuit, dynastas audiuit, & in Syriam misit ad Cassium reuocans eum ex Aegypto. Non enim ipsos, quò imperium sibi ipsis pararent, sed vt in libertatem vindicarent patriam, ad cogendas copias, quibus opprimerent tyrannos, vagari. Debere igitur huius rei memores & institutum suum sequentes nõ longè se ab Italia abducere, verùm illuc properare ad succurrendum ciuibus. Obtemperanti Cassio & redeunti processit obuiàm. Conuenerunt ad Smyrnam, postquàm primò in Piræeo distracti alter in Syriam, alter in Macedoniam perrexit. Igitur magna eos voluptas & fiducia ex præsentibus vtriusque viribus incessit. Nam cùm ex Italia abiectissimorum exulum modo fuissent profecti inopes atque inermes: quibus nulla instructa nauis, non vnus miles, non oppidum erat: haud multo interposito spacio coierunt classe, peditatu, equitatu, stipendio instructi ad decertandum de Romano imperio. Parem volebat Cassius honorem habere & tribuere Bruto. verùm occupauit Brutus plerunque ad eum ventitans: quòd & ætate ille superior esset & corpore minus ad laborem ferendum comparatus. Habebatur Cassius rei bellicæ peritus, sed ira asper & per metum magis velle imperare, apud familiares ad risum pronior & dicax. Brutum verò virtutis causa ferunt vulgo charum, amicis dilectum fuisse, admirationi optimo cuique, odio venisse ne hostibus quidem: quòd mirè lenis, magnanimus: aduersus iram, voluptatem, auaritiam infractus rectam sententiam atque inflexibilem retineret pro honesto & iustitia. Maximum ei ad beneuolentiam & laudem, quòd proposito eius haberetur fides, fuit momentum. Neque enim Magnus ille Pompeius, si Cæsarem obtriuisset, sperabatur omninò summam potestatem legibus redditurus: sed perpetuò imperium consulis, aut dictatoris aut cuiuspiam alterius nomine magistratus ciuilioris, qui populo esset gratior, retentutus. Hunc verò Cassium violentũ virum & iracundũ, & subinde à recto ad vtile euectũ omninò arbitrabãtur bellum gerere, & circuncursitare, & discrimina subire potius ad quærendã sibi potentiam, quàm ciuibus libertatẽ. Nam qui his etiam superiores fuerunt, Cinnæ, Marij, Carbones: posuerũt in medio patriã pro præmio & præda, ac penè ex professo belligerarunt de tyrãnide. At Bruto perhibent ne hostes quidẽ eã obiectasse varietatẽ: imò ex Antonio

Bruto deditur C. Antonius.

Octauius Cæsar cõiungit se Antonio.

Brutus rei capitalis ab Octauio postulatur.

† Apud Dionẽ, Sicilio, lib. 46.

Triumuiratus.

C. Antonij cædes.

Brutus & Cassius coniungunt copias.

Cassij mores, asperi.

Bruti mores, lenissimi.

Bruti propositum si vicisset.

Antonij de Bruto testimonium.

Antonio etiam multos audiuisse, cùm diceret solum se putare Brutum adortũ Cæsarem facti splendore & opinato bono adductũ, alios in illum cõspirasse odio prouectos & inuidia. Vnde Brutũ non tam viribus quàm virtute fretum fuisse liquet ex scriptis eius. Scribit ad Atticũ discrimini iam vicinus, In statu fortunę res suas pulcherrimo esse. Nam aut

Bruti in Remp. animus.

victorem liberaturũ se populum Romanũ, aut cadentem seruitute exolutum iri: cùm essent autẽ certa ipsis alia atque firma, hoc obscurũ esse, in libertate essent victuri an occubi-

Bruti vaticiniũ de Antonio.

turi. M. Antonium verò meritas dementiæ ait pœnas persoluere. qui cùm inter Brutos, Cassios, & Catones censeri potuisset, accessionẽ sese dedisset Octauio: & vt tunc nõ fuerit cum illo superatus, breui pòst digladiaturũ cum eo. Hoc illum rectè in futurũ apparet vaticinatũ. Porrò Smyrnæ tunc partem ferre pecuniæ, cuius magnam vim coegerat Cassius, postulauit. Se, quicquid habuisset, impendisse ostendit in parandã classem, qua totum internum mare essent in potestate sua habituri. Sed ne daret Cassius, obsistebant amici eius, negantes æquum esse: vt quæ ipse parcendo seruaret & conflaret cum inuidia, ea ille in milites demulcendos effunderet. Attamẽ impertiuit ei tertiam partem

Cassius Rhodũ capit.

omnium: iterumque ad sua vterque munera digressi, Cassius Rhodo capta duriùs in eam ciuitatem consuluit, idque cùm in ingressu regem ipsum & dominum appellantibus respondisset: Neque rex sum neque dominus, sed domini & regis interfector & vltor.

Bruti gesta in Lycia.

Brutus à Lycijs pecuniam & milites poposcit. Verùm quòd Naucrates concionator ciuitates ad defectionem impulisset, & tumulos aliquot illi ad excludendum transitu Brutum insedissent: primò immisit in prandentes equitatum, à quo interfecti sexcenti sunt. Inde captis arcibus & ignobilibus oppidis omnes, vt gentem conciliaret beneuolentia, sine precio dimisit. Illi præfracti, ob damna quidem accepta infensi fuere, clementiam verò & humanitatem eius despexere: quoad coactos intra muros Xanthi bellicosissimos quosque eorum obsedit. Amnis vrbem præfluit. Hunc sub aqua tranantes fugam capiebant. Verùm excepti retibus fuerunt transuerso alueo in altum demissis, quorum

Xanthus incensa.

in summo tintinnabula appensa ilicò irretitum nunciabant. Xanthij autem machinas quasdam adorti nocte sunt, ignemque eis ingesserunt: sed reiecti sunt, re ab Romanis animaduersa ad muros. Ventus verò acrior in pinnas muri concitauit flammam, quæ proxima comprehendit ædificia. Hîc timens vrbi Brutus imperauit militibus, vt ignem extinguerent & opem ferrent vrbi. At Lycios ingens subitò inuasit & incredibilis ad desperationem ardor, quem maximè mortis desiderio compares. Nam cum pueris & mulieribus liberi & serui omnis ætatis hostes petebant ex muris eos, qui ad reprimendum succurrebant incendium. Ipsi arundinem, materiam, & omne igni aptum fomentum in-

Xanthiorũ voluntarium exitium.

gerentes trahebant in vrbem flammam, eique quamvis materiam subijciebant, atque eam omnibus modis excitabant augebantque. Postquàm diffusa flamma & vrbem vndique amplexa ingens eluxit: anxius ea re Brutus circumuectus foris muros est ad opitulandum, manusque ad Xanthios porrigens precabatur, vrbi vt parcerent eamque conseruarent. Verùm nemo auscultabat ei, imò perdebant omnibus modis semet ipsi: non viri modò & fœminæ, sed parui etiam pueri cum vociferatione & vlulatu partim insiliebãt in ignem, partim supernè præcipitabant sese ex muro, pars parentum gladijs nudos offerebant iugulos hortabanturque ad hauriendum eos. Conspecta est vrbe absumpta dependẽs ex laqueo mulier, quæ mortuum puerum ex collo suspensum haberet, & ardenti face inflammaret domum. Quod cùm spectaculũ appareret tragicum, non sustinuit id Brutus contemplari: sed vbi nunciatum ei est, illachrymauit, præmiumque pronunciauit militibus, quisquis hominem Lycium seruasset. Centum quinquaginta duntaxat memorant fuisse, qui non refugêre salutem. Ita Xanthij longo interuallo quasi fatalem exitij gyrum e-

Patarenses dedunt se Bruto.

dentes maiorum suorum calamitatem audacia retulere. Siquidem illi quoque vrbe pari modo bello Persico incensa peremerunt semet ipsi. At Brutus Patarensium vrbem sibi cernens reluctari, dubitabat eam oppugnare, ac perplexus erat paris metu vecordiæ. Cæterùm cùm fœminas eorum captiuas teneret, has missas fecit sine pretio. Quæ vbi viris & parentibus suis illustribus hominibus exposuerunt, virum Brutum esse moderatissimum & iustissimum, persuaserunt eis, vt cederent & traderent ei oppidum. Inde cæteri quoque omnes in potestatem venere, in fidem se eius permittentes.

Bruti clementia in Lycios.

Quem benignum, & pręter spem experti sunt indulgentem. Nempe qui, cùm sub idem tempus Rhodios compulisset Cassius, quod quisque priuatim auri & argenti haberet, conferre: vnde conflauit ad VIII. millia talentûm: & publicè mulctasset ciuitatem quingentis alijs: centum quinquaginta talenta imperauit Lycijs, neque re vlla

illis

illis alia violatis exercitum in Ioniam abduxit. Multa quidem memorabilia opera ille & honoribus habendis & supplicijs pro cuiusq; merito irrogandis edidit: at id quod cùm ipsi gratissimum, tum Romanorum optimo cuique fuit, commemorabo. Cùm Pompeius Magnus acie fusus profugiensq; Cæsarem Aegyptum apud Pelusium appulisset, regis pueri etiamnum curatores cum amicis deliberabāt, nec erat sententia omniū vna. Alij recipiendum, arcendū alij Aegypto censebāt. Theodotus verò quidam Chius mercenarius rhetoricorum doctor, qui in contubernio regis erat, in consilium tunc meliorum raritate admissus vtramq; partem demonstrauit falli, tam qui recipiendum Pompeium, quàm qui dimittendū consulebant. Vnum enim in præsentia expedire, vt receptū interficerent, adiecitq; in peroratione, Mortuos non mordere. Cùm esset in sententiam huius discessum, exemplū rei incredibilis & inexpectatæ occubuit Magnus Pompeius dictione rhetorica Theodoto authore, vt ipse glorians iactabat sophista. Paulo pòst superueniente Cæsare cæteri pœnas pendentes mali malè periere: Theodotus verò spacium à fortuna ad obscuram, inopem, & vagabundam vitam mutuatus peragrantem tunc Asiam nō latuit Brutum: sed raptus ad eum & punitus nomen ex morte quàm ex vita nobilius accepit. Porrò Cassium accersiuit Brutus Sardeis, appropinquantiq; processit cum amicis obuiàm, totusq; exercitus armatus vtrumq; imperatorem consalutauit. Vt solet magnis in rebus inter duos, quibus amici & duces sunt multi, cùm suspiciones inter eos mutuæ & insimulationes extitissent, prius quàm aliò se conuerterent, statim ex via conclaue soli ingressi foribus occlusis & remotis arbitris expostulare primùm, mox arguere & criminari inter se cœpere. Hinc in lachrymas liberāq; & vehementem obiurgationem erumpentibus illis mirantes asperitatem iræ & cōtentionem amici eorum timebant, ne quo euaderent. Interdictum aūt erat, ne quis accederet ad eos. At M. Fauonius æmulus pridē Catonis, qui non tam ratione quàm impetu aliquo & motu lymphatico philosophum ageret, perrexit ad eos: verùm prohibebatur à ministris. Atqui labor erat Fauonium, quocunq; ferretur animo, retinere. quippe incēsus fuit in omnibus & acer. Nam senatorem populi Romani esse in minimis ponebat. Cynica verò loquendi ferocia, qua vtebatur molestiam frequenter abstergebat alijs, qui importunitatem eius per ludum excipiebant. Hic tunc repulsis vi ianitoribus intrauit conclaue voce mimica pronuncians carmina, quibus Nestorem vtentem cecinit Homerus:

Theodoti Chij cædes.

Theodotus Chius qui in Aegypto vt Pompeius occideretur, consilium dederat, occiditur à Bruto.

Bruti & Cassij mutuæ querelæ.

Fauonius, Catonis æmulus.

At parete ambo, natu me nempe minores : & sequentia.

Iliad. lib. 1.

Id risum Cassio mouit. Brutus expulit eum Haplocynem & Pseudocynem appellans: quasi dicas insitum canem & adulterinum canem. Veruntamen hunc in præsentia altercationis mutuę finem facientes, statim digressi sunt: præbenteq; cœnam Cassio inuitauit eò Brutus amicos. Cùm iam accubuissent, accessit Fauonius lotus. Testante Bruto adesse eum non vocatum & facessere iubente ad lectum supremum, vi irrumpens collocauit se in medio, habuitq; conuiuium oblectationem non infestiuam nec indoctam. Postridiè Brutus virum prætorium, cuius opera vsus fuerat, L. Pellam repetundarū Sardianis postulantibus iudicio publico damnauit & infamia notauit. Quod factum momordit non mediocriter Cassium. Ipse enim paucis antè diebus eiusdem criminis compertos duos amicos tantùm castigauit priuatim, ac publicè absolutis nō destitit vti. Vnde Brutum incusauit vt nimium rigidè leges sequentem et iustum, quo tempore ciuiliter esset & humaniter agendum. Ille commonuit eum Iduum Martiarum, quibus interfecerant Cæsarem: qui nō ipse omnes mortales vexasset, verùm esset hoc agentium neruus. Nam si quis honestus sit color, quo negligatur ius, præstitisse Cæsaris amicos tolerare, quàm suis iniuriam imponentibus conniuere. Tunc enim ignauiæ, inquit, nobis adhæsisset macula, nunc iniustitiæ cum periculis nobis & laboribus inuratur nota. Inde liquet, quid spectauerit Brutus. Cùm transmissuri ex Asia essent, tetrum ostentum dicitur Bruto factum. Fuit naturâ ille vigilans, & somnum in exigui temporis portionem laboribus & continentia contrahebat. Interdiu quiescebat nunquam: noctu tantisper, dum omnibus sopitis nihil esset omninò quod ageret, aut quicum colloqueretur. Tunc autem bello conflato tractans ea, quæ ad summam rerum pertinebant, curáque in euentum intentus: cùm primùm vesperi à cœna indulsisset paulisper somno, reliquum noctis negocijs vrgentibus tribuebat. Quod si absoluisset & executus esset id muneris, librum vsque ad tertiam vigiliam voluebat: quo tempore centuriones & tribuni consueuerant eum adire. Cùm igitur traiecturus ex Asia esset exercitum, noctis conticinio luna non admodum lucebat: totus autem exercitus tenebatur

Fauonij festiuitas.

Bruti mira in proposito constantia.

Bruti vigilātia.

Bruti spectrum.

tur silentio. Brutus verò voluens aliquid animo & reputans secum visus est aliquem ingredientem sentire. Respiciens ad ianuam spectrum cernit dirum & prodigiosum immanis & horrendi corporis silentio sibi assistentis. Sustinens rogare: Quis'nam, inquit, aut hominum aut deorum es? aut qua de causa ad nos venisti? Subiecit ei spectrum: Tuus sum Brute malus genius, in Philippis me videbis. Cui nihil perculsus Brutus: Videbo, inquit. Eo ex oculis elapso pueros suos vocauit: qui neque se audiuisse vocem asseruerunt, neque conspexisse visionem vllam. Ac tunc quidem iterum Brutus lucubrauit.

Cassij de spectris sententia.

Vbi diluxit, ad Cassium profectus narrauit ei speciem illam. Iste praeceptis imbutus Epicuri & de his pugnare solitus cum Bruto: Nostra est haec, inquit, Brute doctrina non omnibus affici vere nos, neque videre: sed rem fluxam esse & fallacem sensum. Multò etiam mentem perniciorem esse ad mouendum eum & vertendum à nulla re subsistente in omnem speciem. nam cerae impressio ista similis est. Menti autem humanae: quae, & quod fingitur, & quod fingit, in se habet: facultas adest, idem facillimè vt ipsa variet & per se figuret.

Somniorum causa.

Ostendunt id per somnum insomniorum conuersiones, quibus vertitur imaginatio: quae leui ex principio varios animi motus & species edit. Illa in perpetuo est motu. Motus verò eius imaginatio & cogitatio. At corpus quoque tibi, quod laboribus conficitur, animum sponte naturae suspendit & diuertit. Genios porrò neque esse credibile est: neque si sint, hominum habere figuram vel vocem vel vim, quae ad nos pertingat. Nam equidem ita esse velim, ne tantùm equitatu, peditatu, & tanta classe, verùm etiam deorum ope freti sanctissimorum & pulcherrimorum duces factorum essemus. Hisce rationibus leniuit Cassius Brutum.

Aquilarum ostentum.

Cùm castris egrederentur milites, ad prima signa simul duae aquilae magno impetu delatae sunt. Hae secutae & comitatae sunt agmen, atque à militibus Philippos vsque alitae. Ibi pridie, quàm confligeretur, auolauerunt. Gentes autem Brutus, per quas peragrauit, in potestatem suam redegerat. Siqua exciderat vrbs aut dynastes, his tunc omnibus subiugandis vsque ad mare Thasium processere. Illic Norbanum in Stenis appellatis & circa Symbolon statiua habentem circumuenientes excedere & relinquere loca illa coëgere: parumque abfuit, quin exercitum eius caperent subsistente in itinere morbi causa Caesare, ni Antonius suppetias ei venisset mira vsus celeritate, vt non crederet eum adesse Brutus. Diebus decem pòst venit Caesar: cui ex aduerso Brutus, Cassio Antonius castra posuit.

Bruti & Cassij castra in Philippis.

Campos, qui inter castra erant interiecti, Philippos Romani vocant. Maximae ibi comparatae fuerunt Romanorum copiae. Numero quidem erat Caesaris exercitu minor, sed armorum nitore & splendore singulariter emicuit Bruti exercitus. Erant enim ex auro militibus Bruti pleraque arma, & praebitum in ea fuerat profusè argentum. quamvis alioqui assuefecerat viuere Brutus duces moderatè & astrictè. At opes, quas in manibus & circa corpus ferunt milites, acuere nonnihil putabat gloriae cupidis pectora, auaros verò reddere etiam fortiores, quòd arma sicut possessiones retinerent.

Exercituum in Philippis lustratio.

Caesar & Antonius exercitum intra vallum lustrantes aliquantulum frumenti & quinquagenos asses viritim ad sacrificiū diuisere. Brutus et Cassius contempta illorum inopia & sordibus primùm in campo lustrauerunt solenni more exercitum. Deinde victimarum magnum numerum per centurias & asses in capita quingenos largiti beneuolentia & alacritate exercitus praecelluerunt.

Prodigia Bruto & Cassio infausta oblata.

At omen in lustratione infaustum fama est Cassio fuisse oblatum. Nam coronā ei lictor inuersam obtulit. Ferunt etiam antè in spectaculo quopiam & celebritate auream Cassij victoriam circunlatam lapso eo, qui ferebat, procidisse. Adhaec aues carniuorae conspectae quotidiè frequentes supra castra: iam apium examina glomerata quodam loco intra vallum visa: quem locum aruspices excluserunt expiandae gratia religionis, quae sensim etiam Cassium ex Epicuri praeceptis transuersum rapiebat, militum certè animos prorsus obstrinxerat.

Bruti & Cassij sententiae de conflictu.

Vnde segnis erat ad decernendum in praesenti acie: sed author erat ducendi belli: cùm essent à pecunia firmi, armorum & militum numero deficerentur. Brutus verò antè quoque maturabat quamprimùm Martis aleam iacere: quò aut patriae reciperet libertatem: aut omnes mortales, qui impensis, expeditionibus, molestijs fatigabantur, explicaret aerumnis: tunc verò equitatum suum in praeludijs videns & leuibus praelijs superiorem & victorem sustulit animos. Ac transitiones nonnullae ad hostes, delationesque aliorum & suspiciones amicos Cassij frequentes traduxerunt in consilio in sententiam Bruti.

Atellij de conflictu sententia.

Vnus aduersabatur ex Bruti amicis Atellius, qui expectandam censebat hyemem. Quaerente Bruto, quare arbitraretur anno pòst fore se potiorem: Si nihil, inquit, aliud, viuā certè diutiùs. Id tulit aegrè Cassius, offenditque reliquos non mediocriter Atellius,

lius. Visum igitur postero die acie decernere. Brutus bonam spem ostendit, & cœnam rationibus philosophicis traduxit, inde dedit se quieti. Cassium Messala ait solum cum paucis familiaribus cœnatum, cogitabundumq; & taciturnum fuisse præter ingenium suum in conspectum: à cœna eum manum suam pressisse, ac tantùm pro solita sua comitate dixisse Græcè: Testor Messala te idem mihi, quod Pompeio Magno accidere, prælio vno vt cogar iacere de patria aleam. Bonum animum tamen habemus, cùm respicimus ad fortunam: cui, vt malè consuluerimus, haud debemus diffidere. Hæc Cassium ait Messala nouissima fatum salutem sibi dixisse: fuisse etiam in posterum diem se, qui natalis ipsius erat, ad cœnam inuitatum. Orta luce signum in castris Bruti & Cassij sagū puniceum propositum fuit. Cùm illi in medio, quod erat inter duos exercitus, spacio essent congressi, ait Cassius: Opto Brute victoriam, vt perpetuò felicem vitam inter nos mutuò transigamus. Sed quia maximæ quæq; res mortalium sunt incertissimæ, & si infeliciter pugnatum sit, haud facilè iterū poterimus colloqui: quid de fuga & morte statuis? Cui occurrit Brutus: Iuuenis ego Cassi & in rebus tyro haud scio quemadmodū rationē quandam secutus philosophiæ improbaui Catonem, quòd sibi cōsciuisset necem: quasi nefas sit, neq; ad virum pertineat succumbere fortunæ, & nō fortiter excipere, quicquid casus tulerit, sed id refugere. Nūc alius in fortunis fio. Et si deus id, quod in manibus est, non rectè dispensauerit: non faciā, vt aliam de integro spem & apparatum experiar, sed occumbam fortunam laudans. Quippe Idibus Martijs largitus sum vitam meam patriæ, † propter quam alteram liberam duxi & claram. Tum arrisit Cassius, Brutumq; cōplexus: Hoc animo, inquit, pergamus in hostes. Aut enim vincemus, aut non formidabimus victores. Hinc de acie instruenda amicis præsentibus collocuti sunt. Contendit autem Brutus à Cassio, vt dexterum cornu sibi permitteret, quod propter vsum & ætatem potiùs existimabant ad Cassiū pertinere. Atqui concessit ei id quoq; Cassius, atq; Messalæ imperauit, vt cum fortissima legione, quam ducebat, consisteret in dextero cornu. Brutus extemplò equites eximiè ornatos eduxit, neque segnius peditum subsidium interposuit. Antonij milites fortè fossas à paludibus, circa quas locauerāt castra, ducebant in campum, vt vias Cassij ad mare tendentes intercciderent. Cæsar sedebat in castris: nec tamen ob valetudinem aderat ipse, verùm copiæ eius haud sanè pugnaturos hostes expectantes: tantùm excursiones ad opera facturos, leuibusq; telis & tumultu turbaturos fossores: dum verò infestam in se aciem non attendunt, mirabantur inconditum clamorem & frequentem à fossis accidentem. Inter hæc allatis à Bruto ad duces tesseris, in quibus signum scriptum erat: illoq; legiones circumuecto & adhortante pauci signum datū audiuere. Plerīq; eo non expectato intulerūt se vno impetu & clamore in hostes. Hanc confusionem secuta turbatione & diuulsione legionum, Messalæ prima, inde proximæ prælatæ sunt cornu Cæsaris sinistrum, quæ vbi paululū extremos carpserunt & obtruncauerunt non multos, sed cornu circumuenerunt, irruunt in castra. Ac Cæsar, vt ipse in commentarijs prodidit, cùm quidam amicus eius M. Artorius visionem in somno vidisset, quæ se iuberet secedere & facessere ex castris: paulo antè exportatus fuerat, putaueruntq; eum occubuisse: Nam lecticam eius inanem iaculis & pilis traiecerant. In castris cædes edita eorum, qui capiebantur: ac duo millia Lacedæmoniorum, qui nuper auxilio venerant, contrucidata sunt. Qui non circumdederant Cæsaris legiones, sed in frontem intulerant se: auerterunt facilè perculsos cō ciderūtq; tres legiones, vnoq; agmine cum fugientibus irruperunt in castra impetu victoriæ vnà illati. Hi Brutum secum habebāt. Quod verò non aduerterunt victores, id docuit occasio victos. Nam in nudam & laceram aduersam aciem, à qua abruptum dextrum cornu fuerat consectando, inuecti mediam non impulere, sed graui certamine sunt excepti. Sinistrum cornu confusione & ignoratione eorum, quæ acta essent, pepulere: consectantiq; in castra, diripuerunt ea neutro præsente imperatore. Antonius enim, vt aiunt, declinans initiò incursum, receperat se in paludem. Nec Cæsar, qui castris se subduxerat, vsquam apparebat: verùm Bruto aliqui cruentos gladios ostenderunt occidisse eum iactantes se, narrauerūtq; faciem eius & ætatem. Iam media acies profligauerat ingenti cæde aduersos, eratq; vndequaque Brutus victor, sicut victus Cassius. quod vnū rem perdidit: cùm neq; Brutus vt vincenti Cassio succurreret, neq; Brutum hic expectaret vt profligatum. Quandoquidem pro victoriæ signo Messala habet, q; tres aquilas & multa signa militaria cepissent de hostibus, illi nullum. Recipiens se Brutus castris iam euastatis Cæsaris miratus est Cassij prætorium se nō videre excelsum vndiq;, vt solet, & conspicuū, neq; alia loco suo posita. Si-

Bruti & Cassij colloquium ante pugnam.

† Locus est mendosus.

Pugna in Philippis.

Cæsaris Octauij somnium principibus seruandū.

Cæsar falsò cæsus in acie Philippica, dicitur.

quidem diruta ſtatim pleraq; tentoria & deiecta fuerũt, vbi irruerũt hoſtes in caſtra. Ceterùm qui peruidebant ex amicis Bruti acutiùs, docuerunt eum multa videre ſe fulgentia, multa etiã inargentata ſcuta in caſtris Caſsij huc illuc ferri: cæterùm haudquaquã videri ſibi vel numerũ vel armatum eſſe relictæ ſtationis: nec tamen cumulos vltrà apparere cadauerum, quantos par erat ſtratis tot legionibus. Ea primùm cogitationem Bruto ſubiecere caſus Caſsij: relictoq́; in hoſtium caſtris præſidio reuocauit inſequentes, contraxitq́; eos ad ferendam Caſsio opem. Cum illo autem actum ad hunc modum fuerat.

Caſsij caſus.

Nec primam incurſionem viderat libenter Bruti militum ſine ſigno & imperio datam: neq; quòd victores ſtatim ad rapinam & prædam ruerunt, omittentes circuire et circunfundere hoſtes, ea res ei placuit. Cunctatione autem quadam & mora potius quàm alacritate & conſilio ducum cinctus ab dextero hoſtium cornu eſt.

Bruti in bello virtus.

Equitatu confeſtim effuſa fuga ad mare ablato videns pedites quoque pedem referentes, laborauit eos retinere & reuocare. Vni etiam ſignifero fugienti eripuit ſignum, idq́; ante pedes ſuos defixit: cùm cohors quoque prætoria eius ægrè diutiùs cohæreret. Ita tandem cum paucis coactus eſt in collem, vnde deſpici in campum poterat, ſe recipere. Cæterùm nihil ipſe contuebatur. nam aciem habebat obtuſam. Tantùm caſtra ſua conſpexit idq́; etiam vix, diripi. Comites eius magnam equitum manum, quam mittebat Brutus, contemplati ſunt aduehentem. Hos Caſsius hoſtes eſſe & conſectari exiſtimauit ſe. Vnum tamen ex comitatu miſit ſpeculatum Titinium. Hunc vt aduenientem conſpicati ſunt equites, & hominem amicum & fidum Caſsio videre: ſublato præ gaudio clamore familiares ex equis deſilientes ſalutauerunt & complexi ſunt eum.

Quantum valeat error in bello.

Alij vndique eum nimio gaudio ouantes & ſtrepentes ſunt circumuecti. qua re magnum malum effecere. Nam Titinium arbitratus eſt Caſsius verè ab hoſtibus comprehenſum, atque hactenus locutus: Nimirum dum nimiùm vitæ ſumus cupidi, ſuſtinuimus amicum ab hoſtibus videre correptum. Mox diſceſsit in tentorium quoddam deſertum, vnum trahens ſecum libertum Pindarum, quem ex Craſsi clade ad hanc neceſsitatem ſecum habebat deſtinatũ. Verùm Parthis elapſus eſt.

Caſsij cædes.

At tunc chlamyde obuoluto capite ceruicem apertam præbuit præcidendam. Caput enim ſeorſum à trunco repertum fuit. Pindarum verò poſt eam cædem nemo mortalium conſpexit. Vnde ſuſpicati ſunt aliqui eum iniuſſu Caſsium occidiſſe. Mox cogniti equites ſunt, & Titinius coronatus ab eis perrexit ad Caſsium.

Titinij mors.

Qui vt ex eiulatu & clamore lamentantium & lugentium amicorum ducis cognouit caſum & errorem: ſtrinxit gladium, multumq́; ceſſationem incuſans ſuam ſeipſum peremit. Brutus vt fuſum cognouit Caſsium, properauit ad eum. Necem prope caſtra iam accepit.

Caſsius Romanorum fortium vltimus.

Qui cùm corpus Caſsij comploraſſet, & Romanorum vltimum appellaſſet eum, quòd exiſtere deinceps par animus nõ poſſet in vrbe: exornauit eum miſitq́; Thaſum, ne confuſionem ibi funus eius crearet. Milites eius collectos cõſolatus eſt: quos rebus omnibus neceſſarijs cernens ſpoliatos, pro amiſsis octo millia nummûm in capita pollicitus eſt. Illi cùm oratione eius recreati, tum doni admirati ſunt magnitudinem, abeuntemq́; acclamationibus proſecuti, atque laudibus in cœlum extulere tanquam ex quatuor imperatoribus ſolum in conflictu inuictum. Factum teſtatur, quàm rectè confiſus ſit ſe fore prælio ſuperiorem. Paucis enim legionibus omnes, qui ex aduerſo ſteterunt, fudit fugauitq́;. Quòd ſi omnibus eſſet ad prælium vſus, neque præterlati plerique hoſtem concurriſſent ad prædam, nulla videtur eorum pars permanſura integra fuiſſe. Ceciderunt ex eius exercitu octo millia connumeratis ſeruis, qui caſtra ſequebantur, quos nominabat Brutus Brigas.

Cæſorum in Philippis numerus.

Ex hoſtibus Meſſala ait bis totidem vel amplius arbitrari ſe deſideratos. Quo magis perculſi illi fuerunt prius, quàm Caſsij ſeruus Demetrius nomine veſperi ad Antonium cum paludamento & gladio, quæ confeſtim detraxerat corpori, veniſſet. Quibus allatis ita ſuſtulerunt animos, vt prima luce inſtructum exercitũ in aciem educerent. Quia verò vtraque Bruti caſtra in ancipiti erant fluctuatione (Nam ipſius propria captiuorum plena exactiorem cuſtodiam requirebant, altera Caſsij ferebant iniquo animo ducis mutationem: ſed & nonnulla inuidia odioq́; flagrabant aduerſus victores victi) placuit armari copias, verùm pugna abſtinuit. Ex captiuis ſeruitiorũ multitudinem ſuſpectè inter milites verſantium imperauit interfici. Ex liberis capitibus aliquos dimiſit, ab hoſtibus dicens potiùs captos, atque apud illos captiuos & ſeruos eſſe, apud ſe liberos & ciues. Sed cùm cerneret amicos ſuos & duces implacabiles, occultans alios & ad euadendum adiuuans ſeruauit eos.

Bruti clementia & lenitas.

Erat quidam Volumnius mimus & Sacculio ſannio capti. Hos Brutus cùm contemneret, adductos ad eum accuſauerunt ami-

ci

ci eius ne tunc quidem à dicterijs & contumelijs in ipsos faciendis temperare. Cùm Brutus alijs intentus curis taceret, Messala verò Coruinus cēseret in tentorio mulctatos verberibus nudos ducibus hostium remittendos: quò viderent, qualibus in bello compotoribus & familiaribus haberent opus: aliqui ex astantibus arrisere. P. Casca, qui Cæsarem vulnerauit primus: Indignum, inquit, est, vt mortuo Cassio per ludum & risum parentemus. At tu declarabis Brute, ecquam memoriam habeas imperatoris vel puniendo vel conseruando eos, qui irridebunt & obtrectabunt illi. Eo dicto exarsit vehementer Brutus, et: Quid igitur, inquit, me Casca rogaris, quin agitis pro vestro arbitrio? Hoc eius responsum pro assensione aduersus illos miseros accipientes, abreptos interfecerunt. Hinc donum militibus persoluit: ac modicè correptis, quòd non accepto signo inconditè sine imperio insultum fecissent in hostes, promisit, si dimicassent strenuè, duas vrbes se eis prædæ & direptioni daturum Thessalonicam & Lacedæmonem. Hoc Bruti vitæ crimen vnum inest inexcusabile: quamvis multò his tristiora militibus præmia Antonius & Cæsar tribuēre. qui omni penè Italia veteres exegerunt cultores: vt agrum illis & oppida darent aliena. Verùm istis imperare & dominari propositus erat belli finis. Bruto verò ob virtutis opinionem nec vincere nec incolumi esse à vulgo nisi cum honesto & iustitia concedebatur, idque Cassio defuncto: cui obiectatum fuit, quòd Brutum quoque ad nonnulla impelleret violentiora. Cæterùm sicut in cursu gubernaculo confracto ligna alia affigere & accommodare tentant, non aptè quidem, sed necessariò machinantes id ad euitandum periculum: ita Brutus in tanto exercitu rebusque ancipitibus cogebatur paris inopia ducis accommodare se præsentibus, multaque ex eorum nutu facere & dicere, quæ illis placebant. Placebant autem, quæcunque Cassij milites videbantur correctura. Quippe intractabiles erāt, in castris quòd agerent sine imperio feroces, aduersus hostes ob acceptam cladem trepidi. Nihilo erant Cæsaris & Antonij res commeatus penuria meliores, & quia castra habebant loco humili, grauē expectabant hyemem. Volutabantur enim apud paludes, & prælium imbres secuti autumnales tentoria cœno complebant & aqua confestim ex rigore conglaciante. Ita comparatis clades maritum mari accepta annunciatur. Siquidem ingentes copias, quæ mittebantur ex Italia ad Cæsarem, adorta Bruti classis est oppressitque: ex his admodum pauci, qui hostiles effugerant manus, adesis præ fame velis & funibus vitam tolerabant. Quæ vbi intellexere, maturabant prælio antè decernere, quàm quanto auctus successu esset, intelligeret Brutus. Eodem enim die terra marique pugnatum fuit. Cæterùm fortuna quadam magis quàm præfectorum classis malitia ignorauit Brutus victoriam hanc spacio interiecto viginti dierum. Neque enim ad alterum conflictum descendisset, cùm necessaria exercitui in longam diem haberet expedita, & loco opportuno consideret: vt haberet & aduersus hyemis iniuriam tuta & aduersus hostes inexpugnabilia castra: quia verò potiebatur citra controuersiam mari, & cornu hostium sibi aduersum fuderat, magna spe & animo esset fultus. Enimverò quoniam regi imperium non vltra poterat à multis, sed vnum postulabat rectorem, intendens scilicet amouere deus & subducere vnum illum, qui potiri rerum valenti obstabat, moratus est, ne illa palma in Bruti veniret notitiam: quamvis id propè esset factū. Pridie enim, quàm dimicare statuerat, sub vesperum transfugiens ab hostibus ad eum Clodius nunciauit Cæsarem & Antonium, vbi profligatam classem suam resciuerunt, properare ad certamen. Hæc dicenti non habita fides est, neque in Bruti venit conspectum despectus prorsus, quasi nihil certi audiuisset, aut vana fauoris conciliandi gratia adferret. Ea nocte spectrum illud referunt iterum Bruto obuersatum, eandemque repræsentans visionem nihil locutum, sed dilapsum fuisse. P. Volumnius vir sapientiæ studijs deditus, & Bruti arma ab initio secutus nihil meminit huius ostenti: sed obrectam apibus primam aquilam fuisse, & cuidam ordinum ductori brachium vnguentum rosaceum exudasse, neque cùm crebrò detergerent id & eximerent, quicquam profectum. Sub conflictum duas aquilas medio inter vtramque aciem spacio concurrentes dimicasse, atque incredibile silentium campum occupauisse omnibus eas spectantibus: pulsam fuisse & fugisse eam, quæ à parte fuerat Bruti. Celebratum verò fuit de Aethiope, qui porta patefacta aquilifero occurrens gladijs à militibus est in omen id vertentibus concisus. Postquàm eduxit milites, atque infestam hostibus explicauit aciem: diu substitit. Nam cōtemplanti exercitum suspiciones & delationes aduersus nonnullos oblatæ sunt, & equitatum vidit haud alacrem ad committendam pugnam esse, sed semper operientem, quid efficerēt pedites. Inde repentè vir strenuus, qui

Bruti crimen, et criminis ingeniosa Plutarchi excusatio.

Bruti victoria maritima.

Victoriæ naualis ignoratio perdidit Brutum. [illegible]

Prodigia ante secundum Bruti prælium.

Bruti secundum prælium.

virtutis causa magno in honore habebatur, præter Brutum ipsum euectus Camulatus nomine transijt ad hostes. Id Brutum intuentem ingens perculit dolor: ac partim ira, partim maioris metu defectionis & proditionis protinus duxit in hostem præcipiti in nonam horam die. Qua ipse agebat parte, superior fuit, gradumq; intulit sinistrum hostium cornu vrgens, confirmauerunt que successum equites, qui vnà cum peditibus impressionem dederunt in perculsos. Alterum cornu ne circundaretur, ducibus infesta signa in hostes rapientibus: cùm numero non æquarent aduersarios, medium diuulsum est, delumbatumq; non sustinuit hostes, sed effudit se primum in fugam. Qui hoc fuderant, mox circumvenerunt Brutum. Hìc omnia imperatoriæ & militaris virtutis opera manu & consilio in ipso discrimine ad palmam obtinendam expertus est. Cæterùm qua re fuerat priore cõflictu superior, ea hìc infestauit eum. Siquidem hostium cornu, quod ibi succubuit, ilicò fuit oppressum: ex Cassij verò militibus pulsis pauci ceciderant. Qui verò incolumes erant, ex priore clade trepidi consternauerunt pauore ac terrore maximam exercitus partem. Hìc M. Catonis filius inter præstantissimos & fortissimos iuuenes dimicans ac labore confectus non cepit fugam, neq; pedem retulit: sed pugnans significansq;, qui esset, atque paterno nomine se appellans super cumulata hostium cadauera cecidit. Occubuit etiam ex alijs optimus quisq;, qui ad eripiendum Brutum obiecerunt se hostibus. Erat Lucilius quidam inter Bruti amicos vir bonus. Hic equitum cateruam barbarorum cernens in consectando cæteros negligentes, in Brutum autem effusis se ferentes habenis, statuit periculo suo illos inhibere: paululum'que à tergo relictus, ipse Brutum se esse indicauit. Et fidem faciebat: quia orauit, ad Antonium vt ducerent se: quasi Cæsarem timeret, & fideret illi. Hi præda sua ouantes, & mirificam fortunam rati suam abduxerũt illum diei iam sero præmissis certis ex suis ad Antonium nuncijs. Lætus ille processit ducentibus obuiàm: alijq;, qui viuũ attrahi audierunt Brutum, accurrerunt partim eius miserantes fortunam, partim illa gloria ducentes indignum: qui lucis cupiditate præda factus foret barbarorum. Cùm appropinquarent, substitit Antonius suspensus, quemadmodum Brutum exciperet. At Lucilius ad eum adductus fidenti animo: M. Brutum, inquit, Antoni nemo cepit neq; ceperit hostis. Dij meliora, quàm vt tantopere virtutem calcet fortuna. Verùm ille reperietur viuus, vel certè, vt illo dignũ est, mortuus. Ego verò militibus tuis imposui, atque adsum nihil huius rei causa sufferre acerbi recusans. Sic fato Lucilio, omnibusq; obstupefactis Antonius in illos, qui adduxerant eum, intuitus: Nempe iniquè, inquit, fertis commilitones, quòd errore isto arbitremini vobis illusum. Verùm sic habetote, chariorem vos, quàm quærebatis, reperisse prædam. Quippe dum hostem quæritis, adduxistis nobis amicum. Nam ego Bruto incertus sum hercle quid facerem viuẽte. Tales verò amicos malim adipisci, quàm hostes. Ita locutus & Lucilium complexus commendauit eum tunc vni amicorum, eoq; deinceps fido & firmo ad omnia perpetuò vsus est. At Brutus riuum obsitum virgultis & rupibus transijt: neque multo longiùs, quòd iam nox esset, processit: sed loco quodam cauo, cui grande prætentum saxum erat, consedit paucis cinctus ducibus amicis'que: ac primùm suspiciens in fulgens stellis cœlum duos versus protulit, quorum alterum prodidit literis Volumnius,

Bruti imperatoriæ & militaris virtus.

Catonis filij iuuenis fortissimi, interitus.

Lucilij in Brutum fides.

Antonij mira in errore dissimulatio, & prudentia.

Bruti fuga.

Ne huius mali te fallat author Iuppiter.

Alterum sibi ait effluxisse. Mox singulos amicos, qui ante oculos suos ceciderant in acie, nominans, præcipuè Flauij mentioni & Labeonis ingemuit. Fuit eius Labeo legatus, Flauius præfectus fabrûm. Interea quidam, qui & ipse sitijt, & Brutum item vidit, rapta galea decurrit ad amnem. Cùm strepitus ex altera ripa accidisset, processit Volumnius speculatum & cum eo armiger Dardanus. Citò regressi requisiuerunt de potu. Ibi sanè quàm placidè arridens Brutus Volumnio: Epotus est, inquit, sed adferetur vobis alter. Idem missus penè captus ab hostibus fuit, & ægrè vulneratus euasit. Conijectanti Bruto non multos in conflictu cecidisse recepit Statilius per medios se transiturum hostes (neque enim poterat aliter) & speculaturum castra: elataq; face, si illa salua offendisset, ad ipsum regressurum. Fuit fax sublata. Nam peruenit in castra Statilius. Qui cùm longo spacio non redisset, Brutus: Si Statilius, inquit, viuit, reuertetur. Verùm ille in reditu incidit fortè in hostes, à quibus est interfectus. Multa iam nocte inclinans se Brutus, vt sedebat, versus seruum suum Clitum allocutus est eum. Silente Clito & lachrymante vertit se rursus ad armigerum Dardanum, quicum habuit seorsum quosdam

Antonium innuere videtur, vt Appianus refert. Versus est Euripidis è Medea.

Statilij cædes.

dam sermones. Tandem Volumnium ipsum lingua Græca literarum & studiorum communium commonefecit orauitq́, vt manum gladio vnà secum admoueret, & ictus impulsum adiuuaret. Recusante id Volumnio alijsq́ idem facientibus, cùm diceret quispiam, non remanendum illic, sed fugiendum esse, exurgens: Sané verò, inquit, fugiendum est, non pedibus tamen sed manibus. Tum data cuique dextra vultuq́ perquàm sereno, magnæ sibi voluptati ait esse, quòd nemo ipsum fefellisset amicorum: verùm fortunam se patriæ nomine incusare: Victoribus verò ducere se beatiorem, non præteritorum tantùm causa, sed in præsentia quoque: qui laudem relinqueret virtutis, quam neque armis victores neque pecunia paraturi vel relicturi essent posteris: quin viderentur iustis oppressis & probis iniusti & improbi dominatum nihil ad ipsos pertinentem quæsisse. Postquàm denique orauit & obsecrauit eos, vt semet ipsi seruarent, recessit longiùs cum duobus aut tribus: ex quibus fuit Strato, qui cum eo ex studio rhetorico contraxerat familiaritatē. Hunc proxime se constituit, atque in gladium strictum, quem capulo ambabus manibus direxit, incumbens interemit se. Alij non ipsum autumant, sed Stratonem enixè precante Bruto auersis oculis subiecisse gladium, atque illum cum impetu impressisse pectus: quo traiecto fuisse eum euestigiò exanimatum. Hunc Stratonem Messala Bruti amicus Cæsari reconciliatus commendauit ei aliquando pero-cium, lachrymansq́ ait: Hic ille est Cæsar, qui Bruto meo extremum præstitit officium. Eum Cæsar beneuolentia complexus habuit in laboribus & certaminibus Actiacis vnum ex fortibus Græcis, qui eum sequebantur. Ipsum autem memorant postea Messalam, cùm celebraretur à Cæsare, quòd quamvis fuisset ad Philippos infestissimus ipsis Bruti causa hostis, egregiam operam tamen sibi præbuisset ad Actium, dixisse: Tu me Cæsar semper sectæ partiumq́ inuenies meliorum & iustiorum. At Brutum Antonius exanimem cùm inuenisset, corpori præcepit paludamentum ex suis pretiosissimum inijci. Pòst cùm id interceptum comperisset, interfici iussit furem, reliquias ad matrem Bruti Seruiliam remisit. Porciam Bruti vxorem Nicolaus philosophus scribit & Valerius Maximus, quæ mori destinauerat, cùm amicorum nemo id permitteret, sed adhærerent ei assidui asseruarentq́, ex foco arreptos carbones hausisse, oreq́ occluso & compresso fuisse absumptam. Licet circunferatur epistola quædam ad amicos Bruti expostulantis & lamentantis Porciam vt ab illis neglectam, quæ deponere ob valetudinem voluisset vitam. Videtur igitur temporis Nicolaum rudem fuisse. Nam morbum certè amoremq́ huius fœminæ & mortis modum epistolium quoq́ hoc, modò ex germanis sit, suggerit.

Fugiendum, nō pedibus sed manibus, Bruti dictum.

Brutus sibi necē consciscit.

Strato Bruti familiaris.

Messala Coruinus Bruti amicus.

Messalæ libertas.

Bruti funus.

Porcia vxor Bruti carbonibus è foco sumptis, extincta.

Val. Max. lib. 4. cap. 6.

DIONIS CVM BRVTO COMPARATIO.

QVANDO Igitur multa hisce viris suppetierunt præclara, præsertim quòd ex tenuissimis subsidijs maximi euaserint, hæc Dioni pulcherrima laus est. Neq́ enim laudis socium habuit, quomodo Cassium Brutus virum ad virtutem & gloriam non perinde excellentem: sed qui ad bellum non minus fortitudine, sciētia rei militaris, & industria attulit momenti. cui sanè etiam totius facti asscribunt quidam ingressum, ducem hunc consilij in Cæsarem Bruto intrepidum asserentes fuisse. At Dion sicut arma, classem, copias militares ad rem gerendam: ita amicos quoque & socios sibi ipse comparauit. Nec verò iam, vt Brutus, ex rebus ipsis gerendis & bello opes sibi & vires quæsiuit, ita Dion: verùm prærogauit in bellum ipse facultates suas, ac pro ciuium suorum libertate exilij viaticum profudit prior. Adhæc Brutus & Cassius, cùm non liceret vrbe profugis securam agere quietem, verùm rei capitalis damnati, & cùm persequerentur eos alij, confugerunt necessariò ad bellum, armorumq́ præsidio tutantes salutem discrimen pro semetipsis potius quàm pro ciuibus adiere. Dion securiùs in exilio, quàm qui eum exterminauerat tyrānus, & lætiùs agens, quò Siciliam conseruaret, tantam periculi iecit aleam. Iam non perinde fuit Romanos à Cæsare atq́ ab Dionysio Syracusanos liberari. Hic enim tyrannum se non ibat inficias esse, & malis Siciliam obruebat infinitis. At Cæsaris dominatus, dum constitueretur, nō parum præbuit aduersarijs negocij. Vbi eum victi receperūt, nomen tantùm & opinionem apparuit esse: factum verò ab illo sæuum vel tyrannicum extitit nullum. Imo rebus ipsis poscentibus vnum principem, lenissimum quasi medicum ab ipso se deo ostendit

Quibus rebus Brutus Dione inferior fuit.

datum. Quare Cæsarē ilicò populus Romanus desiderauit, fuitq; infensus et implacabilis percussoribus eius. Dioni Dionysij ex vrbe Syracusana dimissio, & quòd tyranni cōditorium prioris non fuisset demolitus, crimini est apud ciues datum. Iam in ipso gerendo bello dux Dion inculpatus fuit: qui rebus, quas ipse instituerat, optimè est vsus: vbi titubatum per alios fuit, eas erexit & correxit. Brutus extremum de summa rerum neq; subisse videtur certamen prudenter, neque lapsus emendationem quæsisse: sed despondit animum & spem abiecit, nec quantum Pompeius expertus fortunam: idq; cùm spes magna ei ibidem reliqua in armis foret, et classe toto mari planè potiretur. Maximū autem, quod inurunt Bruto, crimen est: quòd, qui Cæsaris esset beneficio seruatus, & cōseruaret ex socijs fortunæ suæ, quotquot ei liberet, amicusq; habitus et prælatus multis ipse corpori illius intulerit manus. Id nemo Dioni obijciat: imò contrà. Quamdiu familiaris & amicus fuit Dionysij, res erexit conseruauit'que illius: patria verò exactus & violatus in vxore ac re familiari exutus bellum apertè suscepit legitimum & iustum. Atqui hoc primum vertitur in diuersum. Quod enim hisce viris ad laudem suppeditat imprimis, animus in tyrannos infestus & improbitatis odium, id syncerum Bruto & liquidum manet. Nihil enim, quod de Cæsare quereretur priuatim, cùm haberet: adijt pro libertate publica discrimen. Ille nisi læsus ipse fuisset, bellum non mouisset. Hoc ex Platonis liquet epistolis. ex quibus cōstat pulsum aula tyrannica, non deficientem oppressisse eum Dionysium. Insuper Brutum Pompeio, cui antè fuerat inimicus, fecit bonum publicum amicum & Cæsari hostem: qui vnum haberet inimicitiæ & amicitiæ iustitiam terminum. Dion multa in Dionysij gratiam egit, quamdiu sibi fidit ille: & ira adductus, vbi fides derogata sibi est, intulit illi arma. Vnde nec ei omnes amici fidem habuerunt pulso Dionysio non stabiliturum eum sibi ipsi dominatum blandiore nomine quàm tyrannidis ciues demulcentem. De Bruto inimicorum audires testimonium, coniuratorum in Cæsarem soli vnum à principio vsque ad exitum propositū fuisse, vt populo Romano pristinam redderet remp.

Quibus rebus Dion Bruto fuit inferior.

Porrò extra hæc certamen aduersus Dionysiū haudquaquam illi aduersus Cæsarem par fuit. Siquidem Dionysium nemo non qui familiariter eum cognosset, fastidiret in vino & alea & lustris plerumq; demersum. At de Cæsare cogitationem suscipere obterendo, neq; reformidare eius ingenium, opes, fortunam: cuius adimebat vel nomen Parthorum & Indorum regibus somnium: ingentis fuit animi et spirituum nulli succumbentium pauori. Quapropter cum Dione, simul atque conspectus in Sicilia est, infiniti mortales conspirauerunt in Dionysium. Cæsaris authoritas vel defuncti confirmauit amicos eius: ac nomen huius euexit ilicò eum, qui vsurpauit id, ex inope puero ad populi Romani principatum: isq; contra Antonij inimiciriam & potentiam appendit hoc pro amuleto. Quòd si obijcias magnis certaminibus fuisse eiectū ab Dione tyrannū: Cæsarem verò nudum à Bruto incautumq; occisum: id ipsum summæ fuerit solertię & consilij magni imperatoris virum potentia succinctum tanta, capere incautum & nudum. Neq; enim repentè, neq; solus, aut cum paucis adortus interfecit eum: sed diu pręmeditato consilio est aggressus cum multis, quorum fefellit eum nemo. Aut enim à primo delegit optimos: aut illo delectu eos, quibus fidem habuit, reddidit bonos. Dion vel malo iudicio permisit semet ipse improbis, vel vtendo ex bonis improbos reddidit: quorum erat viro prudenti præcauendum vtrumque. Exprobrat ei Plato quoq;, quòd eos adoptasset amicos, à quibus perditus fuerit. Atq; vltorem Dion necis suæ nusquam quemquam habuit. Brutum verò vel ex hostibus Antonius splendidè funerauit, Cæsar conseruauit etiam ei honores. Statua eius ærea fuit Mediolani in Gallia cisalpina posita. Hanc, quæ imaginem eius repræsentabat & erat fabrè facta, vt pòst vidit Cæsar, præterijt. Mox subsistens compluribus audientibus vocauit magistratus, ciuitatem eorum ferens sibi compertum esse fœdus pacis rupisse, quòd hostem suum apud se haberet. Ac primùm sanè negauerunt: & quem'nam significaret, ambigentes intuebantur sese mutuò. Vt verò conuersus Cæsar ad statuam contracta fronte: Num'ne ille, inquit, hic stat hostis noster? Multò illi magis perculsi obmutuere. At Cæsar arridens laudauit Gallos, quòd amicis essent etiam in aduersis rebus stabiles, præcepitq; ne statua loco moueretur.

Bruto bonos mortuo etiam ab hostibus habitus.
Bruti statua Mediolani, ab Augusto conseruata.

PRVDENTISSIMIS ATQVE ORNATISSIMIS VIRIS, CONSVLIBVS ET SENATORIBVS

trium inclytarum ciuitatum imperialium Dauentriensis, Campensis, & Swollensis, dominis suis obseruandis Hermannus Cruserius S. D.

PRAECLARA est honoratissimi ac prudentissimi domini Africani sententia, quam commemorat in somnio Scipionis Cicero: Omnibus, qui patriam cõseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, vbi beati sempiterno æuo fruãtur. Nihil esse enim illi principi deo, qui omnẽ mundum regit, quod quidẽ in terris fiat, acceptius, quàm concilia cœtusq; hominum iure sociatos, quæ ciuitates appellantur. Harũ rectores & conseruatores è cœlo profectos, illuc reuerti. Nam primum officium nostrum vendicat iure suo patria, secundum parentes, tum amici: vt præferenda patria & parentibus & amicis reliquis sit omnibus. Quare cùm tanta sit charitas patriæ, vt eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur: non deterret bonum virum mors, quæ propter incertos casus quotidiè imminet, & propter breuitatem vitæ nunquam longè potest abesse: quò minus in omne tempus reipubl. suiq; consulat: vt posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Itaq; Pompeius Magnus, cùm esset Romæ in rei frumentariæ penuria delectus annonæ procurator, in Africam, Sardiniam, ac Siciliam nauigauit, magnoq; frumenti numero collecto properabat Romam. Hic cùm tempestate oborta atroci detrectarent naucleri nauigationem, ipse nauem primus ingressus iussit anchoras tolli clamauitq; Nauigare necesse est, viuere non est. Vt patriæ consulerent duo Decij, morti se præsenti vltrò deuouere, Phileni fratres viuos dederunt se defodiendos. Bonus ergo ciuis omnia posthabebit saluti & vtilitati publicæ, atq; in eam apum more incumbet: quæ non respiciunt sua queq; priuatim, verum in commune consulunt. Consulent autem magistratus prudenter imperando: Id efficitur rectis consilijs, iustis iudicijs, & bona disciplina publica: Plebs parendo exequendoq; nauiter, quæ sunt à magistratibus imperata. Cùm enim bene imperetur & obediatur, redditur cõcentus decentissimus publicus, quæ est concordia: qua paruæ res crescunt, maximæ verò discordia dilabuntur. Vt contra: si fatuum sit consilium, si labefactata iustitia, si disciplina adulterata publica: haud diu cohærebit in ciuitate concordia, neque ea diu stare resp. valebit. Maximi autem momenti est disciplina. Vna hac imperium Græciæ tenuere Lacedæmonij. qua laxata, mox eo fuerunt exuti. Vna hac imperium peperit Roma orbis terræ. Verùm vbi hæc soluta est, ilicò est in monarchiam delapsa, inde in exitium: vt ex tanto imperio tamq; valido & præstanti nomen tantùm & vmbra supersit. Porrò re nulla perinde inficitur disciplina publica, vt moribus recipiendis extraneis. Quod præuidens sapientissimus vir Lycurgus in constituenda republ. sua Lacedæmonia hoc præcipuè sanxit, ne in ciuitatem admitterentur peregrini: non quòd corpora odisset externorum, sed mores: qui tenorem statim inuertunt ciuium. Nihil est autem ita declinandum extraneorum, vt luxus in victu & vestitu: qui semel receptus vitia effundit infinita. Comitantur enim eum fastus, supercilium, contemptus aliorum, libidines, æmulatio, odium, detrectatio. Hic parens est inopiæ, vt falsè significauit Tiberius Cæsar: qui Attilio Butæ viro prætorio, cùm ad inopiam per luxum ac socordiam redactus fateretur ac deploraret paupertatem suam: Serò, inquit, experrectus es. Qui verò iam dissipauit sua, is necesse est inhiet alienis. Semper enim qui sui profusus est, hic alieni est appetens. Vbi cupiditas alieni obsidet ciuitatem, haud diu constare poterit concordia. Tum prorumpunt seditiones, bella ciuilia, hinc sequitur euersio ciuitatis. Quare Heraclitus philosophus in seditione rogatus, vt in concione sententiam diceret, quo pacto redigi ciuitas posset in concordiam: conscenso suggestu poposcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ inspersit, mox de glechone (id est vel pulegij syluestris vel leguminis genus) admiscuit. Tum epoto calice abscessit, nec verbum addidit: ea re innuens ita demum carituram ciuitatem seditionibus, si repudiatis delicijs assuescerent paruo contenti esse. Ad hæc me tractanda compulit singularis amor in patriam meus: cui consulere si re alia nulla queam, certè vt admonendo ei prosim: si fortassis aliqua ratio iniri, qua qui foris cœpit inundare ciuitates nostras, sisti luxus queat. Quod ni in tempore fiat, vereor, si malum porrò serpat, atque ita vt cœpit, increscat: ne redigat multorum lautas facultates ad inopiam. Priuatis verò collapsis opibus vt fundamentis non posse consistere rempublicam nemo ignorat. Facimus autem Germani, quod ferè mali incitatores. qui siquid conspiciant in viro insignis vitij, velut claudicationem, manuum ine-

ptam iactationem aut proiectam ceruicem aut vsurpationem alicuius inconditam verbi, id libēter vt exprimamus, virtutes singulares alias non sectemur. Itaque nos, cùm immigrauerint in Brabantiam & vicinas regiones ex contagio vitia externarum gentium, hæc mutuamur ab illis libenter, virtutes non attendimus: ac luxum eorum cupidè amplectimur, sobrietatem & vigilantiam repudiamus. Quia verò immigrare ad nos hæc mala cœperunt, & aliquem fecerunt iam progressum, non ita sumus tamen ijs immersi adhuc vt vicini: propterea hæc duxi suggerenda, proponendumq́ exemplum M. Antony triumviri, qui comparatus est cum Demetrio Macedone: vt consideremus, hic quantumuis præstantissimo ingenio, quia à prima ætate se dedidit luxui, quantas calamitates inflixerit orbi terræ, in quantasq́ ipse se coniecerit, & quàm tristem & fœdum habuerit exitum. Huius enim luxus, qui pubem Romanam tunc acceptus ex Asia obsederat, dominæ orbis terræ inuexit seruitutem Romæ. Quare cùm hæ tres inclytæ ciuitates, in quibus patria est mea, semper mihi sint suspiciendæ, honorandæ, atque colendæ: nolui prætermittere, vt vitæ illustrium virorum Plutarchi à me in sermonem Romanum conuersa prodirent, quin vnum par insigne eis dedicarem: partim quò bona, quæ ipsis suppeditant, in his agnoscant (Quippe nusquàm clariùs, quàm diuersis ex malis cognoscuntur bona Neque enim tam iucunda vnquam est sanitas, quàm vbi tentatum fuit morbo corpus) libertatem suam, securitatem, opes, resp. suas constitutas longe, quàm ciuitatum omnium finitimarum elegantiùs & rectiùs tum ad publicam libertatem, tum ad iustitiam ac prouentum virorum cordatorum: atque hisce bonis delectentur, caueantq́, ne sibi euolent: partim quò laborem meū, officia, operam, & studium intelligant sibi esse omnia consecrata. In cuius rei pignus vobis colendissimi Domini, qui ijs præestis, duas hasce vitas offero: quod meum factum, vt vobis sit gratum, maiorem in modum rogo. Valete Campis.

PROOEMIVM IN DEMETRIVM ET ANTONIVM.

Sensus & artes quatenus conueniant & differant.



QVI Artes primi censuere sensibus germanas esse, hi videntur mihi præcipuè eorum in iudicando considerasse facultatem, qua contraria iuxtà in vtroq; genere solemus comprehendere. Nam hoc est eis commune: verùm in eis quæ iudicauerunt, ad finem referendis minimè consentiunt. Sensus enim etsi in albis & nigris: dulcibus & amaris: mollibus cedentibus've & duris siue renitentibus distinguendis versantur: haud tamen in eo sistunt gradum: sed vt horum cuiq; aliquid occurrit, vt ab eo mouetur & afficitur, sic illud ipsum ad intelligentiam refert. Id enim eius est munus. Artes verò cum ratione conspirantes ad eligendum & sumendum id, quod ipsis est familiare, ad declinandumq; & repellendum alienū, illa sua sponte præcipuè, hæc ad deuitandum obiter inspectant. Quippe medicina morbum, musica absonum, quemadmodum se habeat, ad contrariorum spectare effectionem solet. Atq; artiū omnium absolutissimæ temperantia, & iustitia, & prudentia: quæ non honestorum modò, iustorumq;, & vtilium iudicium faciunt: sed & damnosorum, turpium, iniustorū: venditantem se, quòd malorum sit inexperta, non commendant simplicitatem: sed ineptiā eam & imperitiam existimant eorum, quę maximè cognoscere conuenit honestè victuris. Ac veteres quidem Spartiatæ festis diebus Ilotas multo mero cùm onerare se coëgissent, in conuiuia introducebant: quò, quàm sit fœda ebrietas, ostenderent iuuentuti. Nos verò correctionem ex corruptela aliorum, non sanè humanam ducimus neq; ciuilem. At illorum, qui nimiùm fuerunt impotentes, atq; in imperio & summo potestatis gradu positi nobili fuerunt improbitate, non alienum fortassè sit vnum aut alterū par vitarum exemplis intexere: nō quò voluptatis mehercle vel oblectandi causa lectores varijs imaginibus illustremus vt picturam commentationē nostrā: sed vt Thebanus Ismenias discipulis suis ostendens tam eos, qui benè quàm qui secùs tibia canerent, solitus erat dicere: Ita canendū, ac contrà, ita canendum nō est. Antigenidas verò etiam maiore oblectamento iuuenes arbitrabatur bonos tibicinas audituros, si aliquando malorum quoq; experimenta egissent. Ita mihi videmur nos quoq; impigriores fore vitarum spectatores & æmulos meliorum, si nec peruersarum & improbatarum simus rudes. Complectetur autem hoc volumen Demetrij Expugnatoris vitam & M. Antonij triumviri hominū, qui maximè astipulati sunt Platoni, vitia item magna vt virtutes à magna proferri indole. Fuerunt ęquè lustris vinoq; dediti, bellicosi, munifici, sumptuosi, insolentes.

Spartiatarum mos in seruis inebriandis.

Improborū vitæ cur etiā describantur.

Demetrius Poliorcetes, id est expugnator: sic

Iam

Iam fortunę quoq; habuerunt paritates conſentaneas. Non ſolùm enim per totam vitam reliquam magnas res feliciter geſſerunt, magnis in rebus ceſpitauerunt, plurimis potiti ſunt, plurimas amiſerunt: inopinatò conciderunt, præter ſpem denuò ſunt excitati: verùm etiam vitam finierunt, captus alter ab hoſtibus, alter penè in eam fortunā delapſus.

ab expugnandis vrbibus appellatus.

Demetrius.



GITVR Antigonus duobus ſuſceptis ex Stratonice Corræi, filijs, vnum fratris nomine Demetrium, paterno nomine alterum Philippum dixit. Ita ferè pleriq; tradunt. Nonnulli verò non filium Demetrium Antigoni, ſed fratris eius memorāt fuiſſe. Nam cùm eſſet pater admodum eo infante defunctus, mater autem mox Antigono nupſiſſet, pro filio illius habitū. At Philippus non multis annis Demetrio minor fortè deceſſit.

Demetrij genus

Demetrius corporis proceritate, quamvis procerus, minor parēte fuit. Forma verò & faciei venuſtate adeò mira atq; excellenti, vt plaſtes vel pictor exprimere nullus imaginem eius poſſet. Eadem enim venuſtatē & grauitatem, terrorem & hilaritatem habebat, confuſaq; erat cum iuuenili & feroci vultus aſpectu penè inimitabilis heroica quædam ſpecies & maieſtas regia.

Demetrij forma.

Perinde mores inerant ei pariter formidabiles hominibus & grati. Vt enim iucundiſsimus per ocium in familiari conſuetudine, atq; inter pocula, in delicijs, in victu regum omnium molliſsimus: ita vigilāniſsimus rurſus & intentiſsimus erat in rebus gerendis aſsiduitate & ſtrenuitate: qua in re præ cæteris dijs Liberūm patrē æmulabatur, vt qui optimè vti bello noſſet, contráq; pacem ex bellis alere, eſſetq; ad hilaritatem ac voluptates maximè compoſitus.

Demetrij mores

Iam fuit ſingulariter patris amans. Obſeruare verò matrē etiam in patris gratiā videbatur ex ſyncera potius pietate quàm quòd potentiā eius captaret obſequijs. Ac cùm aliquando audiret Antigonus certos legatos: ſuperuenit à venatione Demetrius, adijtq; parentē, atq; eū oſculatus, cùm teneret adhuc iacula, apud eū aſſedit. Ibi Antigonus digredietes iam cū reſponſo legatos alta voce appellans: Et hoc, inquit, de nobis legati renunciate, ita inter nos cōuenire. quaſi cōcordia cum filio ſuo fidesq;, quā ei habebat, regni nerui eſſent & potentiæ demonſtratio.

Demetrij cum patre cōcordia.

Nempe vſq; adeò inſociabile vndequaq; eſt imperium, diffidentiæq; & maleuolentiæ plenū: vt ſummus inter Alexandri ſucceſſores & natu maximus gloriaretur, quòd non timeret filium, ſed committeret lancea armato corpus ſuum. Verumenimverò vnica propè dixerim in multas ſucceſsiones hæc domus eiuſcemodi vacauit malis. Imò ex Antigoni poſteris filiū ſuum ſolus trucidauit Philippus. Reliquæ familiæ regū penè omnes frequentes habent liberorum, frequentes etiam matrum neces & vxorum. Nam fratrum parricidia vt petitiones geometræ ſumunt, ſic concedebantur habebanturq; communis quędā petitio ad ſecuritatem & regia.

Omnis poteſtas impatiens conſortis.

Liui. lib. 44.

Regum Orientaliū ludus fuit filios & fratres necare.

Adhæc humanum naturâ amicorumq; Demetrium amantem initiò fuiſſe, hoc habeo exemplum commemorare: Mithridates Ariobarzanis amicus erat eius & propter ætatē familiaris. Hic in comitatu Antigoni erat: nec erat vel habebatur improbus. verùm ex ſomnio quopiam venit Antigono in ſuſpicionem.

Demetrij humanitas.

Viſus eſt ſibi Antigonus amplum & pulchrum campum inire, atque eum auri ramentis conſerere: ex eo primùm exurgere aurea meſsis, mox regreſſus nihil niſi demeſſum culmum videre. cùm anxio & mœſto animo eſſet, audiuiſſe quoſdam dicentes, Mithridatem in Pontum Euxinum fugere aſportantem auream meſſem deſectam. Hinc trepidans filio iureiurando adacto taciturum viſum aperuit, ac ſe prorſus demedio tollere eum & interficere ſtatuiſſe.

Antigoni ſomnium.

Quod, vt audiuit Demetrius, oppidò fuit ei acerbum: adoleſcenti'que, cùm morę ſuo ipſum adiſſet, vt ocium ſecum falleret, verbum facere, aut voce id detegere iuriſiurandi religione dubitauit: ſed abduxit eum paulatim ab amicis, atque vbi ſoli ſine arbitris fuerunt, haſtili in ſolo inſpiciente illo deſcripſit: Fuge Mithridate. Eo aduerſo profugit nocte in Cappadociam, breui'que oblatam Antigono de ipſo viſionem fatum compleuit.

Demetrius ſeruat Mithridatē.

Ampla enim & præclara regione potitus eſt, regumq; Ponti ille ſtirpem, quæ octaua fermè ſucceſsione à populo Romano eſt deleta, edidit. Præclaræ indolis hæc ad humanitatem & iuſtitiam ſpecimina extant Demetrij. Quia verò quemadmodum Empedoclis elementis diſcordiæ & concordiæ

Mithridates Pontum occupat.

causa

causa mutuum inest dissidium & bellum, magisq́ contiguis & vicinis: ita bellum, quod inter omnes Alexandri successores fuit perpetuum, magis patefecerunt in quosdam magisq́ inflammauerunt prouinciarum & locorum confinia, sicut Antigonum tunc cõtra Ptolemæum. Ipse id temporis in Phrygia Antigonus agebat. Cùm autem Ptolemæum transisse accepisset in Cyprum, & Syriam populari, vrbes'que solicitare & vi in potestatem suam redigere: filium Demetrium eò misit annos natum duos & viginti: qui tunc primùm per se magnis in bellis exercitum ductare cœpit. atque vt iuuenis & tyro cum viro confligens ex Alexandri palæstra, qui multa suo ductu & magna prælia obierat: ad vrbem Gazam offendit fusus'que est octo millibus captis & quinque millibus desideratis. Amisit simul tabernaculum, stipendium, totum'que, quo ad corporis cultum vtebatur, famulitium. Cæterùm remisit ei hæc cum amicis Ptolemæus generoso & humano adiecto dicto: Non de vniuersis, sed esse de gloria ipsis & imperio decertandum. Quibus receptis precatus Demetrius deos est, ne eius beneficij diu maneret debitor, sed citò paria referret ei. Neque fuit iuuenili more attonitus, cùm in rerum gerendarum esset vestibulo prostratus: sed vt constans dux rerum vicibus versatus militum delectibus armisq́ parandis intendit, atque vrbes instituit in potestate retinere, conscriptosq́ exercere. Antigonus pugna nunciata Ptolemæum imberbes ait nunc vicisse, sed iteratò dimicaturũ cum viris. Ne animum autem infringeret aut perstringeret filij, petenti de integro per se præliari non prohibuit, sed concessit. Mox magnis cum copijs Ptolemæi dux Cilles, quòd Demetrium ex priore aduerso prælio contemneret, adfuit ad eum tota Syria summouendum. At Demetrius repentino insultu non expectantem perculit, atque castra cum ipso cepit duce. Milites septem millia viuos in potestatem redegit, ac permagna præda potitus est. Victor exultauit non horum causa, quæ habiturus, sed quæ redditurus esset. Atque ex victoria non ita opes & gloriam, vt pensitationem munificentiæ & gratiæ in Ptolemæum relationem est amplexus. Neq; hæc tamen executus est ex suo arbitrio, sed ad patrem scripsit. Quo annuente & mandante, omnibus vt ex libitu suo vteretur, ipsum Cillem & amicos eius magnificè donatos remisit. Hoc naufragium exegit Ptolemæum Syria, & Antigonum victoria ouantem filiumq́ auentem aspicere exciuit Celænis. Inde ad subiugandos Arabas, quos Nabatæos appellant, Demetrius missus, cùm incidisset in loca arentia, in periculum venit. At eo ipso, quòd non expauesceret nec perculsus esset, percellens barbaros, ingenti capta præda & septingentis camelis recepit se. Cùm verò Seleucus antè ab Antigono Babylonia emotus, recepta inde per se ea prouincia victor cum exercitu superiores regiones petisset ad conterminas Indis gentes ac circumiectas Caucaso subigendas nationes: sperans vacuam se Demetrius Mesopotamiam deprehensurum, transmisso repentè Euphrate Babyloniam inuasit. Occupauit etiam altera (nam duæ erant) arce Seleuci præsidium summouere. qua potitus suum ibi septem millium militum imposuit. Ac quæcunque ex illa prouincia rapere possent, in prædam suam vertere militibus iussis, ad mare est regressus, firmius Seleuco relinquens imperium. Quippe cedere videbatur, dum vastat quasi non iam suam. At Halicarnassum, quam obsidebat Ptolemæus, celeriter succurrens eripuit. Hoc factum cùm ingentem his gloriam attulisset, magna cupido incessit eos oppressam à Cassandro & Ptolemæo vniuersam liberãdi Græciam. Eo bellum nullus regum splendidius gessit vel iustius. Quas enim ex barbarorum præda collegerant opes, eas in Græcos pro gloria & laude profundebant. Vt primùm Athenas nauigare stetit sententia, cùm subijceret quidam ex amicis Antigono, hanc vrbem, si essent ea potiti, præsidio ipsis quasi pro scalis Græciæ retinendam: non est eum Antigonus secutus, sed scalas ait præclaras esse & firmas beneuolentiam, Athenas verò vt orbis terræ speculam mox res gestas suas laudibus apud omnes mortales illustraturas. Nauigauit Athenas Demetrius quinque millibus talentûm argenti & nauium ducentarum succinctus classe. Vrbem Demetrius Phalereus Cassandri nomine regebat. Munychia tenebatur præsidio. Sed secunda fortuna simul & prouidentia vsus repentè ad Piræeum die vigesimo sexto mensis Targelionis ex improuiso applicuit. Vt propè in conspectum venit classis, omnibus vt Ptolemæi naues recipere eam parantibus, tandem re intellecta duces instituerunt occurrere: fuit'que tumultus, qualem verisimile est, cùm hostium descensionem arcere nec opinatam cogerentur. Siquidem fauces portus nactus apertas Demetrius, inuectusq́ est iam omnibus conspicuus; signoq́ ex naui dato audientiam & silentium postulauit. Quo dato pronunciauit

Demetrius fusus à Ptolemæo. Ptolemæi victoris in Demetrium liberalitas.

Demetrij victoria de Ptolemæo. Demetrij gratitudo erga Ptolemæum.

Demetrij incursio in Arabiam.

Demetrij incursio in Mesopotamiam.

Antigonus & Demetrius conantur liberare Græciam.

Demetrius reddit Atheniensibus libertatem. Demetrius Phalereus Athenarum præfectus.

per

per præconem parentem se, quod felix faustum'que esset, ad liberandas Athenas præsidium'que eijciendum misisse, atque ad leges illis pristinamq́; rempubl. reddendam. His prædicatis vulgus depositis ad pedes clypeis ingenti plausu & clamore, vt exiret de naui Demetrius, hortati sunt, seruatorem'que & benefactorem appellauere. Phalerei cohors omnis, quamvis recipiendum censebant potentiorem: vt nihil eorum, quæ ostendebat, esset præstaturus: legatos tamen cum supplicijs misere. Quos Demetrius benignè affatus ex paternis amicis cum eis suo nomine misit Milesium Aristodemum. Phalereum verò ciuium magis ob reipublicæ mutationem quàm hostium metuentem non neglexit Demetrius: sed dignitatis eius & virtutis veneratione Thebas eum, vti petebat, addito præsidio deduci iussit. Vrbem ipse negauit se, quamvis desiderio teneretur, prius visurum, quàm pulso præsidio libertatem ei reddidisset solidam. Munychiam vallo fossaq́; cinxit. Dum tenet obsidio Megaram infessam à Cassandro infestus nauigauit. Cùm esset autem ad eum allatum Cratesipolim, quæ Alexandro Polyperchontis fuerat nupta, Patris agentem cupere se ad ipsum conferre celebratæ mulierem formæ: relicto in finibus Megaricis exercitu perrexit illuc cum expeditis. atque rursus ab his abscedens, nequis congredientem secum sentiret, reduxit seorsum tabernaculum. Quod quia quidam de hostibus odorati sunt, repentè incurrerunt in eum. Ille pauidus obsoleta sumpta chlamydula concirataq́; fuga proripuit se: ac parum abfuit, quin ob libidinem fœdissimè venerit in hostium potestatem. Hostes direpto cum pecunia tabernaculo eius receperunt se. Capta Megara, militibusq́; ad prædandum conuersis, Athenienses enixè deprecati sunt pro Megarensibus. Ita præsidio eiecto reddidit Demetrius illi ciuitati libertatem. Dum hæc agit: philosophi ei in mentem venit Stilponis, qui existimabatur vitam sectari tranquillam. Hunc accitum rogauit, numquid rerum ipsius quisquam cepisset: Cui Stilpon: Nemo, inquit. Neminem enim vidi, scientiam qui eriperet. Cùm seruitia essent penè omnia surrepta, ageret autem iterum cum eo Demetrius benignè, tandem'que digrediens diceret: Liberam Stilpon ciuitatem vestram relinquo: Rectè ais, inquit: Nullum enim nostrum seruum reliquisti. Postquàm verò ad Munychiam reuersus castris ibi permunitis deiecit præsidium, arcem'que excidit: tum denique inuitantibus eum & excipientibus Atheniensibus vrbem inijt, concione'que aduocata veterem restituit ijs reipubl. formam. Addit promissum, missurum ipsis patrem suum centum quadraginta millia medimnûm tritici, & materiam ad centum triremes faciendas. Populus Atheniensis vbi anno quintodecimo popularem reipubl. formam recuperauit (Nam intermedium tempus à bello Lamiaco & pugna ad Cranona commissa verbo paucorum, reuerà vnius propter Phalerei potentiam viguerat dominatus) tam splendidum beneficijs Demetrium & magnificum immodicis honoribus, quos ei decreuerunt, odiosum & grauem reddidere. Nam omnium primùm Demetrium & Antigonum reges appellauerunt, hoc nomen in eam diem auersatos. quod quidem ex insignibus regijs vnum adhuc Philippi & Alexandri generi illibatum alijs & intactum supererat. Soli eos Seruatores deos in acta retulerunt, abrogato'que vetere magistratu Archonte, à quo denominabatur in fastis annus, Seruatorum sacerdotem quotannis creauerunt, quem plebiscitis contractibus'que præscripserunt: sciuerunt'que vt eorum cum dijs nomina peplo intexerentur. Locum etiam, vbi primùm descenderat de curru, consecrauerunt posueruntq́; ibi aram, quam Demetrij Catabatæ, id est, desultoris nominauere. Insuper tribubus duas adiecere Demetriadem & Antigonidem, curiam'que quingentenariam tum primùm sexcentenariam fecere: quòd singulæ tribus quinquagenos senatores præberent. Superauit omnia Stratoclis commentum. Iste fuit enim scitorum horum & præclarorum designator blandimentorum. qui promulgauit, vt qui ex plebiscito publicè ad Antigonum & Demetrium mitterentur, pro legatis dicerentur theori, sicut qui Delphos & Olympiam solennibus Græcorum victimas pro ciuitatibus agunt. Erat vel aliàs proiectæ Stratocles audaciæ & lasciuã vitam agebat, procacitateq́; & insolentia veteris Cleonis videbatur ad populũ licentiã referre. Meretrix erat ei domi Phylaciũ. quæ cùm aliquando ad cœnã ei cerebella et colla emisset: Papæ, inquit, hæc obsonata es, quibus tanquã pilis nos, qui gerimus remp. ludimus. Cùm cladẽ illã Athenienses naualẽ apud Amorgõ accepissent: præuertẽs nuncios coronatus per Ceramicũ incessit, ac victoriã nunciauit, tulitq́; rogationẽ, vt eius causa dijs immortalibus gratiæ haberentur, atq́; viscerationẽ populo tributim dedit. Mox adfuere, qui naufragia pugnæ retulerunt,

Demetrio Phalereo bonos à Demetrio Antigoni, habitus.

Demetrij periculum libidinis causa.

Demetrius Megaram capit & libertate donat.

Stilponis philosophi dicta ad Demetrium.

Demetrio nimij honores decreti ab Atheniensibus.

Stratoclis Atheniensis audacia.

Stratoclis crudele dictum.

runt. Vbi hic ira incensus acciuit eum populus, tumultũ subsistens impudenter: Quid tandem, inquit, iniuriæ accepistis, si duos dies transegistis per lætitiam? Ea extitit Stratoclis audacia. Iam fuerunt etiam igne alia feruidiora, vt Aristophanis verbis vtar. Nam rogationem alius quidam promulgauit, impudentia superans Stratoclem: vt Demetrium, quotiescunq; appelleret, Cereris & Liberi patris lautitijs exciperent. Qui splendore & magnificentia in eo excipiẽdo excelluisset, vt pecunia huic de publico tribueretur ad donum dijs ponendum. Ad postremum mensem Munychiona Demetriona, & diem mensis trigesimum Demetriadem appellauerunt. Adhæc Bacchanalia mutato nomine vocauerunt Demetria. At in plerisq; demonstrârunt dij portentis offensionẽ suam. quando peplum, in quo Demetrius & Antigonus ex plebiscito fuerant vnà cum Ioue & Minerua intexti, dum per Ceramicum transfertur, irruente procella medium laceratum est. Circa aras illorũ frequens in ambitu edita cicuta, cùm nec ea regio passim istam fundat. Quo die agi solent Bacchanalia, pompam intermiserunt: quòd ingens & intempestiuum gelu extitisset. & quia frequens deciderat pruina, non vineas modò & ficos omines adusit frigus, sed frumentum quoque maxima ex parte in herba perdidit. Quapropter Stratoclis inimicus Philippides his versibus perstrinxit eum in Comœdia:

Demetriona, à Demetrio mensem appellatũ. *Prodigia.* *Philippides Comicus.*

Quem propter obfuit pruina vitibus,
Propter quem agentem non piè scissum est peplum,
Laudem deûm qui contulit mortalibus:
Populo hæc ferunt noxam, non comœdia.

Vtebatur Philippides Lysimacho familiariter, multaq; eius gratia populus à rege beneficia accepit. Huius videbatur occursus & conspectus bonum omen illi ad res gerendas & expeditiones adferre. Fuit alioquin ei etiam ob mores probatus, quòd non esset importunus & aulica vacaret affectatione. Agente cum eo aliquando comiter Lysimacho ac dicente: Quid tibi Philippide rerum mearum impertiar? Tantùm, inquit, ne rex secreta. Hunc de industria cum illo contendimus, cum concionali scenicum. Quod verò præter cæteros honores modum excesśit & fuit absonum de consecrandis apud Delphos clypeis, Dromoclides Sphettius rogationem tulit, vt oraculũ à Demetrio peterent. Verba ipsa ascribam legis, quæ sic habent: Quod felix faustum'que sit: velit iubeat populus, vnum vt populus ciuem Atheniensem designet: qui ad Seruatorem profectus, vbi litauerit, consulat Demetrium Seruatorem, quemadmodum religiosisśimè, commodisśimè & ocysśimè dona dedicaturus sit. Quamcunq; dederit dictionem, eam vt populus sequatur. Ita hominem deridentes insuper dementauerunt nec aliàs satis sanum. At ille Athenis tunc ocio indulgens Eurydicen viduam matrimonio sibi iunxit. Fuit illa veteris Miltiadis proneptis, & Ophelte nuptias Cyrenæorum principis tenuerat. Quo defuncto remigrauerat Athenas. Has nuptias posuerunt in beneficio & honore ciuitatis suæ Athenienses. Cæterùm erat aliàs ad nuptias Demetrius procliuis, multasq; vno tempore coniuges habebat: quarũ erat maxima in dignatione & honore Phila tum propter patrem Antipatrum, tum quòd etiam matrimonio iuncta fuisset Cratero: qui summum ex Alexandri successoribus desiderium sui reliquerat Macedonibus. Hanc scilicet Demetrio admodum iuueni suasit pater, vt ætate sibi non respondentem, sed maiorem duceret. Abhorrenti dicitur in aurem hoc Euripideum insusurrasse:

Philippidis responsum optimum, de arcanis regum non audiendis. *Demetrius Eurydicen ducit Athenis.* *Demetrius multas simul habuit vxores.*

Vbi lucrum suadet, reluctetur licet
Natura, ducas coniugem.

De coniuge ducenda & obsequio, sententia.

Vbi, ducas coniugem, pro, seruias, scitè subiecit. Atqui hunc Demetrius Philæ cæterisq; coniugibus honorem habuit, impudenter vt consuesceret multis scortis & multis liberis matronis, essetq; supra illius æui reges ex hac libidine infamis. Vt pater eum ad bellum Ptolemæo de Cypro mouendum exciuit, habuit necessarium obtemperare ei. Cæterùm molestè ferens, quòd bellum pro Græciæ libertate cogeretur præclarius & illustrius omittere: Ptolemæi ducem Cleonidem, qui Sicyonem & Corinthum tuebatur, pecunia pertentauit certis interpretibus, illas ciuitates vt relinqueret liberas. Renuente illo confestim cum copijs conscendit, petijtq; Cyprum, & fratrem Ptolemæi Menelaum signis collatis protinus fudit. Mox contulit se eò Ptolemæus ipse cum ingentibus pedestribus simul & naualibus copijs, ac minæ quædam insolentes disputationesq; habitæ

Demetrius Cleonidem vincit.

tæ sunt, Ptolemæo Demetrium, vt recederet priùs monente, quàm à toto coacto exercitu suo obtereretur: Demetrio omissurum se illum ostēdente, si Sicyone & Corynthio præsidium se deducturum recepisset. Certamen hoc non illis ipsis modò, verùm etiam omnibus dynastis grandem mouit impendentis expectationem euentus: quòd non Cyprum, non Syriam: sed principatum inter omnes victoria protinus esset palmam referenti præbitura. Igitur Ptolemæus ipse centum quinquaginta nauibus infestus petijt hostem. Menelao ex Salamine imperauit, vt sexaginta nauibus in ipso pugnæ ardore inueheret & Demetrij nauium terga cæderet ordinesque turbaret. His L X. Demetrius decem obiecit. Tot enim arctum excludere portus exitum valebant. Ipse pedestres copias instructas per prominentia in pelagus promontoria circunfudit, ac sic centum octoginta nauibus est in altum prouectus. Illatus magna impressione & impetu Ptolemæum vi pepulit. Qui, vt profligatus est, citato cursu cum solis octo nauibus profugit. Neque enim plures ex omnibus euasere. Cæteræ partim in prælio depressæ, L X X. cum propugnatoribus & socijs naualibus captæ. Ex turba, quæ in nauibus onerarijs circa littus stationem habebant, seruitiorum, amicorū Ptolemæi, fœminarumque: adhæc armorum, stipendij, machinarum nihil prorsus elapsum Demetrio est: sed omnia cepit, atque in castra deportauit. In his nobilis illa fuit Lamia, quæ initiò propter artē fuit in pretio habita. Siquidem scienter tibia canebat. Pòst extitit commercio meretricio celebris. Tunc verò etiam exolescēte forma multò se minorem pellexit Demetrium, adeoque lepore deuinxit & cepit eum: vt ab alijs mulieribus amaretur, vnius illius esset amator. Secundum prælium nauale etiam Menelaus manus dedit, Salaminaque Demetrio & naues & pedestres copias tradidit, equites mille ducentos, grauis armaturæ militum duodecim millia. Hanc victoriam Demetrius adeo claram & insignem multò magis facilitate & humanitate decorans hostes, qui ceciderant, magnificè funerauit, atque captiuos missos fecit. Atheniensibus tantum armorum numerum dono dedit, quibus mille ducentos milites valebant exornare. Victoriæ nuncium patri Milesium Aristodemum misit, inter omnes aulicos primum adulatorem. qui tunc elaborauit, vti declarauit, maxima adulatione cumulare hanc victoriam. Vt enim ex Cypro transmisit, vetuit nauigium terræ appelli, sed anchoras iaci, omnibusque conquiescere præcepit in naui. Ipse scapham conscendens solus est egressus, atque ad suspensum pugnæ expectatione perrexit Antigonum, itaque affectum, vt verisimile est tantis de rebus solicitos. Tunc verò vbi illum accepit adesse, multo quàm prius magis trepidauit, vixque se tenuit domi, atque alios super alios ministros amicos que ad percontandum de pugnæ exitu Aristodemum misit. Qui vt nihil cuiquam respondit, sed lento gradu vultuque cōtracto accessit admodum tacitus: mirè attonitus Antigonus, neque vltrà sui compos occurrit ei ad ianuam, multa iam Aristodemum prosequente turba atque in regiam concurrente. Vt ergo propè venit: protensa dextra exclamauit alta voce: Salue rex Antigone, vicimus prælio nauali regem Ptolemæum, Cyprum tenemus, militum sexdecim millia octingentos captiuos habemus. Tum Antigonus: Et tu quoque hercle, inquit, salue. Quia verò ita nos torsisti, lues pœnam. Nam tardiùs præmium læti nuncij accipies. Hinc primùm Antigonum & Demetrium vulgus reges consalutauit, atque Antigonum confestim diademate amici euinxere. Demetrio pater diadema misit, scriptaque epistola regem appellauit. Aegyptij quoque his nunciatis, ne ob cladem abiecisse viderentur animos, regem Ptolemæū dixere. Ea res pariter æmulatione omnes successores Alexandri peruasit. Etenim cœpit diadema Lysimachus gestare, & Græcos Seleucus alloquens. quando barbaris eo ornatu antè quoque vt rex responsa dederat. At Cassander alijs regem eum scribentibus & vocantibus ipse pristino more suo scripsit epistolas. Id non additamentum nominis & habitus tantum habuit variationem, verùm etiam illorum inflauit spiritus & animos sustulit, moribusque & congressibus eorum fastum addidit & supercilium tragicorum histrionum more vnà cum persona incessum, vocem, accubitum, salutationemque versantium. Hinc euaserunt in puniendo quoque violentiores: vbi illam, que ipsos multò faciliores & leniores antè popularibus reddebat, detraxerunt potestati dissimulantiam. Tantū vox vna valuit adulatoris, tantaque orbem terræ impleuit conuersione. Porrò Antigonus rebus gestis Demetrij intumescens confestim mouit in Ptolemæum. Copias terrestres ipse duxit. Demetrius magna classe eum littus legens comitabatur. Res autem quemadmodum decreturæ erant, Medius vidit in somnis Antigoni amicus. Visus enim ei ipse est Antigonus cum toto exercitu certare diaulo validè & acriter primùm, deinde vires

Demetrij de Ptolemæo victoria

Lamia, Demetrio adamata.

Demetrio traditur Salamis.

Aristodemus lenius victoriæ Demetrij Antigono nuntius, castigatur.

Antigonus & Demetrius reges appellati.

Antigoni et Demetrij in Ptolemæum expeditio inanis.

Medij, Antigoni amici, somniū.

eius flacceſcere paulatim: denique, vt flexit curſum, languidus & anheloſus ægrè ſpiritum recipere. Igitur Antigonus, cùm in magnas perplexitates terra incurriſſet, Demetrius verò tempeſtate & ingentibus fluctibus iactatus propè in loca importuoſa & aſpera eſſet eiectus, multaſq́ amiſiſſet naues, re infecta rediịt. Erat ille tunc annos natus paulo minus octoginta. Mole verò & pondere corporis magis quàm ſenio ad expeditiones inhabilis filio vtebatur ob felicitatem & vſum maxima quæque iam præclarè procu-

Antigoni in filium Demetriū indulgentia.

rante. Nec delicias vel luxum eius vel potationes moleſtè ferebat. Pace enim proiectus erat in hæc vitia, atque per ocium profundebat affatim ſe in voluptates: bello vt naturâ temperantes ſobrius erat. Fama eſt, cùm Lamia propalàm iam omnia apud Demetriū poſſet, Antigonum, cui reuertens peregrè tulit ille oſculum, arridentem dixiſſe: Videris Lamiam fili oſculari. Alio tempore, cùm plures dies perpotaſſet, & prætexeret fluore

Antigoni in filium Demetriū ioci.

ſe conflictatum: Audiui, dixiſſe, Antigonum: ſed Thaſius an Chius fuit fluor. Rurſus cùm eum accepiſſet malè habere: perrexit ad eum viſendum, ac formoſo puero ad fores occurrit. Ingreſſus, cùm apud eum aſſediſſet, tetigit manum eius. Qui cùm dixiſſet febrem modò receſsiſſe: Sanè, inquit, fili: & mihi ad ianuam modò digrediens obuiàm venit. Hæc ob alia Demetriị præſtantia facta tam ferebat leniter. Nempe Scythæ inter pocula & temulentiam arcuum neruos interim pulſant, quaſi voluptatibus remiſſum reuocantes animum. Ille verò partim ſe luxuriæ totum dedens, partim rebus ſeriịs, tractanſq́ ſeorſum alteras ab alteris, æquè erat in belli apparatu acris. Cæterùm dux in exercitu inſtruendo quàm tractando videbatur melior. quòd omnia ad vſum ſuppetere vellet affluenter, eſſetq́ in claſſe machinamentiſq́ ſplendidè parandis, atque in ịs cum voluptate commentandis, nimiùm curioſus. Nam ſolers cùm eſſet atq; intelligens:

Regum quorūdam ſtudia.

non ad ludicra neque ad ſtudia futilia applicuit ingenịj ſui præſtantiam aliorum regum more tibịjs canentium, pingentium, & tornantium. Quippe Aëropus Macedo ſubtiles menſulas & lucernulas, vbi vacabat, fabricando tempus traducebat. Attalus Philometor herbas venenoſas colebat, non tantùm hyoſcyamum & helleborum, ſed & cicutam, aconitum, dorycnion ipſe in hortis regịjs ſeminans & plantans: liquores'que & ſemina & fructus horum elaborabat cognoſcere, ac ſuo quæque tempore colligere. Partho-

Demetrịj magnificæ fabricæ

rum reges telorum cuſpidibus ipſi formandis & exacuendis ſeſe venditabant. At Demetrịj erant etiam vulgaria opificia regalia, granditatemq́ ratio fabricæ habebat, vnà cum artificio & ſolertia celſitudinem quandam mentis & magnanimitatem authoris repræſentantibus operibus: vt non ingenio tantùm & opulentia, verùm etiam manu regia viderentur digna. Quippe mole vel amicos percellebant, venuſtate retinebant & hoſtes. Atque hoc quoque verius eſt quàm lepidius relatum. ſenûmdenûm & quinûmdenûm ordinum nauigia eius ſtabant ſtupentes hoſtes, cùm littora ſua prætervueherentur. Iam Helepoles velut ſpectaculum erant obſeſsis, vt res ipſe aſtipulantur. Siquidem ex omnibus regibus Lyſimachus Demetrio infeſtiſsimus, qui ad repellendum eum ab obſidione Solorum in Cilicia venerat, miſit ad eum oratum, vt machinas ſuas & claſſem oſtenderet ſibi in curſu. Vbi ille oſtendit eas, diſceſsit cum admiratione. Rhodịj diu ab eo obſeſsi bello compoſito machinas aliquot ab eo petiuere: quò

Demetrius Rhodum obſidet.
Helepolis, maxima Demetrịj machina.

& illius potentiæ pariter & virtutis ſuæ haberent monumentum. Rhodịjs intulit bellum, quòd Ptolemæi ſocịj forent, maximam'que Helepolim admouit muro. Huius fuit quadrata baſis, habuit'que ſingula imæ quadraturæ latera octonûm & quadragenûm cubitorum. Aſſurrexit ſexaginta cubitos in faſtigium ſubnexa, ſuperioribus lateribus baſi contractioribus. Intus contignationibus frequentibus'que cameris intercepta fuit. Frons eius hoſtium ex aduerſo aperta, & per quamque contignationem feneſtrata. Hinc omnis generis miſsilia mittebantur. Nam referta militibus erat omni genere armorum prælìantibus. Quod verò non vibraret neque nutaret, cùm moueretur: verùm recta in baſi ac nihil fluctuans in æquilibrio cum ſtridore & vi magna promoueretur: id pauorem ſimul animo & oculis oblectationem exhibebat ſpectantium. Hoc ad bellum duo ei ex Cypro allati thoraces ferrei fuerunt, pondo vterque quadragenûm. quorum firmitatem & robur opifex oſtentans Zoilus, intorqueri catapulta ex ſpacio paſſuum x x v i. telum iuſsit. Quo adacto integrum ferrum permanſit, ac vix leuiter fuit ſicut à ſtilo perſtrictum. Hunc thoracem ipſe geſtauit, al-

Alcimi Epirotæ fortitudo.

terum Alcimus Epirota vir omnium, qui in præſidịjs eius erant, bellicoſiſsimus valentiſsimus'que. qui ſolus centum viginti pondo armis vtebatur, cùm cæteri L X. pondo vterentur. Is pugnans Rhodi ſecundum theatrum occubuit. Cùm defende-

rent

rent se fortiter Rhodij, quamvis nullum operæpretium Demetrius faceret, oppugnauit eos tamen bile: quòd cùm vxor sibi Phila literas, vestem stragulam, & pallia curasset, captum nauigium misissent cum omnibus rebus ad Ptolemæum, nec humanitatem imitati Atheniensium, qui Philippi captis tabellarijs hostis sui cæteras literas legerunt, solam epistolam Olympiadis non soluerunt, sed bona fide obsignatam ei remisere. *Rhodiorum inhumanitas.* *Atheniensiū humanitas.* Haud tamen, licet non mediocriter stimulatus, cùm mox oblata occasio esset sibi, vicem sustinuit illis Demetrius reddere iniuriæ. Nam forte pingebat eis Caunius Protogenes Ialysi figuram, tabulam'que ceperat Demetrius in vno ex suburbijs pene absolutam. *Protogenis Ialysos.* Mittentibus caduceatorem & deprecantibus eum Rhodijs, picturæ vt parceret, neque eam violaret: patris respondit se prius simulachra concrematurum, quàm tantos artis sudores. *Demetrius parcit Protogenis picturæ, quæ post Romæ incensa est.* Septem enim annis expleuisse Protogenes picturam hanc memoratur. Quo Apelles aspecto opere vsqueadeò refert obstupuisse se, vt vox eum defecerit: ac tandem dixisse, ingentem laborem & inclytum opus esse, deficitamen gratijs, ob quas picturæ suæ cœlum attingerent. Hæc tabula vnà cum alijs Romam congesta, atque ibi incendio est absumpta. *Demetrij pax cum Rhodijs.* Porrò bellum Rhodijs fortiter sustinentibus, & quærente velamentum Demetrio Athenienses fecerunt inter eos fœdus hac lege: vt socij Antigoni & Demetrij Rhodij præterquàm contra Ptolemæum essent. Accersiuerunt Athenienses Demetrium, quòd vrbem eorum obsideret Cassander. *Demetrij victoriæ in liberanda Græcia.* Ille nauibus aduectus triginta supra trecentas cum magna peditum manu non Attica terra modò Cassandrum summouit, sed fugientem tergori inhærens vsque ad Thermopylas fudit, Heracleam'que vltrò se dedentem recepit, ac Macedonum sex millia ad eum transierunt. In reditu Græcos citra Thermopylas in libertatem asseruit, Bœotios in societatem asciuit, Cenchreis potitus est, Phylen'que & Panacton præsidia Atticæ à Cassandro infessa in potestatem redegit restituit'que Atheniensibus. Qui quamvis effusi antè in illum fuerant, & omnis generis exhauserant honores: excogitauerunt rationem tamen, vt tunc quoque recentes & noui assentationibus apparerent. Siquidem Parthenonis partem posteriorem attribuerunt ei pro diuersorio, ibiq; agebat, & Minerua dicebatur eum hospitio excipere non nimium castum hospitem, neque vt apud virginem diuertentem honestè. Atqui fratrem eius Philippum pater, cùm animaduerteret aliquando hospitium habere eum in ædibus, in quibus tres iuuenculæ erant: nullum verbum huic fecit: sed accito illo, qui super hospitia attribuenda positus erat, eo præsente: Quin tu, inquit, filium meum educis ex istis angustijs? *Antigoni pudor.* At Demetrius, cùm Mineruam debuisset, si nulla alia de causa, certè vt maiorem natu sororem (id enim dici volebat) erubescere: tanta in pueros ingenuos & vrbanas matronas conspurcauit arcem lasciuia: *Demetrij lasciuia.* tunc vt maximè locus ille videretur mundus, vbi cum Chryside, Lamia, Demo, Anticyra scortis illis in omni lasciuia volutaretur. *Demetrij meretricum nomina.* Ac cætera quidem non decet vrbis nomine apertè in lucem proferre. Democlis verò virtutem & pudicitiam operæpretium est non præterire. *Democlis pueri Atheniensis castitas & cōstantia.* Puer ille impubes adhuc erat, habebatq; formæ cognomen delatorem. Democles Formosus vocabatur. Qui cùm multis propositis muneribus, solicitationibus, terroribus superatus esset à nemine, palæstras denique gymnasiumq; declinans contulisset se lauatum ad priuatum balneum: captata Demetrius opportunitate ad solum est ingressus. Vbi in solitudine deprehensum se & necessitatem cognouit: detracto aheni operculo in aquam insilijt feruentem, ac semet ipse peremit. Ita ille indigno quidem modo perijt: sed spiritibus præditus fuit patria & specie dignis sua: secus atque Cleænetus Cleomedontis, qui cùm patri suo quinquaginta talentûm, quanti ei lis æstimata fuerat, remissionem confecisset, & literas attulisset ad populum à Demetrio: *Cleænetus impudicus.* non se modò fœdauit, verùm etiam concussit ciuitatem. Nam Cleomedonti quidem remisit mulctam, sed plebiscito cauit, ne quis ciuium à Demetrio afferret literas. Quam rem vbi ille delatam nō modicè tulit, sed indignatus est: rursus trepidantes non tantùm refixerunt plebiscitum illud, sed & eos, qui tulerant & suaserant id, partim necauerunt, partim exterminârunt. Sciuerunt insuper, videri populo Atheniensi, quicquid iussisset rex Demetrius, id & apud deos fas & ius apud homines esse. *Decreta in honorem Demetrij Athenis facta.* Ibi cùm quidam ex optimatibus insanire dixisset Stratoclem, eam qui promulgaret legem: Demochares Laconensis ait: Atqui insaniat, nisi insaniat. Habebat enim admodum quæstuosam Stratocles adulationem. Demochares ob id dictum delatus cùm esset, in exilium datus est. Hæc agebant Athenienses, cùm liberati præsidio & agere viderentur in libertate. At Demetrius progressus in Peloponnesum, *Demetrij in Pe-*

loponesum expeditio.

quòd nemo subsisteret hostis, fugerent'que omnes & oppida desererent: adiunxit sibi Acten, quam vocant, Arcadiamq; dempta Mantinea: Argos, Sicyonem, Corinthum redemit centum talentis, quæ præsidiarijs numerauit. Instante apud Argiuos Iunonis solenni ludos faciens & festos dies cum Græcis agitans Aeacidis Molossorum regis filiam sororem Pyrrhi Deidamiam duxit. Sicyonios induxit, cùm dixisset eos iuxta vrbem habitare, vt demigrarent eò, vbi nunc sedes habent. Hac ratione mutato etiam vrbis nomine pro Sicyone Demetriadem appellauit. Cùm in Isthmo conuentus publicus celebraretur, multiq; mortales eò conuenissent: renunciatus est dux Græciæ, vt antè Philippus & Alexander. quibus ille non paulò se censebat præstare præsenti fortuna & potentia inflatus. Alexander quidem certè aliorum neminem nomine regio fraudauit, neque regem regum pronunciauit se, quamvis eius munere multi essent & dicerentur reges. At hic illudens & irridens, siquis alium extra patrem suum & se appellaret regem: libenter audiebat, cùm inter pocula quis postulato vino propinaret Demetrio regi, Seleuco elephantorum magistro, Ptolemæo classis præfecto, Lysimacho à thesauris, Agathocli insulæ Siciliæ rectori. His apud reges enunciatis reliqui deriserunt eum, solus stomachatus est Lysimachus: quòd haberet se pro spadone Demetrius. Eunuchos enim ferè præponere solent thesauris. Erat autem omnium ei Lysimachus infestissimus. qui insectans eum ob Lamiæ amores dictitabat nunc primùm scortum se ex tragica prodeuntem scena vidisse. Contrà Demetrius castius iactauit illius Penelope suum esse scortum. Porrò repetens tunc Athenas velle scripsit se, vbi eò venisset, ilicò initiari, mysteriaq; à paruis vsque ad vltima & recondita sacra, quæ epoptica appellant, cuncta percipere. Id nefas erat, neque visum antè fuerat vnquam: verùm peragebantur parua mense Anthesterione, magna Boëdromione, recondita inspiciebant interiecto à magnis vt minimum anno. Lectis literis eius vnus sustinuit intercedere tædifer Pythodorus, incassùm tamen. Cæterùm lata ex Stratoclis sententia lege, vt mensem Munychiona Anthesteriona nuncuparent & haberent, Demetrium initiauerunt cæremonijs, quæ publicè fiebant. Mox iterum ab Anthesterione Munychion conuersus in Boëdromiona reliquas cæremonias recepit, simulq; ad inspectionem quoq; admissus Demetrius est sacrorum. Vnde in Stratoclis opprobrium Philippides hos versus fecit:

Demetrius Deidamiam Pyrrhi sororem ducit.

Demetrius declaratur dux Græciæ.

Demetrij arrogantia.

Demetrius initiatur mysterijs

Philippidis in Stratoclē assentatorē, versus.

In mensis arctum traxit anni circulum.
Iam de diuersorio eius in templo Mineruæ:
Arcem tabernæ deputauit hic loco,
Et scorta duxit ad sacrata virginis.

Multis admissis id temporis in vrbe illa delictis & flagitijs illud momordit, vt fertur, Athenienses potissimùm: quòd cùm ducenta quinquaginta talenta ipsis properè imperata ab Demetrio fuissent, præcipitataq; exactio & acerbè exercita: vbi coactum argentum vidit, Lamiæ iussit id, cæterisq; meretricibus, quæ circa eam erant, ad smegma præberi. Pupugit enim ciues pudor magis quàm iactura, & verba, quibus est vsus, quàm exactio. Sunt, qui Thessalis hoc, non Atheniensibus referant accidisse. Præter hæc ipsa seorsum Lamia cœnam regi parans, à multis pecuniam conciliauit: atque ob immensos sumptus vsqueadeò fuit illa celebrata cœna, vt eam Lynceus Samius mandauerit literis. Quamobrē Lamiam Comicus quidam appositè veram Helepolim vocauit. Demochares Solius Demetrium fabulam appellauit: quòd ei Lamia quoque esset. Huius non vxoribus modò, sed amicis quoque Demetrij gratia apud eum eius'que in hanc amor æmulationem & inuidiam mouit. Venerunt ad Lysimachum aliqui ab Demetrio legati. quibus ille per ocium altas in cruribus & brachijs suis leoninorum vnguium cicatrices ostendit, exposuit'que suam cum leone pugnam, quam ab Alexandro rege cum illo conclusus conseruerat. Illi in risum effusi suum quoque regem prædicauerunt immanis feræ in collo ferre morsus Lamiæ. Mirum fuit eum, qui Philæ deflorescente ætate offensus fuerat initiò, succubuisse Lamiæ, & tandiu iam vergentem annis dilexisse. Ac Demo quidem cognomento Mania tibia super cœnam canente Lamia, cùm rogaret eam Demetrius: Quid tibi videtur? Anus, inquit, rex. Iterum appositis secundis mensis cùm diceret ei ille: Vides'ne quàm multa mihi mittat Lamia? Plura, inquit, à matre mea mittentur tibi, si cum ea quoque volueris cubare. Memoratur Lamiæ quoque celebrati Bocchoris iudicij impugnatio.

Lamiæ meretricis cœna Demetrio parata.

Demonis meretricis dictum in Lamiam et Demetrium.

Bocchoris iudicium.

Nam

Nam cùm quidam meretricem Aegyptiam Thonidem amaret, popoſcit illa ingentem pecuniæ ſummam. Adoleſcens inde, cùm in ſomnis ſibi viſus eſſet cum illa concumbere, liberatus eſt libidine. Ob id mercedem ab illo inſtitit Thonis iudicio exigere. Cognita cauſa iuſsit Bocchoris illi, quantum poſtulauerat Thonis argenti, in vaſe numeratum huc atque illuc manu iactare, ac meretricem vmbra frui: quòd veritatis opinio vmbra ſit. Hanc ſententiam cenſuit Lamia iniquam eſſe. Neque enim, inquit illa, ademit meretrici vmbra pecuniæ cupiditatem, ſomnium verò amore adoleſcentem expediuit. Hactenus de Lamia. Porrò hiſtoriam fortunæ & res geſtæ viri, quem deſcribimus ex comica ſcena iterum traducunt in tragicam. Nam cùm cæteri reges in Antigonum omnes conſpirarent, vires'que conferrent in vnum: ſoluit Demetrius ex Græcia. *[Regum contra Antigonum cōſpiratio.]* Qui poſtquàm ſe parenti ſupra ætatem in bellum incumbenti & exultanti coniunxit, multò magis erectus ipſe eſt. Et quidem videtur Antigonus, ſi paulùlum de iure ſuo deceſsiſſet, atque ex inſana ambitione remiſiſſet, retenturus ſibi perpetuò & illi fuiſſe relicturus primatum. verùm ingenio ferox & contemptor aliorum, verbisq́ non ſecus ac factis inſolens multos & iuuenes & potentes efferauit exacerbauitq́ viros. Atque coitionem illam regum & ſocietatem iactauit ſe ſicut auium paſcentium globum vno lapide & ſtrepitu diſturbaturum. Pedites ſub ſignis habebat ſupra L X X. millia, decem equitum, elephantos quinque & ſeptuaginta. *[Antigoni & hoſtiũ eius copiæ.]* Hoſtibus pedites erant quatuor millia ſupra L X X. millia, equites quàm ille plus quingentis, quadringenti elephanti, currus C X X. Cùm illi caſtra caſtris eius contuliſſent, mutationem mens eius ſpei magis quàm conſilij habuit. Nam qui eſſe celſus in prælijs & exultare conſueuerat, & magna vti voce verbis'que elatis: ſubinde etiam commiſſo iam prælio per cauillum ridiculum quippiam iacere ad conſtantiam ſuam & contemptum hoſtium oſtendendum: tunc cogitabundus ferè & taciturnus conſpiciebatur, filium'que ſuum exercitui oſtendit commendauit'que ſucceſſorem deſignans. Quod verò præcipuè omnes ſtupuerunt, in tabernaculo colloquium cum eo ſolus habuit, haud ſolitus ne cum illo quidem remotis arbitris agere: verùm conſilia ſua tecta habebat, inde propalàm dabat imperia, vtebatur'que conſilijs ſuis arcanis. Fama eſt, cùm adoleſcentulus etiamnum Demetrius ex eo quæſiſſet, quando caſtra eſſent moturi, illum reſpondiſſe ſtomachabundum: Times, ne ſolus tubam tu non exaudias? At tunc fœda præſagia quoque multa animos eorum fregere. Demetrio viſus eſt Alexander ſecundum quietem eximiè armatus ab eo percontari, quod'nam ſignum pugnæ daturi eſſent: vbi reſpondit Demetrius, Iouem & Victoriam: Abeo ergo, dicere ille, ad hoſtes tuos. Illi enim recipient me. *[Demetrij ſomnium & oſtenta.]* Antigonus, cùm acies iam inſtrueretur, progreſſus offendit pedem, vt totus in faciem caderet, atque affligeret corpus. Vt reſurrexit, tenſis ad cœlum manibus victoriam ab dijs, vel mortem popoſcit ante, quàm vinceretur, ſubitam. Cùm in prælio ad manus eſſet ventum: Demetrius, qui plurimos & delectiſsimos equites ducebat, concurrit cum Antiocho Seleuci filio, atque vſquedum profligauit hoſtem, præclarè certauit. ſed hoſtium tergis inſolenter & ambitioſè inſtando labefecit victoriam. *[Demetrius in prælio profligat Antiochum: ſed nimiùm inſtando vincitur.]* Neq; enim regreſſus coniungere ſe peditatui valuit elephantis interiectis. Cernens autem aciem Antigoni Seleucus nudaram equitatu non irrupit in eam, ſed irruptionem minitans circumuectus eſt, ac potcitatem militibus fecit tranſeundi ad ſe: quod euenit. Magna enim pars abrupta tranſitionem voluntariam ad illum fecere. Reliqui dederunt terga. Petente Antigonum ingenti hoſtium globo eùm quidam ex ijs, qui circa eum erant, diceret ei: In te hi rex: Quo verò propoſito iſti, inquit, me petunt? at Demetrius ſuppetias veniet. *[Antigoni cædes]* Id'que vſque ad extremum expectans & reſpectans filium grandine in eum coniecta telorum occubuit: alijs'que comitibus & amicis eum relinquentibus, ſolus apud cadauer Lariſſæus Thorax remanſit. Ita prælio decreto victores reges totum imperium, quod Antigono & Demetrio parebat, ſicut magnum corpus diſcerptum diuiſerunt inter ſe, illorum'que prouincias coniunxerunt ſuis, quas antè tenebant. Demetrius quinque millibus peditum & quatuor equitum fugam cepit. *[Demetrij fuga.]* Qui citato curſu delatus Epheſum, omnibus non abſtenturum ob pecuniæ difficultatem fano exiſtimantibus, quia timebat ipſe, ne id facerent milites, raptim mouit ſigna. Curſum in Græciam direxit, inter ſpes reliquas maximam reponens in Athenienſibus. Quippe claſſem illic pecuniam'que & coniugem Deidamiam reliquerat. nec portum arbitratus eſt rebus ſuis fideliorem Athenienſium beneuolentia. Vnde vbi properanti Athenienſium le- *[Athenieñſium in]*

Demetrij perfidia.

gati ad Cycladas insulas occurrerunt, vt vrbe abstineret, orantes: quòd sciuisset populus, nequis ex regibus vrbe acciperetur: Deidamiam'que Megaram honorificè & magno cum comitatu miserunt: inflammatus ira exiuit è potestate. quamuis moderatissimè asperitatem fortunæ tulit, neque in ea rerum inclinatione se gessit vel abiectè vel ignauiter. Verùm quòd spem suam fefellissent Athenienses, & speciem illam beneuolentiæ vsu vanam deprehenderet & fucatam: id fuit ei acerbum. Siquidem

Nimij honores, inconstãtis sunt beneuolẽtiæ signa.

inconstantissimum profectò beneuolentiæ multitudinis regibus & dynastis sunt indicium effusi honores. quorum cùm positum sit in habentium studio ornamentum, fidem metus derogat. Eadem enim, & cùm timent, decernunt, & cùm amant. Quamobrem non statuas sani neque tabulas pictas vel diuinos honores, sed sua ipsorum potiùs respicientes opera & facta aut fidunt vt honoribus, aut vt necessitate expressis diffidunt. Nam frequenter populi in ipsis maximè habendis honoribus oderunt eos, qui immodicos & immoderatos accipiunt vel à volentibus. Ac Demetrius quidem id temporis insigni iniuria se putans affectum, cùm vlcisci non valeret, leniter cum Atheniensibus per legatos expostulauit, petijt'que vt classem sibi, in qua nauis vna erat tredecim ordinum, sibi remitterent. Qua accepta præternauigauit in Isthmum, rebusq; suis afflictis (præsidia enim eius eijciebantur vndique, cunctaq; desciscebant ad hostes) reliquit in Græcia Pyrrhum, ac cursum in Chersonnesum intendit: vastansq; simul Lysimachi ditionem, prę da ditabat & retinebat copias suas: quę recipere vires, nec mediocria incrementa accipere denuò occipiebant. Lysimachus autem nihil erat alijs regibus curæ: quòd nihilo haberetur moderatior illo, ob maiores verò vires formidabilior. Breui

Seleucus ducit Demetrij filiam Stratonicen.

pòst petijt per legatos Seleucus dari sibi coniugem Demetrij & Philæ filiam Stratonicen. Erat quidem ei iam ex Apama Perside Antiochus filius: sed res suas sufficere vel pluribus successoribus & illius ducebat necessitudinem postulare. Quandoquidem Lysimachum quoq; videbat ex Ptolemæi filiabus vnam sibi, filio alteram in matrimonium assumete. Demetrio oblata insperatò fuit Seleuci affinitas, assumptaq; puella nauigauit cum tota classe in Syriam. Necesse habuit cùm ad aliam terram appellere, tum attingere etiam Ciliciam: quam tenebat Plistarchus extra ordinem sibi à regibus, postquàm

Plistarchus Cassandri frater.

conflictum fuit cum Antigono, donatam. Cassandri fuit Plistarchus frater. Qui violatos putans ex Demetrij descensione fines suos, profectus est ad expostulandum cum Seleuco: quòd cum communi hoste sine alijs regibus in gratiam redisset. De eo factus Demetrius certior, à mari ad Quinda contendit. Vbi cùm reliqua adhuc ex thesauris mille ducenta talenta reperisset: his asportanis maturauit conscendere, ac raptim soluit. Cùm iam adiunxisset se ei vxor Phila, occurrit ei ad Orosson Seleucus. Congressus fuit eorum simplex, candidus, & regalis. Prior in tabernaculum suum inuitauit in castris Seleucus Demetrium. Inde Demetrius illum in tredecim ordinum naui accepit. Feriati vnà collocutiq; sunt & tempus traduxerunt incustoditi & inermes. Tandem Seleucus ducta secum

Demetrius occupat Ciliciam.

Stratonice magna cum pompa Antiochiam perrexit. At Demetrius Ciliciam occupauit, vxoremq; Philam misit criminum Plistarchi diluendorum gratia ad fratrem Cassandrum. Interea Deidamia ad Demetriũ ex Græcia nauigauit. Cùm non diu apud eum

Deidamiæ mors

Demetrius ducit Ptolemaidem Ptolemæi sororem.

Demetrij et Seleuci dissensio.

fuisset, ex morbo est extincta. Amicitia cum Ptolemæo Seleuci opera cõciliata nuptias Ptolemaidis Ptolemæi sororis pepigit. Atque hæc plena ciuilitatis facta Seleuci sunt. Cæterùm vbi postulauit à Demetrio, vt pro certa pecunia traderet sibi Ciliciam: tenuente verò hoc, popoſcit cum stomacho Sidonem & Tyrum, habitus est violenter agere & sæuè. qui, cùm recidisset in potestatem suam, quicquid inter Indiam & mare Syriæ interiacet: adeo adhuc esset inops & mendicus, vt duorum causa oppidorum socerũ suum & fortunæ varietate afflictum agitaret. præbuitq; illustre testimonium Platoni monenti, ne facultates amplificet, sed diminuat is, qui verè esse velit diues, cupiditatem insatiabilem. Nam auiditatem habendi qui non reprimit, hic nec à paupertate nec inopia est exolutus. Nihil trepidauit tamen Demetrius, sed, vt sexcentis pugnis alijs, inquit, victus sim, non inducam in animum, vt Seleuci affinitatem amplectar merce-

Demetrij expeditio contra Athenas.

de. Atque vrbes illas præsidio firmauit. Vt verò accepit dissidentibus Atheniensibus moliri Lacharem tyrannidem: sperauit repentino incursu vrbe se facilè potiturum. Ac pelagus magna classe incolumis transmisit. Atticam præuehens tempestate iactatus est, naues'que plerasque amisit, & non exiguus hominum numerus interijt. Ipse sospes cùm euasisset, bellum commisit cum Atheniensibus aliquantulum. Vbi nihil profecit: missis certis, qui classem denuò cogerent, transijt in Peloponnesum, & Mes

senen

senen obsedit. Vbi, dum oppugnat mœnia, in discrimen venit, telo ex catapulta in faciẽ eius & os per maxillam adacto. Vt recollegit se, & oppida aliquot, quæ defecerant, recepit: incurrit de integro in Atticam, captaq; Eleusine & Rhamnunte fines fœdauit. ac naue capta frumento onusta, quod importabatur Athenas, negociatorem & gubernatorem suspendit. Vnde deterritis alijs pressa est ingenti fame vrbs, præterq; famem aliarum rerum laborabat difficultate. Salis medimnum licitabantur quadraginta drachmis, tritici modius trecẽtis venundabatur. Exiguam populo Atheniensi respirationem centum quinquaginta naues præbuerunt circa Aeginam conspectæ, quas Ptolemæus ei subsidio misit. Mox cùm multas Demetrius ex Peloponneso, multas ex Cypro accepisset naues, atq; cunctæ trecentas numero complessent: consciuit classis Ptolemæi fugam, ac tyrannus Lachares deserta profugit vrbe. Athenienses verò licet sanxissent pœnam capitalem in eum, qui pacis cum Demetrio & fœderis fecisset mentionem, proximus proximam portam patefecerunt, legatosq; miserunt: non quò quicquam ab eo expectarent clementiæ, sed quia exprimebat inopia. in qua inter multa acerbitatis exempla hoc refertur accidisse: patrem & filium vno in domicilio rebus suis deploratis sedisse, cùm ex tecto mus mortuus est delapsus: illos, vt viderunt, ambos exiliisse atq; de eo inter se decertasse. Tunc etiam Epicurum philosophum eos, qui essent ex secta sua, memoriæ tradunt sustinuisse, fabasq; cum ijs ad numerum partitum. Eo in ciuitatis statu Demetrius vrbem ingressus imperauit, vt omnes in theatrum conuenirent, sepsitq; scenam armis, & pulpitum stipatoribus cinxit. Ipse tragœdorum more superioribus descendens transitibus multò iam magis attonitis Atheniensibus initio orationis metum eorum terminauit. Etenim vocis contentioni & verborum amarulentiæ parcens molliter & beneuolè castigauit eos, atq; in gratiam cum ijs redijt. Donauit ijs centum millia medimnûm tritici, magistratusq; præfecit, qui maximè populo forẽt grati. Hic Dromoclides orator populum aduertens præ lætitia varias facere acclamationes, ac præconia ex suggestu certare vt superaret concionatorum, legem promulgauit: vt Demetrio regi Piræeum & Munychia traderentur. Hac perlata collocauit Demetrius per se præsidium in Museo quoq;: ne si iterum desciuisset ab se populus, ab alijs occupationibus distineretur. Redactis in potestatem Athenis, mox appetijt Lacedæmonem: atq; rege Archidamo, qui apud Mantineam sibi occurrit, signis collatis fuso fugatoq; in Laconiam inuasit, atq; in ipsius conspectu Spartæ conflixit iterum cum eo, captisq; quingentis, ducentis cæsis tantùm non videbatur vrbem ad illam vsque memoriam nunquam captam cepisse. Enimverò in nullo fortunam rege adeò magnas apparet & volucres vicissitudines fecisse, neq; alijs in negocijs toties ex abiecta denuò celsam, & humilem ex clara, potentemq; rursus ex fracta euasisse. Vnde in sinisterioribus inclinationibus ad fortunã aiunt eum dicere hoc Aeschyli solitum:

Atheniensium fames. — *Athenæ deduntur Demetrio.* — *Demetrij in Athenienses clementia.* — *Demetrij in Lacedæmonios expeditio.* — *Demetrij varia fortuna.*

Tu me tibi genuisse, tu me perdere
Videris.

Etenim rebus eius tam splendidè ad imperium tunc & potentiam assurgentibus Lysimachum nunciatur vrbes Asianas ei abstulisse, Cyprum Ptolemæum vna excepta vrbe Salamine cepisse, Salamine autem liberos eius matremq; occupatos circunsedere. Verumenimverò fortuna, sicut illa apud Archilochum mulier

Demetrij infortunia.

Vna manu dolosa aquam, ignemq; altera
Ferebat,

tam grauibus eum & tristibus nuncijs ab Lacedæmone auellens, aliàs de integro nouarum & splendidarum spes rerum ex huiuscemodi causa obtulit: Postquàm defuncto Cassandro filius eius stirpis maximus, cùm haud diu tenuisset regnũ Macedonum, decessit: reliqui duo inter se dissederunt. Quorum quoniam alter matrem trucidauit Thessalonicam, alter socios euocauit ex Epiro Pyrrhum, ex Peloponneso Demetrium. Pyrrhus autẽ maturauit venire. qui magna parte ablata Macedoniæ auxilij mercede formidabilis iam Alexandro erat vicinus. Vbi verò Demetrius literis acceptis cum exercitu adfuit: multò hunc magis ex dignitate & authoritate formidans adolescens processit ei ad Dion obuiàm. atque illum quidem salutauit comiterq; accepit: sed res suas negauit iam præsentiam eius requirere. Hinc mutuæ inter eos extitere suspiciones, pergenti que ad cœnam, cùm esset ab adolescente inuitatus Demetrius, indicat non nemo in-

Demetrius occupat Macedoniam. — *Alexandri & Demetrij mutuæ insidiæ.*

sidias, cædem ei inter pocula parari. Ille nihil attonitus, verùm iter suum minus maturans imperauit ducibus suis, vt copias in armis tenerent: comitibusq; ac ministris, quotquot eum sequebantur (erant hi longe quàm Alexandri plures) vt in triclinium comitarentur se, ibiq; dum exurgeret, remanerent. Hoc veriti Alexandri ministri non fuerunt ausi eum aggredi. Demetrius autem corpus suum simulans ad compotationem non esse comparatum, citò est digressus. Postridie iussit vasa conclamari, noua negocia sibi ferens oblata: orauitq; Alexandrum, vt de maturiore abitu ignosceret sibi: aliàs, vbi vacaret, futurum se cum eo diutiùs. Gauisus est Alexander non infensum, sed vltrò ex ditione sua illum digredi, atque in Thessaliam vsque est eum prosecutus. Vt ventum est Larissam, iterum alter alterũ molientes inuicem insidias inuitauerunt ad conuiuia. quod Alexandrum maximè fecit Demetrio opportunum. Nam cùm cauere sibi nollet, ne cauere vicissim doceret illum: dum cunctatur efficere, ne ille euadat: insidijs, quas machinabatur, est occupatus. Quippe ad cœnam vocatus, venit ad Demetrium. Vt hic media cœna surrexit: trepidus Alexander vnà surrexit, et vestigijs eum ad fores secutus est. Vt ergo peruenit Demetrius ad fores, vbi stipatores eius stabant, hoc solum locutus: Cæde sequentem: egressus est, Alexander verò ab ijs est trucidatus vnàq; qui opem ferebant amici eius. quorum vnum, dum obtruncaretur, referunt dixisse, vno die Demetrium ipsos anteuertisse. Tumultum nox, qualem verisimile est, habuit. Vbi diluxit, consternatis Macedonibus & Demetrij formidantibus copias: cùm nullus oblatus est terror, & Demetrius misit ad illos, alloqui eos quærens & factum purgare: redijt ijs animus, statuerunt'que recipere cum benignè. Vt venit, non eguit prolixa oratione: sed quòd Antipatrum odissent matris parricidam, neque haberent prę manibus meliorem, regem illum Macedonum appellauerunt, receptumq; deduxerunt in Macedoniã. Nec abhorruerunt, qui domi erant, Macedones ab hac mutatione, memores semper Cassandri scelerum, quæ in Alexandrum admiserat defunctum, & proinde liberis eius infesti. Quòd si qua etiam veteris memoria Antipatri superesset, fruebatur hac quoque Demetrius: quòd Philam in matrimonio haberet, atque ex illa filium regni successorem iam tunc adultum, qui castra patris sequebatur. In rerum cursu tam secundarum nunciũ accipit liberos suos & vxorem dimissos, additis insuper à Ptolemæo muneribus & honoribus. Adfertur etiam filiam eius, quam Seleuco collocauerat, Antiocho Seleuci filio nupsisse, ac superiorum prouinciarum renunciatam reginam. Fortè enim Antiochus amore deperiens Stratonices iuuenculæ, quæ puerum iam ex Seleuco ediderat, grauiter fuit affectus, multaq; ad reluctandum animi motui molitus est. Postremò perpendens dira se libidine teneri, ægritudine affligi deplorata, & consilio esse destitutum: rationem quæsiuit vitæ deponendæ, corpusq; instituit sensim curationis negligentia atque inedia conficere morbum simulans. At medicus Erasistratus facilè amorem eius deprehendit. verùm, vt cuius amore flagraret, quod coniectu erat arduum, exploraret: agebat assiduè apud eum in cubiculo. Siquis formosus adolescens vel fœmina ingrederetur, obseruabat Antiochi vultum & membra, quæ potissimùm solent affectibus animi consentire, ac corporis inspiciebat motus. Cùm igitur ad cæterorum ingressum nihil moueretur, Stratonice verò & sola & cum Seleuco subinde eum inuisente illa Sapphûs in eo omnia existerent, vocis compressio, rubor vultus igneus, tectus oculorum coniectus, sudores præcipites, confusio & perturbatio pulsus, deníque vi victo animo perplexitas, stupor, & pallor: his verisimilibus coniecturis reputans Erasistratus in nullam aliam exardescentem regis filium in silentio ad mortem vsque perseuerare, graue hoc putauit enunciare & detegere. Attamen indulgentia fretus in filium Seleuci tentauit aliquando aperire ei amore adolescentem affligi, sed deplorato amore incurabiliq;. Obstupefacto & rogante rege: quemadmodum incurabilis? Quia hercle, inquit Erasistratus, meam amat vxorẽ. Et tu, infit, neges Seleucus Erasistrate, qui amicus noster es, hasce filio meo nuptias: idq; qui vnum hunc cernis rerum nostrarum sacram anchoram esse? Ne tu quidem, inquit ille, id facias pater, si Stratonicen Antiochus adamaret. Vtinam verò, inquit, amice deus aliquis vel homo eò traducat morbum. Nam equidem vel regnum, mo dò retineam Antiochum, cupiam dimittere. Ita commotè Antiocho multis cum lachrymis fato dexteram Erasistratus injciens, nihil eum Erasistrato ait indigere. Nam cùm pater, vir, & rex esset, ipsum simul medicum domus suæ optimum fore. Hinc Seleucus totius exercitus aduocata concione declarauit velle se & statuisse omnium superiorum regionum Antiochũ regem & Stratonicen declarare reginã connubio iunctos.

Demetrius Alexandrũ Cassandri filium interficit.

Demetrius declaratur rex Macedonum.

Antiochus ducit nouercam Stratonicem, patris voluntate.

Erasistrati medici in deprehendendo Antiochi amore solertia. Simile quoq; de se Galenus prædicat.

Seleuci in Antiochum filium amor & indulgentia planè inusitata.

Arbitrari

Arbitrari ſe filium, qui parêre ſibi vbiq; ſit ſolitus & dicto audiens eſſe, non repugnaturum ſibi in hiſce nuptijs. Quòd ſi vxor ſua ab re inuſitata abhorreat, orare amicos, vt doceant & inducant eam: vt omnia, quæ regi videantur & ſint ex vſu publico, recta habeat & iuſta. Atque Antiochi cum Stratonice ex huiuſcemodi perhibent occaſione conciliatas fuiſſe nuptias. Porrò Demetrius Macedonia cum Theſſalia potitus, tenens etiam maiore ex parte Peloponneſum, iam intra Iſthmum Megaram & Athenas, bellum mouit Bœotijs. Ac primò conditionibus pacta pax tolerabilibus fuit. Inde vt Lacon Cleonymus Thebas cum exercitu intrauit: erecti Bœotij ſimulq; à Piſide Theſpienſi, qui princeps ciuium dignitate & opibus erat, tunc concitati deſciuere. At vbi Thebas Demetrius machinis admotis obſedit, perterritus autem ſubduxit ſe ex vrbe Cleonymus, trepidi Bœotij deditionem fecere. Demetrius impoſito oppidis præſidio, magnaq; exacta pecuniæ ſumma, relicto etiam eis procuratore præſideq; Hieronymo hiſtoriographo clementer cum ijs viſus eſt egiſſe Piſidis potiſsimùm cauſa. Hunc enim captum nulla affecit iniuria, imò comiter appellauit, ac Polemarchum Theſpijs creauit. Breui pòſt capitur à Dromichæte Lyſimachus. Quapropter properante in Thraciam Demetrio, & ſperante vacuam ſe occupaturum, defecerunt iterum Bœotij, ſimulq; Lyſimachum nunciatur dimiſſum eſſe. Igitur confeſtim ira flagrans Demetrius retrò recepit ſe, Bœotioſq; offendit iam acie à filio ſuo Antigono cæſos, ac Thebas iterum obſedit. Depopulante autem Theſſaliam Pyrrho & vſq; ad Thermopylas excurrente relinquens ad continuandam obſidionem Antigonum contendit in illum. Qui cùm properè fugiſſet, decem millibus peditum & mille equitibus ad præſidium Theſſaliæ relictis rurſus preſsit Thebanos, machinamq; Helepolim dictam inſtitit vrbi admouere. Eam ingenti labore ponderis & amplitudinis cauſa moliebantur pedetentim, vix vt duobus menſibus duo ſtadia promoueretur. Cùm Bœotij fortiter defenderent ſe, Demetrius verò frequenter ex peruicacia magis quàm ex vtilitate oppugnare vrbem milites & periculo ſe cogeret obijcere: videns Antigonus non paucos cadere, & magno percitus dolore: Quid pater, inquit, perire hos nequicquam nulla ſubigente neceſsitate floccipendimus? Tum ille ira percitus: Quid tu, inquit, cruciaris: an'ne admenſurus frumentum occumbentibus ſis? Atqui dum oſtendit, non aliorum modò leuem ſe iacturam facere, ſed & ſeipſum vnà cum militibus capeſſere periculum, collum eius acuto telo traijcitur. Qui quanquam grauiter afflictus fuit, non remiſit obſidionem tamen: verùm Thebis iterum potitus eſt. Vrbem ingreſſus minas & terrorem vt ſæuiſsimè in eos conſulturus præ ſe tulit: ſed tredecim interfectis & nonnullis in exilium pulſis liberauit noxa cæteros. Ita vrbi Thebanæ áccidit, vt cùm fuiſſet hauddum decem annos inſtaurata, bis hoc ſpacio caperetur. Inſtantibus Pythijs rem planè nouam Demetrius animum induxit facere. Cùm enim anguſtias apud Delphos inſediſſent Aetoli, ludum & feſtum egit apud Athenienſes: quaſi illic potius colere deceret deum, qui ſcilicet præſes vrbis eſſet, & originis eorum perhiberetur authôr. Hinc in Macedoniam regreſſus, & neq; ipſe ad quietem natus, atq; Macedonas cōſiderans magis ſibi in expeditionibus audientes, domi verò ſeditioſos & nouarum rerum eſſe cupidos, mouit in Aetolos. Vaſtatis eorum finibus, relictoq; ibi cum magna exercitus parte Pantaucho, in Pyrrhum contendit, & in hunc Pyrrhus. Cæterùm quia diuerſis itineribus profecti non occurrerunt inter ſe, Epirum Demetrius vaſtauit, alter in Pantauchum incurrens, ſignis collatis hactenus ſecum congreſſum, vt inferret & acciperet in manu vulnus, fudit. ex alijs multos peremit, & quinq; millia cepit. Ea potiſsimùm res afflixit Demetrium. Neq; enim ita factis ſuis inuiſus Pyrrhus, vt ſuſpiciendus ob inſignem ſtrenuitatē magnum quæſiuit ex illo conflictu & illuſtre apud Macedonas nomen: multiſq; ſubijt Macedonum dicere, in vno ſe hoc omniū regum imaginē contemplari Alexandri audacię: cæteros & Demetrium imprimis velut in ſcena grauitatem ſimulare & ſupercilium illius. Et erat reuerâ ingens circa Demetrium tragœdia. qui nō ſolùm amiciebat ſe & caput ornabat nullo exemplo dimitris cauſijs atque auro intertextis purpuris: verùm etiam pedibus adhibuit auratas ex pura purpura compacta ſoleas. Chlamys ei longo tempore texebatur ſuperbum opus ad ſimulachrum mundi & ſiderum. quam rudem in rerum conuerſione reliquit. Neque iſta ſuſtinuit quiſquam vti, quamvis ſucceſſerint ei non pauci in Macedoniam faſtuoſi reges. Neq; verò his tantùm ſpectaculis in homines incurrit eorum inſolentes, ſed luxū eius etiam & vitæ inſtitutum moleſtè ferebant, maximè alloquij & aditus difficultatem. Aut enim locum non dabat ſui conueniendi, aut acerbus & aſpet erat ipſum conuenientibus,

Demetrio deduntur Thebæ.

Hieronymus hiſtoriographus.

Demetrius obſidet iterum rebellantes Thebas.

Demetrius cæpit iterum Thebas.

Demetrij in Pyrrhū expeditio.

Demetrij inſolentia.

Demetrij chlamys, mundi ſimulachrum.

tibus. Quippe Athenienſium, quorum erat ſupra cæteros Græcos ſtudioſus, duos annos detinuit legatos. Ab Lacedæmonijs cùm legatus miſſus vnus eſſet, deſpici ratus ſe ſtomachatus eſt. Vrbanè tamen & Laconicè ille, cùm hic diceret: Quid tu ais, vnum miſerunt Lacedæmonij legatum? Sanè verò, inquit, rex ad vnum. Cùm aliquando magis populariter exire videretur, nec aditum difficilem præbiturus: concurrerunt aliqui ad libellos ſupplices ei porrigendos. Quos cùm omnes accepiſſet & chlamyde collegiſſet, læti affectabantur eum homines. Vt venit ad Axij pontem explicata chlamyde proiecit omnes in flumen. Id verò maiorem in modum pupugit Macedonas. qui ludibrio haberi ſe, non regem arbitrabantur habere, atque Philippum commemorabant vel audiebant de commemorantibus, quàm ciuilis in his & communis fuiſſet. Obtundente aliquando eum anu in tranſitu & crebriùs flagitante audientiam, ait ſibi non vacare. Quæ cùm exclamaret & diceret: Noli ergo rex eſſe: grauiter ſtimulatus ac dictum animo verſans rediit domum, omnia'que poſtmittens, conuenire ſe volentibus exorſus ab illa anu per multos dies vacauit. Nempe nullum æquè conuenit regi ac iuſtitiæ munus. Mars enim eſt, vt ait Timotheus, tyrannus: lex verò omnium, vt apud Pindarum eſt, regina. Et reges Homerus author eſt, non Helepoles ab Ioue neq; æratas naues, ſed legum oracula accipere in depoſitum & cuſtodiam: Iouis'q; non bellaciſsimum nec violentiſsimum & cruentiſsimum regem, ſed iuſtiſsimum alumnum & diſcipulum vocauit. Enimverò gaudebat Demetrius diſsimillimum ſuperorum regis inſcribi ſibi cognomen. Hic enim πολιεὺς & πολιοῦχος, id eſt, vrbium tutor & præſes: ille πολιορκητὴς, id eſt, Expugnator cognomine dictus eſt. Ita in honeſti locum turpitudo per imperitam potentiam ſuccedens aſcripſit gloriæ iniuſtitiam. Porrò Demetrius cùm Pellæ in ancipitem morbum incidiſſet, amiſit tunc penè totam Macedoniam incurrente ſubitò Pyrrho, qui vſque ad Edeſſam eſt progreſſus. Verùm ſimul atque paululum alleuatus eſt: ſanequàm facilè expulit eum, fecit'que cum eo certum fœdus. Nolebat enim cum hoſte aſsiduè conflictando finitimo, leuibus'que prælijs & excurſionibus digladiando diſtrahi ab inſtitutis conſilijs. Inſtituerat autem rem nō exiguam, ſed totum imperium, quod obtinuerat pater ſuus, repetere. Huic ſpei & molimini reſpondebat apparatus. Siquidem exercitum habebat iam conſcriptum peditum centum millium duobus millibus minus, adhæc equitum paulo minus duodecim millia. Claſſem nauium ad quingentarum numerum moliens alias ædificabat in portu Piræei, alias Corinthi, alias Chalcide, alias circa Pellam. Ipſe aſsiduè accurrebat docebat'que, quæ eſſent ex vſu, & conſilio fabros adiuuabat. Obſtupeſcebant omnes non numerum modò, verùm molem quoque operum. Nemo enim conſpexerat antè mortalium nec quindecim ordinum nec ſexdecim nauem. Verùm pòſt quadraginta ordinum nauem Ptolemæus Philopator fabricatus eſt ducentorum octoginta cubitorum longitudine, altitudine autem vſque ad ſummitatem puppis duodequinquaginta: nautis extra remiges quadringentis inſtructam, remigum quatuor millibus. adhæc milites armatos capiebat in foris & tabulato paulo minus tria millia. Verùm ſpectaculum tantùm exhibuit illa, atque perparum ab immobilibus ædificijs ſpecie differens, ad oſtentationem non ad vſum magno periculo & labore mota fuit. Demetrij verò nauium haud erat decor ignauus, neque ob eximium opificium deficiebantur vſu: ſed agilitatem & actum mole conſpectiùs edebant. Tantis viribus Aſiæ imminentibus, quantas ſecundum Alexandrum habuit nemo quiſquam, tres in Demetrium conſpirauere, Seleucus, Ptolemæus, Lyſimachus. Inde communi nomine miſsis ad Pyrrhum legatis hortati eum ſunt, Macedoniam vt aſſereret, neque duceret inducias, quas Demetrius non ipſi, ne bello laceſſeretur, dederat: ſed ſibi ſumpſerat. quò bellum priùs, quibus vellet, poſſet mouere. Id vbi probauit Pyrrhus: multiplex Demetrium motantem adhuc bellum circunſtetit. Eodem enim tempore Græciam Ptolemæus ingenti aduectus claſſe ſolicitauit. Macedoniam Lyſimachus ex Thracia, ex vicino Pyrrhus incurſionibus populati ſunt. Ille filium in Græcia reliquit, ipſe ad tuendam Macedoniam primùm petijt Lyſimachum. Ibi nuncium accepit Pyrrhum vrbe Berrhœa potitum. Quo rumore citò ad Macedonas delato nihil Demetrio iam ordine gerebatur: ſed lamentationibus, lachrymis, & indignatione in illum atq; maledictis perſonabat exercitus: neque cohærere vltrà, ſed volebant diſcedere, verbo domum ad conſulendum rebus ſuis, re ipſa ad Lyſimachum. Itaque viſum Demetrio eſt quàm longiſsimè ab Lyſimacho deflectere & vertere in Pyrrhum. Illum enim popularem eſſe perpendit & compluribus ex Alexandri militia familiarem: adue-

Spartiatæ legati liberiùs Demetrio reſponſum.

Philippi regis Macedonum ciuilitas.

Regum præcipuum officium.

Demetrius, Expugnator dictus.

Demetrij apparatus bellicus ad recuperandum regnum paternum.

Ptolemæi quadraginta ordinum nauis.

Seleuci, Ptolemæi, & Lyſimachi contra Demetriũ ſocietas.

aduenam verò & hoſpitem non prælaturos Macedonas ſibi Pyrrhum. Cæterùm hæ eum multum feſellere rationes. Nam vt ex propinquo caſtra Pyrrho contulit, cùm ſemper eius fuiſſent in armis mirati ſtrenuitatem, & planè iam inde antiquitùs regno digniſſimum eſſent ſoliti habere eum, armis qui foret præſtantiſsimus, & verò tunc eius in captiuos lenitatem accepiſſent: omnes autem & ad alium, præcipuè ad hunc ab Demetrio quærerent deficere: clàm & exiguis agminibus primùm deſciuere, deinde apertè totus in motu & ſeditione fuit exercitus. Poſtremò non dubitauerunt nonnulli adire Demetrium & monere, abiret ſibiq; conſuleret. Fatigatos enim iam eſſe Macedonas pro illius luxu bellare. Moderatiſsima hæc Demetrio oratio præ aliorum viſa aſperitate eſt, tabernaculumq; ingreſſus, vt ſi non rex ſed eſſet hiſtrio, tragicam illam chlamydem pulla commutauit ac furtim ſubduxit ſe. Properantibus plerisq; ſtatim ad prædam atq; inter ſe digladiantibus dilacerantibusq; tabernaculum Demetrij ſuperueniens Pyrrhus protinus compreſsit eos & occupauit caſtra. Inde partitus eſt cum Lyſimacho vniuerſam Macedoniam, in qua annos ſeptem Demetrius nemine turbante regnauerat. Ita nudatus regno Demetrius cùm Caſſandriam refugiſſet: vxor eius Phila dolore victa non ſuſtinuit iterum priuatum & exulem videre regem ærumnoſiſsimum Demetrium: ſed abiecta omni ſpe fortunam eius execrata, quæ in aduerſitatibus eſſet quàm ſecundis rebus ſtabilior, atque hauſto veneno extincta eſt. Demetrius verò reliquias adhuc colligere naufragiorum ſuorum deliberans contendit in Græciam, duces que & amicos, quos ibi habebat, contraxit. Igitur quàm Sophocleus Menelaus cum fortunis ſuis confert imaginem:

Demetrij exercitus deficit ad Pyrrhum.

Demetrij vxor Phila veneno ſe necat.

Demetrij varia fortuna.

At mea iugi fortuna voluitur dei
Rota, bifronsq; ſuam retexit indolem:
Lunæ ſicut vultus, duas quæ non poteſt
Noctes in vna permanere imagine:
Oritur ſed hæc ex nubila primum nouis
Inſcripta cornibus, genas comens ſimul
fit auctior. Verùm orbe pleno cùm nitet
Inter micantes ſtellulas formoſior,
Rurſus ſeneſcit, & latens extinguitur.

Huic citiùs Demetrij res eiusq; incrementa et abſceſsiones, cumulationes & inclinationes aſsimiles. cuius quidem tunc quoque cùm prorſus expirare & extingui videretur, de integro eluxit potentia: affluentesq; ſenſim aliquæ copiæ ſpem eius refecerũt. Tunc verò primùm priuatus atq; regijs deſtitutus ornamentis inijt ciuitates. Ac cùm Thebis quiſpiam eum in iſto ſquallore conſpexiſſet, non illepidè Euripidis verſus vſurpauit.

Demetrius ex rege priuatus, & ex beato miſer.

Mortalis immutabili ex factus deo
Iſmeni adit ripam, Dirceſq; riuulos.

Vt autem ſemel tanquam regiam viam ſpem eſt ingreſſus, corpus que denuo & ſpecies circa eum regni cœpit eſſe: Thebanis reſtituit remp. Athenienſes defecerunt ab eo ac Diphilum, qui in acta relatus Seruatorum ſacerdos erat, ex faſtis expunxerunt: ſciueruntq;, vt archontes denuò, quod de more ijs erat, crearentur: Pyrrhumq; ex Macedonia acciuere, cùm eſſe Demetrium aduerterent expectatione ſua validiorem. Ille inflammatus mouit in eos, vrbemq; valida cinxit obſidione. Cæterùm miſſo ad ipſum philoſopho à populo Cratete claro viro & magnę authoritatis partim illius adductus pro Athenienſibus precibus, partim penſitatis illis, quæ Crates de rationibus ſuis ſubijciebat ſibi: ſoluit obſidionem, coactis que nauibus ſuis omnibus, ac militum vndecim millibus cum equitatu impoſitis in Aſiam ad Cariam & Lydiam Lyſimacho adimendam nauigauit. Ibi Eurydice eum Philæ ſoror circa Miletum excepit adducens ſuam & Ptolemæi filiam Ptolemaidem antea ei interprete pactam Seleuco. Hanc Demetrius collocante Eurydice ducit, ac protinus à nuptijs in vrbes ſe conuertit. Earum multæ vltrò venerunt in poteſtatem eius, multas vi ſubegit. Cepit etiam Sardeis, defeceruntq; ad eum nonnulli Lyſimachi milites: qui ei pecuniam & copias ſecum adduxerunt. At ſuperueniente cum exercitu Lyſimachi filio Agathocle Phrygiam petijt ſtatuit que, ſi occupaſſet Armeniam, Mediam mouere & ſuperiores tentare prouincias: quæ, ſi repelleretur, multa præberent effugia & receptus. Premente eum Agathocle fuit in pro-

Crates philoſophus liberat obſidione Athenas.

Demetrius ducit Ptolemaidẽ.

Demetrij in Aſia difficultates.

procursationibus leuibusq; prælijs superior, sed frumentatione & pabulatione prohibitus conflictabatur, militibusq; in suspicionem venit Armeniam & Mediam petere. Simul fames magis intendebatur, atq; ex errore quodam in transitu Lyci multi milites vndis rapti interierunt, nec à dicterijs abstinuit tamẽ. Præscripsit tabernaculo eius quidam Oedipi exordium paululum immutatum:

Quo gentium cœci Antigoni fili senis
Deuenimus?

Ex malo victu pestilentia.

Morbus quoq; demum vbi eum super pestilentiam, vt solet, cùm quibusuis cibarijs vescuntur necessariò, infestaret: amissis non minus in summa octo millibus militum reliquos retrò reduxit. Vt Tharsum descendit: cupiuit quidem abstinere à prædando, quia ea regio tunc in ditione erat Seleuci, neq; ansam illi præbere vllam: verùm quòd fieri id non posset in vltima militum inopia, & Taurii iuga Agathocles muro clausisset: dedit ad Seleucum literas, quibus prolixè sortem lamentabatur suam. inde supplex obsecrabat, misereretur hominis necessarij ita afflicti, vt cõmouere posset vel hostes. Cùm esset nonnihil fractus Seleucus, atque illius regionis præsidibus scripsisset, vt ipsi Demetrio sumptum regalem copijsq; eius abundè præberent commeatum: interueniens Patrocles vir prudentia celebris ac fidus Seleuci amicus negauit sumptum in militum Demetrij necessaria tanti faciundum: sed consulere eum parum rectè, quòd Demetrium, qui regum semper fuisset violentissimus, atq; ad res magnificas gerendas acerrimus, nunc verò fluctibus iactatus esset fortunæ, quæ etiam sua sponte moderatos ad audendum atque ad iniuriam impellat, permitteret in finibus suis morari. His verbis stimulatus Seleucus magno exercitu contendit in Ciliciam. Attonitus Demetrius mutatione tam celeri Seleuci, pauidusq; ad loca Tauri munitissima recepit se, missisq; ad eum legatis orauit, maximè vt concederet sibi liberorum barbarorum aliquod regnum quærere: vbi explicatus erroribus & fuga reliquum vitæ traduceret: sin minus, copias suas vt ibi aleret per hyemem, neque omnium rerum egenum nudumq; summoueret & obijceret hostibus. Vbi Seleucus, qui hæc omnia habebat suspecta, præscripsit ei: vt duos menses, si videretur ei, in Cataonia hybernaret datis sibi amicis primarijs obsidibus: simulq; fauces, quà patet iter in Syriam, obstruxit: inclusus vndique instar feræ Demetrius & circumventus, vertit se necessariò ad vim, finesq; Seleuci depopulatus est, ac cum adoriente confligens Seleuco semper fuit superior. Currus falcatos aliquãdo in se emissos superauit, atq; hostes fudit fugauitq;. Ad hæc claustra Syriæ deiectis munitoribus in suam redegit potestatem. Iamq; planè animo erectus, cernens que milites suos alacres instititit cum Seleuco de summa dimicare. Erat hic iam perplexus. Quippe reiecerat Lysimachi auxilia, quòd ei diffideret & metueret. Dubitabat verò solus cum Demetrio signa conferre desperationem eius formidans, perpetuamq; vicissitudinẽ eius fortunæ: quæ ex nouissimis difficultatibus summas afferebat felicitates. At grauis morbus interea Demetrium occupans, cùm corpus eius debilitauit vehementer, tum rationes eius semel conuulsit. quando alij milites eius ad hostes transiere, pars dilapsi sunt. Tandem diebus quadraginta est recreatus, trahensq; secum reliquias exercitus speciem præbuit & mouit hostibus suspicionem petere se Ciliciam. mox nocte sine tuba in alteram partem motis signis superatoq; Amano incursauit subiectam regionem vsque ad Cirresticam. Cùm superuenisset Seleucus, essetq; metatus in propinquo: excitauit Demetrius exercitum suum, mouitq; in eum noctu diu nihil sentientem et sopitum. Verùm à perfugis quibusdã, qui ad ipsum concesserunt, de periculo edoctus cohorruit, exiliens que ex lecto signa iussit canere: ac dum crepidas induit, clamauit ad amicos commissum se cum immani fera. At Demetrius ex hostium trepidatione consilium suum animaduertens detectum recepit se properè. Orta luce cùm instaret Seleucus, certum de suis in alterũ cornu misit, ipse hostem partim in cornu sibi opposito in fugam egit. Mox tamen ipse Seleucus dimisso equo, galeaq; detracta & parma sumpta processit in primã aciem, monstrans se mercenarijs: hortatusq; est eos, ad se vt transirent, tandemq; intelligerent, hoc tam diu egisse se, vt illis parceret non Demetrio. Ibi omnes salutantes eum & regem appellantes transitionem fecere. Demetrius, qui multarum conuersionum extremam illam premere intelligebat se, deflectens de via ad portas Amanidas refugit: assecutusq; cum amicis quibusdã & ministris admodum paucis densam syluam expectauit ibi noctem, certus si quà fieri posset viam Caunum versus arripere, atq; ad propinquum illic mare, vbi classem sperabat se inuenturum,

Demetrij fames.

Demetriũ persequitur Seleucus.

Cum desperatis non esse pugnãdum.

Demetrius rebus desperatis, in Seleucum noctu mouet.

Demetrij exercitus deficit ad Seleucum.

Demetrij fuga.

uenturum, euadere. Vt verò comperit ne in illum quidem diem habere eos viaticū: applicuit ad alia consilia animum. Postquàm tamen aduenit amicus eius Sosigenes quadringentis aureis succinctus, his toleraturos se vsq; ad mare sperantes contenderunt per tenebras ad iuga montium superanda. Cęterùm quia hostium frequentes ignes apud ea lucebant: illo deplorato itinere retrò se, vnde digressi erant, receperunt: neq; omnes tamen (aliqui enim profugerunt) neq; perinde, qui remanserūt, alacres. Cùm dicere quidam sustinuisset, Seleuco vt se traderet: admouit manum gladio ad se interficiendū. Verùm circunfusi amici consolantesq; induxerunt eum, vt id consilij sequeretur. Ita missis certis Seleuci fidei salutem suam permittit. Ea re nunciata negauit Seleucus ipsius fortuna incolumem esse Demetriū, sed sua: quæ cum reliqua felicitate humanitatis sibi & clementiæ materiam ostendendæ præberet, ac vocatis procuratoribus tabernaculū statui regale præcepit, omniaq; alia fieri & parari ad eum excipiendū & colendum splendidè.

Demetrius dedit se Seleuco.

Erat in comitatu Seleuci quidam Apollonides, cui familiaritas intercesserat cum Demetrio. Hunc quò animo esset erectiore, & citra vllum metum tanquam ad necessarium & generum veniret, cōfestim misit ad eum. Vulgata Seleuci sententia pauci primò, mox plerique amici eius pro se quisq; magno studio processerunt certatim Demetrio obuiàm. Sperabatur enim statim apud Seleucum maximus fore. Cæterùm vertit id ei ex misericordia in inuidiam, malignisq; atq; inuidis diuertendæ & deprauandæ regis humanitatis præbuit occasionē terrentibus regem, siue mora simul atq; conspectus ille esset multas innouationes exstituras in exercitu. Cùm modò autem Apollonides ad Demetrium lætus venisset, secutiq; essent alij, & mirificos sermones nunciarent à Seleuco, ac Demetrius ex tam dira fortuna & infesto casu, quanvis antè corporis deditionem se fecisse fœdam censuerat, tunc ex fiducia & spe ostentata fretus sententiam mutauisset: venit cum peditibus simul & equitibus ad mille Pausanias: atq; his repentè Demetrium circunfusum alijs remotis in Seleuci non adduxit conspectum, sed in Chersonnesum Syrię remouit. Vbi per reliquū tempus valida adhibita custodia cultus sufficiens Seleuci iussu præbitus ei fuit, pecuniaq; & ad victum necessaria quotidiè subministrata prolixè. Curriculi præterea assignati & ambulationes regiæ & instructa feris viuaria. Adhæc amicis, qui fuerant fugam eius comitati, quicunq; vellent, potestas facta cum eo viuendi. Aliqui etiam quotidiè ad eum à Seleuco ventitabant cum benignis mandatis, bono animo esset hortantes: atq; vt primùm Antiochus cum Stratonice adesset, conuenturum ostendentes inter ipsos de pactis.

Demetrius in Syria custoditur.

Demetrius verò, postquam in eam decidit fortunam, mandauit filio suo ducibusq; & amicis, qui Athenis & Corinthi erāt: ne literis vel anulo suo fidem adhiberent, sed vt si mortuus sit, reseruarent oppida & reliquias regni Antigono. At Antigonus allatam patris captiuitatem grauiter ferens, sumpta veste lugubri cùm ad alios reges tum ad Seleucum supplex scribit, & quicquid relictū ipsis fuerat, ante omnia pro parente offert se obsidem. Eadem orauerunt multæ ciuitates & dynastæ extra Lysimachum. Hic etiam pecuniam per legatos Seleuco, si necasset Demetriū, obtulit. Seleucus autem vel aliàs eum execratus longe impensiùs hinc duxit detestabilem & barbarum. Antiocho verò & Stratonicæ reseruans Demetrium, vt illorū beneficiū foret, protrahebat tempus.

Antigoni Demetrij F. erga patrē pietas.

At Demetrius, vt initiò fortunæ casum tulit, faciliùs iam præsentem sortem assueuit tolerare. Primò corpus quouis modo exercuit venatione, quatenus licebat, & cursibus vtens. Hinc paulatim ab ijs ad pigritiam & ignauiam delapsus præcipitauit se in pocula & aleam, atque his tempus ferè traduxit: vel quò conditionis suæ præsentis cogitationes, quibus agitabatur sobrius, deuitaret & obtegeret crapula mentem suam: vel, quò perspiceret iam hanc esse vitā, quam iampridem affectasset & captasset: temerè verò ex vecordia & inani ambitione errasset, multumq; sibi ipse, multum negocij exhibuisset alijs: dum in armis, classibus, castris quærit summā felicitatem, quam tunc in tranquillitate & ocio & quiete nec opinatò reperisset. Nam qui bellorum & periculorum est miseris regibus terminus alius malè et insipienter consultis: non quòd delicias solùm & voluptatem venentur virtutis & honesti loco, sed & quòd neq; iucundè viuere, neq; oblectare se verè sciant?

Demetrius captiuitatem suā pro felicitate ducit.

Porrò Demetrius postquàm tertium annum inclusus Chersonneso fuit: ex ocio, sagina, & vino in morbum delapsus decessit, cùm annos natus esset quatuor & quinquaginta. Seleucus & infamis fuit & non mediocriter eum pœnituit: quòd Demetrium eo tempore suspectum habuisset, neq; barbarum Thracem esset æmulatus Dromichætem, qui tam benignè & regaliter de Lysimacho capto consuluerat.

Demetrij mors.

At enim habuit & funus Demetrij tragicam theatralemq; speciem. Nam filius

Demetrij funus.

eius Antigonus, vbi reliquias patris cognouit afferri, totã classem soluit, eisq; apud insulas occurrit obuiam. Vt eas accepit, imposuit vrnã, quæ ex solido auro erat, in nauem prætoriam. Ciuitates, ad quas appulerũt, hinc coronas ingesserunt vrnæ, hinc viros cultu lugubri miserunt ad exequias decorãdas & prosequendas. Decurrente Corinthum classe vrna ex puppi cõspicua visa, regali purpura & diademate exornata, quam circumstitit in armis iuuenum statio. Celeberrimus illius ætatis tibicen Xenophantus assidens sacratissimum carmen accinuit. cui concinente remigio, clangor cum modulatione quadam velut in planctu respondit carminum ad tibias ambitibus. Maximam cõmiserationem & luctum ipse Antigonus stantibus in portu & littore frequentibus mouit sordidatus lachrymisq; cõfectus. Honoribus & coronis funeri Corinthi delatis deportauit reliquias Demetriadem vrbem illi cognominem ex paruis ad Ioleon oppidulis frequentatam. Stirpem Demetrius reliquit ex Phila Antigonum & Stratonicen: duos Demetrios, alterum cognomine Gracilem ex muliere Illyrica, alterum qui Cyrenis regnauit ex Ptolemaide: ex Deidamia Alexandrum, qui in Aegypto vitam egit. Fama est filium quoque illi ex Eurydice fuisse Corrabum genitum. Progenies eius per successiones regnans descendit ad Persea, in quo expirauit, eo'que regnante Macedoniam subiugauere Romani. Saltata iam fabula Macedonica tempus est transeundi ad Romanam.

Demetrij reliquiæ in vrna ex auro solido conditæ. *Xenophantus tibicen insignis.* *Demetrij posteritas.* *Perseus Macedonum rex.*

M. Antonius.



NTONII auus M. Antonius orator fuit, quem partes Syllanas secutum interfecit Marius. Pater Criticus dictus Antonius, nõ ille quidem vir celebratus in toga neq; clarus, sed rectus benignusq;, præsertim ad largiendum liberalis, vt ex vno facto perspicias. Nam cùm ei angustum patrimonium esset, atq; ideo, ne declararet munificentiam suam, cõtineretur ab vxore: familiaris autem eius quispiam difficultate pecuniaria laborans eum adisset pecuniam rogatum: quia deficiebatur argẽto, imperauit puero: vt scyphum argenteum aqua impleret & ad se ferret. quo allato quasi barbam rasurus rigauit mentum: ac puero ad aliud negocium ablegato, dedit scyphum amico suo, vt eo vteretur. Cùm esset autem magna inter seruos inuestigatio: videns exardescentem vxorem, atq; de singulis parantem quærere, petita venia id, quod erat, confessus est. Vxor eius Iulia fuit ex Cæsarũ familia cum præstantissimis & pudicissimis illius memoriæ matronis comparanda. In huius contubernio filius Antonius eductus est, cùm post patris eius fata nupsisset Cornelio Lentulo, quem Cicero vnũ ex Catilinæ coniuratione necauit. Hinc apparet acris illius cum Cicerone Antonio simultatis occasio & fons extitisse. Iactat Antonius ne exanime quidẽ corpus Lentuli prius, quàm exorata à matre sua Ciceronis vxore redditũ. verùm id apertum est mendacium. Nemo enim quisquã eorum, in quos tunc fuit à Cicerone animaduersum, fuit sepultura prohibitus. Antonio forma insigni quasi pestem aliquam adhæsisse amicitiam & consuetudinem ferunt Curionis. qui sese effrænibus dediderat voluptatibus: & Antonium, quò magis sibi foret obnoxius, in vinum, lustra, & graues profusosq; sumptus immersit. Vnde hic æs alienũ grande & plus quàm ætati suæ conueniebat, contraxit sexagies H S. Id omne intercessit pro eo Curio. Quod vbi rescíuit pater eius, interdixit Antonio domo sua. Ita hic paulisper Clodij audacissimi & teterrimi illius seculi tribunorum furori remp. perturbanti applicuit se. Cęterùm citò insaniam Clodij pertæsus & timens illorum, qui conspirabant in illum, nauigauit ex Italia in Græciam. Illic corpus ad labores militares exercuit, & dicendi facultatem excoluit. Secutus est Asiaticũ, quod vocant, dicendi genus, quod ea tempestate maximè florebat, oppidò moribus suis congruens insolentibus, elatis, inanisq; iactantiæ & inconstantis ambitionis plenis. Cùm aũt Gabinius proconsul in Syriã nauigans inuitaret eum ad capessendũ militiam, abnuit priuatum secuturũ se: sed delata sibi equitũ pręfectura secutus est illum ad bellum. Primùm in Aristobulũ, qui Iudæos ad rebellandũ solicitauerat, missus princeps amplissimæ arcis muros trãscendit, pręsidijsq; illum omnibus exuit reliquis, Inde signis collatis ingẽtes copias eius parua manu fudit, paucisq;

Antonij genus. *Antonij pater liberalis.* *Antonij mater Iulia.* *Antonius à Curione corruptus.* *Cicero Philip. 2.* *Antonij dicendi genus.* *Antonij contra Aristobulum Iudæum gesta.*

paucisq́ʒ demptis has occidione occidit. Ipse vnà cum filio Aristobulus captus est. Hic cùm Gabinium Ptolemæus decem milliũ talentûm mercede impelleret ad reducẽdum se in Aegyptum & regnum suum recipiendũ: plærîq́ʒ duces refragati sunt, & Gabinius bellum hoc dubitauit suscipere, quamvis vehementer decẽ illis millibus talentûm mancipatus. Antonius verò rerum auidus magnificarũ, & Ptolemæo cupiens gratificari rogantì, præstò ei fuit ad inducendũ atq́ʒ incendendum ad suscipiendũ hoc bellum Gabinium. Sed quia supra bellum iter ad Pelusiũ formidabant, quod per altum & sitiens sabulum faciendum ipsis erat circa eluuiẽ & Serbonidis paludes, quas Typhonis quidem exhalationes vocant Aegyptij: vidẽtur verò restagnatio sub terrã & percolatio esse maris rubri, quod arctissima ceruice à mari interno dirimitur: missus cum equitatu Antonius non modò angustias occupauit, sed Pelusium quoq́ʒ cepit amplam vrbem, redactoq́ʒ in potestatem præsidio eius simul iter præstitit exercitui securũ, & spem imperatori victoriæ firmauit. Huius cupiditas gloriæ fuit hostibus quoq́ʒ salutaris. Nam cùm Ptolemæus, simul atq́ʒ Pelusiũ inijt, ira & odio inflammatus instituisset Aegyptios trucidare: intercessit & prohibuit id. In prælijs & certaminibus, quæ magna & crebra cõmissa fuerunt, multa virtutis & consilij imperatorij facta edidit: liquidissimè autem, cùm circumdedit & circumuenit à tergo hostes. qua re victoriam in frontem incurrentibus parauit. Horum causa eximijs donis honoratus est. Nec verò obscura ad vulgus humanitas eius aduersus Archelaum defunctum extitit. Nam cùm familiaritas ei cum illo & ius hospitij intercessisset: bellum cum viuente gessit necessariò, corpus interfecti requisitũ regio cultu funerauit. Hinc magnam sui memoriã Alexandrinis reliquit, & apud milites Romanos habitus est fortissimus. Formæ quoq́ʒ ei ingenua dignitas fuit & barba promissa: frontisq́ʒ amplitudo & nasus aduncus faciem virilem repręsentare pictis & sculptis Herculis simulachris germanam videbatur. Fuit etiam vetus fama ducere ab Hercule Antonios genus, atq́ʒ esse ab Antone Herculis filio prognatos. Quem rumorẽ corporis specie, vti diximus, & vestitu cõfirmare existimabatur. Quippe cùm proditurus in multorũ conspectum esset: semper tunicam ad coxam incinctã habebat, grandem gladiũ suspendebat ex cingulo, & rigido cilicio amiciebat se. At quæ etiam importuna alijs videbantur, iactantia, dicacitas, perpotatio in publico, sedere inter vescendum, & cibum sumere assistentem ex militari mensa: incredibile dictu quantam beneuolentiam ei & desideriũ conciliauit militũ. Iam nec amores eius Veneribus carebãt: verùm & his allexit multos, dum amantes adiuuit, neq́ʒ ægrè tulit in amores suos dicta. Liberalitas verò, & quòd nihil pauca manu neq́ʒ astricta militibus & amicis largiretur, aditum præbuit ei ad potẽtiam amplum, eiusq́ʒ cùm iam magnus euasisset, maiorem in modum amplificauit opes: quas infinita alia euertebant vitia. Vnum munificentiæ eius exemplum commemorabo. Amico cuipiam decies HS. iusserat dari. Obstupescente dispensatore, & quò summæ magnitudinem ei ostenderet, argentum in medio proponente trãsiens, quid hoc esset, rogauit. Vbi respondit dispensator, id quod donari iusserat: liuorem eius conijciens Antonius: Ego verò maiorem summã, inquit, esse decies putaui. Hoc exiguum est. Itaq́ʒ alterum ei tantum adijce. Cæterùm hæc postea. In discordia Romanorũ ciuili cùm optimates pręsentem Pompeium sequerentur, populares armatũ ex Gallia excirent Cæsarem: Antonij amicus Curio mutata sententia à Cæsare stans adiunxit Antonium, ac cùm multum facundia ad plebem posset, multaq́ʒ profunderet præbente Cæsare: tribunum plebis Antonium, mox augurem creauit. Hic statim in ito magistratu nõ leue præsidiũ fuit partibus Iulianis. Primùm consule Marcello Pompeio veteres legiones mandante & nouos delectus permittente intercessit, promulgationem ferens: vt cõscriptus exercitus in Syriam mitteretur, & Bibulo subueniret bellum cum Parthis gerenti: ac ne quis delectum habenti Pompeio nomen daret. Iterum Cæsaris literas non recipientibus patribus neq́ʒ recitari permittẽtibus hic pro tribunitia potestate recitauit, multosq́ʒ à priore sententia deduxit: quòd viderentur æqua & moderata Cæsaris postulata. Postremò duabus in senatu propositis quæstionibus: vna, an videretur, vt exercitum dimitteret Pompeius: altera, an Cæsar: cùm pauci, vt Pompeius arma poneret: vt Cæsar, exceptis paucis omnes censerent: exurgens Antonius rogauit, placeretne vtrumq́ʒ Pompeium & Cæsarem arma ponere & exercitus dimittere: omnes hanc sententiam citra controuersiam cõprobauerunt, Antoniumq́ʒ cum assensione laudantes postulauerũt, vt discessionẽ faceret. Repugnantibus cõsulibus proposuerunt de integro alias Cæsaris amici in speciem leues postulationes. quibus Cato obstrepuit, & consul Lentulus eiecit An

Antonius cepit Aristobulum.

Antonij gesta in Aegypto sub Gabinio.

Antonij humanitas erga Archelaum mortuum.

Antonij forma.

Antoniorum familia ab Hercule orta.

Antonij liberalitas.

Antonius tribunus plebis & augur.

Antonij actiones pro Cæsare.

Antonius profugit ex vrbe ad Cæsarem. tonium curia. Ille dira ijs inter exeundum imprecatus sumpta veste famulari curruq; con ducto cum Q. Cassio profectus ad Cæsarem est. Simul vt in cõspectum exercitus venere, clamauerunt nihil iam Romę rectè vel ordine geri: cùm ne tribunis plebis quidem libera vox permittatur, sed quicunq; æquitatem tueatur, hic exagitetur atq; in periculum vocetur. Inde Cæsar cum exercitu irrupit in Italiam. Quare scripsit in Philippicis Cicero, vt bello Troiano Helenam, ita Antoniũ causam ciuili dedisse. Sed apertè mentitur.

Ciceronis mendacium. Neq; enim tam promptè vel facilè ira Cæsar à consilio esset ablatus: vt, nisi hæc iam pridem habuisset deliberata exequi, ita repentè bellum patriæ inferret, quòd sordidatos vidisset Antonium & Cassium atq; in vehiculo meritorio ad se refugientes. Verùm hoc iamdudum occasionem quærenti colorem & prætextum præbuerunt bellum faciendi speciosum. Imo impulerunt illum ad lacessendos omnes mortales eadem, quæ Alexandrum antè & olim Cyrũ inexplebilis imperandi amor atq; insana principatus summæq; potestatis cupiditas: quæ assequi nisi conculcato nõ valebat Pompeio. Vt igitur repentino aduentu Roma potitus est: & Pompeium exegit Italia, atq; Pompeij legiones Hispanienses primùm petere decreuit, ita inde parata classe persequi trans mare Pompeiũ:

Antonio Cæsar permittit Italiã. Lepidum prætorem vrbi, Antonium tribunũ plebis legionibus & Italiæ præfecit. Fuit hic mox militibus acceptus: quòd vnà cum ijs plerunq; exerceret se, vnà cibũ sumeret, atq; pro præsentibus facultatibus ijs largiretur: alijs odio venit. Siquidem læsorum præ socordia nullam habebat rationem, cum stomacho audiebat adeuntes, ob adulteria infamis erat: deniq; Cæsaris imperium, quod nihil minus quàm tyrannis ipsius quidem causa erat, reddebãt inuisam amici eius. quorum in Antoniũ ex maxima potestate maximè peccare habitum conferebatur potissimùm causa. Attamen reuersus ex Hispania Cæsar conniuit criminibus eius: & quò ad bellum impigri, fortis, atq; rei militaris periti opera vtens haudquaquam est falsus. Ac cùm paucis copijs ex Brundusio mare Ionium transmisisset, remisit naues retrò, mandauitq; per literas Gabinio & Antonio: vt imponerent exercitum, eumq; quàm ocyssimè transportarent in Macedoniam. Cùm esset autem à nauigando Gabinius hyemis metu alienus, ac pedestri longinquo itinere exercitum cir

Antonius ad Cæsarem exercitũ ducit. cumduceret: Antonius versanti inter multos hostes timens Cæsari Libonem, qui pro faucibus portus statione habens imminebat transituris, reiecit. cuius naues circumiecit multis paruis acatijs: impositisq; classi viginti millibus octingentis peditibus vela fecit. Postquàm est ab hostibus conspectus, insecuti sunt illi eum: verùm imminens ab his discrimen effugit. quòd vis acrior Austri magnis vndis & fluctuãte mari naues eorum inuoluerit. Cæterum cum conijceretur classis eius in abruptos scopulos atq; altos sinus maris, omnẽ spem salutis abiecit. Vt verò ex sinu increbuit Africus, & fluctus à terra expulsus in pelagus est: repetens altum ac feliciter nauigans cernit plenum naufragiorũ littus. Eò enim consectantes eum naues eiecit ventus, & afflictæ sunt non paucæ, multisq; captiuis & pręda potitus est Antonius, Lissum cepit, magnosq; Cæsari animos addidit op

Antonij virtus in bello. portunus eius tantis cum copijs aduentus. Commissæ fuerunt crebræ & assiduę velitationes. in quibus vbiq; enituit eximia eius virtus. Bis effusum in fugam Cæsaris exercitum occurrens conuertit, fugamq; repressit, & repetere cogens suos pugnam instantes profligauit. Maximũ igitur eius erat secundũ Cæsarem in exercitu nomen. Quanti autem eum faceret, demonstrauit Cæsar. Nam cùm postremam, qua de summa rerũ decreuit, esset pugnã Pharsalicã initurus, dextrũ cornu ipse tenuit, Antoniũ sinistro vt omniũ suorũ bellicosissimũ præposuit. Post victoriã dictator dictus, mox insecutus est Pom-

† Legendũ, magistrum equitũ: est autem locus hic mendosus. Vide Dionẽ lib. 42. peiũ. Antonium † tribunũ plebis fecit, misitq; eum Romam. Hic magistratus præsente dictatore secundũ obtinet locum, quo absente primus & penè est solus. Manet enim tribunatus, cùm alios magistratus dictatore dicto omnes abrogent. At Dolabella id temporis tribunus plebis iuuenis & rerum nouarũ cupidus legẽ de nouis tabulis promulgabat, Antoniumq; impellebat amicũ suum, qui semper gratificari auebat plebi, vt adiutor

Antonij & Dolabellæ dissensiones. & socius sibi in hac actione esset. Contrà suadebant Asinius & Trebellius. Ibi fortè grauis suspicio allata est Antonio violasse nuptias suas Dolabellã. Quod factum iniquo animo ferens nunciũ remisit vxori, quæ patruelis sua erat, C. Antonij Ciceronis collegæ filia. Igitur Asinij partes secutus Dolabellam oppugnauit. Nam forũ occupauerat ille legem intendens vi perferre. Antonius verò cùm etiã arma senatus decreuisset in Dolabellam, irrumpens in forũ prælio cõmisso nonnullos illius gregales occidit, & aliquot amisit de suis. Hinc in multitudinẽ incurrit. Bonis & sanis ob vitam reliquã, vt Cicero ait,

Antonij vita turpis. non placebat: sed erat ijs inuisus execrantibus intẽpestiuas eius perpotationes & odiosos

sos sumptus, volutationesq; in lustris, somnos diurnos, ambulationes nauseantis & vino mersi, commessationes nocturnas, ludos & commorationes in mimorum & scurrarum nuptijs. Ac fertur, cùm ad † Hippiæ mimi nuptias inuitatus totã noctem perpotasset, manè aũt à populo accitus in forũ esset adhuc cibo plenus progressus, vomuisse excipiente amico quodã toga sua. Iam erat Sergius mimus vnus ex ijs, qui plurimũ apud eum poterãt, & Cytheris ex eadem palæstra, quam mulierculam adamabat. Hanc vrbes peragrans circunducebat lectica. Lecticã eius non minor comitatus quàm matris ipsius sequebatur. Mordebant etiam homines poculorum aureorum in peregrinationibus eius tanquam in triumphali pompa translatorum spectacula, erectiones in itinere tentoriorum, prandiorum apud lucos & flumina exquisitorũ apparatus, leonibus iuncti currus, pudicorum virorum & matronarum domicilia scortis & sambucistrijs ad diuertendum attributa. Intolerãdum enim videbatur Cæsarem extra Italiam pernoctare sub dio, dum magni illius belli magnis sudoribus & periculis reliquias persequitur: alios verò per illius authoritatem luxu diffluere ciuibus insultãtes. Hæc etiam intendisse videntur seditionem, militibusq; frænum ad fœdissima flagitia atq; rapinas relaxasse. Quapropter reuersus Cæsar ignouit Dolabellæ, ac creatus tertiùm consul nõ Antonium, sed Lepidũ cooptauit collegam. Pompeij domum subhastatam emit Antonius. At indignabatur, cùm exigeretur pretium: qua quidem de causa noluisse allegat ipse se comitari Cæsarem ad bellum Africanũ, quòd præclaris factis suis prioribus non fuisset honos habitus. Apparet tamen multum de Antonij amentia & intemperantia Cæsarem peccata eius non dissimulando detraxisse. Siquidẽ explicuit se illa vita, animoq; ad nuptias applicato Fuluiam Clodij plebis concitatoris viduam vxorem duxit mulierem non ad lanificium aut ad rei familiaris administrationem factam, neq; in virum cõtentam dominari priuatum: sed quæ imperanti imperare & ducem volebat ducere. vt mercedem Fuluiæ, quòd ancillari Antonium docuisset fœminis, debuerit Cleopatra: quæ planè cicurem atq; à tyrocinio institutum ad obtemperandum mulieribus accepit. Atqui illam quoq; alludendo & lasciuiendo enitebatur Antonius reddere hilariorem. vt cùm inter frequentiam Cæsari à victoria Hispaniensi obuiàm procedentem ipse quoq; prodijt ei obuiàm. Mox allato in Italiam rumore hostes Cæsare fato functo aduentare, Romam recurrit, sumptaq; veste famulari nocte domum venit, ac Fuluiæ ferẽs literas se ab Antonio portare, obuoluto capite est ad eam introductus. Tum illa magno percita motu ante, quàm acciperet literas, percunctata est, viueret'ne Antonius? Antonius verò epistolam ei tacitus reddidit, soluere & legere aggressam complexus est & osculatus. Hæc nos ex multis pauca exempli causa retulimus. At regredienti ex Hispania Cæsari cùm omnes principes multorum dierum itinere occurrerent, Antonius honoratus ab eo eximiè est. Quippe rheda per Italiam vehens assidentem habuit Antonium, à tergo Brutum Albinum & sororis suæ nepotem Octauianum, qui pòst Cæsar dictus est, longoq; tempore Romanũ tenuit imperium. Creatus Cæsar quintùm consul, ilicò cooptauit collegam Antoniũ. Intendit autem abdicare se magistratu & cedere Dolabellæ, idq; ad senatum retulit: verùm repugnante asperè Antonio, multaq; maledicta in Dolabellam cõgerente nec pauciora audiente: illius indignitatis Cæsar pudore rem in præsentia omisit. Pòst ad renunciandum Dolabellã progressus obnunciante Antonio cessit, Dolabellamq; stomachantem destituit. Videtur autem illum non minus ꝙ Antonium detestatus. Fertur enim, cùm ambos simul quidam apud illum deferret, dixisse non formidare se crassos illos & comatos, sed istos pallidos & macilentos, Brutum & Cassium designans: à quibus inde per insidias est interfectus. His Antonius speciosissimum velamentũ præbuit imprudens. Lupercalia Romæ agebantur. Cæsar aũt triumphali ornatus veste sedens pro rostris spectabat in foro discurrentes. Multi iuuenes ex nobilitate & magistratibus discurrunt oleo vncti, atq; albis scuticis verberant ludibundi obuium quemq;. Inter hos discurrens Antonius salute vetustis solennibus dicta diadema ferens lauri coronam circumiectum accurrit ad rostra, sublatusq; ab sodalibus imposuit eam capiti Cæsaris, quasi deferendum ei regnũ esset. Simulãti illi reijcere diadema lætus populus applausit. Antonio illud iterũ ingerente, repulit Cæsar denuò. Cùm ad hunc modum diu cõcertarent: pauci amici instãti Antonio, Cæsari renuenti populus vniuersus plausum cum gratulatione dedit. Quod sanè mirandũ erat eos, qui reipsa dominatum ferebant, regis nomen vt dissolutionẽ libertatis defugisse. Ac Cæsar quidem offensus surrexit ex rostris, detractaq; à collo toga iugulũ volenti percutere clamauit se offerre. Coronam vni ex statuis eius

† Cic. in Philip. mulierem dicit fuisse: ergo mimæ legendum, non mimi.

Antonius in publico vomuit.

Antonij insolentia.

Antonius emit domũ Pompeij.

Antonius Fuluiam ducit.

Antonius vxoribus obnoxius.

Antonius cõsul cum Cæsare.

Antonius Lupercus diadema imponit Cæsari.

impositam detraxerunt tribuni quidam: quos populus festis vocibus & plausu est prosecutus. His abrogauit Cæsar magistratum. Ea Cassium & Brutum confirmauerunt, delectisq; ad illud facinus fidis amicis cõsultauerunt de Antonio. Quem cæteris admittentibus reclamauit Trebonius. Docuit enim, quo tempore redeunti ex Hispania Cæsari prodibant obuiàm, Antonij se, qui eodem secum tabernaculo vtebatur, & vnà faciebat iter, leuiter sententiam & cautè rentasse. Percepisse aũt illum se, sed dissimulasse, nec Cęsari prodidisse tamen, sed cum fide compressisse eum sermonem. Hinc denuò deliberauetunt vnà cum Cæsare interficere Antonium. Verùm id Brutus impediuit. Volebat enim, vt suscepta pro legibus & iure syncera & pura maneret actio. Cæterùm quòd robur Antonij & imperij maiestatem timerent, assignauerunt ei de coniuratis certos: qui cùm senatum ingrederetur Cæsar, atq; exequendum consilium esset, sermone de rebus serijs iniecto detinerent eum. His vt cõposita erant actis, ac Cæsare in curia perempto, Antonius extemplò veste sumpta famulari abdidit sese. Vt verò illos neminem aduertit lædere sed in Capitolium recepisse se dato filio suo obside induxit illos ad descendendum, ac Cassium ad cœnam inuitauit, Brutum Lepidus: senatuq; coacto retulit de præteritorum obliuione & prouincijs Cassio & Bruto decernendis Antonius. Hæc comprobauerunt patres decreueruntq;, vt acta Cæsaris rata essent. Ita egressus curia est omnium hominum Antonius clarissimus: quòd sustulisse bellum ciuile, magnasq; tenebras & turbationes putaretur prudentissimè & peritissimè cõposuisse. Cæterùm hæc consilia ei breuì popularis gloria excussit speranti oppresso Bruto principatum se citra controuersiam assecuturũ. Atq; elatum Cæsarem in foro de more laudauit, populumq; cernens mirificè duci & mulceri oratione sua, laudibus cõmiserationem pariter & exaggerationem intexuit cædis, atq; in perorarione vestes interfecti sanguinolẽtas gladijsq; traiectas explicans, patratoresq; sicarios vocans & homicidas vsqueadeò inflammauit populum, vt corpus Cæsaris in foro cremauerint scalis et mensis cõgestis, raptisq; ex rogo titionibus currerent ad ædes interfectorum easq; oppugnarent. Itaq; coniuratis vrbem relinquentibus Cæsaris amici cõiunxerunt se Antonio, vxorq; eius Calpurnia huic fidens pecuniam magna ex parte, cuius fuit summa millies HS. domo sua exportauit depositq; apud eum. Accepit etiam cõmentarios Cæsaris, in quibus perscripta acta eius erant. His interserens quos ei visum est, multis magistratus dedit, multos in senatũ allegit, aliquos etiã reduxit exules, & custodias soluit, tanquã ea decreuisset Cęsar. Vnde omnes hos populus Romanus per ludibriũ Charonitas appellabat. quandoquidẽ vbi arguebantur, ad mortui cõfugiebant cõmentarios. Iam cætera quoq; pro domino agebat Antonius, ipse consul & fratres habens in magistratibus positos, Caium prætorẽ, tribunũ plebis Lucium. Hoc rerũ statu Octauius Cæsar appulit Romã defuncti sororis, vt diximus, † filius & hæres patrimonij relictus, qui Apolloniæ sub tempus cædis Cæsaris agebat. Is statim vt paternum amicum salutans Antonium fecit depositi mentionem. Siquidem populo Romano ex testamento Cæsaris trecẽtos sestertios viritim debebat. Antonius primùm vt adolescentem despiciens, insanire dixit eum bonoq; consilio & amicis carere, qui onus importabile subiret Cæsaris hæreditatem. His verbis cùm nõ sedaretur adolescens, sed repeteret argentum: multa in contumeliam eius assiduè dixit & egit. Nam ambienti tribunatum obstitit, & sellam auream patris ex plebiscito ponenti minitatus est, nisi populum desisteret solicitare, in carcerem se eum ducturum. Vt verò Ciceroni se adolescens & alijs, qui oderant Antonium, dedidit. illorum opera commendatus senatui est. gratiam popularẽ ipse instituit colligere, & veteranos ex colonijs cogere. Tum pauefactus Antonius venit cum eo in colloquium in Capitolio, vbi reconciliati sunt. Illa nocte somnium oblatum Antonio dirum est. Dextera manus ei fulmine visa est icta: paucisq; diebus delatum ad eum est Cæsarem insidias sibi parare. Purganti se non credidit Cęsari. Vnde simultas exarsit de integro inter eos vehemens, percursitauitq; vterq; Italiam ad veteranos ex colonijs magnis propositis præmijs excitandos: milites verò, qui adhuc sub signis erant, certatim solicitauere. In vrbe Cicero plurimum pollens, omnesq; homines concitans in Antonium tandem senatum perpulit. vt hostem illum iudicaret, Cæsari lictores & insignia prætoria decerneret, Pansamq; & Hirciũ, qui tunc cõsules erant, mitteret ad pellendum Italia Antonium. Hi commisso ad Mutinam oppidum cum Antonio prælio Cæsare præsente & socio fuderunt Antonium. sed ipsi occubuere. Fugientẽ multæ exceperunt Antoniũ difficultates, difficillima verò fames. Sed naturâ erat asperis in rebus lõgè solito præstãtior, ac fortuna improspera pressus ger

manissimus

De Antonio cũ Cæsare interficiendo deliberatur.

Antonius refert de præteritorũ obliuione.

Antonius conturbat remp. Cæsare cæso.

Antonij & Octauij Cæsaris dissensiones.

† Nepos fuit, non filius. nam sororis Cęsaris filiæ filius fuit, vt omnes nõrũt, vel ex Suetonio.

Octauius coniungit se Ciceroni.

Antonij somnium.

Antonius à senatu hostis iudicatus.

Antonius ad Mutinam fusus.

manissimus reddebatur bono viro. Est quidē commune virtutē intelligere illis, qui angustijs pressi sunt, non omnes tamen, quæ laudant & mirantur, exprimere: & fugere, à quibus abhorrent, & quæ improbant, valent in rerū vicissitudinibus. sed quidā magis etiam ex inertia concedunt moribus pristinis, & rationes agitatas repudiant. Erat igitur tunc notabile militibus exemplū Antonius. qui ex tantis delicijs & luxu facilè aquā putridam potabat, fructibusq; agrestibus & radicibus vescebatur. Vorauerunt etiam, vt fama est, corticem: nec ab animalibus nunquam antea gustatis in superandis Alpibus abstinuere. Contendebat ad legiones transalpinas, quibus præerat Lepidus. Hunc numerabat Antonius amicum, qui multa putabatur eius opera consecutus à Cæsare. Eò profectus castris propè locatis, vbi nihil ei benignè oblatū est, statuit vltimam aleam subire. Coma eius incompta erat & barba prolixa, quam mox ab aduerso prælio habebat promissam, sumptaq; toga pulla sub vallū Lepidi accessit, atq; orationem exorsus est habere. Multi ad eam speciem infringebantur & ducebantur oratione eius. Quare timens Lepidus ad interpellandum Antonij orationem tubas iussit canere. At milites inde misericordiam maiorem eius ceperunt, & colloquia secreta cum Antonio habuerunt per Lælium & Clodium, quos vestitu meretricio miserunt ad eum. Hi Antoniū hortati sunt, vt vallum adoriretur audacter. Multos esse, qui eum recepturi & Lepidum, si vellet, essent interfecturi. verùm non permisit Antonius, manus vt Lepido inferrent. Postero die tentauit cum exercitu flumen: ac primus ingressus ad vlteriorem ripam contendit, frequentesq; iam Lepidi milites conspexit manus sibi porrigentes & vallum dissipantes. Ingressus castra & potitus omnium egit cum Lepido humanissimè. Nam in salutando appellauit eum patrem. ac quamvis reuerà omnia in potestate sua haberet, nomen illi tamen & honorem non destitit conseruare imperatoris. Ea res adiunxit ei quoq; Munatium Plancum, qui non procul cum magnis copijs considebat. Iam præpotens iterum redditus Alpes traiecit, duxitq; in Italiam secum peditum septendecim integras legiones & decem millia equitum. Præter hos reliquit ad præsidium Galliæ sex legiones sub Vario quodā familiari & compotore suo, quem † Cotylonem appellabant. At Cæsar Ciceroni iam, quem inhærere videbat libertati, salutē dixit, Antoniumq; per necessarios ad reconciliationem inuitauit. Congressi tres illi in modica insula amne circunflua triduum in colloquio fuere. De cæteris conuenit inter eos facilè: totumq; imperiū inter se sicut patrimonium suum sunt partiti: sed disceptatio de illis, quos statuerant interficere, diu distinuit eos. quòd interimere quisq; inimicos suos & necessarios niteretur conseruare. Tandem feruore in eos, quos oderant, & cognatorum reuerentiam & amicorum beneuolentiam postmittentes Cicerone cessit Cæsar Antonio, huic Antonius L. Cæsare auunculo suo. Lepido permissum Paulum fratrem suū trucidare. Alij ferūt Lepidū illis Paulum, quem ad cædem deposcebant, concessisse. Hac permutatione nihil equidem arbitror atrocius vel immanius extitisse. Nam cùm cædibus cædes mutarent: non secus occiderunt illos, quos condonabant, quàm quos accipiebant. Iniquiores autem fuerunt in amicos, quos nullo adducti odio peremerunt. Hoc fœdus petierunt circumsistentes milites, vt nuptiarum aliquarum vinculo conglutinarent, & Cæsar Fuluiæ filiam duceret priuignam Antonij Clodiam. Postquàm & hoc conuenit, * trecentos ad cædem proscripserunt. Ciceronis interfecti imperauit Antonius caput & dexterā, qua Philippicas scripserat, detruncari. quæ allata exultās spectauit cachinnansq; crebrò præ gaudio. Vbi satiatus fuit, mandauit vt pro rostris in foro figerentur. quasi verò insultaret mortuo, & non potiùs se ipse fortunæ insultare suæ & potestatem quam tenebat, ostenderet maculare. Auunculus eius L. Cæsar, cùm eum inuestigarent & persequerentur, confugit ad sororem suam. Ea instantibus percussoribus atq; in cubiculum suū irrumpentibus consistens in ianua expansis manibus clamauit subinde: L. Cæsarē non interficietis, nisi antè interfeceritis me, quæ vestrū peperi imperatorem. Illa ergo hac ratione eripuit & conseruauit fratrē suum. Erat populo Romano illorū triumviratus maiorē in modum grauis. culpa tamen in Antonium conferebatur potissimùm, qui natu Cæsare maior & Lepido potentior in vitam eam luxuriosam & perditā, vt primùm emersit ex negocijs, est reuolutus. Accessit ad cōmunem infamiam non mediocre odium ex ea, in qua habitabat domo: quæ fuerat Magni Pompeij viri non minùs ob tēperantiā modestiamq; & ciuilē vitā q̃ ob tres triūphos admirabilis. Dolebāt enim, cùm cernerēt clausam magistratibus, ducibus & legatis, qui contumeliosè repellebantur à foribus: plenā verò mimorū, præstigiatorum, & adulatorum vinolentorū: in quos ferè argentū violentissima & acerbissima coactū ratione absu

Antonij in aduersis tolerātia.

Antonij squalor.

Antonius potitur exercitu Lepidi.

†Cic. in Philip. Varium Cotylam appellat.

Triumuirorum apud Bononiā conuentus.

Triumuirorum proscriptio.

* Alio loco ducentos ponit.

Antonij in Ciceronem crudelitas.

L. Cæsar seruatur per sororē.

Antonij in triūviratu luxus.

mebatur. Quippe non tantùm proscriptorũ subhastau erunt bona circumuenientes insuper calumnijs necessarios eorũ et coniuges, neq; solùm omnis generis mouerũt vectigalia: verùm etiam, vt compererunt apud virgines Vestales quædã à peregrinis & ciuibus deposita, illuc profecti ea abstulere. Vbi nihil satis fuit Antonio: postulauit Cæsar, vt diuideret secum pecuniã. Diuiserũt etiã exercitũ proficiscentes in Macedoniã ambo ad bellũ Bruto & Casio faciendũ. Lepido vrbẽ permisere. Postq; tamen instituerunt transmisso mari res gerere, & castris hostiũ collata castra habuere: cùm oppositus Antonius Casio esset, Cæsar Bruto, nihil Cæsar gesit præclari: verùm vbiq; palmã tulit & successum habuit Antonius. Priore certè acie prorsus à Bruto Cæsar fusus fugatusq; castra amisit, & penè in potestatem venit fugientẽ insectantiũ. Vt verò in cõmentarijs ipse prodidit Cæsar, cùm oblatũ cuidam eius amico fuisset somnium: recepit se ante conflictũ. Antonius Casium pepulit. quamvis sint, qui scripserunt, nõ interfuisse prælio Antonium: sed post pugnam consectantibus iam hostes suis superuenisse. Casium Pindarus fidus libertus eius orantẽ & instantẽ, quòd non resciuisset victoriã Bruti, obtruncauit. Paucis interiectis diebus iterũ conflixere. Victus Brutus semetipse traiecit. Tulit autem totam penè Antonius huius gloriã pugnæ, nempe ægrotante Cæsare. Asistens verò cadaueri Bruti exprobrauit ei modicè Caij fratris sui necẽ. Illum enim in Ciceronis vindictam interfecerat in Macedonia Brutus. Cæterùm Hortensio potius dictitãs se quàm Bruto cædem fratris imputare, Hortensiũ super illius monumentũ præcepit interfici. Bruto magni pretij paludamentũ suũ purpureum iniecit, & cuidã liberto suo commisit eius funerandi curã. Hunc pòst cognito exquisitũ illud paludamentum non concremasse in funere interfecit. Hinc Cæsar Romam deportatus est, quẽ ex valetudinis imbecillitate apparebat non diu superfuturũ. Antonius verò ad prouincias Oriẽtales, vt cogeret pecuniam, profectus transcendit magno exercitu in Græciam. Qui enim militibus in capita vicena millia nummûm polliciti fuerant: intentiore cura quærenda ipsis & imperãda pecunia erat. Atq; Græcis quidẽ tunc primò neq; durũ neq; acerbum præbuit se: sed remissio eius ad viros eruditos audiẽdos ludosq; spectandos & initiationes fuit illis iucunda. Iam æquũ se in iudicando exhibebat, atq; Græcorũ studiosus gaudebat dici, multoq; magis Atheniensiũ appellari studiosus. quorũ ciuitatem plurimis donis affecit. Gestientibus autẽ Megarensibus certare cum Atheniensibus, & aliquid ei eximij ostendere: orantibusq;, vt curiam suam viseret: eò profectus spectauit eam. Interrogatus, quæ sibi videretur: Angusta, inquit, & ruinosa. Adhæc Apollinis Pythij templũ dimensus est, ostendens se id instauraturũ: id enim declarauit ad senatũ. Postquàm relicto in Græcia L. Censorino in Asiã transmisit, illiusq; gustauit opes: reges autẽ ianuam eius frequentauere, regumq; coniuges muneribus inter se & formæ splendore certantes sese ei venditarunt: atq; dum Romæ Cæsar seditionibus & bellis fatigatur, ocio ipse & pace diffluens reuolutus est ex morbo suo in pristinã vitã: Anaxenores verò cytharœdi, Xuthi choraulæ, Metrodorus quidã saltator, reliquusq; acroamatũ chorus Asianorũ facetia & dicacitate Italicas pestes superantiũ irrepserũt adhæseruntq; aulæ: nihil iam ordine gerebatur, quòd omnes ad ista delaberentur. Siquidem tota Asia, vt ciuitas illa Sophoclea,

Gratis simul suffitibus referta erat,
Et cantilenis & simul quoq; fletibus.

Ingredientem Ephesum fœminæ Baccharum, viri puerìq; Satyrorum & Panum habitu præcesserunt. Hedera, thyrsis, psalterijs, fistulis, tibijs personabat vrbs, appellabantq; eũ Bacchũ benignum ac blandũ. Et erat sanè nonnullis talis, multis tamẽ immanis & trux. Expoliabat enim homines nobiles facultatibus, quas verberonibus & adulatoribus largiebatur. Multorũ fortunas viuentiũ petebant accipiebantq; aliqui quasi mortuorũ. Ciuis Magnetis bona coco, qui vnam cœnã, vt fertur, parauerat scitè, donauit. Postremò cùm ciuitates altero tributo oneraret, ausus est Hybreas, qui pro Asia agebat, quiddam dicere vrbanum illud quidẽ atq; ad Antonij aures non illepidum: Si bis anno tributum vales exigere, vales bis etiã æstatem nobis & bis fructus efficere. Sed cum acrimonia & confidentia adiecit, vbi ducenta millia talentûm intulit Asia: Hæc, inquit, si non accepisti, ab illis, qui acceperunt, repete. Sin quæ accepisti, hæc nõ habes, perimus. Eo dicto vehementer pupugit Antonium. Nam pleraq;, quæ agebantur, ignorabat: nõ quòd ita foret socors, sed quia ex simplicitate credebat suis. Inerat enim moribus eius simplicitas & tardus sensus. Verùm siquando sensisset peccata, mirè angebatur, ea'que apud læsos fatebatur. Effusus erat ad præmia & supplicia: beneficijs magis tamen quàm pœnis repræ-

Antonij in bello contra Brutum virtus.

De hoc somnio Valer. Max. lib. 1. cap. 7.

Antonius Brutum magnificè funerandum curat.

Antonij ciuilitas in Græcos.

Antonij luxus in Asia.

Asianæ pestes, i. luxus.

Antonij violentia in Asia.

Antonij simplicitas.

reptæ sentandis excedebat modum. Contumelia eius in iocis & dicterijs afferebat secum medicinam. Siquidem reponere licebat dicta & conuitia. Nec minus hilaris erat, cùm derideretur, quàm cùm derideret alium: quod quidē multa negocia labefactauit. Quippe liberos in iocando quia nō arbitrabatur sibi in rebus serijs assentari: capiebatur, cùm ab eis laudaretur, facilè: ignorans liberā linguam nonnullos sicut condimentū subastringens adulationi admiscere: quò detraherēt satietatem audaciæ & loquacitati, qua vtebantur inter pocula: machinantes, ne cedere in serijs & assentiri adulatoriè viderētur, sed quia vincerentur prudentia. Eo præditum ingenio Antoniū nouissimum malum excipiens Cleopatræ amor, qui multa etiamnum latentia in eo & quiescentia vitia excitauit atq; inflammauit, siquid repugnaret adhuc in eo boni & virtutis, id oppressit insuper & corrupit. Capitur autem hoc modo: Accinctus ad bellum Parthicum misit ad eam imperans, in Ciliciam vt sibi occurreret ad causam dicendam: quòd Cassio diceretur multum ad bellum subministrasse opis & subsidij. Qui missus fuit Dellius, vt formā eius aspexit, in verbisq; acrimoniam & astutiam animaduertit: quòd protinus sentiret nihil in talem fœminā Antonium consulturum grauius, sed fore illam apud eum maximam: conuertit se ad colendam excitandamq; Aegyptiā, iret (vt ait Homerus) in Ciliciam egregiè adornata: neq; iucundissimum imperatorem humanissimumq; formidaret Antonium. Illa hinc ab Dellio inducta, hinc coniecturam ducens ex prioribus suis formæ cum Cæsare & Cneo Pompeij filio commercijs, facilè Antonium sperauit se subacturam. quando puellam adhuc illi & rerum rudem cognouerant. Ad hunc verò ventura erat, quo maximè tempore speciem habent fœminæ florentissimā & ingenio vigent. Itaq; magnam vim donorum & pecuniæ parat ornamentaq;, qualia verisimile sit potuisse eam ex ingenti opulentia & regno felici afferre. Maximam verò spem in semetipsa suisq; ponens præstigijs & Veneribus dat se in iter. Cùm verò multas ab illo atq; ab inuitantibus ipsam amicis illius acciperet literas, vsqueadeò despexit & derisit Antoniū: vt subueheretur Cydno fluuio in nauigio aurata puppi, velis passis purpureis, remigio argenteis ductoremis ad tibiarum, fistularum, & cythararum modos. Recumbebat illa sub tabernaculo auro intexto eleganter exculta, vt pingitur Venus. Pueri pictis Cupidinibus assimiles hinc inde stabant & ventulum ei faciebant. Ancillæ itidem, quæ forma præcellebant, Nereidum & Gratiarum modo amictæ partim assistebant gubernaculis, partim rudentibus. Complebant ripas odores ex suffituum copia flagrantissimi. Homines autem alij statim à fluuio ex vtraq; ripa comitabantur eam, alij ad spectaculū descendebant ex vrbe. Effusa forensi turba ipse deniq; pro tribunali sedens Antonius relictus est solus. Manauit autem per omnes rumor Venerē ad salutem Asiæ venire ad Bacchū commessatum. Antonius ergo misit certos, qui eam ad cœnam inuitarent. Illa verò Antonium potiùs venire censebat ad se debere. Qui vt sub aduentum illius facilitatem aliquam & comitatem ostenderet, morem gessit ei ac venit. Apparatum cùm offendisset incredibilem, imprimis frequentiam obstupuit luminum. Tam crebra enim vndique simul demissa & exorta perhibent fuisse, ijsq; inter se posituris & sedibus distincta & cōposita in quadrū & orbiculatim: vt illud inter celebrata literis & eximia spectacula fuerit vnum. Postero die illam inuitans vicissim, splendorem illum & accuratum paratum enisus est superare. Vtrobiq; inferior & victus in his ipsis primus derisit cœnæ suæ sordes & rusticitatem. Vbi iam dicteria Cleopatra Antonij, admodum castra & vulgus animaduertit resipiscere, vsa est eodem genere in eum effusè & intrepidè. Neq; enim erat, vt perhibent, figura eius per se vsqueadeò incomparabilis, neq; vt obstupefaceret spectatores: sed habebat aculeos consuetudo ineuitabiles, formaq; eum sermonis illecebris & morum simul circumfusæ consuetudinem Veneres stimulum aliquem infligebant. Ad hæc loquentis voci inerat suauitas, ac linguam sicut multarum organum fidiū promptè ad quemlibet sermonem vertēs perpaucis sanè barbaris per interpretem, plerisq; dabat per semetipsa responsa, vt Aethiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis. Multarum insuper linguas aliarū gentiū dicitur tenuisse: cùm antecessores eius reges ne Aegyptiā quidē percipere sustinuissent, nonnulli etiā desijssent Macedonicam. Ita ergo cepit Antonium: vt cùm Romæ vxor illius Fuluia pro rebus eius digladiaretur cum Cæsare, & Parthorū essent circa Mesopotamiā suspensæ copiæ: quarū Labieno auspicijs Parthicis creato imperatore adorituri regij duces erant Syriam: abduceretur ab ea Alexandriam: ibiq;, dum in adolescentis ocioli se oblectamenta & ludos abijcit, absumeret & per luxum profunderet pretiosissimum, vt ait Antipho, impendium tempus.

Erat

Antonij mores.

Antonius accersit Cleopatram in Ciliciam.

Odyss. lib. 11. de Circe.

Fœminæ quando maximè florent.

Cleopatræ ad Antoniū proficiscētis ornatus.

Apparatus cœnarum Cleopatræ & Antonij.

Cleopatræ Veneres.

Antonij et Cleopatræ immensi sumptus in Aegypto.

Erat enim congressus quidam illis vitæ, quam inimitabilē vocabant, inuitabantq; indies se inuicem incredibili sumptuum profusione. Exposuit auo nostro Lampriæ Philotas Amphissensis medicus fuisse id tēporis se Alexandriæ studiorum causa. Cui quòd consuetudo cum vno ex cocis regijs intercederet, impulsum se iuuenem ab illo, vt splendorem & paratū cœnæ vnius contemplaretur. Inductus igitur in culinam vt inter alia multa vidit apros octo assari, numerum se miratum fuisse cōuiuarum. Ibi risisse coquum, ac dixisse non esse frequentes conuiuas, sed circa duodecim. verùm quodq; ferculum ponendū in vigore, qui momento deflorescat. Etenim fieri posse, euestigiò vt cœnare Antonius velit, vel paulo pòst: vel fortè traducat tempus poculo poscendo, vel sermone aliquo illato. Vnde non vna, inquit, sed multæ parandæ sunt cœnæ. Siquidē difficile coniectu tempus est.

Philotas Antonij medicus.

Hoc Philotas memorauit: præterea temporis progressu inter clientes se fuisse filij Antonij natu maximi, quem ex Fuluia habebat, ac subinde apud eum cum alijs familiaribus cœnatum, cùm non cœnaret ille apud parentem: ac medicum aliquando insolentem, qui multa negocia cœnantibus ipsis exhibebat, hac cauillatione fuisse ab

Philotæ syllogismus facetus: & ad eum Antonij iunioris responsum.

se repressum. Febricitanti aliquatenus frigida propinanda est, omnis autem febricitans aliquatenus febricitat, omni ergo febricitanti propinanda frigida. Icto homine atq; obmutescente oblectatum Antonij filium risisse ac dixisse: Hæc tibi Philota cuncta dono, ostendens multis & grandibus poculis cumulatam mensam. Cuius cùm amplexus esset benignitatem, & quiduis tamē potius quàm potestatem esse putaret tantillo puero tam multa donādi: paulo pòst arripuisse pocula vnum ex pueris atq; in vase apportasse, sibiq; dixisse, vt vas signaret. Recusante ac timente Philota accipere: Quid malum, dixisse hominem, dubitas? Nescis eum, qui dat, Antonij filium esse, cui facultas est tantundem auri largiendi? Si tamen mihi credis, permuta nobis pecunia omnia. Fortassis enim desiderabit quædam pater operis antiqui atque ob artem nobilis. Hæc nobis exposuit auus semper solitum narrare Philotam.

Cleopatra blandiendi magistra

At Cleopatra blandiendi artem non, sicut Plato ait, quadrifariam sed mulifariam partita & serijs intento & ludo semper nouam aliquam obijciebat voluptatem & oblectamentum, quo lactabat Antonium neque noctu neque interdiu ab eo discedens. Etenim ludebat cum eo alea, potabat, venabatur, in armis exercentem se spectabat, noctu assistentem ianuis & fenestris popularium atque in eos, qui intus erant, dicta iacientem per plateas comitabatur ac cum eo vagabatur veste ancillari tecta. Namque eiuscemodi cultu ornare se ille elaborabat. Vnde frequenter dictis, frequenter etiam verberibus mulctatus regrediebatur. Quamvis esset autem suspectus plerisq;, gaudebant tamen illius ludo & vernilitate Alexandrini, atq; alludebant lætiq; dicebant non inscitè neq; inconcinnè tragicam personam eum aduersus Romanos sumere, comicam aduersus ipsos. At multos illius ludos planè ineptum sit referre.

Antonij piscatio in Aegypto.

Cùm verò piscans aliquādo, quòd infelix esset in capiendo præsente Cleopatra stomacharetur: iussit piscatores vrinantes antè captos pisces clàm hamo suo affigere. Vt bis aut ter traxit, non fefellit Aegyptiam. Mirari autem fingēs se illa rem narrauit amicis, orauitq;, vt postero die spectatum venirent. Vbi frequentes conscenderunt naues piscatorias, & hamum Antonius demisit: imperauit vni ex suis, vt præueniens & adnatans salsamentū Ponticum annecteret hamo. Cùm prædam Antonius habere putans subduxisset calamum: consecuto scilicet risu: Nobis da calamum, inquit, imperator Pharitis & Canobitis regibus. Venatio tua vrbes, reges, prouinciæ sunt.

L. Antonij & Fuluiæ bellum cōtra Octauiū.

Huiuscemodi nugas & pueriles ludos agentem Antonium duo occupant nuncij, vnus à Roma, Lucium fratrem eius & vxorem Fuluiam post mutuas dissensiones cum Cæsare belligerasse, ac rebus perditis profugere ex Italia: alter nihilo hoc lenior, Labienum cum Parthis Asiam ab Euphrate & Syria vsque ad Lydiam & Ioniam subiugare. Vix tandem ergo excitatus ex somno exhalata crapula contendit in Parthos, processitq; ad Phœniciam vsq;. Cæterùm cùm literas à Fuluia lamentabiles accepisset, in Italiam se ducentis nauibus vertit. Exceptis in cursu amicis, qui diffugerant, Fuluiam esse intellexit belli authorem, mulierē cùm sponte importunam ferocemq;, tum sperantem, siquis extitisset in Italia motus, à Cleopatra se retracturum Antonium.

Fuluiæ vxoris Antonij mors.

Forte fortuna Fuluia, cùm ipsa quoque ad eum nauigaret, Sycione ex morbo decessit. Vnde maior est cum Cæsare reconciliationis nata opportunitas. Vt enim ad Italiam applicuit, & præ se tulit Cæsar nihil illi succensere se: & eorum, quæ sibi obijciebantur, in Fuluiam causam reijcere: non permisere causationem

Orbem terrarū tanquam patri-

amici excuti, verùm in gratiam ambos reduxerunt & imperium sunt partiti. Orientem Antonio, quà mare Ionium terminaret, Cæsari attribuerūt Occidentē, Africam Lepido per-

permisere. Consulatum gerere cùm ipsi nollent, statuerunt vt vtriusq; amici eum caperent vicissim. Quæ cùm probarentur, arctius requirebant vinculum, quod fortuna obtulit. Quippe soror erat Cæsari Octauia natu eo maior, sed non vterina. Ex Ancharia illa, hic post eam ex Accia fuerat genitus. Diligebat autem mirificè sororem, quæ rari mulier exempli perhibetur fuisse. Hæc C. Marcello, cui nupserat, non ita dudum defuncto vidua erat. Habebatur itē excessu Fuluiæ rorus Antonij vacare. Non dissimulabat hic quidem habere se Cleopatram, in matrimonio inficiabatur tamen, atque ratione adhuc hactenus certè luctabatur contra Aegyptiæ amorem. Has nuptias suaserunt omnes: quòd Octauiam sperarent, quæ excellentiæ formæ grauitatem & prudentiam habebat adiunctam, vbi Antonio coniuncta esset, atque vt talis fœmina haud dubiè ab eo adamata, omnium rerum ipsis salutē & concordiam allaturam. Vbi placuit vtrique conditio, Romam profecti sunt ad Octauiæ nuptias celebrandas. Quia verò vetabat lex, ne qua mulier, nisi exactis à morte viri decem mensibus nuberet: tempus est ei senatusconsulto remissum. Tenebat autem Sextus Pompeius Siciliam: qui Italiam vastabat, nauibusq; frequentibus prędatorijs, super quas Menas pirata & Menecrates positi erant, infestum mare faciebant. Hic humanum se visus est præstitisse Antonio. Nam profugientem cum Fuluia exceperat matrem eius. Igitur cum eo quoq; visum ijs pacem iungere. Congressi sunt apud promontorium Misenum & proiectū in mare aggerem. Cinctus erat Pompeius classe, Antonius & Cæsar pedestres copias ei ex aduerso habebant. Postquàm conuenit, vt Sardiniam cum Sicilia teneret Pompeius hac lege, vt tutum à prędonibus præstaret mare, ac certū numerū frumenti Romā mitteret: inuitauerūt se inuicē ad cœnam. Sors autē euenit Pompeio, vt primus præberet illis epulū. Rogante eum Antonio, vbi cœnaturi essent? Hic, inquit: monstrata naui prætoria * hexere. Domus enim Pompeio hæc relicta paterna est. Id Antonio exprobrandi gratia dixit: quoniam ille tenebat Pompeij patris eius domum. Stante in anchoris naui ac ponte ex promontorio constructo accepit eos comiter. Medio conuiuio, & cùm maximè dicteria in Cleopatrā & Antonium iacerentur, adijt Menas pirata Pompeium, atque vt illi non exaudirent: Vis, inquit, anchoras nauis incidā, efficiamq; te non Siciliæ modò & Sardiniæ, sed imperij Romani dominum? Pompeius vt eum audiuit, & rem perpendit secū paulisper: Facere Mena, inquit, oportebat id, nec mihi prænunciare. Nunc quidem rebus præsentibus acquiescamus. Neq; enim meum est peierare. Hic vicissim ab vtroq; exceptus conuiuio, atq; inde in Siciliam est reuersus. Porrò Antonius pace composita Ventidium præmisit in Asiam, vt progressum Parthorum sustineret. Ipse in Cæsaris Octauij gratiā Cæsaris Dictatoris sacerdos creatus est, reliquaq; communi consilio & amicè in vrbanis atq; imperij negocijs transegere. At Antonium concertationes ludicræ, in quibus semper fuit Cæsare inferior, mordebant. Erat enim in contubernio eius fatiloquus quidam Aegyptius ex natalibus prædicere futura doctus. qui vel Cleopatræ gratia, vel expromens veritatem, apertè demonstrauit Antonio auspicatissimā eius & summā fortunā à Cæsaris fortuna offuscari, suasitq; vt ab illo adolescēte remoueret se quàm longissimè. Huius enim geniū, inquit, formidat genius tuus. qui erectus & celsus, vbi solus est, illo appropinquāte demissior redditur & ignauior. Et sanè suffragari rem ipsam apparebat Aegyptio. namq; ferunt, cùm per lusum quacunq; in re mitterent quotidiè sortē, vel alea luderent, victū discessisse Antoniū. Crebrò commissis gallis gallinaceis, crebrò bellatricibus coturnicibus superauerūt emissi à Cæsare. Vnde conflictatus in animo Antonius, magisq; ad Aegyptiā se applicans, re familiari sua Cæsari mandata excessit Italia. Octauiā in Græciam vsq; duxit secū, ex qua iam filiam sustulerat. Hybernanti Athenis primæ Ventidij res, ꝓsperè gestæ nūciantur, Parthis fusis Labienū & summū regis † Herodis ducē Pharnapatē ab eo interfectos. Huius victoriæ gratia præbuit Græcis epulū, ludos gymnicos populo Atheniensi edidit: in quibus esse ipse voluit gymnasiarches. relictisq; domi insignibus imperatorijs, cum virgis gymnasiarchicis in pallio & phæcasijs processit, correptosq; iuuenes, vbi satis certassent, diremit. Profecturus ad bellum coronam sumpsit ex sacra olea, atque ex certo oraculo vasculum aqua ex clepsydra impletum tulit secum. Interea Pacorum Parthorum regis filium ingenti exercitu Parthico iterum Syriam inuadentem Ventidius signis collatis in Cyrrestica fudit, multos'que concidit. Inter primos cecidit Pacorus. Hoc factum, quod in celebrassimis fuit, abundè vindicauit populi Romani acceptas sub Crasso clades, Parthos'que denuò intra Mediam & Mesopotamiam redegit tribus ordine certaminibus profligatos. Ventidius inse-

Marginal notes:

Patrimonium inter se triumviri diuidunt.

Octauia Octauij Augusti soror.

Antonius ducit Octauiam.

Lex Romana de viduis maritandis.

Antonius et Octauius pacem faciunt cum Sexto Pompeio.

* Sex remigum nauis est.

Sext. Pompeij acre responsum, Antonio.

Sext. Pompeij fortuna oblata, propter fidem neglecta.

Octauij genium Antonij formidat genius.

Ventidij contra Parthos victoriæ.

Labieni et Pharnapatis cædes.

† Iustin. appellat Horodem. Plin. & alij Orodem. Plut. in Crasso Hyrodem.

Pacori regis Parthorum filij cædes.

insectari vlteriùs Parthos veritus Antonij inuidiam dubitauit. at in illos, qui defecerant, suscepta expeditione subiugauit eos, & Commagenum Antiochum in vrbe Samosatis obsedit. Hunc supplicem mille talentûm offerentem pendere & facere imperata, ad Antonium iussit mittere legatos. Iam enim propè aderat, neq; pacem Antiocho dare permittebat Ventidium: quò hoc vnum certe factum sibi asscriberetur, neq; omnia prospera gererentur Ventidij ductu. Dum verò protrahitur obsidio, & obsessis desperatio pacis vertit in audaciam: nulla re gesta ductus pœnitentia turpiter contentus trecentis talẽtis dedit pacem Antiocho; ac parum rebus Syriæ compositis Athenas regressus est.

Ventidius de Parthis solus triumphauit.

Ventidium pro meritis honoratum ad triumphum misit. Hic de Parthis ad hanc memoriam triumphauit solus, vir obscuro natus loco: sed per amicitiã Antonij magnarum rerum gerendarum accepit materiam. qua pulcherrimè vsus dictum de Antonio & Cæsare confirmauit, feliciùs res cos per alios quàm per se gerere. Quippe Antonij legatus

Canidij res gestæ.

Sosius multa in Syria patrauit, Canidiusq; ab eo in finibus Armeniæ relictus hanc domuit, Iberorumq; & Albanorum regibus subiugatis vsque ad Caucasum progressus est. quibus rebus nomen & fama inter barbaros Antonij potentiæ est amplificata.

Antonij & Octauij nouæ dissensiones.

Antonius denuò ex delationibus quibusdam incensus in Cæsarem nauigauit trecentis nauibus versus Italiam. Non recipientibus classem eius Brundusinis Tarentum nauibus decurrit. Inde Octauiam, quæ comitata eum fuerat ex Græcia, orantẽ dimittit ad fratrem.

Octauia componit Antonij & Cæsaris dissensiones.

Prægnans tum erat, atq; alteram ex eo iam filiam genuerat. Hæc occurrens Cæsari in itinere adiunctis illius amicis Agrippa & Mecœnate conuenit eum. Multis autem orauit questibus, ne permitteret ex fortunatissima fœmina miserrimam se euadere. Nunc enim omnes mortales ait suspicere se duorum imperatorum alterius coniugem, alterius sororem. Quòd si deteriora consilia, inquit, valuerunt & extiterit bellum: vtri vestrum, incertum est, in fatis sit vincere an vinci. Mea verò sors vtring; erit misera. His fractus Cæsar

Potentiæ maximæ, pacatum spectaculum.

venit pacatus Tarentum. Pulcherrimum spectaculum, qui adfuerunt, videre, ingentem terra exercitum quietum, ingentem ad littora tranquillam classem, illorum amicorumq; occursus & complexus. Prior cœnam præbuit Antonius, quod etiam tribuit Cæsar sorori suæ. Pacti sunt inter se, vt duas legiones Antonio Cæsar ad bellum Parthicum daret, Antonius Cæsari naues rostratas centum. Octauia verò extra conuenta fratri obtinuit à viro viginti myoparonas, viro à fratre mille milites. Ita digressi Cæsar Siciliæ potiundæ ardore cõfestim bello Pompeio moliendo intendit. Antonius Octauia cum suis ex illa & ex Fuluia liberis Cæsari commendata transmisit in Asiam. At ingens calami

Antonius accersit Cleopatram in Syriam.

tas diu dormitans Cleopatræ amor, qui sopitus melioribus consilijs atque extinctus videbatur, eluxit ex integro & excitatus est appropinquante Syrię Antonio: ac postremò sicut contumax, vt ait Plato, atq; lasciuum animi iumentum calcibus repellẽs omnia honesta & salubria consilia Fonteium Capitonem ad Cleopatram in Syriam adducẽdam

Antonius ingentes prouincias donat Cleopatræ.

misit. Vt venit: non mediocria neq; exigua donat & adijcit ei, sed Phœniciã, Cœlen Syriam, Cyprum, magnam Ciliciæ partem, adhæc Iudęæ regionem, quę balsamum gignit, & Arabiæ Nabathææ quantum ad Oceanum vergit. Hæc potissimùm momorderũt populum Romanum munera. quamuis multis hominibus priuatis magnarum gentium

Antigonus Iudæus regum primus, ab Antonio securi percussus.

tetrarchias & regna condonaret, multis regna auferret: vt Antigono Iudæo, quem productum securi percussit. qua pœna in regem nullum fuerat antè animaduersum alium. Cæterùm turpitudo fuit Cleopatrę honorum Romanis molestissima. Exaggerauit probrum, quòd geminos ex illa sustulisset, appellassetq; vnum Alexandrum, alteram Cleopatram cognomento hanc Lunam, illum Solem. Atqui doctus in rebus turpibus ostentare se iactabat Romani imperij non ex his, quæ caperent, sed quæ donarent, conspici magnitudinem. Successionibus autem & sobole multorum regum, propagatam nobilitatem. Ita prognatum genitorem suum ab Hercule: qui non vni vtero progeniem commendauerit suam, neq; Solonis leges vel iudicia de liberis tollendis timuerit: verùm naturæ cupierit complura familiarum semina & fontes relinquere. Postquàm verò oc-

† Iustin. vocat Phrahatem.

Moneses Parthis deficit ad Antonium.

** Ita apertè ex Plin. restituendum.*

ciso Herode à filio † Phraorte, qui regnum occupauit, cùm alij complures Parthi fugam cepere, tum Moneses vir illustris & potens contulit se ad Antonium: illius fortunã Themistoclis assimilans fortunæ, suam verò opulentiam magnificentiamq; comparans regibus Persarum, tres vrbes donauit ei, Larissam, Arethusam, & Hierapolim, quam antè * Bambycen nuncupauerunt. Ceterùm cùm Parthorum rex per nuncios Monesi fidem dedisset: dimisit eum libenter Antonius, imponere statuẽs Phraorti quasi pacem facturus: postulauitq; vt capta Crassana clade signa militaria & captiuos, qui superstites essent,

sent, redderet. Inde remissa in Aegyptum Cleopatra iter fecit per Arabiam & Armeniam. vbi coactis copijs & socijs regibus (multi erant hi, maximus autem omnium Armeniæ rex † Artauasdes, qui sex millia equitum & septem peditum dedit) lustrauit exercitum. Erant peditum Romanorum L X. millia, Hispanorum Gallorumq́ inter equitatum Romanum recensitorum decem millia, cæterarum nationum cum equitibus simul & leui armatura X X X. millia. Tantum tamen apparatum atq; vires, quæ Indos vltra Bactros tremefecerunt, omnemq́ concusserunt Asiam, nulli ei vsui Cleopatræ causa ferunt fuisse. Properantem enim cum illa hybernare, bellū ante tempus mouisse, cunctaq; administrasse abruptè: quòd mente sua alienatus, atq; ex medicamentis aut præstigijs illam perpetuò respectans, plus ad maturiùs reuertendum quàm ad superandos intentus esset hostes.

Antonij copiæ contra Parthos

† Iustin. vocat eū Artoadistē. Plut. in comparatione videtur hunc nominare Artabazū.

Antonij insanus in Cleopatram amor.

Primùm enim cùm hybernandum ei esset in Armenia, & exercitus ex itinere octo millium stadiorum reficiendus: ac prius quàm mouerent ex hybernis Parthi occupanda veris initio Media: haud sustinuit hanc moram, sed confestim mouit signa tenens ad sinistram Armeniam, atq; vbi Atropatenen attigit, fines est populatus. Deinde cùm sequerentur eum trecētis plaustris necessariæ ad oppugnandas vrbes machinæ: inter quas L X X X. pedum longitudine aries erat, neq; posset earum quicquam labefactatum tempestiuè reparari, quòd superior regio omnem materiam pusillam & eduram gignat: properans has vt accelerationis vincula reliquit. Præsidiū aliquod adiunxit plaustris, cuius constituit Tatianum ducem. Mox Phraata amplam vrbē, in qua liberi & coniuges erant regis Medorum, circunsedit. vbi protinus, quantum peccati admisisset relictis machinis, ostendit vsus. Itaq; quò milites sui possent cum hostibus manus conserere, duxit ad vrbem aggerem: quem lentè & magnis excitauit sudoribus. Interea magnis copijs aduenit Phraortes. Qui vbi relicta accepit machinamentorum plaustra: misit in ea magnam equitatus partem. à qua Tatianus circumuentus cadit ipse, cadunt etiā decem millia ex copijs, quas secum habebat. Barbari machinas captas corruperunt. Permultos ceperunt, in quibus fuit rex Polemon. Id haud immeritò omnes Antonij milites præter spem in limine ictos perculit. Armenius Artauasdes rebus Romanorum depositis, licet author fuit belli præcipuus, discessit cum copijs suis.

Antonius obsidet Phraata.

Antonij machinas bellicas capiunt Parthi.

Porrò obsidentibus cùm alacres ostenderent se Parthi & contumeliosas iacerent minas: Antonius, ne sedenti exercitui desperatio & pauor inhęreret incresceretóq;, eduxit frumentatū decem legiones, tres cohortes prætorias grauis armaturæ & totum equitatū, ita potissimùm eliciturum se expectans hostē, ac signis collatis dimicaturū. Progressus vnius diei iter, vt Parthos vidit vndiq; circunfusos, & irrumpere in ipsum quærentes ex via, proposuit in castris signum pugnæ. Detractis tentorijs tanquàm non pugnaturus, sed reducturus retrò exercitū prætériuit barbarorum aciem forma lunari instructā: imperauitq́, cùm prope antesignanos viderentur legionarij venisse, vt infestos equos in hostē admitterent. At Parthis in procinctu ex aduerso consistentibus stupēda acies visa Romanorum, spectabantq́ prætereuntes paribus interuallis sine confusione ordinum & silentio pila vibrantes. Vt signū datum est pugnæ, circumagentes se equites cum clamore intulerunt se. quos exceperūt Parthi & defenderunt se aduersus eos, quamvis statim intra teli iactum venissent. At vbi legionarij cum clamore & crepitu armorum incurrerunt: cum equi Parthorum pauore sunt perculsi, tum ipsi priusquàm ad manus ventum est, in fugam effuderunt se. quorum tergis inhæsit Antonius, atq; in magnam spem venit vniuersum se bellum aut maiore ex parte illo patrasse die. Vbi consectati hostē pedites ad quinquaginta stadia, equites ad ter totidem, recensuerunt eos qui ceciderant aut in potestatem venerant, atq; inuenerūt captos X X X. cæsos L X X X. tantùm: tum verò perplexitas & desperatio omnium animos incessit, durū esse reputantes, si victores tam paucos occiderent, victi verò amitterent tam multos, quàm desiderauerant apud plaustra. Insequenti die vasis collectis mouerunt ad Phraata & castra sua. Vbi inciderunt in via primùm in paucos hostes, deinde in plures, deniq; in cunctos tanquam non antè fusos & recentes, qui lacessebāt eos & irrumpebant vndiq;: receperunt se ægrè & laboriosè in castra. Quia verò excursionē Medi in aggerem fecerant, & propugnatores consternauerāt terrore: inflammatus Antonius animaduertit in eos, qui loco cesserant, decimatione. Diuisis enim per denos legionibus, decimū quemq; sorte ducta interfecit, cęteris pro tritico admensus est hordeū.

Antonij conflictus cū Parthis.

Decimatio, militaris pœna.

Erat bellū vtrique graue, atq; id, quod instabat, eo formidabilius, Antonio quidē famem expectanti. Non vltrà enim sine vulneribus & ingenti cæde licebat ei frumentari: Phraortes verò Parthos cognoscens quidvis prius quàm hyemem extra tecta tolerare vel in

Phraortes Persa.

Mm

ſtatiuis poſſe contineri, metuebat: ne perdurantibus in obſidione & perſiſtentibus Romanis ipſum deſererent cœlo iam poſt æquinoctiũ autumnale nubibus obducto. Ergo dolum fabricat huiuſcemodi:

Parthorum in Antoniũ dolus.

Parthorũ nobiliſsimi in frumentationibus & alijs concurſibus lentiùs fatigabant Romanos, permittebantq; ijs quædã capere, & virtutẽ laudabant eorũ vt fortiſsimorũ virorum, qui meritò in admiratione apud regem ſuũ haberentur. Hinc propiùs aduecti atq; ſenſim ad mouentes equos Antoniũ conuitijs proſcindebant, quòd cupienti pacẽ Phraorti & tot talibusq; viris parcere non præberet ad id occaſionem: ſed duros ac graues deſideret hoſtes operiens famem & hyemem, per quas arduum ipſis ſit vel proſequentibus effugere Parthis. Multis hæc ad Antonium referentibus ſpe emollitus non antè tamen miſit ad Parthum legatos, quàm blandos illos rogaſſet barbaros, ea'ne ex regis ſententia referrent? Affirmantibus id illis hortantibusq; ne formidaret vel diffideret: miſit certos ex amicis iterum poſtulatũ, ne omninò acquieſcere exiſtimaretur, modò ſaluus eſſet & elaberetur, vt ſibi ſigna militaria & captiui redderentur. Reſpondit Parthus, vt mitteret hæc. Sed ſi ilicò decederet, oſtendit ſe præſtaturum ei pacem & fidem publicam.

Antonij reditus ab expeditione Parthica.

Igitur paucis diebus vaſis collectis reduxit retrò exercitum. Hîc ille, qui facundus ad populum erat atq; ad exercitum dicendo mulcendum ſupra omnes comparatus æquales, rubore & mœrore ipſe vulgus militum confirmare prætermiſit, delegauit'que id muneris Domitio Aenobarbo. Ibi aliqui ſtõmachati ſunt, quaſi deſpicerentur. Maxima pars tamen infracta eſt, cauſamq; perſpexit: atq; id eò magis reuerendum viciſsim imperatorem eiq; duxit parendum.

Mardus Romanos reuocat in Parthos.

Cùm recipere ſe retrò eadem via campeſtri & nuda inſtitueret: quidam Mardus genere morum Parthicorum ex diutino vſu peritus, cuius in Romanos fides in prælio ad machinas fuerat probata, adit Antonium monetq;: ita fugiat, vt montes teneat ad dextram: neq; grauem armis exercitum in planicie nuda apertaq; tanto equitatui & ſagittarijs obijciat: quod ſanè fabricantem Phraortem benignis pollicitis reduxiſſe ipſum ab obſidione. Ducẽ ſe viæ compendioſioris magiſq; neceſſarijs abundantis fore. His perceptis deliberauit Antonius. Parthis nolebat diffidere poſt inducias videri, compendium tamen vię atq; iter per vicos frequentatos laudans pignus fidei poſtulauit à Mardo. Ille vinciri iuſsit ſe, quoad exercitũ reduxiſſet in Armeniam. Duxit eum vinctus duos dies pacatè. Tertio die, cùm nihil minus Antonius quàm Parthos expectaret, atq; ex ſecuritate progrederetur diſſolutè: aduertẽs Mardus aggerem, quo arcebatur amnis, recèns diſsipatum: vndaſq; latè in viam, qua pergendum erat, effuſas: Parthorum id coniecit factum eſſe ad ipſos implicandos & morandos fluminis impedimentum obijcientium: monuitq; Antonium, prouideret & eſſet intentus. Nam propè eſſe hoſtes.

Parthi aggrediuntur Antonium in reditu.

Dum aciem legionum inſtruit, ac per ordines iaculatoribus & funditoribus excurſiones parat in hoſtes: ſuperueniunt Parthi circumuehunturq; ad circumueniendum & conturbandum vndiq; exercitum. Procurrente in illos leui armatura, ac multis illatis per miſsilia, nec paucioribus glandium & iaculorum iactu acceptis vulneribus pedem retulere, mox ex integro irruere: quovſq; equites Galli globo facto impreſsionem dederunt diſiecerûntq; eos, vt eo die nõ vltrà oſtenderint ſe. Ex eo, quid faciendum eſſet, Antonius doctus magna manu iaculatorum & funditorum non nouiſsimum modò agmen, ſed vtramq; etiam alam prætexens proceſſit quadrato agmine. Equitibus imperatum, vt incurſu facto propellerẽt hoſtes, propulſos non longè conſectarentur. Itaq; cùm Parthi proximis quatuor diebus nihilo plus intuliſſent mali, quàm accepiſſent: redditi ſunt ſegniores, cauſataq; hyeme deliberauerunt diſcedere.

Flauij Galli facinus audax.

Quinto die Flauius Gallus vir fortis & ſtrenuus, qui præfecturã obtinebat, adit Antonium, petitq; maiorem manum leuis armaturæ à poſtremo agmine, & à fronte aliquot equites dari ſibi, rem magnificam ſe oſtendens editurum. Quibus ab Antonio datis propulſauit inuehentem ſe hoſtem, non vt antè pedem referens ſenſim & recipiens ſe ad grauem armaturam: ſed ſubſiſtens & confligens cum hoſtibus animoſiùs. Hunc cùm viderent nouiſsimi agminis duces auulſum à reliquis, miſsis certis reuocauerunt eum: cæterùm non obtemperauit ille. Titium quęſtorem aiunt etiam ſigna arripuiſſe ac retrò conuertiſſe, Gallumq; increpaſſe: quòd multos & fortes milites perditũ iret. Increpante eum viciſsim illo ac pręcipiente his, qui circa ipſum erant, vt conſiſterent: recepit ſe Titius. Gallum impreſsionem in frontem hoſtium facientem incurrentes multi à tergo incautũ circundedere. Cùm vndiq; peteretur, miſſo nuncio flagitauit opem.

Canidij ducis Antonij error.

Legionum autem ductores, in quibus erat Canidius, qui ſumma apud Antoniũ gratia valebat, non parum videntur hîc offendiſſe. Nam cùm conuertenda cõfertim ſigna eſſent,

dum

dum cateruatim mittunt subsidia, atq; his rursus fusis alios submittunt: imprudentes totum penè clade & fuga complessent exercitum, nisi properè cum graui armatura Antonius ex prima acie hostibus occurrisset, properè etiam tertiam legionem per medios fugientes in hostes rapiens instantes repressisset. Cecidere non minus tria millia, sauciorũ quinq; millia in castra reportata. Inter hos Gallus fuit, quatuor sagittis quas aduerso corpore exceperat, traiectus. Verùm hic non conualuit ex vulneribus. Cæteros circumiuit Antonius inuisens, consolatusq; est eos lachrymarum plenus & dolore percitus. Illi alacres dexteram eius apprehendentes orauerunt, iret semetipsum curatum, nec sese affligeret. Appellabant eum imperatorem, & modò ipse valeret, saluos se dicebãt.

Antonij de vulneratis solicitudo.

Nam breuì neq; robore neq; patiẽtia laboris neq; flore ætatis præstantiorem alius imperator exercitum ea memoria duxisse illo videtur: Reuerentia verò aduersus ducem, obtemperantia cum beneuolentia: & quòd omnes æquè nobiles, obscuri, præfecti, gregarij in honore esse & gratia apud Antonium saluti suæ & incolumitati præferrent, ne à veteribus quidem Romanis potuit superari.

Militum erga Antoniũ amor, & reuerentia.

Huius rei complures, vti retulimus, causæ fuere, nobilitas Antonij, facundia, candor, munificentia & magnificentia, in iocis & colloquijs lepôres: tunc verò etiam communicatio cum afflictis angoris dolorisq;, & suppeditatio eius, quo quisq; indigebat, alacriores reddidit valentibus ægros & vulneratos.

Antonij dotes eximiæ.

At hostes quantumvis fatiscentes & defatigatos adeò erexit ea victoria, ac tantoperè Romanos despexerũt: vt etiam pernoctarent ad castra expectantes tentoria iamiam deserta & impedimenta se fugientium direpturos. Prima luce longè plures affluxerunt, aiuntq; equites fuisse non minus quadraginta millia. quòd rex cohortem quoq;, quæ corpus suũ stipabat perpetuò, sicut ad indubitatam & certam victoriam misisset. Ipse enim nulli interfuit pugnæ.

Rex Parthorũ ipse in pugnam non venit.

Antonius verò appellaturus milites togam pullam, quò appareret miserabilior, poposcit. Quod quia prohibuerunt amici, progressus est ad concionẽ habendam paludatus. Laudauit eos, qui vicerant: illos, qui terga dederant, castigauit. quorum superiores animum addiderunt ei: hi excusantes se, paratos ostenderunt: siue decimare ipsos, siue alio modo statueret punire. tantùm rogauerunt, molestiam & mœrorem animi deponeret. Sub hæc manus ad cœlum tendens deos precatus est, Si qua priores fortunæ suæ serenitates diuina inuidia maneret, in se vt ea verteret: reliquo exercitui incolumitatem tribuerent & victoriam.

Antonij ad Deos oratio plena humanitatis.

Postero die agmine progressi sunt meliùs septo, inferentibusq; se Parthis res oblata multùm inopinata est. Nam qui pergere ad rapinam & prædam, non ad pugnam arbitrabantur: cùm in multa tela incurrerent, valentesq; & recentes animis cernerent Romanos, rursus obtorpuere. Vt verò descendentes ex decliuibus tumulis adorti sunt Romanos, & lentè digredientes telis instituerunt figere: conuersis signis legionarij leuem armaturã texerunt armis suis, atq; ipsi submittentes in genu se obijciebant scuta sua. Qui à tergo horum stabant, arma tenebant super hos, ac super illos pari modo alij. Ea figura tecto assimilis speciem præbet theatri, & munimẽtum est ad iacula arcenda, quò delabantur, densissimum.

Testudo militaris.

At Parthi procumbennbus in genu Romanis fatigationem & lassitudinem esse arbitrantes deposuerunt arcus, hastisq; arreptis incurrerunt in eos. Ibi Romani sublato clamore subitò exilierũt, pilisq; cominus ferientes trucidauerunt antesignanos, ac cæteros verterunt omnes in fugam. Idem cùm ageretur sequentibus diebus, parum itineris perfecerunt, & tentauit fames exercitum: quòd parum frumentari, idq; non sine certamine possent, & deficerentur molis. Magna enim ex parte relictæ fuerant iumentis partim mortuis, partim ægrotos & saucios ferentibus. Chœnicem tritici Atticam quinquaginta drachmis aiunt venisse. Panes hordeaceos ad argenti pondus distrahebant.

Antonij exercitus, fames.

Ad olera verò & radices cùm verterunt se, pauca reperere familiaria. Coacti etiã insolita antè gustare, herbã attigerunt, quæ adferebat per insaniã mortem. Qui eam sumpserat, nullius alterius rei meminerat vel notitiã habebat. Vnũ agebat, vt omnem lapidẽ moueret & versaret, quasi rem efficeret magni momẽti. Plenus campus fuit humi inclinatorũ lapidesq; eruentiũ & transferentiũ. Postremò bilem vomentes emoriebantur, quando vnicũ remediũ deficiebat vinum.

Herba letalis, cuius remedium est vinum.

Cùm expirarent multi, nec Parthi abscederent: tradunt Antoniũ identidẽ exclamasse, O' decem millia, admirantẽ Xenophontis copias: quòd illi, cùm lõgiore via ex Babylone recepissent se, atq; cum hostibus dimicassent longè pluribus, euasissent incolumes.

Xenophontis exercitus, de quo apud Xenophontẽ, & Suidam.

Parthi autẽ quia perrumpere agmen Romanorũ non valebant, neq; dissipare ordines, frequenter verò iam victi fuerãt & pulsi: egerunt denuo pacatè cum aquatoribus & frumẽtatoribus. Ac neruos ostendentes arcuum suorum remissos retrò se abire dixerunt & hunc finẽ facere

Parthi gens ad dolos cõposita.

eos cōsectandi, paucos Medos solùm vnius aut alterius adhuc diei iter secuturos: sed nihil ipsos fatigaturos, tantùm protecturos remotiores vicos. His dictis salutationes & beneuolentiæ demonstrationem adiunxerūt. Vnde perquàm alacres redditi sunt Romani, atq; Antonius eo nunciato campestria potiùs cupiuit petere: quòd via montana diceretur arida esse. Cùm in eo esset, vt id exequeretur: venit quidam ex castris hostiū Mithridates nomine consobrinus Monæsis illius, qui ad Antonium confugerat, & tria illa oppida acceperat dono. Hic petijt, vt aliquis secū colloqueretur, qui linguā Parthicam aut Syriacam calleret. Congresso cum eo Alexandro Antiochensi, cui familiaritas intercedebat cum Antonio, indicans qui esset, & Monæsi hoc beneficium tribuens rogauit Alexandrū: videret ne procul ex aduerso colles contiguos & excelsos: sub illis, inquit, struunt vobis Parthi cū omnibus copijs insidias. Quippe subiacent his collibus spaciosi campi, & delusos ab ipsis vos expectāt illuc deflexuros relicta via montana. Habet hæc quidem vobis consuetā sitim & laborē. at illac si pergat Antonius, scito Crassi eum manere fortunā. Hæc ille fatus abscessit. Quibus nunciatis conuocauit Antonius amicos & ducem viæ Mardū, qui eiusdē erat sententiæ. Etenim nosse ostendit se vel sine hostibus iter inuium per planiciē esse & flexus longos habere atq; inuentu difficiles. Alterā asperam docuit nihil tædij præter vnius diei habere squalorē. Mutata igitur sententia nocte hac via duxit, iussitq; aquā quemq; secū ferre. sed deficiebātur multi vasis. Ita galeas aqua impletas portarunt, pars vtres impleuerunt. Iam progredi Antonium nuncij venerunt Parthis, qui præter morem etiā sunt nocte eum insectati. Orto sole nouissimū agmen cœperunt carpere vigilijs & labore confectum. quandoquidem quadraginta & ducenta stadia fuerant ea nocte emensi: & incursus hostium tam subitus nec opinantes perculit, & timorq; intendit Mars. Simul enim inter progrediendū pugnabant ad repellendū hostem. Primum agmen peruenit ad amnē, cuius erat gelidus & lympidus liquor, sed salsus medicatus'que. qui haustus mox aluo concitata & inflammata siti excitabat dolores. Quod quamvis præmoneret Mardus: nihilo minùs repulsis, qui prohiberent, potauerūt. Orabat Antonius circuncursitans, paulisper vt sustinerent. Alterum enim ostendit non procul potabilē fluuium abesse, inde reliquā inequitabilē & confragosam viam, vt nequaquam sequi vltrà possit hostis. Simul præliātibus receptui cani iussit, signumq; dedit metandis castris, quò saltem vmbra potirentur milites. Dum tentoria statuuntur, & Parthi protinus pro consuetudine sua recedunt: venit iterū Mithridates. Ad quē progresso Alexandro monuit, vt cùm paulisper dedisset se exercitus quieti: surgeret & properaret ad amnē: non traiecturos eum Parthos, sed eatenus insecuturos. Hæc vbi ad Antonium retulit Alexander: tradita sunt ei ab Antonio pocula permulta aurea & phialæ ex quibus Mithridates, quantū occulere veste poterat, accepit: inde digressus est. Luce adhuc castra mouente Antonio perrexerunt nihil negocij facessentibus hostibus. verùm noctem sibimet ipsi omniū illam effecerunt laboriosissimam & terribilissimam. Nam eos qui aurum vel argentū haberent, interficiebant spoliabantq;: & pecuniam, quæ iumentis portabatur, diripiebant. Postremò impedimenta Antonij adorti pateras & mensas pretiosas dissecabant partiebanturq;. Ingenti tumultu & errore vniuersum occupante exercitum (Incursu enim hostili fugam fieri & diuulsionē ordinum arbitrabantur) accitum Antonius vnum ex libertis suis, qui eum stipabant, Ramnū nomine adegit iureiurando: vt vbi præcepisset, confoderet se gladio, caputq; detruncaret, ne veniret viuus in hostium potestatē, neq; cognosceretur mortuus. Effusis in lachrymas amicis eius alleuauit Mardus Antoniū propè esse docēs fluuium. Quippe aura inde emanās liquidior atq; gelidior aër afflans lætiorem reddebat spirationem, & itineris tempore ita ostendit finiri spacium. Neq; enim multum noctis restabat. Simul alij turbam nunciarunt ex propria iniuria & auaritia militū natam. Itaq; vt componeret agmen cōfusum & diuulsum, signū dari castris metandis imperauit. Iam illucescebat dies, & cùm cœpisset aliquatenus componi exercitus & sedari tumultus: postremū agmen infestarunt tela Parthorum. Itaq; signum pugnæ leui armaturę est datū. Grauis armatura scutis itidē sese mutuò contegens iacula excepit. Parthi verò non audebant propiùs gradū admouere. Ita principijs paulatim progredientibus flumen in conspectu fuit: atq; vbi instruxit in ripa infestū hostibus equitatum, primos Antonius infirmos transportauit. Iam præliantes quoque securè & quietè potare poterant. Vt enim conspexere Parthi flumen: arcus remiserūt, dixeruntq; Romanis, vt transmitterent audacter, in cœlū virtutem eorum efferentes. Igitur traiecto tranquillè fluuio refecerunt se, inde processerunt haudquaquā Parthis fidentes. Sexto

Mithridates quidā Parthus, suorum insidias aperit Antonio

Fluuius salsus.

Antonij in Mithridatem de se bñt sua solicitū, liberalitas.

Militum Antonij tumultus ex auaritia.

Antonij in desperatione animus.

Quantum sit in perito itineris duce, dum bellū geritur, momenti.

Antonij erga milites suos, pietas.

à nouissimo prælio die peruenerunt ad Araxē amnē, quo Media & Armenia disterminantur.

Araxes amnis.

Hic altitudine & violētia difficilis visus traiectu, increbuitq; rumor subsidere ibi in insidijs hostes, vt transeuntes aggrederentur. Postquàm tutò traducti Armeniam iniere: vt si tunc terram illam ex pelago conspexissent, adorauerunt eam, atq; in lachrymas se & mutuos complexus præ gaudio effudere. Quia verò iter faciebant per affluentem regionem vtebanturq; omnibus ex magna inopia effusè, euaserunt hydropici & cœliaci.

Ex affluentia morbi.

Ibi recensito Antonius exercitu desiderauit viginti millia peditum & quatuor equitum, qui non interierunt vi omnes hostili, sed supra dimidium eius morbo. A' Phraatis XXVII. diebus iter fecerunt, & Parthos prælijs XVIII. fudere. Cæterùm non fuerūt victoriæ hæ integræ vel solidæ: quòd parū neq; vsq; quaq; insectati hostes fuissent. Qua maximè cōstitit Armenium Artauasdē illius belli Antonium effectu fraudasse. Nam si quos ex Media abduxit, equitū sex & decem millia adfuissent pariter ac Parthi instructi ac cum illis assueti pugnare: Romanis pugnātes pellentibus, illis in fugā effusos persequentibus haud valuissent toties recolligere se profligati & denuò repetere pugnam.

Artauasdis Armeniæ regis in Antonium peccata.

Quare Antonium omnes infesti ad vindicandum in Armenium concitabāt. At ille consilio vsus neq; proditionem exprobrauit ei, neq; de consueta in eum comitate & honore quicquam, quòd infirmus ab exercitu & omniū rerum esset indigus, detraxit. Pòst tamen iterū Armeniam ingressus multis pollicitationibus & inuitationibus induxit Artauasdem ad congressum. ac tunc comprehendit eum vinctumq; deduxit Alexandriā, vbi de eo triumphauit.

Antonius triumphauit in Aegypto de Artauasde Armeniorū rege.

Qua potissimùm re populū Romanum offendit, quòd prima patriæ ornamenta in gratiam Cleopatræ deferret Aegyptijs. Cæterùm hæc postmodū consecuta sunt. Tunc verò per grauem iam hyemem & perpetuas niues citatum rapiens agmen octo millia militum in via amisit. Paucis comitatus descēdit ad mare, atq; in castello inter Berytum Sidonemq; posito, Leuce come appellatur, substitit, vt Cleopatrā operiretur. cuius anxius mora languebat.

Antonius Cleopatram expectans, languet.

Itaq; coniecit se statim in vinum & crapulam. intolerans tamen tractus conuiuij exurgebat inter pocula, ac crebrò exiliens speculabatur, quoad illa est in portum delata. Tulit ea militibus magnam vim vestium & pecuniam. Sunt, qui dictitant vestem Antonium ab illa sumptam & pecuniā de suo, vt si illa dedisset, diuisisse. Iam regi Medorum dissensio cum Partho Phraorte intercesit, exorsa quidem, vt fama est, ex præda Romana: sed quæ in suspicionē Medum & metum, ne regno spoliaretur, adduxit.

Parthorum & Medorum regū dissensio.

Vnde Antonium per legatos accersiuit, eiq; auxiliū ostendit copiarum suarū. Antonius igitur magna inflatus spe (nam quæ vna res ad debellandos Parthos videbatur ei defuisse, quòd minùs ab equitatu & sagittarijs firmus venisset, eam accedere sibi putabat danti magis quàm accipienti beneficiū) parauit iterum per Armeniā pergere, conuentoq; ad Araxem amnem Medorū bellum mouere. Interea Romæ instituenti ad Antonium nauigare Octauiæ annuit Cęsar: non, vt pleriq; tradunt, quò illi indulgeret: verùm quò contumelia affecta despectaq; colorem præberet bello mouendo honestum.

Octauia ad Antonium profecta despicitur ab eo.

Vt venit Athenas, literæ redditæ ei ab Antonio sunt, quibus mandauit: ibi vt præstolaretur, significans ei expeditionem suam. Illa quanquam id ægrè tulit & odorata est prætextum: quæsiuit per literas tamen, quò mitti vellet, quæ attulerat ei. Attulerat autem multam vestem militarem, magnū numerū iumentorū, pecuniæ, & munerum ducibus amicisq; eius, insuper duo millia delectorū militū in cohortes prætorias insignibus armis exornatorū. Hæc Niger quidam Antonij amicus ab Octauia missus exposuit ei. Addidit meritas & conuenientes laudes.

Cleopatræ in Antonium illecebræ.

At Cleopatra conferre secum pedem animaduertens Octauiā veritaq;, ne cum grauitate morū & Cæsaris potentia placidā adiungēs consuetudinē & Antonij obseruantiā insuperabilis esset & semel potiretur viro: deperire simulabat se Antonij amore, ac corpus tenui victu deducebat. Obtutus oculorū eius adeunte illo obstupefactus, marcescens abeunte & deiectus simulabatur. Moliebatur subinde videri lachrymari, lachrymas verò quasi illum falsura citò detergebat & occultabat. Hæc agebantur parante illo profectionem ad Medum. Inseruientes autem assentatores Cleopatræ increpabant Antonium, vt durum & ferreum, qui immeritò perderet fœminam ex illo pendentem vno & solo. Octauiam enim rebus postulātibus fratris gratia iunctam ei fuisse & nomine frui vxoris. Cleopatram verò tam multorum reginā mortalium pellicē Antonij nominari: neq; eam hoc defugere vel dedignari nomen, quoad aspicere illum & vnà liceat viuere. quo si orbaretur, non ducturam vltrà spiritum. In tantum denique molliuerunt & effœminârunt hominem: vt verens, ne mortem sibi consciscerет Cleopatra, Alexādriam regrederetur, Medumq; in æstatis horam, quamvis nun-

ciarentur res Parthorũ agitari seditione, reijceret. Verumtamen rursus eò profectus adiunxit sibi huius amicitiã: desponsaq; vni ex Cleopatræ filijs vna illius filiarum admodũ paruula reuersus est bello ciuili iam intentus. Porrò Octauiam, quæ ludibrio haberi est visa, vt redux ex Athenis fuit, domum suam iussit Cæsar migrare. Sed negauit illa domum se viri relicturam. Orauit etiam eum, nisi alijs de causis sumere in Antonium decreuisset arma, ne moueretur rebus suis. Nam & infame auditu fore, summorum imperatorum alterum ob mulieris amorem, ob æmulationem alterum bello ciuili populum Romanum implicare. Dicta rebus ipsis magis confirmauit. Nam domi illius, vt si præsens sit, habitauit: & liberorum eius non modò ex se, sed ex Fuluia quoq; editorũ honestam & magnificam curam egit. Amicos item Antonij, qui ad honores petendos vel negocio rum causa mittebantur, excepit fuitq; ijs præstò ad impetranda à Cæsare, quæ postulabant. Enimverò hisce rebus offecit inuita Antonio. Inuidia namq; flagrabat, quòd talem fœminam violaret, nec minùs ex partitione, quam filijs suis Alexandriæ fecerat: quę tragica, insolens, & nomini Romano habita est infesta. Contracta enim in gymnasium plebe, positisq; pro tribunali argenteo solijs duobus aureis, sibi vno, altero Cleopatræ, si lijs humilioribus alijs: primùm reginam appellauit Cleopatram Aegypti, Cypri, Africæ, & Cœlesyriæ collega regni Cæsarione: qui ex Cæsare dictatore grauidã relinquente Cleopatram existimabatur editus. Deinde suos & Cleopatræ filios reges regũ appellauit, & Alexandro Armeniam cum Media & Parthorum regno, cùm subactũ esset, attribuit: Ptolemæo Phœniciam, Syriam, Ciliciã. Simul pueros produxit, cultu Alexandrum Medico tiara directa & cidari cultum: Ptolemæum crepidis, chlamyde & causia ornatum diademate redimita. Hic enim Alexandri successorum cultus, ille Medorum erat & Armeniorum. Mox cùm salutassent parentes pueri, hunc Macedones, illum Armenij stipauere. Nam Cleopatra quidem & tunc & aliàs in publicum progrediens stolam Isidis sacram sumebat, atque nouæ Isidis nomine responsa dabat populis. Hæc in senatu Cæsar exponens & crebrò ad populum criminans incendit plebem in Antonium. Contrà misit ad illum recriminandum Antonius. Maxima crimina fuerunt hæc: Primum, quòd extortam Pompeio Siciliam non esset secum partitus. Alterum, quòd commodatò acceptas ab se non restituisset sibi naues. Tertium, quòd imperio collegæ abrogato Lepido redditoq; eo priuato ipse exercitum, prouinciam, vectigalia reti neret illi attributa. Deniq;, quòd militibus ipsius agros Italiæ penè totius diuisisset, neq; quicquam reliquisset suis. His respondit Cæsar Lepidum se, quòd impotenter vteretur imperio, in ordinẽ coegisse. Quæ bello quæsisset, participaturum se Antonio, simulatq; ille sibi Armeniam. Milites illius in sortem nõ venire Italiæ, quòd Mediam & Parthiam teneret: quas Romano imperio strenuè cum imperatore suo præliati adiunxissent. Hæc in Armenia agens accepit Antonius. Extemplò igitur Canidium cum X V I. legionibus ad mare descendere imperauit. Ipse trahens secum Cleopatram concessit Ephesum: quò classis vndiq; cogebatur nauium annumeranis onerarijs octingentarum: ex quibus ducentas Cleopatra & X X. millia talentûm commeatusq; per bellũ toti exercitui præbuit. Antonius Domitij & quorundam aliorum consilio præcepit Cleopatræ, vt in Aegyptum nauigaret, atque exitum ibi maneret belli. At illa nouam interprete Octauia timens reconciliationem induxit ingenti mercede Canidium: vt pro se apud Antonium ageret, demonstraretq; ei, neq; æquum esse summoueri bello mulierem, quæ tantũ conferret auxilij: neq; ex vsu eius esse, vt frangerentur ea re Aegyptiorum animi, qui virium naualium magnam partem efficerent: neq; verò alioqui videre, cui sociorum regum prudentia concederet Cleopatra: quæ tantum regnum tam diu gubernauerat sola, atque ex diuino ipsius vsu magnas res didicerat tractare. Hæc (nempe in fatis erat, vt reciderent cuncta ad Cæsarem) obtinuerunt: ac coactis copijs nauigauerunt Samum: vbi genio indulsere. Vt enim regibus, dynastis, tetrarchis, gentibus, & ciuitatibus inter Syriã, Mæotin, Armeniam, & Lauria positis indictum omnibus fuit, vt mitterent deportarentq; apparatum bellicum: ita erat iniunctum cunctis, qui ludicram artem faciebant, Samum occurrere. Ac cùm vniuersus penè circuncirca lamentis & geminibus orbis creparet, vna per multos dies insula tibijs & cantu personabat, vbi referta erant theatra certantibus choris. Iam ad sacrificium singulæ ciuitates boues mittebant, & certabant inuicem cõuiuijs & muneribus reges, vt sermonibus iactaretur: qui erunt in triumpho victores, cùm belli tantis sumptibus celebrẽt apparatum? His peractis sedes scenicis Priene donauit. Hinc nauigauit Athenas, vbi de integro effudit se in ludos & spectacula.

Semina belli ciuilis inter Antonium & Cæsarem.

Octauiæ in Antonium amor, & in omni re prudentia.

Antonius partitur filijs suis ex Cleopatra, prouincias.

Antonij & Octauij mutuæ criminationes.

Antonij apparatum nauticum cõtra Octauiũ.

Antonius Cleopatram ducit ad bellum contra Octauium: & eiusdẽ Sami cũ ea luxus.

Aemulatione autem Cleopatra Octauiæ honorũ, quos sibi acceperat (nam Octauiam Athenienses imprimis habebãt charam) prosecuta est multis cõgiarijs populũ. Illi inuicem decretis huic honoribus legatos domum ad plebiscitũ ei deferendũ miserunt: inter quos Antonius fuit vtpote ciuis Atheniensis. Et verò orationẽ apud eam habuit nomine ciuitatis.

Antonius expellit domo sua Octauiam.

Iam Romam misit certos, Octauiã qui domo sua pellerent. Exisse memorant eam trahentem secũ omnes Antonij liberos prẹter natu maximum ex Fuluia genitorum. Ille enim agebat apud parentẽ. Plorabat illa & lamentabatur, ꝙ vna ex belli caussis ipsa quoq; videretur. Populum verò Romanum miserebat non ita illius, vt Antonij, atq; impensiùs eos, qui Cleopatrã viderant neq; forma Octauiæ neq; ætatis flore prẹcellentem.

Octauij ad Antonij apparatus famam trepidatio.

At Cæsar celeritate & mole Antonij apparatus nunciata trepidauit, ne bellare illa æstate cogeretur. Etenim multa deficiebãt eum, & homines pungebãt pecuniẹ exactiones. Compulsi enim alij quartã partem fructuũ, libertini ipsarum possessionũ octauam partem pendere detrectabant ei. Vnde tumultus totam occupauit Italiã. Quare numerant in maximis Antonij peccatis belli procrastinationem. Quippe instruendi se Cæsari spacium dedit & tumultũ sedandi hominũ. Siquidem exacerbabant, dum exprimerentur nummi, expressis & illatis conquiescebant.

Titius & Plancus ab Antonio deficiunt ad Octauium.

Titius autẽ & Plancus Antonij ex consularibus amici à Cleopatra suggillati, ꝙ plurimum fuissent aduersati, ne bello interesset, perfugerunt ad Cæsarem, & testamentũ Antonij detexere, contentorũ conscij.

Antonij testamentum.

Tabulæ depositæ apud virgines Vestales erant, quas poscenti Cæsari denegauerũt illẹ tradere: si accipere vellet, ipse veniret, mandauerunt. Illuc ergo profectus accepit tabulas. Ac primùm ipse seorsum scripta euoluit, ac loca quædam annotauit reprehẽsioni patentia. Aduocato inde senatu recitauit ea plerisq; id molestè ferentibus. Indignum enim videbatur & graue, rationẽ vt quis redderet viuus postremorũ suorum iudiciorum. Exagitauit in tabulis illud præcipuè, quod de funere suo statuerat. Præscripserat enim, vt corpus suum, etiamsi in vrbe decessisset, per forum elatum Alexandriã mitteretur ad Cleopatram.

Antonij crimina ob Cleopatram.

Bibliotheca Pergamensis.

Caluisius Cæsaris necessarius hæc quoq; cõmissa in Cleopatræ gratiã exprobrauit Antonio crimina, donasse eum illi bibliothecas, quẹ Pergami erant, in quibus ducenta millia erant simpliciũ voluminum. In cõuiuio multis aspicientibus surrexisse, atq; illius pedes ex certa sponsione & compacto calcasse: Ephesios passum coram se dominam Cleopatrã salutare: Frequenter responsa dantẽ tetrarchis & regibus pro tribunali tabellas amatorias accepisse ab ea & lectitasse onychinas & crystallinas.

Furnius eloquẽtissimus.

Cùm Furnius aliquando magnẹ vir authoritatis atq; inter Romanos eloquentissimus causam quandã ageret, Cleopatram fuisse lectica per forum delatã: Antonium verò, vt eam vidit, exilisse & iudiciũ reliquisse, dependentemq; ex lectica illam deduxisse. Cæterùm pleraq; horum existimauerunt Caluisium ementitũ.

Geminius ad Antonium Roma missus, vt eum moneret.

At amici Antonij Romæ supplices prensabant populũ. Vnum etiã de suo numero miserunt Geminiũ rogatum Antoniũ, caueret: ne abrogaretur sibi imperiũ & hostis populi Romani declararetur. Geminius, vt appulit in Græciã, Cleopatrẹ vt pro Octauia agens suspectus fuit. Cùm aũt cauillis super cœnam lacesseretur assiduè, ac loco mensæ despecto suggillaretur: tolerauit ea opportunitatem cõueniendi expectans Antonij. Iussus, quamobrem venisset, inter cœnandũ expromere: cætera ait sobrij quærere sermocinationem. Vnum verò se & sobrium scire & temulentũ, omnia recta fore, si abscessisset in Aegyptũ Cleopatra. Excandescente ad id Antonio Cleopatra: Bene, inquit, fecisti Gemini: ꝙ sine tormẽtis veritatẽ aperueris. At Geminius breui pòst fugam capessens Romam se recepit.

Antonium multi amici relinquunt.

Complures præterea alios illius amicos expulere Cleopatræ adulatores, quòd contumelias & procacitatem eorum non sustinerent. in quibus M. Syllanus fuit, & Dellius historicus. Hic insidias quoq; timuisse ait se à Cleopatra, idq; Glaucum medicũ sibi enunciasse. Offendit Cleopatram, quòd in cœna iactasset acidũ ipsis infundi, Sarmentũ verò bibere Romæ Falernũ. Erat Sarmentus puer, quẽ habebat in delicijs Cæsar.

Sarmentus puer deliciæ Cæsaris.

Antonio abrogatur imperiũ.

Vt satis paratus Cæsar fuit, decernitur bellum in Cleopatrã, Antonio etiam abrogatur imperiũ, cuius mulieri arbitrium permisisset. Addidit Cẹsar medicamentis Antoniũ potionatũ ne in suą quidem esse potestate. Bellum cum Romanis gesturos Mardionẽ eunuchum, Pothinũ, & tonstricẽ Cleopatræ Iram, Charmiumq;: à quibus maxima quæq; in imperio Antonij administrarent.

Prodigia belli ciuilis Antonij & Octauij.

Prodigia bellum hẹc memorant antecessisse. Pisaurum, quam deduxerat Antonius coloniã ad mare Adriaticum, cùm terra desedisset, haustum est. Ex marmoreis, quæ erant Albæ Antonij statuis vna sudore per multos dies manauit, nec multis detergentibus substitit sudor. Patris, cùm ibi ageret, fanũ Herculis cõflagrauit. Athenis Liber pater vi venti ex

Gygantum pugna excussus atq; in theatrū est delapsus. Referebat autem genus suum ad Herculem Antonius, & Liberū patrem, vt supra retulimus, æmulabatur vita, & Bacchus minor dicebatur. Idem turbo Eumenis quoq; & Attali colossos inscriptione Antonios Athenis irruens solos ex multis prostrauit. Nauis Cleopatræ regia Antonias appellata fuit. Ostentum in ea mirum accidit. Hirundines nidulatæ fuerant sub puppi. Aliæ verò inuolantes & has exegerunt & pullos perdiderunt. Postquàm ad bellū congressi sunt, habuit Antonius naues bellicas non minus quingentas: in quibus octo & decem ordinum frequentes erant superbè et ad triumphum exornatæ: peditum centum millia, duodecim equitum. Reges ei parentes in auxilijs erant Bocchus Africæ, Tarcondemus superioris Ciliciæ, Cappadociæ Archelaus, Paphlagoniæ Philadelphus, Commagenæ Mithridates, Adallas Thraciæ. Hi interfuerunt bello. Ex Ponto Polemon auxilia misit, Manchus item ex Arabia, & Herodes Iudæus, adhæc Amyntas Lycaonum & Galatiæ rex. A' Medorum etiam rege submissa auxilia. Cæsari naues fuerunt bellicæ CCL. LXXX. millia peditum, totidem equitū quot hostibus. Imperabat Antonius ab Euphrate & Armenia vsq; ad mare Ionium & Illyricū: Cæsar ab Illyrico toti tractui, qui ad Oceanum occidentalem pertinet, ab Oceano rursus ad Thuscum & Siculum pelagus. Africā, quà Italiæ, Galliæ & Hispaniæ ad columnas Herculis vsq; obuertitur, Cæsar tenebat: Reliquū à Cyrenis Aethiopia tenus Antonius. Vsqueadeò verò appendix erat hic fœminæ: vt cùm peditatu longè præstaret, Cleopatræ gratia robur poneret omne in classe: idq; cùm videret sociorum naualiū inopia à præfectis nauium corripi ex afflictissima Græcia viatores, agasones, messores, adolescentulos: ac ne ita quidem compleri naues, sed plerasq; manere vacuas & malè ad nauigandum instructas. Cæsar non ad altitudinis vel molis ostentationem pompose ædificatis nauibus: sed agilibus, expeditis, & egregiè completis instructus Tarenti & Brundusij classem habebat. Hic misit ad Antonium postulatum, ne tempus tereret, sed admoueret copias: classi se stationes securas & portus præbiturum, terrestribus copijs de continente Italiæ concessurū equi curriculum à mari, quoad tutò descendisset & castra locasset. Antonius cōtrà iactabundus prouocauit eum, vt solus secū, licet ætate ipse foret grauior, congrederetur. Quod si declinaret, in campis Pharsalicis poposcit, sicut pridem Cæsar & Pompeius, signa vt secum conferret. Præuertit aūt Cæsar, dum apud Actium in statione est Antonius, quo loco nunc est Nicopolis condita, transmisso mari Ionio oppidum Epiri, quæ Toryne vocaẗ, occupare. Tumultuantibus hìc illis, qui erant circa Antonium (nam pedestres copiæ eorū nondum aderant) irridens Cleopatra: Quid miri est, inquit, si in † Toryne consideẗ Cæsar? Antonius inuehentibus prima luce hostibus timens, ne inanes ꝓpugnatoribus naues caperent: ad speciem instruxit in tabulatis remiges armatos: remos erigi & suspendi ex vtroq; nauiū latere præcepit, atq; ita in faucibus portus ad Actiū obuersas in hostem cōtinuit quasi instructas remigio & paratas ad confligendū. Ita delusus Cæsar retrò abijt. Aquam insuper magna solertia operibus cōplexus intercepit hostibus: cùm loca illa circa paucā & vitiosam haberēt. Generosè itē egit contra Cleopatræ sententiā cum Domitio. Cùm enim febre iam correptus illc minutū acatiū conscendisset atq; ad Cæsarem transisset, etsi grauiter tulit id Antonius, misit ei tamē omnia impedimēta cum amicis & seruis. Domitius verò tanquā pœniteret eum, ꝙ perfidia sua & ꝓditio non esset clàm, illicò expirauit. Desciuerunt reges quoq; Amyntas & Deiotarus ad Cæsarem. Quia verò classis Antonij nihil prosperè gerebat, neq; ad rem vllam maturè occurrebat: subactus est iterū terrestres copias respicere. Canidius quoq;, qui præerat legionibus, sub ipsum discrimen mutata sententia author fuit, vt Cleopatrā remitteret, recedensq; in Thraciā vel Macedoniā decerneret terrestri Marte. Quippe Getarū rex Dicomes magna manu ostendebat se ei subuenturū. Neq; verò esse infame, si exercitato bello Siculo Cæsari mari cederet: sed absurdū, si terrestrium certaminū Antonius peritissimus tot legionum non vteretur robore & apparatu: sed distraheret & absumeret in classem vires. Verumenimverò extrudit Cleopatra, classe vt bellum decerneretur, circunspiciens iam tum fugam, componens'que res suas, non vbi ad victoriam consuleret, sed vnde expediret fugam rebus perditis quàm facilimè. Longa brachia erant castrorum ad stationem classis pertinentia, quà transire Antonius sine vlla solebat suspicione. Cæsar autem à seruo edoctus posse illum per brachia descendentem occupari, summisit subsessores. Illi tantulo modò maturius exurrexerunt, vt corripuerint illum, qui antecedebat Antonium, atque hic cursu ægrè effugerit. Postquàm decernere deliberatum est prælio nauali, reliquas

Antonias, nauis Cleopatræ.

Antonij vires contra Octauium.

Octauij vires cōtra Antoniū.

Antonium perdidit Cleopatra.

Octauius traijcit contra Antonium in Epirum.

† Videtur alludere ad id, quod Suet. ait, infanti inditū nomen Thurino: & ita per cōtumeliā appellauit eum Antonius.

Domitius transit ab Antonio ad Cæsarem.

Amyntas et Deiotarus reges deficiūt ab Antonio.

Antonij periculum ad Actiū.

reliquas naues extra sexaginta Aegyptias concremauerunt. Optimas quasq; & amplissimas à triremi vsq; ad decem ordinum naues compleuit. eò imposuit viginti millia peditum & duo sagittariorum. Ibi quendam ordinũ ductorem pedestrium certaminũ sciẽtem, qui complura prælia sub Antonio decertauerat, corpúsq; cicatricibus habebat concisum Antonio præsenti ferunt eiulantem dixisse: Quid imperator hisce diffisus vulneribus & gladijs spem tuam profligatis in lignis reponis? Aegyptij & Phœnices in mari prælientur. nobis permitte terram: in qua assueuimus stantes occumbere vel vincere hostes. Ad ea nihil respondit: manu tantùm & vultu quasi excitans eum, vt bono animo esset, præterijt omni bona spe deposita. Nempe gubernatores vela, cùm ea vellent relinquere, imponere in naues & portare secum coegit: addens faciundum, nequis hostium fuga euadat. At illo die & proximis tribus grandi vento fluctuans mare prælium interpellauit.

Militis sanum monitum spernit Antonius.

Quinto die cœlo sereno & tranquillo mari concurrere. Antonius cum Poplicola in dextero cornu egit, in sinistro Cœlius, mediam aciem M. Octauius & M. Iusteius obtinuere. Cæsar sinistro præfecit Agrippam, dextrum ipse retinuit. Copias Antonij terrestres Canidius, Cæsaris Taurus in littore instructas quietas tenuere. Antonius actuaria naui circumuectus et adhortatus est milites monens, vt ob nauium pondus velut in solo stabiles pugnarent. Gubernatoribus imperauit, vt quasi in anchoris stantibus nauibus nihil se mouentes incursum hostium exciperent, declinarentq; iniquitatem loci in faucibus portus.

Prælium nauale ad Actium.

Cæsari memorant, tenebris adhuc cùm egressus tabernaculo esset, in orbem circumeunti ad lustrandã classem hominem quendam, qui agebat asinum, occurrisse: Nomen quærenti, cùm eum cognosceret, respondisse hominẽ: Fortunato mihi nomen est, asino Victori. Vnde locum illum rostris nauiũ pòst exornans asini & hominis illius statuam ex ære posuit.

Omen felix, Octauio Cæsari oblatum.

Contemplatus reliquã aciem & nauigio ad dexterum cornu vectus quiescentes in angustijs miratus est hostes. Siquidem stantiũ in anchoris erat nauiũ species, idq; diu credens sustinuit suas, quæ octo stadijs ab hostibus aberant. Iam hora erat sexta, cùm vento ex alto increbrescente cunctationem molestè ferentes Antonij milites, nauiumq; suarum freti fastigio & amplitudine sicut inexpugnabili sinistrum cornu mouerunt. Id Cæsar contemplatus exultauit, nauesq; in dextro cornu inhibuit, quò magis ac magis ex sinu & angustijs eliceret hostem, & circũuectus nauigijs suis expeditis dimicaret: cum nauibus ob molem & sociorum naualium paucitatem ignauis & segnibus. Vbi ad manus ventum est, haud datæ impressiones fuerũt neq; irruptiones nauium: quòd naues Antonij non valerent ob pondus concitari, vnde redduntur potissimùm impressionũ ictus validi: Cæsaris verò naues non tantùm ne infestæ fronte cum rostris cõmitterentur firmis et asperis, vitarent: sed ne incursum quidem facere auderent in latus. quando cõminuebantur facilè rostra eorum, qua in naues impingebant tignis ingentibus quadratis, quæ colligata inter se ferro erant, cõpactas. Erat igit assimile pedestri prælio certamen, aut vt verius dicam, murorũ oppugnationi. Simul enim tres aut quatuor vnam Antonij cingebant, tragulisq; & lanceis & contis & telis ignitis pugnabant. Antoniani ingerebant etiam catapultis ex turribus ligneis tela. Porrigente ad circundandos hostes alterum cornu Agrippa, expandere contrà Poplicola suos coactus à media acie sua est diuulsus.

Tumultuante hac ac cum Arruntio dimicante, nondũ aũt decreto sed communi adhuc Marte, repentè sexaginta Cleopatræ naues conspectę vela ad discessum in altum dare, ac per medios fugam arripere pugnantes. Nam magnis nauibus locati à tergo fuerant, perrumpentesq; tumultum cierunt. Hostes obstupefacti petentes viderunt secundo vento Peloponnesum.

Cleopatræ fuga.

Hîc verò patefecit se Antonius nec ducis nec viri nec omninò suo duci consilio: sed quod ludens quispiam dixit, amantis animam in alieno viuere corpore, raptus à fœmina est, vt si conglutinatus ei foret vnaq; moueretur cum ea. Nam simul atq; nauem contemplatus est illius vela facientem: omnium oblitus, proditis & desertis illis, qui pro ipso certabant atq; animam profundebant, conscendit quinquiremem Alexandro Syro & Scellio solis comitibus, secutus'que est perditam iam & perdituram insuper ipsum. Illa percipiens eum venire, signum sustulit ex naui. Ita ad eam Antonius delatus & acceptus naui neque aspexit illam neque aspectus ab illa est. Solitarius transijt in proram, atque ibi tacitus cogitabundusq; consedit, ambabus manibus caput tenens.

Antonius fugientem sequitur Cleopatrã.

Amantis animã in alieno viuere corpore.

Interea Liburnicæ Cæsaris, quæ insequebantur eum, in conspectu fuere. Antonius iusso infestam circumagi nauem cæteras repulit. Eurycles verò Lacon ferox institit lanceam ex tabulatis nauis minitabundus vibrans. Consistente in prora Antonio & quęrente, quis'nam est hic, Antoniũ qui consectatur? Ego,

Eurycles Lacon Antoniũ oppugnat ob patris necem.

inquit, Eurycles Lacharis filius, Cæſaris fortuna patris mei perſequens necem. Fuerat Lachares ob latrocinij crimen ab Antonio ſecuri percuſſus: neq; tamen irruptionem dedit in nauem Antonij Eurycles: ſed alteram prætoriã (duæ enim erant) roſtro percuſſam cõtorſit, atq; impactam obliquam cepit, ſimulq; ex alijs vnam, qua exquiſita ſupellex portabatur. Vt hic abſceſsit, Antonius eadem componens ſe figura ſilentium egit. Poſtquàm tres dies tranſegit in prora ſolus ſeu ira percitus ſeu erubeſcens illam, appulit ad Tænarum. Ibi fœminæ familiares adduxerunt eos primùm ad mutua colloquia, deinde ad conuiuia vnà ineunda & ad concubitũ perpulere. Iam naues onerariæ quoq; nõ paucæ & amici aliquot ex fuga ad eum confluxerunt profligatam nunciantes claſſem, ſed terreſtres copias arbitrari ſe conſtare. Ita Antonius nuncios ad Canidium miſit imperans, vt properè per Macedoniam reciperet ſe cum exercitu in Aſiam.

Antonius dimittit amicos ſuos, eiſq; nauẽ onuſtam auro & argento donat.

A Tænaro in Africam tranſmiſſurus nauem vnam onerariam magna pecuniæ vi, magni pretij etiam aureo et argenteo inſtrumento regio onuſtam ſelegit donauitq; amicis iubens, vt ea partirentur inter ſe & ſaluti ſuæ proſpicerent. Abnuentes flenteſq; ſanequàm placidè & humaniter conſolatus precatuſq; vt reciperent ſe, dimiſit ſcriptis ad Theophilum procuratorem ſuum Corinthi literis, vt ſecuritatem expediret illis, abſconderetq; eos, quoad placare Cæſarem quiuiſſent. Hic fuit Theophilus Hipparchi pater eius, cuius fuit authoritas apud Antonium maxima, & primus ad Cæſarem ex libertis eius deſecit, ac domicilium ſuum pòſt contulit Corinthum. Hoc in ſtatu res erant Antonij.

Antonij claſsis victa.

Ad Actium cùm claſsis Antonij diu fuiſſet Cæſari obluctata, atq; grauiſsimè ab inſurgentibus in proram infeſtata fluctibus, tandem hora decima ſuccubuit: neq; plus quinq; millia cecidere. Naues captæ trecentæ, vt ipſe in commentarijs tradidit Cæſar. Haud multi ſenſerant Antonij fugam, atq; audientibus res primò viſa incredibilis nouendecim legionibus peditum integrorum adhuc & duodecim millibus equitum relictis capere eum fugam: quaſi non ſubinde ambigua vſus fortuna, neq; ſexcentorum certaminum & bellorum fuiſſet vicibus verſatus. Milites eius in deſiderio quoq; & expectatione erant mox alicunde appariturum. Tantam autem præſtiterunt ei fidem & virtutem, vt & fuga eius patefacta cohæſerint diebus ſeptem, miſſoſq; ad ſe à Cæſare legatos repudiauerint. Deniq;

Antonij legiones adiungunt ſe Cæſari.

vbi dux noctu profugit Canidius & caſtra reliquit: ab omnibus derelicti, proditiq; à ducibus ſuis aggregauerunt ſe ad victorẽ. Hinc nauigauit Cæſar Athenas, ac Græcis placatus ciuitatibus afflictis & exutis pecunia ſeruitijsq; & iumentis ſuperans ex bello frumentum diſtribuit. Commemorabat proauus noſter Nicarchus ciues noſtros modũ præfinitum tritici omnes humeris deferre coactos ad prætextum Anticyræ mare, flagellisq; ad maturandum concitatos, atq; vnum onus ſic portaſſe: alterũ menſum iam ſublaturis victum Antonium allatum fuiſſe, idq; conſeruaſſe ciuitatem. Extemplò enim procuratoribus & militibus Antonij fugam arripientibus frumentum ipſos partitos. Porrò Antonius in Africam delatus præmiſſa in Aegyptum ex Parætonio Cleopatra coniecit ſe ſemel in ſolitudinem cum duobus amicis palans & vagans Græco Ariſtocrate rhetore & Lucilio Romano.

Lucilij in Antonium fides.

de quo alio loco ſcripſimus, acie Philippenſi, quò ſpacium haberet Brutus effugiendi, tradidiſſe ſeſe, vt ſi Brutus eſſet, inſequentibus: et quòd conſeruatus ab Antonio eſſet, fidum ei firmumq; vſq; ad extrema tempora permanſiſſe. Poſtquàm præfectus copijs Africanis deſciuit ab eo, inſtitit ſibi manus inferre: verùm interpellatus ab amicis, delatuſq; Alexandriam Cleopatram offendit opus aggreſſam audax & grande.

Cleopatræ conatus.

Iſthmum, qui mare rubrum dirimit ab Aegyptio, qui etiam diſtinguere Aſiam & Africam putatur, quà maximè ab vtroq; ſtringitur pelago & coarctatur, vt non plus trecentis ſtadijs pateat in latum, adorta eſt traijcere claſſem, demiſsiſq; in ſinũ Arabicum cum magna pecuniæ vi copijs & nauibus ſedes quærere remotas ſeruitutem & bellum refugiens. Cæterùm quia primas naues, quæ ſubuehebantur, Arabes Petræi inflammauerunt, & Antonius exercitum Actiacum exiſtimauit adhuc integrum eſſe: deſtitit cœpto, atque oſtia Nili ſtationibus ſepſit.

Antonius Timonis Miſanthropi vitam imitatur.

At Antonius relicta vrbe & amicorum conſuetudine, domicilium ſibi in mari ad Pharum extruxit proiecto in altum aggere, atque ibi extorris ab hominibus egit. Vitam ferebat ſe imitari & æmulari Timonis: quòd res ſuæ eodem loco eſſent. Quippe violatum ſe ab amicis ſuis, atque ingratitudinem eorum expertum: ideò omnibus diffidere & ab omnibus abhorrere hominibus.

Timon Miſanthropus.

Fuit Timon ciuis Athenienſis, vixitq; circa bellũ Peloponneſiacũ: vt eſt colligere ex Ariſtophanis et Platonis comœdijs, in quibus perſtringitur vt inimicus & oſor generis humani. Hic cùm declinaret & reijceret omniũ hominũ cõgreſſum, Alcibiadẽ iuuenem

nem & audacem sedulò salutabat & exosculabatur. Stupente Apemanto causamq; requirente: diligere ait se adolescentem, quòd multorum eum populo Atheniensi malorum aliquando authorem sciret fore. Vnum admittebat interim Apemantum vt germanum sui & eiusdem vitæ sectatorem. Cùm aliquando inferiarum solenne esset, conuiuabantur hi duo inter se soli: ac cùm dixisset Apemantus: Quàm est Timon egregium nostrum conuiuium? Siquidem tu, inquit, non adsis. Fertur in concione populi Atheniensis conscendisse suggestum: silentio autem & expectatione propter rei nouitatem magna facta, dixisse: Est mihi exigua Athenienses area, in qua adoleuit ficus. ex ea multi iam ciues se suspendere. Quia verò hunc locum statui inædificare: nolui prætermittere, quin id publicè prænunciarem: quò, si quibus vestrum visum erit, prius quàm excecetur ficus, suspendat se. Defuncto illo & Halis iuxta mare humato abluit vnda prætextum littus, ac circunfusa monumentum eius reddidit hominibus inaccessum & inuium. Id inscriptionem hanc habuit:

Timonis Misanthropi epitaphium.

Hîc recubans abrupta anima infelice quiesco.
Nomen non quæras: mala pestis perde scelestos.

Atq; hoc epigramma ab illo ferunt adhuc superstite factum. Illud verò, quod circunfertur, est Callimachi.

Timon Misanthropus ego hîc iaceo. Sed enim hac tu
Transi dira precans, ac modò prætereas.

Hactenus de Timone pauca de multis. At Antonio legionum Actiacarum amissarum ipse nuncium Canidius attulit. Mox Iudæum Herodem cum aliquot legionibus & cohortibus accepit ad Cæsarem transisse, & alios item defecisse dynastas, neq; quicquam vltrà foris manere in fide. Nihil eum horum tamen commouit. sed quasi libenter spem abijceret, vt simul et curam: tabernaculum illud marinum, quod nominabat Timonium, reliquit: acceptusq; à Cleopatra in regiam conuertit ciuitatem ad commessationes poculaq;, & se ad donatiua. Cleopatræ & Cæsaris filium inter ephebos ascripsit, togam puram & virilem Antyllo dedit suo ex Fuluia filio. quamobrem agitauerunt conuiuia per multos dies commessationesq; & festum Alexandrini. Illi conuentum istum Inimitabilis vitę dissoluerunt, atque alium instituerunt nihilo delicijs, luxu, splendore illo inferiorem, quem Commorientium dixere. Nam amici eorum, qui volebant commori, nomina dabant transigebantq; tempus per voluptates in cœnarum orbibus. Porrò Cleopatra varia genera collegit venenorum letalium. quorum singula, vt periclitaretur, quod minimum doloris sensum inferret, obtulit rerum capitaliũ custodijs. Vt animaduertit, quę letum repræsentarent, ea mortem cum dolore maturare, leniora defici celeritate: transijt ad experiendum bestias. Aspiciebat, cùm alia alijs admoueretur. Tractabat id quotidiè, atq; in omnibus penè vnicum inuenit aspidis morsum citra contractionem membrorum vel gemitum, grauem soporem & torporem inducere cum faciei molli sudore & sensuum stupore facilè elanguescentium, & ægrè ferentium, sicut qui somno mersi alto sunt, expergefieri & excitari. Simul ad Cæsarem legatos in Asiam misere. Petebat Cleopatra liberis suis regnum Aegypti. Ille Athenis postulabat, si non daretur in Aegypto, vt priuato liceret vitam agere. Amicorum ob transitiones penuria & diffidentia præceptor filiorum eius Euphronius missus legatus est. Nam Laodicensis Alexas, qui Timagenis opera Romæ innotuerat Antonio, & plurimùm Græcorum polluerat, fucratq; machinamentorum in Antonium Cleopatrę violentissimum atq; inhęrentium animo eius pro Octauia cõsiliorum expugnator missus fuit ad retinendam Herodis regis transitionem. Cæterùm restitit apud eum prodito Antonio, sustinuitq; Herode fretus in Cæsaris venire conspectũ. At nihil ei profuit Herodes. verùm confestim vinctus atq; in patriam suam in compedibus deportatus, ibiq; Cęsaris iussu necatus est. Has Alexas viuo adhuc Antonio pepẽdit perfidiæ pœnas. Cæsar reiectis Antonij postulatis Cleopatrę respondit nihil benignitatis ei, si sustulisset vel eiecisset Antoniũ, defuturum. Misit etiam vnà libertũ suum Thyreum hominẽ haud insulsum. qui oratione sua iuuenis imperatoris nomine missus inflatã mulierem ac mirè formæ causa tumidam posset mouere. Hic prolixiore oratione quàm alij cum ea agens & supra modum honoratus ab ea suspicionem mouit Antonio. Itaque corripuit eum & flagellis cecîdit, inde remisit ad Cæsarem, scribens insultatione & superbia illius se fuisse iritatum, qui esset ob ærumnas iritabilis. Id tu si fers, inquit, iniquè: habes libertum meum Hipparchum. hunc

Antonij luxus rebus perditis.

Antonij et Cleopatræ conuiuia.

Cleopatræ in experiũdis venenis, sedulitas.

Antonij et Cleopatræ legationes ad Octauiũ.

Alexæ perfidia punita.

hunc ſuſpenſum flagellato, vt par feramus. Mox quò dilueret Cleopatra crimina & ſuſpiciones illius, coluit eum mirificè: ac die ſuo natali ſummiſsè & pro præſenti fortuna acto natalem illius ſummo ſplendore & magnificentia celebrauit: vt multi ad cœnam inuitati, qui acceſſerant inopes, opulenti diſceſſerint. Porrò Cæſarem literis ex vrbe ſcriptis ſubinde reuocauit Agrippa, remp. ſignificans eius præſentiam poſtulare. Vnde habuit bellum in præſentia dilationem. Hyeme tranſacta mouit iterum in Antonium per

Octauio traditur Peluſium.

Syriam, & duces eius per Africam. Peluſio capto tumor fuit oppidum illud non inuita Cleopatra fuiſſe Cęſari à Seleuco traditum. At Cleopatra dedidit Antonio ad ſuppliciũ vxorem illius & liberos. Conditoria habebat & monumenta eximio artificio & faſtigio extructa, quæ Iſidis templo adiecerat. Eò ex regijs theſauris pretioſiſsima quæq; congeſsit, aurum, argentum, ſmaragdum, vnionem, ebenum, ebur, cinamonum, poſtremò magnam vim tedarum & ſtuppæ. Vnde metuens illis opibus Cæſar, ne eas deſpondens animum perderet illa & concremaret: oſtendit ei aſsiduè, dum cum exercitu ad vrbem

Antonius fugat equitatum Octauij.

contendit, benignam ſpem. Vt conſedit ad Hippodromum, erumpens infeſtus Antonius certauit ſtrenuè, atq; equitatum Cæſaris profligauit, effuſumq; egit vſq; ad caſtra. Hac elatus victoria ingreſſus eſt regiam, et Cleopatram in armis oſculatus eſt: atq; eum, qui fortiſsimè dimicauerat, commendauit illi. Cleopatra pręmium ei auream loricam & galeam donauit. Iſte verò his acceptis tranſijt nocte ad Cæſarem. Porrò prouocauit

Octauij ad Antoniũ ſe ad ſingulare certamẽ prouocantem, reſponſum.

denuò per nuncios Antonius Cæſarem, vt ſolus ſecum certaret. qui reſpondit, Vias Antonio multas patêre ad interitum. Quare conſiderans non poſſe quàm in prælio mori ſe honeſtiùs, deliberauit ſimul terra mariq; Cæſarem adoriri: atq; inter cœnandum, vt fertur, imperauit ſeruis: vt propinarent & exciperent epulis ſe liberaliùs. Incertum eſſe, idem 'ne facturi poſtridiè eſſent, an alijs dominis miniſtraturi: ipſe verò extinctus iacêret & exanimis. Amicos ob hęc cùm cerneret illachrymari: nõ ducturum ait ſe ad pugnam, ex qua mortem glorioſam potius, quàm ſalutem & palmam ſperaret ſe quæſiturũ. Circa noctis illius conticinium fama eſt, cùm ſilentium & mœſtitia ex metu & expectatio-

Prodigium.

ne euentus teneret ciuitatem: repentè omnis generis organorũ exauditam ſymphoniã, ſtrepitumq; turbæ cum clamore Bacchico & tripudijs Satyricis velut ſacris Liberi patris choro non ſine ingenti tumultu erumpente: conceſsiſſe hanc turbam, quę ingens eſſet, media fermè vrbe ad portã, quæ foràs ad hoſtes ducebat, atq; ea euaſiſſe. Viſum eſt autem prodigium hoc reputantibus à deo, quem præcipuè effingere, & ad quem cõſueuerat ſe accommodare, eſſe Antonium deſtitutum. Simul atq; diluxit, peditatum ipſe

Antonij claſsis deficit ad Cæſarem.

in tumulis, pro vrbe collocauit. Claſſem verò in altum prouectam atq; in hoſtem ſpectauit pergentem. Conſtitit ibi præſtolans, vt ſucceſſum eius cerneret. Claſsici poſtquàm remigio appropinquauerunt aduerſæ claſsi, ſalutauerunt Cæſaris milites. Quibus ſalutem reddentibus deſciuerũt ad illos: atq; ex omnibus nauibus vna effecta claſsis vrbem

Equitatus Antonij deficit ad Cæſarem.

infeſta petijt. Dum id contemplatur Antonius, extemplò deſertus eſt ab equitibus, qui tranſitionem fecere. Peditatu fuſo recepit ſe in vrbem, proditũ ſe à Cleopatra vociferans

Antonius à Cæſare victus.

Cleopatra fugit intra monumẽtum.

ijs, in quos illius cauſa ſumpſerat arma. Quæ cùm iram eius & deſperationem formidaret: confugit ad monumentũ, cataractasq; demiſit clauſtris & repagulis firmatas, ac miſit ad Antonium nunciatum defunctam ſe eſſe. Id credens ille & ſecum locutus: Quid vltrà moraris Antoni? Vnicam fortuna & reliquam eripuit tibi trahendi ſpiritus cauſam: cubiculum ingreditur, laxansq; & aperiẽs loricam: Non crucior, inquit, Cleopatra, quia te ſum orbatus: mox enim iſtuc adero: ſed quòd tantus imperator ſuperari animi celſitudine deprehenſus ſim à fœmina. Erat ſeruus ei fidus Eros nomine. Hunc iampridem orauerat, ſi res poſtularet, vt interficeret ipſum. Tunc exegit promiſſa. Ille diſtrictum

Eros Antonij ſeruus interficit ſemetipſum.

enſem extulit quaſi illũ icturus. verùm auerſo vultu interemit ſemetipſum. Quo ad pedes ſuos collapſo Antonius: Macte Eros, inquit: qui, quod non ſuſtinuiſti mihi ipſe facere, quid faciundum ſit, doces. Ita ventrem fodit, atq; in lectulum demittit ſe. Ictus non

Antonius ferit ſemetipſum.

fuit is, qui maturaret mortem. Vnde curſu ſanguinis, poſtquàm decubuit, inhibito refocillatus orauit aſsiſtentes, vt ſe confoderent. Illi eiecerunt ſe ex cubiculo vociferante &

Antonius portatur in monumentũ ad Cleopatram.

diſcruciante ſe Antonio, dum Diomedes ſcriba venit à Cleopatra, iuſſus eum in monumentum ad illam deportare. Quam vt cognouit viuere, ſeruis imperauit ardenter, vt tollerent ſe: ac manibus ad ianuam ædificij eſt geſtatus. Non reſerauit Cleopatra fores, ſed

Antonij et Cleopatræ ſpectaculũ lamentabile.

ex feneſtris ſpectans reſtes & funiculos demiſit. His annexum Antoniũ traxit in altum ipſa & duæ mulieres, quas in monumentum ſolas ſecum duxerat. Nihil aiunt fuiſſe illo ſpectaculo, qui adfuere, lamentabilius. Quippe ſanguine oppletus & animam agens trahebatur,

hebatur, manusq; versus illam porrigebat & annitebatur sustollere se. Neq; enim id mulieribus factu procliue erat. sed magno labore Cleopatra manibus incumbens & prona facie apprehendit vinculum, excitantibus eam, qui infrà stabāt, & vicem eius anxijs. Vt cum hoc modo accepit & deposuit in lectum, pepla eum lamentās dilacerauit: pectusq; suum percutiens & lanians manibus, cruoremq; facie abstergens dominū, virum, imperatorem appellauit, ac suorum penè malorū est illius miseratione oblita. Lenito Antonius eius dolore vini haustum poposcit: vel quòd sitiret, vel quòd celeriùs ita expiraturum se speraret. Postq; bibit, monuit eam: vt rerum suarum, si absq; turpitudine licerer, consuleret incolumitati, ac præcipuè inter amicos Cæsaris fidem adiungeret Proculeio. Se verò ob nouissimā rerum conuersionē ne lamentaretur: sed gratularet ob bona, quæ fuerat consecutus: ꝙ omnium hominum fuisset clarissimus, & plurimum potuisset: atq; eo tempore non ignauiter esset Romanus à Romano superatus.

Antonij mors.

Iam efflabat animā, cùm à Cæsare adfuit Proculeius. Cùm enim semet ipse Antonius percussisset, & ferretur ad Cleopatrā: Dercetæus quidam eius satelles rapto Antonij pugione reconditoq; subduxit se, currensq; ad Cæsarem exitū Antonij primus nunciauit ei, atq; ensem ostendit cruentum. Ille accepto hoc nuncio in intimum secessit tabernaculum: vbi illachrymauit Antonio affini quondā & collegæ suo multorumq; certaminum & rerum socio.

Octauius illachrymatur fato Antonij.

Mox sumptis epistolis accitisq; amicis recitauit, ad lenia & æqua scripta sua ꝙ ille semper respondisset importunè & superbé. Inde Proculeium mittit mandans, vt maximè, si queat, Cleopatrā redigat viuam in potestatem. Erenim timebat thesauris, & magnificū ad ornamentum ducebat triumphi, si illam adduxisset.

Proculeius ad comprehendendam Cleopatrā missus ab Octauio.

Illa verò cōgredi ex propinquo abnuit cum Proculeio: sed colloquium cum eo ex illo ædificio habuit assistente foris ad positum in plano ostium: quod firmiter erat obseratum, vt admitti tamen vox posset. In colloquio illa regnum liberis suis petijt: alter bono animo vt esset, hortatus est, & omnia permitteret Cæsari. Vt locum contemplatus Cæsari renunciauit: iterum missus est ad eam appellandā Gallus. Qui vt venit ad fores, produxit de industria sermonem. Interea Proculeius admotis scalis intrauit per fenestram, qua exceperant mulieres Antonium: trahensq; secum duos ministros descendit confestim ad ipsas fores, quibus assistebat attendens Gallum Cleopatra. Vbi vna ex mulieribus, quæ incluserant se illic cum Cleopatra, exclamauit: Misera Cleopatra viua in potestatē venis: conuertens se cernensq; Proculeium institit se ipsam ferire. Nam sica erat accincta.

Cleopatra capitur.

Cæterùm accurrēs properè & cōplexus eam ambabus manibus Proculeius: Iniuriā facis, inquit, Cleopatra & tibi & Cęsari: quæ magno documento eum clementiæ priuas & lenissimo imperatori notam inuris perfidiæ & sæuitiæ. Simul detrahit ei gladium: vestemq; eius, nequid tegeret veneni excutit. Missus etiam à Cæsare libertus eius est Epaphroditus. cui imperatum, intentissima cura vt viuam custodiret, reliqua haberet quàm lenissimè & blandissimé.

Octauius Cæsar eximiè honorat Arium philosophum.

Cæsar vrbē inuectus est cum Ario Philosopho colloquens, dextraq; eum tenens, quò tam eximio honore ab ipso cultus cōspicuus ciuibus & suspiciendus esset. Ingressus gymnasiū conscenso tribunali, quod erectū erat, cōsternatos metu ciues & humi se abijcientes exurgere iussit, aitq; populum se omni noxa liberare, primùm Alexandri causa cōditoris, deinde vrbis tam pulchræ miraculo ductum, tertiò amici gratia Arij. Hoc honore Cæsar Arium dignatus est, multosq; precibus eius condonauit alios: quorū fuit Philostratus vnus dicendi ex tempore illius ætatis sophistarum promptissimus, verùm immeritò in Academiā irrepebat. Quapropter execrans mores illius Cęsar reijciebat preces eius. Ille barba cana promissa affectabatur atratus à tergo Ariū, hunc versum semper repetēs,

Sapiens salus sapienti erit, modò is sapit.

Id vbi Cęsar audiuit: vt Arium inuidia magis quàm metu exolueret Philostratū, ignouit homini.

Antyllus Fuluia natus occiditur.

Ex Antonij liberis Antyllus Fuluia natus, quem prodidit pædagogus Theodotus, interfectus est. Obtruncantibus eum militibus detraxit ei pędagogus, quam collo gerebat, pretiosissimā gemmam, eamq; insuit zonæ suæ. Id inficiatus & cōpertus cùm esset, in crucē est actus. Cleopatræ liberi cum nutritijs custoditi & liberaliter habiti.

Cæsario interficitur.

Cæsarionem, qui ex Cæsare dictatore prognatus ferebatur, miserat mater cum magna pecuniæ summa per Aethiopiā in Indiam. Hunc alter similis Theodoro pædagogus Rhodon induxit ad regrediendum, tanquam vocaret eum Cæsar ad regnum. Deliberante de eo Cæsare perhibent Arium dixisse:

Cæsaris in multis nomen non expedit esse.

Eum pòst sub Cleopatræ mortem extinxit. Antonium multis regibus & ducibus pe-

Cleopatra humat Antonium.

tentibus funerare non ademit corpus Cæsar Cleopatræ: sed illius manibus est humatus splendidè & regaliter, omniaq; ei, quibus vti voluit, permissa. Ex tanto simul mœrore & dolore (nam pectus eius ex verberibus inflammatũ & exulceratũ fuerat) febre correpta id velamentum arripuit læta, quasi ideo temperatura cibo & vitam liberè positura.

Olympus Cleopatræ medicus.

Medicum habebat familiarem Olympũ, quem prodita ei veritate consiliariũ & adiutorem ad tabem sibi inducendã adhibuit, vt ipse scriptũ reliquit Olympus, qui edidit harũ rerum historiã. Odoratus rem Cæsar obiecit ei minas & terrores de liberis. quibus illa sicut machinis expugnata est, permisitq; corpus suũ omnibus pro arbitrio curare & alere.

Octauius inuisit Cleopatram.

Venit etiam paucis diebus pòst ipse ad eam appellandã & consolandã. Iacebat fortè illa in toro sordidè. Quo ingresso vna velata tunica exilijt, abiecitq; se ad pedes eius, capite & facie mirè fœdata, tremula voce atq; oculis tabidis. Multæ quoq; vibices in corpore eius cõspiciebantur. Breui nihilo videbatur corpus eius animo habere melius.

Cleopatræ formæ ne squalore quidẽ extincta.

At gratiæ illæ & formæ confidentia non erat semel extincta: sed ex ea licet ita affecta elucebat intrinsecus aliquatenus, & cum vultus motibus effulgebat. Cùm eam iussisset Cæsar decumbere, & iuxtà assedisset: attigit illa nonnullã excusationẽ, ea quę facta essent in vim & metum Antonij deflectens. quam cõfutante in singulis Cęsare ac coarguente diuertit protinus ad misericordiã exposcendam & ad preces, quasi summoperè cõcupisceret viuere. Postremò numeri thesauri breuiariũ, quod habebat, tradidit ei.

Cleopatra procuratorem suũ presente Cęsare verberat.

Cùm Seleucus vnus procuratorũ argueret eam, quòd reconderet & supprimeret nõnulla: exiliens & in capillũ huius inuolans multis plagis os eius contudit. Subridente Cæsare atq; illam reprimente: An'ne graue, inquit, Cæsar est, cùm tu inuisere me hoc in statu & appellare sis dignatus, à seruis me meis deferri, siquid reposui muliebre, non mihi sanè miseræ mundum: sed quò pauca munera Octauiæ & Liuiæ tuæ feram, vt placatum te per illas & clementiorem habeã? His gauisus est Cæsar, omninò illam existimans teneri cupiditate vitæ.

Cleopatra decipit Octauiũ Cęsarem, quasi cupiat viuere.

Igitur Cæsar, vbi ostendit & hæc ei cõcedere se, cæteraq; supra omnẽ spem cum ea acturũ, digressus decepisse arbitrabat se eam, at magis deceptus ipse est. Cornelius Dolabella erat nobilis iuuenis inter Cæsaris amicos. Hic Cleopatræ cupidus precanti tunc hoc dedit beneficij, vt per internunciũ clàm ei significaret Cæsarẽ ipsum pedibus decessurum per Syriã, ipsam verò cum liberis statuisse post triduũ in Italiã mittere. Quo intellecto primùm Cęsarem orauit, vt sibi inferias dare permitteret Antonio.

Cleopatra parentat Antonio.

Annuente illo vbi ad monumentũ est perlata, incumbens cum familiaribus mulieribus in tumulũ: Nuper te, inquit, liberis adhuc manibus chare Antoni funeraui, nunc parento captiua & custodita, ne plãctibus & lamentationibus suggillẽ seruile hoc corpus, quod ad triumphũ de te seruatur. Alios honores vel iusta ne expectaueris, verùm hæc tibi à Cleopatra, quę abducitur, sunt nouissima. Viuos nos nihil distraxit. Nunc verò morte videmur cõmutaturi loca: tu vt Romanus hîc iaceas, infelix ego hîc in Italia, hactenus modò patriæ particeps tuæ. At si quid istic numina valent & possunt (nam nostrates nos dij prodidere) noli deserere viuam tuã cõiugem, neq; in me permittere triumphũ duci de te: sed hîc me tecum abde & cõde. Nam mihi ex infinitis malis nihil tam graue vel acerbum est, quàm breue hoc tempus, quod te sine vixi.

Cleopatræ mors.

His editis lamẽtis postquàm coronas & oscula tumulo tulit, præcepit sibi parari balneũ. Lota accubuit & splendidè est epulata. Tum cistam quidã rure veniens attulit. Percunctantibus, quid ferret satellitibus: aperiẽs & auferens folia cophinum plenũ ficorum ostendit. Mirantes speciem & magnitudinẽ arridens inuitauit, vt sumerent. Illi nihil suspicati iusserũt ficos eum intrò ferre. Sub prandiũ tabulas, quas scriptas & cõsignatas habebat, misit Cleopatra ad Cęsarem. tum omnibus eiectis reliquis præter duas illas fœminas obdidit fores. Solutis tabulis Cæsar, vt obsecrationes & questus legit precantis, vt apud Antonium cõderetur: intellexit ilicò, quid gestum esset. Ac primùm instituit illuc ipse accurrere, deinde spectatũ properè misit, quid rei esset. verùm momento transactum cum illa fuerat. Nam cursu illuc profecti, & stationem nihil offendentes sensisse, reserata ianua defunctã inuenerunt & in aureo iacentem lecto, regio cultu exornatam.

Cleopatræ ancillæ due cum ea mortuæ.

Ex mulieribus eius Iras nomine ad pedes eius expirauerat, Charmium iam lapsabunda & capite grauata cõponebat diadema, quo redimitum erat caput eius. Ibi cùm quidam fremens dixisset: Hæc'cine pulchra Charmiũ? Pulcherrima sanè, inquit, decentiaq; regum propaginem tam multorum. Nihil amplius locuta iuxta lectum ibi concidit.

Cleopatra aspidis morsu necata.

Perhibent aspidem inter ficos illos illatam folijsq; fuisse intectam. Ita enim iussisse Cleopatrã, vt ignorantis corpus bestia inuaderet: Vt tollens de ficis conspexit eam, dixisse Cleopatram: Nempe hîc illa est, brachiumq; nudatum morsui præbuisse.

præbuiſſe. Alij incluſam hydriæ aſpidem atq; ita fuiſſe autumant aſſeruatam, fuſoq; aureo ipſam laceſſentis & ſtimulantis arripuiſſe Cleopatræ brachium. Sed veritatem nouit nemo. quando venenum quoq; geſtaſſe proditũ eſt eam in nouacula caua eamq; recondiſſe coma ſua. Verùm nec macula in corpore extitit, neq; aliud veneni veſtigium. Neq; verò beſtia illa intus cõparuit. Tractus aliquos eius tantùm iuxta mare, quò cubiculum ſpectabat & feneſtræ erant, aiunt deprehenſos. Nonnullis brachium quoq; Cleopatræ notas duas ex punctione viſum eſt habere tenues & exiles: quibus credidiſſe Cæſar videtur. Siquidem in triumpho eius imago translata eſt ipſius Cleopatræ & aſpidis mordicùs brachio affixæ. Hæc eo modo feruntur geſta. Cæſar quamvis moleſtiam traxit ex illius deceſſu, animũ tamen eius generoſum eſt admiratus, & corpus condi apud Antonium ſplendidè & regaliter iuſsit. Sortitæ ſunt & mulieres funus iuſſu eius honorabile. Exceſsit Cleopatra annos nata vndequadraginta, quorum duos & viginti regnauit, imperauit cum Antonio amplius quatuordecim. Antoniũ alij ſex, alij tres & quinquaginta annos aiunt vixiſſe. Statuæ Antonij deiectæ ſunt, Cleopatræ loco nõ motæ. Impetrauit amicus eius Archibius à Cæſare mille talentis, ne cum Antonianis conuellerentur. Antonius ſobolem ex tribus vxoribus ſeptem liberorum reliquit. Ex his ſtirpis maximus Antyllus à Cæſare vnus eſt interfectus. Reliquos accepit Octauia, quos cum ſuis eduxit. Ex Cleopatra ſuſceptam Cleopatram lepidiſsimo regi Iubæ collocauit. Antonium ex Fuluia in tantum euexit: vt cùm primum locum apud Cæſarem Agrippa, Liuiæ filij ſecundũ tenerent, tertius eſſet & numeraretur Antonius. Ex Marcello illa filias duas, vnicum filium Marcellum habebat. Hunc ſimul adoptauit & generum fecit Cæſar. Alteram filiam Octauia Agrippæ nuptum dedit. Cùm Marcellus breuì poſt has nuptias interiſſet, neq; Cæſari generum, cui fideret, ex cæteris amicis promptum eſſet deligere: ſermonem Octauia mouit Cæſari, vt Agrippa ipſius filiam dimiſſa duceret ſua. Inducto Cæſare primò, inde Agrippa, receptam ſuam Antonio nuptui dedit, Cæſaris filiã duxit Agrippa. Duarum, quæ ſupererant, Antonij & Octauiæ filiarum alteram in matrimonio habuit Domitius Aenobarba, alteram caſtitate & forma celebrem Antoniam Druſus Liuiæ filius priuignus Cæſaris. Ex his procreati Germanicus & Claudius, quorũ Claudius pòſt imperauit. Ex Germanici liberis Caius, cuius nobile infamia nec diuturnum fuit imperiũ, cum filia & vxore eſt interemptus. Agrippina, quæ filium ex Aenobarba L. Dominium habebat, nupſit Claudio Cæſari. Hic adoptauit Domitiũ, quem Neronem Germanicum dixit. Is imperans noſtra memoria interfecit genitricem ſuam, vecordia'que & amentia penè Romanum euertit imperium, ab Antonio in ſucceſsione numero quintus.

Cleopatræ imago cum aſpide in triumpho elata.

Cleopatræ & Antonij ætas.

Antonij ſoboles, imperatorũ ſeminarium.

Claudius Cæſar cum filia & vxore interfectus.

DEMETRII CVM ANTONIO
COMPARATIO.

QVIA Verò magnis vterq; rerũ viciſsitudinibus vſus eſt: primùm potentiam & claritatem conſideremus paternam Demetrio & præparatam fuiſſe. Fuit enim Alexandri ſucceſſorum Antigonus præpollentiſsimus, Demetrioq; nondum adulto pleraq; Aſiæ obiuit atque in poteſtatem ſuam redegit. Antonius patre genitus cætera quidem probo viro, ſed imbelli, & à quo parum ad nomen parandum accepit momenti, non dubitauit ad Cæſaris aſpirare imperium nihil ad ipſum generis propinquitate pertinens, atq; in elaboratorum ab illo irrepſit ſucceſsionẽ: tantumq; ſolis ſuis fretus præſidijs valuit, vt orbẽ vniuerſum in portiones partitus duas alteram ſelegerit & ſumpſerit præcellentiorem, abſens ipſe per miniſtros & legatos ſuos ſubinde fuderit Parthos, genteſq; barbaras Caucaſum circumiectas vſque ad mare Caſpium ſummouerit. Teſtantur magnitudinem eius vel illa, quæ eum redduht infamem. Demetrio enim pater præclarè agi putauit, ſi Philam Antipatri præter ætatem vt præſtantiorẽ deſponderet: Antonio Cleopatræ labi fuerũt nuptiæ fœminæ opibus & ſplendore natalium, ſi ab Arſace diſceſſeris, ſuæ ætatis reges antecellentis. Adeo autem ſe effecit ipſe grandem, vt alijs fortuna dignus, quàm ipſe vellet, maiore haberetur. Conſiliũ tamen & inſtitutum, quo imperium peperit, irreprehenſibile Demetrij: vt dominaretur & regnaret apud homines ſeruire aſſuetos & regnari quærentes: tetrum Antonij & tyrannicum, qꝫ in ſeruitutem redegit populum Romanum, qui modò ex Cæſaris domina-

Demetrij & Antonij potentia.

Demetrij et Antonij cupiditas dominandi.

tu effugerat. Quod igitur maximum in rebus eius gestis & splendidissimum est, bellum cõtra Cassium & Brutum susceptum, id gestum est ad extorquendum patriæ & ciuibus suis libertatem. Demetrius verò & ante, q̃ in fortunas extremas est delapsus, non cessauit liberare Græciam & præsidia ex vrbibus abigere: vbi cõtrà Antonius, q̃ liberatores populi Romani oppressisset in Macedonia, est gloriatus.

Demetrij & Antonij magnifica liberalitas.

Vnà aũt in Antonio laudatur munificentia atq; in donis magnificentia. in qua hactenus eminet Demetrius, vt plura largitus sit hostibus, quàm donauerit amicis Antonius. Et quidẽ ex eo, quòd funerari Brutum iussisset magnificè, gloriam ille parauit. At hic cunctos, qui ceciderant, humauit hostes, captiuosq; ad Ptolemæũ cum rebus suis & muneribus remisit.

Demetrij & Antonij luxus.

Impotentes rebus secundis ambo, in delicias & luxum effusi. Sed non inuenias Demetrium voluptatibus & conuiuijs immersum rerum gerendarũ neglexisse occasionem. Vbi ocio abundaret, indulgebat voluptatibus, Lamiamq; sicut fabulosam illã planè cùm ludere & dormire quæreret, pro oblectamento habebat. Enimverò in belli apparatibus non habebat hasta eius hederam, neq; vnguentum renidebat galea, neq; delibutus & cõptus ad prælia ex sinu mulierũ procedebat: verùm sopitẽs Bacchi chorũ compescensq; Bacchanalia,

Assecla Martis profani,

vt ait Euripides, fiebat: neq; per voluptates vel socordiam impegit vsquam. Antonium verò, sicut in picturis Herculi videmus subtrahi ab Omphale clauam, leoninamq; detrahi: ita frequenter exarmatum ac detractum induxit Cleopatra, vt amissis è manibus magnis rebus atq; expeditionibus necessarijs oscitaret luderetq; secum circa Canobi & Taphosiridis littora. Postremò vt Paris, cùm profugisset ex prælio, in illius se sinũ abdidit. Imo victus confugit in thalamum Paris: Antonius Cleopatrã consectans fugit & proiecit victoriam.

Demetrij & Antonij vxores.

Adhæc non lege vetante Demetrius, sed more à Philippo & Alexãdro inter reges Macedonum vsurpato plures sicut Lysimachus & Ptolemæus duxit vxores. quotquot autem duxit, honorem habuit omnibus. Antonius primùm, quod erat apud Romanos inauditum, duas simul accepit vxores. Deinde ciuem & iustã vxorem expulit domo, quò peregrinæ & illegitimæ indulgeret. Vnde ex matrimonio huic summa mala, illi nullum euenit.

Demetrij lasciuia.

Piaculum tamen ex lasciuia contractum nullum tantum Antonij facta, quantum Demetrij habent. Quippe scribunt historiographi tota arce arceri canes solere, quòd præcipuè hoc animal ineat in aperto. At Demetrius in ipsius penetralibus Mineruæ cum scortis consueuit, & vrbanas matronas stuprauit complures. Quod verò minimè coniunctum existimes esse cum delicijs & voluptatibus vitium sæuitiam, id Demetrij lasciuiæ adest: qui pro nihilo duxit, imò coegit formosissimum & castissimum puerum Atheniensem, vt stuprũ effugeret, miserè vitam profundere. Breuì semetipsum Antonius per incontinentiã, Demetrius alios læsit.

Demetrij & Antonij pietas & impietas, fides & perfidia.

Vice versa aduersus parentes suos præstitit se Demetrius vsquequaq; irreprehensibilem: Antonius auunculum dedidit, vt interficeret Ciceronem, rem per se execrabilem atq; immanẽ: vt vix in eo ignoscas Antonio, si salutis auũculi Ciceronis cædes merces fuisset. At periuria & perfidiæ vtriusq;, quòd hic † Artabazum vinxit, ille obtruncauit Alexandrum: v;elamentum in Antonio habet confessum. Nam desertus ab Artabazo in Media & proditus fuit. Demetriũ multi memorant ad factum suum falsis colorandum causis insimulasse illum, qui ab ipso fuit violatus, non pœnas persecutum à violatore.

† Hunc Plutarchus antè videtur appellasse Artauasdem.

Demetrij & Antonij rerum gestarũ gloria.

Palmarum suarum vicissim ipse effector Demetrius fuit: contrà Antonius, vbi non adfuit, pulcherrimas maximasq; per legatos suos retulit victorias. Imperium verò amisit sua culpa vterq;, non pari tamen modo: sed superior destitutus, quòd defecissent ab eo Macedones: hic destituens suos. Fugit enim desertis illis, qui dimicabant pro ipso. Itaq; crimen est Demetrij, quòd reddiderit in tantum infestos sibi milites suos: Antonij, quòd paratam tantam beneuolentiam atq; fidem deseruerit.

Demetrij & Antonij mors turpis.

Exitum certè neutrius commendes, improbandus Demetrij tamen magis. Siquidem in manus sustinuit hostium venire, & in custodia vsuram facere triennij passus est, vino & ventre pecudum modo cicuratus. Antonius timidè quidem & lamentabiliter turpiterq;: prius tamen, quàm corpus suum in potestatem venit hostis, exitum sibi conciliauit.

SERE.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, D. FREDERICO SECVNDO,

Daniæ, Nordvuegiæ, Gotthorum, & Vuandalorum regi, duci Slesvuici, Holsaciæ, Stormariæ & Dithmariæ, comiti in Oldenborg & Delmenhorst, &c. Hermannus Cruserius S. D.



HRYSIPPVM ait in præfatione vitæ Arati Plutarchus, quòd vereretur dictum inauspicatum, vetus prouerbium inuertisse: ac pro eo, quod diceretur,

Quis patrem laudet, non felices nisi nati?

reposuisse:

Quis patrem laudet, bene felices nisi nati?

atque eam ob rem reprehensum fuisse ab Dionysodoro, qui verum reposuisset, Chrysippum. Ego verò Serenissime ac potentissime Rex, quamvis certa quadam ratione opinio non sit improbanda Dionysodori, longè arbitror dici tamen verius, quod posuit Chrysippus:

Quis patrem laudet, bene felices nisi nati?

Esto enim, vt dicamus aliquando, vbi filij à virtutibus parentis desciscunt: Heu quàm præstantis patris quàm fœdum filium, sæpius tamen ita dicunt homines: Etsi pater tuus M Antoni vir fuerit haud improbus, calamitatem tamen haud potuit reipub. adferre vllam grauiorem, quàm te quòd genuerit adeò profligatum filium. Fuisti tu quidem optimus M. Antonine imperator, verùm quòd filium successorem tam reliqueris tetrum Commodum, non potuisti reipub. consulere peiùs. Tales igitur filij maioribus suis etsi celebres fuerint, vita, quam turpiter egerunt, magnas offundunt tenebras. At quàm præclarum hoc: Ille maioribus suis virtute sua præluxit: vt si antè noti non fuerint, nunc innotescant. Nicocles fuit Atheniensis ad gloriam obscurior, at hic inclytum illum Græcis genuit Themistoclem. Pater humilis Ciceronis neque vllis clarus natalibus vel rebus gestis. hic tamen insigne illud vrbis Romæ lumen & miraculum edidit omnis virtutis & doctrinæ & eloquentiæ: vt beatos dicere vel hodiè compellamur eos, qui hosce filios extulerunt, parentes. Quare sunt multò magis perhibendi & extollendi illi, qui & præcellentes viri ipsi fuerunt, & stirpem propagauerunt præcellentem. Ita prædicatur cum suis præclaris factis Miltiades, tum felix habetur, qui Cimonem filium reliquit summum virum. L. Manlius etsi laudibus clarus suis, filij gloria Torquati multo excitatiùs radiauit. Nam cùm non existat nisi consummata in virtute vera felicitas, meritò in gloria sunt genitores ij, qui insignes virtute liberos reliquere. Iam vt ad parentes redundat filiorum laus, ita splendor recidit ad filios parentum: possuntq; hi esse illorum nomine gloriosi, præcipuè si non nudo titulo filij parentum efferant se, sed valeant etiam ornamentis relucere suis. quod si cui alij, tibi certè serenissime Rex licet, qui tam cumulatum habueris omni genere laudis parentem. Cùm enim haberent Dani regem diuturna iam nitentem regni possessione, atque splendidissimis nuptijs succinctum: qui quòd administrare videretur regnum durius, ideoq; populares administrationem eius non ferrent, vltrò regno cessit: auum tuum illi eius capti virtutibus asciuerunt, atque in regium soliũ collocauerunt. Qui cùm rex non esset, dignus est habitus tamen regno, & rex dictus principum & popularium suorum non sanè fefellit de se opinionem. Ita mox ab initio explicuit omne instrumentum virtutum suarum, vt omnem expectationem vicerit. Hic non inferiorem se reliquit. qui vt admotus sceptro est, regnum suum clementia & optimis institutis recreauit, viros eruditos amauit omnibq; est liberalitate prosecutus. Quibus rationibus ita excoluit regnum suum: vt quod acceperat horridum, reddiderit nitidissimum & humanissimum. Nec verò hîc constitit virtus eius, neque in toga modò fuit excellens: sed & bello appetitus ab hostibus & æmulis virtutis suæ tam sapienter prouidit rebus suis, tam fortiter obiecit se hostibus, vt & illos repulerit, & sibi suisq; securitatem pepererit & ocium. Constitutis iam rebus suis administrauit regnum ea prudentia & vigilantia, ita confirmauit vires suas, ita composuit ordines omnes, ea fide & integritate egit cum vicinis & externis principibus nationibusq;: vt cùm grauis bellorum procella & tempestas concuteret totam Germaniam, tuba in Dania non sit audita, omnia altissima ibi quiete conticuerint. Quæ quidem quamvis diuinæ clementiæ accepta ferenda sint: admirandus sit tamen ille, cuius ad id opus vsus ministerio deus est. Non dicam hîc de disciplina optimi principis domestica, quanta moderatione omnia ibi digesta: quàm libenter & multa, vbi feriari licebat à negocijs publicis, legeret, audiret, conferret cum doctis. Hoc dicam: cùm principem præstitisset se suis diligentissimum & lenissimum, bellatorem hostibus acerrimum, amicis integerrimum, omnibus hominibus constantem

atque immotæ fidei: decedens te optimè inſtitutum et ad ſuos formatum mores regni ſucceſſorem reliquit, cui ſalutem regni & commoda populi commendauit. Huic tu tanto ſuccedens genitori non leuia rudimenta poſuiſti regni tui. Siquidem illuſtris eſt apud omnes & celebris Dithmarienſis expeditio tua: qua iam diu rebelles & malè conſultos ad veteris imperij reſpectum feliciſſimè reduxiſti. In ea Maieſtatem tuam congruens & conſtans ad nos delata fama eſt cùm ſummam induſtriam operibus obeundis militaribus animumq́ imperterritum ad ſubeundum pericula præſtitiſſe, tum inſignis peritiæ bellicæ & prudentiæ imperatoriæ dediſſe documenta. Itaque virtutem & conſilium ſecuta meritò victoria eſt. Atque hoc partim ſapientiæ tuæ, partim felicitatis eſt. Quòd verò palma fuerit penè incruenta, & quòd reſipiſcentibus peperceris, neque extra aciem ſtrictus vllus gladius ſit, ſed facilè ignoueris ſupplicibus, ac lenißimus legibus in gratiam receperis: id eſt clementiæ tuæ: in qua nihil ſibi fortuna, nihil vendicant milites tui: verùm quicquid illud eſt, quod eſt certè maximũ, id totum tuum eſt. Gratulor ergo tibi ego clementiſſime Rex hanc lauream regniq́ auſpicia tam felicia, gratulor etiam atque haud ſcio an magis de tanta in rebus ſecundis moderatione. Iam illa, quæ ſunt conſecuta, eam victoriam amplificant mirificè. Expoſuit enim mihi doctiſſimus & candidiſſimus vir Albertus Knopperus I. V. doctor omninò paternis veſtigijs te ab hoc triumpho inſtitiſſe, eaq́ eſſe pleno ingreſſum gradu. Incumbere enim enixiſſimè te in virtutem & ordinem regni politicum fouendosq́ viros doctos: quos frequentes & eximios in omnibus artibus tam in aula in Academia tua alas ſuſtentesq́ liberaliter & honorificè: quorum alterum te beatum, alterum magis ac magis reddet decantatum & celebrem, regnum verò tuum politius efficiet ac ſplendidius. Rex Franciæ Franciſcus primus vna hac re, quòd prolixus fuerit in eruditos ac bene de literis ſit meritus, nomen ſempiternum parauit. Quantò expectare tu laudem maiorem debes ex virtutum cumulo tuarum reliquarum: quas perſecuturum te ac ſanctiſſimum parentem tuum repræſentaturum tãto iam dato abs te pignore omnes ſpondent? Atq́ his rebus efficis tu, rectè vt cenſeam dici:

Quis patrem laudet, bene felices niſi nati?

Qua ego quoque ſpe, incitante me & confirmante doctore Knoppero (deterrebat enim pudor me) auſus ſum partem operarum mearum, quas in Plutarchum Latinè reddendum poſui, Maieſtati tuæ dedicare: vt ſimul & virtutem tuam admirari & comprobare inſtitutum eiq́ me declarem applaudere, tum vt numinis tui ſplendore lucubrationes meæ illuſtrentur. Quia verò habet reges Plutarchus in viris illuſtribus ſuis vix tres commendabiles: ex his, quem tibi inſcriberem, deſumpſi potiſſimùm regem Perſarum Artaxerxem principem placidiſſimum. qui ſi quid titubauit, in eo titubauerit nonnihil fortaſſè, quòd plus ſatis fuerit lenis. Probauit etiam virtutem ſuam bello. Quia tamen geſſit pauca armatus, plurimum autem ocium & pacem coluit: ideo putaui eum præ cæteris congruere parentis tui moribus. Cæteri Plutarchi reges vel nimiùm proiecti ad bellum vel omninò ab eo fuerunt ſeiuncti. Adiunxi Artaxerxi regi imperatorem Achæorum Aratum bonum illum quidem bello virum, ſed meliorem pacis artibus & prudentia. Cum duobus hiſce inſignibus viris contendi improbatos imperatores duos Galbam & Othonem, minùs Galbam tamen: vt ex horum penè contrariorum collatione ſplendor magis eluceſcat virtutis & probitatis. Album enim magis videtur album, ſi compoſitum cum nigro fuerit. Quòd ſi ſtudium hoc meum probatum Maieſtati tuæ & gratum eſſe intelligam, ſumam animum ad reliquos labores meos in publicum edendos, atque ad magnam partem eorum nomini tuo auguſto conſecrandum. Vale sereniſſime Rex,

Campis.

ARTO.

Artoxerxes.



PRIMVS In Persarum regibus Artoxerxes, qui lenitate atque animi celsitudine præcelluit, Longimanus vocatus est, quòd manum dexteram haberet altera longiorem. Xerxis hic filius fuit. Secundus, de quo hîc agimus Mnemon cognomine illius fuit ex filia nepos. Nam Darij & Parysatidis filij quatuor fuere, maximus stirpis Artoxerxes, ab hoc Cyrus, minores his Ostanes & Oxathres. Ac Cyrus à Cyro Prisco nomen mutuatus est, illi à sole aiunt inditum: Cyrum enim vocare Persas solem. Artoxerxes antè † Arsicas dictus fuit, quamvis Oarsem ferat nuncupatum Dinon. Verùm Ctesiam, etsi alioquin absurdarum & insulsarum in libros suos variam fabularum colluuiem infarserit, haud probabile sit tamen appellationem fugisse, in cuius contubernio agebat regis medicus eius, vxoris, matris, & liberorum.

Artoxerxis Mnemonis genus.

Diodorus & Xenophon, Artaxerxem semper, Plutarchus Artoxerxem, vocat.

Cyrus, à sole dictus. Solē enim Persæ Cyrum vocant.

† Arsaces etiam dictus, quod fuit Parthorũ regum commune nomen.

Cyrus acri violento'que ingenio iam à prima ætate extitit. Mansuetior in omnibus alter & libidine esse naturâ videbatur mollior. Vxorem elegantem & probam parentibus iubentibus duxit & retinuit inuitis. Nam cùm fratrem eius interemisset rex, statuerat illam quoque de medio tollere. At Arsicas supplicibus precibus apud matrem agens multis'que lachrymis, tandem obtinuit, ne interficeretur illa, neque diuornium ipse faceret cum ea. Porrò mater magis exosculabatur atque ad regnum promouebat Cyrum. Vnde, vbi patre iam ægro accitus est, profectus ad aulam est à mari maxima spe, effecisse illam, vt successor regni declararetur. Etenim ratione nitebatur Parysatis speciosa, qua Xerxes fuerat vetus vsus suggerente Demarato Arsicam se priuato, regnanti Cyrum Dario peperisse. Non adduxit eum tamen in sententiam suam, sed ætate prior est designatus rex & transnominatus Artoxerxes: Cyrus verò Lydiæ satrapa & oræ maritimæ dux.

Cyri et Artoxerxis diuersi mores.

De hac controuersia, vide Iustinum lib. 2.

Artoxerxes rex designatur.

Mox sub Darij excessum rex Pasargadas perrexit, vt sacris regijs inauguraretur à sacerdotibus Persicis. Delubrum est Deæ bellatricis, quam Mineruam conijcias esse. Eò ingressum, qui inauguratur, stolam suam oportet ponere, & induere eam, quam Cyrus Priscus prius, quàm regno potiretur, gessit: & ficorum massam esse, tum terebinthum vorare, & calicem haurire lactis acidi. An quæ praeterea alia agant, cæteris est obscurum.

Regum Persarũ inauguratio.

Hæc cùm acturus Artoxerxes esset, adit eum Tissaphernes sacerdotem quendam adducens: qui in pueritia Cyri magister patriæ institutionis fuerat, atque artem magicam eum docuerat, ideo'que præter omnes Persas, quòd non creatus Cyrus rex esset, grauiter putabatur tulisse. Quocirca fides ei habita Cyrum criminanti. Detulit autem deliberatum illi esse in templo circumuenire insidijs regem: atque cùm vestem exueret, adoriri & obtruncare. Nonnulli ex hac delatione manus ei autumant iniectas: alij penetrasse quoque in templum Cyrum, indicatum'que cùm ibi lateret à sacerdote. Moriturum iam mater vlnis complexa ac capillo suo circumijciens colligans'que illius collum cum suo multis lamentis & obsecrationibus obtinuit ei veniam, effecit'que vt remitteretur ad mare.

Cyrus insidiatur fratri Artoxerxi.

Attende gestum mulieris blandientis marito.

Qui non acquiescens illa in prouincia neque indulgentiæ memor fraternæ, sed vinculorum, ira consultrice acrius quàm antè ad regnum gestiuit. Sunt qui dicant, cùm eum attributi in exhibitionem & cultum suum pœnituerer, desciuisse Cyrum à rege. cæterùm ineptiunt illi. Si enim nihil aliud, matrem certè habebat, cuius copijs vti, & sumere quantum vellet, de pecunia eius valebat, quæ ei nihil denegasset. Testantur opes eius mercenarij milites, qui multis locis, vt prodidit Xenophon, per amicos & hospites ei alebantur. Non contraxit enim illos, quòd consilium suum adhuc tegeret, cateruatim: sed alibi alios, qui varijs prætexnbus scribebant externum militem, habebat. Mater regis, quæ cum rege agebat, diluebat suspiciones, atque ipse semper obsequiosè scribebat Cyrus, quà postulans aliquid à rege, quà Tissaphernem recriminans, quasi æmulatio cum illo sibi & concertatio foret. Erat autem insita quædam regi tarditas, quæ vulgò lenitas ducebatur. Initiò enim mirè sectari Artoxerxis sibi cognominis visus est moderationem, blandiorem aditus se præbendo, atq; in largiendis pro merito honoribus beneficijsq; effusum, omni suppliciorum exactioni detrahendo contumeliam, exultando'que in accipienda

Artoxerxes facilis et benignus

gratia non secùs si dares quàm si acciperes, in dando hilarem se & benignum ostendendo. Donum enim erat adeo exiguum nullum, quod non illustri gratia exciperet. Imo verò cùm malum Punicum Omises quidam ei inusitata magnitudine obtulisset: Per solem, inquit, etiam vrbem vir hic, si ei concredita sit, ex pusilla citò reddat amplam. Dum alia alij offerunt: in itinere homo tenuis, cùm nihil subitò ad manum haberet, ad amnem cucurrit, haustam que manibus aquam obtulit ei. Ea re delectatus Artoxerxes misit ei phialam auream cum mille Daricis. Euclidæ Laconi multa verba præfractè apud ipsum effundenti iussit dicere tribunum: Tibi licet, quæ libet, ad me dicere: mihi & dicere & facere.

Tiribazis leuitas, & Artoxerxis liberalitas.

† Candys, regia vestis apud Persas.

In venatione monstrantem sibi Tiribazem † candyn suum laceratum, quid agendum esset, rogauit. Cùm subiecisset ille: Alium ipse indue, hunc mihi dona: ita fecit addens, hunc tibi Tiribaze dono, sed gerere interdico. Contemnens id Tiribazes (erat enim haud improbus, sed leuior & stolidior) cùm candyn illum confestim induisset, monilibus que aureis & muliebribus à rege donatis excoluisset se, stomachabantur cuncti. Neque enim fas erat. Atrex derisit eum & ait: Permitto tibi aurum gerere vt mulieri, & vestem illam vt insano. Mensæ regis præter matrem eius & coniugem nemo erat consors: quarum hæc infra, mater supra illum recumbebat: Artoxerxes etiam fratribus suis mensam participauit Ostaci & Oxabi ætate minoribus.

Artoxerxis vxoris humanitas.

Iam spectaculum gratissimum præbebat Persis vxoris eius Statiræ currus, qui velis detractis semper progrediebatur, fœminis que popularibus salutandi eam & adeundi faciebat copiam. Hinc regnum eius fauorabile ad multitudinem fuit. Cyrum verò nouatores homines que inquieti vt animo virum magnifico & insignem bellatorem & amicorum studiosum regno existimabant necessarium esse, atque imperij molem regem desiderare animosum & gloriæ cupidum.

Cyrus bellũ contra fratrem Artoxerxem suscipit.

Cyri promissa magnifica.

Igitur non minus Cyrus superiorum prouinciarum hominibus, quàm ijs, qui circa ipsum erant, fretus aggreditur bellum. Lacedæmonios per literas orat, vt auxilia & milites sibi mittant. quibus ostendit se largiturum, si pedestres venissent, equos: si equestres, bigas: si prædia haberent, vicos: si vicos, vrbes: stipendium militibus non annumeraturum, sed admensurum. Iactans autem se maiorem in modum etiam cor ait fratre se ferre grauius, doctiorem que philosophum & magum meliorem esse, vinum potare & ferre largiùs: illum verò præ timiditate & ignauia per venationes ne equo quidem, in periculis nec solio insidere. Ergo Lacedæmonij missa scytala præceperunt Clearcho, Cyro vt in omnibus morem gereret. Ita in regem mouit Cyrus. Habebat sub signis magnas barbarorum copias & mercede militantes Græcos paulo minus tredecim millia. Prætexuit alia ex alijs expeditioni suæ. Haud diu tamen regem fefellit, sed ipse regi nuncium Tissaphernes attulit. Vnde magnus motus occupauit regiam. Causa belli in Parysatidem penè tota conferebatur, vocabantur que in suspicionem & crimen amici eius. Maximè verò fatigabat Parysatidem Statira bello anxia & vociferans: Vbi nunc illæ sunt promissiones, vbi obsecrationes, quibus liberando fratris insidiatore bello nos & his miserijs demersisti? Hinc exosa Statiram Parysatis, & ingenio mulier in iram & vindictam fero barbarico que necare eam est molita.

Ctesias historicus reprehẽditur.

Quia verò per bellum Dinon hoc scelus prodidit patratum, Ctesias pòst: quem neque præterire tempus, cùm rebus agendis interfuerit, consentaneum est: neque causam habebat, cur eam rem vltrò innarrando, vt fuerat gesta, ex suo loco traijceret: quod crebrò ei in scribendo àccidit, vt à veritate excurrat ad vana & fabulosa: hæc, quem ille tribuit, habebit locum. Appropinquanti Cyro fama & rumores acciderunt non habere in animo statim prælio decernere regem, neque conserere cum eo manus properare: sed in Perside, dum copiæ eò vndique conuenissent, subsistere. Etenim fossam passus latam decem & totidem altam, longam stadia per campum quadringenta duxit. Intra hanc penetrare Cyrum, atq; non longè ab ipsa procedere Babylone permisit. Verùm cùm Tiribazes dicere ei princeps non dubitauisset non esse protrahendum conflictum, neq; Media Babyloneq; atq; adeò Susis cedentem abdere se in Persidem debere, qui exercitum habeat immenso quàm hostis ampliorem & decem millia satraparum ducumq; Cyro & consilio & virtute præstantiorum: maturauit quàm primùm acie decernere.

Artoxerxis copiæ: & disciplina militaris.

Qui vt primùm conspectus repentè est cum nouies centenis millibus militum splendidè adornatorum: hostes ex fiducia & contemptu incõpositè & sine armis agmen facientes perculit turbauitq;: vt cum tumultu & magno clamore ægrè in ordines eos Cyrus cogeret. Inde rex silentio & sedato gradu signa promouens agmi-

nis

nis tam compositi gratia obstupefecit Græcos, qui inconditos vlulatus, ingentem incompositam'que eorum fluctuationem & dissipationem tanto in numero expectabant. Iam scienter etiam Græcis currus falcatos validissimos quosque in fronte opposuit, vt impressionis vi prius quàm ad manus ventum esset, disiicerent eorum ordines. Quia verò pugnam hanc mandauere scriptis multi, eam'que Xenophon tantùm non subiicit oculis: ac gesta, non quasi acta sint, sed agantur, vbique proponit lectori, commouet'que eum ob perspicuitatem, vt si sit periculi socius: ea insanus sim si repetam, nisi quæ persequi ille omisit ad memoriam insignia. Igitur locus, vbi pugnatum est, Cunaxa vocatur, qui à Babylone stadijs quingentis distat. Cyrum, cùm ante prælium moneret eum Clearchus, vt pone Macedonum ordines se teneret, neque conijceret in alcam semetipsum, ferunt respondisse: Quid ais Clearche: Tu'ne iubes mihi, qui regnum affecto, regno me vt ostendam indignum? Offendit quidem Cyrus, quòd inconsultè in media ruerit pericula, neque discrimen declinauerit: non minus impegit Clearchus tamen, imò magis: qui Græcos regi locare ex aduerso noluit: sed dextrum cornu, ne circumueniretur, applicuit flumini. Nam securitatem vndequaque sequenti & præcipuè, nequid omninò acciperet incommodi, spectanti manere domi præstabat. Postquam verò spacium à mari tam immensum armatus erat emensus nemine vrgente, tantum quò Cyrum in solium regium collocaret: tunc locum & ordinem circumspicere, non vnde ducem seruaret & authorantem, verùm vbi positus securè dimicaret: id hominis erat, cui præsens formido consilia de summa rerum excussit, & qui officium prodidit ducis. Nam cohortes, quæ regem stipabant, non excepturas Græcorum impetum fuisse, quibus impulsis atque fugiente vel interempto rege incolumem victorem Cyrum futurum regnaturum'que ex ipso patet prælij euentu. Quapropter Clearchi potiùs cautio, quàm Cyri culpanda est audacia: quòd illa rem & Cyrum in præceps dederit. Si enim ipse, vbi locaret Græcos, circumspiceret rex, quò quàm minimum sibi detrimenti afferrent, locum non inueniret alium, quàm ab se sua'que cohorte remotissimum: ex quo neque victum senserunt se, & priùs trucidatus Cyrus est, quàm vlli vsui ei esset Clearchi victoria. Et quidem non fefellit Cyrum, quid è re foret, sed Clearchum in media acie consistere iussit. Qui cùm curæ sibi fore dixisset, vt quàm optimè se res haberet, euertit vniuersam. Profligauerunt enim quantum cupiebant Græci barbaros, ac terga cædentes longissimè insecuti sunt. Vehebatur Cyrus generoso equo, sed effræni & feroci Pasaca nomine, vt est author Ctesias. In eum præfectus Cadusiorum Artagerses inuectus est vociferans: Tu, qui præclarissimum in Persis Cyri nomen deformas hominum scelestissime & amentissime fortissimos viros Græcos itinere inauspicato ad diripiendas Persarum fortunas adducis, dominum'que & fratrem tuum speras interficere, qui infinitos habet te præstantiores seruos. Id mox experiere. Antè enim caput tuum hoc loco amittes, quàm faciem regis contempleris. Sic fatus iaculum in illum torsit. Cæterùm restitit validè lorica, nec vulneratus fuit Cyrus. Quia tamen grauis ictus accidit, intremuit. Cùm auertisset equum Artagerses, iaculo Cyrus ingesto, fixit eum, collum'que secundum clauiculam cuspide traiecit. Ac cæsum à Cyro Artagersem fatentur ferè omnes. At Cyri fatum, quia Xenophon simpliciter & strictim, vt qui ipse non interfuerit, percurrit: nihil sanè causæ est, quin ea, quæ prodidit Dinon, scorsum: inde, quæ Ctesias, referamus. Refert ergo Dinon, postquàm cecidit Artagerses, inuectum magna vi Cyrum in eos, qui frontem cohortis regiæ tegebant: equum regis vulnerasse, eum'que ex equo defluxisse. Cùm Tiribazes properè regem in alium equum imposuisset additis hisce verbis: Memineris rex huius diei, neque enim conterenda est obliuione: Cyrum admisso iterum in Artoxerxem equo concussum deturbasse. Ad tertium incursum irritatus rex præsentes'que affatus, satius sibi esse non viuere, infestus equum in Cyrum concitat temerè & cæco impetu in aduersa tela ruentem: ferit'que Cyrum ipse iaculo, ferit etiam cohors eius. Ibi Cyrus, vt nonnulli dictitant, cadit ictu regis: vt alij, ab homine Cate percussus, quem præmio rex huius facinoris donauit, vt in bello gallum aureum ex summa lancea perpetuò ante signa ferret. Etenim ipsos Caras Persæ gallos cristarum causa, quibus exornant galeas, appellabant. Ctesiæ narratio, vt breuibus multa perstringam, huiuscemodi est: Cyrus trucidato Artagerse equum in regem permisit, & hic in illum, silentio vterque. Occupat Cyri amicus Ariæus ferire regem, nec sauciauit eum.

Xenophontis historici laus.

Artoxerxis cũ Cyro fratre conflictus.

Securitati in bello quatenus consulendum.

Cyri equus, Pasaca.

Cyrus occidit Artagersem.

Cyri cædes.

Cares galeas cristatas gerũt, vnde etiam Galli dicti.

eum. Rex missa lancea à Cyro aberrauit, Tissaphernem autem fidum Cyro & fortem virum percussit atque interemit. Cyrus intorto per loricam regis iaculo vulnus pectori illius ingessit duos digitos altum. vnde ille ictus vi defluxit ex equo ad terram. Fuga & tumultu cohortis regiæ edito, rex assurgens cum paucis, inter quos fuit Ctesias, tumulum vicinum cepit, vbi tenuit se quietum. Cyrum inter hostes volitantem equus ferox longè abstulit, nec tenebris iam cognoscebatur ab hostibus, & ab amicis quęrebatur. Erectus autem victoria, ardoris'que & fiduciæ plenus per medios vehebatur hostes clamans: Cedite miseri. Dum hoc identidem lingua Persica clamat, pars venerabundi decedunt ei via. Ibi cùm tiara capiti eius defluxisset, prætercurrens adolescens Perses,

Cyrus vulneratur.

Mithridati nomen erat, tempus Cyri iaculo secundum oculum ferit inscius, qui sit. Eructante vim sanguinis vulnere captus Cyrus vertigine & sopore collabitur. Equus fugiens oberrabat. Stratum equi prolapsum capit comes illius, qui Cyrum percussit, sanguine redundantem. Cyrum ex plaga ægre tandem colligentem se assistentes eunuchi pauci alteri equo imposuere, quò eriperent eum. quem equitandi impotentem, pedibus'que connitentem ire sustinentes ducebant, corpore quidem ob vulnus in capite acceptum grauem cespitantem'que, sed victorem arbitrantem se, quòd fugientes audiret Cyrum regem alta voce appellantes, atque vt parceret ipsis orantes. Interea Caunij quidam homines tenues inopes'que, qui humilium ministeriorum gratia regis castra sequebantur, confusi fortè vt amici fuere cum illis, qui circa Cyrum erant. Hi vt tandem punicea sagula eorum aduertere, cùm regij haberent omnes candida, intellexe-

Cyri miserũ fatum.

runt hostes esse. Ita vnus eorum ausus est, ignarus qui esset, Cyrum iaculo à tergo ferire. Vulnerata poplitis vena prolapsus Cyrus tempus simul saucium ad saxum offendit, vnde animam exhalauit. Hæc Ctesiæ verba sunt. quibus quasi plumbeo gladio vix tandem interficiens hominem, eum sustulit. Quo iam fato functo regis explorator Artasyras fortè equo prætereuectus est. Hic eunuchos lamentantes agnoscens fidissimum ex his rogauit: Cui'nam huic Parisca, quem defleas, assides? Ille respondit: Non cernis exanimem Artasyra, Cyrum? Igitur Artasyras mirabundus confirmauit eunuchum & asseruare iussit cadauer. Ipse citato ad Artoxerxem cursu despondenti iam animum, & corpore grauiter tam siti quàm vulnere afflicto ouans renunciat mortuum suis oculis se Cyrum conspexisse. Ille verò primùm ipse è vestigio intendit eò pergere, atque Artasyræ iussit, vt ad locum duceret se. Cæterùm quia multus rumor de Græcis & timor erat, quòd fugientes dicerentur consectari & vndique victores esse atque profligasse suos: visum est complures speculatum mittere. Missi sunt triginta cum fa-

Artoxerxis sitis.

cibus. At regi tantùm non siti enecto eunuchus Satibarzanes circuncursitans potum inuestigauit. Quippe erat locus ille sitiens, & procul distabant castra. Tandem incidit in vnum ex Caunijs illis egenis, qui sordido in vtriculo aquam putridam & vitiosam habebat ad octo heminas. Hunc arripit atque ad regem portat. Cùm totum exhausisset rex, quæsiuit de eo: num'ne magnam nauseam mouisset ei potus? Ille per

Artoxerxes sitiens, aqua putrida epota, dicit se nunquam bibisse suauius.

deos iurauit, nec vinum vnquàm iucundius se potasse, nec aquam vel leuissimam & limpidissimam. Itaque si minus ego, inquit, hominem, qui eam tibi dedit, inuenire, vt parem referam ei gratiam, valeam: deos precor, vt beatum & opulentum efficiant. Interea recurrerunt triginta illi alacres atque exultantes, insperatam'que ei felicitatem annunciauere. Iam multitudine quoque denuò ad eum confluentium & coëuntium fultus de colle ad crebra lumina descendit. Vt astitit cadaueri atque ex

Persarum mos in bello.

lege quapiam Persarum dextra caput'que à corpore detruncata fuere: caput eius adferri iussit, coma'que prolixa & spissa correpta fluctuantibus adhuc atque in fugam effusis ostendit. Obstupuerunt illi, eum'que adorauerunt, atque ita breuì L X X. millia militum aggregauerunt ad eum se, vnaq; in castra rediere. Eduxerat, vt Ctesias author est, in aciem quadringena millia: Dinon & Xenophon multò plures fuisse, qui confluxere, memorant. Inito cæsorum numero Ctesias nouem millia capitum relata perhibet ad Artoxerxem: Sibi verò non minus X X. millia visos, qui ceciderant. Ve-

Ctesiæ mendacium.

rùm hæc in controuersia fuere. Illud verò iam Ctesiæ nobile est mendacium, qui se cum Zacynthio Phayllo & quibusdã alijs missum refert ad Græcos. Nam Xenophontem non latuit agere in regis contubernio Ctesiam. Siquidem meminit eius, & constat hosce libros eum voluisse. Quare nuncium eum & tantæ fuisse legationis interpretem non præterisset tacitum. Phayllum Zacynthium nominauit. Sed mirè scilicet ambitiosus Ctesias, nec seciùs Laconum & Clearchi studiosus passim in historia aliquas

sibi

sibi ipse attribuit partes. in quibus cùm est, multa & præclara de Clearcho commemorat & de Lacedæmone. Secundum prælium eximia dona & maxima Artagersis, qui à Cyro fuerat interemptus, filio misit. Magnificè etiam Ctesiam cæterosq; honorauit. Præterea reperit Caunium illum, qui vtriculum dederat. hunc ex obscuro & inope celebrem reddidit & lautum. Præstitit & in sontibus plectendis se moderatum. Siquidem Arbaci cuidam Medo, qui in conflictu perfugerat ad Cyrum, mox perempto illo se receperat ad ipsum, timiditatis & ignauiæ notam inurens non proditionis vel improbitatis imperauit, vt nudum collo impositum equitantis modo scortum per integrum diem circumferret in foro. Alteri, qui præter transitionem mentitus fuerat duos hostes se obtruncasse, iussit tribus acubus traijci linguam. Cùm verò arbitraretur & omnium hominum vellet existimationem & sermonem esse interfectum ab se Cyrum: Mithridati, qui Cyrum sauciauerat primus, dona misit præcepit'que ijs, qui dona ferebant, referre: Hisce te præmijs rex ornat, quòd stratum equi, quem inuenisti, retuleris ei Cyri. Cari quoque, à quo in poplite Cyrus vulneratus occubuit, præmium flagitanti nunciare, quos misit cum dono, iniunxit: Hoc donum tibi rex, quòd secundus felicem nuncium ei attuleris mandauit dari. Princeps enim Artasyras, secundum illum tu Cyri excessum attulisti. Ac Mithridates cum offensione tacitus abscessit. Miserum Carem idem, qui stolidos solet, tenuit morbus. Quippe præsenti gestiens fortuna, inductus'que statim ad asserendum ea, quæ supra sortem suam erant, dedignatus est oblatum prosperi nuncij præmium accipere: sed fremuit testans deos clamitansq; ab nullo Cyrum alio quàm ab se peremptum: qua gloria immeritò se spoliari. Quibus relatis maiorem in modum exarsit rex, ac ceruicem homini abscindi imperauit. Assistens autem mater regis: Tu verò noli permittere, inquit, Carem hunc nefarium tam leui defungi pœna, sed mercedem à me recipiet temeraria lingua dignā sua. Permittente ei rege iussit carnificibus Parysatis, vt abriperent hominem, ac per dies decem excruciarent, inde oculis effossis in aures feruens æs instillarent, dum expiraret. Miserè item perijt breui pòst ex insolētia sua Mithridates. Inuitatus ad cœnam, cui & regis & eius matris eunuchi intererant: accessit ad conuiuium veste & auro, quę acceperat à rege, comptus. Inter epulandum ille, qui inter Parysatidis eunuchos poterat apud illam plurimum, affatur eum: Vt elegantem hanc tibi vestem Mithridate rex donauit, elegantes etiam torques & armillas, iam pretiosum acinacem: quibus beatum te & omnibus reddidit suspiciendum. Temulentus iam Mithridates: Quæ hæc sunt, inquit, Sparamixe? Nempe maiora ego & præclariora, quo die conflictum est, sum meritus à rege. Cui arridens Sparamixes: Nihil equidem, infit, inuideo Mithridate. verùm, quoniam aiunt Græci in vino veritatem esse: quid præclari sodes aut magni est equo delapsum inuenisse stratum, atque hunc retulisse? Id non, quò rem ignoraret, iactauit: sed vt id præsentibus arbitris ille effutiret, loquacis & impotentis iam ex vino sui stimulabat leuitatem. Igitur non temperauit, quin iaceret: Vos, vt libet, pileos iacite & eiuscemodi quisquilias. Ego disertè vobis affirmo interfectum hac manu Cyrum. Neque enim vt Artagerses iaculum torsi irritum & vanum: sed paululum aberraui ab oculo, fixo'que & traiecto tempore illum prostraui: quo ex vulnere interijt. Hîc cæteri exitum iam & funestam sortem cernentes Mithridatis in terram oculos deiecere. At conuiuator: Heus tu, inquit, Mithridate bibamus nunc & epulemur regis fortunam adorantes. Verba forte nostra maiora valeant. Inde sermonem Parysatidi indicat eunuchus, illa regi. Rex ira flagrauit, quasi reuinceretur, pulcherrimum'que & iucundissimum amitteret victoriæ decus. Volebat enim omnibus barbaris & Græcis persuasum, in impressionibus & concursibus cùm inferret & acciperet plagam, hinc se vulneratum fuisse, hinc se Cyrum interfecisse. Itaque necari Mithridatem scaphis iussit. Est id supplicij huiuscemodi genus: Scaphas duas inter se congruentes accipiunt. In alteram supinum eum, qui pœnæ est destinatus, locant. inde inducunt alteram & coaprant ita, vt caput, manus, & pedes exerantur, reliquum sit inclusum corpus. tum cibum homini præbent. quem si reijciat, compellunt eum oculos fodicantes sumere. A' cibo mel & lac confusum ei ad potum infundunt. tum ad solem obuertunt assiduè oculos eius, vt incubantium examine muscarum tota integatur facies. Cùm aūt intus faciat, quæ homines, qui edunt & bibunt, necesse habent: tineæ & lumbrici ex tabe & putredine excrementorū proueniunt. à quibus corpus in viscera penetrantibus cōsumitur. Postquàm cōstat expirasse hominē, ablata superiore scapha carnem cernunt corrosam,

&

Artoxerxes quē admodum bene meritos & ignauos honorauit & mulctauit.

Cyri interfectorum punitio.

Parysatidis crudelitas.

In vino veritas, prouerbium.

Scapharum supplicium apud Persas.

& eiuscemodi vermium examina mordicùs affixorum visceribus eaq; adedentium. Ad hunc modum Mithridates septendecim dies tabescens tandem interijt. Supererat Parysatidi, quem peteret, ille qui caput & manum Cyri præciderat, †. Masabates regis eunuchus. Hic vbi ansam dedit ipse aduersus se nullam, hanc technam est in caput eius Parysatis commenta. Fuit cætera ingeniosa sua sponte mulier & alea ludendi artifex. Quare ante bellum crebrò cum rege ludebat alea, & post bellum restituta in gratiam eam familiaritatem non declinabat regis: vt & cum eo luderet, atq; amorum conscia administraq; in ijs & adiutrix esset: ac planè minimam eius fruendi & cum eo consuetudinem habendi Statiræ faciebat copiam, cùm supra omnes illi infesta, tum plurimum ipsa affectans apud regem posse. Igitur cùm captasset aliquando languentem ocio Artoxerxem, prouocauit eum ad alea in mille Daricos ludendum: ac vincere iactu ei permisit repræsentauitq; argentum. Simulans autem dolere ac pungi victam se, petiuit: vt de integro aleam iacerent de eunucho. Gessit ei morem ille. Pacti, vt quinos vterq; reciperet fidissimos: ex reliquis, quem victor legisset, vt daret victus: hac lege luserunt. Cùm intēta esset atq; in ludum incubuisset, præterea cecidisset ei feliciter alea, victrix Mesabatem sumit: neq; enim de exemptis erat: & prius, quàm quid ageretur, odoraretur rex: tradidit eum carnificibus, viuumq; præcepit excoriari ac corpus transuersum in tres sustolli cruces, & pellem seorsum palo suffigi. His actis cùm accensus rex in eam stomacharetur, illa cum risu cauillata: Hominem iucundum, inquit, & egregium: qui senis improbi eunuchi excandescis gratia, ego mille alea perditis Daricis taceo & acquiesco. Ita rex impositum sibi esse dolens obticuit. At Statira cùm aliàs apertè illam oppugnabat, tum hæc ferebat molestè: quòd eunuchos & regi fideles crudeliter violenter'que Cyri causa interficeret. Postquàm Clearchum aliosq; duces interposito iureiurādo circumuenit Tissaphernes, comprehensosq; & vinculis astrictos ad regem misit: rogatum refert se à Clearcho Ctesias, vt pectinis copiam sibi faceret. Quo accepto curasse eum caput, oblectatumq; pectinis vsu, & annulum suū amicitiæ mutuæ ad necessarios & familiares Lacedæmone suos insigne sibi dedisse. Insculptas in pala fuisse * Caryatidas saltantes. Cibaria, quæ Clearcho mittebantur, à concaptiuis militibus interuersa & consumpta, pauca verò ex illis relicta Clearcho. Cui rei etiam refert se remedium Ctesias adhibuisse effecisseq;, vt copiosiora mitterent Clearcho, ac militibus separatim præberētur alia: atq; hęc sumministrasse & suppeditasse ex beneficio & sententia Parysatidis. Cùm mitteretur quotidiè Clearcho inter cibaria perna: orasse ipsum Clearchum ac subiecisse, modicum pugionem vt in carnem conditum clàm sibi mitteret, neq; sineret, vt regis fata sua paterent atrocitati: cæterùm abnuisse metu se. Regem deprecanti matri pro Clearchi incolumitate iureiurando annuisse: verùm impulsu inde Statiræ cunctos fuisse ab eo præter Menonem trucidatos. Hinc Statiræ tetendisse Parysatidem insidias, virusq; ei concinnasse. Verùm parum probabilia adfert & coniuncta cum absurda causa, facinus admisisse adeò nefarium atq; in periculum sese præcipitauisse Parysatidem Clearchi gratia sustinentem iustam regis coniugem liberorumq; consortem ad regnum educatorum necare. Cæterùm non obscurè exaggerat hæc ad Clearchi commendandam memoriam. Etenim attexit hoc quoq;, duces obtruncatos cæteros fuisse à canibus & alitibus laniatos, Clearchi cadaueri venti procellam cumulum terræ excitasse atq; iniecisse corpori idq; contexisse. quo loco enato palmeto breui eximium nemus excreuisse ac locum eum inumbrasse. itaq; magna ductum pœnitentia regem, quòd virum dijs charum peremisset Clearchum. Parysatis ergo cùm odium iam inueteratum atq; æmulationem concepisset in Statiram, cernēs potentiam suam à rege se reuerente & honorante proficisci, illius verò amore & fide stabilem firmamq;: instruxit ei insidias, de summa, vti arbitrabatur, aleam iaciens. Ancillam habebat fidam, quæ plurimum apud ipsam poterat, Gigim dictam. quam administram veneni Dinon tradit fuisse, consciam modò inuitam Ctesias. Illum, qui venenum dedit, hic Belitaram appellat, ille Melantam. Instituentes autem ex superioribus suspicionibus ac simultate congredi denuò & vnà cœnare, cum metu tamen & cautione ijsdem epulis atque ab ijsdem vtebantur paratis. Nascitur apud Persas exigua auis, quæ omni caret excremento, habetq; intestina omnia adipe differta: vnde vento arbitrantur & rore hoc animal viuere: Ryntaces dicitur. Hanc autumat Ctesias cultello, quem altero latere illeuerat toxico, dissecuisse Parysatidem atque infecisse alterā partem veneno: partem synceram & puram ori ingestam ipsam mandisse, Statiræ verò dedisse virulentam. Dinon non Parysatidem, sed Melantam medicatas carnes secuisse cultro & Statiræ apposuisse,

Marginal notes:

† Paulò pòst nominatur hic Mesabates.

Parysatis ingeniosa mulier, & ludendi alea docta.

Parysatidis dolus et crudelitas.

Clearchi & aliorum ducum cædes.

** Caryatidas, Castora & Pollucem intelligunt quidam.*

Ctesiæ vanitas.

Artoxerxis mater Statiram vxorem eius veneno necat.

Ryntaces auis Persica omni carēs excremēto.

posuisse. Cùm animam igitur magnis cum cruciatibus & doloribus ageret mulier: & ipsa olfecit maleficium, & suspicionem regi aduersus mattem attulit feritatem illius & animum implacabilem cognoscenti. Vnde quæstioni extemplò intentus ministros matris & structores corripuit ac tormentis lacerauit. At Gigim diu Parysatis in cubiculo suo tenuit, deposcentiq; denegauit regi. verùm pòst orante illa, vt domum nocte dimitteretur: certior factus locatis insidijs comprehendit Gigim, eam'que rei capitalis damnauit. Legitima pœna veneficis apud Persas hæc infligitur. Saxum est latum: cui capita illorum imponentes altero saxo feriunt & elidunt, quoad contuderint faciem & caput. Ad hunc modum perijt Gigis. Parysatidem Artoxerxes nullo nec verbo nec facto læsit, nisi quòd petentem relegauerit Babylonē adijciens, quoad superesset illa, non visurum se Babylonem. Ita res Artoxerxis domi se habebant. Vt verò rex adductos à Cyro Græcos, quos non minùs elaborauerat in potestatem suam redigere, quàm vincere Cyrum & regnum retinere, non potuit capere: sed imperatore amisso Cyro ducibusq; suis ex ipsa propè emerserunt regia, detegentes & reuelantes Persarum & regis res vim auri esse & luxum & mulieres, cætera fastum ac minas: cùm tota se erexit Græcia & despexit barbaros, tum Lacedæmonij turpe duxerunt, nisi tunc certè incolentes Asiam Græcos seruitute eximerent, atque ab illorum assererent contumelijs. Ac primùm vbi duce Thimbrone, deinde Dercyllida arma in Asiam promouentes nihil memorabile gesserunt, præfecere bello regem Agesilaum. qui transportato protinus in Asiam exercitu rebus gerendis intentus magnum nomen comparauit. Tissaphernem fudit fugauitq;, & ciuitates ad defectionem impulit. His actis aduertens Artoxerxes, quemadmodum gerendum bellum esset: Rhodium Hermocratem magna vi auri instructum misit in Græciam mandans, vt corrumperet illos quorum summa esset in ciuitatibus authoritas, bellumq; in Lacedæmonios totius Græciæ conciret. Id exequente Hermocrate, potentissimisq; ciuitatibus conspirantibus, atque conturbata Peloponneso, Agesilaum reuocauerunt ex Asia magistratus Lacedæmoniorum. Quo quidem tempore ferunt decedentem apud amicos dixisse, tribus millibus sagittariorum ex Asia se à rege expelli. Sunt enim nummi Persici sagittario signati. Lacedæmonios etiam mari summouit Cononis Atheniensis cum Pharnabazo ductu. Siquidem Conon in Cypro post prælium nauale ad Aegos flumen egit, non securitatem sectans, sed rerum conuersionem sicut in mari æstus operiens reciprocationem. Qui quòd videret sua consilia viribus, & regis vires viro prudente egere: ad regem misit de rationibus suis epistolam, quam tabellario iussit potissimùm Zenone interprete Cretensi vel Polycrito Mendæo reddere (Horum fuit Zeno saltator, medicus Polycritus) qui si abessent, Ctesia medico. Fama est hunc accepta epistola Cononis scriptis eius adiecisse, vt Ctesiam quoque ad se mitteret ad res maritimas conducibilem. Ctesias verò regem ait sua sponte hoc sibi muneris iniunxisse. At postquàm obtēta per Pharnabazum & Conona apud Gnidum nauali victoria maritimo imperio exuit Lacedæmonios: conuertit ad se penè totam Græciam, adeò vt celebrem illam pacem Græcis, quæ appellata est Antalcidia, quibus vellet conditionibus daret. Fuit Antalcidas Spartiates Leontis filius. Hic regis studiosus effecit, vt ei vrbes Græcas & insulas, quæ contribuuntur Asiæ, permitterēt Lacedæmonij pace cum Græcis facta vectigales possidere: si probrum Græciæ & proditio pax appellanda est, qua bellum nullum fœdiorem victis attulit exitum. Vnde Artoxerxes, qui à cæteris Spartiatis semper fuit auersus, homines numerans eos esse, vt ait Dinon, omnium impudentissimos, profectum in Persidem impensè complexus est Antalcidam, coronamq; vnam ex floribus factam in pretiosissimum demersit vnguentum, eamq; ex cœna Antalcidæ misit. quem fauorem omnes admirati sunt. Cæterùm erat meo iudicio dignus ille, quicum rex ageret licenter, & qui talem coronam acciperet: qui inter Persas Leonidam & Callicratidam saltauit. Nam Agesilaus quidem ad eum, qui dixit: Miseram Græciam, vbi Lacones nobis cum Medis sentiunt: Minimè, inquit, sed sentiunt cum Laconibus Medi. Atqui maculam rei nō detersit illius dicti festiuitas: sed imperium improspera pugna apud Leuctra perdidere, gloriamq; insuper Spartæ illo effudere fœdere. Quovsque ergo in primatu Græciæ Sparta fuit, hospitem habuit & amicum suum nominauit Antalcidam. Vt verò ad Leuctra fusi Lacedæmonij sunt, afflictiq; eguerunt pecunia, atque idcirco Agesilaum in Aegyptum miserunt: Antalcidas autem ad Artoxerxem perrexit oratum, vt Lacedæmonios pecunia iuuaret: ille vsque eò neglexit, despexitq; eum & reiecit petitionem: vt regressus, quòd videret se ho-

Veneficorum pœna apud Persas.

Lacedæmoniorum cum Persis bellum Agesilao duce.

Artoxerxes eijcit Lacedæmonios mari.

Pax Antalcidia

Antalcidas honoratus ab Artoxerxe.

Antalcidæ mors.

stibus esse ludibrio, & metueret insuper ephoros, vitam inedia finierit. Contenderunt etiam ad regem Thebanus Ismenias & Pelopidas iam acie Leuctrica victor. Cæterùm nihil hic admisit turpe. Ismenias, cùm adorare regem iuberetur, annulum ad pedes suos humi abiecit, quem inclinato sustulit corpore. vnde existimauerunt eum regem adorasse.

Timagoras Atheniensis ab Artoxerxe corruptus.

Timagoræ Atheniensi, qui per Belurim scribam epistolam miserat ad ipsum de rebus arcanis, lætus mille Daricos donauit, & lactis bouini valetudinis causa indigenti boues octoginta dedit ad mulgendum: quæ eum comitabantur. Adhæc lectum ei, vestem stragulam, & stratores, quasi rudibus ad sternendum Græcis, misit: baiulos item, qui ad mare infirma valetudine affectum deportarent. Cœna quoq; præsenti lautissima missa. Vnde frater regis Ostanes: Memineris, inquit, huius Timagora mensæ. Neq; enim leui de causa ita tibi instructa apponitur. Ea improperatio proditionis potius, quàm beneficij erat suggestio. Harum sordium nomine Timagoram capitis damnauerunt Athenienses.

Artoxerxes occidit Tissaphernem.

At Artoxerxes pro omnibus calamitatibus, quas intulit Græcis, rem vnam gratam fecit: quòd inimicissimũ eis & infestissimum Tissaphernem interemerit. Interemit eum Parysatide delatas aduersus eum exacuẽte calumnias. Neq; enim iræ rex diu inhæsit, sed placatus acciuit matrem: quòd ingenio & animo ad regnum regendum videret præditam: neq; causa vlla iam subesset, quamobrem suspectarent in cõsuetudine aut offenderent sese mutuò. Deinceps in omnibus illa regi obsecundando, neq; vlli rei, quam hic agebat, refragando authoritatem apud eum nacta est, atq; omnia assecuta. Animaduertit autem alteram filiam eum Atossam perditè amare, verùm morbum sui ipsius causa vehementer habere occultum & comprimere, vt nonnulli dictitant: quamvis intercederet iam ei tecta cum virgine consuetudo. Vt igitur in suspicionem puella Parysatidi venit: cœpit eam magis quàm antè fouere, atq; apud Artoxerxẽ extollere, formamq;

Artoxerxes filiã Atossam ducit.

& mores eius vt regalis & præclaræ puellæ. Deniq; vt duceret puellam, suasit ei, ac legitimam coniugem faceret Græcorum existimatione & legibus contemptis. Legẽ Persis ipsum à deo, honestiq; & inhonesti datum normam. Sunt tamen qui dicant, ex quibus Cymæus est Heraclides, non vnam hanc tantùm filiam suam Artoxerxem, sed alteram etiam matrimonio sibi iunxisse Amestrim, de qua mox dicemus. Atossam vsq; adeò dilexit pater matrimonio sibi coniunctam: vt cùm esset vitiligo corpus eius depasta, nihil quicquam fuerit ea re offensus: sed Iunonem supplex pro ea vnã adoraret ex dijs, manibus tellurem contingens: & donorum tantã vim iussu eius satrapæ & amici mitterent: vt interiecta inter fanum & regiam sexdecim stadia auro, argento, purpura, equis afflue- rent. Porrò cùm bellum ducibus Parnabazo & Iphicrate mouisset Aegyptijs, ob illo-

Artoxerxis in Cadusios expeditio.

rum dissensionem res fuit infecta. Cadusijs ipse intulit bellum C C C. millibus peditum & decem equitum. Regio eorum est salebrosa & nebulosa, sementisq; & frugum infœcunda: pyris verò syluestribus, pomis, & alijs id genus fructibus homines bellicosos ferocesq; alit. In hanc delatum graues difficultates & discrimina imprudentem excepere. Nihil enim illic sumere erat commeatuum, neq; aliunde importare. Iumentis modo tolerabant se, vt caput asini vix L X. drachmis venale esset. Deficiebant iam regem commeatus. pauci autẽ equi adhuc reliqui erant, cæteros in cibo consumpserant. Ibi Tiribazus,

Tiribazus seruat Artoxerxẽ cũ exercitu, stra tegemate.

qui crebrò locum apud regem virtutis causa obtinuerat primum, crebrò ob leuitatẽ eò deiectus, tunc verò abiectus cõtemptusq; erat, regem & exercitum seruauit. Nam apud Cadusios cùm essent duo reges, vterq; autem haberet seorsum castra: adijt Artoxerxem. cui postquàm, quid pararet, aperuit: ipse ad alterũ Cadusiorum regem est profectus, ad alterum clàm filium misit. Vterq; vtriq; imposuit alterum demonstrans missis ad Artoxerxem legatis amicitiã & societatẽ soli sibi quærere. Quare si saperet, faciundum ei, vt præuertat, adiutorẽ se ei in omnibus fore. His ambo fidẽ habuere: & quia inuidiam mutuam habebãt suspectã, alter cum Tiribazo legatos, cum Tiribazi filio alter misit. Cùm mora intercederet, in grauẽ opinionẽ & calumniã venit apud regẽ Tiribazus. Concide- rat animo rex, pœnitebatq; eum, quòd fidẽ Tiribazo adiunxisset, & prębebat aures eius æmulis. Adfuit Tiribazus tandem, adfuit quoq; filius eius. qui Cadusios adduxere. Fœdus etiã & pax cum vtroq; cõposita. Itaq; celsus iam Tiribazus & magnificus regressus

Artoxerxis virtus.

est cum rege. qui omnẽ demonstrauit ignauiã & mollitiã non ex delicijs & luxu, vt vulgus arbitratur, oriundã: sed ex improba & degenere, quæ prauas sequatur opiniones, naturâ. Neq; enim aurũ vel candys, vel X I I. milliũ talentorum regis corpus circumiectus mundus retinebat à laboribus eum & ærumnis instar militũ gregariorũ subeundis: verùm pendẽte ex humero pharetra parmã ferens primus ipse vias montosas & arduas di-

mote

moto equo scandebat. Vnde cæteri illius alacritatē & robur conspicientes volucres fiebant & expediti. Etenim stadiorũ iter quotidiè plus ducentorũ conficiebat. Vt ad diuersorium quoddā regiũ descendit, vbi eximij erāt & magnificè instructi horti viuariaq; ferarum: cùm circumiecta regio nullis arboribus vestita & nuda rigeret gelu, concessit militibus: vt ex hortis atq; viuarijs arbores cæderent ac lignarentur, neq; picea abstinerent vel cupresso. Dubitantibus illis & temperantibus propter pulchritudinē & proceritatē arborum, correpta ipse securi maximā & præstantissimā arborē strauit. Hinc lignantes & frequentes pyras excitantes cōmodam noctem transegere. Multis tamen & fortibus viris desideratis, equis autē penè omnibus reuersus est.

Artoxerxis in milites suos indulgentia.

Quòd verò vilescere se ob aduersam fortunā & rem infeliciter bello gestā existimaret: cœpit habere principes suspectos, multosq; ex ira, plures ex metu necauit. Quippe timiditas in tyrannide funestissima est, placidus & mansuetus & suspicione liber animus fortis. Vnde immites & maximè indomitæ feræ meticulosæ sunt pauidæq;, generosæ ex audacia cōfidentiores non declinant consuetudinē hominum, vel eorũ attrectationem.

Timiditas in tyrannide funestissima.

Porrò grauior iam ætate Artoxerxes aduertit certamen filios de regno apud amicos suos & primores habere. Siquidem æqui qui erant, censebant eum debere, vt ipse ceperat, ita relinquere præcipuũ tanquàm maximo natu debitũ Dario regnum. Minimus natũ Ochus, qui ardenti erar & violento ingenio, habebat quidem in regia non paucos suffragatores, sed maximè sperabat interprete Atossa patris se voluntatē paraturum. Illam enim nuptiarũ spe & obtinendi post parentis fata consortij regni ostensa obseruabat. Fuit autē fama occultam ei stupri cum illa consuetudinē etiam viuo intercessisse patre. verùm id Artoxerxem fefellit. Mox, quò spem præcideret Ocho, ne si eadem atq; Cyrus designasset, bella certaminaq; ex integro regnum suum premerent, Darium annos natum quinquaginta designauit regem, & citarim quam vocant gestare directā ei permisit.

Artoxerxes designat Darium filium regem.

Lex erat apud Persas, vt designatus donum peteret: & daret, qui designauerat, modò fieri posset, quicquid esset petitum. Igitur poposcit Darius Aspasiam, quam Cyrus fuerat vnicè amplexus, & erat illa ea tempestate regis pellex. Phocensis genere fuit ex Ionia parentibus orta ingenuis atq; educta liberaliter. Ea cùm ad cœnā Cyri esset inter alias mulieres introducta, cæteræ accumbentes alludente illo & contrectante ipsas salesq; iaciente comitatem eius lætæ exceperunt. Illa lecto astitit tacita, accersentiq; non paruit Cyro. Parantibus adducere ipsam cubicularijs: Væ ei, inquit, mihi qui admouerit manus. Igitur infestiua præsentibus & inurbana est visa. At Cyrus delectatus risit, dixitq; ei, qui mulieres adduxerat: Ecquid iam aduertis hanc te mihi solam liberā atq; intactam adduxisse? Ex eo cœpit propensus in eam esse, amauitq; eam supra omnes ac sapientem appellauit. Capta fuit, cùm Cyrus in prælio occubuisset, & diriperentur castra eius. Hanc Darius cùm petisset, momordit patrē.

Aspasia pellex regis Persarum

Barbari enim in amoribus graui æmulatione præditi sunt: vt non ille modò, qui appellauerit & attigerit regis pellicem, verùm etiam, qui propiùs in itinere præterlatus fuerit & præuectus, quibus portantur, plaustra, capite luat. Quanquam autē haberet Atossam, quam contra leges duxerat vxorē, aleret insuper sexaginta & trecētas præcellentissima forma concubinas: postulatus illā tamen, liberā ait esse: acciperet eam ipsius voluntate, vim ne adferret inuitæ. Accitā Aspasiā, vbi præter expectationē regis elegit Dariũ, dedit quidē ei ex legis necessitate, sed datā paulo pòst eripuit. Nā quò reliquā vitā transigeret in cælibatu, eam Dianę, quæ Ecbatanis colitur, quam Anitim vocant, sacerdotem legit: non acerbam existimans, sed modicā se iocularīamq; hāc de filio sumpturũ vindictā.

Barbari riualē non patiuntur in amore.

Atqui non tulit id ille modicè seu Aspasiæ amore permotus, seu probro affici se & ludibrio ducens haberi à patre. Ita affectũ Tiribazus considerans impendio magis inflammauit, in illata huic iniuria agnoscens illā, quæ fuerat sibi illata ex huiuscemodi occasione: Filias rex complures habebat. ex his Pharnabazo Apamam despondit, Rhodogunen Oronti, Tiribazo Amistrim. Cæteris autē collocauit eas, Tiribazum verò delusit: quòd sibi ipsi matrimonio iunxerit Amistrim, cuius loco pactus est Tiribazo minimam Atossam. Vt verò hanc quoq; impulsus amore, vt suprà retulimus, duxit: semel incensus in eum est Tiribazus, nec aliàs moribus solidus, sed temporalis & vecors.

Tiribazus incēdit Dariũ in patrem Artoxerxem.

Vnde nũc acceptus inter primos regi, nunc ingratus & inuisus nullam vicissirudinem moderatè ferebat: verùm vbi in honore erat, nemo tolerabat hominis insolentiam: vbi in ordinē redactus, non summissum se gerebat neq; pacatũ: verùm ferox & elatus erat. Igitur oleũ igni additũ, cùm stimularet assiduè adolescentē Tiribazus, iactaretq; nihil erectam in capite citarim prodesse his, quos illa cooperit, si erigere non quærant ipsi res suas: nec, cùm re-

Tiribazi mores

gno inhiet frater ipsius, vel cùm parens tam insulso & inconstanti ingenio sit, firmam sibi successionem duceret existere. Qui enim mulierculæ Græcæ gratia fixã apud Persam circumuenisset legem, ei nequaquam fidendum esse maximarum rerum fœderibus staturum. Non perinde esse Ocho non assequi, atque ipsi spoliari regno. Ochũ enim, quin beatè viuat priuatus, neminem interpellaturum: ipsi regi renunciato regnare necesse esse, aut ne viuere quidem fore integrum. Nempe vbiq; obtinet fortasse Sophocleũ illud,

Propera malorum suada promouet pedem.

Darius parat Artoxerxi patri insidias.

Trita est enim & prona ad id, quod volumus, via. Volunt autem pleriq; ob bonorum imperitiam & ignorationem mala. Enimverò regni amplitudo & formido de Ocho Darij materiam dedit Tiribazo. Nec venus fuit vndequaq; insons Aspasiæ oblatio. Tiribazo ergo totũ se dedit. Vbi frequentes iam coniurârunt: consiliũ detexit regi eunuchus. qui etiam rationẽ rei gerendę exactè cognouerat, statuisse eos nocte in thalamũ regis irrumpere, & obtruncare quiescentẽ. Audienti hæc contemnere tantum periculũ, & delationem negligere graue videbatur Artoxerxi: credere verò nullo intercedente indicio, grauius.

Artoxerxis consilium in deprehendendis sibi à filio structis insidijs.

Quare sic facit: Eunucho imperat, vt se adiungat adhæreatq; illis. Ipse cubiculi parietem pone lectum excindit, aperitq; in eo ianuam, quam tapetibus velat. Instante hora atq; indicato per eunuchum tempore remansit rex in lecto, neq; antè exurrexit, quàm ipsa ingressorum inspexisset ora, atq; vnumquemq; exactè cognouisset. Vt districtis gladijs vidit eos irrũpentes: remouit properè aulæam, atq; in cubiculũ interius coniecit se, foresq; cum clamore illisit. Percussores igitur cùm ab eo conspecti essent, re infecta eiecerunt se ianua. Tiribazo, quòd compertus esset, suaserunt vt reciperet se. cæteri diuersi fugam arripuere.

Tiribazi cædes

Tiribazus, dum comprehenditur, multos interfecit regis satellites. Ipse ægrè tandem iaculo eminùs ictus cecidit. At Dario cum liberis attracto regios iudices tulit. Quia verò noluit interesse ipse, sed alios accusatores apposuit: præcepit scribis, vt cuiusq; sententiã scriberent, & ad se referrent. Vt vna sententia Dariũ omnes capitis damnauerunt, ministri correptum in propinquũ carcerem deduxere.

Darius damnatus interficitur.

Quò carnifex accitus venit cum nouacula, qua sontium capita decîdunt. Qui vt Dariũ conspexit, obstupefactus recessit ianuã respectans: quasi non posset neq; sustineret homicida esse regis. Cæterùm iudicibus foris minitantibus ei & pręcipientibus reuersus coma eius altera manu arrepta in terrã prostrato ceruicẽ nouacula dempsit. Aliqui factũ rege præsente asserũt iudicium: ac Darium, vt probationibus cõuictus fuit, in faciem se abiecisse, supplicemq; orasse regem: illũ verò insensum surrexisse, strictoq; acinace eum percussisse, quovsque expirauit: inde progressum in aulã solẽ adorasse, ac dixisse: Abite læti Persæ, alijsq; nunciate magnũ † Oromazẽ de ijs, qui nefanda & detestabilia conceperant, repetiuisse pœnas. Hunc exitũ coniuratio habuit.

† Id est, solem.

Artoxerxis liberi.

Erat iam Ochus spe celsus, quem erigebat Atossa. cæterùm metuebat adhuc ex iustis regis filijs reliquũ Ariaspẽ, & ex cõcubinis natorum Arsamem. Ariaspes, non quia ætatis prærogatiua superabat Ochũ, sed ob mansuetudinem & candorẽ & humanitatẽ rex à Persis flagitabatur. Arsames verò habebatur cordatus, eumq; patrẽ habere in oculis non erat clam Ochum.

Ochus fratres suos perdit.

Itaq; vtrumq; insidijs appetens, qui subdolus iuxtà & sanguinarius esset, ingenij crudelitate in Arsamẽ, dolo & versutia vsus est in Ariaspem. Submisit ad hunc regis eunuchos & amicos, qui assiduè minas aliquas patris & sæua dicta ei afferrent, ac statutũ illi esse crudeliter & contumeliosè ipsum necare. Qui cùm hæc indies indicare ei pro arcanis viderentur, ac partim deinceps, partim iamiam id exponerent regẽ patraturum: ita hominẽ perculere, in tantamq; trepidationem, consternationẽ, & desperationem coniecerunt, vt veneno letali parato & hausto vitam deponeret. Intellecta rex mortis eius ratione defleuit illum & causam suspectauit: sed quia per senectutẽ excutere eam & quærere nequiuit, magis magisq; amplexus est Arsamem, nec obscurè tulit ei imprimis fidere, atq; omnia in sinu eius deponere. Vnde Ochus non protraxit rem, sed subornauit filiũ Tiribazi Harpatẽ. hoc administro illũ interemit. Erat iam tum ob exactam ætatẽ Artoxerxes in mortem præceps, vt paruo momento esset ad id opus, atque hac Arsami clade oppressus ne paulisper quidem durauit:

Artoxerxis regis mors, & vitæ prolixitas.

verùm ilicò luctu & mœrore extinctus est anno ætatis quarto & nonagesimo, regni sexagesimo secundo. Clemens habitus est & popularium amans, præcipuè ob filium Ochum, qui sæuitia & atrocitate omnes superauit.

ARA.

Aratus.



ETVS Prouerbium Polycrate veritus meo iudicio dictum inauspicatum philosophus Chrysippus, nõ vti erat, sed vt ipse probabat, scripsit:

Quis patrem laudet, bene felices nisi nati?

Hunc coarguens Dionysodorus Troezenius verum reponit, quod sic habet:

Prouerbij explicatio.

Quis patrem laudet, non felices nisi nati?

Ac demonstrat ijs, qui per se illaudati sunt, vestiunt autem se maiorum quorundã virtutibus, insolescuntq́ue illorũ laudibus, hoc obstrui prouerbio os. At cui sponte generosa ex maioribus indoles dedit, vt ait Pindarus, sicut tibi, vt ad praeclarissimum domesticorum exemplorum vitam componat: huic felicitas sit meminisse praestantissimorum auorum suorũ audienti semper de ijs aliquid & referenti. neq́ue peculiaris hic penuria decoris ex alienis laudibus aucupatur gloriam, sed sua cum illorum copulans, tanquam stirpis & vitae duces celebrat. Vnde ego quoque ciuis tui & proaui vitam Arati, quem neque tua propria laude neque authoritate deformas, tibi conscriptam mitto: nõ quin omnium diligentissima tibi cura ab initio fuerit illius res gestas cognoscere: sed vt filij tui Polycrates & Pytocles in exemplis adolescant domesticis partim audiendo partim legendo, quae aemulari illos decet. Est enim sibi placentis, non virtutum amantis omnium se semper ducere praestantissimum.

Maiorum exempla posteris quatenus prosint.



ICYONIORVM Ciuitas, vt primùm ex syncero & Dorico optimatium principatu sicut confuso concentu in seditiones & concionatorũ ambitiones impegit, non destitit aegrotare & tumultuari tyrannũ ex tyranno mutans: quoad interfecto Cleone principes Timoclidã & Cliniam legere viros in primis inter ciues claros & authoritate pollentes. Cùm iam videretur aliquatenus composita resp. Timoclidas fato functus est. Abantidas verò Paseae filius tyrannidem affectans obtruncauit Cliniã, amicosq́ue eius & familiares partim in exilium egit partim contrucidauit. Quaesiuit etiam filium eius septennem relictũ de medio tollere Aratum. Caeterùm in domestico tumultu vnã cum fugientibus puer elapsus, pallansq́ue per vrbem trepidus & auxilio destitutus forte fortuna in domum clàm recepit se mulieris, quae Abantidae soror erat Prophanto Cliniae fratri nupta nomine Soso. Haec, quòd animo esset generoso, diuina forte puerum existimans ad se confugisse, domi eum abscondidit, mox clàm noctu dimisit Argos. Ita Arato, cùm furtim fuisset ereptus, & deflexisset periculũ, statim ingenitũ est & cum eo adoleuit feruidũ odiũ & ardens tyrannorum. Cùm ingenuè educaretur Argis in hospitũ & amicorum paternorum contubernio, corpusq́ue insurgere in bonum habitum & proceritatem videret, ad meditationẽ contulit se palaestrae. Itaq́ue quinquertionem certauit coronasq́ue obtinuit. Elucet nimirum & in simulachris eius figura athletica, vultusq́ue grauis & maiestatis plenus non diffitetur athleticam voracitatem & ligonem. Vnde minus forsitan, quàm in viro in republ. versaturo requirebatur, ad dicendum incubuit: licet festiuiorem in dicendo eum fuisse, quàm quibusdam videretur, iudicant ex commentarijs, quos obiter & in transcursu verbis obuijs properans reliquit. Pòst Dinias & Aristoteles dialecticus Abantidam solitũ, cùm disputationibus vacarent in foro, semper esse praestò, eorumq́ue se immiscere concertationibus: vbi in id studij coniecerunt eum, structis insidijs interfecere. Pasea autem Abantidae patre postquàm ei in dominatum successit, dolo perempto inuasit tyrannidem Nicocles. Hunc germanissimũ facie Periandro Cypseli autumãt fuisse, vt Alcmaeoni Amphiarai Orontem Persem, Hectori adolescentem Lacedaemonium, quem tradit Myrsilus ab spectantium caterua fuisse, vbi id intellexerunt, obtritum. Vbi tyrannidem Nicocles tenuit menses quatuor, quibus afflictam ab se grauiter penè amisit per Aetolorum insidias vrbem: iam adoleuerat Aratus, ingentiq́ue existimatione ex nobilitate erat & spiritibus, qui effulgebant, non exiguis neq́ue ignauis: sed qui solidi ac supra aetatem securioribus fulti consilijs essent. Vnde exules imprimis in illum conijciebant oculos, neq́ue Nicocles ea, quae ageret, negligebat: verùm speculabatur & obseruabat secretò conatus e-

Sicyoniorum resp. in tyrannidem.

Aratus puer euadit tyranni manus.

Aratus tyrannorum osor.

Arati forma, & commentarij ab eo conscripti.

Aristoteles Dialecticus.

Similium inter se virorum aliquot paria.

ius, nõ ille quidem, quò vllum facinus vereretur tale, actum've aut cœptum tam audax: sed quòd eius cum regibus amicis atque hospitibus paternis colloquia haberet suspecta.

Aratus aggredi tur liberare à tyrannide patriã.

Ecdelus philosophus & miles.

Etenim Aratus reuera illam instituerat viam. Cæterùm quia negligebant & corrumpebant promissa Antigoni tempus, spes verò ab Aegypto & Ptolemæo longinqua erat: statuit tyrannum per se opprimere. Consilium cum Aristomacho & Ecdelo primis consociat. Horum superior exul Sicyonius erat, Ecdelus Arcas Megalopolitanus philosophus & impiger, Arcesilai Academici quondam Athenis auditor. Quibus alacriter rem comprobantibus conuenit cæteros exules. quorum pauci deserere eam spem erubescentes socios se præbuere cœptorum: magna verò pars Aratum etiam vt rerum imperitia ferocientem annisi sunt retrahere. Dum deliberat sedem aliquam in agro Sicyonio occupare, ex cuius præsidio bellum moueat tyranno: ecce ciuis Sicyonius effracto carcere Argos venit. Erat hic vnius exulum Xenoclis frater. Hic ad Aratum à Xenocle adductus muri locum demonstrat, quo transcenso ipse euaserat, intus penè planum esse, nec multò terra editiorem saxosæ regioni & excelsæ cohęrentem: externum autem fastigium scalis non perinde arduum superatu. Quæ vt intellexit Aratus, mittit cum Xenocle ad murum explorandum duos ex seruis suis Seutham & Technona certus, si res facultatem haberet, clàm vnoq́ periculo properè omnẽ aleam iácere potius, quàm diuturno bello & aperto Marte congredi priuatus cum tyranno. Vt Xenocles cum seruis reuersus inita muri mensura naturam renunciauit loci non inaccessam nec asperam, sed latere in aggrediendo id operosum esse asseruit propter hortulani cuiuspiã catellos paruos quidẽ, verùm mirè pugnaces implacabilesq́: extemplò suscepit negociũ.

Arati apparatus ad liberandam patriam.

Arma autem vsitatũ erat parare. quòd omnes ferè tũc furtiuis in se mutuò excursionibus vterentur. Scalas verò Euphranor mechanicus fecit: quòd detraheret ei omnẽ suspicionẽ artificium. Nam erat hic quoq́ exul Sicyonius. Viros ei amici, quos habebat Argis, singuli ex paucis denos præbuere. insuper de seruis suis triginta armauit. Adhæc opera Xenophili principis grassatorũ conduxit paruã militũ manũ. apud quos dissipatus sermo est expeditionẽ suscipi in fines Sicyonios ad diripiendũ equas regias. Vulgus diuersis itineribus in Polygnoti turrim præmissi, atq́ ibi iussi operiri. Caphesias quoq́ expeditus cũ quatuor alijs pręmissus est. His iniunctũ, vt sub tenebras pergerent ad hortulanũ, viatores se esse ferentes. quò cùm diuertissent, ipsum includerent cum canibus. Neq́ enim alius transitus patebat. Scalæ solutiles erant. Has in achanas (genus mensuræ est frumentariæ apud Persas & cistæ etiã) coniectas contectasq́ in plaustris præmisere. Inter hæc cùm speculatores aliquot Argis Nicoclis cõparerent & circuncursitare tectè dicerẽtur,

Arati strategema, quo tyranni fallit speculatores.

atq́ asseruare Aratũ: orta luce progressus & ostendens se cum amicis in foro deambulauit. Hinc vnctus in gymnasio, abductis ex palæstra nonnullis adolescentibus, qui potare secum & feriari solebant, domum est digressus. Mox conspecti sunt serui eius per forum, hic coronas ferens, ille emens faces, alius cum mulierculis in conuiuio psallere & tibia canere solitis colloquens. Hæc cùm exploratores omnia contemplarentur, ludificati sunt, atque inter se cachinnantes dixerunt nihil meticulosius tyranno esse, quando etiam Nicocles tanta succinctus vrbe & viribus adolescentem paueat in delicias & compotationes diurnas exilij viaticum effundentem. Atque illi hoc modo circumscripti discessere. At Aratus protinus à prandio egressus ac cum militibus ad Polygnoti turrim cõiunctus mouit in Nemeam: vbi cœpta sua detexit multitudini. Primum promissis eos onerat & cohortatur, datoq́ signo Apolline dextro procedit ad vrbem ad lunæ circumactionẽ modò iter cõcitans modò remittẽs. Ita lumine in via vtitur, atq́ occumbente ea ad hortũ venit prope mœnia. Hic occurrit ei Caphesias. qui caniculos nõ comprehenderat, ꝙ præuertissent profugere, sed incluserat hortulanũ. Consternatos plerosq́ monentesq́, vt se reciperet: cõfirmauit Aratus recepturũ se ostendens, si magnoperè molesti ipsis canes essent. simul illos qui ferebãt scalas, præmittit: quos Ecdelus & Mnasitheus ducebãt. ipse sensim sequitur latrantib. iam vehemẽter catellis sectantibusq́ Ecdelũ.

Arati difficultates dum liberat patriam.

Adeunt murũ tamẽ, scalasq́ sine periculo admouent. Subeuntib. primis ille, qui vigiliã matutinã tradebat, transibat illac ad tintinnabulũ multaq́ lumina & strepitus erãt sequentiũ eum. Illi in scalis quieti cõtraxerunt se, atq́ ita hos nõ magno negocio fefellere. Cæterùm alia statione huic ex aduerso aduentãte in extremũ venere discrimen. Quã cùm pariter prętereuntẽ effugissent, cõfestim cõscenderũt primi Mnasitheus & Ecdelus, viasq́ ex vtraq́ muri parte hinc inde insidẽtes misso ad Aratũ Technone significauerunt ei, vt maturaret. Non multum erat ab horto interualli ad murum & tur-

rim, in qua canis venaticus grandis excubabat. Hic, vel quòd sua sponte esset torpidus, vel pridie defatigatus, non sensit scandentes murum. At catellis hortulani infernè eum excitantibus primùm cæcum & obscurum reddidit latratum, inde illis prætereuntibus magis intendit, tenebatq; frequens iam latratus locum: vt remotior excubitor elato clamore venatorẽ percunctaret, quem nam tam asperè allatraret canis, & numquid noui? Ille ex turri respondit alta voce, nihil mali esse, sed canem ad stationis lumẽ & strepitum tintinnabuli lacessitum. Hoc potissimùm Arati milites roborauit: quòd venatorem arbitrarentur conscium rem tegere, atq; esse alios in ciuitate, qui cœpta adiuuarent, multos. At enim muto succedentium ingens fuit periculum, & mora eos occupauit: q scalæ, nisi subirent singuli seorsum, vibrarent: tempusq; vrgeret cantantibus iam gallis, & quòd iam iam adfuturi essent, qui ex agro aliquid erant ferre ad forum soliti. Quapropter maturauit Aratus scandere murum, cùm quadraginta solùm ante eum euasissent: acceptisq; insuper ex ijs, qui infrà stabant, paucis domum tyranni & prætorium petijt.

Aratus capit Sicyonem.

Illic enim vigilias mercenarij milites agebãt. Quos cùm repentè adortus comprehendisset cunctos, neq; quemquam occidisset: confestim ad amicos misit diuersos, qui ex ædibus quemque excirent. Vt hi vndiq; concurrère, iam lux appetebat, & theatrum cœtu erat completum ad incertum rumorem etiamnum suspenso, neq; quicquam certi, quid ageretur, cognoscente: quousque tandem progressus præco pronunciauit Aratum Cliniæ filium ciues ad libertatem vocare. Tunc fidentes adesse id, quod iamdiu expectauerant, agmine contenderunt ad fores tyranni, subijcientes faces ædibus. vnde flamma ingens edita atq; conspicua Corinthum vsque flagrante illius domo, vt obstupescentes Corinthij penè ad ferendas suppetias effuderint se. Nicocles autem occultè per cuniculos elapsus ex vrbe euolauit. Milites verò postquàm cum Sicyonijs restinxerũt ignẽ, domum eius diripuerunt. neq; id prohibuit Aratus, ac reliquas quoque tyrannorum facultates concessit ciuibus. Porrò nemo occubuit, vel omninò vulneratus fuit ex aggressoribus vel hostibus, sed syncerũ & purum a ciuili sanguine fortuna hoc facinus conseruauit.

Aratus liberat patriam sine ciuili sanguine.

Reduxit exules, qui eiecti ab Nicocle fuerant, octoginta: qui tyrannorum dominatu superiorum non minus quingentos, qui diu & ferè quinquaginta annos fuerant palati. Horum plerique reuersi inopes pristinas possessiones suas vendicauerunt, ingredientesq; prædia & domicilia sua in magnas difficultates coniecerunt Aratum. qui foris peti insidijs & inuidiosam esse Antigono libertatis causa cernebat ciuitatem, concitari verò intus & seditione agitari. Quare quod in præsentia visum optimũ factu est, associauit eam Achæis: & quia Dorij erãt, in nomẽ haud grauatim & remp. transierũt Achæorum. qui ea tempestate nec dignitatẽ eximiã nec magnas vires obtinebãt.

Aratus Sicyonẽ coniungit Achæis.

Nam ferè exigua oppida incolebãt, agrum neq; vberem neq; latũ possidebãt, et mare accolebant importuosum littore ferè saxoso cõtinenter pulsans. Verùm hi clarissimè robur esse Græcorũ ostenderunt intolerabile, quoties ordine & concordia constitutũ ducẽ sit prudentẽ nactum. Qui cùm veterũ Græciæ florentiũ virium essent in nulla propè censendi parte, atq; id temporis vnius non æquarent potentiã mediocris ciuitatis: recto consilio et consensione, & q principi virtute inducere in animũ possent non inuidere, sed auscultare & obtemperare, nõ solùm in medio sese ciuitatũ & viriũ tantarũ tyrannidumq; in libertate retinuere: sed assiduè etiã plerosq; alios Græcos in libertatem asseruerunt & cõseruauerunt. Moribus fuit Aratus politicus, celsi animi, attentior ad remp. quàm priuatã, hostis acer tyrãnorum, inimicitias & amicitias semper ex bono publico metiebatur.

Aratus ad remp. omnia referebat.

Quod in causa est, vt non tam amicus firmus, q̃ facilis & lenis inimicus videatur fuisse, reip. causa hinc inde pro tempore varians. Consensio gentiũ, societas ciuitatum, conuentus, & theatrum vnã mittebat vocem amatorem eum q̃ virtutis, esse nullius. Ad bellum & certamen timidus atq; animo imbecillis apertè committendum, ad vrbes verò & tyrannos clàm surripiendos contechnandosq; insidiator callidissimus. Quapropter eum, qui præter expectationem præclarè multa, quæ tentare fuit ausus, confecit: non pauciora apparet, quæ effici poterant, minus audendo deposuisse. Non tantùm enim animantiũ quorundam meo iudicio perspicax noctu est oculorum acies, interdiu verò cæcutit ariditate & subtilitate eius, qui in oculis est humoris, qui cõsortij luminis est impatiens: verùm etiam solertia est quædam hominis & prudentia in sole ac foro natura trepida, ad facta tecta clancularia q; animosa. Hanc inconstantiam efficit in bonis ingenijs doctrinæ inopia philosophicæ: quæ virtutem sicut fructum spontaneum & incultum citra doctrinam effert. Cæterùm elucebunt hæc per exempla. At Aratus postquàm se

Cur noctuæ interdiu minus, noctu magis peruideant.

Homines quidã noctuis similes, philosophiæ inopia.

ciuitatemq; suam coniunxit Achæis, equo merens à magistratibus obedientiæ causa dilectus est. ꝙ quamvis tantas accessiones reip. dedisset, nomen suum & pat.:iæ vires: obsequentem tamen se vt gregarius aliquis exhiberet prætori annuo Achæorũ, quicunq; is, siue Dymæus, siue Tritensis, siue ex minore fortè oppido foret. Allata etiam fuit ei pecunia dono à rege Ptolemęo viginti quinq; talenta. Hanc cepit quidem Aratus, sed acceptã egenis ciuibus suis cùm in alia, tum ad redimendos captiuos dilargitus est. Quia verò placari non poterant exules, qui prædiorũ suorum possessores fatigabant: venit ciuitas in periculum extremũ exitij. Quare vnicam spem videns Ptolemæi liberalitatem, perrexit nauigare & rogare regem, vt argento sibi ad cõciliandam ciuitatem suã subueniret.

Arati ad Ptolemæũ profectio.

Soluit ex Metone supra Maleã, vt illinc cursum faceret. Gubernatore aũt acri vento ingentes voluenti ex pelago fluctus permittente nauem ablatus ægrè Adriã decurrit oppidum hostile. Siquidem tenebatur ab Antigono & præsidium habebat: quam maturans deuitare egressusq; naui relicta recessit, procul à mari atq; eum vnus comitatus amicus est Timanthes. Hi cõiecerunt se in locum nemorosum, vbi duriter noctẽ transegere. Mox superueniens præsidij præfectus Aratũ inuestigauit. verùm deceptus est ab illius seruis: qui docti erant dicere modò eum profugisse atq; in Eubœam vela fecisse. nauem tamen cum onere & famulitio eius hostilẽ declarauit & retinuit. Paucis pòst diebus cõsilio destituto Arato offertur forte fortuna nauis Romana, quæ ad eum locum appulit: quò nunc speculatum ascendebat, nunc causa sui recondendi degebat. Ea nauis cursum habebat in Syriam. Hanc cõscendit inducto nauclero, vt vsq; ad Cariam deportaret se. Iactatus est aũt periculis iterum in salo haud minoribus. Ex Caria verò transuectus longo spacio in Aegyptum regem conuenit iampridem sibi beneuolũ, quòd picturis & tabulis Græcis eum honoraret. In quibus quia iudicium habebat Aratus non inscitũ, assiduè aliquid ei, quod artificio & elegantia præstaret, Pamphili imprimis & Melanthi colligens & comparans mittebat.

Pictura Sicyonia, præstantissima olim.

Florebat enim gloria etiam tum Sicyoniæ artis & elegantis picturæ, velut quæ nitorem retineret sola illibatum. vt vel Apelles ille iam celebris eò se contulerit: ac quò consuetudinem aliquandiu cum illis viris haberet, talentum ijs mercedis dederit: vt in existimationis magis quàm artis eorum veniret societatem. Quapropter imagines Aratus cæteras tyrannorũ, cùm liberasset ciuitatem, sustulit.

Aristrati tyrãni imago picta, deq; ea abolenda Arati cõsultatio.

De Aristrato, qui viguit Philippi æuo, diu deliberauit. Pictus fuit ab omnibus Melanthi asseclis, currui triumphali, quo vehebatur victoria, assistens Aristratus: cui tabulæ, vt Polemon Periegetes memorię prodidit, manum apposuit Apelles. Erat opus nobile, adeo vt flecteretur ab arte Aratus, rursus tyrannorum odio stimulatus detrahi præcepit tabulam.

Nealcis pictoris de tyrannis dictum.

Ibi pictorem Nealcem perhibent Arati amicum lachrymabundũ pro tabula deprecatum: Vt eum non mouit, ibi cum tyrannis dixisse bellum gerendum, nõ cum imaginibus tyrannorum. Omittamus igitur, inquit, currum & victoriam, ipsum tibi præstabo Aristratum ego, vt tabula cedat. Quod cùm permisisset Aratus, expunxit Nealces Aristratum. Eius loco palmam subiecit. Nihil aliud ausus fuit adijcere. Pedes deleti Aristrati, delituisse ferũt sub curru. Ob hæc ergò fuit regi Aratus charus, cognitusq; ab eo longè magis animum eius deuinxit sibi,

Ptolemæi in Aratum liberalitas. Cicero lib. 2. de Offic.

accepitq; dono ciuitati suæ centum quinquaginta talenta. ex quibus quadraginta statim secũ auferens in Peloponnesum nauigauit. Reliqua per portiones diuisa misit deinceps ei rex minutatim. Erat igitur magnificum vel tantũ ciuibus argenti parasse cuius exigua portione alij duces & concionatores accepta redempti à regibus ius violabant, addicebant se obnoxios, patriasq; suas propinabant. Enimverò magnificentior hac pecunia fuit comparata pauperibus cum diuitibus reconciliatio concordiaq;, populo autem vniuerso salus & securitas.

Arati moderatio.

Iam suspicienda erat illius tanta in potentia moderatio. Siquidem creatus ad exulum querelas componendas disceptator cum libera prorsus potestate & arbitrio non suscepit id solus, sed allegit sibi quindecim ciues. quibuscũ multo labore & ingenti negocio cõfecit ciuibus inter se concinnauitq; amicitiã atq; concordiam. Quorũ gratia non publicè modò tota ciuitas meritis honoribus remunerauit eum, verùm etiam exules priuatim statuam ei ex ære posuerunt. cui hoc elegium inscripsere,

Arati elogium.

Consilia & pugnæ tum virtus nota Pelasgis
Herculis ad cippos innotuere viri.
Fiximus in patriam sed nos tua signa reducti
Iustitiæ memores dulcis Arate tua

Propitijs

Propitijs superis seruatoris. tua enim illa
Fortuna leges restituis patriæ.

Antigonus rex calumnias struit Arato.

His rebus gestis inuidiam quidem ob beneficia Aratus ciuilem vicerat. Rex verò Antigonus anxius eius causa, cupiensq́ vel traducere totũ beneuolentia ad se, vel ab eo alienare Ptolemæum, cùm aliam munificentiam satis abhorrenti ostendit, tum dijs Corinthi sacrificans portiones misit Sicyonem ad Aratũ, ac super cœnã multis accumbentibus in mediũ locutus: Censebam, inquit, iuuenem hunc Sicyoniũ ingenio esse liberali tantùm ac ciuiũ suorum cupidũ: verùm videtur morum etiã & negociorũ idoneus iudex esse regiorũ. Quippe antè despiciebat nos ex spe suspẽsus externa, opesq́ stupebat Aegyptias, elephantos, classes, aulas audiens. Nunc postq̃ interiùs omnia ibi contemplatus est tragœdiã esse & vmbrã, totum se ad nos aggregauit. Ac iuuenẽ ipse cõplector, statuiq́ opera eius vbiq́ vti. & vobis iubeo, vt pro amico eũ habeatis. Ex hisce verbis capta ansa inuidi & maleuoli certauerũt inter se scribendis epistolis, multaq́ & grauia Ptolemæo de Arato significauerunt. vnde misit ille expostulatũ cum eo. Atq́ exoptatis his & flagrantibus, ad quas magno ardore contenditur, regum & tyrannorũ amicitijs tantũ coniunctũ erat liuoris & malignitatis.

Arati in prima pretura res gestæ.

At Aratus prætor primùm ab Achæis creatus obiectam Locridem & Calydoniã populatus est. Bœotijs verò decẽ millibus militũ suppetias ferens venit post pugnã, qua ab Aetolis fuerũt ad Chæroneã fusi. Vbi Abœocritus Bœotarches cum mille militibus Bœotijs cecidit.

Arati pretura II.

Insequenti anno iterũ prætor factus Acrocorinthũ instituit occupare: nõ quò Sicyonijs prospiceret vel Achæis tantùm, sed quòd cõmunem totius Grçciæ dominatũ Macedonũ præsidium exigere inde deliberaret. Chares enim Atheniensis, cùm victoriã acie quadã de regis Persarũ ducibus reportasset, scripsit populo Atheniensi pugna se Marathoniæ germana victoriam reportasse. Hoc verò factũ non erraueris, si Pelopidæ Thebani & Thrasybuli Atheniensis excidio tyrannorum nuncupes germanũ: nisi quòd hactenus hoc, quia non contra Græcos, sed contra aduentitium & peregrinũ dominatum est perpetratum, excellat. Nam Isthmus intercludens maria hoc loco continentem nostrã connectit & committit.

Acrocorinthus.

Acrocorinthus autem excelsus mons ex media exurgens Græcia, vbi præsidio insessa est, impedit & excludit vniuersam, intra Isthmum quæ sita est, cõmercijs & transitu & expeditionibus & negociationibus terra mariq́. quorũ habet vnus arbitrium præfectus, & qui eam arcem præsidio tenet: vt non ioco Philippus minor videatur, sed verè solitus Græciæ cõpedes Corinthiorum vrbem appellare. Itaq́ locus ille cùm omnibus in oculis erat, tum semper regibus & dynastis. Antigoni verò cupiditas illius potiundi non concedebat insanissimorum amorum motui. Quippe totus ijs cogitationibus erat intentus, quemadmodum dolo illum adimeret obtinentibus. nam tentare apertè vanũ erat.

Antigoni dolus.

Igitur Alexandro, cuius in manu erat arx, sublato ab eo, vti fama tenebat, venenis Nicæã vxorem eius, quæ res administrabat & stationem in Acrocorintho habebat, ilicò Demetriũ filiũ ad eam submittendo ac lætam spem ostentando regiarum nuptiarum & connubij (nec ingratum hoc erat mulieri ætatis prouectioris colloquium) cepit filio in eam quasi esca aliqua adhibito. Cæterùm quia locũ illa non dimittebat, sed acri sepiebat custodia: floccifacere hunc fingens nuptias eorum Corinthi celebrauit, ludosq́ edidit, & conuiuia agitauit quotidiè: vt qui maximè ad ludos & ocium animum ex lætitia & hilaritate laxet. Vbi tempus fuit, vt cantaretur in theatro carmẽ Onœbæum, ipse Nicæam ad spectaculum in lectica regaliter adornata deduxit exultantẽ eo honore & remotissimam ab eo, quod impendebat. Vt ad diuerticulũ peruenit viæ, quę ad arcem fert: iussit illam præire ad theatrum. Ipse salutem cantori, salutem nuptijs dicens Acrocorinthũ pręter ætatem connitens scandit.

Antigonus occupat Acrocorinthum.

Vbi obseratã offendit portam, baculo pulsans aperiri præcepit eam. Statio obstupescens aperuit. Ita loco potitus non potuit sibi moderari, quin inter tibicinas in vijs & foro exultãs præ gaudio potaret, coronasq́ in capite gestãs senex & tantis rerũ versatus voluminibus cõmessaretur, complecteretur q́ & salutaret obuios. Ita supra mœrorẽ & timorẽ aufert agitatq́ mentẽ oblatũ sine ratione gaudiũ. At verò Antigonus occupatũ, vt est suprà dictum, Acrocorinthũ sepsit præsidio cùm aliorũ, quibus maximã fidẽ habebat, tum Persæũ philosophũ imposuit præfectũ.

Arati coeptũ ad occupandũ Acrocorinthum.

Aratus verò Alexãdro adhuc superstite eã arcẽ aggressus est capere: verùm societate inter Achæos & Alexandrũ inita destitit. tunc verò aliã de integro cõsilij sui occasionẽ accepit huiuscemodi: Erãt Corinthi fratres quatuor origine Syri, quorũ vnus nomine Diocles in arce stipẽdia

faciens

faciens degebat. Tres alij intercepta regia pecunia Sicyonem se ad argentarium cõtulerunt Aegiã, cuius opera vtebatur in scriptura Aratus. Hi mox partem auri distraxerũt, reliquũ vnus eorum Erginus eò ventitans occultè permutauit. Hinc factus Aegię familiaris, atq; ab eo in sermonẽ deductus de arce narrauit, dum ad fratrẽ ascendit, animaduertisse se obliquum incisum rupi vndiq; abscissæ callem, qui duceret ad certum locum, quà humilimus arcis murus inædificatus esset. Cùm deridens illum diceret Aegias: Et vos homo præclare ob modicũ auri labefactatis regia negocia, cùm vnam horã valeatis ingenti pecunia vendere. An non furibus item vt proditoribus deprehensis mors est semel proposita? Arridens Erginus in præsentia pactus est Dioclem se fratrem tentaturum. Nam alijs fratribus nõ admodum dicebat se credere. Modico temporis spacio reuersus promittit Aratũ se ad murum ducturũ, quã fastigiũ eius pedes quindecim nõ excederet, atq; ad reliqua operã cum Diocle præstiturũ. Decidit autem cum illis Aratus, si rem ex sententia gessisset, sexaginta talentis: sin ab incœpto decidisset, atq; incolumis cum illis euasisset, vt ædes vtriq; & talentũ daret. Quia verò deponenda apud Aegiam in vsum Ergini erant ea sexaginta talenta: Aratus aũt neq; habebat ipse, neq; volebat fœnori acceptis consiliũ odorandũ alteri præbere: multa pocula ex suis sumpsit & mundũ vxoris, eaq; Aegiæ pignori ꝑ hac pecunia opposuit. Quippe animo erat hic vsque adeò celso, tantoq; præclarorũ factorũ flagrabat amore: vt cùm Phocionem sciret & Epaminondã Græcorũ iustißimos atq; optimos habitos eò fuisse, quòd ampla munera respuissent, neq; à virtute pecuniæ gratia discessissent: ipse impendere & erogare etiam in hæc, in quibus periculũ vnus pro omnibus adibat vel consiliorũ inscijs, nõ dubitauit. Quis igitur non miretur & faueat etiamnunc illius animi magnitudini, qui summa tam grandi tantũ cõparauit discrimẽ: ac res suas, quas habebat charißimas, pignorauit: vt ad hostes nocte introductus dimicaret de capite, neq; quicquam ab ijs, pro quibus illa agebat, nisi spem pignori acciperet gloriæ? Rem sua sponte ancipitem error quidã, qui initiò interuenit per imprudentiam, efficit ancipitiorẽ. Siquidem seruus Arati Technõ missus cum Diocle est, vt murũ consideraret. Non aspexerat hic antè Dioclẽ, sed faciem eius & speciem existimabat ex notis, quas significauerat ei Erginus, tenere se, crispis capillis, nigro colore, & imberbẽ. Igitur profectus ad præfinitũ locum Erginũ, qui cum Diocle venturus extra portam erat, operiebatur pro loco, quem Ornita appellant. Inter hæc maximus natu frater Ergini & Dioclis nomine Dionysius, non particeps neq; conscius cœptorũ, sed Diocli assimilis transibat fortè illac. Technõ verò similitudine cum signis figurę motus, quęsiuit ex homine: ecquid ei cõmercij cum Ergino intercederet? Qui cùm fratrẽ ferret se eius esse, omninò arbitratus est colloqui se Technon cum Diocle, neq; nomen sciscitatus, neq; aliud signũ vllum expectãs præbuit ei dextrã, & de cõuentis cũ Ergino sermonẽ instituit, atq; de illis eũ percũctatus est. Ille errorẽ astutè excipiẽs, in omnibus assentiebat, conuertensq; se retrò ad vrbẽ inter colloquendũ sine vlla suspicione ꝑgrediebat. Vbi iam prope portã venit, ac Technonẽ esset ilicò correpturus: ecce occurrit eis etiã Erginus. Qui captionẽ sentiens et periculũ Technoni, vt fugam caperet, nutu significauit, conijcientesq; ambo se in pedes, cursu ad Aratum euasere. Non abiecit ille spẽ tamen: sed cõfestim misit Erginũ, qui pecuniã Dionysio offerret, oraretq;, vt tegeret rem. Executus rem Erginus Dionysiũ adduxit secũ ad Aratũ. Quẽ vbi semel tenuere, non iam dimiserũt: sed inclusum cõclaui custodierũt, seq; accinxerũt ad rem aggrediendam. Omnibus paratis reliquas copias iussit in armis excubare. Delectos quadringentos assumens neq; hos paucis demptis, quid pararetur, cõscios duxit ad portã præter ædem Iunonis. Tempus erat anni sub adultã æstatem in plenilunio, nox serena & lucida, vnde metum etiã micantia reflexu lunæ præbebant arma, ne excubitores non fallerent. Iam primis vrbi appropinquantibus nubes surrexerunt à mari, vrbemq; & circumiecta inumbrauere. Ibi cæteri considentes dissoluerunt calceos. Neq; enim strepitũ magnum edunt, neq; instabilibus falluntur gradibus, qui pedibus prehendunt nudis scalas. Erginus septem iuuenes ducens secum veste amictos viatoria applicuit occultè ad portam. Custodem portæ vnaq; stationem interfecere. Simul scalæ admotæ sunt, ac centum militibus Aratus raptim transscendere mœnia, atq; alijs sequi, vt possent, iussis attractisq; ocyßimè scalis per vrbem cum centum illis perrexit ad arcem, ouans iam, quòd rectus esset velut certa victoria. Progredientibus statio occurrit quatuor virorũ, neq; illa eos percepit oculis: quippe in vmbra adhuc erant lunæ: sed conspiciebant ipsi obuios. Igitur parietibus quibusdam & ruinis ædificiorũ tegit se paulisper ad circumueniendos illos.

Error & periculum à similitudine hominũ.

Tempus ad rem opportunum.

Difficultates Arato obiectæ dũ Acrocorinthũ capit.

los, quorum tres in hos incurrentes cadunt, quartus in capite vulneratus fugit vociferãs intra mœnia hostes esse. Breui pòst cecinerunt tubæ, & ciuitas ad motum cõsurrexit, refertæq; sunt discurrẽtibus viæ: atq; multis luminibus partim ima iam, partim ex alto arx collucebat, ac clamor vndiq; incertus accidebat. Interea viæ intẽtus Aratus in rupe abscissa lentè & grauiter primùm luctabatur: quòd non teneret callem, sed deflexisset prorsus ab eo: qui in saxo abditus atq; inumbratus locis diruptis per multos anfractus & gyros ad mœnia pertingeret. Mox mirè luna dicit discussa et dispulsa caligine asperrimum viæ illustrasse: quoad applicuit, quà debebat, ad murum. Ibi coeuntibus denuò nubibus vmbram & caliginem inuexit. Illi, qui extra portã apud fanũ Iunonis Arati milites trecenti numero substiterant, vt tandẽ in vrbem sunt illapsi vario tumultu & luminibus refertam: q; non valerent eandem semitam inuenire neq; vestigia assequi illorũ itineris, trepidi globo facto ad latus rupis obscurum contraxerunt se, ibiq; anxij & æstuantes hæserunt. Quippe cùm missilibus peteretur ab arce cohors Arati, fremitus sicut præliantiũ deferebatur, clamorq; ex montiũ repercussu resonabat confusus & incertus, vnde procederet. Hæsitantibus his, in quam flectendũ partem esset, militum regiorum Archelaus dux magnam manum secum trahens cum plangore & tubis ascendit ad arcem in Aratũ ruens, ac trecentos hos prævectus est. Qui sicut ex insidijs exorti incurrũt in eũ obtruncantq; quos primùm sunt adepti. Cæteros & Archelaũ offuso pauore auerterunt consectatiq; sunt, dum per vrbem diuulsi & dissipati sunt. His profligatis adfuit à pugnantibus in rupe Erginus Aratum nuncians conseruisse manus cum hostibus, hos fortiter resistere magnumq; certamen ad ipsum murum cõtractum, propero subsidio opus esse. Illi iusserunt, e vestigiò vt eò duceret: atq; ex itinere hinc voce significabãt aduentum suum ad socios confirmandos, hinc plena luna micabant arma eorum. quæ frequentiora hostibus ex viæ spacio apparebant: hinc resonans noctis fragor vlulatum à multò pluribus, quàm essent, repræsentabat fieri. Deniq; connixi omnes pepulerunt hostes, arcemq; superauerunt, ac præsidiũ tenuerunt luce appetente. Sol extemplò facto eorum illuxit, simulq; subuenerunt ex Sicyone Arato reliquæ copiæ, quas portis Corinthij alacriter excepere, regiosq; comprehendere. Vbi omnia tuta visa, descẽdit Aratus ex arce in theatrum, quò immensa confluxit frequentia cupiditate cùm eius cõtemplandi, tum orationis, quam esset ad Corinthios habiturus. Collocatis ex vtraq; transitus parte Achæis ipse ex scena loricatus in mediũ processit, vultu ex lassitudine & vigilijs murato: vt animi elatio & gaudiũ à corporis molestia oppressum esset. Vt populus simul atq; ille processit, gratulationibus effusus est: translata in dexteram lancea, genu & corpus aliquantulo momento inclinãs ea sustinuit se, constititq; longo spacio tacitus plausus eorum festasq; voces excipiens celebrantiũ virtutem ipsius atq; in cœlum tollentiũ fortunam. Vt conticuere et sedati sunt, colligens se orationẽ de Achæis habuit facto suo conuenientẽ: suasitq; Corinthijs, vt Achæis contribuerent se. Simul reddidit ijs portarũ claues, quæ tunc primùm à Philippi temporibus in potestate eorũ fuere. Ex Antigoni ducibus Archelaum, qui in potestatẽ suam venerat, missum fecit. Theophrastum excedere vrbe recusantem interfecit. Persæus, dum oppugnatur arx, euasit Cenchreas. Hic pòst perhibetur inter disputandũ dicenti solũ videri sibi sapientẽ esse ducẽ, respondisse: At me hercle id mihi quoq; ex Zenonis præceptis quondã imprimis placuit. Nunc mutaui sententiam ab iuuene Sicyonio correctus. Hoc pleriq; memoriæ produnt de Persæo. Porrò Aratus extemplò tunc Iunonis fanũ, Heræũ dicitur, & Lechæum in potestatẽ suã redegit, nauibus XXV. regijs potitus est & quingentis equis. Syros quadringẽtos sub hasta vendidit. Acrocorintho Achæi præsidiũ imposuerũt quadringentorũ armatorũ, quinquaginta canũ, & totidem venatorũ, qui in arce alebant. Ac Romani quidẽ Philopœmenẽ admiratione eius ducti Græcorũ vltimũ appellauere, quasi magnus ab eo extiterit inter Græcos nullus. Ego verò gestorũ à Græcis extremum hoc & nouissimũ dicam designatũ, quà audacia quà successu præstantissimis cõparandum: vt quæ insecuta sunt, mox declarauere. Nam desciuerũt ab Antigono Megarenses, & Arato associauerũt se. Trœzenij cum Epidaurijs inter Achæos ascripti sunt. Excursionem primam faciens irrupit in Atticam, ac transmissis in Salamina copijs insulam est depopulatus, sicut carcere liberatas Achæorum vires quolibet vertens. Atheniensibus libera capita, quò defectionis eis semina præberet, sine pretio remisit. Ptolemæi Achæis societatem adiunxit ducatu belli ei terra mari'que delato. Tantum verò polluit apud Achæos, vt si minùs liceret quotannis, alternis certè annis crearent eum prætorem, re & consilio imperium

Lunæ beneficiũ opportunum.

Aratus capit Acrocorinthum.

Aratus adiungit Achæis Corinthum.

An solus Dux sapiens.

Græcorum vltimus, quis.

Arati apud Achæos potentia.

perium obtineret perpetuò. Cernebāt enim non opes eum, nō gloriam, non amicitiam regiam, non patriæ commodum suæ, non rem vllam aliam Achæorum anteferre incremento. Siquidem existimabat imbecillas per se ciuitates mutuis viribus cōseruari quasi bono illigatas communi. atq; vt partes corporis, quæ viuunt & spirant vnà ob mutuam conglutinationem, vbi diuulsæ sunt & dissociatæ, tabescūt marcescuntq́; : ita in præceps dari ciuitates à lacerantibus remp. & ampliari per se mutuò, si alterius magnæ partibus

Aratus conatur liberare Argos.

effectis communiter consulatur. At cùm videret præstantissimos quosq; finitimos liberos suis legibus viuere, seruitute dolens Argiuorum statuit tyrānum eorū Aristomachū per insidias sustollere: quòd affectaret simul & mercedem illi ciuitati alimentorum reddere libertatem, & asciscere eam Achæis. Ac reperti sunt, qui rem susciperent, quibus

Aratus gladios cōtra tyrāni decretum, comparauit.

Aeschylus et Charimenes vates præfuere. Verùm deficiebantur gladijs, atq; interdictū fuerat comparare, grauesq́; mulctas sanxerat tyrannus in eos, qui tenerent gladios. Igitur paratos eis Aratus Corinthi exiguos pugiones clitellis insuit, easq́; iumentis instrumentum vile Argos portantibus impositas misit. Cùm vates autem Charimenes quendam adiunxisset coniurationi: Aeschyli socij indignati sunt, & reiecto Charimene rem per se sunt moliti. Id sentiēs ille ex ira pergentes eos in tyrannum detexit. At hi maxima ex parte occupauerunt ex foro profugere, atq; euolauerunt Corinthum. Breui pòst tamen obtruncatur à seruis suis Aristomachus, et maturat dominatum arripere tetrior illo tyrannus Aristippus. Aratus verò Achæos, quotquot ad manum erant, qui arma ferre poterant, secum trahens aduolauit eò, quòd expectaret promptos reperturum se Argiuos. Sed cùm multitudo ex assuetudine libenter seruiret, ac nemo ad ipsum transiret: recepit se ac in crimen coniecit Achæos, arma eos in pace mouisse. Postulati itaque fuerūt apud Mantineos. Quia verò nō occurrit ad iudicium Aratus, persequens litem Aristip-

Aristippi in Aratum insidiæ.

pus damnauit Achæos. Lis triginta minis est æstimata. At ipsum Aratum iuxtà perosus & timēs statuit submissis percussoribus interficere regis auxilio Antigoni. Erant autem ferè passim, hanc operam qui eis nauabant, captabantq́; opportunitatem. Cæterùm nulla par syncerae & stabili beneuolentiæ viri in potestate positi tutela est. Vbi enim assueuit tam vulgus quàm primores non ducem suum sed duci timere: tum multis oculis videt dux, multis auribus audit & prædoratur consilia. Quare in animo est cursum orationis hîc sistere, ac cōmemorare Aristippi vitam, quam inuidiosa ei tyrannis beataq́;

Aristippi tyranni vita misera.

& celebratæ dominationis species conciliauit. Nam ille, qui societatem habebat Antigoni, multosq́; alebat corporis custodes, viuū in vrbe ex inimicis neminem reliquerat: satellites tamen et stationem foris agere in peristylio volebat. seruos, cùm cœnasset, mox omnes exigebat, & interiorem domum occludens cum amica in paruum se abdebat cubiculū editū, quod catarrhacta claudebatur. cuius in fastigio locauerat lectū, vbi quiescebat: vt probabile est quiescere tam suspiciosum hominem & pauidum. Scalas amicæ mater auferebat, easq; alio in conclaui recludebat, rursusq́; orta luce admouebat & deuocabat egregium hunc tyrannū, qui serpentis modo ex lustris se demittebat. Aratus ve-

Arati imperiū ex virtute.

rò non armis per vim, sed legitimè ex virtute perpetuum sortitus imperium in pallio & chlamydula plebeia omnium vbiq; tyrannorum communis ex professo hostis stirpem in diem vsq; hodiernum clarissimam apud Græcos propagauit. Ex illis, qui arces insederunt, spiculatores aluerunt: armis, portis, catarrhactis ad corporis tutelam sepierūt se, violentam mortem léporum more pauci deuitarunt: domus verò, vel progenies, vel monumentum, quod honorificam habeat memoriam, superest nullius. Porrò dum adimere tentat Aristippo Aratus Argos & occultè subinde & apertè, impegit. Semel etiam scalis admotis mœnia cum paucis magno discrimine superauit, atq; occurrentes illic vigiles confodit. inde dilucente die & tyranno vndiq; eum premente Argiui quasi nō pro ipsorum pugnaretur libertate, sed Nemea dispensarent, æqui & iusti sedebant magno cum silentio certaminis spectatores. Arati verò, dum fortiter dimicat, hasta cominus femur est traiectum. Locum tamen, quem ceperat, retinuit: neq; ante noctem ab instantibus hostibus est deiectus. Quòd si noctem quoq; acriter tolerauisset, non decidisset cœpto. quippe respiciebat iam fugam tyrannus, & magnam partem facultatum suarū præmittebat ad mare. Nunc, cùm id nemo ad Aratum perferret, & deficeretur aqua, essetq; vulneris causa sui impotēs reduxit milites. Postquàm huic diffidit viæ, incurrens pro-

Aratus concedit Aristippo victoriam.

palàm cum exercitu fines Argolicos vastauit, commissoq́; cum Aristippo ad Charetam amnem acri prælio improperatum est ei destituisse ipsum pugnam & palmam è manibus amisisse. Siquidem cùm alia exercitus pars propelleret haud ambigua victoria hostem,

conse-

consectandoq́ esset ad multum spacij progressa: hîc non tam impulsus ab illis, quos contra stabat, quàm victoriæ diffidẽtia & metu in castra perculsus retulit se. Vt verò reliqui ab insequendis reuersi hostibus tulere grauiter, quòd versis in fugam illis, ac longè maiore numero eorum fuso, quàm de suis amisso victis permisisset de se excitare trophæũ: expallescens statuit de integro de trophæo dimicare, vnoq́ interiecto die aciem iterum instruxit. Vbi sensit auctas illorum copias, militemq́ tyrãni maiore animo inferre signa, obtorpuit: receptisq́ per inducias mortuis reduxit exercitum. Atqui cœtus & reip. tractandæ peritia comitateq́ hanc diluens culpam coniunxit Achæis Cleonas, ac Nemeorum ludicrum Cleonis vt antiquitùs potiùs ad eos pertinens celebrauit. Celebrauerunt & Argiui. Ac tunc primò violata est, quæ concessa fuerat certantibus securitas & fides publica: quòd Achæi omnes, qui certauerãt Argis, quos fines suos peragrantes cepere, pro hostibus sub hasta vendiderint. Adeò fuit ardens & capitalis tyrannorũ osor. Breui pòst nunciato captare Aristippum Cleonas, sed sedentem Corinthi se formidare, copias per edictũ conscripsit: & cùm edixisset, vt cibaria in aliquot dies secum ferrent, Cenchreas mouit illiciens dolo Aristippum vt tanquam absente se Cleonas adoriretur. quæ spes nõ fefellit eum. Quippe adfuit extemplò ille cum exercitu ex Argis. Aratus verò Corinthum ex Cenchreis iam sub noctem regressus vias stationibus insedit, duxitq́ Achæos Cleonas. Agmen adeo compositè progressum est, adeoq́ strenuè & impigrè: vt non solùm iter facerent, sed ingrederentur etiam de nocte adhuc Cleonas, & instructi starẽt ad pugnam falso & imprudente Aristippo. Vt dies illuxit patefactis portis & signo tuba dato elatus cursu & clamore in hostes, euestigiò fundit fugatq́ eos: quos instititi insequi, quà maximè Aristippum intẽdere suspicabatur fugam. Habebat enim multa ea regio diuerticula. Vt Mycenas vsq; effusos egit: tyrannus à Cretensi quodam, vt tradit Dinias, Tragisco nomine occupatus, trucidatur. Cecidere de cæteris plus mille quingẽti. Attamen Aratus parta tam nobili victoria eaq́ incruenta non recepit Argos, neq́ eam seruitute exemit. quòd † Agias & minor Aristomachus cum copijs regijs irrupissent in eam vrbem, dominatumq́ occupauissent. Hac re magnoperè probra, sermones, dicteria, & conuitia assentatoribus tyrannorum detraxit: qui in illorum gratiam aluum commemorabant prætori Achæorum instante prælio moueri: sopore & vertigine eum, simul atq́ cœpissent canere tubæ, corripi solitum: cùm aciem instruxisset & signum dedisset pugnæ, rogasseq́ præfectos suos & ordinum ductores, numquid præsentia sua sit opus (nam iactam esse aleam) secedere præstolatũ procul euentum. Hæc fama vsqueeò valuit, vt philosophi quoq; in scholis quærentes, cordis tremor & coloris variatio in præsenti periculo timiditatis sint an intemperiei signa & frigoris natiui: semper appellarent Aratum, vt insignem quidem imperatorem, sed cui hæc in certaminibus accideret semper. Vt igitur Aristippũ sustulit, mox † Lysiadem Megalopolitanum appetijt insidijs suæ ipsius patriæ tyrannum. Hic verò neq; degener erat neq; iners naturâ, neq; vt complures tyranni deliciarum cupiditate vel auaritia in eam delapsus violentiam fuerat: sed gloriæ amore adhuc adolescentem excitatũ, sermonibusq́ falsis & vanis, qui de tyrannide vt re beata & mirifica referebantur, in animum celsum stolidè admissis, vbi tyrannidem parauit, breui molestiarũ, quas trahit secum dominatus, cepit fastidium. Simul quia suspiciebat gloria celebrem & insidias tendentem timebat Aratum: induxit animũ pulcherrimè se mutare: ac primùm semetipsum explicare odio, metu, statione, & satellitibus: deinde bene mereri de patria. Itaq; accito Arato deposuit dominationem, contribuitq́ ciuitatem suam Achæis. Hinc extollentes eum Achæi prætorem creauere. Ille Aratum ilicò gloria elaborans superare, cùm alia multa, quę non videbantur necessaria, tum expeditionẽ indixit in Lacedęmonios. Cui quia reluctabatur Aratus, visus est cum eo æmulari. Et verò etiam declaratus iterum Lysiades prætor contrà pugnante ex professo Arato, ambienteq́ præturam alteri. Aratus enim alternis annis imperabat. Iam ad tertiam præturã aspirauit secundo cursu Lysiades, atq́ alternis annis vicissim ille & Aratus pretura fungebantur. Cæterùm cùm in apertam cum eo erupisset inimicitiam, atq; identidem esset illum ad Achæos criminatus, reiectus est. Etenim fucatis moribus existimatus est cum germana & syncera cõcertare virtute. Ac sicut cuculo Aesopus refert querenti de exiguis auibus, quòd fugerent se, respõdisse illas fore eum aliquando accipitrẽ: sic Lysiadi apparet adhæsisse ex tyrannide parum syncera voluntate ipsum immutatum fuisse suspicionem. Porrò Aratus bello quoq; Aetolico comparauit laudem. Gestiebant confligere cum Aetolis pro finibus Megaricis Achęi. Rex autem Lacedæmonio-

Arati strategema.

Arati de Aristippo tyranno victoria.

Aristippi tyranni cædes.

† Alij legunt Aegias.

† In Cleomene scriptus est Lydiades.

Lysiades Megalopolitanus tyrannidem deponit.

Arati & Lysiadis dissensiones.

Arati præclarum consilium contra Aetolos.

rum Agis, qui subuenerat eis cum exercitu, inflammabat item Achæos ad dimicãdum. Hîc repugnauit Aratus: multaq́; probra, multa etiam in mollitiam & ignauiam suã perferens dicta, vtilia consilia eorum, quæ speciem habebant turpitudinis, causa non abiecit: verùm permisit hostibus transcensa Gerania impunè transire in Peloponnesum. Vt tamen mox à transitu Pellenen ceperunt: non vltrà perstitit in eadem sententia, neq; moras duxit nectendas prolatando & expectando, dum eò scriptæ essent & coissent vndiq; in vnum copiæ suæ. sed confestim cum ijs, qui præstò erant, mouit in hostem rebus lætis

Aratus hostes lasciuientes aggreditur.

ex licentia & lasciuia maiorem in modum eneruatum. Nam vt illud oppidũ sunt ingressi, discurrerunt milites per domicilia se mutuò summouentes & de præda digladiantes. Duces & ordinum ductores coniuges & filias Pellenensium circumuecti rapuerunt, galeasq; sibi detraxerunt, easq; illis imposuerũt, nequis alius auferret eas, sed galea indicaret quæq; dominum suum. Ad hunc modum comparatis & hæc agentibus repentè Aratum nunciatum est adesse. Orto stupore, qualem apud tam inconditos par est, anteq; intelligerent omnes periculum, primi in portis & suburbijs commisso cum Achæis prælio iam profligati fugam ceperunt, impleueruntq; effusi pauore conglobantes se & suppetias venientes.

Mulier galeata, tanquã prodigium visa.

In hoc tumultu vna captiuarũ Epigethis illustris viri filia specie & proceritate corporis mira forte in Dianæ fano sedebat, vbi eam locauerat extraordinariorũ militum dux, qui rapuerat eam, galeamq; ei imposuerat tribus insignem cristis. Hæc repentè ad tumultum euolans vt pro foribus templi stetit, pugnantesq; galeã illam gerens supernè cõtemplata est: hinc ipsis ciuibus est spectaculum sorte humana visa, augustius, hinc spectrum diuinum hostibus conspicere arbitrantibus se horrorẽ & stuporem iniecit, vt nemo ad arma se conuerteret.

Dianæ signum apud Pellenenses.

Ipsi memorant Pellenenses simulachrum Dianæ reliquo tempore stare intactum. Vbi verò à sacerdote motum effertur, neminem ex aduerso obtueri, sed auertere oculos omnes. Neq; enim hominibus modò dirũ id visu esse & perniciale, verùm etiam stirpes infœcundas reddere, & corrumpere fœtus, per quos transferatur. Hoc tum sacerdotem protulisse, semperq; vertisse Aetolis ex opposito, itaque in amentiam & vecordiam vertisse. Cæterùm horum nihil tradidit in commentarijs Aratus: refert autem fusis ab se Aetolis, vno agmine se eum fugiẽtibus in oppidum irrupisse, eosq; vi expulisse trucidasseq; septingentos. Id factum fuit in maximis celebratũ. Timanthes pictor eam pugnam expressit atque oculis quasi repræsentauit.

Aratus Achæos fœdere iungit Aetolis.

Verumenimverò quòd multæ & validæ gentes conspirarent in Achæos: quæsiuit Aratus statim iungere cum Aetolis amicitiam. ac Pantaleonte, cuius erat authoritas inter Aetolos maxima, vsus adiutore non pacem tantùm, sed & societatem Achæis cum Aetolis contraxit.

Aratus conatur liberare Athenas.

Arati commentarij rerum ab se gestarum.

Cùm asserere in libertatem affectaret Athenienses, infamis fuit & malè audiuit apud Achæos: quòd intercedente ipsis fœdere cum Macedonibus capere per inducias esset Piræeum aggressus. Ipse verò in commentarijs, quos reliquit, id inficians Erginum, cuius ministerio expugnauit Acrocorinthum, culpat. Illum enim priuato nomine adortũ scribit Piræeum: at scalis comminutis cùm ipsum consectarentur, Aratum assiduè nominasse & appellasse sicut præsentem, atq; ita frustratum hostes euasisse. Mihi tamen haud videtur defensio eius probabilis. quippe hominem priuatum Erginum & Syrum absurdum est, nisi ducem haberet Aratum, ab eoq; copias & opportunitatem ad rem aggrediendam accepisset, tantam rem animo concepisse. Ipse etiam id demonstrauit Aratus: qui non bis aut ter, sed sæpiùs perditè amantium more Piræeum tentauit, neq; frustratione destitit: verùm ex eo, quòd non multum neq; procul à spe aberrasset, id reuocauit eum ad audendum. Semel etiam crus fregit per Thriasion fugiens: & complures incisiones, dum curatur accepit, diuq; lectica delatus est per expeditiones. Defuncto verò Antigono & Demetrio regnante magis magisq; liberandis intentus fuit Athenis, ac semel

Aratus fusus à Macedonibus.

despiciens Macedonum. Vnde etiam cùm acie esset à Bythe Demetrij duce fusus apud Phylaciam, ac rumor increbuisset hinc captum hinc cæsum Aratum: præfectus Piræeo Diogenes Corinthum misit epistolam, qua Achæis mandauit, quando occubuisset Aratus, vt vrbe cederent. Literis allatis aderat fortè ipse Corinthi, iocumq; Diogenis nuncij & risum multum cùm præbuissent, abscessere. Ipse ex Macedonia rex misit nauem, qua Aratus vinctus ad se veheretur. Athenienses verò nihil ad summam leuitatem adulandi

Athenienses liberãtur à præsidio Macedonum.

Macedonibus reliqui facientes coronas sumpserunt, cùm primùm fuit de morte eius allatum. Quapropter ira flagrans extemplò signis in eos motis vsque ad Academiam est progressus. Mox exoratus nulla re violauit eos. Hinc Athenienses perspecta eius virtute cùm ad libertatem defuncto conspirassent Demetrio, illum acciuere. Qui licet alius

tunc

tunc Achæorum prætor foret, ipse autem ex valetudinis diuturna infirmitate lecto decumberet: lectica tamen est eò delatus nolens deesse illius ciuitatis temporibus, & præfectum præsidij Diogenem induxit, vt Piræeum, Munychiã, Salamina & Sunium CL. talentorum mercede redderet Atheniensibus: quorum ciuitati ipse Aratus viginti intulit. Mox associauerunt se Achæis Æginetæ, Hermionenses, ac nomen Arcadicum magna ex parte factum est eis stipendiariũ. Quia verò Macedones vicinis finitimisq; bellis distringebantur, & socij Ætoli erant: accessio Achæorum viribus est grandis facta.

Aratus liberat Argos à tyrannide.

At Aratus veteri consilio incumbens & iniquo animo ferens vicinam ipsis Argiuorum tyrannidem egit per nuncios cum Aristomacho, vt conferret & adiungeret eam ciuitatem Achæis, atq; Lysiadis exemplo mallet tantæ gentis cum laude & honore esse prætor, quàm cum periculo & inuidia vnius tyrãnus ciuitatis. Cùm assensus Aristomachus mandasset, vt quinquaginta talẽta sibi Aratus mitteret: quò absolueret & dimitteret milites suos: dum hoc argentum paratur: contendens Lysiades, qui fungebatur pretura, vt proprius is suus existeret apud Achæos actus: Aratum apud Aristomachum criminatus est vt infestum & implacabilem semper tyrannis. Quem vbi impulit, rem totã vt permitteret sibi: associare eum instituit Achæis. Enimvero ibi maximè concilium Achæorũ beneuolentiam in eum suam & fidem, quam ei habebant, declarauerunt. Nam cùm ira prouectus aduersaretur ille, Aristomachum abegere. Vt verò lenitus rursus ipse cœpit præsens ea de re verba facere, omnia citò & promptè decreuerunt, Argiuosq; & Phliasios in ciuitatem accepere, annoq; pòst Aristomachum creauerunt pretorem. qui flores apud Achæos gliscensq; in Laconiam incurrere exciuit Aratum Athenis. Is rescripsit ab expeditione hac deterrens eum: quòd cõmitti cum Cleomene feroci & magnis cum periculis crescente Achæos nollet. Instanti tamen omninò dicto audiens fuit, & in bellum euntem est secutus. Quo tempore quia obstitit, ne circa Pallantion cum offerente se Cleomene signa conferret Aristomachus, à Lysiade insimulatus est, ac comitijs prætorijs aduersarium eum & competitorem habens suffragijs vicit, & prætor duodecimùm creatus est.

Achæorum in Aratum beneuolentia & fides.

Aratus fusus à Cleomene.

In hac prætura apud Lycæon fusus à Cleomene terga dedit, ac palatum nocte pro mortuo habuere. quæ fama de eo frequens Græciam peruasit: verùm incolumis collectis ex fuga militibus non satis habuit ex periculo emersisse, sed tempore optimè visus præter omnium expectationem, nemineq; de eo, quod instituit, cogitante repentè Mantineos Cleomenis socios est adortus, atq; vrbe potitus imposuit ei præsidium, incolasq; ciuitate eorum donauit: ac quæ victores non facilè obtinuissent, hæc Achæis pepererit victis.

Aratus capit Mantineam.

Vt verò Lacedæmonij fines Megalopolitanos denuò cum exercitu incursauerunt: opẽ ferens detrectauit lacessenti ansam præbere Cleomeni, Megalopolitanisq; instantibus renisus est. Nempe nec aliàs erat ad concurrendum fronte factus, atq; id tem potis numero militum inferior, & cum viro audace florescenteq; adhuc animo ipse flaccescente atq; inclinata ambitione cõparabatur: existimabatq; quam audendo nullis subsidijs ille parabat gloriam, eam tenenti sibi cautione conseruandam. Veruntamẽ cùm leuis armatura excurrisset, ac Spartiatas vsq; ad castra pepulisset, essetq; per tentoria eorum effusa: ne tunc quidem fecit Aratus impressionem: sed capta in medio caua conualle retinuit ciues & inhibuit, ne eam transirent.

Aratus iterum fusus à Cleomene.

At fremens ob id Lysiades, atq; Aratum probris increpans implorauit equites: quò suppetias ferrent hostes cõsectantibus, néve amitterent è manibus victoriam, neq; se pro patria desererent certantem. Hinc multorũ & fortium equitum globo intulit se in dextrum hostium cornu: quod fudit fugauitq;. sed ardore animi & gloriæ studio incautiùs euectus in loca sinuosa, saltuosa, & latis passim concisa fossis illic incursu Cleomenis cecidit, dum splendidè præclarissimum certamen pro patriæ portis obit.

Lysiadis cædes.

Cæteri fuga in aciem delati turbantesq; peditatum, totum exercitum in fugam cõcitauerunt. Huius rei in Aratum est potissimùm collata culpa, quòd destituisse existimaretur Lysiadem, coactusq; ab Acheis est cum stomacho abeuntibus, vt sequeretur ipsos Aegion. Ibi concilio coacto decreuerunt non præbere ei stipendiũ, neq; mercenarium militem alere: sed vt cõpararet ipse sibi, si gerere vellet bellum. Hac affecto contumelia delibetatum fuit extemplò sigillum deponere, & se prætura abdicare. Cæterùm re secum perpensa temperauit sibi in præsentia, eductisq; Orchomenõ Achæis signa contulit cum Megistono Cleomenis vitrico. Quo cõflictu victor trecentos interfecit & Megistonum cepit. Solitus autẽ alternis annis prætura fungi, vt vices suæ rediere, & vocatus est, eiurauit præturam. Prætor Timoxenus designatus est. Habita est autem indignatio eius in plebem, quæ prætextus dicebatur, cur eiurasset præturam,

Aratus eiurat præturam.

parum probabilis; sed vera causa imminentia Achæis pericula fuere: quòd non iam vt antè sensim Cleomenes & composito gradu ingrederetur, neque magistratibus vrbanis esset astrictus: verùm postquàm necatis ephoris, agro diuiso, & multis in ciuitatē asscriptis peregrinis liberam habuit potestatem: actutum Achæis incumberet atque imperium postularet.

Arati reprehensio.

Quare culpant Aratum, qui repub. magnis vndis & tempestate fluctuante quasi gubernator permiserit & tradiderit alteri clauum. quo tempore vel inuitis incumbere ad remp. cōseruandam debuisset: aut si res & vires habebat Achęorum prorsus pro deploratis, præstiterat cedere Cleomeni citius: quàm Peloponnesum ex integro præsidium Macedonicū moribus efferare barbaricis, complereque Acrocorinthum armis Gallicis & Illyricis: ac quos actionibus suis bellicis & vrbanis presserat vbique, & in commentarijs passim lacerauit, hos ciuitatibus inuehere dominos specioso titulo socios appellās.

Magistratum rēpub. tanquā nauis gubernator, in fluctibus deserere nō debet.

Quòd si fuit (dicamus enim sic) violentus Cleomenes & tyrannicus: at stirps maiores eius Herculis & patria Sparta. cuius ego vel obscurissimum ciuem quàm primum Macedonum ducem potiùs facere cōsulam illis, qui aliquam Græcæ nobilitatis habent rationem.

Obscurissimus Spartæ ciuis, vel Macedonum duci anteponendus.

Et quidem petebat imperium ab Achæis Cleomenes multis beneficijs eum honorem & vocabulum pensaturū se ciuitatibus ostendens. Antigonus verò imperator cum libera potestate terra marique renunciatus non accepit prius condicionem, quàm merces ei imperij concessus Acrocorinthus est, planè venatorem imitatus Aesopicum.

Aesopicus venator.

Neque enim antè conscendit Achæos, qui supplices subijciebant se ei per legatos & plebiscita, quàm præsidio & obsidibus tanquam frænum accepissent. quamvis omnia adferat Aratus, necessitatem vt causetur.

Polybius historicus.

At Polybius author est iampridem & ante eam necessitatem, cùm audaciā Cleomenis timeret, clàm eum fuisse cum Antigono collocutum, ac Megalopolitanos antè summisisse, qui rogarent Achæos, vt Antigoni opem implorarent. Hi enim premebantur præcipue assiduis afflicti & fatigati à Cleomene incursionibus.

Phylarchus non magnæ fidei historicus.

Pari modo scribit de his Phylarchus. cui nisi testis accederet Polybius, nō vsqueadeò fides sit adiungēda. Siquidem motu afficitur ex studio, cùm attingit Cleomenem, fanatico: atque sicut in iudicio in historia huic patrocinatur, illum oppugnat. Ergo amiserunt Achæi Mantineam, quam recepit Cleomenes: atque ingenti prælio apud Hecatombœon fusi adeò fuere cōsternati, vt extemplò Cleomenem per legatos ad imperium suscipiendum Argos acciuerint. Aratus vt aduertit aduentare eum, & circa Lernam cum exercitu esse: formidans legatos misit ad eum postulatum, vt ad amicos & socios trecentis duntaxat comitatus veniret. Quibus si diffideret, acciperet obsides. Eam Cleomenes contumeliam & ludibrium fetens sui esse, retrò mouit, scripsitque Achæis epistolam criminum & conuitiorum in Aratum plenam. Scripsit ex altera parte ille in Cleomenem epistolas, laceraueruntque se inuicem probris & maledictis atque insectati sunt vsque ad nuptias & coniuges.

Cleomenis & Arati epistolæ quibus se mutuò lacerāt probris.

Inde Cleomenes misso caduceatore ad bellum Acheis indicendum, vrbem Sicyonem eis penè per proditionem furtim ademit. Illinc deflectens Pellenā oppugnauit, elapsoque Achæorum prætore oppido potitus est. Mox Pheneon & Penteleon cepit. Inde statim adiunxerunt se ei Argiui, & præsidium accepere Phliasij. neque omninò iam quicquam ex ijs, quæ in ditionem Achæorū concesserant, in fide manebat: sed tumultus ingens vndique circunstabat Aratum concuti Peloponnesum videntem, ciuitatesque passim à nouatoribus cieri. Nemo enim quiescebat, neque in præsenti rerum statu acquiescebat.

Aratus malè sentientes de rep. Sicyone necat.

Iam Sicyoniorum quoque & Corinthiorū multi cum Cleomene in colloquium detecti fuerunt venisse: qui iampridem priuati libidine dominatus adipiscendi abhorrebāt à bono publico. In hos Aratus permissa sibi libera potestate labefactatos Sicyone necauit. Apud Corinthios verò moliens istos requirere & punire plebem exasperauit iam affectam grauantemque Achæorum imperium. Igitur concursu in templum Apollinis facto Aratum accersiuerunt certi aut interficere eum ante defectionē aut corripere.

Arati in periculis constantia.

Ac venit ille equum trahēs secum, quasi nihil diffideret ijs aut suspicaretur. Cùm multi exiliuissent, probrisque eum increpitarent insectarenturque: vultu admodum composito & leni oratione considere iussit eos, nec incondité clamare stantes: sed & illos, qui ia nuis assistebant, ingredi. Simul dum hæc dicit, excessit paulatim cœtu tanquam equum alicui traditurus.

Arati strategema cùm profugit ex Corintho.

Vbi ita subduxit se, & occurrentes appellauit sedatè Corinthios, hortatusque est, vt ad ædem Apollinis pergerent: imprudentibus illis propè arcem accessit. Ibi insilijt in equum, datisque Cleopatro præsidij præfecto mandatis, vt in potestate sua arcem retineret, abscessit Sicyonem.

Cleomenes potitur Corintho.

Secuti sunt eum x x x. milites, reliqui relicto eo dilapsi sunt. Cuius fuga paulo pòst Corinthij intellecta persecuti illum, vt nō sunt adepti,

Cleomenem acciuere tradidereq; ei vrbem. Hic verò nihil existimauit tanti ab ijs accepturum se, quàm destitutus fuerat dimisso Arato. At Cleomenes, vt accesserunt ad eius partes illi, qui Acten appellatam incolebant, oppidaq; in fidem eius permiserũt: circumvallauit & muro circundedit Acrocorinthum. Ad Aratum frequentes Achæi Sicyonem conuenere, & concione coacta prætor cum libera potestate creatus est, sepsitq; stipatorum manu se ex ciuibus suis. Tunc autem hic, qui annos tres & triginta remp. Achęorum tractauerat, potentiaq; & authoritate tenuerat inter Græcos principatum: desolatus, inops, & afflictus in tantis vndis & periculo sicut in patrię naufragio iactabatur. Etenim Aetoli suppetias petenti abnuere, ac ciuitatẽ Atheniensem Euclides & Micion distinuerunt Arati studiosam. Porrò pecuniam Arati & domum, quam habebat Corinthi, haudquaquã attigit Cleomenes, neq; alium permisit, sed accersitis amicis et procuratoribus eius omnia iussit agere & curare, vt rationes Arato relaturis. Allegauit priuatim ad eum Tripylum, et iterum vitricum suum Megistonum, promittens ei inter alia multa vectigal annuum duodecim talentûm, excedens dimidio Ptolemæum, qui sena talenta Arato annua mittebat. Poscebat dux Achæorum declarari, vnaq; cum illis custodire Acrocorinthum. Cùm respondisset Aratus nõ tenere se res, sed potiùs ab ijs teneri, visusq; esset simulatè ipsum deludere: incursione protinus facta fines Sicyonios ferro & igni vastauit, asseditq; vrbi eorum tres menses sub oculis Arati ambigentis, reciperet'ne mercede tradendi Acrocorinthi Antigonum. Nam absq; eo negauerat venturum se eis auxilio. Conuenerunt Achæi Aegion, quò Aratum euocârunt. Cæterùm periculum erat castra Cleomene sub mœnibus vrbis habente transire, & retinebant eum ciues precibus, negabantq; proiecturos in discrimen se corpus eius hostibus propinquis. Cõplectebantur iam eum mulieres quoq; & pueri velut communi parenti & seruatori circumfusi & lachrymantes. At ille confirmatis his et alleuatis equo ad marè vectus est decem amicis & filio adulto comitibus: nauibusq; conscensis, quę stationem illic habebãt, Aegion ad concilium peruenere. In eo decreuerunt, vt accerseretur Antigonus, ac traderetur ei Acrocorinthus. Misit inter alios obsides & filiũ ad illum Aratus. Qua re exacerbati Corinthij pecuniam eius diripuerunt, ac domũ dono dederunt Cleomeni. Admouenti iam exercitum Antigono (ducebat peditum Macedonum X X. millia, equites mille quadringentos) processit Aratus cum magistratibus obuiàm imprudentibus hostibus per mare Pegas: nõ magnoperè Antigono fidens aut credens Macedonibus. Neq; enim fallebat ipsum creuisse se ex detrimentis, quæ illis intulerat, atq; primam cepisse maximamq; actionum suarum materiam, inimicitiam cum Antigono vetere. Sed vbi ab ineuitabili vidit premi se necessitate & tempore, cui seruiunt etiam illi, qui imperare videntur: obtulit se periculo. Antigonus autem, vt nunciatum est ei adesse Aratũ, cæteros modicè & communiter salutauit. Illum verò et primo occursu excepit honorificentissimè, & pòst virum bonum cordatumq; expertus in consuetudinem interiorem admisit. Quippe erat Aratus non modò magnis in rebus conducibilis, sed parianti quoque regi visus eius supra omnes iucundus. Quare quantumvis Antigonus iuuenis, vt ingenium perspexit Arati haudquaquam infrugiferum amicitiæ regiæ: non modò prę Achæis, sed & præ comitantibus eum Macedonibus vti eo vbiq; perseuerauit. atq; euenit prodigium, vt in extis ostenderat deus. Nam fama est sacris operantem paulo antè Aratum duplex fel in iocinore vidisse vno circumiectum adipe, ac nunciasse aruspicẽ breui eum cum inimicissimis & acerrimis hostibus in summam coiturum amicitiam. Quod dictum in pręsentia floccifecit: quòd neq; aliàs multum fidei extis tribueret vel aruspicinæ, sed cõsilio vteretur. Vt verò postea loci bello prosperè procedente Antigonus Corinthi conuiuium agitans multis inuitatis Aratum supra se collocauit, ac mox postulata veste stragula rogauit: num'ne ei quoq; appareret frigus esse? Quo etiam rigere admodum se respondenre, iussit ei, admoueret se propiùs, atq; tapete allato ambos vnà pueri cooperuere. Tunc ergo illorum extorum memori Arato risus subijt, commemorauitq; regi prodigium & prædictionem. Verùm hæc pòst contigere. Pegis data & accepta fide mouerunt confestim in hostes ac certamina seruerunt circa vrbem Corinthum: vbi munierat se validè Cleomenes & Corinthij fortiter defendebant se. Interea Argiuus Aristoteles Arati amicus mittit clàm ei nuncium Argiuos ostendens se ad defectionem impulsurum, si ipse eò accederet cum militibus. Quod vbi Aratus Antigonũ docuit, cum mille ducentis Epidaurum ex Isthmo properè nauigijs est vectus. Verùm Argiui ante aduentum eius exurgentes Cleomenis milites adorti sunt atq; in arcem redegere. Cleo-

Aratus reip. periculis iactatur.

Cleomenes humaniter agit cũ Arato.

Achæi accersunt Antigonũ.

Necessitati etiã imperantes, parent.

Antigoni in Aratum honor.

Prodigium Arato oblatum.

Aratus consilio magis quàm extis fidebat.

Argiuorum à Cleomene defectio.

menes eo nunciato timēs, ne occupatis Argis excluderent hostes ipsum reditu domum, Acrocorintho relicto iuit de nocte suppenas suis. Argos ingressus prior est, & numerū aliquem pepulit hostium. Verùm paulo pòst inferente se Arato & rege cum exercitu supervenientе Mantineam est digressus. Exinde ad Achęos denuò ciuitates omnes transierunt. Antigonus potitus est Acrocorintho. Aratus prætor ab Argiuis creatus suasit ijs, vt Antigono tyrannorum & proditorum pecuniam donarent. Aristomachum Cenchreis excruciatum submersere. Qua de causa pessimè audiuit Aratus: quòd hominem non malum, cui vsus intercesserat cum ipso, & quem induxerat ad deponendam tyrannidem sociandamq; Achæis ciuitatem suam, permiserit crudeliter necari. Iam verò cæterorum quoq; causas assignabāt ei: vt quòd Corinthiorum vrbem Antigono quasi villem vicum donassent, Orchomeno direpto præsidium Macedonicum consensissent, vt ille imponeret: decreuissent etiam, vt ne cui scriberent regi, neq; legatos ad alium inuito Antigono mitterent, commeatus & stipendium præbere Macedonibus cogerentur: sacra, libamina, ludos facerent Antigono. Quod quia exorsi fuerant Arati ciues, atque vrbe exceperant Antigonum, quem in hospitium inuitauerat Aratus: in illum conferebāt omnia nescij, cùm habenas illi tradidisset, atq; impetu raperetur regiæ libidinis, nisi solius linguæ nullius iam esse eum compotem: cui etiam esset anceps ipsi loqui liberè. Quādoquidem eorum, quæ gerebantur, multa apertè torserunt Aratum, sicut factum de statuis. Antigonus enim tyrannorum Argiuorum deiectas reposuit: illorum, qui ceperant Acrocorinthum, erectas præter vnam illius euertit. De quibus cùm enixè orasset Aratus, nihil obtinuit. Illud quoq; non videtur Græco more ab Achæis designatū in Mantineos exemplum. Nam potiti eorum vrbe Antigoni ope clarissimos & primores ciuitatis cōtrucidauere. Cæteros partim sub corona vendidere, partim in Macedoniam misere compedibus vinctos, pueros & fœminas in seruitutem abripuere. Coactæ ex illorū sectione pecuniæ tertiā partem ipsi inter se partiti sunt, duas partes diuiserunt Macedonibus. Atq; hæc quidem vindictæ iure fiebant. Etsi enim ferum est in homines populares & cognatos ita per iram cōsulere, in necessitate tamen dulce efficitur neq; durū, vt ait Simonides, cùm velut dolenti animo & inflammato medicinā faciunt eumq; explēt. Quæ verò designata inde sunt hac in vrbe, his nihil prætexere neq; honesti poterit neq; necessarij Aratus. Nā vbi vrbē illam Argiui dono ab Antigono accepērūt, atq; eò deducere statuerūt coloniā, ipse ad id delectus, & prætura fungens decretū fecit: ne deinceps Mantinea, sed diceret Antigonia, vt in hanc vsq; diē dicit. Ita videt illius opera amabilis Mantinea in totū expuncta, manet aūt cognomen vrbi tractū ab illis, qui eā deleuerūt, & sustulerūt ciues. Inde victus ingenti prælio apud Sellasiā Cleomenes Sparta cessit et nauigauit in Aegyptū. At Antigonus omni officiorū & humanitatis genere Aratū prosecutus in Macedoniā recessit. Illic morbo iā occupatus, cùm regni successorē Philippū vix adultū in Peloponnesum mitteret, pręcepit ei, vt cōsilio Arati vteret, illo'q; interprete ageret cum ciuitatibus, & Achæis innotesceret. Receptū Aratus ita cōposuit, vt eū cùm magna in se beneuolentia, tū ingenti ad negocia Græciæ capessenda cupidine studioq; incensum in Macedoniā remitteret. Defuncto Antigono despectātes Aetoli ob segnitiē Achæos (assueti enim manibus ptegi alienis, ac sub Macedonū armis latentes, per socordiā & inertiā vitā agebāt) res Peloponnesiacas tētauere. Patrēses Dymæosq; obiter depopulârunt, Messeniamq; irruptione facta vastauerūt. Quę molestè ferens Aratus: eum aūt, qui pręturā Achæorū id temporis obtinebat, cernēs Timoxenū socordē & tempus terentē, sub finē præturæ eius cùm esset ipse successor declaratus, magistratus quinq; dies, quò suppetias ferret Messenijs, anticipauit. ac cōscripsit Achęos tum corporibus nō duratos, tum animis ad arma flaccidos, fususq; est ad Caphyas. Cùm aūt bellū administi asse videret ardentiùs: ita rursus obtorpuit animo, piecitq; res ac spē, vt opportunis subinde Aetolis pmitteret ac cōniueret multa cū licētia & ferocia quasi cōmessari in Pelopōneso. Quare porrigētes iterū in Macedoniā manus attraxerūt & deduxerunt ad negocia Græciæ Philippū, sperātes imprimis ob eius in Aratū beneuolentiā & fidē, quā ei habebat facili in omnibus se eo vsuros & tractabili. Ac tunc primùm ab Apelle, Megalæo, & certis alijs aulicis Aratū insectantibus inductus rex fauore suo in comitijs astitit aduersæ Arato factioni, vt prætore Achęi crearēt Eperatū. Qui cùm semel fastidiret ab Achæis, Aratus verò omnē curā abijceret: atq; ita nihil rectè neq; ordine administraret: aduertit vndequaq; Philippus se falsum esse, reuolutusq; denuò in Aratū totū se dedit illi. Quia verò res eius ita in potentiā & splendorē assurgebāt, pēdebat ab illo sicut per

Aristomachus submersus.
Arati infamia, ob Antigonum.
Mantineorum clades.
Mantinea dicta Antigonia.
Aratus prælio fusus ad Caphyas.
Achæi accersunt regem Philippū Antigoni filium.

per eũ splendescẽs & increscẽs. Quare habitus apud omnes Aratus est non reip. modò, verùm regni quoq; bonus rector. Relucebãt eñi in actis regis velut color cõsilia & grauitas eius. Etenim huius iuuenis erga Lacedæmonios, qui offenderant, moderatio atq; humanitas colloquij cũ Cretẽsibus, qua paucis diebus totã insulã asciuit, atq; expeditio in Aetolos, quæ mirè fuit strenua: obtẽperantię Philippo laudẽ, prudẽtiæ tribuit Arato. Quamobrẽ impẽsiùs æmulãtes ei regij, vbi nihil profecere occultis criminibus, cœperũt apertè inter pocula magna cum petulantia & procacitate cõuitiari & incurrere in eum. Semel etiã in tabernaculũ suum à cœna digredientẽ lapidibus sunt insectati. Quibus rebus offensus Philippus protinus ijs viginti talentûm mulctã irrogauit. quos inde cùm labefactare negocia sua & peruertere comperisset, necauit. At postq; secundo fortunę cursu erectus rebus lætis multas effudit & magnas cupiditates, & natiua vitia simulationi contra ingeniũ vim facientia erumpentiaq; paulatim detexerũt atq; aperuerunt illius ingenium: primùm minorem Aratum priuatim sauciauit in vxore, diuq; fefellit: quòd domesticus esset & eorum hospes. deinde in resp. populares exarsit & durior euasit, & non obscurè iam repudiabat Aratum. Exordium suspicionis res Messenicæ præbuere. Nam seditionem agentibus Messenijs cùm Aratus tardiùs subueniret: Philippus, qui vno die præuerterat vrbẽ ingredi, magis magisq; incẽdit eos in se mutuò, seorsum prętores Messeniorũ rogans, num quid nõ leges ad cohibendã plebẽ haberent? seorsum inuicẽ duces multitudinis, an in dominos nõ haberent manus? Hinc animati magistratus concitatores plebis corripuerunt, illi plebis manu facta magistratus interfecere, & alios paulo minùs ducentos. Postq; facinus Philippus tam tetrũ designauit, & Messenios plus plusq; inter se cõmisit: superueniẽs Aratus præ se tulit apertè rem sibi acerbã esse, neq; filiũ suũ, qui acriter Philippũ increpuit & cõuitiatus est ei, repressit. Videbatur amare adolescẽs Philippum. Ille tunc inter cætera dixit huic, ipsum istis admissis non vltrà forma sibi pulchra, sed omnium videri deformissima. Philippus nihil respondit ei, cùm id ex ira tamen appareret facturũ, atq; identidem allatrasset dicentem. sed maiorẽ Aratũ, quasi dicta tulisset leniter, modestoq; & ciuili ingenio esset, dextra data excitauit ex theatro, duxitq; Ithomatam ad sacra Ioui facienda & cõtemplandum locum. Est enim non secus atq; Acrocorinthus munitus. ex quo, si præsidio firmatus sit, multũ vexari accolæ possunt, atq; est inexpugnabilis. Vt ascẽdit eò & sacrificauit: exta bouis, quæ ei porrexit aruspex, manibus ambabus excepta monstrauit Arato & Phario Demetrio, protendens ea vicissim ad vtrunq; quærensq;, quid in visceribus animaduerteret? teneret arcẽ ipse, an redderet Messenijs? Ibi arridens Demetrius: Si aruspicis, inquit, mentẽ habes, relinques hunc locum: sin regis, tenebis ambobus cornibus bouẽ, ænigmate significãs Peloponnesum, si Acrocorintho adiecisset Ithomatã, fore ei prorsus obnoxiã & infractã. Diu obticuit Aratus. At orante Philippo, vt sententiã suã exprimeret: Multi, inquit, Philippe ex Cretę solo & vasti montes, multæ ex Bœotiæ & Phocidis rupes exurrexere. Sunt item in Acarnania multa hinc terra, hinc ad mare mirũ in modũ septa loca. Atqui nullũ horum tenes, & sunt tamẽ tibi dicto audientes omnes. Latrones enim nidulantur in petris, & abruptis incubant. Regi nihil est fide & beneuolentia firmius vel munitius. Hæ tibi pelagus pandũt Creticũ, hæ Peloponnesum, his subsidijs ista tu ætate horũ dux, illorũ iam euasisti dominus. Nondũ finierat, cùm exta Philippus aruspici tradit, atq; illũ manu trahens: Huc igitur, inquit, eadẽ pergamus via, quasi expugnatus ab illo & oppido isto spoliatus. Hinc Aratus aula iam euoluens se, & paulatim ex Philippi retrahens consuetudine, cùm transirer ille in Epirũ & oraret ipsum, vt ad bellum comitaretur se, præcidit ei & mansit domi veritus: ne illius facinora in infamiam redundarent suam. Postquàm verò classem bello Romano turpissimè amisit, atque omnia aspera fœdaq; ei euenere: hinc in Peloponnesum regressus est, ac Messenijs de integro fucum molitus facere, cùm id exequi clàm non valerer, infestaret apertè vastaret'que fines eorum: tum Aratus alienauit ab eo se in totum & suspectũ habuit. Nam iniurias violati cubilis filij fuerat iam odoratus, tulit'que id molestè, filium celauit tamen. Supererat enim, vt probro affectum cognosceret se, præterea nihil: cùm pœnas expetere non valeret ab illo. Maxima enim videtur Philippus & pręter omniũ expectationem ex miti rege et adolescente modesto castoq; in virũ lasciuũ ac detestabilẽ degenerasse tyrannũ. Atqui nõ fuit illa naturæ variatio, sed declaratio in securitate improbitatis longo spacio propter metũ tectæ. Quippe mixtum fuisse ex reuerentia & timore illius erga Aratum affectum, quo ab initio imbutus fuit, factis in eum demonstrauit. Siquidem cùm interficere eum aueret, existima-

Aratus consilio bonus.

Virtutis comes inuidia.

Initium simultatis Arati & Philippi.

Arati iunioris in Philippum dicta.

Arati sapiẽs responsum Philippo datum, de regis firma custodia.

Arati ab rege Philippo alienatio.

Philippus ex miti rege in crudelem tyrannum cur mutatus.

Aratus veneno per Philippum regem potionatus.

Venenū sensim tollens.

retq; ne libero quidē sibi viuere incolumi licere illo, nedum tyranno vel regi, nihil vi tentauit: verùm vni ex ducibus & familiaribus suis Taurioni occulto modo iussit hoc perpetrare, maximè veneno se absente. Ille contracta cum Arato familiaritate venenū dedit ei non præceps neq; acre, sed ex illis, quę lentos calores primùm in corpore & tussim excitant languidam: inde ita sensim ad tabem perducunt. Non fuit res obscura Arato tamen. verùm cùm nihil eam detegendo profecisset, leniter & tacitè malum, vt si vulgari aliquo & vsitato morbo teneretur, tolerauit. nisi quòd in cubiculo vno præsente familiari, cùm excreasset cruorem inspectante illo & obstupescente: Hæc, inquit, Cephalon regiæ amicitiæ sunt authoramenta.

Regia amicitia periculosa.

Arati mors.

Ad hunc modum cùm fato functus Aegij in septimadecima prætura esset, contenderentq; Achæi, illic vt iusta ei & monumenta ex vitæ dignitate fierent: calamitosum duxerunt Sicyonij, nisi conditum corpus apud ipsos foret, flexeruntq; Achæos, vt id permitterent. Quia verò vetus lex humari quenquam intra muros suos vetabat, & grauis adiuncta legi erat religio: Delphos miserunt ad consulendum super ea re vatem, quæ hasce sortes eis dedit:

Arati sepultura

Oraculum de Arati sepultura

Consultas Sicyon tellus natalis Arati
De iustis semper, festis quoq; concelebrandis
Defuncti herois. Verùm illum siqua grauant, sunt
Et maris, & cœli, terræq; piacula crassæ.

Allato hoc oraculo cùm Achæi cuncti gauisi sunt, tum Sicyonij præcipuè: qui conuerso in festum luctu protinus corpus ex Aegio coronati & candidis amicti vestibus carminibus & tripudijs in vrbem suam deduxere, locoq; delecto conspicuo vt conditorē & seruatorem vrbis ibi funerauerunt. Appellatur vsq; ad hanc memoriam locus Aration. Sacra ei faciunt, semel quo die ciuitatem à tyrannide vindicauit quinto mensis Desij, quem Athenienses Anthesteriona nominant. Hoc festum appellant Soteria: iterum, quo mēse memorant natum. Priora Iouis Seruatoris sacerdos facere fuit solitus, secunda Arati: qui fasciam non ex toto candidam, sed intertextam purpura gerebat. Carmina ad citharam canebantur à symphoniacis. Pompam ducebat gymnasiarches puerorum & adolescentium: inde senatus coronatus sequebatur, & reliqui ciues, quibus libebat: quorum obscura adhuc vestigia diebus illis defunctoriè retinent. cæterùm maxima honorum pars die & per alia negocia exoleuit. Atq; Aratum maiorem ita vitam egisse atq; eo fuisse ingenio memoriæ proditum est.

Aration.

Sacra in honorem Arati instituta.

Arati filij miser exitus.

Filio eius nefarius naturâ & cum immanitate contumeliosus Philippus nō feralibus sed insaniam inducentibus medicamentis mentem mouit peruertitq;, vt absurda & nefanda tentaret: faciendiq; absona & cum turpitudine patiendi flagitiosa arderet desiderio: mors vt ei quamvis iuueni & florenti ætate non calamitatem, sed malorum finem & salutem attulerit. Pœnas tamen Philippus Ioui hospitij & amicitiæ præsidi non leues flagitiorum tota deinceps vita persoluit. Siquidem bello victus à Romanis sua illis permisit. Deiectus cætero imperio naues quoq; demptis quinq; amisit omnes, & mille talentûm insuper pendere pactus est, filioq; obside dato ex miseratione illorum Macedoniam & regiones ei contributas retinuit. Dum verò optimos quosque & sanguine proximos quotidiè occîdit, horrore & odio sui totum impleuit regnum. Vnam modo cùm tantis in miserijs rem lætam obtineret præcellentem virtute filium: hunc inuidia & honoris apud Romanos eius æmulatione peremit. Alteri Persi regnum tradidit. quem nō iustum, sed subdititium perhibent fuisse, ex Gnathenio quadam sartrice susceptum. Hunc Paulus Aemilius in triumpho duxit: in quo regni Antigonici expirauit successio. Arati verò progenies Sicyone & Pellene vsq; ad nostram ætatem durauit.

Philippi regis punitio ob scelera.

Perses Macedo spurius.

GAL.

Galba.



ERCENARIVM Militem volebat Iphicrates Atheniensis auarum & voluptarium esse: quò libidinibus quærens sufficere sumptum, certaret audaciùs. Pleriq; verò milites volunt sicut validum corpus nunquàm suo vtentes impulsu vnà cum duce moueri. *Qualis esse mercenarius miles debeat, Iphicratis dictum.* Quapropter Paulum Aemilium memorant, vbi legiones in Macedonia accepit loquacitatis & curiositatis plenas atque in ducis munus se inferentes, edixisse: vt manum promptam & gladium quisque haberet acutum, reliqua sibi curæ fore. *Pauli Aemilij dictum.* Plato operæpretium cernens in imperatore bono & duce nullū, nisi modestus exercitus & ei sit consentiens: verùm parendi virtutem perinde vt regnandi existimans generosam flagitare indolem & disciplinam rectam, quæ imprimis lenitate & humanitate ferocitatem & acerbitatem scitè condiat: cùm alias graues clades, tum Romanorum ab excessu Neronis casus testes habet & documenta nihil esse in imperio aliquo formidabilius militaribus viribus, motibus quæ aguntur imperitis & absurdis. *Platonis de exercitu dictum.* Demades enim defuncto Alexandro Macedonum exercitum Cyclopi excæcato adæquabat: quòd multis eum inconpositis & cæcis nutibus cerneret agitari. *Demadis dictū de Alexandri exercitu, mortuo Alexandro.* At imperium Romanum asimiles fabulosis Titanicis calamitates & impulsus inuasere, in diuersa eodem tempore diuulsum, atq; hinc inde rursus ad seipsum recurrens: non ita ex ambitione eorum, qui declarabantur imperatores, vt ex auaritia & licētia militum imperatores per se mutuò tanquàm clauos clauis expellentium. *Imperium Romanū cui simile* Et quidem Pheræum, qui cùm apud Thessalos menses decem dominatum obtinuisset, mox fuit trucidatus, Dionysius vicissitudinis pernicitatem ridens tragicum tyrannum appellat. At Cæsarum domus Palatina angustiori tempore quatuor excepit imperatores: dum hunc quasi per scenam introducunt, illum educunt. Cæterùm erat afflictis alleuatio vna, quòd non requirerent vltionem in authores malorum suorum aliam, quàm quòd eos mutuis cædibus funestos spectarent: primùm & præ cæteris optimo iure istum, qui eos inescauit, tantumq; docuit ex Cæsaris sperare mutatione, quantū ipse promisit, ac pulcherrimū factū fœdauit defectionē à Nerone, quæ ob mercedē euasit proditio. Siquidē Nymphidius Sabinus præfectus prætorio cum Tigillino, vt est antè dictū, vbi res semel deploratæ Neronis fuerunt, & ostendit ille fugam meditari se in Aegyptū: induxit milites, quasi nō vltrà adesset, sed cepisset iam fugam, vt imperatorem Galbam appellarent: ac donatiuum pronunciauit viritim cohortibus vrbanis & prætorianis trigena millia nummûm, legionibus prouincialibus quina millia. *Nymphidius Sabinus & Tigillinus, Neronis proditores.* quantam summā fieri non poterat, vt quispiā cogeret, quin sexcenties plus quàm Nero flagellaturus esset omnes mortales. Quippe hæc res confestim perdidit Neronem, & mox Galbam. Superiorē enim vt accepturi deseruere, hunc interfecere delusi. Inde dum tantæ pecuniæ quærunt præbitorē: prius in defectionibus & proditionibus semetipsos contriuerunt, quàm quæ sperauerant, sunt consecuti. *Donatiuorum spes, perdidit imperium Romanum.* Atq; sigillatim acta exactè recensere iustæ sit historiæ: memorabiles verò in Cæsarum gestis & cladibus casus nec mihi sunt prætereundi.

SVLPITIVM Galbam priuatum aspirasse omnium opulentissimum ad Cæsarum domum in confesso est. Cùm autem illustri nobilitate præcelleret ex * Seruiorum gente, ipse maiores animos gerebat ex propinquitate † Catuli viri virtute & laude omnium suæ memoriæ principis, licet potentiæ prærogatiuam alijs libenter cōcesserit. *Galbæ nobilitas & diuitiæ.* ** Apud Suet. est Sergiorum. † Q. Lutatij Catuli Capitolini.* Adhæc intercedebat Galbæ aliqua cum Cæsaris vxore Liuia necessitudo: atq; inde Liuiæ beneficio cōsul ex Palatio progressus est. Fertur etiā legionibus Germanicis honestè præfuisse, atq; ex proconsulatu, quem gessit in Africa, fuisse inter paucos commendatus. At victus simplicitas & angustia sumptus restrictio'que, cùm factus esset imperator, vitio ei vt sordido versa est: vnde frigidā quandam moderationis & frugalitatis gloriā ferebat. *Galbæ mores.* Porrò missus à Nerone est cum imperio in Hispaniā, cùm nondum formidare in magna positos dignitate viros didicisset. Illi vel suā sponte placido habito cautionis opinionem adiungebat senectus. Cùm pestiferi Cæsaris procuratores crudeliter & fœdè prouincias suas vexarent, nulla valebat re alia succurrere. verùm quòd propalàm vicem damnatorum & sub hasta vendito- *Galbæ clementia.*

venditorum doleret, vt si illata esset sibi iniuria, alleuationem ijs nonnullam & consolationem præbebat. Cùm carmina in Neronem componerentur & passim circumferrentur canerenturq;, non coercuit id, neque socium se procuratorum iræ fecit. Quò magis dilectus est à prouincialibus. Etenim erat iam illis familiaris: quòd ex quo proconsul ageret ibi, annus ille esset octauus. qua tempestate Iulius Vindex Galliæ proprætor aduersus Neronem rebellauit.

Iulius Vindex deficit à Nerone.

Ante apertam defectionem fama est literas ad eum à Vindice perlatas fuisse, quibus neque fidem habuisse eum neque indicasse vel detulisse rem, sicut cæteri prouinciarum præfecti scriptas ipsis epistolas ad Neronem misere: corruperunt'que, quantum in ipsis fuit, cœptum: cuius postmodum consortes confessi sunt non minus ipsorum se quàm illius fuisse proditores. At postquam bello strenuè suscepto ad Galbam scripsit Vindex adhortans eum, vt imperium susciperet, & valido corpori se quærenti caput præberet Gallijs, quæ essent centenis millibus militum succinctæ, plures'que armare alios valeret: adhibuit in consilium amicos, quorum aliqui sustinendum censuerunt & operiendum, quid motura & quò inclinatura nouis rebus vrbs esset.

† Videntur alij legisse, qui vni legioni pręerat

At Titus Iunius † cohoris prætoriæ præfectus: Qua ratione, inquit, Galba deliberamus? Nam quærere an in fide velimus persistere erga Neronem, furentium iam est. Quare vt si hostis Nero sit, nequaquam Vindicis rejcienda est societas, aut deferendus statim & oppugnandus: quòd te mauult esse Romanis imperatorem, quàm Neronem tyrannum. Inde edicto diem Galba præscripsit, qua libertatem sigillatim petentibus daturus esset. Rumor autem & fama, quæ maturiùs exciderat, frequentiam hominum exciuit ad res nouas paratorum.

Galba appellatur à militibus imperator.

Vix enim pro tribunali conspectus est, cùm omnes vna voce imperatorem eum consalutauere. Quod nomen ille non statim agnouit. sed postquam in Neronem est inuectus, & trucidatorum ab eo clarissimos deplorauit: ostendit patriæ se solicitudinem suam præstiturum, non Cæsaris neque imperatoris, sed ducis senatus populiq; Romani nomine. Nam rectè se & prudenter Galbam ad imperium euocasse, Vindex testimonio comprobauit Neronis. Simulans enim se illum contemnere, & floccifacere Galbam: simul atque de Galba est allatum (fortè lotus tunc prandebat) euertit mensam. Verumtamen, vbi senatus Galbam hostem iudicauit, iocum captans &权 ferociens apud amicos, non malam ait occasionem sibi consilij oblatam pecuniæ egenti. Gallorum bona, vbi domiti essent, in prædam se daturum, Galbæ verò fortunis hostis iudicati statim vti licere & distrahere.

Galba hostis à Senatu Ro. iudicatus: eius bona sub hasta posita

Itaque hic bona Galbæ sub hasta vendi iussit. Quod intelligens Galba, quæcunque in Hispania Neronis essent, proscribens multò inuenit paratiores emptores. Compluribus à Nerone deficientibus, omnibus'que ferè Galbæ se associantibus: solus in Africa Clodius Macer & Verginius Rufus in Gallia legionum Germanicarum dux separata per se consilia habebant, non eiusdem erant tamen sententiæ: sed Clodius, qui totus fuerat in rapinam pecuniarum & cædes hominum effusus ob crudelitatem & auaritiam declarabat fluctuari in eo se, quòd neque occupare neque dimittere sustineret imperium.

Verginius imperator appellatus.

Verginius legionibus impositus valentissimis, à quibus crebrò appellatus imperator, atque vt susciperet imperium compulsus negauit id vel assumpturum se, vel vt alteri daretur, quem non designasset senatus, permissurum. Hæc Galbam primùm solicitauerunt non mediocriter. Vt verò Verginij & Vindicis legiones vi quodammodo duces sicut aurigas habenarum impotentes concitauere, atque atroci collisere prælio: ac Vindex cæsis x x. millibus Gallorum sibi ipse manus intulit:

Gallorum cæsa x x. millia.

increbuit autem rumor omnes à tanta victoria Verginium imponere statuisse imperio, aut denuò transire ad Neronem: tunc prorsus Galba cõsternatus est: ac Verginium adhortatus est per literas, vt communi cõsilio imperium & libertatem populi Romani conseruarent.

Colonia, Hispaniæ oppidum. Alij Clunã malunt.

Mox Coloniam Hispaniæ oppidum cum amicis secedẽs in pœnitentia actorũ & desiderio pristini & assueti ocij potius, quàm in agendo, quę necessaria erant, tempus contriuit. Aestas iam erat, cùm præcipite in noctem die Siculus quidã libertus eius Roma septimo die venit. Hic cùm Galbam intellexisset solum quiescere, citato cursu ad cubiculum eius profectus inuitis cubicularijs aperuit ostiũ, ingressusq; annunciauit Nerone adhuc viuo, sed nusquã apparente exercitũ primùm, deinde populum & senatũ Galbam appellasse imperatorem, mox mortẽ eius allatam. Non habuisse tamen ait se nuncijs fidem: sed perrexisse ipsum ad cadauer, atq; cùm exanimem spectasset, tum profectũ. Hoc Galba nuncio est mirè excitatus, cõcurritq; ad ianuã eius hominum frequentia. qui magnoperè sunt ab eo confirmati, quamvis esset nuncij celeritas

ritas incredibilis. Verùm biduo pòst Titus Iunius cum multis alijs aduenit ex castris senatusconsultum ordine perferens. Atque hic ad splendidum ordinē prouectus est. Liberto ius annulorum aureorum dedit, ac Marcianus Vicellus iam dictus primum locū inter libertos eius tenuit. At Romæ Nymphidius Sabinus non sensim neque paulatim, sed semel vniuersam rerum summā ad se trahebat, senem existimans Galbam, cui vix vires suppeterent per grauem ætatem, vt lectica Romam portaretur: Nam annos tres & septuaginta natus erat: cohortes verò aulicas cùm iamdudum sui cupidos, tum vni in præsentia sibi addictos ob donatiui magnitudinem se benefactorem ducere & Galbam debitorem suum. Extemplò igitur collegæ imperat Tigillino, vt gladium deponat, atque conuiuia celebrans consulares eosque, qui exercitibus vel prouincijs præfuissent, inuitat, apponitque nomen etiamnum Galbæ vocationibus: in castris complures subornat, qui iactent mittendos ad Galbam legatos postulatum, vt Nymphidius perpetuus præfectus prætorio absque collega sit. Quæ verò ad honorem eius senatus agebat, benefactorem appellans, ventitans quotidiè domum eius, tribuens que ei, vt omnibus senatusconsultis author fieret, ad maiorem prouexerunt eum audaciam: vt breui etiam colentibus eum non inuidiosus esset modò, sed formidolosus quoque. Vbi iam seruos publicos destinauerunt consules ad deferendum imperatori senatusconsultum, & consignata dederunt diplomata: quorum signo cuiusque oppidi magistratus per dispositos currus tabellariorum cursum accelerant: non mediocriter excanduit, quòd non signum suum impressissent, neque per milites id misissent suos. Imò dicitur de consulibus deliberasse puniendis, inde purgantibus se & supplicibus remisit offensam. Populo indulgens non prohibuit, quicunque ex Neronianis oblatus est, quin obtruncaretur. Ac Spicillum gladiatorem statuis Neronis per vrbem raptis subijcientes in foro peremere. Aponium ex delatoribus vnum prostrauerunt, & per corpus eius onusta lapidibus plaustra egere, alios discerpsere, nonnullos sanè innoxios. Vnde Mauriscus, qui in optimatibus & erat & numerabatur, dixit in senatu, metuere se, ne citò essent Neronem desideraturi. Ita propiùs ad spem Nymphidius aspirans non detrectauit C. Cæsaris, qui post Tiberium imperauit, filius nuncupari. Consueuerat enim, vt fama erat, admodum adolescens Caius genitrici eius, quæ erat forma non illiberali, ex sartrice meritoria & Cæsaris liberto Callisto genitæ. Cæterùm fuit meo iudicio eius cum Caio consuetudo Nymphidij ortu recentior. ac suspicabantur ex Martiano gladiatore, cuius amore propter magnum nomen deperibat Nymphidia, quem potiùs videbatur oris lineamentis referre, eum fuisse susceptum. Matrem certè agnoscens Nymphidiam Neronis oppressionem soli asscripsit sibi. Nec præmijs contentus, quòd honoribus pecuniaque frueretur, & concubitu potiretur Spori, qui in delicijs Neroni fuerat, quem statim à rogo flagrante adhuc cadauere accitum ille vxoris habebat loco, Poppæumque appellabat: imperij insinuabat se successioni. Atque partim ipse per amicos transigebat, etiam mulieribus certis & senatoribus in occulto ei opitulantibus. Vnum autē ex amicis Gellianum in Hispaniam speculatum, quid illic ageretur, misit. Porrò Galbæ à Neronis excessu omnia succedebāt. sed exhibebat ei ambiguus adhuc Verginius Rufus solicitudinem: ne cùm ad id, quòd magno & fortissimo exercitui præesset, adiunxisset partam de Vindice victoriam, atque in potestatem suam redegisset ingentem Romani imperij portionem totam Galliam fluctuantem atque ad rebellionem spectantem, aures præberet adhortantibus ipsum ad suscipiendum imperiū. Neque enim vllius quàm illius maius nomen, neque tanta in laude, in quanta Verginius, erat vllus: qui maximum momentum ad imperiū Romanum simul & dura tyrannide & bellis Gallicis explicandum fuisset. At ille primis suis insistens consilijs imperatoris designandi senatui arbitriū reseruauit: licet vulgato Neronis exitu hinc vulgus militum Verginium de integro premeret, hinc tribunus quidam in tabernaculo districto gladio diceret Verginio, vt aut imperium acciperet aut gladium. Vt verò Fabius Valens super vnam legionem positus in verba Galbæ princeps iurauit, & literæ ab vrbe allatæ de senatus decreto sunt: vix tandē induxit legiones, vt imperatorem Galbam appellarēt, missumque ab eo successorem Flaccum Hordeoniū admisit. cui tradito exercitu ipse progredienti Galbę occurrit, atque eum comitatus est, sed nulla illustri offensa vel honore acceptus. In causa erant, illius ipse Galba, qui eū in reuerentia habebat: huius amici eius, & præ cæteris Titus Iunius. qui, dum Verginij inuidia adductus deprimere se arbitratur eū, propitiæ eius fortunæ imprudens subueniebat: quę eū ex bellis & calamitatibus, quę cæteros cōprehendere duces, in vitā tran-

Nymphidius Sabinus imperio inhiat.

Galbæ à Senatu habiti honores, eius audaciam auxerunt.

Neroniani Galbæ iussu Romæ cæduntur.

Nymphidij genus.

Sporus qui & Poppæus Neronis scortum.

Galba, imperator ab legionibus Gallicis dicitur.

tranquillam & senectutem pace ac quiete affluentem remouit. Porrò Galbæ circa Norbonā oppidū Gallicum missi ab senatu legati occurrentes salutauerunt orauerúntq́, vt quamprimùm se desideranti offerret populo. qui cùm aliàs benignè & comiter eos appellauit excepitq́, tum ad conuiuia cùm præstò ei esset maiorem in modum amplum instrumentum & famulitium, quod † Nymphidius ad eum ex Neronis supellectile miserat: nulla re ex illis, sed omnibus suis vsus est. Vnde laudem assecutus, habitusq́ est vir celso animo atq; ineptiarum contemptor. Citò tamen hanc generositatem, modestiam & ciuilitatem Titus Iunius auræ popularis captationem appellans, atq; magna pigmenta, quæ illa respuerent: suasit ei, vt rebus Neronis vteretur, neque in conuiuijs principali parceret splendori. Itaque senex paulatim planè declarauit in manu se Iunij fore.

† Suet. habet Cornelius Laco.

Titus Iunius, qualis.

Fuit Titus Iunius in immensum & præter omnes hiante auaritia atq; in libidinem præceps. Nam iuuenis adhuc cùm prima stipendia sub Caluisio Sabino faceret, lasciuam ducis vxorem noctu in castra veste militari tectam introduxit, atque in principijs stuprauit. Ob id coniecit eum C. Cæsar in vincula. quo defuncto magna cum felicitate est liberatus. Cùm cœnaret apud Claudium Cæsarem scyphum argenteum furatus est. Quod vbi intellexit Cæsar, vocauit eum postridie iterum ad cœnam: cui, cùm venisset, præcepit vt nihil argenti, sed omnia fictilia offerrent & apponerent serui. Hoc propter Cæsaris lenitatem, quæ magis comica fuit, risu potius quàm ira visum est dignum. At quæ Galbæ potens & plurimum apud eum pollens mercede designauit, tragicis casibus & calamitatibus ingentibus partim causam partim prætextum præbuere.

Nymphidij conatus.

Siquidem Nymphidius simul vt remeauit ad ipsum Gellianus, quem Galbæ miserat quodam modo exploratorem: cùm intellexisset præfectum prætorio Cornelium Laconem creatum, atque esse in Iunij potestate omnia, illi verò nusquam Galbæ adeundi factam copiam vel conueniendi seorsum, quòd eum suspectarent & asseruarent omnes: perculsus est, contractisq́ cohortium prætorianarum tribunis & centurionibus Galbam ait ipsum quidem bonum & moderatum senem esse, sed non suis vtentem consilijs ab Iunio & Lacone peruerti. Igitur priusquàm imprudentibus ipsis in negocijs principalibus illi occuparent potestatem & authoritatem, quam in imperio Tigillinus habuisset, mittendos ad imperatorem exercitus nomine legatos: qui eum doceant, si ex amicis solos hos duos ab se remouisset, fore aduentum eius omnibus gratiorem & exoptatiorem.

Militum ad Galbam legatio.

Cùm oratio sua minùs probaretur: sed absurdum & absonum appareret seni imperatori velut modò gustanti principatum adolescenti, quibus amicis vsurus vel non esset, præscribere: aliam viam ingressus pauoris Galbę offundendi causa scripsit, nunc multa vlcera & multorum suspectos animos in vrbe esse, nunc Clodium Macrum in Africa naues frumentarias retinere, mox legiones Germanicas concitari, de Syriæ & Iudææ legionibus paria nunciari. Cùm verò non magnopere præberet ei Galba aures, neque fidem tribueret: statuit eum præoccupare. Atqui Clodius Celsus Antiochenus vir prudens & studiosus eius atq; amicus deterrebat eum, vnum negans existimare se vicum Romæ esse, Nymphidium qui esset Cæsarem appellaturus. Hunc multi contrà deridebant, & Mithridates Ponticus illudens caluitiei & rugis Galbę: Nunc aliquam habet, inquit, de eo populus Romanus expectationem: verùm simul atque in conspectum eius venerit, videbitur horum dierū esse, quibus dicitur Cæsar, opprobrium. Igitur visum est concubia nocte castra ingredi, & Nymphidium salutare imperatorē. At princeps tribunus Antonius Honoratus iam vesperi contractis militibus suis tam se ipse insectatus est, quàm illos, qui nulla ratione neque delectu meliorum: verùm genio quopiam malo, qui ipsos ex proditione in proditionem ageret, breui temporis spacio toties se variarent.

Antonij Honorati ad milites consternatos salutaris oratio.

Ac prima quidem speciem, inquit, habent Neronis crimina. Nunc verò Galbam prodemus: at quod parricidium matris, aut quam vxoris cædem, aut quam erubescentes scenam aut tragœdiam principis? Atqui ne illum quidem horum causa deserere sustinuimus: sed quia Nymphidio credidimus priùs nobis desertis illum profugisse in Aegyptū. Vtrùm igitur Neroni Galbæ necce parentabimus, & Nymphidia ortum designantes Cæsarem, ortum ex Liuiæ familia trucidabimus, vt illum ex Agrippina trucidauimus? An supplicio illius scelerum vindices nos Neronis & Galbæ bonos fidosq́ demonstrabimus stipatores? Sic fato tribuno cuncti milites assensi sunt: aliosq́ adeuntes adhortati sunt, vt perstarent in fide erga imperatorem: maioremq́ partem ad se traxere.

Nymphidius ad imperium aspirat.

Cùm sublatus clamor esset: siue quòd crederet Nymphidius, vt aliqui referunt, vocari iam se à militibus, siue quò præuertere maturaret tumultuantes adhuc & dissidentes: perrexit eò ad multa lumina orationem

tenens

tenens in libello conscriptam à Ciconio Varrone: quam meditatus fuerat, vt ad milites haberet. Cæterùm vbi portam clausam castrorum, atq; in corona muri frequentes conspexit armatos, trepidauit. Itaq; succedens mœnibus quæsiuit: quid hoc rei esset, & cuius iussu cepissent arma? Cùm vna ei ab omnibus vox occurreret Galbam se imperatorem agnoscere, ipse quoq; propiùs accedens id festa voce approbauit, idemq; præcepit comitibus suis. Postquàm verò statio, quæ ad portam erat, illũ cum paucis admisit in castra: ingesta in illum est lancea, quam præcedens scuto Septimius excepit. Sed cùm alij strictis gladijs incurrerent, fugam cepit, & comprehensus confoditur in militis cuiusdam tabernaculo, protractumq; in medium cadauer & cancellis septum spectaculo volentibus postero die præbuere.

Nymphidij Sabini cædes.

Ita sublato Nymphidio, Galba vt ei nunciatum est, consortes quoque coniurationis eius, qui non præuerterant sibimet ipsi mortem cõsciscere, interfici imperauit. inter quos fuit orationis scriptor Ciconius & Ponticus Mithridates. At visus est non legitimè quamvis iure neque ciuili more inauditos viros non obscuros necasse. Siquidem aliam imperij figuram omnes expectauerant decepti, vt fieri solet, à prima fama.

Galbæ seuitia.

Multò magis momordit eos viri consularis & Neroni firmi mandata cædes Petronij † Tertulliani. Nam Macronis quidem in Africa per * Trebonianum, & in Germania Fronteij per Valentem trucidati velamentum habebat: quòd hi, quia in armis & legionibus præfecti erant, præberent ipsi terrorem. At Tertulliano nudo seni & inermi facultatem non denegasset sui purgandi: si quam promittebat, præstare in principatu re in animo haberet moderationem. Atq; in his huiuscemodi sunt reprehensiones.

Petronij Tertulliani cædes.

† Turpiliani, est apud Tacitum.

** Trebonium, est apud Tacitum.*

Postquàm iam progrediens peruenit ad tertium fermè ab vrbe lapidem: incidit in tumultum inconditum classicorum: qui viam insidebant, eranitq; vndiq; ei circunfusi. Hi erãt, quos in vnam legionem Nero decuriatos ordinibus militaribus ornauerat: ac tunc flagitãtes stipendia sua roborari, neq; conspicere prodeuntibus obuiàm neq; appellare permittebant imperatorem: sed tumultum ciebant clamore signa legioni & locum postulantes. Quos cùm ille reijceret diceretq;, vt alio tempore de eo agerent: negationis speciem esse eam dilationẽ ferentes stomachabantur subsequebanturq; eum cum fremitu. Vt nonnulli gladios quoq; strinxerunt: imperauit equitibus Galba, vt in eos inueherent. nec substitit quisquam illorum: sed omnes extemplò prostrati, pars in fuga cæsi sunt parum fausto vel auspicato omine Galbæ per tantum sanguinis & cadauera tam multa vrbem ingredienti.

Galba per cædes Romam ingreditur.

Verùm si quis antè contempserat vt inualidum & senẽ, tunc horrendus omnibus & formidabilis euasit. Porrò dum id agit, vt immoderationis in donis & profusionis Neronis magnã vicissitudinẽ ostenderet, aberrare visus est à decoro. Cùm enim Canus tibia super cœnam cecinisset (erat acroama Canus celebre) laudato & commendato loculos sibi iussit apportari, depromptosq; aliquot aureos donauit Cano, adijciens id de peculiari se non de publico largiri. Dona, quæ scenicis Nero & palæstricis largitus fuerat, acerbè repeti præter decimas præcepit. Inde cùm pauca & exigua auferret: quòd plerıq; munera prodegissent homines in diem viuentes & vita dissoluti: requisiuit eos, qui quicquam ab illis comparassent vel accepissent, atq; ab his exegit. Cùm esset res infinita, & porrò serperet, pertineretq; ad multos: ipse infamiam sibi comparabat, inuidia & odio flagrabat Iunius: quòd cæteris omnibus redderet imperatorem malignum & sordidum, cùm ipse vteretur profuso, omnia'que acciperet & venundaret. Ait enim Hesiodus,

Galbæ sordes.

Titi Iunij auaritia.

Incipiente cado & cessante sitis satianda.

Hesiodi dictum.

Iunius verò imbecillem & senem cernens Galbam, illius fortuna volebat se exatiare vt simul & exoriente & expirãte. At seni iniuria fiebat ab Iunio primùm malè administrante: deinde quæ rectè ipse instituebat, carpente vel interpellante: vt fuit Neronianorũ punitio. Nam improbos necauit: in quibus Elius, Polycletus, Petinus, & Patrobius fuere. Hic populus applausit: & cùm per forum raperentur, præclarã clamauit esse & dijs gratam pompam, poscere verò deos homines'q; magistrum quoque & pædagogum tyrannidis Tigillinum.

Galba Neronis ministros occidit.

At egregius ille grandibus arrabonibus occupauerat Titum Iuniũ. Atqui Tertullianus quidem, quia non prodiderat neq; oderat principem, qui talis erat, inuidia flagrauit, & facinore nullo præterea insigni admisso sublatus est. Qui verò morte dignum reddiderat Neronem, & factũ talem destituerat prodideratq;, superat: magno documento nihil esse apud Iunium impossibile vel deploratum largientibus. Nam cùm spectaculum populus Romanus nullum perinde expeteret atque Tigillinum rapi

Tigillinus seruatur à Iunio.

videre ad supplicium, nec desisteret in omnibus theatris & circis deposcere illũ, imperatoris edicto increpitus est. Tigillinum significauit, quòd esset tabe cõfectus, haud diu superfuturum. Petere à populo se, ne efferet neque tyrannicum efficiat principatum suum. Illi verò offensam irridẽtes populi, Tigillinus pro salute adepta sacrificauit & splendidũ conuiuium apparauit, T. Iunius surgens ab imperatoris cœna ad illũ concessit commessatum ducens secũ filiam viduã: cui propinauit Tigillinus duodecies HS, & pellicũ suarũ primariæ monile iussit collo suo detrahere atque ex illius suspendere, quod sexcentis millibus nummûm dicebatur esse. Hinc vel moderatè facta vellicabantur: vt illud in Gallos, qui cum Vindice conspirauerant. Existimatio enim erat non principis fauore eos, sed licitatos à Iunio vectigaliũ remissionẽ & ciuitatẽ Romanã obtinuisse. Ac plebs quidem hisce rebus mota est, vt infesta esset imperatori. Milites verò non soluto donatiuo spes initiò protrahebat, si non tantum, at quantũ dederat Nero, Galbã numeraturũ. Quos vt conqueri accepit, vocẽ misit magno principe dignã, legere dicẽs militẽ se non emere solere. Id intelligẽtes ingens & asperũ aduersus eum odiũ cepit. Quippe videbatur nõ ipse fraudare militẽ solùm, sed legem quoque præscribere, & docere secuturos principes. Cæterùm erat cæcus adhuc vrbanus motus, simulque quædã præsentis reuerẽtia Galbæ præstringebat & extrahebat seditionẽ: & quòd nullum probabile mutationis exordiũ præ manibus esset, id restringebat & supprimebat vtcunque eorũ offensam. At qui antè sub Verginio militauerant, & tunc merebant sub Flacco in Germania, quibus magnos spiritus dederat quàm cum Vindice conseruerant pugna, cùm eluderentur, nõ poterant placari à ducibus. Ipsum Flaccum ob podagræ vim corporis impotentẽ & rerũ rudem planè despiciebant. ac spectaculo quodã, cùm tribuni & centuriones de more Romano fausta imperatori Galbæ precarentur, tumultuatũ vulgus est primùm: deinde repetentibus illis vota succlamauerunt, si dignus est. Pari procacitate cùm Tigillini legiones subinde vterentur, certiorẽ Galbam procuratores fecere. Qui metuens, ne non fessæ ætatis suæ tantùm gratia, verùm etiã propter orbitatem despiceretur: deliberauit aliquẽ ex iuuentute clarũ adoptare & imperij declarare successorẽ. Erat M. Otho natalibus non obscuris, sed luxu & delicijs mox à prima ætate inter paucos Romanorũ profligatus. Vt autẽ Paridem Homerus

Galba offendit milites.

Tumultus legionum Germanicarum.

Othonis mores.

Virum formosæ Helenæ,

nulla præterea commendabilem re celebrans ab vxore crebrò nominat: ita nobilitatus in vrbe ex nuptijs fuit Otho Poppeæ, quam Nero nuptam † Crispino adamabat. sed pudore adhuc vxoris & matris metu Othonẽ ad Poppæam solicitandã submisit. Amicitia vtebatur Othonis & consuetudine ob profusionẽ eius: ac cùm ab eo derideretur subinde sordiũ & parcitatis causa, lætabatur. Fama est, cùm Nero aliquãdo pretioso vnguento, quo vnctus fuerat, Othonẽ aspersisset: illũ contrà insequenti die excipientẽ Neronẽ repentẽ fistulas aureas & argenteas diuersis locis proposuisse, quæ quasi aquã magna vi fuderunt vnguentum. At vbi Poppeæ stuprum delibauit Neroni, illius proposita spe corruptam induxit, vt à viro diuerteret. Postquam verò ad ipsum vt iusta materfamiliâs venit: non satis habuit, quòd in communicationẽ veniret eius: verùm iniquo animo illũ tulit riualẽ. Nec molestè patiebatur, vt aiunt, æmulationẽ Poppæa. Etenim exclusisse Othone nõ præsente Neronẽ dicitur, vel satietatẽ detrahens libidinis, vel vt ferunt nonnulli Cæsaris nuptias grauata: cùm vti eo ob lasciuiã non defugeret amatore. Vnde in mortis periculum venit Otho. Mirum autem fuit, cùm vxorem eandemque sororem ob Poppææ nuptias necasset, pepercisse eum Othoni. Cæterùm vtebatur familiariter Seneca, cuius suasu & monitu missus est à Cæsare proprætor in Lusitaniam ad Oceanũ, vbi nec iniucundum vel asperũ præbuit se prouincialibus, quòd pro exilij specie & velamento concessam prouinciã sibi sciret. Deficienti ab Nerone Galbæ primus ex rectoribus prouinciarũ aggregauit se: offerensque quicquid in poculis & mensæ instrumento auri & argenti haberet, tradidit Galbæ ad signandã ex eo pecuniam, donauitque ei seruos doctos ad mensam scitè principi ministrare. Cætera quoque fidus ei erat, specimenque præbens nemini videbatur rerum peritia secundus. Eadem cum illo lectica toto itinere per multos dies assiduè vectus est. Dum vnà iter faciunt, etiã consuetudo eius cõciliauit blando sermone & donis T. Iuniũ. maximè verò dum concessit ei primas, secundas per illum firmiter tenebat. Hoc superabat illũ, quòd nulla ipsum inuidia attingeret: cùm gratis vbique operam suam præstaret petentibus, præberetque omnibus se affabilem & benignum. Plurimum

† Rufum Crispum nominat Tacitus.

Poppæa nubit Othoni.

Otho mittitur proprætor in Lusitaniam.

Othonis apud Galbam potentia.

Othonis artes ad imperium aspirantis.

timum verò militibus præstò erat, multosq; prouexit ad præfecturas, hinc petens ab imperatore, hinc Iuniũ & libertos principis Siculũ & Asiaticum rogans. Nam authoritas horum erat in aula summa. Quoties Galbã inuitaret, semper cohortem excubantẽ nundinabatur largitionibus, aureos in singulos diuidens: ac qua re honorare illũ videbatur, ea euertebat eum & alliciebat milites. Igitur cõsulente de successore Galba, Othonẽ nominauit Iunius, neq; id gratis, sed filię suę nuptias pactus: vt adoptatus à Galba Otho & successor designatus imperij eam matrimonio sibi adiungeret. At Galba præ se tulerat semper temp. se priuatis anteferre rationibus suis, neq; quærere, vt sibi acceptissimũ, sed populo Romano adoptaret vtilissimum. ac videtur ne priuati quidem patrimonij tantùm hæredem Othonem destinasse, profligatũ sciens & profusum, & bis millies HS. ære alieno demersum. Vnde silentio & leniter audito Iunio iudiciũ suum suspendit. Cùm autem se ipsum consulẽ allecto collega T. Iunio declarasset: habebatur principio anni successorem nominaturus: miles verò Othonem optabat præ cæteris omnibus renunciari.

Legionum Germanicarum tumultus.

Cunctantẽ adhuc & cõsultantẽ seditio Germanica occupat. Omnes enim in vniuersum milites Galbam oderant, quòd non repræsentasset ipsis donatiuum. Peculiares verò milites Germanici colores sumebant, quòd esset Verginius Rufus ignominiosè abiectus, & Galli, qui cum ipsis arma cõtulerant, donis honorati: plecterentur autẽ, quicunq; nõ associassent se Vindici: cui vni Galba gratiam haberet, honoraretq; mortuum & remuneraret publicis parentationibus, quasi Romanus imperator ab illo creatus. Cùm huiuscemodi sermones propalàm in castris sererentur: superuenerũt Cal. Ianuariæ. Ibi conuocauit eos Flaccus, vt de more in verba imperatoris iurarent. Vbi conuenerunt, imagines Galbę deiecerunt laceraueruntq́;, atq; in verba senatus populiq; Romani iurauerũt: itaq; discessere.

Milites à Galba deficiunt.

Hîc cœperunt duces & præfecti exercitus illam principis reiectionem vt defectionẽ formidare, ac dixit quidã illorũ: Quid hoc rei est cõmilitones, quòd neq; alium imperatorẽ creemus, neq; retineamus eum, quẽ habemus? quasi nõ Galbã, sed omninò habere imperatorem & parêre defugiamus. Flaccũ Hordeonium quidẽ, qui nihil aliud quàm vmbra est & simulachrum Galbę, missum faciamus. Vnius diei iter abest à nobis Vitellius, qui alteri Germaniæ pręest. cuius fuit pater censor & ter cõsul, & Claudio Cæsari quodammodo consors imperij: ac qui habet paupertatẽ, quã aliqui detestantur, insigne documentũ probitatis suæ & magnanimitatis. Agite hunc legamus, atq; omnibus mortalibus ostendamus Hispanis nos & Lusitanis rectiùs nosse imperatorem creare. His cùm quidam iam assentirentur, quidam refragarentur: vnus subduxit se signifer ex castris, atq; illa Vitellio nocte multis apud eum cœnantibus annunciauit.

Vitellius imperator à legionibus Germanicis salutatur.

Ea fama per castra perlata princeps Fabius Valens, qui vni legioni præerat, postero die aduectus frequenti equitatu Vitellium salutauit imperatorem. Ille superioribus diebus id nomẽ visus fuerat molem timens imperij repudiare & recusare. verùm tunc aiunt, cùm esset vino ciboq; meridiano grauatus, progressum esse, ac recepisse nomen Germanici, quod ei imposuerunt, Cæsaris reiecisse. Mox Flacci quoq; legiones præclaris illis & popularibus in verba senatus obliteratis iuramentis sacramentũ dixerunt Vitellio imperatori dicto se audientes fore. Ita consalutatus est in Germania imperator Vitellius.

Galba adoptat Pisonem.

Prodigia tetra Galbæ oblata.

Hac perlata defectione nõ vltrà produxit Galba adoptionem: sed quòd amicos sciret partim Dolabellę, plerosq; verò Othoni pronos, quorum ipse neutrum probaret: repentè nemine conscio Pisonem accersit ex Crasso & Pisone, quos interfecerat Nero, ortum iuuenẽ, in cuius ad omnem virtutem indole modestia & seueritas clarissimè elucebant. Ita profectus est in castra, vt Cæsarem illũ & successorem suum renunciaret. At prodigia de cœlo exeunti magna statim oblata sunt. Hinc vbi in castris exorsus est orationẽ partim habere, partim de scripto recitare: toties tonuit & fulgurauit, tantaq́; vis imbris & caliginis in castra & vrbem effusa est, vt liqueret non admittere neq; comprobare deos, neq; felicem successum habituram adoptionem. Erant iam milites quoq; exulcerati & tristes, quòd ne tunc quidem esset ipsis donatiuum repręsentatum. In Pisone autẽ, qui aderant, ex voce & vultu facientes coniecturã mirabantur: quòd beneficium tantum sine stupore, quamvis id tamen sentiret satis, exciperet: vt cõtrà in Othonis vultu multa signa eminebant acerbè & infensè ferẽtis decidisse se spe: qua quia dignus primus fuerat habitus, & ad quam propè accesserat consequendam, huius repulsam pro signo habebat Galbæ ab se alienati animi & maleuolentiæ. Vnde non liber metu futuri, imò & Pisonem timẽs & execrãs Galbam & infestus Iunio abscessit multis motibus agitatus. Neq; enim spem abijcere neq; languescere sinebant eum, qui assiduè circa eum erant vates & Chaldæi,

Ptolemæi vaticinium de Othonis imperio.

maximè verò Ptolemæus. qui eo nitebatur, quòd sæpè prænunciasset ei non interemptum iri ipsum Neronem, sed decessurum hunc priorem, & superfuturum ei Othonem, Romanisq; imperaturum. Quia enim verum illud prædixerat, volebat, vt ne hic quidem diffideret. Præcipuè verò stimulabant eum illi, qui vicem eius clàm dolebant ingemiscebant'que: quòd ingratus in eum extitisset Galba. Plerique ex Tigillini & Nimphidij familiaribus, qui in honore fuerant, abiecti tunc & in ordinem redacti venditabant se ei, vicem'q; eius indignabantur, & eum inflammabant. In his erant Veturius & Barbius, superior optio, hic † tesserarius. Ita enim appellantur, qui per nuncios & speculatores ministerijs funguntur. Cum his Othonis libertus Onomastus castra ingressus partim argento partim spe infectos iam & occasionem captantes labefecerunt. Alioquin enim haud erat quatuor dierum, quot inter adoptionem & cædem intercessere, opus sanum exercitum impellere totum ad defectionem. Sexto enim die interfecti sunt, qui fuit ad octauum decimum Cal. Februarias. Quo die prima statim luce Galba in Palatio assistentibus amicis sacrificauit. Aruspex Vmbricius, vt primùm hostiæ exta in manus sumpsit, præuidere se nō per ænigmata, sed apertè signa ingentis turbæ ait, atq; ex insidijs discrimen ceruici impendens imperatoris. Ita deus tantùm nō Othonem manu prehensum tradidit. Astabat enim à tergo Galbę, atq; his, quæ ab Vmbricio referebantur & ostendebantur, animum aduertebat. Commoto & colorē variè præ metu mutanti assistens libertus Onomastus adesse dixit & præstolari eum domi architectos. Signum id erat temporis, quo militibus Otho debebat occurrere. Itaq; causans se veterem domum emisse, cuius vellet vitia ostendere venditoribus, abscessit & per Tiberij domum, quam vocant, descendit in forum: vbi aurea columna est posita: in quam viæ militares Italiæ omnes desinunt. Illic primos, qui eum exceperunt & appellauerunt imperatorem, non plus tres & viginti aiunt fuisse. Quapropter quamvis non corporis mollitia, neque animi ignauia effœminatus, sed confidens esset ad discrimina intrepidusq;, obtorpuit tamen. Verùm milites illi non permiserunt id: imò districtis gladijs lecticam eius stipantes iusserunt eam tolli, perisse se subinde illo acclamante & lecticarios vrgente. Exaudierunt enim id aliqui obstupescentes magis quàm perculsi ob paucitatem eorum, qui id facinus essent ausi. Ita per forum delato occurrere totidē alij, rursusq; terni & quaterni alij aggregauerūt se. Inde omnes cum eo versus castra regressi sunt Cæsarem appellantes & strictos gladios prætendentes. Tribunus, qui stationem in castris agebat Martialis, vti ferunt, consilij nescius erat. Hic re inopinata ictus territusq; permisit Othonem in castra intrare. Ingresso nemo obstitit. Quippe cœptorum ignari à conscijs & cōspirantibus ex composito circumfusi sparsim singuli & bini, metu primùm, deinde flexi secuti sunt. Id extemplò Galbæ est in palatium nunciatū astante adhuc aruspice & exta in manibus tenente. Vnde & illi, qui omnem fidem ijs abrogabant ac contemnebant: obstupuere & admirati sunt præsagium diuinū. Cùm confusa multitudo conflueret ex foro in Palatium: T. Iunius, Laco, & nonnulli liberti districtis gladijs stipauerunt eum, Piso procurrit ad cohortem Palatinam cōueniendā. Celsus Marius vir bonus missus est ad cohortem Illyricam, quæ in porticu Vipsania, vt appellant, stationē habebat. Deliberante an in publicum prodiret Galba, Iunio autem manendū censente, Celso verò & Lacone incitantibus eum, vt prodiret, Iuniumq; acerbiùs increpātibus: vagus rumor vulgatus est interfectum in castris Othonem, ac mox conspectus Iulius Atticius miles nō obscurus inter speculatores stricto ense accurrere, qui occidisse clamabat se Cæsaris hostem, dimotaq; turba gladium cruentum ostendit. Quem Galba intuitus: Quis tibi, inquit, iussit? Qui cùm respondisset, Fides & sacramentū, quo adactus esset: & plebs acclamaret, Rectè sanè, plausumq; daret: Galba in lectica delatus est, vt Ioui immolaret & ostenderet se ciuibus. Postquàm in forum peruenit, quasi venti conuersio oblatus rumor est tenere Othonem castra. Ibi vt solet in tanto cœtu, cùm acclamarent hi, vt regrederetur: illi, vt procederet: pars, vt esset bono animo: alij, caueret: & lectica sicut in fluctibus huc illuc iactaretur & crebrò nutaret: conspecti sunt primò equites, mox pedites à basilica Pauli aduolare: qui vna voce exclamabant, facesserent pagani. Ibi multitudo discurrit, non fuga se diffundens, sed porticus & edita fori sicut theatrum occupans. Atilio Vergilione imaginem Galbæ solo affigente auspicati bellum iacula vndiq; in lecticā ingessere. Vt non attigerunt eum: strictis gladijs admouere propiùs. Nemo se ijs obiecit extra vnum virum, quem sol in tot millibus aspexit vnū Romano imperio dignū, Sempronium Densum centurionem, qui nullo ille quidem priuatim beneficio Galbæ obstrictus;

Marginalia: † Tacit. habet Tesseraius. — *Tesserarius.* — *Otho corrumpit milites prætorianos.* — *Aruspicis de Galbæ cæde, præsagium.* — *Otho imperator salutatus.* — *Otho recipitur à cohortibus prætorianis.* — *Militis impudens mendacium.* — *Fides & sacramentum, pro regis iussu habenda.* — *Tumultus ob Galbam.* — *Sempronij Densi*

ctus: sed sacramento & fide impulsus institit protegere lecticam, vitemq́; primò, quo in sontes animaduertũt cẽturiones, sustollens inuehentibus minitabundus inclamauit, parcerent imperatori. Inde cùm inuaderẽt ipsum, educto gladio diu pugnauit: quoad in poplitibus ictus occubuit. *Galbã Imp. protegentis cædes.* Galbæ euersa lectica ad lacũ Curtium prouoluto & in lorica iacenti accurrentes ingesserunt vulnera. Ille iugulũ offerens: Agite dum, inquit, si hoc ex rep. est. *Galbæ morientis verba.* Crura & brachia eius fœdè laniauere. Iugulum hausit, vt crebrior fama est Camurius x v. legionis miles. Nonnulli Terentiũ, Arcadium alij produnt, sunt qui Fabiũ Fabulum. quem aiunt caput Galbę occultasse & portasse in sinu tunicæ suæ, quòd præ caluitie apprehendere id nõ posset: mox socijs eius tegere non permittentibus, sed vrgentibus vt omnibus ostẽderet strenuitatem suam, in lanceam sublato & suffixo senis capite imperatorisq́; moderati & pontificis maximi & consulis cucurrisse Baccharum more sæpè conuertentem se & vibrantem cruore stillantem hastam. Capite allato vociferasse ferunt Othonem: Hoc nihil est commilitones, Pisonis mihi caput ostendite. *Pisonis cædes.* Breuì id allatum est. Saucius enim fugam cepit iuuenis. quem consecutus Murcus quidam pro æde Vestæ trucidauit. *T. Iunij cædes.* Necatus est & T. Iunius conscium se coniurationis in Galbam fassus. Clamauit enim præter Othonis sententiam interfici se. Sed enim huius quoque præcisum caput Laconisque Othoni obtulerunt, ac præmia postulauere. Vt verò ait Archilochus:

Septem humi stratos iacentes, cruribus quos cepimus
Mille nos confecimus:

ita tunc multi, qui consortes non fuerant cædis, manus & gladios cruentauerunt, eaq́; ostendentes porrectis libellis præmia petiuerunt ab Othone. Centum & viginti certè ex tabulis postea reperti, quos Vitellius conquisitos omnes interemit. Venit in castra & Marius Celsus: multisq́; eum arguentibus adhortatum milites, Galbæ vt succurrerẽt: deposcenti eum ad cædem concedere multitudini noluit, timens tamen ijs repugnare, tam citò negauit se interfecturum eum. *Otho seruat Marium Celsum.* Nam esse, quæ antè exquirere de eo vellet: præcepitq́;, vt in vinculis custodirent, permisitq́; eum his, quibus maximè fidebat. Mox senatus coactus est. & quasi alij forent, aut alios haberent deos, vbi cõuenere, sacramentum Othoni, quo astrictus Galbæ ipse non seruauerat, dixere Cæsaremq́; & Augustum appellauere: *Senatus iurat in verba Othonis.* cùm trunca cadauera adhuc in consularibus vestibus essent in foro abiecta. Capita, cùm nullus iam eorum foret vsus, Iunij filiæ eius decem millibus nummûm vendiderunt, Pisonis accepit vxor precibus à Veranio: Galbæ, Patrobij & Vitellij seruis donauere. *Capita ciuium Ro. venundata.* Id illi vbi acceperunt, omni contumeliarum & ludibriorum genere affectũ proiecerunt: quo loco trucidantur, in quos Cæsares animaduertunt. Locus Sestertium dicitur. *Sestertium locus Romæ.* Corpus Galbæ Priscus Heluidius Othonis permissu sustulit. Humauit id nocte Argius libertus illius. Habes historiam Galbæ: qui vel genere vel opulentia paucis fuit Romanis secundus, simul & opulẽtia & genere coæuos suos antecelluit omnes. Quinq́; imperatorũ cum honore & laude principatus trãsegit, vt nomine suo potius quàm viribus Neronem conuulserit. Sociorum illius conspirationis partim nemo habuit imperio dignos, alij semet ipsi dignos habuere. Galba verò, qui & appellatus fuit imperator & nomen accepit, cœptisq́; Vindicis nomen suum commodauit, defectionem eius, quæ motus & seditio dicebatur, bellum ciuile effecit: quòd virum imperio dignum nacta esset. Vnde non sibi rapere imperium, sed potiùs se ipsum dare imperio intendens, imperare voluit militibus, qui illecebris Tigillini & Nymphidij fuerãt corrupti, vt Scipio, Fabricius, Camillus sui æui militibus imperauerant. *Galbæ in imperio animus.* Cæterùm senio obrutus vsq́; ad arma & castra integer fuit & prisci seculi imperator. Quia verò T. Iunio, Laconi, & libertis suis, qui omnia habebant venalia, sese dedidit, sicut dediderat Nero, hominibus insatiabilissimis: neminem, qui imperium desiderauerit, qui miserati sint exitum eius, complures reliquit.

Otho.

Othonis moderatio initio principatus.



OVVS imperator lucis principio in Capitolium progressus sacrificauit, ac Marium Celsum adduci ad se iussum salutauit appellauitq; benignè, ac monuit: causę obliuisceretur potius, quàm liberationis suæ memoriam retineret. Cui cùm Celsus nec abiectè nec ingratè respondisset: sed dixisset morum suorum facere crimē fidem. Crimini enim datum sibi, quòd pręstitisset Galbæ cui nullam gratiam debuisset, fidem: vtrunque assistentes cōmendauere milites'q; laudauere. In senatu cùm multa populariter & benignè disseruisset: quod temporis erat cōsulatu functurus, huius partem concessit Verginio Rufo. Destinatos à Nerone vel Galba omnibus reliquit consulatus, sacerdotijs ætate vel laude prouectos ornauit: eiectis sub Nerone in exilium, qui sub Galba domum redierant, senatoribus omnibus restituit, quę bona cuiusq; non distracta extabant. Vnde primores & optimi quiq;, qui horruerant antè, tanquam non homo, sed vel furia aliqua vel dira pestis subitò remp. inuasisset, arrectiores fuerunt spe ad principatum quasi blandientem. Simul totum populum Romanum nihil perinde lætitia extulit vel adiunxit illi vtcius in Tigillinū factum. Imprudens enim ille ipso iam timore puniebatur pœnæ, quam vt debitum publicum ciuitas exigebat, & morbis corporis deploratis. Cuius quamvis profligatas & nefarias cum scortis atq; fœdas volutationes, ad quas libido in eum dominans animam agenti adhuc pruriebat, extremum supplicium sapientes, multisq; par mortibus ducebant: torquebat plebem tamen, quòd solem adhuc aspiceret, postquam tot & tales viros eius causa lumen illius non aspiciebant. Misit igitur in eum Otho ad villam ipsius apud Sinuessam. Illic agebat paratis ibi nauibus, quibus longiùs profugeret. Eum, qui missus fuit ad ipsum, magna vi auri molitus est, vt se missum faceret, induceret. Postquam id frustrà fuit, æquè dedit ei munera. Orauit autē, vt sustineret, dum barbam rasisset: acceptoq; cultro tonsorio fauces sibi ipse præscidit. Ita cùm iustissimū gaudium Cæsar populo tribuisset, priuatas iniurias ipse nullius prorsus ad animum reuocauit. Porrò in populi gratiam non refugit primùm in theatris Nero salutari, neq; coërcuit certos, qui imagines Neronis publicè proponebant. Imo Claudius Rufus in Hispaniam tradit portata diplomata, quibus tabularios dimittunt, in quibus præclarū Neronis nomen adiectum nomini erat Othonis. Cæterùm id, vt principes & optimates eo aduertit offendi, omisit. Huius cùm imperium eiusce modi posuisset rudimentum: milites prætoriani solicitauerunt eum monentes, vt suspectos haberet caueretq; & deprimeret primores: siue reuerà timebant eius studio, siue ansam hanc arripiebant ad turbanda omnia & bellum ciendum. Cùm autem Crispinum & septimā decimam cohortem misisset, vt certos attraherent: atq; ille tenebris adhuc arma confarcinaret & vehiculis imponeret: fremebant audacissimi quiq; nihil Crispinum boni in animo habere, sed moliri res nouas senatum, atq; arma ad Cæsaris perniciem non Cæsari portari. Qui rumor cùm ad multos perueniret, eosq; concitaret: pars vehiculis manus iniecerunt, pars resistentes duos centuriones & ipsum obtruncauere Crispinū: omnesq; in armis cohortantes sese mutuò, vt Cæsari ferrent opem, Romam aduolauerunt: accipientesq; cœnare apud eum octoginta ex patribus petunt Palatium, nunc tempus esse ferentes coactos vno loco Cæsaris hostes occidendi. Itaq; ciuitas velut iam imminente excidio fuit magno tumultu concitata. In Palatio discurrebatur, atq; Othonem ingens tenebat perplexitas. Nam cùm illis timeret, ipse timebat, oculisq; in se defixos videbat obmutescentesq; & trepidantes, quorum nonnulli venerant ad cœnā & cum coniugibus. Simul pręfectos prætorio misit ad appellandum & mulcendum militem: atq; conuiuas excitatos per alia ostia emisit. Modò euaserant cùm milites prætoriani irruperunt in tricliniū quęrentes, quid factum esset Cęsaris hostibus. Ibi insistens Otho toro multis modis mitigauit obsecrauitq; eos, ac ne lachrymis quidem abstinens ægrè eos repressit. Postero die largitus viritim quina millia nummûm castra est ingressus. Laudatis militibus vt sui studiosis & promptis paucos demonstrauit in nullum bonum latêre ibi, qui infamem reddant moderationem suam constantiamq; & fidem ipsorum: petijtq;, vt dolor suus ipsis cordi esset, atq; se ad animaduertendum in eos iuuarent. Approbantibus id assentientibusq;

Tigillini cædes.

Tigillini stultitia ante cædem.

Otho accepit initiò nomen Neronis.

Prætorianorū militum tumultus.

Crispini cædes.

Othonis in milites largitio.

tibusq́ omnibus duorum tantùm supplicio, quorũ sanguini ingemiturus erat nemo, cõtentus fuit. Hæc aliqui cõmendantes fidentesq́ ijs mirabantur mutationem illius. Pars acta necessaria blandientis pro tempore belli causa existimabant. Nam certò iam afferebatur authoritatem & potestatem principalem Vitellium assumpsisse. ac nuncij crebri veniebant, qui quotidiè aliquid afferebant ei accedere. *Vitellianus tumultus.* Alij legiones Pannonicas, Dalmatiæ, & Mysiæ cum ducibus Othonem imperatorem perferebant appellasse. Mox allatæ Mutiani literæ & Vespasiani pacatæ: quorum hic in Iudæa, ille in Syria ingentes copias ductabat. Quibus erectus scripsit Vitellio monens, ne supra conditionẽ militarem efferret se, pecuniam se ei affatim & oppidum donaturum, vbi in ocio securissimè & iucundissimè vitam ageret. Rescripsit huic ille primùm leniter deludens eum. Hinc iritati multa fœda & procacia inuicẽ per literas improperauere, non illa quidem falsò, sed stolidè & ridiculè alter alteri, quibus contacti ambo erant, dedecora exprobrantes. Profusionis enim, mollitiæ, imperitiæ rei militaris, prioris egestatis, oneris æris alieni difficile dictu erat vter esset magis immunis. At prodigia & spectra multa nunciabantur, quorum alia incerto rumore & ambiguo ferebantur. *Prodigia.* In Capitolio verò ex victoriæ, quæ bigæ insistebat, manibus habenas viderunt omnes laxatas sicut retinere non valentis: in insula Tiberina diui Iulij statuam nullo terræmotu & cœlo tranquillo ab occidente in orientem conuersam. quod circa illos dies perhibent cõtigisse, quibus Vespasianus apertè iam imperium suscepit. Id quod Tiberi accidit, pro fœdo ostento habuit vulgus. Erat quidem hora, qua potissimùm flumina exundant. Sed nunquam in tantum excreuerat, neq́ tantam ediderat stragem, vel ruinam attulerat effusus & inundans magnã partem vrbis, maximè in foro frumentario, vt magna fames per multos dies vrbem obsederit. *Tiberis mira inundatio.* Vt Alpes iam tenere Cecinnam & Valentem duces Vitellianos est allatũ: Dolabella Romæ vir patritius in suspicionem prætorianis venit res nouas moliri. Hunc in coloniam Aquinum, eum alium ve metueret, confirmatum dimisit, Deligens ex magistratibus comites itineris allegit in his Lucium quoq́ Vitellij fratrẽ, neq́ eius dignitati quicquam vel adiecit vel detraxit. Sedulam etiam curam de matre & vxore Vitellij egit, nequid sibi timerent. Vrbi Flauium Sabinum præfecit Vespasiani fratrem, id ne quoq́ honori tribuerit Neronis. nam præfecturam ab illo Sabinus acceperat & spoliatus fuerat à Galba: an prouehendo Sabino beneuolentiam & fiduciã Vespasiano ostentauerit. Brixilli Italiæ oppido circa Padum substitit. Duces copiarum misit in hostes Marium Celsum, Suetonium Paulinum, adhæc Gallum & Spurinã illustres viros. Cæterùm vti con silijs suis, vt instituerant, nõ valebant ob militum licentiã et contumaciã. Nolebant enim alijs parere, quasi ipsis imperare princeps deberet. Nec verò erant hostium in totum sani milites, neq́ obtemperantes ducibus: verùm eadem de causa feroces & procaces. Hi tamen rei militaris scientes & laboris patientes nõ defugiebant eum. *Othonianorum & Vitellianorũ militum peruersitas.* Illi molles ex ocio & vita quieta, qui in theatris, ludis & scena vitam egerant, insolentia autem & arrogantia inflati volebant munera simulare vt præstãtiores, non vt segnes detrectare. Quos Spurina cùm pararet cogere, penè est ab ijs interfectus. Contumeliæ verò & conuitiorũ nullum modum fecerunt, proditorem & corruptorem Cæsaris temporum & rerum appellantes. Nonnulli temulenti iam noctu ad tabernaculũ eius perrexere viaticum postulantes. Proficiscendũ enim ipsis ad Cæsarem esse, vt eum accusarent. Profuit rebus & Spurinæ in præsentia militum ad Placentiam suggillatio. Vitelliani signis muro admotis increpitauerunt probris Othonianos, qui in corona muri stabant: ac scenicos, saltatores, Pythiorumq́ & Olympiorũ spectatores, belli verò atq́ artium militariũ tyrones & insolentes appellauerunt intumescentesq́, quòd inermem senem obtruncassent, Galbam significantes: in certamen & aciem virorum apertã nunquàm progressos. Nam ita cõmoti his probris & inflammati fuerunt, vt ad genua se Spurinæ proijcerent orantes, vteretur & imperaret ipsis: nullũ se discrimen vel laborẽ detrectaturos. Cùm oppidum Vitelliani acriter aggrederentur, & machinas multas admouissent: victores Spurinæ milites hostibus ingenti cæde reiectis nobilem vrbẽ, qua nulla Italiæ magis florebat, conseruauerunt. *Placentia Italicarum vrbium, florentissima.* Erant cætera quoq́ ducibus Vitellianis Othoniani ciuitatibus & priuatis beni gniores. Ex illis Cecinna neq́ voce neq́ habitu ciuilis, sed odiosus & extraneus: qui corpore ingẽs Gallico more brachis & manicis indutus signiferos & præfectos Romanos alloquebatur. *Vitellianorũ ducum vitia.* Vxorem eius comitabatur delecti equites equo vehentẽ atq́ eximiè cultã. Fabrij Valentis alterius ducis neq́ præda hostiũ neq́ expilationes vel largitiones sociorum hiantem explebant auaritiam. *Fabius Valens.* Atq́ adeo putabatur, quòd ea de causa lentiùs

progrederetur, priore pugna fuisse exclusus. Alij in Cecinnam culpam cōferunt maturantem victoriam ante illius aduentū occupare. quem cùm aliàs contraxisse dictitant leuiores offensas, tum prælium parum tempestiuè vel strenuè cōmisisse, vnde omnia penè

Cremona abundans & ampla vrbs.

illorum consilia corruerunt. Postquàm enim depulsus Placentia Cecinna Cremonam contendit aliā vrbem abundantē & amplam, princeps Annius Gallus, qui Spurinæ Placentiam suppetias veniebat, vt nuncium accepit in itinere de victoria Placentinorū, sed Cremonenses in periculum vocari: eò agmen conuertit, ac castra castris hostiū contulit. Mox reliqui pro se quisq; opem duci tulere. Cùm Cecinna aūt magnam peditū manum in locis saliuosis & syluestribus cōdidisset: equites prouehere iussit: quòd si cōcurrerent cum ipsis hostes, sensim gradū referre fugamq; capessere: quoad ita elicerent eos atq; in insidias præcipitarent. Prodiderunt hoc perfugæ Celso: qui in illos confertim equitatu inuectus & cautè cōsectatus circumuentis dissipatisq; insidiatoribus euocauit castris legiones. Atq; apparet, si adfuissent in tempore, nullū eos fuisse de hostibus relicturos: sed totum exercitū, quem ducebat Cecinna, obtrituros & deleturos, si fuissent equitatū secuti.

Paulinus Othonianus segniter rem gerit.

Nunc quia tardè Paulinus & segniter subuenit: obiectū est ei, minus peritè eum q̃ pro existimatione sua ducis munere nimiùm circunspiciendo rem gessisse. Vulgus verò militū et proditionis eum insimulabat exasperabatq; in eum Othonem iactans penes se fuisse victoriā, sed non cōpletam fraude ducū. Cæterùm Otho eis nō perinde fidem adiungebat, vt volebat nō videri abrogare. Igitur Titianū fratrē ad legiones misit & Proculum præfectū prætorio, cuius erat reuerà omne arbitrium, velamentū modò erat Titianus. Celsus & Paulinus aliàs consiliariorū & amicorum nomen vsurpabant, authoritatem & vim maioribus in rebus habebant nullā. Aestus item apud hostes erat, præsertim apud Valentis milites. Hi pugna illa apud insidias nunciata fremuerunt, q̃ non adfuissent neq; subuenissent suis, quorū tam desiderabantur multi. Quibus, cùm incessere ipsum telis intenderent, ægrè lenitis & exoratis castra mouit, coniunxit'que se Cecinnę.

Bebriacum oppidum.
Othonis de prælio deliberatio.

Postquàm Bebriacū Otho in castra peruenit (Est oppidum Bebriacum Cremonæ vicinum) consiliū de pugna habuit. Proculus & Titianus censuerunt, quia alacres milites erant & recens victoria, vt dimicaretur: neq; reses vigorē obtunderet exercitus, vel Vitellium ipsum præstolarēt ex Gallia ingruentē. Paulinus hostibus omnes vires demonstrauit, quibus vsuri in acie essent, præstò esse, neq; à tergo relictum quicquā. Othonem, si suam maneat & non ad hostium se accōmodet opportunitatem, haud minores præsentibus ex Mysia & Pannonia copias expectare. Neq; verò segniores tunc habiturū hos, nunc qui numero ex minore sint animati, si plures milites in acie adiunxerint, verùm certaturos erectiores. Esse præterea morā pro ipsis, qui rebus omnibus affluerent: illos tractu inopia in hostico cōsidentes laboraturos necessariorū. Ita fato Paulino Marius Celsus assensus est. Annius Gallus nō aderat: sed quòd esset ex equo prolapsus, medicis operam dabat. Qui, vt consuluit eum per literas Otho, suasit ne præfestinaret: sed legiones ex Mysia, quæ in itinere iam erant, præstolaretur. Cæterùm non paruit his Otho: sed obtinuit sententia eorum, qui censebant confligendum. Causæ complures aliæ ab alijs commemorantur. Planè prætorianorum, qui spiculatores principis erant, militiam gustantium tunc magis germanam, quia amœnitates vrbanas vitamq; quietam & theatralem desiderabant, non poterat refrænari impetus ad pugnam, quasi ipso incursu obtrituri hostes essent.

Otho moræ, & curarum impatiens.
Secundus orator.

Apparet verò ipsum quoq; fuisse incertitudinis vltrà impatientem Othonem, neq; sustinuisse insolentia & ignauia volutationes in animo periculornm, curisq; confectum properasse obtectis oculis quasi ex prærupto summam rerum in aleam fortunæ præcipitare. Narrabat id Secundus orator, qui Othoni fuit ab epistolis. Ex alijs erat audire legiones vtrinq; sæpiùs in ea voluntate fuisse, in vnum vt coirent, & maximè, si conuenire inter ipsos posset, ex ducibus præsentibus deligerent optimum: sin secùs, senatui conuocato imperatorem legendum permitterent. Neque est id absonum, quòd neuter eorum, qui tunc appellabantur imperatores, secunda fama esset, eas cogitationes germanos, exercitatos, & prudentes milites subisse: atrocissimum esse & acerbissimum, quas olim Syllæ & Marij, inde Cæsaris & Pompeij causa lamentabantur ciues sibi inuicem clades intulisse & accepisse, has nunc ipsos perpeti: vt Vitellij ingluuiei & vinolentiæ, aut luxus & intemperantiæ Othoni imperium proponerent vectigale.

Brixillum oppidum ad Padum, hodiè extat.

Hæc Celsum suspicantur aduertentem moras nexuisse, dum citra sanguinem & sudores speraт conuenturum inter partes, eadem timentem accelerasse conflictum Othonem. Porrò ipse retrò Brixillum concessit, adiecit'que hoc peccatum, non tantùm,

quòd

quòd conspectus sui reuerentiam & studium eripuit certantibus: verùm etiam quòd validissimos atque impigerrimos stipandi corporis sui causa secum abducens equites peditesq; quasi corpori vires detraxit.

Pugna ad Padũ.

Fortè per eosdem dies ad Padum quoq; conflictum est, dum amnem Cecinna ponte iungit, Othoniani arcent & obsistunt ei. Vbi parũ promouent: faces sulphure & pice illitas nauibus iniiciunt. Ibi aura aspirans, dum delabuntur, repentè paratam materiam in hostes excitat. Fumo primùm, mox luculenta emicante flamma trepidi & desilientes in flumen naues euertunt, ac corpora sua ridiculè hostibus permittunt. At Germani cum gladiatoribus Othonianis apud paruam insulam fluminis, manus conferentes fuderunt eos, multos'que ex his obtruncauerunt. His actis cùm Bebriaci miles Othonianus infensus ad prælium raperetur: mouit Proculus signa Bebriaco, & castra ad † sextum fermè lapidem illinc metatus est ita imprudenter & imperitè: vt verno tempore, & cùm circumiecti campi crebros latices & amnes perennes haberent, penuria premerentur aquę.

† Tacitus habet ad quartum lapidem.

Postridiè intendentem mouere in hostem spacio non minus duodecim millium Paulinus repressit, docens consistendum, neque conficiendos semetipsos laboribus, neque raptim ex itinere signa conferenda cum armatis & instructis per ocium, dum ipsi tantum viæ emensi essent permistis agmini impedimentis & calonibus. Dum ita inter se concertant duces, superuenit citus equo ab Othone Numida cum literis, quibus mandauit, ne cunctarentur neu morarentur, sed extemplò ducerent in hostem. Illi ergo motis signis progressi sunt.

Othonianorum & Vitellianorũ conflictus.

At Cecinna de aduentu eorum certior factus obtorpuit, relictisq; raptim operibus & flumine perrexit ad castra. Multis iam armatis ac signo pugnæ à Valente proposito, interea dum legiones de ordine sortiebantur, delectissimos equites præmisere. Ibi in prima Othonianorum acie oblata ex nescio qua causa opinio est & rumor transire duces Vitellianos ad ipsos. Igitur vt propè venerunt equites, salutauerunt eos pacatè commilitones appellantes. Quibus ad salutationem non amicè, sed infesto & hostili murmure respondentibus perplexitas his qui salutem dederant, cæteris aduersus salutatores suspicio est iniecta proditionis. Quæ res primùm eos venientibus iam ad conferendas manus hostibus turbauit. Deinde nihil de cætero rectè neque ordine administratum: sed magnam confusionem interserta militibus impedimenta præbuere. Iam distrahebat eos magnoperè concisus locus fossis & scrobibus. quorum declinandorum causa circumuecti promiscuè cogebantur & cateruatim confligere cum hostibus. Duæ tantùm legiones dictæ, Vitellij Rapax, Othonis Adiutrix, quæ in campum explicatæ nudum fuere & patentem, legitima acie concurrentes signis collatis diu dimicauerunt. Erant Othoniani valentes viri & fortes, sed belli & pugnæ tunc primum gustum capiebant: Vitelliani multis certaminibus subacti iam veterani & vergente ætate. Othoniani ergo impressione data eos impulerunt & aquilam abstulerũt principibus stratis penè omnibus. Illi pudore & flamma in hos illati legatum legionis Orphidium occiderunt, multaq; signa rapuerunt. In gladiatores, qui vsu & animo ad congrediendum habebantur insignes inuexit Varus Alphenus Batauos. Hi equitum Germanorũ præstantissimi sunt. Insulam incolunt Rheno circunfluam.

Batauorũ virtus in bello.

Eos pauci gladiatores substitere. Maxima pars fuga versus amnem delati incurrunt in locatas illic hostium cohortes, à quibus dimicantes occidione occisi sunt.

Othoniani à Vitellianis prælio victi.

Fœdissimè omnium præliati sunt prætoriani. qui non sustinuere, ne dum ad manus quidem venisset hostis: sed & eos, qui stabant adhuc in acie, metu pauoreq;, dum fuga perrumpunt per eos, impleuere. Multi tamen Othoniani profligatis quos cõtra stabant, vi per medios victores in castra euasere. At ex ducibus neq; Proculus neq; Paulinus comitari audebant eos, verùm vitauere castra timore militum, qui culpam iam in duces deriuabant. Annius verò Gallus recreauit in oppido & leniuit colligentes se ex pugna quasi neutro inclinata victoria, & multis ipsi partibus hostes superassent.

Marij Celsi oratio ad milites Othonianos, vt ad Vitelliũ trãsirent.

Marius Celsus contractis omnibus, qui præfecturas habebant, author erat, vt communi saluti consulerent, demonstrans à tali clade & strage tanta ciuium ne Othonem quidem, modò vir bonus sit, periclitari fortunam velle. quando, inquit, Cato & Scipio, qui victori post aciem Pharsalicam cedere Cæsari detrectauerunt, culpentur: q multos & fortes milites in Africa nequicquam perdiderint, licet pro populi Romani certabant libertate. Quamuis sit enim aliàs communis omnibus fortuna, vnum viris bonis tamen non adimit, si incurrerint, quin pro casibus recta capiant consilia.

Othoniani duces transeunt ad Vitellianos.

Sic fatus permouit præfectos. Postquàm verò milites tentauerunt, atque eos pacis viderunt cupidos, Titianus autem mittendos censuit de concordia legatos: visum

visum vt Celsus & Gallus proficiscerentur conuenirent'que Cecinnam & Valentem. Pergentibus occurrere centuriones, qui copias narrauerunt iam mouisse & contendere Bebriacum, missos ab ducibus se ad agendum de concordia. Quos collaudatos Celsus & Gallus orauerunt, vt retrò redirent & secum obuiàm procederent Cecinnæ. Vt propè venerunt, incurrit periculum Celsus. Nam fortè præcurrebāt victi antè apud insidias equites. Vbi ergo aduentantem conspexere Celsum, impetū protinus cum clamore in illum dedere. Cæterùm obiecerunt se pro eo centuriones atq; illos represserunt: ac cùm alij ordinum ductores exclamarent, vt abstinerēt à Celso: re intellecta aduectus Cecinna mox tumultum sedauit, appellatoq; comiter Celso concessit cum ijs Bebriacum. Inter hæc Titianum pœnitentia cepit, quòd legatos misisset. Igitur ferocissimos quosque militum iterum imponit muris, cæteros ad ferendam opem excitat. At vbi equo Cecinna aduectus dextrā porrexit, nemo vltrà reluctatus est: sed alij salutare ex mœnibus milites, pars porta reserata exire, atq; aduenientibus se immiscere: vim inferre nemo, sed gratulari complectiq; se mutuò: deniq; omnes in verba Vitellij iurauerunt, atq; ad eum transiere. Ita plerique, qui interfuere pugnæ, rem gestam narrant, fatentes ne se quidem ob confusionem & turbam singula exactè nosse. Mihi verò per campum illum postea iter facienti Mestrius Florus vir cōsularis de pube, quæ non ex sententia sua tunc sed inuita fuerat Othonem secuta, ostendit vnum, qui iam senex erat. Hic exposuit, cùm secundum pugnam esset eò profectus, cumulum se vidisse cadauerum tantum: vt qui in summo essent, † attingerent hostes. Causam dicebat, cùm quæreret, neq; inuenire potuisse se, neq; ab alio vllo discere. Siquidem cadere per bella ciuilia, cùm pulsi sint, complures probabile est: quòd neminem capiant. Nullus est enim captiuorum vsus. Verùm strues illa & accumulatio in vnum causam habet coniectu arduam. Ad Othonem, primò incertus, vt solet in talibus, delatus est rumor. Vt verò saucij quoque nonnulli ex pugna redeuntes id nunciauere: non perinde mireris, si amici non permiserunt, vt desponderet animum, sed eum confirmauerunt: verùm militum motus fidem excessit omnem, quòd non desciuerint ab eo, non transierint ad victores, non visi sint deplorato imperatore sibi consulere: verùm omnes pariter ad ianuam eius perrexerint, imperatorem appellarint: progresso eo, vt in victoria solet, cum clamore & supplicijs manus eius attigerint, ad genua acciderint, lachrymas ꝓfuderint, orauerintq;: ne desereret ipsos neq; proderet hostibus, sed vteretur, quoad spirarēt, pro dignitate sua animis & corporibus suis. Sic cuncti supplices eum obsecrauerunt. Vnus verò ex gregarijs sublato gladio ait: Ita scito Cæsar animatos omnes esse pro te mori: simul semet ipse confodit. Cæterùm horum Othonem nihil flexit: sed exporrecto & constanti vultu quoquouersus aciem circunferens: Hunc, inquit, commilitones diem illo, quo me imperatorem primùm creastis, faustiorem existimo: cùm ita in me propensos vos cernam, & ita me vobis charum. Verùm nolite bono me fraudare maiore, honestè pro tot & talibus ciuibus vt vitam deponam. Si Romano imperio dignus fui, profundenda mihi est pro patria anima. Scio ego victoriā non stabilem neq; solidam hostibus esse. Nunciantur legiones ex Mysia non multorum dierum iter abesse. Iam descendunt ad mare Adriaticum Asia, Syria, Aegyptus. Legiones, quæ cum Iudæis belligerantur, nobiscum faciunt. Senatus apud nos est, etiam liberi aduersariorum atque coniuges. At non est cum Annibale neque Pyrrho neque Cimbris nobis de Italia bellum: sed cum ciuibus bellantes vtrique patriam & victores & victi offendimus. Quippe res lætę victoris lædunt illam. Credite quæso honestius mori me quàm imperare posse. Neque enim video, quid victoria mea tantum profectura populo Romano sit, quantum si vitam meam ipse pro pace & concordia, & ne alterum diem Italia aspiciat talem, profundam. Sic fatus, insistentibusq; aduersari & ipsum excitare renisus, amicis & senatoribus præsentibus facessere iussit. Absentibus scripsit, literas'que dedit ad ciuitates, vt honorificè & securè transirent. Fratris filium Cocceium adolescentem adhuc amplexus bono animo iussit esse, neque formidare Vitellium. Quippe matrem eius se, liberos, coniugem, quorum habuisset curam vt suorum, conseruasse. Idcirco enim, quòd in animo habuisset, non adoptauisse eum: sed in aliud id reiecisse tempus. Meminisset autem distulisse Cæsarem adoptionem, quò cum victore se imperaret, non vnà periret cum victo. Illud verò, inquit, te moneo fili nouissimum, ne prorsus obliuiscaris neque nimiùm memineris patruum te habuisse Cæsarem. His actis breui pòst tumultum & strepitum ad fores audiuit. Milites enim digredientibus exitium denunciabant senatoribus, nisi permansissent,

Ne ij quidē qui pugnæ interfuere, omnia nôrunt.

† Amiotus, qui fortassè habuit aliud exemplar, vertit: Altitudinem æquarent eorum, qui appropinquabāt.

Othonianorum militum erga imperatorē fides.

Othonis fortitudo ante mortem, eiusq; ad milites oratio.

Ciuili sanguini parcendum.

Othonis ad Cocceium nepotem verba.

sed

Otho moriturus, Catonē Vticensem videtur imitari.

sed deserto abissent principe. Itaq; metuens illis iterum prodijt, militesq; non iam precabundus neq; leni, sed truci vultu & cum flāma tumultuantes contuitus, abscedere iussit: qui & abscesserunt & diffugerunt. Sero iam diei sitijt, hausto que pauxillo aquę cùm duos haberet pugiones, vtriusq; aciem longo spacio explorauit. Tum altero reddito alterum sub axilla retinens seruos accersiuit, benigneq; pecuniā ijs, vni amplius, alteri minus largitus est: non sicut profundens aliena, sed pro merito & modum seruans accuratè. Quibus dimotis reliquum iam noctis dedit se quieti, vt stertentem cubicularij sentirent. Prima luce accito liberto, qui cum curauerat receptum senatorum, quid factum ijs esset, pręcepit explorare. Qui vbi renunciauit omnibus subministrata, quibus cuiq; fuisset opus: I ergo, inquit, tu & militibus te ostende, nisi perire illorum manibus velis, quasi operam tuam ad mortem mihi præbueris. Quo digresso in pugionem directum, quem pectori ambabus manibus subiecit, supernè incubuit. Sensit hactenus, vt vnum gemitum ederet, dolorem: & illi, qui foris erant, eum exaudiuerunt.

Otho seipsum interficit.

Sublato à pueris eius eiulatu mox totum exercitum oppidumq; comploratio occupauit. Milites cum clamore ad ianuam occurrerunt, lamentatiq; sunt mœrentes & detestātes semet ipsi, quòd nō custodiuissent imperatorem, neq; prohibuissent pro ipsis occumbere. Nec quisquam reliquit eum, saluti suæ propinquis iam hostibus prospiciens: sed excultum corpus rogo parato extulerunt armati: exultaueruntq;, qui occupauerant subire & gestare lectū. Cæteri partim vulnus exanimi in genua procumbentes exosculati sunt, partim manus attigerunt, alij procul adorauerunt, alij subditis rogo facibus se ipsi confodêre: cùm nullum, quod quidem constaret, à defuncto haberent benefactum, neq; quicquam grauius expectarent à victore. Cæterùm nullus meo iudicio omnis ætatis tyrannorum vel regum tam ardenti & insano imperandi amore flagrauit, quàm illi parêre & obtemperare gestierunt Othoni. Nempe ne mortui quidem eos desiderium reliquit, sed durauit in perniciale Vitellio odium euadens. Verùm cætera suo tempore dicentur.

Othonis funus.

Postquàm reliquias Othonis humo mandauerunt: sepulchrum nec conditorij mole nec tituli tumore fecerunt inuidiosum. Vidi ego cùm Brixilli essem, & modicum monumentum, & inscriptionem huiuscemodi: M. OTHONIS. Decessit Otho trigesimo septimo ætatis anno, cùm menses tres imperasset. Reliquit non inferiores neq; pauciores, qui mortem ipsius laudibus ferrent, quàm qui insectarentur vitam. Nam cùm nihilo Nerone modestiùs vixisset, mortuus est generosiùs. At milites, cùm alter præfectus prætorio Pollio statim iurare eis in verba Vitellij iussisset, fremuerunt. Qui vt nōnullos adhuc senatores acceperunt adesse, reliquos missos fecere. Virginiū verò Rufum obtuderunt, in armis domum ad eum profecti, inuitantesq; denuò & instantes, vt imperium suscipe-ret, aut legatione pro ipsis fungeret. Ille imperare victis, cùm noluisset antè victoribus, dementiam putauit. Legationem verò obire ad Germanos, qui ad multa coactos contra animi sententiam ab ipso existimabant se, timens occultè per auersum ostium euasit. Quod vbi militibus fuit compertum, sacramento Vitellio se addixerunt venia obtenta, ac Cecinnæ se associârunt.

Othonis sepulchrum Brixilli.

FINIS.

AEMYLII PROBI DE VITA EXCELLENTIUM IMPERATORUM AD T. POMPONIUM Atticum, Liber prior.

AUCTORIS PRAEFATIO.



ON Dubito fore plerosq; Attice, qui hoc genus scripturę leue, & non satis dignum summorum uirorum personis iudicent: cùm relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam: aut in eius uirtutibus commemorari, saltasse eum commodè, scienterq; tibijs cantasse. Sed hi erunt ferè, qui expertes literarũ Græcarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conueniat, putabunt. Qui si didicerint, nõ eadem omnibus esse honesta, atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari: non admirabuntur, nos in Graiorum uirtutibus exponendis, mores eorum secutos. Neq; enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo uiro, sororem germanam habere in matrimonio: quippe cùm ciues eius eodem uterentur instituto. At id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia ducitur adolescentulis quàm plurimos habere amatores. Nulla Lacedæmonis tam est nobilis uidua, quę non ad scenam erat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia, uictorem Olympiæ citari. In scenam uerò prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdẽ gentibus fuit turpitudini. Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. Contrà, ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamiliâs non primum locum tenet ædium, atq; in celebritate uersatur? Quod multò fit aliter in Græcia: nam neq; in conuiuium adhibetur, nisi propinquorum: neque sedet, nisi in interiore parte ædium quæ γυναικωνῖτις appellatur: quò nemo accedit, nisi propinqua cognatione cõiunctus. Sed plura persequi tum magnitudo uoluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem quæ exorsus sum. Quare ad propositum ueniemus, & in hoc exponemus libro uitas excellentium Imperatorum.

In alienorum morum reprehensores.

Honesta & turpia non omnibus eadem sunt.

Vxorem in conuiuium ducere Græcis turpe, Romanis honestum.

Vitru. lib. 6. cap. 10.

Eretriam ceperunt: omnesq; eius gentis ciues abreptos, in Asiam ad Regem miserũt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is est ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamq; magno permoti, auxilium nusquã nisi à Lacedæmonijs petiuerunt: Phidippidemq; cursorem eius generis qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, vt nunciaret, quàm celeri opus esset auxilio. Domi autẽ creati decem Prætores, qui exercitui præessent: in eis Miltiades. Inter quos magna fuit contentio, vtrùm mœnibus defenderent, an obuiam irent hostibus, † & æquis contenderent. Vnus Miltiades maximè nitebatur, vt primo quoque tempore castra fierent. Id si factum esset, & ciuibus animum accessurum, cùm viderent de eorum virtute non desperari: & hostes eadem re fore tardiores, si animaduerterent, audere aduersus se tam exiguis copijs dimicare. Hoc tempore nulla ciuitas Atheniensibus auxilio fuit, præter Platæensium: ea mille misit militum. Itaque horum aduẽtu, decem millia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est, vt plusquàm collegæ, Miltiades valuerit. Eius enim auctoritate impulsi Athenienses, copias ex vrbe eduxerunt, locoq; idoneo castra fecerunt. Deinde postero die sub montis radicibus, acie è regione instructa, noua arte, vi summa prælium commiserunt. Nanque arbores multis locis erant raræ, hoc consilio, vt & montium tegerentur altitudine, & arborum tractu equitatus hostiũ impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis & si non locum æquum videbat suis: tamen fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat: eoq; magis, quòd prius quàm Lacedæmonij subsidio venirẽt, dimicare vtile arbitrabatur. Itaq; in acie peditum centum, equitum decem milia produxit, præliumq; commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, vt * decemplicem numerum hostium profligarent, adeoq; perterruerũt, vt Persæ non castra, sed naues peterẽt. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. Nulla enim vnquã tam exigua manus, tantas opes prostrauit. Cuius victoriæ non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere: quò faciliùs intelligi poßit, eandem omnium ciuitatum esse naturam. Vt populi nostri honores quondam fuerunt rari & tenues, ob eamq; causam gloriosi, nunc autem effusi, atq; obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Nanque huic Miltiadi, qui Athenas totamq; Græciam liberauit, talis honos tributus est in porticu quæ Pœcile vocatur, cùm pugna depingeretur Marathonia: vt in decem Prætorũ numero, prima eius imago poneret: isq; hortaretur milites, præliumq; committeret. Idem ille populus posteaquàm maius imperium est nactus, & largitione magistratuũ corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decreuit. Post hoc prælium classem septuaginta nauium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, vt insulas quæ Barbaros adiuuerãt, bello persequeretur. Quo imperio plerasq; ad officium redire coẽgit: nonnullas vi expugnauit. Ex his Parum insulam opibus elatam, cùm oratione reconciliare non posset, copias è nauibus eduxit, vrbem operibus clausit, omniq; commeatu priuauit. Dein vineis ac testudinibus cõstitutis, propius muros accesßit. Cùm iam in eo esset vt oppido potiretur, procul in continenti lucus qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est. Cuius flamma vt ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, vtrisq; venit in opinionem, signum à classiarijs regijs datum. Quo factum est, vt & Parij à deditione deterrerentur, & Miltiades timẽs ne classis regia aduentaret, incensis operibus quæ statuerat, cum totidem nauibus atq; erat profectus, Athenas magna cum offensione ciuium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, quòd cùm Parum expugnare posset, à Rege corruptus, infectis rebus à pugna discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido ceperat. Itaq; quoniam ipse pro se dicere non posset, verba fecit frater eius Stesagoras. Causa cognita, capitis absolutus, pecunia mulctatus est. Eaq; lis quinquaginta talentis æstimata est: quãtus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quòd soluere non potuerat, in vincla publica coniectus est, ibiq; diem obijt supremum. Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. Nanq; Athenienses propter Pisystrati tyrannidem quæ paucis annis antè fuerat, omnium suorum ciuium potentiam extimescebant. Miltiades multum in imperijs magistratibusq; versatus, non videbatur posse esse priuatus: præsertim cùm consuetudine ad imperij cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonnesi omnes illos quos habitàrat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, Tyrannusq; fuerat appellatus, sed iustus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamq; potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur, & dicuntur Tyranni, qui potestate sunt

Hemerodromi sunt velocißimi cursores & nuntij qui vno die magna itinerũ spacia emetiuntur.

† al. & equis. Aldus habet, acieq; contenderent: qui æquis volunt, intelligunt, campis.

Marathonia pugna Miltiade duce.

* fortè, decuplicem.

Miltiadis ob Marathoniam victoriam, præmium.

Demetrio Phalereo trecentæ statuæ ab Atheniensibus positæ.

Casus & fortuna in bello quãtum poßent.

Miltiades proditionis falsò accusatus, in publica custodia mortuus est.

Tyranni qui di-

[cantur. Miltiadis laus.] perpetua in ea ciuitate, quæ libertate vsa est. Sed in Miltiade erat cùm summa humanitas, tum mira comitas: vt nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret: magna auctoritas apud omnes ciuitates: nobile nomen: laus rei militaris maxima. Hęc populus respiciens, maluit eum innoxium plecti, quàm se diutiùs esse in timore.

THEMISTOCLIS VITA II.



[Themistoclis genus, & vitia.] HEMISTOCLES Neoclis filius Atheniensis. Huius vitia ineuntis adolescentiæ, magnis sunt emẽdata virtutibus, adeò vt anteferatur huic nemo: pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater eius Neocles generosus fuit: is vxorem, † Acarnanam ciuem duxit, ex qua natus est Themistocles. *[† Dissentit à Plutarcho.]* Qui cùm minùs esset probatus parentibus, quòd & liberiùs iusto viuebat, & rem familiarem negligebat: à patre exhæredatus est. *[Magnos viros contumelia non frangit.]* Quæ contumelia nõ fregit eum, sed erexit. Nam cùm iudicasset, sine summa industria non posse eam extingui, totum se dedit reipublicæ, diligentiùs amicis famæq; seruiens. Multum in iudicijs priuatis versabatur: sæpe in cõcionem populi prodibat: nulla res maior, sine illo gerebatur: celeriterq; quę opus erant, reperiebat. Neq; minùs in rebus gerendis promptus, quàm excogitandis erat: *[Thucyd. lib. 1. Herod lib. 8.]* quòd & de instantibus (vt ait Thucydides) verissimè iudicabat, & de futuris callidissimè conijciebat. Quo factum est, vt breui tempore illustraretur. Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ, bello Corcyreo: *[Bellum Corcyreum à Themistocle gestum.]* ad quod gerendum Prætor à populo factus, non solùm præsenti bello, sed etiam reliquo tempore, ferociorem reddidit ciuitatem. Nam cùm pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret: ille persuasit populo, vt ea pecunia classis centum nauium ædificaretur. Quæ celeriter effecta, primum Corcyreos fregit: deinde maritimos prædones consectando, mare tutũ reddidit. In quo tum diuitijs ornauit, tum peritissimos belli naualis fecit Athenienses. Id quantæ saluti fuerit vniuersæ Græciæ, bello cognitum est Persico. *[Xerxis in Graeciam copiæ.]* Nam cùm Xerxes & mari & terra bellum vniuersæ inferret Europæ, cum tantis eam copijs inuasit, quantas neq; antè, neq; postea habuit quisquam. Huius enim classis, mille & ducentarum nauium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebãtur. Terrestres autem exercitus, septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuerunt. Cuius de aduentu cùm fama in Græciam esset perlata, & maximè Athenienses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam: miserunt Delphos cõsultum, quid nam facerent de rebus suis. *[Oraculũ de mœnibus ligneis.]* Deliberantibus Pythia respondit, vt mœnibus ligneis se munirent. Id responsum quô valeret, cùm intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, vt in naues se, suaq; conferrent: eum enim à Deo significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores: totidem naues triremes, suaq; omnia quæ moueri poterant, partim Salaminam, partim Trœzenem asportant: arcem sacerdotibus, paucisq; maioribus natu, ac sacra procuranda tradunt: reliquũ oppidum relinquunt. Huius cõsilium plerisq; ciuitatibus displicebat, & in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida Lacedæmoniorum Rege, qui Thermopylas occuparent, longiusq; Barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostiũ non sustinuerunt, eoq; loco omnes interierunt. *[Græciæ communis classis, trecentarum nauium.]* At classis communis Græciæ trecentarũ nauium, in qua ducentæ erant Atheniensiũ, inter Eubœam, continentemq; terram cum classiarijs Regis conflixit. Angustias enim Themistocles quærebat, ne multitudine circumiretur. Hîc & si pari prælio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, ꝙ erat periculum, ne, si pars nauium aduersariorum Eubœam superasset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est vt ab Artemisio discederent, & aduersum Athenas apud Salaminam classem suam constituerent. At Xerxes Thermopylis expugnatis, protinus accessit * Astum: *[Aldus habet Asty.]* idq; nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus quos in arce inuenerat, incendio deleuit. Cuius fama perterriti classiarij, cùm manere non auderent, & plurimi hortarentur, vt domos suas quisq; discederent, mœnibusq; se defenderent: Themistocles vnus restitit, & vniuersos esse pares aiebat: dispersos testabatur perituros. Idq; Euribiadi Regi Lacedæmoniorum, qui tum summæ imperij præerat, fore affirmabat. *[Themistoclis dolus in Xerxem.]* Quem cùm minùs quàm vellet, moueret, noctu de seruis suis quem habuit fidelissimũ, ad Regem misit, vt ei nunciaret suis verbis, aduersarios eius in fuga esse. Qui si discessissent, maiore cum labore, & longinquiore tempore bellum confecturum, cùm singulos consectari cogeretur: quos si statim aggrederetur, breui vniuersos oppressurum. Hoc eò

valebat, vt in grati ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita, Barbarus nihil doli ſubeſſe credens, poſtridie alienißimo ſibi loco, contrà opportuniſsimo hoſtibus, adeò anguſto mari conflixit, ut eius multitudo nauium explicari nõ potuerit. Victus eſt ergò magis conſilio Themiſtoclis, quàm armis Græciæ. Hîc Barbarus etſi malè rem geſſerat: tamen tantas habebat reliquias copiarum, vt etiam cum his opprimere poſſet hoſtes. Interim tamen ab eodem, gradu depulſus eſt. Nam Themiſtocles verens, ne bellare perſeueraret: certiorem eum fecit id agi, vt pons quem ille in Helleſponto fecerat diſſolueretur, ac reditu in Aſiam excluderetur. Idq; ei perſuaſit. Itaq; quã ſex menſibus iter fecerat, eadem minùs diebus triginta in Aſiam reuerſus eſt: ſeq; à Themiſtocle nõ ſuperatum, ſed conſeruatum iudicauit. Sic vnius viri prudentia, Græcia liberata eſt, Europæq; ſuccubuit Aſia. Hæc altera victoria quæ cum Marathonio poſsit cõparari trophæo. Nã pari modo apud Salaminam paruo numero nauium, maxima poſt hominũ memoriam claſsis eſt deuicta. Magnus hoc bello Themiſtocles fuit, neq; minor in pace. Cùm enim Phalereo portu neq; magno, neq; bono Athenienſes vterentur: huius cõſilio triplex Piræei portus conſtitutus eſt: isq; mœnibus circundatus, vt ipſam vrbem dignitate æquipararet, vtilitate ſuperaret. Idemq; muros Athenienſium reſtituit præcipuo ſuo periculo. Nanq; Lacedæmonij cauſam idoneam nacti, propter excurſiones Barbarorum, qua negarẽt oportere extra Peloponneſum vllam vrbem habere, ne eſſent loca munita, quæ hoſtes poſſiderent: Athenienſes ædificantes prohibere ſunt conati. Hoc longe aliò ſpectabat: Athenienſes enim duabus victorijs, Marathonia, & Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant cõſecuti, vt intelligerent Lacedæmonij de principatu ſibi cum his certamen fore: quare eos infirmiſsimos eſſe volebant. Poſtquàm autem audierũt, muros inſtrui: legatos Athenas miſerunt, qui id fieri vetarent. His præſentibus deſierunt, ac ſe de ea re legatos ad eos miſſuros dixerunt. Hanc legationem ſuſcepit Themiſtocles, & ſolus primò profectus eſt: reliqui legati, vt tum exirent, cùm ſatis altitudo muri extructa videretur, præcepit: atq; vt interim omnes ſerui, atq; liberi opus facerent, neq; vlli loco parcerent, ſiue ſacer, ſiue profanus, ſiue priuatus eſſet, ſiue publicus: ſed vndiq; quod idoneum ad muniendum putarent, cogerent. Quo factum eſt, vt Athenienſium muri, ex ſacellis ſepulchriſq; conſtarent. Themiſtocles autem vt Lacedæmonem venit, adire magiſtratus noluit: et dedit operam, vt quàm longiſsimè tempus duceret, cauſam interponens, ſe collegas expectare. Cùm Lacedæmonij quererentur, opus nihilominus fieri, eumq; ea re conari fallere: interim reliqui legati ſunt conſecuti: à quibus cùm audiſſet non multum ſupereſſe munitionis, ad Ephoros Lacedæmoniorum acceſsit, penes quos ſummũ imperium erat: atq; apud eos cõtendit, falſa his eſſe delata: quare æquum eſſe illos, viros bonos, nobileſq; mittere, quibus fides adhiberetur, qui rem explorarẽt, intereà ſe obſidem retinerent. Geſtus eſt ei mos, treſq; legati functi ſummis honoribus, Athenas miſsi ſunt. Cum his collegas ſuos Themiſtocles iuſsit proficiſci: hiſq; prædixit, vt ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quàm ipſe eſſet remiſſus. Hos poſtquàm Athenas perueniſſe ratus eſt, ad magiſtratũ ſenatumq; Lacedæmoniorũ adijt, & apud eos liberrimè profeſſus eſt: Athenienſes ſuo conſilio, quod cõmuni iure gentium facere poſſent, Deos publicos, ſuoſq; patrios, ac penates, quò faciliùs ab hoſte poſſent defendere, muris ſepſiſſe: neq; eò ꝙ inutile eſſet Græciæ feciſſe. Nam illorũ vrbem vt propugnaculũ oppoſitam eſſe Barbaris, apud quam iam bis claſsis regia feciſſet naufragium. Lacedæmonios aũt malè & iniuſtè facere, qui id potiùs intuerentur, quod ipſorum dominationi, ꝙ quod vniuerſæ Græciæ vtile eſſet. Quare, ſi ſuos legatos recipere vellent, quos Athenas miſerant, ſe remitterent, aliter illos nunquam in patriam eſſent recepturi. Hic tamen non effugit ciuium ſuorum inuidiam: nanq; ob eundem timorem quo damnatus erat Miltiades, teſtularum ſuffragijs è ciuitate eiectus, Argos habitatũ conceſsit. Hîc cùm propter multas eius virtutes, magna cum dignitate viueret, Lacedæmonij legatos Athenas miſerũt, qui eum abſentem accuſarent, quòd ſocietatem cum Rege Perſarum ad Græciam opprimendam feciſſet. Hoc crimine, abſens proditionis eſt damnatus. Id vt audiuit, quòd non ſatis tutum ſe Argis videbat, Corcyrã demigrauit. Ibi cùm eius principes ciuitatis animaduertiſſet timere, ne propter ſe bellum his Lacedæmonij, & Athenienſes indicerent: ad Admetum Moloſſorũ Regem, cum quo ei hoſpitiũ fuerat, confugit. Huc cùm veniſſet, & in præſentia Rex abeſſet: quò maiore religione ſe receptũ tueretur, filiam eius paruulam arripuit, & cum ea ſe in ſacrariũ, quod ſumma colebatur cerimonia, coniecit. Inde non prius egreſſus eſt, ꝙ Rex eum, data dextra, in fidẽ reciperet, quam præſtitit. Nã cùm

Xerxes Themiſtoclis conſilio victus.

Themiſtoclis dolus alter in Xerxem.

Themiſtoclis opera portus & vrbs Athenienſium cõmunita.

Themiſtocles ad Lacedæmonios legatus.

Themiſtocles decipit Lacedæmonios.

Themiſtoclis exilium.

Themiſtocles ab Admeto Moloſſorum rege conſeruatus.

ab Atheniensibus & Lacedæmonijs exposceretur publicè, supplicem nõ prodidit: monuitq; vt consuleret sibi: difficile enim esse in tam propinquo loco, tutò eum versari. Itaque Pydnam eum deduci iussit, & quod satis esset præsidij dedit. Hic in nauem omnibus ignotus ascendit. Quæ cùm tempestate maxima Naxũ ferretur, vbi tum Atheniensium erat exercitus: sensit Themistocles, si eò peruenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus, *Themistocles à nauta conseruatus.* domino nauis quis sit, aperit: multa pollicens, si se conseruasset. At ille clarissimi viri captus misericordia, diem noctemq; procul ab insula in salo nauem tenuit in anchoris, neq; quenquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum peruenit: ibiq; Themistoclem exponit: cui ille pro meritis, gratiam postea retulit. Scio plerosq; ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante, in Asiam transisse. Sed ego potissimùm Thucydidi credo, quòd ætate proximus erat, qui illorum temporum historiam reliquerunt, & eiusdem ciuitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum venisse, atq; his verbis epistolã misisse: *Themistoclis ad Artaxerxem epistola.* Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, cùm mihi necesse fuit aduersus patrem tuum bellare, patriamq; meam defendere. Idem multo plura bona feci, postquàm in tuto ipse ego, & ille in periculo esse cœpit. Nam cùm in Asiam reuerti nollet, prælio apud Salaminam facto: literis eum certiorem feci, id agi, vt pons quẽ in Hellesponto fecerat, dissolueretur, atq; ab hostibus circumueniretur. Quo nuncio, ille periculo est liberatus. Nunc autem confugi exagitatus à cuncta Græcia, tuã petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quàm fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, vt de his rebus, quas tecum colloqui volo, annum mihi temporis des, eoq; transacto ad te venire patiaris. Huius Rex animi magnitudinem admirans, cupiensq; talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne *Themistocles discit linguã Persicam.* id tempus literis sermoniq; Persarum dedit: quibus adeò eruditus est, vt multò commodius dicatur apud Regem verba fecisse, quàm hi poterant, qui in Perside erant nati. Hic cùm multa Regi esset pollicitus, gratissimumq; illud, si suis vti consilijs vellet, illum Græciam bello oppressurum: magnis muneribus ab Artaxerxe donatus, in Asiam redijt, domiciliumq; Magnesiæ sibi constituit. Nanq; hanc vrbem ei Rex donarat cum duabus alijs, his vsus verbis: Quæ panem præberet (ex qua regione quinquaginta talenta quotannis redibant) Lampsacũ vnde vinum sumeret, & Myuntem, ex qua obsoniũ haberet. Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulchrum prope oppidũ, *Themistoclis mors.* in quo est sepultus: statuæ, in foro Magnesiæ. De cuius morte multis modis apud plerosq; scriptum est. Sed nos eundem potissimùm Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesiæ morbo mortuũ: neq; negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse, cùm se, quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret. Idem, ossa eius clam in Attica ab amicis sepulta, quoniam legibus nõ concederetur, quòd proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.

ARISTIDIS VITA III.



Aristidis pater. RISTIDES Lysimachi filius, Atheniẽsis, æqualis ferè fuit Themistocli. Itaq; cum eo de principatu contendit. Nanq; obtrectarunt inter se. In his au*Eloquentiæ vis.*tem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiæ. Quanquàm enim adeò excellebat Aristides abstinentia, vt vnus post hominum memoriam, quod quidem nos audiuerimus, cognomine Iustus sit appellatus: tamen à Themistocle collabefactus, testula illa, exilio decem annorum mulctatus est. *Aristidis decennale exilium.* Qui quidem cùm intelligeret reprimi concitatam multitudinem nõ posse: cedensq; animaduerteret quendam scribentem, vt patria pelleretur, quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quòd cupidè elaborasset, vt præter cæteros, *Aristides in patriã restitutus.* Iustus appellaretur. Hic decem annorum legitimam pœnã nõ pertulit. Nam postquàm Xerxes in Græciam descendit, sexto ferè anno quàm erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. Interfuit autem pugnæ nauali apud Salaminam, quæ facta est prius quàm pœna liberaretur. Idem prætor fuit Atheniensium apud Platæas, in prælio quo Mardo*Aristidis res bello gestæ.*nius fusus, Barbarorumq; exercitus interfectus. Neq; aliud est vllum huius, in re militari illustre factum, quàm huius imperij memoria: iustitiæ verò, & æquitatis, & innocentiæ multa. In primis quòd eius æquitate factum est, cùm in communi classe esset Græciæ simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, vt summa imperij maritimi à Lacedæ-

cedæmonijs transferretur ad Athenienses. Nanque ante id tempus & mari, & terra duces erant Lacedæmonij. Tum autem & intemperantia Pausaniæ, & iusticia factum est Aristidis, vt omnes ferè ciuitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent: & aduersus Barbaros, hos duces deligerent sibi, quò facilius repellerent, si fortè bellum renouare conarentur. Ad classes ædificandas, exercitusq́ comparãdos, quantum pecuniæ quæque ciuitas daret, Aristides delectus est qui constitueret. Eius arbitrio quadringenta, & sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse voluerunt. Quæ omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, quàm cùm tantis rebus pręfuisset, in tanta paupertate decesśit, vt quibus efferretur, vix reliquerit. Quo factum est, vt filiæ eius publicè alerentur, & de communi ærario dotibus datis, collocarentur. Decesśit autem ferè post annum quartum, quàm Themistocles Athenis erat expulsus.

Aristidis iusticia.

Aristidis abstinentia, & paupertas.

Aristidis mors.

PAVSANIAE VITA IIII.



PAVSANIAS Lacedæmonius, magnus homo, sed vanus in omni genere vitæ fuit. Nam vt virtutibus eluxit, sic vitijs est obrutus. Huius illustrisśimũ est prælium apud Platæas. Nanque illo duce, Mardonius Satrapes regius, natione Medus, Regis gener, in primis omnium Persarum & manu fortis, & consilij plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat: & viginti millibus equitum, haud ita magna manu, Græcia fugatus est: eoq́ ipse dux cecidit prælio. Qua victoria elatus plurima miscere cœpit, & maiora cõcupiscere. Sed primùm in eo est reprehensus, quòd cùm ex præda Tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat hæc sententia: Suo ductu Barbaros apud Platæas esse deletos, eiusq́ victoriæ ergô Apollini donum dedisse: hos versus Lacedæmonij exculpserunt, neq́ aliud scripserunt, quàm nomina earum ciuitatum, quarum auxilio Persę erant victi. Post id prælium, eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum, atq́ Hellespontum miserunt, vt ex his regionibus Barbarorum pręsidia depelleret. Pari fœlicitate in ea re vsus, elatiùs se gerere cœpit, maioresq́ appetere res. Nam cùm Byzantio expugnato, cepisset quamplures Persarũ nobiles, atq́ in his nõnullos Regis propinquos: hos clàm Xerxi remisit, simulãs ex vinculis publicis effugisse: & cum his Gongylum Eretriensem, qui literas Regi redderet, in quibus hæc fuisse scripta Thucydides memorię prodidit: Pausanias dux Spartæ, quo Byzantij ceperat, postquam propinquos tuos cognouit, tibi muneri misit, seq́ tecum affinitate coniungi cupit. Quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptu. Id si feceris, & Spartam, & cæteram Græciam sub tuam potestatẽ, te adiuuante, redacturũ se pollicetur. His de rebus si quid geri volueris, certum hominẽ ad eum mittas face, cum quo colloquatᷣ. Rex tot hominũ salute, tam sibi necessariorũ magnopere gauisus: confestim cum epistola Artabazum ad Pausaniã mittit, in qua eum collaudat, ac petit, ne cui rei parcat, ad ea perficienda quæ pollicetur. Si fecerit, nullius rei à se repulsam laturum. Huius Pausanias voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedæmoniorum. In quo facto domum reuocatus, accusatus capitis, absoluitur: mulctatur tamen pecunia. Quam ob causam ad classẽm remissus non est. At ille pòst nõ multò, sponte ad exercitũ redijt, & ibi nõ callida, sed dementi ratione cognita patefecit. Non enim mores patrios solùm, sed etiã cultum vestitumq́ mutauit. Apparatu regio vtebatur, veste Medica: satellites Medi, & Aegyptij sequebantur: epulabatur more Persarũ luxuriosiùs, q̃ qui aderant perpeti possent. Aditũ petentibus cõueniendi nõ dabat: superbè respondebat, & crudeliter imperabat. Spartã redire nolebat. Colonas, qui locus in agro Troade est, se cõtulerat: ibi cõsilia, tum patriæ, tum sibi inimica capiebat. Id postq́ Lacedæmonij resciuerunt, legatos ad eum cum † lancea miserunt, in qua more eorum erat scriptũ, Nisi domũ reuerteretᷣ, se capitis eum damnaturos. Hoc nuncio motus, sperãs se etiam pecunia & potentia instãs periculũ posse depellere, domũ redijt. Huc vt venit, ab Ephoris in vincula publica cõiectus est. Licet enim legib. eorũ, cuivis Ephoro, hęc facere Regi. Hinc tamen se expediuit: neq́ eò magis carebat suspicione: nam opinio manebat, eum cum Rege habere societatẽ. Est genus quoddã hominũ, quod † Helotæ vocatur, quorũ magna multitudo agros Lacedæmoniorum colit: seruorumq́ munere fungitur. Hos quoq́ sollicitare spe libertatis existimabatᷣ. Sed quòd harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant de tali tamq́ claro viro suspicionibus oportere iudicari: sed expectandum, dum se ipsa res aperiret.

Pausaniæ mores.

Pausaniæ de Mardonio victoria apud Plataeas.

Pausaniæ secunda in Barbaros expeditio.

Pausaniæ ad regem Xerxem literæ.

Pausanias à Lacedæmonijs mulctatus.

Pausaniæ fastus, & luxus.

† Scytala, habet Aldus.

Pausanias Lacedæmone in vincula conijcitur.

† Ilotæ, ab Aristot. in Polit. scribitur.

Interim

Puer Pausaniæ epistolam ad Xerxem, ephoris prodidit.

Lacedæmoniorum grauitas in iudicijs, & mira techna ad Pausaniæ confeßionem eliciendam.

Chalciœcus, id est, erea domus, vt Liuius appellat.

Pausaniæ interitus.

Interim Argilius quidam adolescentulus, quem puerum Pausanias amore Venereo dilexerat, cùm epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eiq; in suspicionem venisset, aliquid in ea de se esse scriptum, quòd nemo eorum redisset, qui super tali causa eódem missi erant: vincula epistolæ laxauit, signoq; detracto, cognouit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Erãt in eadem epistola quæ ad ea pertinebant, quę inter Regem, Pausaniamq; cõuenerant. Has ille literas Ephoris tradidit. Non est prætereunda grauitas Lacedęmoniorum hoc loco. Nam ne huius quidem indicio impulsi sunt, vt Pausaniam comprehenderent: neq; priùs vim adhibendam putauerunt, quàm se ipse indicasset. Itaq; huic indici quid fieri vellent præceperunt. Fanum Neptuni est Tænari, quod violari nefas putant Græci: eò ille index confugit, in ara consedit. Hanc iuxta locum fecerũt sub terra, ex quo posset audiri si quis quid loqueretur cum Argilio. Huc ex Ephoris quidã descenderunt. Pausanias vt audiuit, Argilium confugisse in aram, perturbatus venit eò. Quem cùm supplicem Dei videret in ara sedentem, quærit, causæ quid sit tam repentini consilij: Huic ille, quid ex literis comperisset, aperit. Modò magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne nunciaret, nec se meritum de illo optimè, proderet. Quòd si eam veniam sibi dedisset, tantisq; implicitum rebus subleuasset, magno ei præmio futurum. His rebus Ephori cognitis, satius putauerunt in vrbe eum comprehendi. Quò quum essent profecti, & Pausanias placato Argilio (vt putabat) Lacedæmonem reuerteretur: in itinere, cùm iam in eo esset, vt comprehenderetur, ex vultu cuiusdam Ephori, qui eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaq; paucis antè gradibus, quàm qui sequebantur, in ædem Mineruæ, quæ Chalciœcus vocatur, cõfugit. Hinc ne exire posset, statim Ephori valuas eius ædis obstruxerunt, tectumq; sunt demoliti, quò faciliùs sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eamq; iam magno natu, postquàm de scelere filij cõperit, in primis ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis adtulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculauit. Hic cùm semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflauit. Cuius mortui corpus, cùm eódem nonnulli dicerẽt inferri oportere, quò hi qui ad supplicium essent dati: displicuit pluribus, et procul ab eo loco infoderunt quo erat mortuus. Inde posteriùs, Delphici responso erutus, atque loco sepultus vbi vitam finierat.

CIMONIS VITA V.

Cimõ hic iunior iunioris Miltiadis fuit filius.

Cimonis adolescentis calamitas.

Helpinice Cimonis vxoris audax pietas.

Cimon è carcere ad principatum.

Cimonis res præclarè gestæ.



CIMON Miltiadis filius, Atheniensis, duro admodum initio vsus est adolescentiæ. Nam cùm pater eius litem æstimatam populo soluere non potuisset, ob eamq; causam in vinculis publicis decessisset: Cimõ eadem custodia tenebatur, neq; legibus Atheniensium emitti poterat, nisi pecuniam qua pater mulctatus esset, soluisset. Habebat autem in matrimonio sororem suam germanam Helpinicem, non magis amore, quàm patrio more ductus: nam Atheniensibus licet, eodẽ patre natas, vxores ducere. Huius coniugij cupidus Callias quidam, non tam generosus, quàm pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat: egit cum Cimone, vt eam sibi vxorem daret: id si impetrasset, se pro illo pecuniam soluturum. Is cùm talem conditionem aspernaretur: Helpinice negauit, se passuram, Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere posset: seq; Calliæ nupturam, si ea quæ polliceretur præstitisset. Tali modo custodia liberatus Cimon, celeriter ad principatum peruenit: Habebat enim satis eloquentiæ, summam liberalitatem, magnam prudentiam tum iuris ciuilis, tum rei militaris, quòd cũ patre à puero in exercitu fuerat versatus. Itaq; hic & populum vrbanum in sua tenuit potestate, & apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primùm Imperator apud flumẽ Strymona, magnas copias Thracum fugauit: oppidum Amphipolim constituit, eoq; decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalem, Cyprorum, & Phœnicum ducẽtarum nauium classem deuictam cepit: eodemq; die pari fortuna in terra vsus est. Nanq; hostium nauibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, Barbarorum vno concursu maximam vim prostrauit. Qua victoria, magna præda potitus, cùm domum reuerteretur, quòd iam nonnullæ insulæ propter acerbitatem imperij defecerant, benè animatas cõfirmauit, alienatas ad officium redire coegit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quòd contumaciùs se gesserãt, vacuefecit: sessores veteres vrbe insulaq; eiecit, agros ciuibus diuisit. Thasios opulentia fretos, suo aduentu fregit. His ex manubijs arx Athenarum quà ad meri-

diem

diem vergit, eſt ornata. Quibus rebus cùm vnus in ciuitate maximè floreret, incidit in eandem inuidiam, quam pater ſuus, cæteriq; Athenienſium principes. Nam teſtarū ſuffragijs, quod illi † ὀστρακισμὸν vocant, decem annorum exilio mulctatus eſt. Cuius facti, celerius Athenienſes, quàm ipſum pœnituit. Nam cùm ille animo forti, inuidiæ ingratorum ciuium ceſsiſſet, bellumq; Lacedæmonij Athenienſibus indixiſſent: confeſtim notæ eius virtutis deſiderium conſecutum eſt. Itaq; poſt annum quintum quo expulſus erat, in patriam reuocatus eſt. Ille quòd hoſpitio Lacedæmoniorum vtebatur, ſatius exiſtimans cōtendere Lacedæmonē: ſua ſponte eſt profectus, pacemq; inter duas potentiſsimas ciuitates conciliauit. Pòſt neq; ita multò, Cyprum cum ducentis nauibus Imperator miſſus: cùm eius maiorē partē inſulæ deuiciſſet, in morbum implicitus, in oppido Citio eſt mortuus. Hunc Athenienſes non ſolùm in bello, ſed in pace diu deſiderauerunt. Fuit enim tanta liberalitate, cùm compluribus locis prædia hortosq; haberet, vt nunquam in eis cuſtodem impoſuerit, fructus ſeruādi gratia: ne quis impediretur, quò minus eius rebus quibus vellet frueretur. Semper eum pediſſequi cum nummis ſunt ſecuti: vt ſiquis opis eius indigeret, haberet quod ſtatim daret, ne differendo videreť negare. Sæpe cùm aliquem offenſum fortuna, videret minus benè veſtitum, ſuum amiculū dedit. Quotidie ſic cœna ei coquebatur, vt quos conuocatos vidiſſet in foro, omnes deuorarent: quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit, multos locupletauit. Complures pauperes mortuos, qui vnde efferrentur non reliquiſſent, ſuo ſumptu extulit. Sic ſe gerendo, minimè eſt mirandum, ſi & vita eius fuit ſecura, & mors † acerba.

† Aldus oſtracoo habet.

Cimon ab exilio reuocatur.

Cimonis liberalitas inſignis. de qua Ariſt. in Polit. et Cic. Off. 2.

O virum verè bonum.

† Acerba, nimirum Athenienſibus.

LYSANDRI VITA VI.



LYSANDER Lacedæmonius magnam reliquit ſui famam, magis felicitate, quàm virtute partam. Athenienſes enim in Peloponneſios, ſexto & vigeſimo anno bellum gerentes confeciſſe apparet. Id qua ratione conſecutus ſit, latet. Non enim virtute ſui exercitus, ſed immodeſtia factum eſt aduerſariorū: qui quòd dicto audientes Imperatoribus ſuis non erant, diſpalati in agris, relictis nauibus, in hoſtium venerunt poteſtatem. Quo facto Athenienſes ſe Lacedæmonijs dediderunt. Hac victoria Lyſander elatus, cùm antea ſemper factioſus audaxq; fuiſſet, ſic ſibi indulſit, vt eius opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonij peruenerint. Nam cùm hanc cauſam Lacedæmonij dictaſſent ſibi eſſe belli, vt Atheniēſium impotentem dominationem refringerent: poſtquàm apud Aegos flumen Lyſander claſsis hoſtium eſt potitus, nihil aliud molitus eſt, quàm vt omnes ciuitates in ſua teneret poteſtate, cùm id ſe Lacedæmoniorū cauſa facere ſimularet. Nanq; vndiq; qui Athenienſiū rebus ſtuduiſſent eiectis, decem delegerat in vnaquaq; ciuitate, quibus ſummum imperiū, poteſtatemq; omniū rerum cōmitteret. Horum in numero nemo admittebatur, niſi qui aut eius hoſpitio cōtineretur, aut ſe illius fore proprium fide cōfirmarat. Ita decemuirali poteſtate in omnibus vrbibus cōſtituta, ipſius nutu omnia gerebantur. cuius de crudelitate ac perfidia, ſatis eſt vnā rem exēpli gratia proferre, ne de eodē plura enumerādo fatigemus lectores. Victor ex Aſia quū reuerteretur, Thaſumq; diuertiſſet, q ea ciuitas præcipua fide fuerat erga Athenieſes, perinde ac ſi ijdem firmiſsimi ſolerent eſſe amici, qui conſtantes fuiſſent inimici: eam peruertere cōcupiuit. Vidit aūt, niſi in eo occultaſſet voluntatem, futurum vt Thaſij dilaberentur, conſulerentq; rebus ſuis. † Itaq; decemuiralem ſuam poteſtatem, ſiti ab illo conſtitutam ſuſtulerunt. Quo dolore incenſus iniji conſilia, Reges Lacedæmoniorum tollere: ſed ſentiebat id ſine Deorum ope facere nō poſſe, quòd Lacedæmonij omnia ad oracula referre cōſueuerāt. Primùm itaq; Delphos corrumpere eſt conatus. Cùm id nō potuiſſet, Dodonā adortus eſt. Hinc quoq; repulſus, dixit ſe vota ſuſcepiſſe quæ Ioui Hammoni ſolueret, exiſtimās ſe Afros facilius corrupturū. Hac ſpe cùm profectus eſſet in Africam: * multi eum Antiſtites Iouis fefellerunt: nam nō ſolùm corrumpi non potuerūt, ſed etiā legatos Lacedæmona miſerunt, qui Lyſandrū accuſarunt, q ſacerdotes fani corrumpere conatus eſſet. Accuſatus hoc crimine, iudicumq; abſolutus ſententijs, Orchomorijs miſſus ſubſidio, occiſus eſt à Thebanis apud Haliartū. Quàm verè foret de eo iudicatū, oratio indicio fuit, quæ poſt mortē in domo eius reperta eſt, in qua ſuadet Lacedæmonijs, vt regia poteſtate diſſoluta, ex omnibus dux deligaď ad bellū gerendū: ſed ſcripta vt Deorū videreť cōgruere ſententiæ,

Lyſandri felicitas.

Lyſander decēuiratū in Græcia inſtituit.

† Hic ſine dubio deſunt quę Lyſander in Thaſios fecerit.

Lyſander oracula corrumpere largitione conatur.

* Al. moltom.

Lyſandri oratio, de regia poteſtate Lacedæmone tollenda.

tentiæ, quam ille ſe habiturũ, pecunia fidens, nõ dubitabat. Hanc ei ſcripſiſſe Cleon Halicarnaſſeus dicitur. Atq; hoc loco non eſt prætereundũ factũ Pharnabazi Satrapis regij.

Lyſander à Pharnabazo egregiè deceptus.

Nam cùm Lyſander præfectus claſsis, in bello multa crudeliter auareq; feciſſet, deq; his rebus ſuſpicaretur ad ciues ſuos eſſe perlatũ: petijt à Pharnabazo, vt ad Ephoros ſibi teſtimoniũ daret, quanta ſanctitate bellum geſsiſſet, ſociosq; tractaſſet, deq; ea re accuratè ſcriberet: magnã enim eius auctoritatem in ea re futurã. Huic ille liberaliter pollicetur: librum grauem, multis verbis cõſcripſit, in quo ſummis eum laudibus effert. Quem cùm legiſſet, probaſſetq;, dum ſignaretur, alterum pari magnitudine, vt diſcerni non poſſet, ſignatum ſubiecit, in quo accuratiſsimè, eius auariciam, perfidiamq; accuſarat. Hinc Lyſander domum cùm rediſſet, poſtquam de ſuis rebus geſtis, apud maximũ magiſtratum quæ voluerat, dixerat: teſtimonij loco librum à Pharnabazo datum tradidit. Hunc ſummoto Lyſandro cùm Ephori cognoſcerent, ipſi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipſe ſuus fuit accuſator.

Lyſander ſui imprudens accuſator.

ALCIBIADIS VITA VII.

Alcibiadis genus.

Alcibiadis virtutes & vitia paria.



ALCIBIADES Cliniæ filius, Athenienſis. In hoc natura quid efficere poſſit, videtur experta. Conſtat enim inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderũt, nihil illo fuiſſe excellẽtius vel in vitijs, vel in virtutibus. Natus in ampliſsima ciuitate, ſummo genere, omnium ætatis ſuę multò formoſiſsimus: ad omnes res aptus, conſilijq; plenus. Nanq; Imperator fuit ſummus mari & terra: diſertus, vt in primis dicẽdo valeret: quòd tanta erat cõmendatio oris, atq; orationis, vt nemo ei dicendo poſſet reſiſtere. Deinde cùm tempus poſceret, laborioſus, patiens, liberalis, ſplendidus non minus in vita, quàm victu: affabilis, blandus, temporibus callidiſsimè inſeruiẽs. Idem ſimulac ſe remiſerat, nec cauſa ſuberat, quare animi laborem perferret, luxurioſus, diſſolutus, libidinoſus, intemperãs reperiebatur: vt omnes admirarentur, in vno homine tantã morũ diſsimilitudinẽ, tamq; diuerſam naturã. Educatus eſt in domo † Periclis (priuignus enim ſuus fuiſſe dicit̃) eruditus à Socrate. Socerũ habuit Hipponicum, omniũ Græcæ linguæ eloquentia diſertiſsimũ, vt ſi ipſe fingere vellet, neque plura bona reminiſci, neq; maiora poſſet conſequi, q̃ vel fortuna, vel natura tribuerat. Ineunte adoleſcẽtia, amatus eſt à multis more Græcorũ, in eis à Socrate, de quo mẽtionẽ facit Plato in Sympoſio: nanq; eum induxit cõmemorantem, ſe pernoctaſſe cum Socrate, neq; aliter ab eo ſurrexiſſe, ac filius à parente debuerit. Poſteaq; robuſtior eſt factus, nõ minùs multos amauit. In quorũ amore, quo ad licitũ eſt, odioſa multa, delicatè, iocoſeq; fecit, quę referremus, niſi maiora, potioraq; haberemus. Bello Peloponneſiaco, huius cõſilio atq; auctoritate, Athenienſes bellum Syracuſanis indixerunt: ad quod gerendũ, ipſe dux delectus eſt. Duo præterea collegę dati, Nicias, & Lamachus. Id cùm appararetur, prius q̃ claſsis exiret, áccidit vt vna nocte omnes Hermæ, qui in oppido erãt Athenis deijcerentur, præter vnum qui ante ianuam eius erat, † Andocidesq; vocitatus eſt. Hoc cùm appareret nõ ſine magna multorũ cõſenſione eſſe factum, q; non ad priuatam, ſed publicã rem pertineret, magnus multitudini timor eſt iniectus, ne qua repẽtina vis in ciuitate exiſteret, quę libertatẽ opprimeret populi. Hoc maximè cõuenire in Alcibiadem videbatur, q; & potentior, & maior q̃ priuatus exiſtimabat̃. Multos enim liberalitate deuinxerat, plures etiam opera forenſis ſuos reddiderat. Quare fiebat, vt omniũ oculos, quotieſcunq; in publicũ prodiſſet, ad ſe conuerteret, neq; ei par quiſquam in ciuitate poneretur. Itaq; nõ ſolùm in eo ſpem habebant maximã, ſed etiã timorem, q; & obeſſe plurimũ, & ꝓdeſſe poterat. Aſpergebatur etiã infamia, q; in domo ſua facere myſteria dicebat̃, quod nefas erat more Athenienſiũ, idq; nõ ad religionẽ, ſed ad coniurationẽ pertinere exiſtimabat̃. Hoc crimine in cõtentionẽ ab inimicis cõpellebatur. Sed inſtabat tempus ad bellũ proficiſcendi. Id ille intuens, neq; ignorãs ciuiũ ſuorũ conſuetudinẽ, poſtulabat ſi quid de ſe agi vellent, potiùs de præſenti quæſtio haberetur, quàm abſens inuidiæ crimine accuſaretur. Inimici verò eius, quieſcendũ in præſentia, quia nocere non poſſe intelligebãt, & illud tempus expectandũ decreuerunt, quo ſi exiſſet, vt abſentẽ aggrederent̃: itaq; fecerũt. Nam poſtquã in Siciliã eum ꝑueniſſe crediderũt, abſentẽ, quòd ſacra violaſſet, reũ fecerũt. Qua de re cùm ei nuncius à magiſtratu in Siciliã miſſus eſſet, vt domũ ad cauſam dicendã rediret, eſſetq; in magna ſpe prouinciæ bene adminiſtrãdę: nõ parẽre voluit, & in triremẽ quæ ad eum deportandũ erat miſſa, aſcẽdit, ac Thurios in

Italiam

† Fuit Pericles Alcibiadis auũculus, vt Suidas & Gellius teſtantur: vxoris autem eius vitricus: vnde fieri poteſt, vt & Alcibiades Periclis priuignus diceretur.

† Andocides, habet Aldi codex.

Alcibiadis apud Athenieſes gratia & potentia.

Alcibiades Cereris myſteria domi facere accuſatur.

Italiam peruectus, multa secum reputans de immoderata ciuium suorum licentia, crudelitateq́ erga nobiles: vtilissimum ratus, impendentem euitare tempestatem, clàm se à custodibus subduxit, & inde primùm Elidem, deinde Thebas venit. Postquam autem se capitis damnatum, bonis publicatis, audiuit, & id quod vsu venerat, Eumolpidas sacerdotes à populo coactos, vt se deuouerent, eiusq́ deuotionis, quò testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum, esse positum in publico: Lacedæmonem demigrauit. Ibi (vt ipse prædicare consueuerat) nõ aduersus patriam, sed inimicos suos bellũ gessit, quòd ijdem hostes essent ciuitati. Nam cùm intelligerent, se plurimùm prodesse Reipublicæ: ex ea eiecisse, plusq́ iræ suæ, quàm vtilitati communi paruisse. Itaq; huius consilio, Lacedæmonij cum Persarum Rege amicitiam fecerunt: deinde Deceleam in Attica muniuerunt, præsidioq́ perpetuo ibi posito, in obsidione Athenas tenuerunt. Eiusdem opera, Ioniam à societate auerterunt Atheniensium, quo facto, multo superiores bello esse cœperunt. Neque verò his rebus, tam amici Alcibiadi sunt facti, quàm timore ab eo alienati. Nam cùm acerrimi viri præstantem prudentiam in omnibus rebus, cognoscerent: pertimuerunt, ne charitate patriæ ductus, aliquando ab ipsis desciceret, & cum suis in gratiam rediret. Itaq; tempus eius interficiendi quærere instituerũt. Id Alcibiadi diutiùs celari non potuit: erat enim ea sagacitate, vt decipi non posset, præsertim cùm animũ attendisset ad cauendum. Itaq; ad Thissaphernem præfectum Regis Darij se contulit. Cuius quum in intimam amicitiam peruenisset, & Atheniensium malè gestis in Sicilia rebus opes senescere, cõtrà Lacedæmoniorum crescere videret: initiò cum Pisandro Prætore, qui apud Samum exercitum habebat, per internũcios còlloquitur, & de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem quo Alcibiades sensu, populi potentiæ non amicus, & optimatũ fautor. Ab hoc destitutus, primùm per Thrasybulũ Lyci filium, ab exercitu recipitur, Prætorq́ fit apud Samum. Post suffragante Theramene, plebiscito restituitur, pariq́ absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo & Theramene. Horum imperio tanta commutatio rerum facta est, vt Lacedæmonij, qui paulò antè victores viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinq; prælijs terrestribus, tribus naualibus: in quibus ducentas naues triremes amiserant, quæ captæ in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis, receperat Ioniam, Hellespontum, multas præterea vrbes Græcas, quæ in ora sitæ sunt Asiæ: quarum expugnauerat quamplures: in his Byzantium. Neq; minùs multas consilio ad amicitiam adiunxerát, quòd in captos clementia fuerant vsi. Ita præda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis Athenas venerunt. His cùm obuiam vniuersa ciuitas in Piræeum descendisset: tanta fuit omniũ expectatio visendi Alcibiadis, vt ad eius triremem vulgus cõflueret, perinde ac si solus aduenisset. Sic enim populo erat persuasum, & aduersas superiores, & præsentes secundas res, accidisse eius opera. Itaq; & Siciliæ † admissum, & Lacedæmoniorum victorias culpæ suæ tribuebant, quòd talem virum è ciuitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari videbantur. Nam postquam exercitui præesse cœperat, neq; terra, neq; mari hostes pares esse potuerant. Hic vt naui egressus est, quanquam Theramenes, & Thrasybulus ijsdem rebus præfuerant, simulq́ venerant in Piræeum, tamen illum vnum omnes persequebantur: & id quod nunquam antea vsuuenerat, nisi Olympiæ victoribus, coronis aureis æneisq́ vulgò donabatur. Ille lachrymans, talem beneuolentiam ciuium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postquam Astu venit, concione aduocata, sic verba fecit, vt nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lachrymarit, inimicumq́ his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat: perinde ac si alius populus, non ille ipse qui tum flebat, eum sacrilegij damnasset. Restituta ergò huic sunt publicè bona. Idemq́ illi Eumolpidæ sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, qui eũ deuouerant, pilæq́ illæ in quibus deuotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Hæc Alcibiadi lætitia minùs fuit diuturna. Nam cùm ei essent omnes honores decreti, totaq́ respublica domi belliq́ tradita, vt vnius arbitrio gereretur, & ipse postulasset, vt duo sibi collegæ darentur, Thrasybulus, & Adimantus, neq; id negatũ esset, classe in Asiam profectus, quòd apud † Symen minùs ex sententia rem gesserat, in inuidiam récidit. Nihil enim eum non efficere posse ducebant. Ex quo fiebat, vt omnia minùs prosperè gesta, eius culpæ tribuerẽt, cùm aut eum negligenter, aut malitiosè fecisse loquerentur, sicut áccidit. Nam corruptũ à Rege, capere Symen noluisse arguebant. Itaque huic maximè imputamus malo causam fuisse, nimiam opinionem ingenij atque virtutis. Timebatur enim non minùs quàm diligebatur, ne secunda fortuna, magnisq́ elatus opibus, tyrannidem concupisceret. Quibus

Alcibiades absens capitis damnatur.

Alcibiadis sagacitas in periculis.

Alcibiades in patriam restituitur.

† Aldus legit admissum: Siciliæ tamen amissionem intellige.

Populi Athen. inconstantia.

† Cymen fortè melius, de qua Plin. li. 5. ca. 30.

rebus factum est, vt absenti magistratum abrogarent, & alium in eius locū substituerēt. Id ille vt audiuit, domum reuerti noluit, & se Pataram contulit, ibíq; tria castella communiuit, Bornos, † Bizam, Themeonticos, manuq; collecta, primus Graeciae † ciuitatis in Thraciam introijt, gloriosius existimans Barbarorum praeda locupletari, quàm Graiorum. Qua ex re creuerat fama cum opibus, magnámque amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraciae pepererat: neque tamen à charitate patriae potuit recedere. Nam quum apud Aegos flumen, Philocles Praetor Atheniensium classem constituisset suam, neq; longè abesset Lysander praetor Lacedaemoniorum, qui in eo erat occupatus, vt bellum quàm diutissimè duceret, quòd ipsis pecunia à Rege suppeditabatur: contrà Atheniensibus exhaustis, praeter arma & naues nihil erat super: Alcibiades ad Atheniensium venit exercitum, ibíq; praesente vulgo agere coepit, si vellent, se coacturum Lysandrū dimicare, aut pacem petere. Respondent Lacedaemonios eò nolle confligere classe, quòd pedestribus copijs plus quàm nauibus valerent. Sibi autē esse facile, † Seuthem Regem Thracum deducere, vt eos terra depelleret. Quo facto, necessariò aut classe cōflicturos, aut bellum composituros. Id etsi verè dictum Philocles animaduertebat, tamen postulata facere noluit, quòd sentiebat se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum. Et si quid secundi euenisset, nullam in ea re suam partem fore. Cōtra ea, si quid aduersi accidisset, se vnum eius delicti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades, Quoniam, inquit, victoriae patriae repugnas, illud moneo, iuxta hostes castra habeas nautica. Periculum est enim, ne immodestia militum nostrorum, occasio detur Lysandro, nostri opprimendi exercitus. Neque ea res illum fefellit. Nam Lysander cùm per speculatores comperisset, vulgum Atheniensium in terram praedatum exisse, nauesq; penè inanes relictas: tempus rei gerendae non dimisit, eoq; impetu, totum bellum deleuit. At Alcibiades victis Atheniensibus, non satis tuta eadem loca sibi arbitrans: penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperās ibi facillimè, suam fortunā occulti posse, falsò. Nam Thraces postquàm eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias fecerunt: qui ea, quae apportauit abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. Ille cernens, nullum locum sibi tutum in Graecia, propter potentiam Lacedaemoniorum, ad Pharnabazum in Asiam transiit. Quandoquidem adeò sua cepit humanitate, vt cum nemo in amicitia antecederet. Nanq; ei Grynium dederat in Phrygia castrum, ex quo quinquaginta talenta vectigalis habebat. Qua fortuna Alcibiades non erat contentus, neq; Athenas victas Lacedęmonijs seruire poterat pati. Itaq; ad patriam liberādam omni ferebatur cogitatione: sed videbat id sine Rege Persarū non posse fieri: ideóq; eum amicū sibi cupiebat adiungi, neq; dubitabat facile se consecuturū, si modò eius cōueniendi habuisset potestatem. Nam Cyrum fratrem ei bellum clàm parare, Lacedęmonijs adiuuantibus, sciebat. Id si aperuisset, magnā se initurum gratiam videbat. Haec cùm moliretur, peteretq; à Pharnabazo, vt ad regem mitteretur: eodem tēpore Critias, caeteriq; Tyranni Atheniensium, certos homines ad Lysandrū in Asiam miserant, qui eum certiorem facerēt, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earū rerum fore ratū, quas ipse Athenis constituisset. Quare si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur. His Lacon rebus cōmotus, statuit accuratiùs sibi agendum cum Pharnabazo societatē. Huic ergo renunciat, quę Regi cum Lacedaemonijs essent, irrita futura, nisi Alcibiadem viuum aut mortuum tradidisset, stare non posse. Non tulit hoc Satrapes, & violare clemētiam, quàm Regis opes minui maluit. Itaq; misit Susametren & Mageum ad Alcibiadem interficiendum, cùm ille esset in Phrygia, iterq; ad Regē pararet. Missi, clàm vicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negocium, vt eum interficiant. Illi cùm † ferro aggredi non auderent, noctu ligna cōtulerunt circa Samineā, in qua quiescebat, eamq; succēderunt, vt incendio conficeretur, quē manu superari posse diffidebāt. Ille autem vt in sonitu flammae est excitatus, & si gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. Nanq; erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui nunquā discedere voluerat. Hunc sequi se iubet, & id quod in praesentia vestimentorum fuit, arripuit. His in ignem eiectis, flammę vim transiit. Quem vt Barbari incendium effugisse eminus viderunt, telis missis interfecerūt, caputq; eius ad Pharnabazū retulerunt. At mulier quae cum eo viuere consueuerat, muliebri sua veste contectum, aedificij incendio mortuū cremauit, quod ad viuum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades annos circiter quadraginta natus, diem obijt supremum. Hunc infamatū à plerisq;, tres grauissimi Historici summis laudib. extulerūt: Thucydides, qui eiusdē etatis fuit: Theopōpus, qui fuit post aliquātò natus: & Timęus, qui quidē duo maledicentissimi

Marginal notes:

† Al. Byram.
† Al. ciuitates in Thracia.
Alcibiadis in patriam charitas.
† Alij Seucem, alij Scotym legunt.
Alcibiadi Thraces ob pecuniā insidiantur.
Alcibiadis de liberanda patria cum Rege Persarum consilia.
Aulica fides.
† Al. securò.
Saminea oppidulum in Phrygia.
Alcibiadis caedes.
Alcibiadem tres Historici summis laudibus extulerunt.

dicentiſsimi, neſcio quomodo in illo vno laudando conſenſerunt. Nam ea quæ ſuprà diximus, de eo prædicarunt, atq; hoc ampliùs, cùm Athenis ſplendidiſsima ciuitate natus eſſet, ſplendore ac dignitate ſuperaſſe vitę. Poſtquàm inde expulſus, Thebas venit, adeò ſtudijs eorum inſeruiſſe, vt nemo eum labore corporisq; viribus poſſet æquiparare. Omnes eñ Bœotij magis firmitati corporis, quàm ingenij acumini inſeruiũt. Eundē apud Lacedæmonios, quorum moribus ſumma virtus in patientia ponebatur, ſic duriciei ſe dedidiſſe, vt parſimonia victus atq; cultus, omnes Lacedæmonios vinceret. Fuiſſe apud Thracas homines vinolentos, rebusq; venereis deditos: hos quoq; in his rebus anteceſſiſſe. Veniſſe ad Perſas, apud quos ſumma laus eſſet fortiter venari, luxurioſe viuere. Horum ſic imitatũ conſuetudinē, vt illi ipſi eum in his maximè admirarentur. Quibus rebus effeciſſe, vt apud quoſcunq; eſſet, princeps poneretur, haberetutq; chariſsimus. Sed ſatis de hoc, reliquos ordiamur.

Bœotica ingenia.

Alcibiadis mirũ ingeniũ ac verſatile.

THRASYBVLI VITA VIII.



HRASYBVLVS Lyci filius, Athenienſis. Si per ſe virtus ſine fortuna ponderanda ſit: dubito an hunc primum omniũ ponam. Illi ſine dubio neminem pręfero, fide, conſtantia, magnitudine animi, in patriã amore. Nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab vno Tyranno patriam liberare: huic contigit, vt à triginta oppreſſam Tyrannis, è ſeruitute in libertatē vindicaret. Sed neſcio quomodo, cùm eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcucurrerunt. Primùm Peloponneſio bello, multa hic ſine Alcibiade geſsit: ille nullã rem ſine hoc, quæ ille vniuerſa naturali quodam bono fecit lucri.† Sed illa tamen omnia communia Imperatoribus cum militibus, & fortuna, quod in prælij concurſu, abijt res à conſilio ad vires, vimq; pugnantium. Itaq; iure ſuo nonnulla ab Imperatore miles, plurima verò à fortuna vindicat: ſeq; his plus valuiſſe, quàm ducis prudentia, verè poteſt prædicare. Quare illud magnificentiſsimum factum proprium eſt Thraſybuli. Nam cùm triginta Tyranni præpoſiti à Lacedæmonijs, ſeruitute oppreſſas tenerent Athenas, plurimos ciues quibus in bello pepercerat fortuna, partim patria expuliſſent, partim interfeciſſent, plurimorum bona publicata inter ſe diuiſiſſent: non ſolùm princeps, ſed & ſolus initio bellum his indixit. Hic enim cùm Phylen confugiſſet, quod eſt caſtellum in Attica munitiſsimum, nõ plus habuit ſecum, quàm triginta de ſuis. Hoc initium fuit ſalutis Atticorum: hoc robur libertatis clariſsimæ ciuitatis. Neque verò hic modò contemptus eſt primò à Tyrannis, ſed eius ſolitudo: quæ quidem res & illis contemnentibus perniciei, & huic deſpecto ſaluti fuit. Hæc enim illos ad perſequendum ſegnes, hos autem tempore ad comparandum dato, fecit robuſtiores. Quò magis præceptum illud omnium in animis eſſe debet, NIHIL IN BELLO OPORTERE CONTEMNI, nec ſine cauſa dici, MATREM TIMIDI FLERE NON SOLERE. Neq; tamen pro opinione Thraſybuli auctæ ſunt opes: nam iam tum illis temporibus, fortius boni pro libertate loquebantur, quàm pugnabant. Hinc in Piræeum tranſijt, Munychiamq; muniuit. Hanc bis Tyrãni oppugnare ſunt adorti, ab eaq; turpiter repulſi, protinus in vrbem, armis, impedimentisq; amiſsis, refugerunt. Vſus eſt Traſybulus non minùs prudentia, quàm fortitudine: nam cedentes violari vetuit: ciues enim ciuibus parcere æquũ cenſebat. Neq; quiſquã eſt vulneratus, niſi qui prior impugnare voluit. Neminem iacentē veſte ſpoliauit. Nil attigit niſi arma, quorum indigebat, & quæ ad victum pertinebãt. In ſecundo prælio cécidit Critias dux Tyrannorũ, cùm quidem aduerſus Thraſybulũ fortiſsimè pugnaret. Hoc deiecto, Pauſanias venit Atticis auxilio Rex Lacedęmoniorũ. Is inter Thraſybulũ, & eos qui vrbem tenebant, fecit pacem his cõditionibus, Ne qui præter triginta Tyrannos, & decē, qui poſtea Prætores creati, ſuperioris more crudelitatis erãt vſi, adficerentur exilio: néve bona publicarentur: reipublicę procuratio populo redderetur. Præclarũ hoc quoq; Thraſybuli, quòd reconciliata pace, cùm plurimùm in ciuitate poſſet, legem tulit, Ne quis anteactarũ rerum accuſaretur, néve mulctaretur: eamq; illi legem Obliuionis appellarent. Neq; verò hanc tantùm ferendã curauit, ſed etiã vt valeret effecit. Nam cùm quidã ex his qui ſimul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorũ vellent, cum quibus in gratiam reditum fuerat, publicè prohibuit, & id quod pollicitus erat præſtitit. Huic pro tantis meritis, honoris corona à populo data eſt, facta duabus virgulis oleaginis: quæ, quòd amor ciuiũ, non vis expreſſerat, nullam habuit inuidiã, magnaq; fuit

Thraſybuli virtutes.

Thraſybulus Alcibiadi rerũ geſtarũ gloria anteponitur.

† Hunc locum videtur ex oratione Cic. pro Marcello mutuatus.

Nihil in bello cõtemnendum.

Matrem timidi flere non ſolere, prouerbium.

Thraſybuli in victoria moderatio.

Lex ἀμνηστίας, de qua Valer. Max. lib. 4. ca. 1. & Cic. Philip. 1.

gloria. Bene ergo Pittacus ille, qui septē sapientū numero est habitus, cùm ei Mitylenei, multa millia iugerū agri muneri darent: Nolite, rogo vos (inquit) mihi dare, quod multi inuideant, plures etiā cōcupiscant. Quare ex istis nolo amplius, quàm centū iugera, quæ & meam animi æquitatē, & vestram voluntatem indicent: NAM PARVA MVNERA, DIVTINA: LOCVPLETA, NON PROPRIA ESSE CONSVEVERVNT. Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neq; amplius requisiuit, neq; quenquam honore se antecessisse existimauit. Hic sequēti tempore, cùm prætor classem † ad Siciliam appulisset, neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliæ: à Barbaris ex oppido noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est.

Pittaci dictum. Valer. Max. lib. 6 de Iustitia.

Parua munera diuturna sunt.

† Fortè, ad Ciliciam. Vide Xenophontē rerū Græcarū lib. 4.

CONONIS VITA IX.



CONON Atheniensis, Peloponesio bello accessit ad rempublicam: in eoq; eius operæ magnus fuit vsus: nam & Prætor pedestribus exercitib. præfuit, & præfectus classis, res magnas mari gessit. Quas ob causas præcipuus ei honos habitus est. Nanque omnibus vnus insulis præfuit. In qua potestate Pheras cepit coloniam Lacedæmoniorum. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello Prætor, cùm apud Aegos flumen copiæ Atheniensium à Lysandro sunt deuictæ. Sed tum abfuit, eoq; peius res administrata est: nam & prudens rei militaris, & diligens erat Imperator. Itaque nemini erat his temporibus dubium, si adfuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse. Rebus autem afflictis cùm patriam obsideri audisset, nō quæsiuit vbi ipse tutò viueret, sed vnde præsidio esset ciuibus suis. Itaq; contulit se † ad Pharnabazū Satrapem Ioniæ & Lydiæ, eundemq; generū Regis, & propinquum: apud quem vt multū gratia valeret, multo labore, multisq; effecit periculis. Nam cùm Lacedæmonij Atheniensibus deuictis, in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerāt, Agesilaumq; bellatū misissent in Asiam, maximè impulsi à Tisapherne, qui ex intimis Regis ab amicitia eius defecerat, & cū Lacedæmonijs coierat societatem. Hunc aduersus, Pharnabazus habitus est Imperator: re quidē vera exercitui præfuit Conon, eiusq; omnia arbitrio gesta sunt. Hic militum ducē summum Agesilaum impediuit sæpeq; eius consilijs obstitit. Neq; verò non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaū Asiam Tauro tenus Regi fuisse erepturum. Qui posteaquā domum à suis ciuibus reuocatus est, quòd Bœotij & Athenienses Lacedæmonijs bellum indixerant: Conon nihilo secius apud Præfectos Regis versabatur, hisq; omnib. maximo erat vsui. Defecerat à Rege Tisaphernes, neq; id tā Artaxerxi, quàm cæteris, erat apertū. Multis enim, magnisq; meritis apud Regē, etiam cùm in officio nō maneret, valebat. Neq; admirādum, si nō facilè ad credendum inducebatur, reminiscēs, eius se opera Cyrum fratrē superasse. Huius accusandi gratia Conon à Pharnabazo ad Regem missus, posteaquā venit, primùm ex more Persarū ad Chiliarchum, qui secundum gradum imperij tenebat, Tithraustem accessit, seq; ostendit, cum Rege colloqui velle: nemo enim sine hoc admittitur. Huic, ille inquit, nulla mora est: sed tu delibera, vtrùm colloqui malis, an per literas ēdere quę cogitas. Necesse est enim, si in cōspectum veneris, venerari te Regem, quod προσκυνεῖν illi vocāt: hoc si tibi graue est, per me nihilo secius, editis mandatis cōficies, quod studes. Tum Conō: Mihi verò, inquit, nō est graue quemvis honorē habere Regi: sed vereor ne ciuitati meæ sit opprobrio, si cū ex ea ciuitate sim profectus, quę cæteris gentibus imperare cōsueuerit, potius Barbarorum, quàm illius more fungar. Itaq; quæ huic volebat, scripta tradidit. Quib. cognitis, Rex tantū auctoritate eius motus est, vt Tisaphernē hostem iudicauerit, & Lacedæmonios bello persequi iusserit, & ei permiserit, quē vellet eligere, ad dispensandā pecuniā. Id arbitriū Conō negauit sui esse cōsilij, sed ipsius qui optimè suos nosse deberet. Sed suadere, Pharnabazo id negocij daret. Hinc magnis muneribus donatus, ad mare est missus, vt Cyprijs, & Phœnicibus, cæterisq; ciuitatib. maritimis, naues lōgas imperaret, classēq; quæ proxima ęstate mare tueri posset, compararet, dato adiutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. Id vt Lacedæmonijs est nunciatū, nō sine cura rē administrarūt, quòd maius bellum imminere arbitrabantur, quàm si cū Barbaro solùm cōtenderent. Nam ducē fortē, prudentē, regijs opibus præfuturū, ac secum dimicaturū videbāt, quē neq; cōsilio, neq; copijs superare posset. Hac mente magnā contrahūt classem: proficiscūtur Lysandro duce. Hos Conō apud Gnydum adortus, magno prælio fugat, multas naues capit, cōplures deprimit. Qua victoria, nō solùm Athenę, sed etiā cuncta Græcia, quæ

† Iustinus lib. 5. Tisaphernē, Ioniæ & Lydię præfectum fecit.

Mos Persarum in admittendis ad Regem legatis.

Conon Persarū regē adorare, recusat.

Cononis de Lacedæmonijs victoria.

quæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio, liberata est. Conon cum parte nauium in patriam venit: muros dirutos à Lysandro, vtrosq; & Piræei, & Athenarũ reficiendos curat, pecuniæq; quinquaginta talenta quæ à Pharnabazo acceperat, ciuibus suis donat. Accidit huic quod cęteris mortalibus, VT INCONSIDERATIOR IN SECVNDA QVAM IN ADVERSA ESSET FORTVNA. Nam classe Peloponnesiorũ deuicta, cùm vltũ se iniurias patriæ putaret, plura concupiuit, quàm efficere potuit. Neq; tamen ea non pia, & probanda fuerũt, quòd potiùs patriæ opes augeri, quàm Regis maluit. Nam cùm magnã auctoritatẽ sibi pugna illa nauali quã apud Gnydum fecerat, constituisset, non solùm inter Barbaros, sed etiam omnes Græciæ ciuitates, clàm dare operã cœpit, vt Ioniã & Aeoliam restitueret Atheniensibus. Id cùm minùs diligenter esset celatũ: Teribazus qui Sardibus præerat, Cononem euocauit, simulans ad Regẽ eũ se mittere velle. Magna festinatione huius nuncio parens, cùm venisset, in vincula coniectus est. In quibus aliquandiu fuit. Nonnulli eũ ad Regem abductum, ibiq; perijsse scriptum reliquerunt. Contra ea Dinon Historicus, cui nos plurimũ de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit. Illud addubitat, vtrùm Teribazo sciente, an imprudente sit factum.

In secunda fortuna modum tenere difficile.

Conon dolo à Persis captus.

DIONIS VITA X.

Dionis genus.

DION Hipparini filius, Syracusanus, nobili genere natus, vtraque implicatus tyrannide Dionysiorum. Nanque ille superior, Aristomachen sororem Dionis habuit in matrimonio: ex qua duos filios, Hipparinũ, & Nisęũ procreauit: totidemq; filias, Sophrosynem, & Areten. Quarũ priorem Dionysio filio, eidem cui regnum reliquit, nuptum dedit: alteram Areten Dioni. Dion autem præter nobilem propinquitatem, generosamq; maiorum famã, multa alia à natura habuit bona. In his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas: magnã corporis dignitatem, quæ non minimùm commendatur: magnas præterea diuitias à patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. Erat intimus Dionysio priori, neque minùs propter mores, quàm adfinitatem. Nanq; & si Dionysii crudelitas ipsi displicebat: tamen saluum illum propter necessitudinem, magis etiam suorum causa esse studebat. Aderat in magnis rebus: eiusq; consilio multùm mouebatur tyrannus, nisi qua in re maior ipsius cupiditas intercesserat. Legationes verò omnes quę essẽt illustriores, per Dionem administrabantur. Quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimũ nomen tyranni sua humanitate tegebat. Hunc à Dionysio missum, Carthaginenses susceperunt, vt neminem vnquam Gręca lingua loquentem, magis sint admirati. Neq; verò hæc Dionysiũ fugiebant: nam quantò esset sibi ornamento sentiebat. Quo fiebat, vt vni huic maximè indulgeret: neque eum secus diligeret, ac filium. Qui quidem, cùm Platonem Tarentum venisse fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit, quin eum arcesseret, cùm Dion eius audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniam, magnaq; eũ ambitione Syracusas perduxit. Quem Dion adeò admiratus est, atq; adamauit, vt se totũ ei traderet. Neq; verò minus Plato delectatus est Dione. Itaq; quum à Dionysio tyranno crudeliter violatus esset, quippe quem venundari iussit, tamen eòdem redijt, eiusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius, quo cum grauiter conflictaretur, quæsiuit à Medicis Dion, quemadmodum se haberet, simulq; ab his petijt, si fortè maiori esset periculo, vt sibi faterentur. Nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno, quòd sororis suæ filios ex illo natos, partem regni putabat debere habere. Id Medici non tacuerunt, & ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi esset Dioni potestas, patri soporem Medicos dare coegit. Hoc æger sumpto, somno sopitus, diem obijt supremum. Tale initium fuit Dionis, & Dionysii simultatis: eaq; multis rebus aucta est. Sed tamen primis temporibus, aliquandiu simulata inter eos amicitia mansit, quum Dion non desisteret obsecrare Dionysium, vt Platonem Athenis arcesseret, & eius consilijs vteretur. Ille qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei gesit: eodemq; tempore Philistum Historicum Syracusas reduxit, hominem amicum non magis Tyranno, quàm tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de Historicis conscriptus est. Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit, valuitq; eloquentia, vt persuaserit tyrãnidis facere finem, libertatemq; reddere Syracusanis. A qua voluntate Philisti cõsilio deterritus, aliquantò crudelior esse cœpit. Qui quidem cùm à Dione se superari videret

Dionis vxor.

Dionis ingenii & corporis forma, & diuitiæ.

Dionysius Platonem Tarento in Siciliam Dionis causa accersit.

Plato à Dionysio venundari iussus.

Dionysius potione soporifera sublatus.

Aemilij Probi liber de Historicis.

Dionem Dionysius Corinthum deportari iubet.

ingenio, auctoritate, amore populi: verens ne si eũ secum haberet, aliquã occasionẽ sui daret opprimendi: nauem ei triremẽ dedit, qua Corinthum deueheretur: ostẽdens, se id vtriusq; facere causa, ne cùm inter se timerent, alterv ter alterum præoccuparet. Id cùm factum multi indignarentur, magnæq; esset inuidiæ tyranno: Dionysius omnia quę moueri poterant Dionis, in naui imposuit, ad eumq; misit. Sic enim existimari volebat, id se nõ odio hominis, sed suæ salutis fecisse causa. Postea verò quàm audiuit eum in Pelopõneso manum cõparare, sibiq; bellum facere conari, Areten Dionis vxorem alij nuptũ dedit: filiumq; eius sic educari iussit, vt indulgẽdo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam pueto priusquam pubes esset, scorta adducebãtur: vino epulisq; obruebatur, neq; vllum tempus sobrio relinquebatur. Is vsq; eò vitæ statum cõmutatum ferre non potuit, postquã in patriã rediit pater (nanq; appositi erant custodes, qui eũ à pristino victu deducerẽt) vt se superiore parte ædiũ deiecerit, atq; ita interierit. Sed illuc reuertor. Postquã Corinthũ peruẽnit Dion, & eòdem perfugit Heraclides ab eodem expulsus Dionysio, qui præfectus fuerat equitũ, omni ratione bellum cõparare cœperunt: sed non multũ proficiebant, quòd multorũ annorum tyrãnus, magnarũ opum putabatur. Quamob causam pauci ad societatem periculi perducebãtur. Sed Dion fretus non tam suis copijs, quàm odio tyranni: maximo animo duabus onerarijs nauibus, quinquaginta annorũ imperiũ, munitum quingentis longis nauibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus oppugnatum (quod omnibus gentibus admirabile est visum) adeò facilè perculit, vt post diem tertiũ quàm Siciliã attigerat, Syracusas introierit. Ex quo intelligi potest, NVLLVM ESSE IMPERIVM TVTVM, NISI BENEVOLENTIA MVNITVM. Eo tempore aberat Dionysius, & in Italia classem operiebatur aduersariorũ, ratus neminem sine magnis copijs ad se venturũ: quæ res eũ fefellit. Nam Dion his ipsis, qui sub aduersarij fuerãt potestate, regios spiritus repressit, totiusq; eius partis Siciliæ potitus est, quę sub Dionysii potestate fuerat: pariq; modo vrbis Syracusanûm, præter arcẽ & insulam adiunctam oppido: eoq; rem perduxit, vt talibus pactionibus pacẽ tyrannus facere vellet: Siciliam Dion obtineret, Italiam Dionysius, Syracusas Apollocrates, cui maximam fidem vni habebat Dion. Has tam prosperas, tamq; inopinatas res, cõsecuta est subita commutatio, QVOD FORTVNA, SVA MOBILITATE, QVEM PAVLO ANTE EXTVLERAT, DEMERGERE EST ADORTA. Primùm in filio, de quo commemoraui suprà, suam vim exercuit. Nam cùm vxorem reduxisset quæ alij fuerat tradita, filiumq; vellet reuocare ad virtutem, à perdita luxuria: accepit grauissimum parens vulnus morte filij: deinde orta dissensione inter eum, & Heraclidem. Qui quidem principatũ non cõcedens, factionem comparauit. Neq; is minus valebat apud optimates, quorum consensu præerat classi, cùm Dion exercitum pedestrẽ teneret. Nõ tulit hoc animo æquo Dion, & versum illũ Homeri retulit ex secũda Rhapsodia, in quo hæc sententia est, NON POSSE BENE GERI REMPVBLICAM MVLTORVM IMPERIIS. Quod dictum magna inuidia consecuta est. Nanq; aperuisse videbatur, se omnia in sua potestate esse velle. Hanc ille non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit: Heraclidemq; quum Syracusas venisset, interficiẽdum curauit. Quod factum, omnibus maximum timorem iniecit: nemo enim illo interfecto se tutum putabat. Ille autem aduersario remoto, licentiùs eorũ bona quos sciebat aduersus se sensisse, militibus dispertiuit: quibus diuisis, quum quotidiani maximi fierent sumptus, celeriter pecunia deesse cœpit, neque quò manus porrigeret suppetebat, nisi in amicorũ possessiones. Id eiusmodi erat, vt cùm milites reconciliasset, amitteret optimates. Quarum rerum cura frangebatur: & insuetus malè audiendi, nõ æquo animo ferebat, de se ab his malè existimari, quorum paulo antè in cœlum fuerat elatus laudibus. Vulgus autem, offensa in eum militum voluntate, liberiùs loquebatur, & Tyrannum nõ ferendum dictitabat. Hæc ille intuens, quum quemadmodum sedaret, nesciret, & quorsum euaderet, timeret, † Callicrates quidam ciuis Atheniensis, qui simul cum eo ex Peloponneso in Siciliã venerat: homo & callidus, & ad fraudem acutus, sine vlla religione ac fide, adit ad Dionem, & ait eum in magno periculo esse propter offensionem populi, & odium militum: quod nullo modo euitare posset, nisi alicui suorum negocium daret, qui se simularet illi inimicum, quem si inuenisset idoneum, facilè omnium animos cogniturum aduersariósque sublaturum, quòd inimici eius dissidenti suos sensus aperturi forent. Tali consilio probato excepit has partes ipse Callicrates, & se armat imprudentia Dionis. Ad eũ interficiẽdum socios cõquirit: aduersarios eius cõuenit, coniurationẽ confirmat. Res mul-

Vsq; adeò à teneris consuescere multum est. (beside "pueto priusquam pubes esset")

Dionis in Dionysium copiæ. (beside "odio tyranni")

Nullum imperium nisi beneuolẽtia tutum. (beside "NVLLVM ESSE IMPERIVM")

Fortunæ inconstantia. (beside "est subita commutatio")

Rempublicam non posse bene geri multorum imperijs. (beside "quo hæc sententia est")

† Calippũ Plutarchus vocat. (beside "ret, † Callicrates")

Callicratis in Dionem coniuratio. (beside "que sublaturum")

tis conscijs quæ gereretur, elata refertur ad Aristomachen sororē Dionis, vxoremq́ Areten. Illæ timore perterritæ conueniunt cuius de periculo timebant. At ille negat à Callicrate fieri sibi insidias: sed illa quæ agerentur, fieri præcepto suo. Mulieres nihilo secius Callicratē in ædem Proserpinæ deducunt, ac iurare cogūt, nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione non modò non deterritus, sed ad maturandū concitatus est, verens, ne priùs consiliū aperiretur suum, quàm conata perfecisset. Hac mente, proximo die festo, cùm à conuentu se remotū Dion domi teneret, atq; in cōclaui edito recubuisset: conscijs loca munitiora oppidi tradidit: domū custodibus sepsit: à foribus qui nō discederēt, certos præfecit. Nauem triremē armatis ornat, Philocratiq́; fratri suo tradit, eamq́; in portu agitari iubet, vt si exercere remiges vellet: cogitans, si fortè cōsilijs obstitisset fortuna, vt haberet quò fugeret ad salutem. Suorum aūt è numero † Zacynthios adolescētes quosdam elegit cùm audacissimos, tum viribus maximis: hisq́; dat negotiū, vt ad Dionē eant inermes, sicut conueniendi gratia viderentur venire. Hi propter notitiā sunt intromissi. At illi vt limen eius intrarunt, foribus obseratis, in lecto cubantem inuadunt, colligant: fit strepitus adeò, vt exaudiri posit foris. Hic sicut antè sæpe dictum est, QVAM INVISA SIT SINGVLARIS POTENTIA, ET MISERANDA VITA, QVI SE METVI, QVAM AMARI MALVNT, cuivis facile intellectu fuit. Nanq; illi ipsi custodes, si propitia fuissent voluntate, foribus effractis seruare eum potuissent. quòd illi inermes, telum foris flagitantes, viuum tenebant. Cui cùm succurreret nemo, Lyco quidā Syracusanus, per fenestras gladiū dedit, quo Dion interfectus est. Confecta cæde, cùm multitudo visendi gratia introijsset, nōnulli ab inscijs, pro noxijs conciduntur: nam celeri rumore delato, Dioni vim allatā, multitudo concurrerat, quibus tale facinus displicebat. Hi falsa suspicione ducti, immerētes, inermes, vt sceleratos occidūt. Huius de morte vt palàm factū est, mirabiliter vulgi mutata est voluntas. Nam qui viuū eum Tyrannum vocitarant, eundem liberatorem patriæ, Tyranniq́; expulsorem prædicabāt. Sic subitò misericordia, odio successerat, vt eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. Itaq; in vrbe celeberrimo loco elatus, publice sepulchri monumento donatus est. Diem obijt, circiter annos quinquaginta quinq; natus, quartū post annum quàm ex Peloponneso in Siciliam redierat.

Callicratis periurium.

† Saguntinos, quædam habet manuscripta exemplaria.

Tyranni vita misera.

Dionis cædes.

Vulgi voluntas mobilis.

Dionis funus.

IPHICRATIS VITA XI.



IPHICRATES Atheniensis, non tam magnitudine rerum gestarū, quàm disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux, vt non solùm ætatis suæ cum primis compararetur: sed ne de maioribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multū verò in bello est versatus: sæpè exercitibus præfuit, nusquā culpa malè rem gessit: semper consilio vicit, tantumq́; eo valuit, vt multa in re militari partim noua attulerit, partim meliora fecerit. Nanq; ille pedestria arma mutauit, cùm ante illum Imperatorem, maximis clypeis, breuibusq́; hastis, minutis gladijs vterentur. Ille è contrario Peltam pro parma fecit, à quo postcà Peltastæ pedites appellantur, vt ad motus cōcursusq́; essent leuiores. Hastæ modum duplicauit, gladios longiores fecit: idem genus loricarū mutauit, & pro ferreis atq; æneis, lineas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit: nam pondere detracto, quod æque corpus tegeret, & leue esset curauit. Bellum cum Thracibus gessit: Seuthem socium Atheniensiū, in regnū restituit. Apud Corinthū tanta seueritate exercitui præfuit, vt nullæ vnquā in Græcia neq; exercitatiores copiæ, neq; magis dicto audientes fuerint Duci, in eamq́; cōsuetudinē adduxit, vt cùm prælij signū ab Imperatore esset datū, sine Ducis opera, sic ordinatæ cōsisterent, vt singuli à peritissimo Imperatore dispositi viderentur. Hoc exercitu morā Lacedæmoniorū intercepit, quod maximè tota celebratum est Grecia, Iterū eodē bello, omnes copias eorū fugauit: quo facto magnā adeptus est gloriam. Cùm Artaxerxes Aegyptio Regi bellum inferre voluisset, Iphicratem ab Atheniensibus petiuit Ducem, quem præficeret exercitui cōducto, cuius numerus duodecim millium fuit. Quem quidē sic omni disciplina militari erudiuit, vt quemadmodū quondam Fabiani, milites Romani appellati sunt: sic Iphicratenses apud Græcos in summa laude fuerint. Idē subsidio Lacedæmonijs profectus, Epaminondæ retardauit impetus. Nam nisi eius aduentus appropinquasset, nō prius Thebani Sparta abscessissent, quàm captam incendio delessent. Fuit autē & animo magno, & corpore, Imperatoriaq́; forma, vt ipso aspectu cuivis

Iphicratis in militari disciplina, præstantia.

Iphicratis res gestæ.

Iphicrates ab Artaxerxe exercitui conducto præfectus.

Iphicratis virtus & corporis forma.

Iphicratis fides.

inijceret admirationem sui: sed in labore remissus nimis, parumq; patiens, vt Theopompus memoriæ prodidit. Bonus verò ciuis, fideq; magna, quod cùm in alijs rebus declarauerit, tum maximè in Amyntæ Macedonis liberis tuẽdis. Nanq; Eurydice mater Perdicæ & Philippi, cum his duobus liberis, Amynta mortuo, ad Iphicratẽ confugit, eiusq; opibus defensa est. Vixit ad senectutem placatis in se suorum ciuium animis. Causam capitis semel dixit bello sociali, simul cum Timotheo, eoq; iudicio est absolutus. Mnestea filium reliquit ex Thressa natum Cotyis Regis filia. Is cùm interrogaretur, vtrùm pluris patrem, matremve faceret: Matrem, inquit. Id cùm omnibus mirũ videretur: at ille, Meritò, inquit, facio: nam pater quantum in se fuit, Thracem me genuit: contrà mater, Atheniensem.

Iphicratis filius, eiusq; dictum quoddã graue.

CHABRIAE VITA XII.



Chabriæ nouũ in prælio inuẽtum.

† Proiecta, id est, porrecta, nõ abiecta.

CHABRIAS Atheniensis. Hic quoq; in summis habitus est Ducibus, resq; multas memoria dignas gessit. Sed ex his elucet maximè inuentum eius in prælio quod apud Thebas fecit, cùm Bœotijs subsidio venisset. Nanq; in ea victoria fidentem summum ducem Agesilaum, fugatis iam ab eo conductitijs cateruis, reliquam phalãgem loco vetuit cedere, obnixoq; genu, scuto, † proiectaq; hasta, impetum excipere hostium docuit. Id nouum Agesilaus intuens, progredi non est ausus, suosq; iam incurrentes, tuba reuocauit. Hoc vsque eò Græcia, fama celebratum est, vt illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quæ publicè ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est, vt postea Athletæ, cæteriq; artifices, his statibus, statuis ponendis vterentur, cùm victoriã essent adepti. Chabrias aũt multa in Europa bella administrauit, cùm dux Atheniensiũ esset: in Aegypto sua sponte gessit. Nam * Nectanebum adiutum profectus, regnum ei constituit. Fecit idem Cypri, sed publicè ab Atheniensibus Euagoræ adiutor datus: neq; priùs inde discessit, quàm totã insulam bello deuinceret. Qua ex re Athenienses magnã gloriã sunt adepti. Interim bellum inter Aegyptios & Persas cõflatum est, & Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant: Lacedæmonij cum Aegyptijs, à quibus magnas prędas Agesilaus Rex eorũ faciebat. Id intuens Chabrias, cùm in re nulla Agesilao cederet, sua sponte eos adiutum profectus, Aegyptiæ classi præfuit, pedestribus copijs Agesilaus. Tum Præfecti Regis Persæ, legatos miserunt Athenas, questũ, quòd Chabrias aduersum Regem bellum gereret cum Aegyptijs. Athenienses diem certam Chabriæ præstituerunt, quam ante, domum nisi redisset, capitis se illum damnaturos denunciarũt. Hoc ille nuncio Athenas redijt, neq; ibi diutiùs est moratus q̃ fuit necesse. Non enim libenter erat ante oculos ciuiũ suorum, quòd & viuebat lautè, & indulgebat sibi liberalius quàm vt inuidiam vulgi posset effugere: EST ENIM HOC COMMVNE VICIVM IN MAGNIS LIBERISQVE CIVITATIBVS, VT INVIDIA GLORIAE COMES SIT: ET LIBENTER DE HIS DETRAHANT, QVOS EMERGERE VIDEANT ALTIVS: NEQVE ANIMO AEQVO PAVPERES ALIENAM OPVLENTVM INTVENTVR FORTVNAM. Itaq; Chabrias quoad ei licebat, plurimùm aberat. Neq; verò solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes ferè Principes fecerunt idem, q tantum se ab inuidia putabant abfuturos, quantum à conspectu suorum recessissent. Itaq; Conon plurimùm Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sygæo. Dissimilis quidem Chares horum & factis, & moribus: sed tamen Athenis & honoratus, & potens. Chabrias autem perijt bello sociali, tali modo: Oppugnabant Athenienses Chium: erat in classe Chabrias priuatus, sed omnes qui in magistratu erant, auctoritate anteibat, eumq; magis milites, quàm qui præerant, aspiciebant. Quæ res ei maturauit mortem. Nam dum primus studet portum intrare, gubernatorem iubet eò dirigere nauem, ipse sibi perniciei fuit. Cùm enim eò penetrasset, cæteræ non sunt secutæ. Quo facto, circumfusus hostium concursu, cùm fortissimè pugnaret, nauis rostro percussa cœpit sidere. Hinc cùm refugere non posset, nisi se in mare deiecisset, quòd suberat classis Atheniensium, quę exciperet natantem: perire maluit, quàm armis abiectis nauem relinquere, in qua fuerat vectus. Id cæteri facere noluerunt, qui nando in tutum peruenerunt. At ille, PRAESTARE HONESTAM MORTEM TVRPI VITAE existimans, cominus pugnans, telis hostium interfectus est.

** Al. Nectenabum.*

Chabriæ res gestæ.

Atheniensium in Chabriam decretum.

Inuidia gloriæ & opum comes.

Qui belli duces Athenis viuere non potuerunt.

Chabriæ auctoritas, virtus, & cædes.

Honesta mors turpi vitæ anteponenda.

DATA-

TIMOTHEI VITA XIII.



IMOTHEVS Cononis filius, Atheniensis. Hic à patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neq; minus ciuitatis regendæ. Multa huius sunt præclarè facta, sed hæc maximè illustria: Olynthios, & Byzantios bello subegit: Samum cepit, in qua oppugnãda, superiori bello Athenienses, mille & ducenta talenta consumpserant. Hanc ille sine vlla publica impensa populo restituit. Aduersus Cotyn bella gessit, ab eoq; mille & ducẽta talenta prędæ in publicum detulit. Cyzicum obsidione liberauit. Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est: à quo cùm Laco pecuniam numeratã accepisset, ille ciues suos, agro atq; vrbibus augeri maluit, quàm id sumere cuius partem domum suam ferre posset. Itaque accepit Erichthonem, & Sestum. Idem classi præfectus circumuehens Peloponnesum, Laconicam populatus, classem eorum fugauit. Corcyram sub imperium Atheniensium redegit, sociosq; idem adiunxit Epirotas, Athamanos, Chaonas, omnesq; eas gentes, quæ mare illud adiacent. Quo facto, Lacedæmonij de diutina cõtentione destiterunt, & sua sponte Atheniensibus imperij maritimi principatum concesserunt, pacemq; his legibus constituerunt, vt Athenienses mari duces essent. Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, vt tum primùm † aræ Paci publicæ sint factæ, eiq; Deæ puluinar sit institutum. Cuius laudis vt memoria maneret, Timotheo publicè statuam in foro posuerunt: qui honos huic vni ante id tempus contigit nemini, vt cùm patri populus statuam posuisset, filio quoq; daret. Sic iuxtà posita recens filij, veterẽ patris renouauit * memoria. Hic cùm esset magno natu, & magistratus gerere desisset: bello Athenienses vndiq; premi sunt cœpti. Defecerat Samus: descierat Hellespõtus. Philippus iam tunc valens Macedo, multa moliebatur: cui oppositus Chares cùm esset, non satis in eo præsidij putabatur. Fit Mnestheus Prætor, filius Iphicratis, gener Timothei, & ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consiliũ dãtur duo, vsu & sapientia præstantes, quorum cõsilio vteref, pater & socer: q in his tanta erat auctoritas, vt magna spes esset, per eos, amissa posse recuperari. Hic cùm Samũ profecti essent, & eodẽ Chares, aduẽtu cognito, cum suis copijs proficisceref, ne quid absente se gestũ videref: accidit cùm ad insulã appropinquarent, vt magna tempestas orireẽ: quam euitare duo veteres Imperatores vtile arbitrati, suã classem † suppresserunt. At ille temeraria vsus ratione, nõ cessit maiorũ natu auctoritati, † & vt in sua naui esset fortuna, quò cõtenderat, puenit: eodemq; vt sequerenẽ, ad Timotheũ & Iphicratẽ nunciũ misit. Hinc malè re gesta, cõpluribus amissis nauibus, eodem vnde erat, pfectus, se recepit, literasq; Athenas publicè misit, sibi ptoclive fuisse Samũ capere, nisi à Timotheo et Iphicrate desertus esset. Ob eã rem in crimẽ vocabanẽ. Populus acer, suspicax, mobilis, aduersarius, inuidus etiã potentiæ, domũ reuocat: accusanẽ proditionis. Hoc iudicio damnaẽ Timotheus, lisq; eius æstimaẽ centũ talentis. Ille odio ingratæ ciuitatis coactus, Chalcidẽ se cõtulit. Huius post mortẽ, cùm populũ iudicij sui pœniteret, mulctæ nouẽ partes detraxit, & decẽ talenta Cononẽ filiũ eius ad muri quandã partẽ reficiendã iussit dare. In quo fortunæ varietas est animaduersa. Nam quos auus Conõ muros ex hostiũ præda patriæ restituerat, eosdẽ nepos cũ summa ignominia familiæ, ex sua re familiari reficere coactus est. Timothei aũt moderatæ sapiẽnsisq; vitę, cùm pleraq; possumus proferre testimonia, vno erimus cõtenti, q ex eo facilè cõijci poterit, q̃ charus suis fuerit. Cùm Athenis adolescentulus causam diceret, nõ solùm amici priuatiq; hospites ad eum defendendũ cõuenerũt, sed etiã in eis Iason tyrãnus, qui illo tẽpore fuit omniũ potentissimus. Hic cùm in patria sine satellitibus se tutũ nõ arbitrareẽ, Athenas sine vllo præsidio venit: tantiq; hospitẽ fecit, vt mallet, se capitis periculũ adire, q̃ Timotheo de fama dimicatĩ deesse. Hũc aduersus tamẽ, Timotheus postea populi iussu bellũ gessit: patriæ enim sanctiora iura, q̃ hospitij esse duxit. Hæc extrema fuit ætas Imperatorũ Atheniensiũ, Iphicratis, Chabrię, Timothei. Neq; post illorum obitum, quisquam dux in illa vrbe fuit dignus memoria.

Timothei virtutes.

Timothei res gestæ.

† De pacis ara dissentit Plutarchus in Cimone.

* Al. memoriã.

† suppresserũt, id est, retinuerunt.

† Aldus habet, vt in sua manu.

Timotheus ab Atheniensibus damnatus.

Fortunæ varietas.

Iason tyrannus Thessalorum.

Patriæ iura quàm hospitij sanctiora.

Extrema imperatorum Atheniensium ætas.

DATAMIS VITA XIIII.



ENIO nunc ad fortissimum virum, maximiq; consilij omnium barbarorum, exceptis duobus Carthaginensibus Hamilchare, & Hannibale. De quo hoc plura referemus, quòd & obscuriora sunt eius gesta pleraq;: & ea quæ prosperè ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilij, quo tamen omnes superabat,

perabat, acciderunt. Quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt.

Datamis genus.

DATAMES patre Camissare, natione Care, matre Scythissa natus, primùm militũ numero fuit apud Artaxerxem, eorum qui regiã tuebantur. Pater eius Camissares, quòd & manu fortis, & bello strenuus, & Regi multis locis fidelis erat repertus: habuit prouinciam Ciliciæ iuxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. Darames militare munus fungens primùm, qualis esset apparuit bello, quod Rex aduersus Cadusios gessit. Nanque hîc multis millibus regiorũ interfectis, magni fuit eius opera. Quo factum est, cùm in eo bello cecidisset Camissares, paterna ei traderetur prouincia. Pari se virtute postea præbuit, cùm † Androphrodates iussu Regis bello prosequeretur eos qui defecerant. Nanq; eius opera, hostes, cùm castra iam intrassent, profligati sunt, exercitusq; reliquus conseruatus Regis est. Qua ex re maioribus rebus præesse cœpit. Erat eo tempore Thyus Dynastes Paphlagoniæ, antiquo genere natus, à Pylæmene illo, quẽ Homerus Troico bello * à Patroclo interfectum ait. Is Regis dicto audiens non erat: quam ob causam bello eum persequi constituit, eiq; rei præfecit Datamen propinquũ Paphlagonis: nanque ex fratre et sorore erant nati. Quam ob causam Datames primùm experiri voluit, vt sine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem quum venisset sine præsidio, quòd ab amico nullas vereretur insidias, penè interijt. Nam Thyus eum clàm interficere voluit. Erat mater cum Datame amita Paphlagonis: ea quid agereẽ rescijt, filiumq; monuit. Ille fuga periculum euitauit, bellumq; indixit Thyo. In quo, cùm ab Ariobarzane Præfecto Lydiæ & Ioniæ totiusq; Phrygiȩ desertus esset, nihilo segnius perseuerauit, viuumq; Thyum cepit cum vxore & liberis. Cuius facti, ne priùs fama ad Regem, quàm ipse perueniret, dedit operam. Itaque omnibus inscijs, eò vbi erat Rex, venit, posteroq; die, Thyum hominem maximi corporis, terribiliq; facie, quòd & niger, & capillo longo, barbaq; erat prolixa, optima veste contexit, quã Satrapæ regij gerere consueuerant. Ornauit etiam torque, atque armillis aureis, cȩteroq; regio cultu. Ipse agresti, dupliciq; amiculo circundatus, hirtaq; tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clauam, sinistra copulam, vinctum ante se Thyum agebat, vt si feram bestiam captam duceret. Quem cùm omnes prospicerent, propter nouitatem ornatus, ignotamq; formam, ob eamq; rem magnus esset concursus: fuit nemo qui agnosceret Thyũ, qui non Regi nunciaret. Ac primò non credidit. Itaque Pharnabazum misit exploratum: à quo vt rem gestam cõperit, statim admitti iussit, magnoperè delectatus cùm facto, tum ornatu: in primis quòd non vilis Rex in potestatem inopinati venerat. Itaq; magnificè Daramen donatum, ad exercitum misit qui tum contrahebatur duce Pharnabazo, & Tithrauste ad bellum Aegyptium, pariq; eum, atq; alios imperio esse iussit. Postea verò quàm Pharnabazum Rex reuocauit, illi summa imperij tradita est. Hic cùm maximo studio compararet exercitum, Aegyptumq; proficisci pararet, subitò à Rege literæ sunt ei missæ, vt Aspim aggrederetur, qui Cataoniã tenebat, quæ gens iacet supra Ciliciam, confinis Cappadociȩ. Nanq; Aspis saltuosam regionem, castellisq; munitam incolens, non solùm imperio Regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat, & quæ Regi portarentur, arripiebat. Datames, & si longè aberat ab his regionibus, & à maiore re abstrahebatur: tamen Regis voluntati morem gerendum putauit. Itaq; cum paucis, sed viris fortibus, nauem conscendit, existimans, id quod accidit, facilius se imprudentem parua manu oppressurum, quàm paratum, quamvis magno exercitu. Hac delatus, in Ciliciam egressus, inde dies noctesq; iter faciens, Taurum transijt, eoq; quò studuerat, venit. Quærit quibus locis sit Aspis: cognoscit haud longè abesse, profectumq; eum venatũ: quem dum speculatur, aduentus eius causa cognoscitur. Pisidas cum ijs quos secum habebat, ad resistendum Aspis comparat. Id Datames vbi audiuit, arma capit, suos sequi iubet: ipse equo concitato, ad hostem vehitur: quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem, pertimescit, atq; à conatu resistendi deterritus, sese dedit. Hunc Datames vinctũ, ad Regem ducendum tradit Mithridati. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens à quanto bello, ad quam paruam rem principem ducum misisset, seipsum reprehendit, & nuncium ad exercitum acrem misit, quòd nondum Datamen profectum putabat, qui diceret, ne ab exercitu discederet. Hic priusquã perueniret quò erat profectus, in itinere conuenit qui Aspim ducebant. Qua celeritate, cùm magnam beneuolentiam Regis Datames consecutus esset, non minorem inuidiam aulicorũ excepit, quòd illum pluris quàm se omnes fieri videbant. Quo facto, cuncti ad eum opprimendũ consenserunt. Hæc Pandates gazæ custos regiæ, amicus Datami præscripta ei mittit, in quibus docet, eum magno

† Antophradates, habet Aldus.

** Non à Patroclo, sed à Menelao interfectum scribit Homerus Iliad. 5.*

Datames Thyũ regem Paphlagoniæ cũ vxore & liberis capit. Thyi proceritas, & forma, & ornatus.

Datamis in Aspim Cataoniæ regem, expeditio.

Celeritas in bello, valet.

Datames Aspim capit.

gno fore periculo, si quid illo imperante, in Aegypto aduersi accidisset: NANQVE EAM ESSE CONSVETVDINEM REGVM, VT CASVS ADVERSOS HOMINIBVS TRIBVANT, SECVNDOS FORTVNAE SVAE. Quo fa-cile fieri, vt impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res malè gestę nuncientur. Illum hoc maiore fore discrimine, quòd quibus Rex maximè obediat, eos habeat inimi-cissimos. Talibus ille literis cognitis, cùm iam ad † exercitum acrem venisset, quòd non ignorabat, ea verè scripta, desciscere à Rege constituit. Neque tamen quicquam fecit, quod fide sua esset indignũ. Nam † Androdem Magnetem exercitui præfecit: ipse cum suis in Cappadociam discedit, coniunctamq́ huic Paphlagoniam occupat, celans qua voluntate esset in Regem: clàm cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, vrbes munitas suis tuendas tradit. Sed hæc propter hyemale tempus, minus prosperè suc-cedebãt. Audit Pisidas quasdam copias aduersus se parare: filium eò Arideum cum ex-ercitu mittit. Cadit in prælio adolescens: proficiscitur eò pater non ita cum magna ma-nu, celans quantum vulnus accepisset, quòd priùs ad hostem peruenire cupiebat, quàm de malè re gesta fama ad suos perueniret, ne cognita filij morte, animi debilitarentur mi-litum. Quò contenderat peruenit, hisq́ locis castra ponit, vt neq́ circumueniri multitu-dine aduersariorum posset, neque impediri quò minus ipse ad dimicandum, manum ha-beret expeditam. Erat cum eo Metrobarzanes socer eius, præfectus equitum. Is despe-ratis generi rebus ad hostes transfugit. Id Datames vt audiuit, sensit si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum, futurum, vt cæteri consilium sequerentur: in vul-gus edit, suo iussu Metrobarzanem profectum pro perfuga, quò facilius receptus, inter-ficeret hostes. Quare relinqui eum non par esse, sed omnes confestim sequi: quod si ani-mo strenuo fecissent, futurum vt aduersarij non possent resistere, quum & intra vallum, & foris cæderētur. Hac re probata, exercitum eduxit: Metrobarzanem persequitur, qui tum ad hostes peruenerat: Datames signa inferri iubet. Pisidæ noua re commoti, in opi-nionem adducuntur, perfugas mala fide, compositoq́ fecisse, vt recepti, essent maiori ca-lamitati: primùm eos adoriuntur. Illi quum quid ageretur, aut quare fieret ignorarent: coacti sunt cum eis pugnare ad quos transierant, ab hisq́ stare quos reliquerãt. Quibus cùm neutri parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes, Datames inua-dit: primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostiũ capit. Tali consilio, vno tempore et proditores perculit, & hostes profligauit, & quod ad suam per-niciem fuerat cogitatum, id ad salutē conuertit. Quo neq́ acutius vllius Imperatoris co-gitatum, neq́ celerius factum vsquã legimus. Ab hoc tamen viro Scismas maximus na-tu filius, descrit, & ad Regem transijt. & de defectione patris detulit. Quo nuncio Arta-xerxes cōmotus, quòd intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negociũ esse, quiquum cogitasset, facere auderet, et priùs cogitare, q̃ conari cōsuesset: Androphrodatē in Cap-padociã mittit. Hic ne intrare posset, saltũ in quo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præ-occupare studuit: sed tam subitò copias cōtrahere nō potuit. A' qua re depulsus, cum ea manu quam cōtraxerat, locũ delegit talē, vt neq́ circumirēt ab hostibus, neq́ præteriret aduersarius, quin ancipitibus locis premeretur: & si dimicare † eo vellet, non multũ ob-esse multitudo hostiũ suæ paucitati posset. Hæc etsi Androphrodates videbat, tamē sta-tuit cōgredi, q̃ cum tantis copijs refugere, aut tam diu vno loco sedere. Habebat Barba-rorũ equitũ viginti, peditũ centũ millia, quos illi Gardates appellant, eiusdemq́ generis tria funditorũ. Præterea Cappadocũ octo, Armeniorũ decē, Paphlagonũ quinq́, Phry-gum decē, Lydorũ quinq́, Aspendiorũ & Pisidarũ circiter tria, Cilicũ duo, Captianorũ totidem: ex Gręcia conductorũ tria millia, leuis armaturæ maximũ numerũ. Has aduer-sus copias, spes omnis consistebat Datami in se, lociq́ natura: nanq́ huius partē nō habe-bat vigesimã militũ. Quibus fretus conflixit, aduersariorumq́ multa millia cōcidit, cùm de ipsius exercitu nō amplius hominũ mille cecidisset. Quã ob causam postero die Tro-phęum posuit, quo loco pridie pugnatũ. Hic cùm castra mouisset inferior copijs, superi-or omnibus prę̃lijs discedebat, q̃ nunquã manũ cōsereret, nisi aduersarios locorũ angu-stijs clausisset. qđ perito regionũ, callideq́ cogitanti sæpe accidebat. Androphrodates, cùm bellũ duci maiore Regis calamitate, q̃ aduersariorũ videret, ad pacē atq́ amicitiã hortatus est, vt cum Rege in gratiã rediret. Quã ille etsi nō fidã fore putabat, tamē cōdi-tionē accepit, seq́ ad Artaxerxē legatos missurũ dixit. Sic bellũ, qđ Rex aduersus Da-tamē susceperat, sedatum. Androphrodates in Phrygiã se receperat. At Rex q̃ implaca-bile odiũ in Datamē susceperat, postq̃ bello eũ opprimi nō posse animaduertit, insidijs inter-

Regum ingratitudo.

† Acrem exercitũ vocat, quòd ex paucis, sed fortibus constaret, vt suprà dictum est.

* Al. Androclē.

Datames deficit à rege Persarum.

Datamis strategema, quod tamen aliter à Frōtino refertur.

Scismas à Datame patre deficit.

† eo, videtur redundare.

Regis Persarum copiæ contra Datamen.

Datamis de regis Persarũ exercitu, victoria.

Datamis in bello calliditas.

Regis Persarum cum Datame pax simulata.

interficere studuit, quas ille plerasque vitauit. Sicut cùm nunciatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero, de quibus quòd inimici detulerant, neque credendum, neque negligendum putauit, experiri voluit, verum falsum'ne sibi esset relatū. Itaque eò profectus est, in quo itinere futuras insidias euenire dixerant. Sed elegit corpore & statura simillimum sui, eique vestitū suum dedit, atque eo loco ire, quo ipse consueuerat, iussit. Ipse autem ornatus vestitu militari, inter corporis custodes, iter facere cœpit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen peruenit, decepti ordine atque vestitu, in eum faciunt impetum qui suppositus erat. Prædixerat autem his Datames cum quibus iter faciebat, vt parati essent facere qđ ipsum vidissent. Ipse vt concurrentes insidiatores animaduertit, tela in eos coniecit. Hoc idem cùm vniuersi fecissent, prius quàm peruenirent ad eum quem aggredi volebant, cōfixi ceciderunt. Hic tamen tam callidus vir, extremo tempore captus est, Mithridatis Ariobarzanis filij dolo. Nanque is pollicitus est Regi, se eum interfecturum, si ei Rex promitteret, vt quodcunque vellet, liceret impunè facere, fidemque de ea re, more Persarum dextra dedisset. Hanc vt recepit à Rege, copias parat, & absens amicitiam cum Datame facit: Regis prouinciā vexat, castella expugnat, magnas prædas capit: quarum partem suis dispertit, partem ad Datamen mittit. Pari modo complura castella ei tradit. Hæc diu faciendo, persuasit homini, se infinitum aduersus Regem suscepisse bellum, cùm nihilo magis, ne quam suspicionem illi præberet insidiarum, neque colloquium eius petiuit, neque in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, vt non beneficijs mutuis, sed odio communi, quod erga Regem susceperant, contineri viderentur. Id cùm satis se confirmasse arbitratus est, certiorem fecit Datamen, tempus esse maiores exercitus parari, & bellum cum Rege suscipi: de qua re, si ei videretur, quo vellet in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tempus sumitur, locusque quo cōueniretur. Huc Mithridates cum vno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit, cōpluribusque locis separatim gladios obruit, eaque loca diligenter notat. Ipso autem colloquendi die vtrique, locum qui explorarent, atque ipsos scrutarentur, mittunt: deinde ipsi sunt cōgressi. Hic cùm aliquandiu in colloquio fuissent, & diuersi discessissent, iamque procul Datames abesset, Mithridates, priusque ad suos perueniret, ne quam suspicionem pararet, in eundem locum reuertitur, atque ibi vbi telum erat impositum resedit, vt si lassitudine cuperet acquiescere, Datamenque reuocauit, simulans se quiddā in colloquio esse oblitum, interim telum quod latebat protulit, nudatumque vagina, veste texit, ac Datami venienti ait, digredientem se animaduertisse locum quendam qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. Quem cùm digito monstraret, et ille conspiceret, auersum ferro transfixit: & prius quàm quisquam posset succurrere, interfecit. Ita ille vir qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

Datamis strategema aduersus insidias regis Persarum.

Datames per simulatam cuiusdam amicitiam interficitur.

Mithridatis mirus dolus ad Datamē interficiēdum.

EPAMINONDAE VITA XV.



EPAMINONDAS Polymni filius, Thebanus. De hoc priusquàm scribamus, hæc præcipienda videntur lectoribus, Ne alienos mores ad suos referant, néve ea quæ ipsis leuiora sunt, pari modo apud cæteros fuisse arbitrētur. Scimus enim musicem, nostris moribus abesse à Principis persona: saltare etiam in vitijs poni. Quæ omnia apud Græcos, & grata, & laude digna ducuntur. Cùm autem exprimere imaginē consuetudinis, atque vitæ velimus Epaminondæ, nihil videmur debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare dicemus primùm de genere eius: deinde quibus disciplinis, & à quibus sit eruditus: tum de moribus ingenijque facultatibus, & si qua alia digna memoria erūt. Postremò de rebus gestis, quæ plurimis omniū anteponuntur virtutibus. Natus igitur patre quo diximus, honesto genere: pauperiam à maioribus relictus. Eruditus autē sic, vt nemo Thebanus magis: nam & citharizare, et cātare ad chordarum sonum doctus est à Dionysio, qui nō minore fuit in musicis gloria, quàm Damon, aut Lamprus, quorum peruulgata sunt nomina: carmina cantare tibijs, ab Olympiodoro: saltare, à Calliphrone. At Philosophiæ præceptorem habuit Lysiam Tarentinum Pythagoreū: cui quidem sic fuit deditus, vt adolescens tristem, et seuerum senem, omnibus æqualibus suis in familiaritate antepósuerit: neque priùs eum à se dimiserit, quàm doctrinis tanto antecessit condiscipulos, vt facilè intelligi posset pari modo superaturum omnes in cæteris artibus. Atque hæc ad nostrā consuetudinem sunt leuia, & potiùs contemnenda: at in Græcia vtique olim magnæ laudi erant.

Musica et saltatio in Romano principe vitiosa.

Epaminōdæ genus, & institutio.

Musici excellētes.

Epaminondæ in philosophia præceptor Lysias Tarentinus.

erant. Postquàm ephebus factus est, & palæstræ dare operam cœpit: non tam magnitudini virium seruiuit, quàm velocitati: illam enim ad Athletarũ vsum, hanc ad belli existimabat vtilitatem pertinere. Itaq; exercebatur plurimùm currendo & luctando, ad eum finem, quo ad, stans complecti posset, atq; contendere. In armis plurimùm studij consumebat.

Velocitas in bello vtilis.

Ad hanc corporis firmitatem, plura etiam animi bona accesserant. Erat enim modestus, prudens, grauis, tẽporibus sapienter vtens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeò veritatis diligens, vt ne ioco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensq; admirandum in modum, non solùm populi, sed etiam amicorum ferens iniurias, in primisq; commissa celans, quod interdum non minùs prodest, quàm disertè dicere.

Epaminondæ mores, & virtutes.

Studiosus audiendi: ex hoc enim facillimè disci arbitrabatur. Itaq; quum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de Philosophia sermo haberetur, nunquam inde priùs discessit, quàm ad finem sermo esset deductus.

Audiẽdi studiosus, facilè discit.

Paupertatem adeò facilè perpessus est, vt de republica nihil præter gloriam ceperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios subleuandos sæpè sic vsus est, vt posit iudicari, omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam quum aut ciuium suorum aliquis ab hostibus fuisset captus, aut virgo amici nubilis, quæ propter paupertatem collocari non posset: amicorum consilium habebat, & quantum quisque daret, pro facultatibus imperabat: eamq; summam cùm faceret, priusquàm acciperet pecuniam, adducebat eum qui quærebat, ad eos qui cõferebant, eiq; vt ipsi numerarent, faciebat, vt ille ad quem ea res perueniebat, sciret quantum cuique deberet.

Epaminõdæ fides & charitas erga ciues.

Tentata autem est eius abstinentia à Diomedonte Cyziceno. Nanque is rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, & † Michitum adolescentulum, quinque talentis ad suam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimùm diligebat. Michitus Epaminõdam cõuenit, & causam aduentus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram: Nihil, inquit, opus pecunia est. Nam si ea Rex vult, quæ Thebanis sunt vtilia, gratis facere sum paratus: sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis: nanque orbis terrarum diuitias accipere nolo pro patriæ charitate. Tu qui me incognitum tentasti, tuiq; similẽ existimasti, non miror, tibiq; ignosco. Sed egredere properè, ne alios corrumpas, quum me non potueris. Tu Michite argentum huic redde, aut nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui.

Epaminondæ abstinentia.

† Aldus habet Micythum.

Epaminondæ dilemma, de patriæ charitate.

Hunc Diomedon cùm rogaret, vt tutò exire, suaq; quæ attulisset, liceret efferre: Istud, inquit, faciam: neq; tua causa, sed mea: ne si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, ad me ereptum peruenisse, quod delatum accipere noluissem. A' quo cùm quæsisset, quò se duci vellet, & ille Athenas diceret: præsidiũ dedit, vt tutò perueniret. Neque verò id satis habuit, sed etiam vt inuiolatus in nauem ascenderet, per Chabriam Atheniensem, de quo suprà mentionem fecimus. Abstinentiæ erit hoc satis testimoniũ. Plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibẽdus est, quoniam vno hoc volumine, vitas excellentium virorum complurium concludere constituimus, quas separatim multis millibus versuum, complures scriptores ante nos explicarunt. Fuit & disertus, vt nemo Thebanus par esset eloquentia: neq; minùs concinnus in breuitate respondendi, quàm in perpetua oratione ornatus.

Epaminondæ eloquentia.

Habuit obtrectatorem Meneclidem quendam indidem Thebis, & aduersarium in administranda Republica, satis exercitatũ in dicendo, vt Thebanum scilicet: nanque illi genti plus inest virium quàm ingenij. Is quòd in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, vt pacem bello anteferrent, ne illius Imperatoris opera desideraretur. Huic ille: Fallis, inquit, verbo ciues tuos, quòd hos à bello euocas. Ocij enim nomine seruitutem concilias: nam, Paritur pax bello. Itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare, si principes Græciæ esse vultis, castris est vobis vtendum, non palæstra.

Thebanis plus est viriũ quàm ingenij.

Pax bello paritur.

Idem ille Meneclides, quum huic obijceret, quòd liberos non haberet, neq; vxorem duxisset, maximeq; insolentia, quòd sibi Agamemnonis, bello, gloriam videretur consecutus: At ille, Desine, inquit, Meneclides de vxore mihi exprobrare: nam nullius in ista re minus quàm tuo vti consilio volo. Habebat enim Meneclides suspicionem adulterij. Quòd autem me Agamemnonem æmulari putas, falleris: Nanq; ille cum vniuersa Græcia, vix decem annis vnam cepit vrbem: ego contrà, ex vna vrbe nostra, dieq; vno, totam Græciam Lacedæmonijs fugatis, liberaui.

Epaminondæ aliquot dicta.

Idem cùm in conuentum venisset Arcadum, petens, vt societatem cum Thebanis & Argiuis facerent, cõtraq; Callistratus Atheniensium legatus, qui eloquentia omnes eo præstabat tempore, postularet, vt potius amicitias sequerentur Atticorũ, & in oratione sua, multa inuectus esset in Thebanos & Argi-

Callistratus Atheniensium legatus.

uos, in eisq; hoc posuisset, Animaduertere debere Arcadas, quales vtraque ciuitas ciues procreasset, ex quibus de cæteris possent iudicare. Argiuos enim fuisse Orestem, & Alcmeonem matricidas: Thebis Oedipum natū, qui quum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasset. Huic in respondendo Epaminondas, quum de cæteris perorasset, postquàm ad illa duo opprobria peruenit, admirari se dixit stultitiā Rhetoris Attici, qui non animaduerteret, innocentes illos natos, domi scelere admisso, quum patria essent pulsi, receptos esse ab Atheniensibus. Sed maximè eius eloquentia eluxit Spartæ: quò cùm omnium sociorum conuenissent legati, coram frequentissimo legationū conuentu, sic Lacedæmoniorum Tyrannidem coarguit, vt nō minus illa oratione opes eorum concusserit, quàm Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, quod pòst apparuit, vt auxilio sociorum Lacedæmonij priuarentur.

Epaminondæ patientia & pietas in patriam.

Fuisse autem patientem, suorumq; iniurias ferentem ciuium, quòd se patriæ irasci nefas esse duceret, hæc sunt testimonia. Quum eum propter inuidiam ciues præficere exercitui noluissent, duxq; esset delectus belli imperitus, cuius errore eò esset deducta res illa militum, vt omnes de salute pertimescerent, quòd locorum angustijs clausi, ab hostibus obsidebantur: desiderari cœpta est Epaminondæ diligentia. Erat enim ibi priuatus numero militum: à quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ: & exercitum obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. Neque verò hoc semel fecit, sed sæpius. Maximè autem fuit illustre, quum in Peloponnesum exercitum duxisset aduersus Lacedæmonios, haberetq; collegas suos, quorum alter erat Pelopidas vir fortis, ac strenuus: hic cùm criminibus aduersariorum, omnes in inuidiam venissent, ob eamq; rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alij Prætores successissent:

Epaminondas Atheniensium plebiscito cur non paruerit.

Epaminondas plebiscito non paruit: idemq; vt facerent, persuasit collegis, & bellum quod susceperat, gessit. Nanque animaduertebat, vbi id fecisset, totum exercitum propter Prætorum imprudentiam, inscitiamq; belli, periturum. Lex erat Thebis, quæ morte mulctabat, si quis imperium diutiùs retinuisset, quàm lege præfinitum foret. Hanc Epaminondas, cùm reipublicæ conseruandæ causa latam videret, ad perniciem ciuitatis conferre noluit: & quatuor mensibus, diutius quàm populus iusserat, gessit imperium. Postquàm domum reditum est, collegæ eius hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit vt omnē causam in se transferrent, suaque opera factum contenderent, vt legi non obedirent. Qua defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quòd quid diceret, non habebat. At ille in iudicium venit, nihil eorum negauit, quæ aduersarij crimini dabant, omniaque quæ collegæ dixerant, confessus est: neque recusauit, quò minus legis pœnam subiret: sed vnum ab ijs petiuit, vt † in periculo suo inscriberent, EPAMINONDAS à Thebanis morte mulctatus est, quòd eos coëgit apud Leuctra superare Lacedæmonios, quos ante se Imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere.

† Aldus habet, in sepulchro suo.

Epaminondæ elogium.

In acie quoque vno prælio, non solùm Thebas ab interitu retraxit, sed etiam vniuersam Græciam in libertatem vindicauit: eòq; res vtrorumque perduxit, vt Thebani Spartam oppugnarent: Lacedæmonij satis haberent, si salui esse possent: neque prius bellare destitit, quàm Messena constituta, vrbem eorum obsidione clausit. Hæc cùm dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est, neque quisquam iudex ausus est ferre suffragium. Sic à iudicio capitis, maxima discessit gloria. Hic extremo tempore Imperator apud Mantineam, cum acie instructa, audaciùs instaret hostibus, cognitus à Lacedæmonijs, quòd in vnius pernicie, eius patriæ sitam putabant salutem, vniuersi in vnum impetum fecerunt: neque prius abcesserunt, quàm magna cæde, multisq; occisis, fortissimè ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum, concidere viderūt.

Epaminondæ cædes.

Huius causa aliquantulum retardati sunt Bœotij: neq; tamen prius pugna excesserunt, quàm repugnantes profligarunt. At Epaminondas, cùm animaduerteret mortiferum se vulnus accepisse, simulq;, si ferrum quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum: vsque eò retinuit, quoad renunciatum est vicisse Bœotios. Id postquàm audiuit, Satis (inquit) vixi, inuictus enim morior. Tum ferro extracto, confestim exanimatus est.

Epaminōdæ morientis dictum: de quo Cicerò Epist. lib. 5. ad L. Lucceium.

Epaminondæ dictū de procreādis liberis.

Hic vxorem nunquam duxit: in quo cùm reprehenderetur, quòd liberos non relinqueret, à Pelopida qui filium habebat infamem, maleq; eum in eo patriæ consulere diceret: Vide, inquit, ne tu peiùs consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque verò stirps mihi potest deesse: nanque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modò mihi superstes, sed etiam immortalis sit, necesse est. Quo tempore duce Pelopida exules Thebas occupauerunt, & præsidium Lacedæmoniorum

niorum ex arce expulerunt: Epaminondas, quandiu facta est cædes ciuium, domi se retinuit, quòd neq; malos defendere volebat, neq; impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret. Nanque omnem ciuilem victoriam, funestam putabat. Idemq; postquàm apud Cadmeam pugnari cum Lacedæmonijs cœpit, in primis stetit. Huius de virtutibus vitaq; satis erit dictum, si hoc vnum adiunxero, quod nemo eat inficias, Thebas & ante Epaminondam natum, & post eiusdem interitū, perpetuò alieno paruisse imperio: cùm ea, quandiu ille præfuerit reipublicę, caput fuisset totius Gręcię: ex quo intelligi potest, vnum hominem pluris quàm ciuitatem fuisse.

Omnis ciuilis victoria funesta.

Vnus homo pluris quàm ciuitas.

PELOPIDAE VITA XVI.



ELOPIDAS Thebanus, magis historijs quàm vulgo notus. Cuius de virtutibus, dubito quemadmodum exponam: quòd vereor, si res explicare incipiam, non vitam eius enarrare, sed historiam videar scribere: si tantummodo summas attigero, ne rudibus literarum Græcarum, minùs lucidè appareat quantus fuerit ille vir. Itaq; vtriq; rei occurram quantum potero, & medebor cùm satietati, tum ignorantiæ lectorum. Phœbidas Lacedæmonius cùm exercitum Olynthum duceret, iterq; per Thebas faceret, arcem oppidi quæ Cadmea nominatur, occupauit, impulsu perpaucorū Thebanorum, qui aduersariæ factioni quò faciliùs resisterent, Laconū rebus studebant. Idq; suo priuato, nō publico fecit cōsilio: quo facto, eum Lacedæmonij ab exercitu remouerūt, pecuniaq; mulctarunt: neq; eò magis arcem Thebanis reddiderunt, q susceptis inimicitijs, satius ducebāt, eos obsideri, quàm liberari. Nam post Peloponnesiū bellum, Athenasq; deuictas, cum Thebanis sibi rem esse existimabāt, & eos esse solos, qui aduersus resistere auderēt. Hac mente amicis suis summas potestates dederant, alterius factionis principes partim interfecerant, alios in exiliū eiecerant, in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus, patria carebat. Hi omnes ferè Athenas se cōtulerant, non vt sequerentur ocium, sed vt quenq; ex proximo locum fors obtulisset, eo patriā recuperare niterentur. Itaq; cùm tempus est visum rei gerendæ, cōmuniter cum his qui Thebis idem sciebant, diem delegerunt ad inimicos opprimendos, ciuitatemq; liberandā, eum, quo maximi magistratus simul consueuerant epulari. Magnæ sæpe res nō ita magnis copijs sunt gestæ. Sed profectò nunquā ab tam tenui initio, tantæ opes sunt profligatæ. Nam duodecim adolescentuli coierunt ex his, qui exilio erant mulctati, cùm omninò nō essent amplius centū qui tanto se offerrent periculo. qua paucitate percussa est Lacedæmoniorum potentia. Hi enim non magis aduersariorū factioni, quàm Spartanis eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Græciæ: quorū imperio maiestas, neq; ita multò post Leuctricam pugnam, ab hoc initio perculsa, cecidit. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, cùm Athenis interdiu exissent, vt vesperascente cœlo Thebas possent peruenire: cum canibus venaticis exierūt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui cùm tempore ipso quò studuerant, peruenissent, domum Charonis deuenerunt, à quo & tempus, & dies erat datus. Hoc loco libet interponere, etsi seiunctum à re posita, est, NIMIA FIDVCIA, QVANTAE CALAMITATI SOLEAT ESSE: Nam magistratuū Thebanorum statim ad aures peruenit, exules in vrbem deuenisse. Id illi, vino epulisq; dediti, vsq; eò despexerunt, vt ne quærere quidē de tanta re laborarint. Accessit etiā quod magis aperiret eorū dementiā: allata est enim epistola Athenis † ab Archia vno Tinarchiæ, qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat, in qua omnia de profectione exulum perscripta erant. Quæ cùm iam accubanti in conuiuio, esset data: sicut erat signata, in puluinum subijciens: in crastinum, inquit, differo res seueras. At illi omnes cùm iam nox pcessisset, vinolenti ab exulibus duce Pelopida, sunt interfecti. Quibus rebus cōfectis, vulgo ad arma libertatemq; vocato, nō solùm qui in vrbe erant, sed etiam vndiq; ex agris cōcurrerunt: præsidium Lacedæmoniorū ex arce pepulerunt: patriā obsidione liberauerunt: auctores Cadmeæ occupandæ, partim occiderūt, partim in exiliū eiecerunt. Hoc tam turbido tempore (sicut suprà diximus) Epaminōdas quoad cum ciuibus dimicatū est, domi quietus fuit. Itaq; hæc liberandarū Thebarū propria laus est Pelopidæ: cæteræ ferè omnes cōmunes cum Epaminonda. Nanq; Leuctrica pugna, Imperatore Epaminonda, hic fuit dux delectæ manus, quæ primam phalangē prostrauit Laconum. Omnibus prcterea periculis adfuit: sicut Spartam cùm oppugnauit, al

Aliud esse vitā alicuius scribere, aliud historiam.

Pelopidæ exulis consilium de liberanda patria.

Magnæ res paruis copijs gestæ.

Pelopidas quomodo accesserit ad Thebas liberandas.

Nimia fiducia quantæ calamitati soleat esse.

† Aldus habet, ab Archia Ierophāte, Archiæ. Alij emendant ex Græca historia, ab Archia vno, cuidam Archiæ.

Pelopidas liberat Thebas interfectis magistratibus.

terum tenuit cornu: quoque Messena celerius restitueretur, legatus in Persas est profectus. Denique hęc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda ita, vt proxima esset Epaminondæ. Conflictatus autem est cum aduersa fortuna. Nam & initio (sicut ostendimus) exul patria caruit: & quum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere, legationisque iure satis tutum se arbitraretur, quod apud omnes gentes factum esse consuesset: à Tyranno Alexandro Pheræo, simul cum Ismenia comprehensus, in vincula coniectus est. Hunc Epaminondas recuperauit, bello persequens Alexandrũ. Post id factum, nunquam is animo placari potuit in eum, à quo erat violatus. Itaque persuasit Thebanis, vt subsidio Thessaliæ proficiscerentur, Tyrannosque eius expellerent. Cuius belli, quum ei summa esset data, eoque cum exercitu profectus esset, non dubitauit, simul ac conspexit hostem, confligere. In quo prælio Alexandrum vt animaduertit, incensus ira, equum in eum concitauit, proculque digressus à suis, coniectu telorum confossus, cecidit. Atque hoc secũda victoria accidit, nam iam inclinatæ erant Tyrannorum copiæ. Quo facto, omnes Thessaliæ ciuitates, interfectum Pelopidam, coronis aureis & statuis æneis, liberosque eius multo agro donauerunt.

Pelopidæ pericula.

Pelopidæ cædes, et victoria, & honores ei à Thessalis habiti.

AGESILAI VITA XVII.



AGESILAVS Lacedæmonius, cum à cæteris scriptoribus, tũ eximiè à Xenophonte Socratico collaudatus est: eo enim vsus est familiarissimè. Hic primùm de regno cum Leotychide fratris filio, habuit contentionem. Mos est enim à maioribus Lacedęmoniis traditus, vt duos haberent semper Reges, nomine magis quàm imperio, ex † duabus familiis Procli & Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis, Spartæ Reges fuerunt. Horum ex altera, in alterius familiæ locum fieri non licebat. Itaque vterque suum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur, qui maximus natu esset, ex liberis eius qui regnans decessisset. Sin is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur qui proximus esset propinquitate. Mortuus erat Agis Rex, frater Agesilai: filium reliquerat Leotychidem, quem ille viuens nõ agnorat: Eundẽ moriens, suũ esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao suo patruo contendit: neque id quod petiuit cõsecutus est. Nam Lysandro suffragante, homine, vt ostendimus suprà, factioso, & his temporibus potente, Agesilaus antelatus est. Hic simul ac imperii potitus est, persuasit Lacedæmoniis, vt exercitũ emitterent in Asiam, bellumque Regi facerent, docens satius esse in Asia, quàm in Europa dimicare. Nanque fama exierat, Artaxerxem cõparare classem, pedestresque exercitus, quos in Græciam mitteret. Data potestate, tanta celeritate vsus est, vt priùs in Asiam cum copiis peruenerit, quàm regii Satrapæ eum scirent profectum. Quo factum est, vt omnes Imperatores imparatos imprudentesque offenderet. Id vt cognouit Tissaphernes, qui summum imperiũ tum inter Præfectos habebat regios: inducias à Lacone petiuit, simulans se dare operam, vt Lacedæmoniis cum Rege conueniret: re autem vera ad copias comparandas, easque impetrauit trimestres. Iurauit autem vterque, se sine dolo inducias conseruaturum. In qua pactione, summa fide mansit Agesilaus. Contra ea Tissaphernes, nihil aliud quàm bellum comparauit. Id etsi sentiebat Laco, tamen iusiurandum seruabat, multumque in eo consequi se dicebat, quòd Tissaphernes periurio suo, & homines suis rebus abalienaret, & Deos sibi iratos redderet. Se autem seruata religione, confirmare exercitum, cùm animaduerteret, Deorum numen facere secum, hominesque sibi conciliari amiciores, quòd iis studere consuessent, quos conseruare fidem viderent. Postquàm induciarum præteriit dies, Barbarus non dubitans, quòd ipsius erant plurima domicilia in Caria, & ea regio his temporibus multò putabatur locupletissima, eò potissimùm hostes impetum facturos, omnes suas copias eò contraxerat. At Agesilaus in Phrygiã se conuertit, eamque prius depopulatus est, quàm Tissaphernes vsquam se moueret. Magna præda militibus locupletatis, Ephesum hyematum exercitum reduxit, atque ibi officinis armorum institutis, magna industria bellum parauit: & quò studiosius armarẽtur, insigniusque ornarentur, præmia proposuit, quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationũ generibus, vt qui cæteris præstitissent, eos magis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, vt & ornatissimum, & exercitatissimum haberet exercitũ. Huic cùm tempus esset visum, copias extrahere ex hybernaculis, vidit, si quò esset iter facturus, palàm pronunciasset, hostes non credituros, aliasque regiones occupaturos, nec dubi-

† Has familias Plutarchus in Lysandro Eurytionidas & Agidas vocat.

Agesilai in expeditione celeritas.

Agesilai fides, & religio.

Agesilai res in Phrygia gestæ: tum quomodo in hybernis milites habuerit.

Agesilai strategema.

dubitaturos aliud esse facturum ac pronunciasset. Itaq; cùm ille Sardeis se iturum dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putauit. In quo cùm eum opinio fefellisset, victumq; se vidisset cōsilio, serò suis præsidio profectus est. Nam cùm illò venisset, iam Agesilaus multis locis expugnatis, magna erat præda potitus. Laco autem cùm videret hostes equitatu superare, nunquam in campo sui fecit potestatem, & his locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiæ valerent. Pepulit ergo quotiescunq; cōgressus est, multò maiores aduersariorum copias, & sic in Asia versatus est, vt omnium opinione victor duceretur.

Agesilai in capiendis castrorum locis, prudentis.

Hic cùm animo meditaretur proficisci in Persas, & ipsum Regē adoriri: nuncius ei domo venit Ephorûm iussu, bellum Athenienses et Bœotios indixisse Lacedæmonijs, quare venire non dubitaret. In hoc nō minùs eius pietas suspicienda est, quàm virtus bellica: qui cùm victori præesset exercitui, maximamq; haberet fiduciā, regni Persarum potiundi: tanta modestia, dicto audiens fuit iussis absentium magistratuum, vt si priuatus in comitio esset Spartæ. Cuius exemplum vtinam † Imperatores nostri sequi voluissent.

Agesilai erga magistratum obedientia.

† Videtur Cæsarem & Pompeium innuere.

Sed illuc redeamus. Agesilaus opulentissimo regno præposuit bonam existimationem, multoq; gloriosius duxit, si institutis patriæ paruisset, quàm si bello superasset Asiam. Hac igitur mente Hellespontum copias traiecit, tantaq; vsus est celeritate, vt quod iter Xerxes anno vertente cōfecerat, hic trāsierit triginta diebus. Cùm iam haud longè abesset à Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses, & Bœotij, cæteriq; eorum socij apud Coroneam: quos omnes graui prælio vicit. Huius victoriæ vel maxima fuit laus, quòd cùm plerique ex fuga se in templum Mineruæ coniecissent, quærereturq; ab eo, quid his fieri vellet: etsi aliquot vulnera acceperat eo prælio, & iratus videbatur omnibus, qui aduersùs arma tulerant: tamen antetulit iræ religionem, & eos vetuit violari.

Agesilai de Atheniensibus & Bœotijs victoria, & erga Deos religio.

Neque hoc solum in Græcia fecit, vt templa Deorum sancta haberet, sed etiam apud Barbaros summa religione, omnia simulachra, arasq; conseruauit. Itaq; prædicabat, mirari se non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus * eorum nocuissent, aut non grauioribus pœnis affici qui religionem minuerent, quàm qui fana spoliarent.

* Deorum intellige.

Post hoc prælium, collatum est omne bellum circa Corinthum, ideoq; Corinthium est appellatum. Hic cùm vna pugna decem millia hostium Agesilao duce cecidissent, eoq; facto opes aduersariorum debilitatæ viderentur: tantum abfuit ab insolentia gloriæ, vt commiseratus sit fortunam Græciæ, quòd tam multi à se victi, vicio aduersariorum concidissent. Nanque illa multitudine, si sana mens esset Græciæ, supplicium Persas dare potuisse.

Bellum Corinthium ab Agesilao confectū.

Idem cùm aduersarios intra mœnia compulisset, & vt Corinthum oppugnaret multi hortarentur: negauit id suæ virtuti conuenire. Se enim eum esse dixit, qui ad officium peccantes redire cogeret, non qui vrbes nobilissimas expugnaret Græciæ. Nam si (inquit) eos extinguere voluerimus, qui nobiscum aduersus Barbaros steterūt, nosmetipsi nos expugnauerimus, illis quiescentibus: quo facto sine negocio cùm voluerint, nos oppriment. Interim accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedæmonijs, quò ne proficisceretur, cùm à plerisq; ad exeundum premeretur, vt si de exitu diuinaret, exire noluit.

Agesilai in victos clementia.

Idem cùm Epaminondas Spartam oppugnaret, essetq; sine muris oppidum: talem se Imperatorem præbuit, vt eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. In quo quidem discrimine celeritas eius consilij, saluti fuit vniuersis.

Agesilaus Spartam conseruauit.

Nam cùm quidam adolescentuli, hostium aduentu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent, & locum extra vrbem editum cepissent: Agesilaus qui perniciosissimum fore videret, si animaduersum esset, quemquā ad hostes transfugere conari, cum suis eò venit, atque vt si bono animo fecissent, laudauit consilium eorum, quòd eum locum occupassent, et se id quoq; fieri debere animaduertisse. Sic adolescentulos simulata laudatione recuperauit: & adiunctis de suis comitibus, locum tutum reliquit. Nanq; illi, aucto numero eorū, qui expertes erant consilij, cōmouere se non sunt ausi: eoq; libentiùs, quòd latēre arbitrabantur quæ cogitarant.

Agesilai strategema.

Sine dubio post Leuctricam pugnā, Lacedæmonij se nunquam refecerunt, neq; pristinum imperiū recuperārunt. Cùm interim Agesilaus nō destitit, quibuscunq; rebus posset patriā iuuare. Nam cùm præcipuè Lacedæmonij indigerent pecunia, ille omnibus qui à Rege defecerāt, præsidio fuit, à quibus magna donatus pecunia, patriam subleuauit.

Agesilai in patriam charitas.

Atq; in hoc illud inprimis fuit admirabile, cùm maxima munera ei ab Regibus, & Dynastis, ciuitatibusq; cōferrentur: nihil vnquā in domū suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconū mutauit: domo eadē fuit cōtentus, qua Eurysthenes progenitor maiorū suorū fuerat vsus. Quam qui intrarat, nullum signū libidinis, nullū luxurię videre poterat: cōtrà, plurima patientiæ, atq; abstinen-

Eurysthenes.

tiæ. Sic enim instructa, vt nulla in re differret à cuiusuis inopis, atq; priuati. Atq; hic tantus vir, vt naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus: sic maleficam nactus est in corpore, exiguus, & claudus altero pede: quæ res etiam nonnullam adferebat deformitatem: atq; ignoti, faciem eius cùm intuerentur, cõtemnebant: qui autem virtutem nouerant, nõ poterãt admirari satis. Quod ei vsuuenit, cùm annorũ octoginta subsidio Thaco in Aegyptum iuisset, & † in acta cum suis adcubuisset, sine vllo tecto, stratumq́; haberet tale, vt terra tecta esset stramẽtis, neq; huc amplius, ꝙ pellis esset iniecta, eodemq́; comites omnes adcubuissent, vestitu humili, atq; obsoleto, vt eorũ ornatus nõ modò in his Regem neminẽ significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. Huius de aduentu fama quum ad regios esset perlata, celeriter munera eò cuiusque generis sunt allata. His quærentibus Agesilaũ, vix fides facta est, vnũ esse ex his qui tum adcubabant. Qui cùm Regis verbis, quę attulerant, dedissent: ille præter vitulina, et huiusmodi genera obsonij, quæ præsens tẽpus desiderabat, nihil accepit: vnguenta, coronas, secundamq́; mensam, seruis dispertijt, cætera referri iussit. Quo facto, eũ Barbari magis etiam cõtempserunt, ꝙ eum ignorantia bonarũ rerum, illa potissimùm sumpsisse arbitrabant̃. Hic quũ ex Aegypto reuerteret̃, donatus à Rege Nectanabe ducẽtis viginti talentis, quæ ille muneri populo suo daret, venissetq́; in portũ ꝗ Menelai vocat̃, iacens inter Cyrænas & Aegyptũ, in morbũ implicitus decessit. Ibi eum amici, quò Spartã facilius perferre possent, ꝙ mel nõ habebant, cera circunfuderũt, atq; ita domũ retulerũt.

Agesilaus ob formam & staturã contemptus.

† In acta, id est, in littore.

Agesilai abstinentia.

Agesilai mors.

EVMENIS VITA XVIII.

VMENES Cardianus. Huius si virtuti par data esset fortuna, nõ ille quidẽ maior, sed multò illustrior atq; etiã honoratior: ꝙ magnos homines virtute metiunt̃, nõ fortuna prudentes. Nam cùm ætas eius incidisset in ea tempora, quibus Macedones florerent: multũ ei detraxit inter eos viuenti, ꝙ alienæ erat ciuitatis. Neq; aliud huic defuit, ꝙ generosa stirps, & si ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquãdo anteponi, indignè ferebãt. Neq; tamen nõ patiebantur: vincebat enim omnes cura, vigilantia, calliditate, & celeritate iogenij. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi Amyntę filij: breuiq́; tempore in intimã peruenit familiaritatem. Fulgebat enim iam in adolescentulo indoles virtutis. Itaq; eum habuit ad manum, scribæ loco: quod multò apud Graios honorificentius est, quàm apud Romanos. Nam apud nos re vera, sicut sunt, mercenarij Scribę existimant̃. At apud illos contrariò, nemo ad id officiũ admittitur, nisi honesto loco, & fide, & industria cognita: quòd necesse est omnium consiliorũ eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippũ annos septem. Illo interfecto, eodẽ gradu fuit apud Alexandrum, annos tredecim. Nouissimo tempore, præfuit etiã alteri equitũ alæ, quæ Hetærice appellabatur. Vtriq; aũt consilio semper affuit, & omnium rerum habitus est particeps. Alexandro Babylone mortuo, quum regna singulis familiaribus dispertirentur, & summa rerum tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens anulũ suum dederat, Perdiccæ: ex quo omnes cõiecerunt, eum regnum ei cõmendasse, quoad liberi eius in suam tutelam peruenissent (aberant enim Craterus & Antipater, qui antecedere hunc videbantur: mortuus erat Ephæstio, quem vnum Alexander, quod facilè intelligi posset, plurimi fecerat) hoc tẽpore data est Eumeni Cappadocia, siue potius dicta. Nam tum in hostium erat potestate. Hunc sibi Perdiccas adiunxerat magno studio, quòd in homine fidem & industriã magnã videbat: non dubitans, si eum pellexisset, magno vsui fore sibi in his rebus quas apparabat. Cogitabat enim, quod ferè omnes in magnis imperijs cõcupiscunt, omniũ partes corripere, atq; amplecti. Neq; verò hoc solus fecit, sed cæteri quoq; omnes, qui Alexandri fuerãt amici. Primus Leonnatus Macedoniã præoccupare prædestinauerat. Is multis magnis pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, vt Perdiccã desereret, ac secũ faceret societatẽ. Cùm perducere eum non posset, interficere conatus est: et fecisset, nisi ille clàm noctu ex pręsidijs eius effugisset. Interim cõflata sunt illa bella, quę ad internecionẽ post Alexandri mortẽ gesta sunt, omnesq́; cõcurrerunt ad Perdiccã opprimendũ. Quem etsi infirmũ videbat, quòd vnus omnibus resistere cogebatur: tamen amicum nõ deseruit, neq; salutis, quàm fidei fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem iacet, atq; Hellespontũ: & illum vnum opposuerat Europæis aduersarijs. Ipse Aegyptũ oppugnatũ aduersus Ptolemæũ

Eumenis patria, & virtus.

Eumenis genus & mores.

Eumenes Philippi & Alexandri scriba.

Scribæ apud Romanos viles, secus apud Græcos.

Alexãdri equitum ala, Hetærice dicta, id est socialis.

Eumeni Cappadocia data.

Omnis potestas impatiens consortis est.

Eumenis in Perdiccam fides.

erat

erat profectus. Eumenes, cùm neq; magnas copias, neq; firmas haberet, quòd inexercitatæ, & non multo antè erant contractæ: aduentare autem dicerentur, Hellespontumq; transisse Antipater, & Craterus, magno cum exercitu Macedonum, viri, cùm claritate, tum vsu belli præstantes. Macedones verò milites, ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur: etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summa imperij potirentur. Eumenes intelligebat, si copiæ suæ cognoscerent, aduersus quos ducerentur, nō modò non ituras, sed simul cum nuncio dilapsuras. Itaq; hoc eius fuit prudentissimum consilium, vt deuijs itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent: & his persuaderet, se contra quosdam Barbaros proficisci. Itaq; tenuit hoc propositum, & prius in aciem exercitum eduxit, præliumq; commisit, quàm milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, vt equitatu potiùs dimicaret, quo plus valebat, quàm peditatu, quo erat deterior. Quorum acerrimo concursu, cùm magnam partē diei esset oppugnatum: cadit Craterus dux, & Neoptolemus, qui secundum locum imperij tenebat. Cum hoc cōcurrit ipse Eumenes. Qui cùm inter se complexi, in terram ex equis decidissent, vt facilè intelligi posset, inimica mente contendisse, animoq; magis etiam pugnasse, quàm corpore: non priùs distracti sunt, q̃ alterū anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur: neq; eò magis ex prælio excessit, sed acriùs hostib. institit. Hic equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis præterea, & maximè nobilibus captis, pedestris exercitus, quòd in ea loca erat deductus, vt inuito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petit. Quam quum impetrasset, in fide non mansit, & se simul ac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum ex acie semiuiuum elatum, recreare studuit. Quum id non potuisset, pro hominis dignitate, proq; pristina amicitia (nanq; † ille vsus erat Alexandro viuo familiariter) amplo funere extulit, ossaq; in Macedoniā vxori eius, ac liberis remisit. Hæc dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur à Seleuco & Antigono, rerumq; summa ad Antipatrū defertur. Hîc qui deseruerunt, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur: in his Eumenes. Hac ille perculsus plaga, non succubuit, neque eò secius bellum administrauit. Sed exiles res, animi magnitudinē, etsi non frangebant, tamen imminuebant. Hunc persequēs Antigonus, quum omni genere copiarum abundaret, sæpe in itineribus vexabatur, neq; vnquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus multis possent pauci resistere. Sed extremo tempore, cùm cōsilio capi non posset, multitudine circumuentus est. Hinc cùm multis suis amissis se expediuit, & in castellum Phrygiæ quod Nora appellatur, confugit. In quo cum circūsederetur, & vereretur, ne vno loco manens equos militares perderet, quòd spaciū nō esset agitādi: callidū fuit eius inuentū, quemadmodū stans iumentum calefieri exercerīq; posset, quò libentiùs & cibo vteretur, & à corporis motu nō remoueretur. Substringebat caput loro altiùs, quàm vt prioribus pedibus planè terram posset attingere: deinde pôst verberibus cogebat exultare, & calces remittere: qui motus, non minùs sudorē excutiebat, quàm si in spacio decurreret. Quo factū est quod omnibus mirabile est visum, vt æquè iumēta nitida ex castello educeret, cùm cōplures menses in obsidione fuisset ac si in cāpestribus ea locis habuisset. Quotiescunq; voluit, & apparatū, & munitiones Antigoni, aliàs incendit, aliàs disiecit. Tenuit autem se vno loco, quādiu fuit hyems, q; castrū subsidia habere nō poterat. Ver appropinquabat. Simulata deditione, dum de cōditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit, seq; ac suos omnes extraxit incolumes. Ad hūc Olympias, mater quæ fuerat Alexādri, quū literas & nuncios misisset in Asiā consultū, vtrùm † repetitā in Macedoniā veniret (nam tū in Epiro habitabat) & eas res occuparet: Huic ille primū suasit, ne se moueret, & expectaret, quoad Alexandri filius regnū adipisceretur. Sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium iniuriarū obliuisceretur, & in neminē acerbiore vteretur imperio. Horū nihil ea fecit: nā & in Macedoniā profecta est, & ibi crudelissimè se gessit. Petiuit aūt ab Eumene absente, ne pateretur Philippi domus et familiæ † amicissimus, interire, ferretq; opē liberis Alexādri. Quam veniā si daret, quāprimùm exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret. Id quò faciliùs faceret, se omnib. præfectis, qui in officio manebāt misisse literas, vt ei parērēt, eiusq; cōsilijs vterent. His verbis Eumenes permotus, satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentē gratiam, q; ingratū viuere. Itaq; copias cōtraxit, bellū aduersus Antigonū comparauit: q; vnà erāt Macedones cōplures nobiles. In his Peucestes, qui corporis custos fuerat Alexandri, tū aūt obtinebat Persidē: & Antigenes, cuius sub imperio phalanx erat Macedonū. Inuidiā vetens (quam tamē effugere nō potuit) si

Macedonū militum & Romanorum virtut.

Fortissimi qui habiti.

Eumenius stratagemata.

Eumenis de Cratero ac Neoptolemo victoria.

Eumenis in Craterum humanitas.

† Aldus habet, illo, vt intelligatur Eumenē Cratero vsum familiariter, viuo Alexandro.

Eumenes capitis ab Antipatro damnatus.

Eumenis de equis agitandis, callidū inuentū.

† Al. repetitum Macedoniam.

† Al. inimicissimos stirpē quoque interimere, ferretq;.

Eumenis gratus animus.

† Al. auream.

Eumenis commentum, ad inuidiam declinandam, & auctoritatem retinendam.

potius ipse alienigena summi imperij potiretur, quàm alij Macedonũ, quorum ibi erat multitudo, in principijs nomine Alexãdri statuit tabernaculum, in eoq; sellam † ęreã, cũ sceptro ac diademate iussit poni, atq; omnes quotidie cõuenire, vt ibi de summis rebus consilia caperẽtur: credens minore se inuidia fore, si specie imperij, nominisq; simulatione Alexãdri, bellum videretur administrare: quod & fecit. Nam cũ nõ ad Eumenis principia, sed ad regia conueniretur, atq; ibi de rebus deliberaretur: quodammodo latebat, cum tamen per eum vnũ gererẽtur omnia. Hic impar ętatis cum Antigono cõflixit, non acie instructa, sed in itinere: eumq; malè acceptum, in Mediam hyematum coegit redire. Ipse in finitima regione Persidis hyematum copias diuisit, non vt voluit, sed militum cogebat voluntas.

Veteranorũ militum Alexãdri & Romanorũ superbia.

Nanque illa phalanx Alexandri Magni, quę Asiam peragrauerat, deuiceratq; Persas, inueterata tum gloria, tum etiam licentia, non parẽre se ducibus, sed imperare postulabat, vt nunc veterani faciunt nostri. Itaq; periculum est, ne faciãt, quod illi fecerunt sua intemperantia, nimiaq; licentia, vt omnia perdant, neq; minùs eos cum quibus steterint, quàm aduersus quos fecerint. Quòd si quis illorũ veteranorũ legat facta, paria horum cognoscat, neq; rem vllam, nisi tempus interesse iudicet. Sed ad illos reuertar. Hyberna sumpserat, non ad vsum belli, sed ad ipsorum luxuriam, longeq; inter se discesserant.

Antigoni cõtra Eumenem callida profectio.

Hoc Antigonus quum comperisset, intelligeretq; se parem non esse paratis aduersarijs, statuit aliquid sibi consilij noui esse capiendum. Duę erãt viæ, quà ex Medis, vbi ille hyemabat, ad aduersariorum hybernacula posset peruenire. Quarum breuior per loca deserta, quæ nemo incolebat propter aquæ inopiam, cæterùm dierum erat ferè decem. Illa autem qua omnes commeabant, altero tanto longiorẽ habebat anfractum, sed erat copiosa, omniumq; rerũ abundans. Hàc si proficisceretur, intelligebat prius aduersarios rescituros de suo aduentu, quàm ille tertiam partem confecisset itineris sui: si per loca sola contenderet, sperabat se imprudentem hostem oppressurum. Ad hanc rem conficiendam, imperat quamplurimos vtres atq; etiam culeos comparari. Posthæc pabulum, præterea cibaria cocta, dierũ decem, vtq; quàm minimè fieret ignis in castris. Iter quod habebat, omnes celat. Sic paratus, quà cõstituerat proficiscitur. Dimidiũ ferè spaciũ confecerat, cùm ex fumo castrorũ eius suspicio allata est ad Eumenẽ, hostem appropinquare. Conueniunt duces, quæritur quid opus sit facto. Intelligebant omnes, tam celeriter copias ipsorũ contrahi non posse, quàm Antigonus adfuturus videbatur. Hic omnibus titubantibus, & de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere, & imperata facere, quod antè nõ fecerint, se rem expediturum. Nam quod diebus quinq; hostis transire posset, se effecturũ, vt nõ minùs totidem dierũ spacio retardaretur. Quare circumirent, suas quisq; copias cõtraheret.

Eumenis in Antigonum strategema.

Ad Antigoni autẽ refrænãdum impetum, tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obuij eant itineri aduersariorũ, hisq; pręcepit, vt prima nocte quàm latissimè possint, ignes faciãt quàm maximos, atque hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant: & adsimulata castrorũ consuetudine, suspicionem inijciant hostibus, his locis esse castra, ac de corũ aduentu esse prænunciatũ. Idemq; postera nocte faciant. Quibus imperatũ, diligenter pręceptũ curant. Antigonus, tenebris obortis ignes cõspicatur, credit de suo aduẽtu esse auditum, & aduersarios illuc suas cõtraxisse copias. Mutat consiliũ, & quoniam imprudentem adoriri non posset, flectit iter suum, & illum anfractum longiorem copiosæ viæ capit: ibiq; diem vnum operitur, ad lassitudinem sedandam militum, ac reficienda iumenta, quò integriore exercitu decerneret. Hic Eumenes callidum Imperatorem vicit consilio, celeritatemq; impediuit eius, neque tamen multum profecit.

† Iustinus, habet quater.

Eumenes à suis deditur Antigono.

Nam inuidia ducum cum quibus erat, perfidiàq; militum Macedonum veteranorum, cùm superior pręlio discessisset, Antigono est deditus, cùm exercitus ei † ter antè separatis temporibus iurasset se eum defensurum, nec vnquam deserturum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, vt fidem amittere mallent, quàm eũ non prodere. Atq; hunc Antigonus, quum ei fuisset infestissimus, conseruasset, si per suos esset licitũ, quòd ab nullo se plus adiuuari posse intelligebat in his rebus, quas impendẽre iam apparebat omnibus. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus, opibus iam valentes, cũ quib. ei de summis rebus erat dimicandum. Sed non passi sunt hi qui circà erant, quòd videbãt Eumene recepto, omnes pre illo paruì futuros. Ipse autẽ Antigonus adeò erat incensus, vt nisi magna spe maximarũ rerum, leniri nõ posset. Itaq; cùm eum in custodiã dedisset, & pręfectus custodum quęsisset, queãdmodum seruari vellet: Vt acerrimũ, inquit, leonem, aut ferocissimum elephantũ: nondum enim statuerat cõseruare eum necne. Veniebat autem ad Eu

menem

menē vtrunq; genus hominū, & qui propter odium, fructum oculis ex eius casu capere vellent, & qui propter veterē amicitiam colloqui consolarią; cuperent. Multi etiam qui eius formā cognoscere studebant, qualis esset, quē tam diu, tamą; valde timuissent, cuius in pernicie positā spem habuissent victoriæ. At Eumenes cùm diutiùs in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperij erat custodiæ, se mirari, quare iam tertium diem sic teneretur: nō enim hoc conuenire Antigoni prudentiæ, vt sic deuteretur victo, quin aut interfici, aut missum fieri iuberet. Hic cùm ferocius Onomarcho loqui videretur: Quid tu, inquit, animo si isto eras, cur non prælio cecidisti potiùs, quàm in potestatē inimici venires? Huic Eumenes, Vtinam quidem istud euenisset, sed eò nō accidit, quòd nunquā cum fortiore sum cōgressus. Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit. Non enim virtute hostium, sed amicorū perfidia decidi. Neq; id falsum: nam & dignitate fuit honesta, & virib. ad laborē ferendum firmis, neq; tam magno corpore, quàm figura venusta. De hoc Antigonus, cùm solus constituere nō auderet, ad cōsilium retulit. Hic cùm omnes vel primò perturbati, admirarētur, non iam de eo sumptum esse supplicium, à quo tot annos adeò essent malè habiti, vt sæpe ad desperationem forent adducti, quiq; maximos duces interfecisset: deniq; in quo vno esset tantū, vt quoad ille viueret, ipsi securi esse non possent: interfecto, nihil habituri negocij essent. Postremò, si illi redderet salutem, quærebāt, quibus amicis esset vsurus: sese enim cum Eumene apud eum non futuros. Hic cognita consilij voluntate, tamen vsq; ad septimū diem, deliberandi sibi spacium reliquit. Tum autem cùm vereretur, ne qua seditio exercitus orietur, vetuit ad eum quenquam admitti, & quotidianum victum amoueri iussit. Nam negabat se ei vim allaturū, qui aliquādo fuisset amicus. Hic tamen non ampliùs, quàm triduū fame fatigatus, cùm castra mouerētur, insciente Antigono, iugulatus est à custodibus. Sic Eumenes annorū quinq; & quadraginta, cùm ab anno vigesimo (vt suprà ostendimus) septem annos Philippo apparuisset, & tredecim apud Alexandrū, eundem locū obtinuisset, in his vni equitū alæ præfuisset: post aūt Alexandri Magni mortē Imperator, exercitus duxisset, summosq; duces partim repulisset, partim interfecisset: captus nō Antigoni virtute, sed Macedonum periurio, talem habuit exitum vitę. In quo quanta fuerit omniū opinio eorum, qui post Alexādrum Magnum Reges sunt appellati, ex hoc facilè potest iudicari, quòd nemo Eumene viuo Rex appellatus est, sed præfectus. Iidem post huius occasum, statim Regium ornatum, nomenq; sumpserunt, neq; quod initiò prædicarunt, se Alexandri liberis regnum seruare, præstare voluerunt: & vno propugnatore sublato, quid sentirent, aperuerunt. Huius sceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolemæus, Seleucus, Lysimachus, Cassander. Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis eius sepeliendum tradidit. Hi militari honestoq; funere, comitante toto exercitu, † humauerunt, ossaq; eius in Cappadociam ad matrem atque vxorem liberosq; eius deportanda curarunt.

Eumenis captiui magnanimitas et cōstantia.

Antigoni humanum dictum.

Eumenis interitus.

Eumene viuo nemo Alexandri successorū se regem ausus est appellare.

Alexandri ducum in eius liberos perfidia.

Eumenis funus.

† Fortè cremauerunt, quanquam humare omne genus condendi cadaueris, complectitur.

PHOCIONIS VITA XIX.



HOCION Atheniēsis, etsi sæpe exercitibus præfuit, summosq; magistratus cepit: tamen multò eius notior integritas est vitæ, quàm rei militaris labor. Itaq; huius memoria est nulla, illius autē magna fama: ex quo cognomine Bonus, est appellatus. Fuit enim perpetuò pauper, cùm ditissimus esse posset, propter frequentes delatos honores, potestatesq; summas, quæ ei à populo dabantur. Hic cùm à Rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, Legatiq; hortarentur accipere: simul'que admonerent, si ipse his facilè careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate, tantam paternam tueri gloriam. His ille: Si mei similes erunt, idem hic (inquit) agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit. Sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis, illorum ali augeriq; luxuriam. Eidem cùm propè ad annum octogesimum prospera peruenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium peruenit suorum ciuium. Primò cum Demade, de vrbe tradenda Antipatro consenserat, eiusq; consilio Demosthenes, cum ceteris qui bene de republica mereri existimabantur, plebiscito in exilium erant expulsi. Neq; in eo solùm offenderat, quòd patriæ malè cōsuluerat, sed etiam quòd amicitiæ fidem nō præ-

stiterat,

Vicies eum exercitibus præfuisse Plutarchus scribit.

Phocion, Bonus appellatus.

Phocionis abstinentia.

Phocionis dilēma.

Phocionis crimina.

Phocionis ingratitudo.

stiterat. Nanque auctus adiutusque à Demosthene, eum quem tenebat ascẽderat gradum. Cùm aduersus Charetem eum subornaret, ab eodem in iudicijs, cùm capitis causam diceret, defensus aliquotiens, liberatus discesserat. Hunc non solùm in periculis nõ defendit, sed etiam prodidit. Concidit maximè vno crimine. Quia cùm apud eum summum esset imperium populi, & Nicanorem Cassandri præfectum, insidiari Piræeo Atheniensium à Dercyllo moneretur: eidemque postularet, vt prouideret, ne commeatibus ciuitas priuaretur: Hic audiente populo, Phocion negauit esse periculum, seque eius rei obsidem fore pollicitus est. Neque ita multo pòst, Nicanor Piræeo est potitus. Ad quẽ recuperandum, sine quo Athenæ omnino esse non possunt, cùm populus armatus cõcurrisset, ille non modò neminẽ ad arma vocauit, sed ne armatis quidem præesse voluit. Erant eo tẽpore Athenis duę factiones: quarũ vna populi causam agebat, altera optimatum. In hac erant Phocion, & Demetrius Phalereus. Harũ vtraque Macedonum patrocinijs nitebatur. Nam populares Polyperchonti fauebãt, optimates cum Cassandro sentiebant. Interim à Polyperchonte, Cassander Macedonia pulsus est. Quo facto, populus superior factus, statim duces aduersariæ factionis, capitis damnatos, patria propulit. In his Phocionẽ, & Demetrium Phaleræum: deque ea re Legatos ad Polyperchonẽ misit, qui ab eo peterent, vt sua decreta cõfirmaret. Hic eodẽ profectus est Phociõ: quò vt venit, causam apud Philippum Regem verbo, reipsa quidem apud Polyperchontem iussus est dicere. Namque is tum Regis rebus præerat. Hic cùm ab Agnonide accusatus esset, quòd Piræeũ Nicanori prodidisset, ex consimili sententia in custodiam coniectus, Athenas deductus est, vt ibi de eo, legibus fieret iudicium. Huc vbi peruentũ est, cùm propter ætatem pedibus iam non valeret, vehiculoque portaretur: magni concursus sunt facti, cùm alij reminiscẽtes veteris famæ, ætatis misererẽtur: plurimi verò ira exacuerẽtur, propter proditionis suspicionem Piræei: maximeque quòd aduersus populi cõmoda in senectute steterat. Qua de re, ne perorãdi quidem ei data est facultas, & dicendi causam. Inde iudicio, legitimis quibusdam cõfectis, damnatus, traditus est vndecim viris, quibus ad suppliciũ, more Atheniensiũ, publicè damnati tradi solẽt. Hic cùm ad mortẽ duceretur, obuius ei fuit † Emphiletus, quo familiariter fuerat vsus. Is cùm lachrymãs dixisset, O quàm indigna perpeteris Phocion. Huic ille, At non inopinata, inquit: hunc enim exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses. In hoc tantum fuit odium multitudinis, vt nemo ausus sit eum liber sepelire. † Itaque à seruis sepultus est.

Athenienſium factiones.

Phocion proditionis accusatur.

Phocion indicta causa capitis damnatus.

† Fortè Emphileus, vel Emphytius, vt habet Ar stides.

† Ab hoc dissentire Plutarchus videtur.

THYMOLEONTIS VITA XX.

Thymoleon patriæ, & Siciliæ liberator.



HYMOLEON Corinthius. Sine dubio magnus omniũ iudicio hic vir extitit. Nanque huic vni contigit, quod nescio an vlli, vt patriã in qua erat natus oppressam à tyranno liberaret: & à Syracusis, quib. auxilio erat missus, inueteratam seruitutem depelleret: totamque Siciliam multos annos bello vexatam, à Barbarisque oppressam, suo aduentu in pristinũ statum restitueret. Sed in his rebus non simplici fortuna cõflictatus est: & id quod difficilius putatur, multò sapientius tulit secũdam quàm aduersam fortunã. Nam cùm frater eius Timophanes dux à Corinthijs delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset: particepsque regni posset esse: tantum abfuit à societate sceleris, vt antetulerit suorum ciuium libertatẽ fratris saluti: & patriæ legibus obtemperare sanctius duxerit, quàm imperare patriæ. Hac mente, per † aruspicem, cõmunemque affinem, cui soror ex ijsdem parentib. nata, nupta erat, fratrem tyrannũ interficiẽdum curauit. Ipse non modò manus nõ attulit, sed ne aspicere quidem fraternũ sanguinem voluit. Nam dum res conficeretur, procul in præsidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc præclarissimum eius facinus, nõ pari modo probatũ est ab omnibus. Nonnulli enim læsam ab eo pietatẽ putabant, & inuidia laudem virtutis obterebant. Mater verò post id factum, neque domum ad se filium admisit, neque aspexit, quin eum fratricidam impiumque detestans cõpellaret. Quibus verbis adeò est commotus, vt nõnunquam vitæ finem facere voluerit, atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere. Interim Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusarũ potitus est. Cuius aduersarij opem à Corinthijs petiuerũt, ducemque quo in bello vterentur, postularũt. Huc Thymoleon missus, incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. Cùm interficere posset, noluit, tutoque vt Corinthũ perueniret effecit, quòd vtrorumque Dionysiorũ opib. Corinthij sæpe adiuti fuerãt. Cuius benignitatis memoriã volebat

Thymoleon fratrem patriæ tyrannũ sustulit.

† Hunc aruspicem, Satyrum vocat Plutarchus.

Thymoleontis res in Sicilia gestæ.

volebat extare, eamq; praeclarā victoriam ducebat, ex qua plus esset clemētię, quàm crudelitatis. Postremò, vt non solùm auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quē, & ex quanto regno, ad quam fortunam detrusisset. Post Dionysii decessum, cum Iceta bellauit, qui aduersatus fuerat Dionysio, quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit: quòd ipse expulso Dionysio, imperium dimittere noluit. Hoc superato, Thymoleon maximas copias Carthaginensium apud Crimesum flumen fugauit, ac satis habere coegit, si liceret Africam obtinere, qui iam cōplures annos possessionē Siciliae tenebant. Cepit etiam Mamercum Italicum ducem, hominem bellicosum & potentem, qui tyrannos adiutū in Siciliam venerat. Quibus rebus confectis, cùm propter diuturnitatem belli, non solùm regiones, sed etiam vrbes desertas videret: conquisiuit quos potuit, primùm Siculos, deinde Corintho accersiuit colonos, quòd ab his initiò Syracusae erant conditae. Ciuibus veteribus sua restituit, nouis bello vacuefactas possessiones diuisit. Vrbiū mœnia disiecta, fanaq; deserta refecit: ciuitatib. leges, libertatemq; reddidit: ex maximo bello, tantum ociū toti insulę conciliauit, vt hic conditor vrbium earum, nō illi qui initiò deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius ad vrbē obsidendā, à fundamentis disiecit: caetera tyrannidis propugnacula demolitus est, dediditq; operā, vt quàm minimē multa vestigia seruitutis manerent. Cùm tantis esset opibus, vt etiam inuitis imperare posset, tantum autē haberet amorem omnium Siculorum vt nullo recusante regnū obtineret: maluit se diligi, quàm metui. Itaq; cùm primùm potuit, imperiū deposuit, & priuatim Syracusis, quod reliquū vitae fuit, vixit. Neq; verò id imperitē fecit: Nam quod cęteri Reges imperio potuerūt, hic beneuolentia tenuit. Nullus honos huic defuit, neq; posteà Syracusis res vlla gesta est publica, de qua priùs sit decretū, quàm Thymoleontis sententia cognita. Nullius vnquam consilium nō modò antelatū, sed ne cōparatum quidem est: neq; id magis beneuolentia factum est, quàm prudentia. Hic cùm aetate iam prouectus esset, sine vllo morbo lumina oculorū amisit. quā calamitatem ita moderatē tulit, vt neq; eum querentē quisquam audierit, neq; eo minus priuatis publicisq; rebus interfuerit. Veniebat autē in theatrum, cùm ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus iumentis iunctis, atque ita de vehiculo quae videbantur dicebat: neq; hoc illi quisquam tribuebat superbiae. Nihil enim vnquā, neq; insolens, neq; gloriosum ex ore eius exijt. Qui quidem cùm suas laudes audiret praedicari, numquā aliud dixit, quàm se in ea re maximas dijs gratias agere atq; habere, quòd cū Siciliam recreare cōstituissent, tum se potissimùm ducē esse voluissent. Nihil enim rerū humanarum, sine Deorum numine agi putabat. Itaq; suae domi sacellum αὐτοματίας constituerat, idq; sanctissimē colebat. Ad hanc hominis excellentem bonitatē, mirabiles accesserunt casus. Nam praelia maxima natali die suo fecit omnia: quo factum est, vt eiusdē natale, festum haberet vniuersa Sicilia. Huic quidam Laphistius, homo petulans & ingratus, vadimonium cùm vellet imponere, quod cum illo se lege agere diceret, & complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coercere conarentur: Thymoleon orauit omnes, ne id facerent. Nanq; id vt Laphistio, caeterisq; liceret, se maximos labores, summaq; adijsse pericula. Hāc enim speciē libertatis esse, si omnibus quod quisq; vellet, legibus experiri liceret. Id cùm quidam Laphistij similis, nomine Demaenetus in concione populi, rebus gestis eius detrahere coepisset, ac nonnulla inueheretur in Thymoleonta, dixit, nunc demum se voti esse compotem. Nanque hoc à Dijs immortalibus semper precatū, vt talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impunē dicere. Hic cùm diem supremū obijsset, publicē à Syracusanis in Gymnasio, quod Thymoleonteum appellatur, tota celebrante Sicilia sepultus est.

Victoria praeclara quae ducatur.
Syracusae à Corinthijs cōditae.
Thymoleon vrbium Siciliae cōditor appellatur.
Siculorum in Thymoleontem amor, & honores.
Thymoleontis in caecitate patientia.
Thymoleontis modestia, & pietas in Deos.
Thymoleon omnia praelia maxima die suo natali fecit omnia.
Thymoleontis patientia.
Libertatis species.
Thymoleontis mors, & funus.

DE REGIBVS BREVIS NOTATIO.



HI FERE fuerunt Graeciae gentis duces, qui memoria digni videantur, praeter Reges. Nanque eos attingere nolumus, quòd omnium res gestae separatim sunt relatae: neque tamen hi admodum sunt multi. Lacedaemonius autem Agesilaus, nomine, non potestate fuit Rex, sicut caeteri Spartani. Ex his verò qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt, vt nos iudicamus, Persarum Cyrus, & Darius Hystaspis filius, quorum vterque priuatus, virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetas in praelio

Cyrus.

[Darius.] lio cecidit. Darius senectute diem obijt supremum. Tres sunt præterea eiusdem generis, *[Xerxes tres.]* Xerxes, & duo Artaxerxes, Macrochir quoque & Mnemon. *[Artaxerxes duo.]* Xerxi maxime est illustre, quòd maximis post hominum memoriam exercitibus, terra mariq; bellum intulit Græciæ. At Macrochir præcipuam habet laudem, amplissimæ pulcherrimæq; corporis formæ, quam incredibili ornauit virtute belli. Nanque illo, Persarum nemo, fuit manu fortior. Mnemon autem iustitiæ fama floruit. Nam cùm matris suæ scelere amisisset vxorē, tantum indulsit dolori, vt eum pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine, morbo, naturæ debitum reddiderunt. Tertius ab Artabano præfecto, ferro interfectus est. Ex Macedonum autem genere, *[Philippus Macedo.]* duo multò cæteros antecesserunt rerum gestarum gloria, Philippus Amyntę filius, & Alexander Magnus. Horum alter Babylone, morbo consumptus *[Alexander Magnus.]* est. Philippus Aegis à Pausania, cùm spectatum ludos iret, iuxta theatrū occisus est. Vnus Epirotes Pyrrhus, qui cū populo Romano bellauit. Is cùm Argos oppidum oppu- *[Pyrrhus.]* gnaret in Peloponneso, lapide ictus interijt. Vnus item Dionysius prior: nam & manu *[Dionysius.]* fortis, & belli peritus fuit: & id, quod in tyranno nō facilè reperitur, minimè libidinosus, non luxuriosus, non auarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis perpetuiq; imperij, ob eamq; rem crudelis. Nam dum id studuit munire, nullius pepercit vitæ, quem eius insidiatorem putaret. Hic cùm virtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate, maiorq; annos sexaginta natus, decessit florente regno. Neque in tam multis annis, cuiusquam ex sua stirpe funus vidit, cùm ex tribus vxoribus liberos procreasset, multiq; ei nati essent nepotes. Fuerunt præterea multi Reges ex amicis Alexandri Magni, qui *[Antigonus.]* post obitum eius imperia ceperūt. In his Antigonus, & huius filius Demetrius: Lysima- *[Demetrius.]* chus, Seleucus, Ptolemæus. Ex his Antigonus, cùm aduersus Seleucum, Lysimachúm- *[Lysimachus.]* que dimicaret, in prælio occisus est. Pari læto affectus est Lysimachus à Seleuco. Nam *[Seleucus.]* societate dissoluta, bellum inter se gesserunt. At Demetrius, cùm filiam suam Seleuco in *[Ptolemæus.]* matrimonium dedisset, neque eò magis fida inter eos amicitia manere potuisset, captus bello, in custodia socer generi, perijt morbo. Neq; ita multo pòst Seleucus à Ptolemæo Ceraunio, dolo interfectus est, quem ille à patre expulsum Alexandria, alienarū opum indigentem, receperat. Ipse autem Ptolemæus, cùm viuus filio regnum tradidisset, ab illo eodem vita priuatus dicitur. De quibus quoniam satis dictum putamus, non incōmodum videtur non præterire Hamilcarem & Annibalem, quos & animi magnitudine & calliditate, omnes in Africa natos præstitisse constat.

HAMILCARIS VITA XXI.



[Hamilcaris genus.] HAMILCAR Annibalis filius, cognomine Barchas, Carthaginēsis, primo Punico bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus, in Sicilia præesse cœpit exercitui. Cùm ante eius aduentum, & mari, & terra malè *[Hamilcaris res in Sicilia gestæ.]* res gererentur Carthaginensium: ipse vbi adfuit, nunquā hosti cessit, neque locum nocendi dedit: sæpeq; è cōtrario occasione data, lacessiuit, semperq; superior discessit. Quo facto, cùm penè omnia in Sicilia Pœni amisissent, ille Erycem sic defendit, vt bellum eo loco gestum non videretur. Interim Carthaginenses classe apud insulas Aegates à C. Luctatio consule Romanorum superati, statuerunt belli finem facere, eamq; rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille etsi flagrabat belli cupiditate, tamē paci seruiendum putauit, quòd patriam exhaustam sumptibus, diutiùs calamitatem belli ferre non posse intelligebat. sed ita vt statim mente agitaret, si paululum modò res essent refectæ, bellum renouare, Romanosq; armis persequi, donec aut certè vicissent, aut *[Hamilcaris constantia.]* victi manum dedissent. Hoc consilio pacem conciliauit: in qua tanta fuit ferocia, vt quū Catulus negaret bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerunt, armis relictis, Sicilia decederent: succumbente patria, ipse periturum se potiùs dixerit, quàm cum tanto flagitio domum rediret. Non enim suæ esse virtutis, arma à patria accepta aduersus hostes, aduersarijs tradere. Huius pertinaciç cessit Catulus. At ille vt Carthaginē venit, multò aliter ac sperabat rempublicam se habentem cognouit. Nanq; diuturnitate externi mali, tantum exarsit intestinum bellum, vt nunquam pari periculo fuerit Car- *[Carthago à suis militibus in summum discrimen adducta.]* thago, nisi cùm deleta est. Primò mercenarij milites, qui aduersus Romanos fuerant, desciuerunt, quorum numerus erat viginti millium. Hi totam abalienarunt Africam, ipsam Carthaginem oppugnarunt. Quibus malis adeò sunt Pœni perterriti, vt auxilia etiam à Romanis petiuerint, eaq; impetrauerint. Sed extremò, quum propè iam ad desperatio-

nem

nem peruenissent, Hamilcarem Imperatorem fecerūt. Is non solùm hostes à muris Carthaginis remouit, quum amplius centum millia facta essent armatorū, sed etiam eò compulit, vt locorum angustijs clausi, plures fame quàm ferro interirent. Omnia oppida abalienata, in his Vticam, atq; Hipponem valentissima totius Africæ, restituit patriæ: neque eo fuit cōtentus, sed etiam fines imperij propagauit: tota Africa tantum ocium reddidit, vt nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse. Rebus his ex sententia peractis, fidenti animo atq; infesto Romanis, quò faciliùs causa bellandi reperiretur, effecit vt Imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur, eoq; secum duxit filium Annibalem annorum nouem. Erat præterea cum eo adolescens illustris, formosus, Hasdrubal, quem nōnulli diligi turpiùs quàm par erat, ab Hamilcare loquebantur. Non enim maledici tanto viro deesse poterant. Quo factum est, vt à Præfecto morum, Hasdrubal cum eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit, quòd moribus eorum interdici non poterat socero gener. De hoc ideò mentionem fecimus, quòd Hamilcare occîso, ille exercitui præfuit, resq; magnas gessit, & princeps, largitione, vetustos peruertit mores Carthaginensium: eiusdemq; post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium. At Hamilcar posteaquàm mare transijt, in Hispaniamq; venit, magnas res secunda gessit fortuna, maximas bellicosissimasq; gentes subegit: equis, armis, viris, pecunia totam locupletauit Africam. Hic cùm in Italiam bellum inferre meditaretur, nono anno postquàm in Hispaniam venerat, in prælio pugnans aduersus Vectones, occisus est. Huius perpetuum odium erga Romanos, maximè cōcitasse videtur secundum bellum Punicum. Nanq; Annibal filius eius, assiduis patris obtestationibus cò est perductus, vt interire, quàm Romanos non experiri mallet.

Hamilcaris in Africa res gestæ

Hamilcar in Hispaniam mittitur.

Hasdrubal Hamilcaris gener.

Hamilcaris res in Hispania gestæ, & mors.

Hamilcaris in Romanos odiū.

ANNIBALIS VITA XXII.

ANNIBAL Hamilcaris filius, Carthaginensis. Si verum est (quod nemo dubitat) vt populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est inficiandum, Annibalem tantò præstitisse cæteros Imperatores prudentia, quantò populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. Nam quotiescunque cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. Quòd nisi domi ciuium suorum inuidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio deuicit vnius virtutem. Hic autem velut hæreditate relictum odium paternum erga Romanos, sic cōfirmauit, vt priùs animam, quàm id deposuerit. Qui quidem cùm patria pulsus esset, & alienarum opum indigeret nunquam destitit animo bellare cum Romanis. Nam vt omittam † Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis: omnium his temporibus potētissimus Rex Antiochus fuit. Hunc tanta cupiditate incendit bellandi, vt vsque à Rubro mari, arma conatus sit inferre Italiæ. Ad quem cùm legati venissent Romani, qui de eius voluntate explorarent, darentq; operam consilijs clandestinis, vt Annibalem in suspicionem Regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum alia atque anteà sentire: neque id frustrà fecissent: idq; Annibal comperisset, seq; ab interioribus consilijs segregari vidisset: tempore dato adijt Regem, eiq; quum multa de fide sua, & odio in Romanos commemorasset, hoc adiunxit: Pater (inquit) meus Hamilcar, puerulo me, vtpotè non amplius nouem annos nato, in Hispaniam Imperator proficiscens, Carthagine Ioui Optimo Maximo hostias immolauit. Quæ diuina res dum cōficiebatur, quæsiuit à me, Vellem'ne secum in castra proficisci. Id quum libenter accepissem, atque ab eo petere cœpissem, ne dubitaret ducere: tum ille, Faciam (inquit) si fidem mihi quam postulo dederis. simulq; ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamq; cæteris remotis, tenētem, iurare iussit, Nunquàm me in amicitia cum Romanis fore. Id ego iusiurandum patri datum, vsq; ad hanc diem ita conseruaui, vt nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. Quare, si quid amicè de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris. Cùm quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris. Hac igitur ætate, cum patre in Hispaniam profectus est. Cuius post obitum, Hasdrubale Imperatore suffecto, equitatui omni præfuit. Hoc quoq; interfecto, exercitus, summam imperij ad eum detulit. Id Carthaginem delatum, publicè comprobatum est. Sic Annibal minor, quinque & viginti annis natus, Imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniæ bello subegit. Saguntum fœde-

Annibalis pater, & præstantia.

Annibalis in Rom. odium.

† Philippum intellige Demetrij Maced. regis filiū. de quo vide Iustinum lib. 29.

Annibalis ad Antiochum oratio, qua sui in Rom. odij fidem facit.

Annibalis primæ militiæ rudimenta.

Annibal imperator, et eius res in Hispania gestæ.

ratam ciuitatem vi expugnauit: tres exercitus maximos comparauit. Ex his vnum in Africam misit,alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertium in Italiam secum duxit:saltum Pyrenæum transiit: quacunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit:neminem nisi victum dimisit. Ad Alpes postea quàm venit, quæ Italiam ab Gallia

Hercules Graius, & Saltus Graius, quà Annibal in Italiam transijt.

seiungũt, quas nemo vnquam cum exercitu ante eum, præter Herculem Graium transierat:quo facto,is hodie Saltus Graius appellatur: Alpicos conantes prohibere transitum, concidit: loca patefecit, itinera muniit, effecitq; vt ea elephantus oneratus ire posset, qua antea vnus homo inermis vix poterat repere. Hac copias traduxit, in Italiamq; peruenit. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione Consule, eumq; pe-

Annibalis res in Italia gestæ.

pulerat. Cum hoc eodem Clastidio apud Padum decernit, saucium inde ac fugatum dimittit. Tertiò idem Scipio cum collega Tito Longo, apud Trebiam aduersus eum venit. Cum his manum conseruit, vtrosque profligauit. Inde per Ligures Apenninum transiit, petens Hetruriam. Hoc itinere adeò graui morbo afficitur oculorum, vt postea nunquam dextro æquè bene vsus sit. Qua valetudine cùm etiam tum premeretur, lecticaq; ferretur, C. Flaminium Consulem, apud Thrasymenum, cum exercitu insidijs circumuentum occidit. Neque multo pòst, C. Centenium Prætorem, cum delecta manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam peruenit. Ibi obuiàm ei venerunt duo Consules C. Terentius, & Lucius Aemylius. Vtriusque exercitus vno prælio fugauit, Paulum Consulem occidit, & aliquot præterea Consulares. In his Publium Seruiliũ Gemi-

Annibal ad vrbem Ro. castra locat.

niũ, qui anno superiore fuerat Consul. Hac pugna pugnata, Romã profectus est, nullo resistente: in propinquis vrbis montibus moratus est. Quum aliquot ibi dies castra habuisset, & reuerteretur Capuam, Q. Fabius Maximus Dictator Romanus, in agro Falerno ei se obiecit. Hic, clausus locorum angustijs, noctu sine vllo detrimento exercitus

Annibalis stratagema.

se expediuit. Fabio callidissimo Imperatori dedit verba. Namq; obducta nocte, sarmenta in cornibus iumentorum deligata incendit, eiusq; generis multitudinẽ magnam dissipatam immisit. Quo repentino obiectu viso, tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, vt egredi extra vallum nemo sit ausus. Hanc post rem gestam, non ita multis diebus, M. Minutium Rufum Magistrum Equitum, pari ac Dictatorem imperio, dolo perductum in prælium, fugauit. T. Sempronium Gracchum iterum consulem, in Lucanis absens, in insidias inductum, sustulit. M. Claudium Marcellum quinquies Consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. Longum est enumerare prælia: quare hoc v-

Annibal ab Italis inuictus discessit.

num satis erit dictum, ex quo intelligi possit quantus ille fuerit. Quandiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo aduersus eum post Canensem pugnã, in campo castra posuit. Hic inuictus patriam defensum reuocatus, bellum gessit aduersus P. Scipionem filium, quem ipse primùm apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiò apud Trebiam fugauerat. Cum hoc, exhaustis iam patriæ facultatibus, cupiuit in præsentiarum bellum componere, quò valentior postea congrederetur. In colloquium conuenit, cõditiones

Annibal à Scipione superatus

non conuenerunt. Post id factum, paucis diebus apud Zamam cum eodem conflixit. Pulsus, incredibile dictu, biduo, et duabus noctibus Adrumentũ peruenit, quod abest à Zama circiter millia passus trecẽta. In hac fuga, Numidæ qui simul cum eo acie excesserãt, insidiati sunt ei: quos nõ solùm effugit, sed etiam ipsos oppressit. Adrumẽti reliquos ex fuga collegit. Nouis delectibus, paucis diebus multos contraxit, cùm in apparãdo acerrimè esset occupatus, Carthaginẽses bellum cum Romanis composuerũt. Ille nihilo seciùs exercitui postea præfuit, resq; in Africa gessit. Itemq; Mago frater eius, vsq; ad Pu-

Carthaginensiũ legati Romã mittuntur, de pace gratias acturi.

bliũ, & Caiũ Aureliũ Coss. his enim magistratibus Legati Carthaginenses Romã venerunt, qui Senatui populoq; Romano gratias agerẽt, ꝙ cum his pacẽ fecissent, ob eamq; rem corona aurea eos donarent, simulq; peterent, vt obsides eorũ Fregellis essent captiuiq; redderent. His ex Senatusconsulto responsum est, munus eorũ gratum acceptumq; esse, obsides quo loco rogarẽt futuros, captiuos nõ remissuros: quòd Annibalem, cuius opera susceptũ bellum foret, inimicissimũ nomini Romano, & nunc cum imperio apud

† Consulem habet Iustinus.

Reges bini Carthagine.

exercitũ haberent: itemq; fratrẽ eius Magonem. Hoc responso Carthaginenses cognito, Annibalẽ domum, Magonemq; reuocarũt. Huc vt rediit, † Prætor factus est, postq; Rex fuerat anno secũdo & vigesimo. Vt enim Romę Consules, sic Carthagine quotannis annui bini Reges creabantur. In eo magistratu, pari diligentia se Annibal prębuit, ac fuerat in bello. Namq; effecit ex nouis vectigalibus, non solùm vt esset pecunia quæ Romanis ex fœdere penderetur, sed etiam superesset, quæ in ærario poneretur. Deinde anno post præturã, M. Claudio, Lucio Furio Coss. Romani legati Carthaginẽ vene-

runt

runt. Hos Annibal sui exposcendi gratia missos ratus, prius quàm his Senatus daretur, nauem conscendit clàm, atque in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palàm facta, Pœ ni naues duas, quæ eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt: bona eius publicarunt: domum à fundamentis disiecerunt: ipsum exulem iudicarunt. At Annibal anno tertio postquàm domo profugerat, L. Cornelio, Quinto Minutio Coss. cũ quinq; nauibus Africam accessit: in finibus Cyreneorũ: si forte Carthaginenses ad bellum Antiochi, spe fiduciaq; inducere posset, cui iam persuaserat, vt cum exercitibus in Italiã proficisceretur. Huc Magonem fratrem exciuit. Id vbi Pœni resciuerunt, Magonem eadem qua fratrem pœna affecerunt. Illi desperatis rebus, quum soluissent naues, ac vela ventis dedissent: Annibal ad Antiochũ peruenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita est. Nanq; alij naufragio, alij à seruis ipsius interfectũ eũ, scriptum reliquerũt. Antiochus aũt, si tam in agendo bello parère voluisset consilijs eius, quàm in suscipiẽdo instituerat, propiùs Tyberi, q̃ Thermopylis, de summa imperij dimicasset. Quẽ etsi multa stultè conari videbat, tamen nulla deseruit in re. Præfuit paucis nauibus, quas ex Syria iussus erat in Asiam ducere, hisq; aduersus Rhodiorum classem, in Pamphylio mari conflixit. Quo cùm multitudine aduersariorũ, sui superarentur, ipse quo cornu rem gessit fuit superior. Antiocho fugato, verens ne dederetur (quod sine dubio accidisset, si cui fecisset potestatem) Cretam ad Cortynios venit, vt ibi quò se conferret, cõsideraret. Vidit autem vir omniũ callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid præuidisset propter auaritiam Cretensium: magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Itaque capit tale consiliũ. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro & argento. Has Cortynijs præsentibus deponit in templo Dianæ, simulans se suas fortunas illorum fidei eredere. His in errorem ductis: statuas æneas, quas secũ portabat, omnes sua pecunia cõplet, easq; in propatulo domi abijcit. Cortynij templum magna cura custodiunt, non tam à cæteris, q̃ ab Annibale, ne quid ille inscientibus his tolleret, secumq; portaret. Sic cõseruatis suis rebus Pœnus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiã in Pontũ peruenit: apud quem eodem animo fuit erga Italiam: neq; aliud quicq; egit, q̃ Regẽ armarit, & excitarit aduersus Romanos. Quem cùm videret domesticis rebus minus esse robustum: conciliabat cæteros Reges, adiungebatq; bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus Rex Eumenes Romanis amicissimus, bellumq; inter eos gerebatur & mari, & terra. Quò magis cupiebat eum Annibal opprimi: sed vtrobique Eumenes plus valebat, propter Romanorum societatem. Quem si remouisset, faciliora sibi cætera fore arbitrabatur. Ad hunc interficiendum, talem inijt rationem. Classe paucis diebus erãt decertaturi. Superabatur nauium multitudine: dolo erat pugnandum, quum par non esset armis. Imperauit quamplurimas venenatas serpentes viuas colligi, easq; in vasa fictilia conijci. Horum cùm cõfecisset magnã multitudinẽ, die ipso quo facturus erat nauale prælium, classiarios conuocat, hisq; præcepit, omnes vt in vnam Eumenis Regis concurrant nauem, à cæteris tantùm satis habeant se defendere: id facilè illos serpentum multitudine consecuturos. Rex autem qua naue veheretur, vt scirent se facturũ, quẽ si aut cepissent aut interfecissent, magno his pollicet̃ præmio fore. Tali cohortatione militũ facta, classis ab vtrisq; in prælio deducit. Quarum acie constituta, priusq; signum pugnæ daretur, Annibal, vt palàm faceret suis, quo loco Eumenes esset, tabellarium in scapha cum caduceo mittit. Qui vbi ad naues aduersariorum peruenit, epistolam ostendens, se Regem professus est quærere. Statim ad Eumenem deductus est, quòd nemo dubitabat aliquid de pace esse scriptũ. Tabellarius, ducis naue declarata suis, eòdem vnde ierat, se recepit. At Eumenes soluta epistola nihil in ea reperit, nisi quod ad irridendum eũ pertineret. Cuius etsi causam mirabatur, neq; reperiebatur: tamen prælium statim cõmittere non dubitauit. Horum in concursu, Bithynij Annibalis præcepto, vniuersi nauem Eumenis adoriuntur: quorum vim cùm Rex sustinere non posset, fuga salutem petijt: quam consecutus non esset, nisi intra sua præsidia se recepisset, quæ in proximo littore erãt collocata. Reliquæ Pergamenæ naues cùm aduersarios premerẽt acriùs, repentè in eas vasa fictilia (de quibus suprà mentionem fecimus) cõijci cœpta sunt. Quæ iacta, initiò risum pugnantibus excitarunt. Neque quare id fieret, poterat intelligi. Postquàm autem naues completas conspexerũt serpentibus: noua re perterriti, cùm quid potissimùm vitarent non viderent, puppes àuerterunt, seq; ad sua castra nautica retulerunt. Sic Annibal consilio arma Pergamenorum superauit. Neque tum solùm, sed sæpe aliàs pedestribus copijs pari prudentia pepulit aduersarios. Quæ dum in Asia geruntur, acci-

Annibalis ad Antiochum fuga.

Magonis Annibalis fratris interitus.

Annibal quo strategemate Cretensium insidias euaserit.

Annibalis in pugna nauali ex serpentibus strategema.

Annibalis callidum consilium.

Eumenis fuga, et Annibalis victoria.

Vv 2

dit casu, vt Legati Prusiæ, Romæ apud † L. Quintium Flaminium Cōsularem cœnarēt: atq; ibi de Annibale mentione facta, ex his vnus diceret, eū in Prusię regno esse. Id postero die Flaminius Senatui detulit. Patres conscripti, qui Annibale viuo nunquam se sine insidijs futuros existimabant, Legatos in Bithyniam miserunt. In his Flaminiū, qui à Rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet, sibiq; dederet. His Prusia negare ausus non est. Illud recusauit, ne id à se fieri postularēt, quòd aduersus ius hospitij esset: ipsi si possent, comprehenderent: locum vbi esset facilè inuenturos. Annibal enim vno loco se tenebat in castello quod ab Rege datum erat muneri. Idq; sic edificârat, vt in omnibus partibus ædificij exitus haberet, semper verēs, ne vsu veniret quod áccidit. Huc cùm Legati Romanorū venissent, ac multitudine domū eius circūdedissent: puer ab ianua prospiciens, Annibali dixit plures præter consuetudinem armatos apparere. Qui imperauit ei, vt omnes fores ædificij circumiret, ac properè sibi renunciaret, num eodem modo vndique obsideretur. Puer, cùm celeriter quod esset, renunciasset, omnesq; exitus occupatos ostendisset, sensit id non fortuitò factum, sed se peti, neque sibi diutiùs vitam esse retinendam, quam ne alieno arbitrio dimitteret: memor pristinarum virtutum, venenum quod semper secum habere consueuerat, sumpsit. Sic vir fortissimus, multis varijsq; perfunctus laboribus, anno acquieuit septuagesimo. Quibus Consulibus interierit, nō conuenit. Nanq; Atticus, M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone Coss. mortuū in Annali suo, scriptum reliquit. At Polybius, Aemylio Paulo, & † Caio Bebio Pamphilo. Sulpitius autem Blito, P. Cornelio Cethego, & Bebio Pamphilo. Atque tantus vir, tantisq; bellis districtus, nonnihil temporis tribuit literis. Nanq; aliquot eius libri sunt Greco sermone confecti. In his ad Rhodios de Cn. Manlij Volsonis in Asia rebus gestis. Huius bella gesta, multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo qui cum eo in castris fuerunt, simulq; vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Philenius, & Sosilus Lacedæmonius. Atque hoc Sosilo Annibal literarum Græcarum vsus est doctore. Sed nos tempus est huius libri facere finem, & Romanorum explicare Imperatores, quò facilius collatis vtrorunq; factis, qui viri præferendi sint, possit iudicari.

† Titum habet Liu. & alij.

Romani à Prusia Annibalē sibi dedi postulāt.

Annibal veneno sumpto moritur.

Attici Annalis, de quo Cic. de claris Or.

† Liuius habet Cn. Bebio Pamphilo: & paulo pòst, P. Cor. Lentulo.

Annibalis libri Græcè cōscripti.

FRAGMENTVM QVOD EX PROBI LIBRO POSTERIORE SVPEREST.

M. PORTII CATONIS VITA.



ATO ortus municipio Tusculo, adolescentulus, prius quàm honoribus operam daret, versatus est in Sabinis: quòd ibi † hæredium à patre relictum habebat. Hortatu L. Valerij Flacci, quem in Consulatu, censuraq; habuit collegam (vt M. Perpenna Censorius narrare solitus est) Romã demigrauit, in foro esse cœpit. Primum stipendium meruit annorũ decem septemq;, Q. Fabio Maximo, M. Claudio COSS. Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde vt rediijt, castra secutus est P. Claudij Neronis: magniq; opera eius existimata est, in prælio apud * Senã, quo cecidit Asdrubal frater Annibalis. Quæstor obtigit P. Africano Consuli, cum quo pro sortis necessitudine vixit: nanque ab eo perpetua dissensit vita. Aedilis Pl. factus est cum * C. Heluio. Prętor prouinciam obtinuit Sardiniã, ex qua Quæstor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium Poetã deduxerat, quod non minoris æstimamus, quàm quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, forte prouinciam nactus Hispaniam citeriorem, ex qua triumphum deportauit. Ibi cùm diutiùs moraretur, quòd Scipio Africanus Consul iterũ, cuius in priori consulatu Quæstor fuerat: voluit eum de prouincia depellere, & ipse ei succedere, neque hoc per Senatum efficere potuit, cùm quidem Scipio in ciuitate principatum obtineret: quòd tum non potentia, sed iure respublica administrabatur. Quã ex re iratus Senatu peracto, priuatus in vrbe mansit. At Cato Censor cum eodem Flacco factus, seuerè præfuit ei potestati. Nam & in complures nobiles animaduertit, & multas res nouas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quæ iam tum incipiebat pullulare. Circiter annos octuaginta, vsq; ad extremam ætatem, ab adolescentia, Reipublicæ causa suscipere inimicitias non destitit. A' multis tentatus, non modò nullum detrimentum existimationis fecit, sed quoad vixit, virtutum laude creuit. In omnibus rebus singulari fuit prudentia, & industria: nam & agricola solers, & reipublicæ peritus, iurisconsultus, & magnus Imperator, & probabilis Orator, & cupidissimus literarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, vt nõ facilè reperire possis, neque de Græcis, neq; de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia cõfecit orationes: senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas Regum Populi Romani. Secundus & tertius, vndè quæq; ciuitas orta sit Italica: ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem, bellum Punicum primum: in quinto, secundum. Atq; hæc omnia capitulatim sunt dicta. Reliqua bella pari modo prosecutus est, vsque ad Præturam Ser. Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atq; horum bellorum duces non nominauit, sed sine nominibus res notauit. In eisdem exposuit quæ in Italia Hispanijsq; viderentur admiranda. In quibus multa industria & diligentia comparet, multa doctrina. Huius de vita & moribus plura in eo libro prosecuti sumus, quem separatim de eo fecimus, rogatu Titi Pomponij Attici. Quare studiosos Catonis, ad illud volumen relegamus.

Catonis natale solum.
† Al. prædium.
* Senam intelligere quæ Senogallia dicitur in Vmbria.
† Al. C. Aelio.
Catonis censura.
Catonis virtutes eximiæ.
Catonis orationes, & Originũ libri.
Aemylij Probi liber de vita Catonis.

AVTHORVM, QVORVM PLVTARCHVS TESTIMONIA CITAT IN HOC OPERE, catalogus secundum seriem literarum.

Laco-

RERVM ET VERBORVM IN HOC PLVTARCHI OPERE MEMORABILIVM INDEX ET LOcupletissimus & fidelissimus.

Retulimus aūt in vnum hunc INDICEM Magistratus, Leges, Oracula, Prodigia, Apophthegmata, Strategemata, Bella, Orationes, Insomnia, & quæ alia vno quasi fasce indicanda erant, quòd id & commodius esse & rectiùs duximus fieri, quàm singulis singulos & à toto corpore separatos Indices componi. Quòd si quid nobis in tanta & rerum & verborum affluenti copia aut excidit, aut non satis commodè est collocatum, tuum erit candide LECTOR operam nostram qua tibi prodesse studuimus, boni consulere, ac vitio remedium pro tua solertia adhibere. Vale, animumq; pro maximis laboribus quos præter reliquas occupationes in hoc syllabo tuis studijs constringendo exantlauimus, gratum ostende.

A

agesilaus

Ale-

athenis

cato

catonis

cleo-

D

disciplinæ

marcello

N

neronis

persas

pom-

Quintij

quintij

T

thesei

V

Veſtæ

X

Z

PLVTARCHI INDICIS FINIS.

IN AEMYLIVM PROBVM

INDEX.

Arta-

In Aemyl. Prob. index.

Corycium

de Pa-

R

S

T

FINIS.

RECOGNITIO EORVM IN QVIBVS EST ABERRATVM.

Pagina 2, versu 13, ind. & versu 41, instarent 3,5 somnom & 29, Ioxus & 30 Ioxides 4, vlt. intersectos 6,17 Hereas & 18 Necyiam 7, 42 etiam 9,35 cipem 11, 41 hastæ 12, 52 legit 14,17 ind. & 45 fine 15,4 Riguar. & 47 poëtam 17,42 donum 18,16 nou 23,7 mens 27,4 cinct. & 16 si 28, 38 Lycurgi 29,23 quàm, dele & 55 regum 32,28 manu & 50 de mensa sua 33, 39 raptam 34, 33 empt. 35, formæ, lege pro, mouetæ & 46 ditionem 42,29 Minoe, Zoroastre, Numa 44,48 deletus 46, 30 demissum fuisset 48,8 patii ius erat & 33 simol, dele 50,15 auert. & 37 ducendo & 55 euerrit 52,29 fint & 39 port. & 40, barum 53, 9 priuati commodi resp. & 49 bescens 57,11 Occasum ab Atheniensibus & 12 ind. 58,57 flagellaretur 59,28 & eùm hon. 61,5 venditare 62,31 loois 63,45 enim 64,22 num quem 66,34 armis 67,33 vt epistolas ext. 68,22 perm. 69, in marg. 24 Orationum & 26 functi x 70,16 ind. & 33 imponendū & 55 duaer. 71, 54 deinde donarent qnaut. 73,20 conciuit & 34 iam 79,53 Phæace 80,12 Naup. 81,12 lenisi. 82, 44 Cauero & 46 ind. 83, 15 Niciā & 16 chus & vir & 46 varians 84,23 insuper 85,50 perem. 86,17 eacensi 87,28 bat & 35 eacend. & 36 lemum & 43 suburbia & 48 beneficij 89,16 facesset & 40 exilis 90,24 Quaudoquidem 92,6 facta 93, 45 siue & 52 primnm, dele 94,49 bant 95,20 quoad 96,1 At 99,42 nobis 101,12 locatum & 28 bus: neq; si 102,1 quaa dignas 109,52 ciauit & 53 curruō 110,5 conscens. & 20, vllum 114,14 Sardeis 115,23 bat 118, 36 indic. 119,34 Lucumo 120,57 neam 121,32 sublatos 122,9 leniter 124,20 tur, in loc. 126,55 iodicijs 129, 9 ob, dele 128,37 procus. 132,8 illac exereitum 136,39 secnndum 137,32 Omestæ 138,54 Gerand. 139,38 Ismenia 141,22 nos profect. 141,48 ind. 144, 20 negaret & 26 pertinentes 147,23 negaret 153, 54 allectnram 154,37 nominabantur 191,30 lemam 195, 11 essent 196, 31 capaos. 197,15 vastumq; 204,3 piætor, ne 207,24 ad radices mont. 208,53 pro senili coot. 213,51 profligatos 215,52 ma tamen, sed ad 216,35 vitas & 36 dicandas: 219,25 quia pot. 220,20 cum 223,47 lenis 224,27 luctu 225,31 Luciū 228,11 eos 229, 40 nem: Nero ipse 230,12 hæc & 28 excidisset 233,26 Illi enim 237,19 se, neu imp. & 25 opus 239,32 istas 240, 45 essent 143,38 sumarent 249, 28 neas arces, præsid. & 44 millia 253, 46 ebant 257,39 vereamini 260,47 on ad petent. 264, 57 ebant 268, 24 animus 272, 57 acceperaut 274, 1 prouectos 275, 32 eacireot 279,54 tectorū vt non 283, 52 assuefactam 294, 31 commonuit 305, 47 ex, dele 308,45 bus cum eu egens 310,37 commonuit 311,18 defractorum & 52 efferabantur 314,31 comœdia bland. 317,47 quin 331,29 pugna, ac dum & 46 Diamperes 335,10 Achaicus 337,20 confecto 340, 3 nimios animi & 342, 46 concusa. 347, 16 Gemin. 356,54 defectum 357,33 reeiperent & 57 exord. 361,32 Persem 375,57 certainiui- 376, 34 coactia 388, 19 excelsus 389, 56 non ini- 399, 32 cuim 410, 45 deserto 411, 24 tecte & 27 Seruitia 416, 42 Pharnaceam 417, 4 liberæ 420, 9 rum & 53 minitans 421, 12 Taxile 433, 2 delugebat 439, 14 diuolūt 450,46 numerum & 47 extollerent 451, in marg. præsagia Crasso 388,57 ciuitatem tumultu 665,39 profligauit. Cætera æqui Lectoris diligentiæ reliquimus.

BASILEAE, APVD THOMAM GVARINVM

Anno M. D. LXIIII. mense Augusto.


PALMA ISING

